ILLUSTRIUM ECCLESIAE ORIENTALIS SCRIPTORUM, QUI SANCTITATE...

Pierre Halloix

Digitized by Google

37
10 E
2

HALLOIX
SCRIPTO
ECCL·ORIE
PRIMI
SÆCVLI

G
6
6

Digitized by Google

Digitized by Google

De La Barmondiere Pbr.

Digitized by Google

ILLVSTRIVM
ECCLESIÆ ORIENTALIS
SCRIPTORVM
VITÆ ET
DOCVMENTA.

B

Digitized by Google

c

ILLVSTRIVM ECCLESIÆ ORIENTALIS SCRIPTORVM,

QVI SANCTITATE IVXTA ET ERVDITIONE, PRIMO CHRISTI SÆCVLO FLORVERVNT, ET APOSTOLIS CONVIXERVNT,

VITÆ ET DOCVMENTA.

AVCTORE

R. P. PETRO HALLOIX LEODIENSI,

SOCIETATIS IESV PRESBYTERO.

Adiuncta sunt è Græcorum Menæo de ijsdem Sanctis viris ELOGIA GRÆCOLATINA *ex eiusdem versione.*

Item NOTATIONES ET QVÆSTIONES quædam ad VITARVM confirmationem & illustrationem pertinentes.

DVACI,

Ex Officina Typographica PETRI BOGARDI, sub Biblijs Aureis.

Anno M. DC. XXXIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

Ex majori Bibliotheca Con[ven]tus ff[ratru]m Trinitatis montis firmi

37. 10. E. 2

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO DOMINO

ANTONIO DE VVINGHE

LÆTIENSIS COENOBII IN HANNONIA,

ORDINIS S. BENEDICTI,

ABBATI DIGNISSIMO.

HÆ illustrium Ecclesiæ Orientalis SCRIPTORVM vitæ, admodum Reuerende Præsul, multis TIBI magnísque nominibus debentur. TV enim illas, pro insigni tuo erga SANCTOS amore, partim cunctantes & quasi torpentes primus excitâsti: partim rudes & imperfectas ope atque operâ non mediocriter promouisti: partim denique iam affectas ac lucem publicam reformidantes, tua obstetricante singulari beneuolentia, velut ad vitalem auram eduxisti. Quæ proinde, remotis iam impedimentis, ac retinaculis omnibus per TE fortiter abruptis, dum in lucem primùm prodeunt, ecce in sinum tuum tanquam sibi notissimum ac longè carissimum, rectâ & quasi pleno alarum remigio prouolant: ibíque gestari, foueri, defendi gaudent. Cùm enim TE principem sui amatorem atque fautorem iam pridem expertæ sint; tum verò in præsentia eo experiuntur ampliùs, quo post præclaros aliorum fetus gremio tuo benignè exceptos, sibi modò natis non solùm pari benignitate, sed etiam obuijs quasi

vlnis occurri vident. Tales enim vitas, quales hæ videntur (affectu tamen tuo, non scribentis merito) semper tibi gratissimas esse atque optatissimas, & præsens dicto testatus es, & absens scripto. Nimirum eas TIBI vel maximè probari non rarò prætulisti, quæ vel ex ipsorummet SANCTORVM scriptis, vel ex æqualium ac coæuorum attestatione, vel ex antiquorum Patrum aut Historicorum haud dubia relatione, velut ex ipso VERITATIS penu depromerentur. Nec vanum sanè id iudicium tuum censeri potest aut debet, cui & aliorum non pauci, iique perquàm sapientes subscribunt. Hanc proinde tantis auctoribus institi viam: tametsi haud veritus sim, si qua fortè posterioribus, quàm ipsi vixerint, sæculis ad ipsorum laudem memorabilia acciderint, ea vetustioribus ipsorum gestis adiungere: illum scilicet laudatum patrem familias imitatus, *qui profert de thesauro suo noua & vetera*. Igitur & hæc & illa in hisce vitis complector, cùm ex vtrisque bona desumi posse mella intelligam, præsertim à TE admodum Reuerende PRÆSVL, & ab illo tuorum Religiosorum peramabili APIARIO: quibus viâ Sanctorum regiâ gradientibus tam sancta omnia sapiunt, quàm amantur; amantur autem non vulgari, sed sublimiori quodam amore, atque Angelorum, quos in terris imitantur, æmulo. Cuius quidem amoris haud alia sanè opus est, testificatio, quàm earundem sanctarum rerum præcellens honos, & eximius apud vos cultus atque obseruatio. Vbi enim preciosa illa, seu purpuratorum Martyrum pignora, seu aliorum insignium Dei seruorum cimelia, maiori elegantia, cura, pietate, ornantur, conseruantur, honorantur, quàm in lætissima tua, ô felicissime PRÆSVL LÆTIA? Vident enim & agnoscunt, quotquot illam adeunt, quàm varijs ea resplendeat sacrorum DEPOSITORVM thecis, ac ijs quidem non minus materiæ dignitate præstantibus, quàm operis artificio admirandis. Quo quidem in genere cùm TIBI perinsignis

illa Venerabilis Domini LVDOVICI BLOSII pietas præluxisset (qui & in eiusmodi DEPOSITIS requirēdis diligens, & in ornandis industrius, & in proprio ijs exstruēdo sacrario pius ac prouidus fuit) tum TV, vt tāti patris minimè degener filius, non solùm TIBI ab eo relicta studiosè conseruasti, sed etiam mirificè auxisti, atque haud paullò splendidiora omnia reddidisti. Quid, quòd in eodem tuo LVDOVICO BLOSIO, (qui verè sæculi sui lucerna fuit ardens & lucens) plenum pietatis, immo & publicæ vtilitatis opus perfecisti, dum & beato eius corpori sub exiguo lapide, velut lucernæ sub modio latenti dignum posteritate monumētum, quasi candelabrum erexisti, & salutaria eius SCRIPTA toto orbe exquisitissima, non sine insigni complurium ipsius tractatuum additamēto, & æquissimâ eorum quæ alienis perperam attribuebantur vindicatione, typis edenda nobilissimis procurâsti. Iam autem ad Sanctorum vitas (vnde plurima in remp. Christianam emolumenta emanant) quod attinet; certè illas apud vos, si vsquam alibi, permagno in honore ac precio esse constat: quippe à quibus & cupidissimè excipiuntur, & sapidissimè perleguntur; & quod caput est, vita moribusque, pro suâ cuiusque virili, quàm simillimis repræsentantur. Quare & hasce à me conscriptas, TIBI, admodum Reuerende Præsul, confidenti animo dedicaui, quas non modò ipsorum Sanctorum, qui Apostolis conuixerunt, aut antiquitas commendat, aut illustris sanctimonia pari eruditione coniuncta collustrat; sed etiam saluberrimorum omnimodæ virtutis exemplorum copia affatim locupletat. Accipe igitur, qua fronte huiusmodi Opera soles, etiam hoc exiguum nostri erga TE amoris pignus, & quamuis ingentibus tuis meritis impar, tamen pro solita tua humanitate æqui bonique consule. Ita Deus opt. max. TE & TVOS perpetuò amet, tueatur, conseruet.

Admodum Reuerendæ Dignitati tuæ addictissimus

PETRVS HALLOIX.

ΑΙΔΕΣΙΜΩι ΠΑΤΡΙ

ΠΕΤΡΩι ΑΛΛΟΙΣΩι

ΒΙΟΥΣ ΤΕ, ΚΑΙ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ
ΤΩΝ ΕΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑι ΕΛΛΗΝΙΔΙ ΠΑΤΡΩΝ
ΕΚΔΙΔΟΥΝΤΙ

ΜΕΛΟΣ.

Ὅποι ἂν δίκαιόν ἐστι
Παλίνορσαν ἐνσπαρῆναι
Ἐνὶ καρδίῃσι πίστιν,
Ὅποι οἰκέτας Ὀλύμπου
Ἱεροὺς δίκαιον ὑμνεῖν,
Μερόπεσσι πᾶσιν ἔστω
Ὀνομαστὸς ΑΛΛΟΪΣΟΣ.
Ἄγε ἐκστεφεῖσα νύμφη,
Ζεφύρου ταχέος γένημα,
Ἄγε δεῦρο λαμπρὰ φήμη,
Ἐπίβαινε τοῦ τεθρίππου,
Πολυμυθέων τε γλωσσῶν
Στομάτων ἄνοιγε χεῖλη.
Ὅθι χρυσόπεπλος Ἠὼς,
Ὅθι νυκτίφοιτος ἀστρῶν
Καλεῖ Ἕσπερος χορείαν.
Ὅθι κρυμὸν ἐξανωθεῖ
Χιονόκλυπος Βορείας.
Ὅθι οὐρανοὺς ὕσιζας
Κλονέει νότος δυσαὴς
Ἐπικλεῖσον ἈΛΛΟΪΣΟΝ.
Ἵνα δὲ περισυμνέοιεν
Σοὶ αἰῶνες, οἱ μεθ' ἡμᾶς.
Ἄρα ἐξ τύκιζε στήλας,
Ὑπάτας τε, καὶ ὀλύμπου
Ἀνάλημμα οὐκ ἐλάττους.
Διάγλυψον αὖ ἐκείνας
Ἀδάμασι καλλιέργοις,
Σμαράγδοις τε, καὶ λίθαξι
Ἐρυθρᾶς ἀπ' ἀμφιτρίτης.
Ἐπίγραψον εἶτα νύμφη
Ῥοδοδακτύλοισι χερσὶν
Τόδε γράμμα, τὸ στίχοισιν

REVERENDO PATRI

PETRO HALLOIX

VITAS ET DOCVMENTA
PATRVM ECCLESIÆ ORIENTALIS
SCRIBENTI

CARMEN.

Vbicunque sancta nasci,
Vbicunque vel renasci
Meruit fides auita;
Vbicunque gesta Diuûm,
Hominum per ora ferri;
Ibi viuat Halloïsius.
Age virgo laureata,
Zephyríque nota proles,
Celera leues quadrigas.
Age fama, gloriosa
Ades huc ministra laudis,
Variâ sonora voce
Varias resolue linguas.
Vbi blanda regnat Eos,
Vbi serus in senatum
Vocat astra densa Vesper;
Vbi canus albicantes
Aquilo niues colorat;
Vbi nimbipromus Auster
Pluuio Ioui laborat;
Cane nomen Halloïsi.
Et vt auiterna sæcla
Tibi succinant canenti;
Modò sex solo columnæ
Statuantur, & minaces
Referant in astra culmen,
Adamantinisque nodis,
Smaragdísque, conchulisque,
Spolióque punicantis
Decorentur Amphitrites.
Titulum deinde nympha
Roseâ decora dextrâ,
Simili, vel hoc legendum

Super-

Σοὶ ἐγὼ χέων χαράξω:	*Superexarato versu.*
Διὰ Ἑλλάδος πραθείσης	*Fidei sacras columnas,*
Σχέτλιον ἐρειπίωσιν,	*Orientis è ruinis,*
Ἀνὰ πίστιν ὀρθοδόξαν,	*Studio nouo politas,*
Χ᾽ ἱερὰς ἔρυσε στήλας,	*In eburneum nitorem*
Πολύκλειτος Ἀλλοῖσος.	*Renocauit Hallorsius.*
Κακίῃσιν αὖ ὄλεθρος	*Iterum cruenta bella,*
Ἀνατείνεται ἄθυμος	*Vitijs suprema bella*
Βελέων τε καὶ σιδήρου	*Renouantur; & feroces*
Μενεδηΐων τε χειρῶν.	*Iterum vibrantur enses.*
Ἐφορᾷς, ποῖ αἱ φάλαγγες	*Viden', vt sacra phalanges,*
Προέδρων τε, Μαρτύρων τε	*Animaeq; larga turma*
Πολεμοῦσιν; ὅς κραταιῶν	*Minitentur? hic iubato*
Ἐναλίγκιος λεόντων;	*Generosior leone?*
Σοφίας δὲ ὅς κεραυνοὺς	*Ruat hic coruscus igne,*
Μεγαλαλκέας κραδαίνων?	*Sapientiaeq; telis?*
Κρατέων ὃ, καὶ διώκων	*Fuget ille purpuratos,*
Θανατοῦντας ὅς τυράννους	*Nece fortior, tyrannos?*
Ταλαπενθέος ῥ᾽ ἕκαστος	*Statione quisque fixâ*
Μετὰ σώματος προτιμῶν	*Prius immoti paratus,*
Ἀπολέσθαι, ἢ λιπέσθαι	*Pede quàm leui trementes*
Ὀχύρωμα ὀρθοδόξων.	*Fugitare per latebras.*
Ἑκὰς ἔστε νύκτες ᾅδου,	*Procul este fax auerni,*
Ἀχέροντος ὦ κάθαρμα·	*Acheronticaeq; pestes.*
Ἑκὰς αἱρέσεις βέβηλαι,	*Procul hareses profana,*
Φονικός τε λοιμὸς ἀνδρῶν.	*Scelerúmque, quotquot estis;*
Ἑκὰς ὦ γένος πονήρων.	*Acies probrosa, turma.*
Ἁγίων Πατρῶν ἀναστὰς	*Rediuiua vita Patrum,*
Βίος ἐκ χρόνου παλαιοῦ,	*Senísque, temporúmque*
Κακὰ πάντα ἐξελαύνων	*Reuocata de sepulchro,*
Γλυκύδωρον εἷλε νίκην.	*Sibi vendicat trophaeum.*

SERVATIVS SACRE Societatis Iesu.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CATHOLICI

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum Rex &c. diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter Petri Bogardi voluntatem imprimat, ſimulet, alibi impreſſa, ſimulatáue in ſuas inferioris Germaniæ terras importet, aut venalia exhibeat Opera PETRI HALLOIX, Societatis IESV Presbyteri, inſcripta, ILLVSTRIVM ECCLESIÆ ORIENTALIS SCRIPTORVM VITÆ ET DOCVMENTA, intra octo annos ab hac prima impreſſione. Qui ſecus faxit, librorum confiſcatione & alijs pœnis in diplomate expreſſis multabitur. Datum Bruxellæ III. idus Augusti, CIↃ. IↃ.C. XXIIX.

Signatum

De Berti.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrà ſcriptus Soc[tis]. IESV in Gallobelgica Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Soc[ti]. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Soc[tis]. hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do PETRO BOGARDO Typographo Duacenſi, vt librum cui titulus eſt: *Illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum, qui ſanctitate iuxtà & eruditione primo Chriſti ſæculo floruerunt, & Apoſtolis conuixerunt, Vitæ, & Documenta, Auctore PETRO HALLOIX* eiuſdem Soc. Sacerdote, ad octo annos proximos imprimere, & liberè diſtrahere poſsit. In quorum fidem has manu propriâ ſubſcriptas, & officij ſigillo munitas dedi. Duaci, 28. Auguſti. 1632.

IOANNES LOBBETIVS.

CEN-

APPROBATIO.

VItas Scriptorum Ecclesiasticorum, qui secundùm Apostolos & Euangelistas sanctitate & doctrina inter Græcos claruerunt, à R.P. PETRO HALLOIX Societatis IESV Presbytero compositas, & Documentis atque Notationibus illustratas, tanquam ecclesiæ perutiles, ac nihil à fide vel ab honestis moribus alienum continentes, bono publico in lucem edi posse censeo.

MATTHIAS NAVÆVS S. Theologiæ Doctor, & Pastor in S. Petri, & librorum censor.

CENSVRA.

EGo infrà scriptus ex auctoritate R^mi^. Domini Episcopi Atrebat. censor constitutus iudico vitas SS. Dionysij, Ignatij, Polycarpi, &c. à R. P. PETRO HALLOIX Societatis IESV Presbytero compositas, esse luce lectúque dignissimas. Quippe quas & summa fide industriáque concinnauit, & annotationibus pereruditis illustrauit, & pereleganti pióque stilo conscripsit. Duaci, 13. Ianuarij, 1624.

FRANCISCVS FOVRNETIVS è Societate IESV, S. Theologiæ Doctor ac Professor.

LECTO-

LECTORI S.

ECce tibi, amice Lector. paucis verbis, omnem huius operis rationem atque complexum. Vitas illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui secundum Apostolos & Euangelistas doctrina peræquè & sanctimonia floruerunt, eâ potissimè de caussa nouè scribendas suscepi: quòd sanè quàm multa, eáque præclara in istis olim scriptis desiderari comperissem, quæ si in lucem euulgarentur, non modò ipsis Sanctis perquàm honorifica, sed etiam omni Ecclesiæ futura essent admodum vtilia. Hinc cùm senas in hoc tomo vitas comprehendam; prima quidem, quæ est S. DIONYSII Areopagitæ, iam triplo quadruplóue vberior, tam segete virtutum, quàm prodigiorum copia, nostro labore & stilo in publicum prodit. Sancti quoque IGNATII, quæ pertenuis hactenus & satis ieiuna in manibus fuit, nunc plenior aliquanto simul & planior ex ipsismet eius epistolis emanat. Beati verò POLYCARPI (cuius martyrium duntaxat antè habebamus) modò totam vitam, partim è græcis codicibus manuscriptis, antehac (quod quidem sciam) ineditis, partim aliunde, ab ipsa vsque pueritia producimus. Eam porrò primus græcè conscripsit Caius, S. Irenæi, Lugdunensis Episcopi discipulus: ex cuius exemplo alij deinde transcripserunt, primò Socrates, non ille historiæ ecclesiasticæ scriptor, sed alius: deinde ex eo ille, cuius sæpe nomen in Notationibus meis vsurpo, Pionius. Nam eius exemplar manu scriptum nactus sum, eóque plurimum vsus. Iam vitæ Sanctorum HIEROTHEI, PAPIÆ, QVADRATI, hodie primùm conscriptæ & concinnatæ censeri possunt. Adeo pauca de illis, & tantùm hic illic dispersa, non in vnum corpus coagmentata, comparebant: nos autem ex recollectis, velut è naufragio, scriptorum ab ipsis librorum fragmentis, atque ex alijs itidem veterum Patrum monumentis, aliquam saltem vitarum formam illis indidimus. Materies porrò, ex qua hæ omnes vitæ nobis conflatæ sunt, primò & maximè ex ipsorummet Sanctorum scriptis deducta est: quâ secundum Scripturam sacram nulla est certior ad veritatem via: deinde è veterrimis Ecclesiæ Patribus & Historicis, seu Græcis, seu Latinis: pòst è Græcorum Menæo, quod diu requisitum (multa enim ab alijs prætetita continet, eáque vitis nostris necessaria) tandem reperi apud Venerabilem D. Florentium Vanderhaer, Insulis Flandriæ Canonicum & Thesaurarium, virum vt scriptis clarum, sic Scriptoribus amicum & fautorem, mihique in primis amicissimum. Inde igitur ad singulas propè vitas adiunxi, quæ ad Sanctorum spectabant laudes, eáque in latinum sermonem translata (nam hodiéque tantùm græcè extant) columnatim vtraque linguâ emisi. Fuisset

sanè

sanè hoc Menæum Cardinali Baronio, si in eius venisset manus, permagno vsui. Quippe in quo longè plus argumenti ad suum propositum, quàm in exiguo Sirleti Cardinalis Menologio à se mirificè laudato, (quod totum in Menæo comprehenditur) reperisset. Denique è Latinis Martyrologijs, seu Vetere Romano (quod è diuturnis latebris post eiusdem Baronij mortem eruit noster Heribertus Rosvueydus ὁ μακαρίτης) seu nouo Ordinatio, seu è compluribus alijs, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Maurolyci, Galesinij, & è quibusdam præterea manuscriptis. Post Sanctorum autem vitas, etiam DOCVMENTA *ex ipsorum libris protuli: quòd vt illæ ad incitandam pietatem, ita hæc ad fidem roborandam plurimum conferant. Documentis item* NOTATIONES *ad Vitarum confirmationem, & subinde* QVÆSTIONES *quasdam, partim Theologicas, partim Philosophicas, partim Historicas ad dictorum elucidationem adieci. Denique singulis tomis (nam & alios cum Deo propitio cudimus) per sæcula ordine distinctis; totius Ecclesiæ status breuem quasi imaginem ac delineationem præmitto, in qua eius, quod percurritur, sæculi Pontifices, Imperatores, Persecutiones, Hæresiarchas, Scriptores sacros, Concilia, & Fidei ac Religionis profectus vno velut oculorum coniectu liceat contemplari.*

His faue, mi amice Lector, & fruere.

INDEX

INDEX VITARVM

ET PRÆCIPVARVM QVÆSTIONVM, QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

VITA S. DIONYSII AREOPAGITÆ,

Athenarum Episcopi, & pòst FRANCORVM Apostoli & Martyris.

Circa quam hæ tractantur principales 4. quæstiones:

PRIMA: *An vnus idémque sit DIONYSIVS AREOPAGITA Paulli discipulus, qui & Episcopus Parisiensis, Francorum Apostolus?*

Secunda: *An opera, quæ nunc extant sub nomine Dionysij Areopagitæ, sint re verà ipsius, an verò posterioris cuiuspiam?*

Tertia: *An TIMOTHEVS, cui eiusdem Auctoris libri inscripti sunt, sit ille celebris S. Paulli discipulus, an aliquis alius, seu à Lucio Dextro, seu à Cæsare Baronio designatus?*

Quarta: *Utri hodie S. Dionysij corpus possideant? Parisiensésne, an Ratisponenses?*

VITA S. IGNATII THEOPHORI,

Antiochiæ Syriæ Episcopi, & Martyris.

Circa quam vitam hæ tractantur quæstiones principales:

PRIMA: *An hic S. Ignatius fuerit ille puer, quem Christus Dominus, Matthæi 18. statuit in medio discipulorum, & exemplum humilitatis proposuit?* Vide cap. I. huius vitæ, & in illud Notationes.

Secunda: *Epistolæ Plinij Secundi Iunioris, quæ datæ feruntur ad Traianum pro Christianis sub martyrium S. Ignatij, quonam tempore scriptæ sint?* Vide in Notationibus ad cap. XIV.

Tertia: *An ille Plinius Secundus Iunior tandem ad Christi fidem conuersus sit, ac piè mortuus, & Sanctis adscriptus?*

Adiecta est ad calcem Notationum Apologia pro epistolis eiusdem S. Ignatij, cum noua quæstione de epistolis ad B. Virginem Deiparam, & ad S. Ioãnem Apost. datis, an eidem S. Ignatio tribui possint?

VITA S. POLYCARPI, discipuli S. Ioannis

Euangelistæ, Smyrnæorum Episcopi & Martyris.

Circa hanc vitam duæ quæstiones præcipuæ agitantur.

PRIOR: *An verba, quæ capite 2. Apocalypseos à Ioanne scribuntur ad Smyrnæ Episcopum, sint ad S. Polycarpum scripta, eique singulariter conue-*

conueniant? Explicatur in cap. vii. Notationum.

Posterior: *An ille Episcopus in Asia, cui S. Ioannes Euangelista adolescentem illum commendauit, qui postea dux latronum euasit, denuóque ab eodem Ioanne est recuperatus, & creatus Episcopus, sit hic noster Polycarpus, an alius?*

Deciditur capite IX. Notationum ad eius vitam.

VITA S. HIEROTHEI, discipuli S. Paulli, primò Athenarum, deinde Segobiæ in Hispania Episcopi.

Quæstio vna circa hanc vitam proponitur.

AN hic S. HIEROTHEVS fuerit natione Hispanus, vt quidam Hispanorum volunt, an verò Atheniensis? vt alij.

Disputatur capite primo Notationum.

VITA S. PAPIÆ, discipuli S. Ioannis Apostoli, & Hierapoleos Episcopi.

Duas habet hæc vita quæstiones.

PRior est: *An hic S. Papias fuerit S. Ioannis Apostoli discipulus,* (vt tenent plurimi) *an tantum S. Ioannis Senioris, vnius è Discipulis?* vt volunt Eusebius & Baronius.

Altera: *Cur nec in vetere Romano martyrologio, nec in sacris Græcorum tabulis vlla fiat sanctitatis B. Papiæ mentio?*

Vtraque proponitur & exponitur in primo limine Notationum super eius vitâ.

VITA S. QVADRATI, Apostolorum discipuli, & Athenarum Episcopi, & Martyris.

Quæstio vna hîc mota est eiusmodi.

AN S. QVADRATVS fuerit ille Philadelphiæ Angelus, ad quem scripta est à Ioanne Apostolo epistola illa, quæ refertur capite tertio Apocalypseos?

Disceptatur in Notationibus ad caput 2. vitæ.

Complures aliæ quæstiones in Notationibus ad has vitas pertractatæ inuenientur, eæque haud parum vtiles, sed hasce præcipuas mihi satis visum est in hisce principijs indicare.

Iam ad cognoscendum Ecclesię huius primi sæculi statum, describetur quædam eius velut imago per Pontifices, Imperatores &c. vt in proxima ad Lectorem epistola indicauimus.

ECCLE-

ECCLESIÆ PRIMI SÆCVLI IMAGO.

Habuit primum CHRISTI sæculum hos in Ecclesia Catholica ex ordine summos

PONTIFICES.

1. PETRVM, veram Ecclesiæ petram, & supremum sacri Apostolatus fastigium: qui cùm Antiochiæ annos aliquot Episcopus resedisset, atque Orienti salutaris fuisset; inde ad Occidentem conuersus Romam petijt, ibique fixa SEDE PONTIFICIA, ætatis suæ reliquum, partim varijs in peregrinationibus, partim ac potissimùm in Italia, vrbeque Roma (vbi & palmam obtinuit martyrij) annos viginti quinque exegit.

2. *LINVM*, qui in Clementis à Petro cõstituti & exiguo tunc tempore Pontificatu fi nẽti locum succedens, secundi Pontificis nomen ac titulum, præsertim apud Græcos, adeptus est; atque in eo loco ac munere annos vndecim circiter superstes fuit.

3. *ANACLETVM*, genere Atheniensem, honore Sacerdotij ab Apostolorũ corypheo donatum, quem S. Ignatius martyr aliquoties in suis epistolis nominat, & proximè ante B. Clementem collocat. Stetit autem Anacletus in supremo Ecclesiæ gradu annis haud minùs duodecim: ad extremum martyrij palma est decoratus.

4. *CLEMENTEM*, virum eruditione, virtute, martyrio clarum: quem Romani ciuem esse suum gloriantur, B. Paullus scriptum in libro vitæ prædicat, omnis ecclesia miris laudibus honorat. Is munus Pontificium vltrò alijs concessum, diuino humanóque suffragio cùm resumpsisset, annos tenuit minimùm nouem, & fine nobilissimo coronauit.

Quidam recentiorum loco tertio Cletum pro Anacleto supponunt, & duos ex vno faciũt: quos à choro SS. Patrum discedẽtes non sequor. Nam ab altera sententia sunt hi principes Ecclesię Scriptores, Ignatius Martyr, Irenęus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Flauius Dexter, Augustinus, Optatus Mileuitanus, atque alij cùm illis quã plurimi, qui vnũ eũdemque Cletũ & Anacletũ esse sciũt & adstruũt. Habuit idẽ sęculũ hosce ex ordine

IMPERATORES.

1. AVGVSTVM (huius enim honorem nominis primus meruit & tenuit Cæsar Octauianus) quo pacificè regnante natus est IESVS CHRISTVS, princeps pacis. Non fuit illo Imperatore vsque ad CONSTANTINVM MAGNVM, alius melior simul & felicior, alius potentior simul & modestior. Quippe qui pacatis extinctisque bellis, tam ciuilibus quàm externis, à finito duodecennali triumuiratu, omne Romanum imperium ipsos quadraginta quatuor annos solus humeris suis potenter sustinuit, & CHRISTO Domino annos quindecim nato, ipse septuagenario maior è viuis abijt.

2. *TIBERIVM*, Augusti priuignum & adoptione filium, qui bona sui principatus initia posteris delicijs, & insolenti in viros clarissimos sæuitia corrupit. Hoc imperante, & vitijs mundum prægrauante, verus mundi Saluator IESVS ad soluendum humanæ redẽptionis precium accessit, & morte suã viã nobis ad vitam, & ad cælum aperuit. Erat tum Tiberius in anno sui dominatus XVIII. quibus addidit alios quinque, & extinctus est.

3. *CAIVM CALIGVLAM*, virum naturę suę oblitum, & spurcitia in sorores, superbia in cælites, sæuitia in omnes abutentem, qui diuinis honoribus arrogatis, etiam humanos diuina vindicante Iustitia perdidit. Quippe cuius obscœnitas ferro per obscena transadacto, infra imperij quadriennium meritissima morte punita est. Hoc regnante Petrus Apostolus Antiochiæ in Syria residebat, vrbe totius

tius Orientis maxima. Vnde & CATHEDRA PETRI ANTIOCHENA celebri cultu anniuersario in Ecclesia memoratur.

CLAVDIVM DRVSVM, magnifici animi virum, si publica opera & extructiones attendas; parui & imprudentis, si quantum potestatis vxori, libertisque permiserit, spectes. Annos imperii quatuordecim numerauit. Cuius Imperij secundo Petrus relicta Antiochia Romam venit, ibique sedem Pōtificiam, (cuius quotannis festa renouatur memoria) stabilem fixit.

NERONEM, vas totius spurcitiæ & iniquitatis, belluam magis quàm hominem, sed omnes belluas inaudita feritate & naturæ contaminatione superantem. Qui magiæ & totius impietatis sceleratissimum mācipium primus Imperatorum in Christi sanctissimam religionem fedè grassatus binas eius columnas concussit, totamque euertere studuit; sed ad necem damnatus & quæsitus ignominiosissimam (vt nudus scilicet per publicum ductus, furca capiti inserta, virgis vsque ad mortem cæderetur, atque ita de saxo præcipitaretur) ipse tantæ horrore ignominiæ, sui ipsius carnifex fuit, & ferrum iugulo adegit, & merum naturæ monstrum manu sua confecit. Religio autem Christiana à talis monstri occasu respirare cœpit, inque dies augescere. Imperauit ille annos fere quatuordecim.

SER. SVLPICIVM GALBAM, quem à Gallis & Hispanis militibus primò electum Imp. deinde à reliquo exercitu susceptum, septimo dominatus mense occidit Otho, & imperium inuasit.

OTHONEM, qui in malè parto imperio haud diu stetit. Vt enim aliū Imperio pepulerat mense septimo; ita ipse pulsus est quarto. Nam Vitellius cum Germanicis, quibus præerat, legionibus in eum mouit: & vicit. Ille abiecto spei melioris animo sese gladio transfixit ac perijt.

VITELLIVM, haud melioris fortunæ Imperatorem, qui Othone victo vix annum ac ne vix quidē imperio potitus est. Quod quidem eius imperium, Dione teste, nihil aliud fuit, quàm ebrietas & comessatio. Sed finis tantæ intemperantiæ, & coniunctis cum illa vitijs, tragicus fuit. Nam Vespasianus, eodem ferè, quo ille, tempore, ab exercitu quem in Iudæa habebat, Imperator appellatus, per suos Duces gesto prosperè in Italia bello etiā à Senatu, licet absens, dictus & confirmatus Imperator fecit, vt Vitellius latebras quæreret. Verùm deprehensus atque extractus, vinctis post terga manibus, iniecto in collum laqueo, & veste discissa seminudus, è palatio in forum, inter mille hominum cōuitia ac ludibria, colaphos impingentium, barbam vellētium, comessationes exprobrantium, eiusque mentum, ne pudore vultum absconderet, identidem suffodicantium, ignominiosissimè perductus est: tandemque post deformatam cœno ac stercore faciem, ad scalas Gemonias immaniter contorsus, atque vnco in Tiberim abreptus ac proiectus interijt. Caput à ceruicibus recisum, tota vrbe circumlatum, ludibrio fuit, simul & exemplo, quàm nulla quamuis excellens potestas extra omnem cuiuscumque miseriæ atque infortunij sita sit aleam.

FLAVIVM VESPASIANVM, vnicum ab Augusto ad hoc tempus, bonum Imperatorem, qui mores vrbis atque militiæ à medijs Imperatoribus deformatos reformauit: qui publica ædificia, templa, monumēta, temporum iniurijs vel solo afflicta, vel hausta incendijs in Vrbe instaurauit: qui foris quoque plurimas per totam imperium ciuitates terræ motu aliisue infortunijs collapsas restituit. Hic erga omnes, etiam inimicos, moderatus & clemens fuit, hocque vnum singulare ac proprium habuit *inimicitias obliuisci*, immo *& beneficijs superare*. Cuius virtutis exempla sunt in eius vitæ Scriptoribus non pauca. Hoc Imperatore Iudæa de immerita Christi IESV nece meritissimas pœnas luit. Prostrata est enim vrbs Ierusalem, & templi omnium in orbe augustissimi sanctitas profanata, & ipsum succensum, dirutumque: Iudęi autem ipsi, quos humanitas à suo Rege IESV Christo cruci affigendo non diuerterat, à Tito Cæsare, Vespasiani filio suffigi crucibus in conspectu ciuitatis tanto numero iussi sunt, vt teste Iosepho, & spatium crucibus deesset, & corporibus cruces. Vixit Flauius Vespasianus annos decem; nec violenta, vt alij, sed pacata morte excessit.

TITVM VESPASIANVM, Flauij filium, tot tantisque virtutibus etiam præ patre suo nobilem, atque omnibus ita passim carum, acceptúmque, vt vulgo *AMOR ET DELICIAE GENERIS HVMANI* appellaretur. Quod humanitate potissimùm, ac bene de omnibus merendi volontate obtinuit. Illius est vox illa laudatissima, cùm aliquando super cenam recordatus esset, nihil se cuiquam eo die beneficij præstitisse: *AMICI DIEM PERDIDI*. Hoc vnum duntaxat toti imperio accidit tristissimum, quòd vota pro sua salute adeo non ęquauerit, vt intra imperij trienniū febri tactus excesserit. Annis enim duobus dun taxat, & mensibus totidem, & diebus viginti, vitæ patris superfuit. Nihil hic, neque pater eius in Christianos molitus est, sed is qui iam sequitur, plurimùm & molitus est, & nocuit.

FLAVIVM DOMITIANVM, Titi Vespasiani fratrē, sed illi, & patri, vita dissimillimū. Nō coluit patrem, insidiatus est fratri, patrueles occidit: & post multas alias nobiliū & innocentium indignas cædes, voluit etiā (quod summæ impietatis atque extremę arrogantiæ caput est) religionē perdere Christianam,

& Deo æqualis esse & haberi. Sed mortalem ipsum domestici & familiares manifestò arguerunt, qui eum conspirante etiam vxore, anno imperij decimoquinto, multis confossum vulneribus, ad inferna mortuorum loca deturbarunt.

NERVAM COCCEIVM, dominatu perexiguo, plurimorum auctorem bonorum. Nã acta Domitiani impia & iniusta rescidit, exules reuocauit, accusari quemquam impietatis (sic Christianam religionem cæcitas Gentilium appellitabat) aut ritus Iudaici vetuit. Ita & Christiani à calumnijs tuti deinceps fuerunt, & qui à Domitiano relegati fuerant, in suas terras, & quocumque quis vellet, redire postliminio permissi sunt. Ita & S. Ioannes Apostolus è Patmo Ephesum redijt, & Asiæ ecclesias suprema potestate gubernauit. Tam bonus porrò Imperator non integro biennio imperauit: sed affectâ senectute cùm esset, Traianúmque à se adoptatum, in senatu Cæsarem designasset, haud ita multo pòst morbo interijt, cùm menses quatuor & dies nouem supra annum vnum regnasset.

Hi omnes Impp. primum Christi sæculum impleuerunt. Traianus secundum inchoauit. Nunc primi sæculi persecutiones exponam.

PERSECVTIONES.

PAssa est Ecclesia Dei, varias in primo Christi sæculo persecutiones, quasdam in ipso capite, alias in membris. In capite quidem; dum IESVS dux salutis nostræ in prima infantia quęsitus ad mortem, necesse habuit relictâ patria in Ægyptum profugere, & salutem quam suis afferebat, apud alienos quærere. Hęc prima fuit & admodum cruenta persecutio, quæ & illos ferè solos perdidit, (infantes scilicet) quibus ferè solis aliàs parci solet. Tum igitur innocentes innocentem redemerunt & ab innocente redempti sunt. Herodis fuit illa væsana persecutio tantę ambitionis fumo excæcati, vt & infantem timeret, & via insolita vnum è multis & pre multis ad cædem petens, hos omnes frustra occideret, & illum non inueniret. Altera in capite persecutio fuit, quam primores Iudæorum œstro inuidiæ concitati eundem IESVM iam ætate virum, iam legis doctorem, iam salutis datorem, iam prodigiorum operatorem tamdiu varijs insidijs appetiuerunt, donec tandem comprehensum, vinctum, vexatum, omnibus contumelijs, ludibrijs, iniurijs indignissimè affectum morte crucis ignominiosissima contrucidarunt. Sed illa omnia sponte passus, sponte & resurrexit. Persecutiones autem in membris, (de quibus deinceps solis agam) sunt in duplici genere: quædam Imperatoriæ & generales; in vniuersam scilicet grassatæ Ecclesiam: aliæ minorum potestatum, & certis locis terminatæ. Ex his est illa Iudęorum Hierosolymis, Actorum 7. & 8. cuius non minima pars fuit Saulus, & in qua S. Stephanus Diaconus, primitiæ Martyrum nouę legis factus est. De qua persecutione hoc extat Scripturæ testimonium. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum. Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiã.* Act. 8. ver. 1.

Persecutiones porrò generales & peracerbæ fuerunt duæ.

Prior primi sæculi persecutio

NERONEM habuit auctorem, sub quo cùm innumeri per omnes Romani imperij prouincias fuerint martyres, tum hi fuere multò celeberrimi:

PETRVS ET PAVLLVS, duo ecclesiæ lumina, alter cruce, alter gladio, eadem die annóque interempti.

BARNABAS Apostolus, qui primus Apostolorum Antiochiam Syrię excoluit, primus Episcopatum Mediolanensem fundauit & tenuit, postremóque in Cyprum, vbi & aliquãdo euangeliũ pręadicarat, profectus, ibi ad Apostolici muneris laudẽ, martyrij coronam circiter septimum Neronis annum adiunxit.

MARCVS, ille Petri comes, adiutor, interpres: & vnius euangelij conscriptor qui post fundatã in Ægypto & pulcherrimis instructã legibus ac moribus ecclesiã, ab inimicis fidei comprehensus, per saxa raptatus, in carcerem trusus tandem octauo Neronis anno ad palmam à Domino euocatus est.

PROCESSVS ET MARTINIANVS, à beato Petro in Mamertini custodia salutaribus aquis expiati, cum quibus vnà & alij quadraginta septem, vtriúsque sexus tam in Baptismo, quàm in Martyrio fuere coniunctissimis animis sociati.

EVODIVS Antiochiæ post S. Petrũ Apostolum Episcopus, & S. Ignatij martyris collega.

PAVLLINVS, primus Lucæ in Tuscia Episcopus à S. Petro ordinatus, *qui ad radices montis Pisani post multos agones martyrum suum cum alijs socijs consummauit.*

TORPES, olim magnus apud Neronem, pòst insignis sub eodem martyr. de quo tabulæ ecclesiasticę ad 17. Maij.

LONGINVS, ACESTVS, ET MEGISTVS milites, qui spectatâ B. Paulli in martyrio fortitudine, ad eandẽ eadem in caussa præstandã succensi, mox & Christi fidẽ amplexi sunt, & cãdẽ cum suo doctore palmam obtinuerũt.

XYSTVS, B. Petri Apostoli discipulus, & ab eodem primus ecclesię Rhemensi in Gallia datus Episcopus.

APOLLINARIS, qui eundem Apostolum Antiochia Romam comitatus, & ibi creatus ab illo Episcopus ac Rauennã missus, multa ibidẽ pro Christi nomine, sub imperio

Neronis

Neronis perpessus est, quamuis nonnulli demũ sub Vespasiano morte affectum credant.

ARISTARCHVS, primus Thessalonicæ Episcopus, S. Paulli Apostoli discipulus & comes & concaptiuus, & post multa certamina martyrio honoratus.

FELIX & CONSTANTIA, Nuceriæ in Campania, pro asserta defensaque Christi religione, obtruncati.

ARCHIPPVS, PHILAEMON & APPHIAS, discipuli S. Paulli, qui Colossis in Phrygia, dum sacris rebus in templo interessent, à Gentilibus ipso Dianæ festo comprehensi, & idolis sacrificare iussi, mortem impietati prætulerunt. Ducti igitur ad Androclem Ephesi præsidem, nec eius parentes mandatis, post alia supplicia in foueam ad renes vsque demissi, lapidibus oppressi sunt. Celebrantur vicesima secũda Nouembris, in Menæo autem 19. Februarij.

EPAPHRAS, ille Paulli concaptiuus in Christo IESV, ille primus Colossarum in Phrygia constitutus ab eo Episcopus, ille qui multum laboris & pro Laodicensibus suscepit & pro Hierapolitanis, eodem teste Apostolo.

CAIVS, S. Barnabæ Apostoli discipulus, Mediolanensis Episcopus, qui sanctos Geruasium & Protasium baptizasse fertur.

VITALIS, & eius vxor *VALERIA*, SS. Geruasij & Protasij parentes.

VRSICINVS medicus, qui SS. Apollinaris & Vitalis cohortatione, post varia tormenta, etiam mortem fortiter sustinuit.

Præter hos & alios plurimos viros, quos omitto singulatim percensere, haud paucæ itidem mulieres, eodem imperante tyranno, virtutem suæ FIDEI morte fortiter obita comprobarunt.

PHOTINA in primis, illa scilicet Samaritana, quicum Dominus IESVS ad fontem Iacob, Ioannis 4. collocutus est, quæ vnà cum duobus filijs Iosepho & Victore illustris palmæ compos fuit.

THECLA etiam, illa Paulli discipula sanctis Patribus Græcis, Latinisque celebratissima, quæ bestijs obiecta, in flammas immissa, tormentis varijs exercita, clarissimam de cũctis hostibus victoriam felici perseuerantia reportauit.

EVPHEMIA item, *DOROTHEA*, & alia *THECLA*, & *ERASMA*, quæ (testibus martyrologijs ad diem tertiam Septembris) *sub Nerone post multa supplicia gladio cæsæ sunt, & à sancto Hermagora sepultæ.*

BASILISSA quoque & *ANASTASIA*, nobiles feminæ, Apostolorum discipulæ, quæ curatis magistrorum suorum Petri & Paulli corporibus comprehensæ, *cùm constantes in fidei confessione persisterent sub Nerone Imp. lingua pedibúsque præcisis* (ita Rom. martyrologium ad 15. Aprilis) *percussæ gladio, martyrij coronam adeptæ sunt.*

Iam vt alias singulares feminas omittam, & ad promiscua vtriusque sexus martyria generatim transeam, ecce de illis martyrologij Rom. testimonium & verba, ad VIII. Kal. Iulij: *Romæ commemoratio sanctorum plurimorum martyrum, qui sub Nerone Imp. de Vrbis incendio per calumniam accusati, diuerso mortis genere, ab eodem iussi sunt sæuissimè interfici: quorum alij ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi sunt, alij crucibus affixi, aliíque incendio traditi, vt vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis deseruirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia, fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.*

Denique per omnes Hispaniæ regiones ita Neronis debacchata est persecutio, vt Christianorum morte affectorum incredibilis numerus ansam Gentilibus dederit credẽdi exstinctam penitus in Hispania Christi religionem, idque erectâ eam ob rem Neroni statuâ, vti ob rem maximæ laudis & gloriæ, cõtestandam. Hactenus de priore huius sæculi persecutione: nunc de altera.

Altera primi sæculi persecutio

A FLAVIO DOMITIANO, velut altero Nerone suscitata est: cuius primum ac palmare flagitium est, S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ in feruẽtis olei solium immissio, ac deinde in Patmon insulam ad effodienda metalla relegatio. Nam cùm tyranno sua prima crudelitas ex animi sententia non successisset, ad alteram hanc recurrit, vt genere quidem ipso cruciatus leuiorem, ita diuturnitate supplicij haud paullo grauiorem. Vtraque autem vt dilecto suo gloriæ, laudique verteret, fecit IESVS Christus, cùm & ipsum ex ardenti solio, tanquam aurum ex igne, puriorem & integriorem sustulit; & in Patmo insula miris cælestibus visis illustrauit, atque inde euocatum ad regendas Asiæ ecclesias & dictis, scriptis, factis aduersus Iudæos, Hæreticos, Gentiles cõfirmandas transmisit.

Experti sunt & alij eodem Imp. quàm plurimi varia cruciatuum ac suppliciorum genera.

B. ANTIPAS in primis, quem S. Ioannes *testem fidelem* in sua Apocalypsi nominat, qui in bouem æneum candentem iniectus, atrocissimo sanè, quamuis lætanti animo tulit, supplicio affectus est. Hic inter medias flammas tam alacri quàm magna voce, Dei sui & IESV Christi, (cuius fiebat holocaustum) densas laudes decantabat.

IGNATIVS THEOPHORVS, in diuersa raptatus vexatúsque exilia, quibus vt superesset, non Imperatoris fecit clementia, (quæ nulla erat) sed Dei opt. max. singularis benignitas ad maiorem palmam eum reseruantis.

ANACLETVS, vrbis Romæ Episcopus, qui dum vestigia sectatur Apostolorum, & fundatam ab iis ecclesiam promouere molitur ac defendere; vt magnorum consors laborum, sic ingentis gloriæ, participato martyrio, compos fuit.

FLAVIVS CLEMENS, vir Consularis, & ipsius Domitiani, (qui eum occidit, & in quo cognationis ac naturæ iura violauit) patruelis, qui ipse cum vxore *FLAVIA DOMITILLA* religionem amplexus Christianam, facti pœnam iuxtà & præmium, mortem & martyrij lauream accepit. De quo ita Flauius Lucius Dexter ad annum Christi 86. *FLAVIVS CLEMENS, vir Consularis, occiditur pro fide, vicesimo primo Nouembris, familiaris Martiali.*

FLAVIA DOMITILLA, iam dicti Clementis vxor, ab eodem tyranno eius pietatem ac religionem non ferente, ad Pontiam insulam relegata, vitam inibi per longum martyrium traxit. Eius meminerunt Hieronymus, Dexter, Martyrologia.

NEREVS & ACHILLEVS fratres, modò laudatæ Domitillæ eunuchi, cum illa simul in exilium pro eiusdem religionis caussa deportati, multisque postea tormentis diuexati, fortes se viros ad mortem vsque præstitere. Igitur capite obtruncati duplicem palmam meruerunt, vnam exilij sub Domitiano Imp. alteram martyrij sub Traiano.

SEBASTIANA, S. Paulli discipula his accedit, de qua sufficient tabulæ ecclesiasticę, ad 16. Septembris ita referentes: *Heraclea in Thracia, sanctæ SEBASTIANÆ martyris, quæ à beato Paullo Apostolo ad Christi fidem perducta, sub Domitiano Imp. & Sergio Præside varijs modis tentata, gladio tandem cæsa est.*

NICOMEDES quoque Presbyter in hoc Martyrum choro se includit, qui imperante Domitiano, Dijs sacrificare compulsus, *Ego non sacrifico*, inquit, *nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis*. Hęc caussa cędis fuit & laureę.

ROMVLVS item B. Petri Apostoli discipulus locum sibi inter hos laureatos, testibus Fesulanis, vindicat. Fesulis enim in Tuscia primus Episcopus à Magistro creatus, disperso circumquaque Euangelij semine ad sedem suam cùm redijsset, ibi dominante Domitiano coronam martyrij vnà cum socijs forti occubitu acquisiuit.

EVTROPIVS, insignis & ipse Petri auditor, ac primus Santonensis in Aquitania Episcopus, eodem loco ac numero, quo priores, se haberi vult ac censeri: quippe qui pro egregia in Christum fide, appetitum se lapidibus, immaniter fustibus cęsum, denique illisa ad caput securi, sub eodem Imp. contrucidatum gloriatur.

MARCVS verò, primus Atinensis inter Brutios Episcopus, & quidem à B. Petro cōstitutus, se retro relinqui minimè patitur. Nam & se primum Æquicolis euangelium attulisse asserit; & in Domitiani tempestate sub Maximo Præside, suo illud sanguine consignasse asseuerat.

FVLGENTIVS autem, huius Marci in eadem ecclesia successor, nec virtutum degener, suę fortitudinis obscurari fulgorem meritò ægrè ferat. Regnante enim eodem Domitiano, quid sua fides posset, moriendo ostendit.

SATYRVS porrò, licet idolum in Achaia vel sola exsufflatione prostrauerit, idcóque immeritæ neci datus sit; & quamuis Pasicrates Atinæ, & alij complures alibi, memorabiles sub eodem tyranno victorias reportarint, tamen quia infiniti esset ac superuacanei laborijs cunctos conari recensere, ideo non aliter hìc scribam, quorum maxima ex parte occulta nobis nomina beatiùs scripta sunt in cælo: sed à persecutionibus tyrannorum, ad persecutiones transibo Hæresiarcharum.

HÆRESIARCHAE.

SI quis primæuum Religionis Christianæ statum considerare attentiùs velit, facilè animaduertet non plus illam ab externis ac manifestis hostibus esse passam, quàm ab internis ac domesticis aduersarijs, hoc est, ab Ecclesiæ filijs contra matrem suam pugnantibus. Tales enim re vera fuerunt hęresiarchæ, qui in Ecclesia nati, educati, edocti, præ vanæ studio laudis & gloriæ ingenium ad noua quædam & subtilia, quibus admirationem sui rudioribus parerent, temerè transtulerunt. Nam is qui se in Angelum lucis transfigurare gaudet, opportuna ad ruinam nactus ingenia, eleuare illos à simplici Scripturarum sensu ad altiora atque recōditiora mysteria prę se cùm tulisset, in deuia ac pręcipitia diduxit incautos. Hi igitur superbia & ambitione excæcati, velut eminentiores quidam eloquiorum Dei interpretes, occulti sui magistri noua inuenta, tanquam sibi cælitus inspirata oracula audacter proponere, impudenter ingerere, peruicaciter obstinatéque tueri ac defendere. Hinc plebs ad eorum grandiloquentiam ac sublimitatē sermonis attonita (quippe ea magis demirari solita, quæ minus intelligit) mente concuti, turbari, decipi. Et quia idem nomen cunctos denotabat, idē habitus colórque vitę omnibus inerat; ideo sensim & difficili obseruatione malum in plures, ac plures gliscere, atque etiā animaduersum haud facilè percurari. Hinc illæ etiam ad hāc vsque diem lachrymæ. Ac licet iam dudum

dam-

damnata sit priscorum istorũ memoria, quia tamen ad præsentium cautelam temporum haud mediocriter iuuat nonnulla eorundem commemoratio, ipsos in præsenti magis vt despiciendos, quàm vt spectandos, exhibebimus. Primi igitur nouæ legis hæresiarchæ hi fuere.

SIMON MAGVS, satis ipso agnomento infamatus, qui à FIDEI sinceritate ad errorũ & magiæ præstigias primus omnium est deuolutus. Hic Spiritum sanctum precio vendibilem existimauit, adeóque pecunias pro eius emptione obtulit: qui eius principalis error fuit, & sanè in Deum quàm maximè iniurius. An enim quantauis pecunia Deo altissimo æquari aut componi debet? Ab isto hæresiarcha nomen accepit ea quæ nunc vocatur *SIMONIA*, vitium detestabile, quo dona spiritualia temporalibus veneunt. Errorem hunc multi scripto, sed Simon Petrus longè efficaciùs dicto confutauit. *Pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Sunt autem & plurimi alij errores, & opinionum monstra, quæ idem Magus tenuit: nempe se esse sublimissimam Virtutem siue Deum, & in Iudæa quidem apparuisse vt Patrem; in Samaria autem, vt filium; in alijs gentibus, vt Spiritum sanctum. Item Helenam meretricem à se redẽptam, esse primam suæ mentis cõceptionem, matrem omnium, per quam ipse creauerit Angelos & Archangelos: & illam Helenam fuisse in altera illa Helena, quæ Troiani belli caussa & origo fuit: & hanc esse ouem perditam, quam redemptum venerit: se quoque vt hominem apparuisse, cùm non esset homo: & visum esse in Iudæa passum, cùm nihil passus esset. Quare quicumque in ipso & sua Helena sperarent, per eius gratiam saluos fore, non per bona opera. Plura de hoc videri possunt in Irenæo, Epiphanio, Theodoreto, & alijs.

Act. 8.

MENANDER, Simonis Magi discipulus & successor, non tantùm magistro suo cedere impatiens, sed etiã superare eũ contendens, dixit Virtutem primam omnibus esse incognitam, se autem missum esse Saluatorem ab inuisibilibus Potestatibus: mundum ab Angelis fabricatum: se autem scientiam impertiri, quâ qui polleat, ipsos exsuperet Angelos, qui mundum fabricarunt: discipulos suos per baptisma, quod ipse illis conferat, resurrectionem adipisci, nec deinceps emori posse, sed iuuenes perseuerare & immortales.

SATVRNINVS istos secutus, partim eadẽ, partim planè diuersa docuit: Vnum quidem esse Patrem cũctis incognitum, qui Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestatésque procrearit: sed mũdum & omnia quæ in eo sunt, à septem quibusdam Angelis producta esse: Saluatorem non esse natum, nec corpus habere, nec figuram, nec fuisse re vera hominẽ, sed opinione tantùm & existimatione. Deum Iudæorum fuisse vnum ex Angelis: ad eius Dei destructionem (quia ipsius Principes Patri insidiarentur) venisse Christum. Duo autẽ hominum genera ab Angelis facta, vnum bonorum, alterum malorum: quos malos quia ipsi dæmones adiuuarent, accurrisse Saluatorem vt vtrosque perderet, tam homines malos, quàm dæmones. Nuptias, matrimonium, generationem, à satana esse. Hæc eius insanæ doctrinæ præcipua.

BASILIDES, genere Alexandrinus, plus Simone & Menandro magistris suis, & Saturnino condiscipulo sapere volens, perquam admiranda & stupenda protulit, generationes scilicet in diuinis multas, cælos trecentos sexaginta quinque: vnde & annum dies totidem continere: eos Angelos, qui postremum istud & nobis aspectabile cælum moderantur, conditores esse omnium, quæ sub illo sunt: diuisisse autem inter se terras & gentes, vt cuique sua pars esset; eum autem, qui Iudææ principabatur, conatum suæ genti alias subijcere: hinc enata bella & exitia: quibus vt mederetur Deus Pater, ille improductus & innominatus, misisse primogenitum suum Νοῦν siue *Mentem*, & hũc esse Christum, qui sibi credentes è potestate fabricatorum mundi eriperet: eum igitur apparuisse in terrâ Iudæa, vt hominem; minimè tamen passum esse, sed Simonem illum Cyrenæum, quem ita transfigurarat, vt Christus videretur; ipse autem Christus assumpta eiusdem Simonis persona coràm adstans eos irrideret. Itaque non credendum esse in eum, qui sit crucifixus; sed in eum, qui in hominis forma venerit, & existimatus sit esse crucifixus. Soli animæ sperãdam & expectandam salutem; non corpori, vtpote corruptioni obnoxio: Vtendum autem rebus omnibus indiscriminatim, etiam quacumque libidine. Satis enim esse ad salutem, eorum, quæ ipse doceat, cognitionem. Hæc principalium ipsius deliramentorum summa.

CARPOCRATES patriâ Alexandrinus, ex præcedentium hæreseon colluuione, & propriorum quorundam errorum commistione, nouam hæresim omnium spurcissimam in auras, velut mephitim quandam, emisit. Cum superioribus quidem tenuit mundum & omnia, quæ eius sinu continentur, ab Angelis Patre multò inferioribus producta esse: sed IESVM alijs similem hominibus, ex Iosepho & Maria ortum esse, hoc tantùm discrimine, quòd is animam nactus sit puram, cum Patre olim versatam, memorem eorum quæ in illo viderit, & per virtutes ab eodem acceptas euacuatis passionibus, contemptricem factam esse eorũ Angelorũ, qui mundum fabricarunt: posse tamen aliquem, si magis, quàm ipse, terrena hæc contempserit, illo fieri meliorem: deinde omnia li-

cita esse: nihil bonum malúmue, nisi falsa quadam persuasione: animas ad explendum omne genus voluptatis, in alia atque alia trāsmigrare corpora: & huiusmodi alia, quæ pluribus referre pudor vetat. Liquet enim nihil ipso, ciusque sectatoribus impurius vnquam fuisse atque impudentius.

CERINTHVS, philosophiæ studijs eruditus docuit mundum non à primo Deo, sed à Virtute quadam admodum separata & Deū ignorante conditum esse. IESVM non è Virgine, sed aliorum more hominum è Iosepho & Maria prodijsse, sed virtute cunctos antecessisse: in quem Christus à Patre in figura columbæ descenderit, túmque illum annuntiasse ignotum Patrem, & prodigia patrasse: ac tandem Christum, vnde venerat, à IESV reuolasse, IESVM autem passum esse ac resurrexisse, non item Christum; quippe ex spiritali natura impatibilem. Docuit & Domini regnum fore terrenum in cibo, potu, nuptijs, sacrificijs, solemnitatibus, idque per mille annos. Hunc B. Ioannes Apostolus cùm in balneo conspexisset, mox fugit, ne scilicet, vt aiebat, balneū corrueret, in quo lauaret Cerinthus veritatis inimicus.

EBION, (quod nomen Hebræis mendicabulum designat) mundum quidem à Deo factum admittit: sed de Christi generatione, idem quod Cerinthus & Carpocrates opinatur. Aliud euangelium, quàm secundùm Matthæum, non recipit. Paullum, vt Legis apostatam, reijcit. Nam ipse Legem quoque amplectitur & circumcisionem & ceterum viuendi modum Iudaïcum.

NICOLAITÆ, qui à Nicolao vno è septem primis Diaconis iniquè sibi nomen assumpserunt, suæ excusandæ turpitudinis gratia, cùm ille iuxta antiquissimos Patres, probus, castúsque fuerit. Hi negarunt Christum esse Deum, habitasse tamen Deum in Christo, sed habitasse tantummodò, non verò intimè, non hypostaticè, vt Theologorum schola loquitur, copulatum esse. Docuerunt item promiscuos mulierum amplexus & concubitus extra leges matrimonij licitos esse: neque idolothytorum esum cuiquam in culpa ponendum.

His addit S. Ignatius Theophorus martyr *THEODOTVM & THEOBVLVM*, *Diaboli*, vt ipse vocat, *progeniem, fructum progignentes mortiferum, quem qui gustauerit, continuò moritur, non temporali morte, sed æternâ*: quorum proprios errores nec ipse, nec alius, quem quidem nancisci potuerim, attingit speciatim: sed generatim duntaxat & strictim Christi Domini, crucisque osores subindicat.

Atque hi sunt præcipui illius sæculi hæresiarchæ; quorum mentio in SS. Patribus. Nam alij eos secuti magis ad secundum spectant sæculum. Nunc ad Scriptores sacros istorum oppugnatores accedamus.

SCRIPTORES SACRI.

HAbuit primum Christi sæculum hos Scriptores eximios, ex Apostolis quidem.

PETRVM, cuius binæ extant epistolæ.

PAVLLVM, cuius sunt epistolæ quatuordecim, vna ad Romanos, duæ ad Corinthios; ad Galathas autem, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, singulæ. Ad Thessalonicenses denique duæ, totidémque ad Timotheum.

IOANNEM, qui scripsit Euangelium & Apocalypsim, & tres epistolas.

IACOBVM, cuius vnica legitur epistola catholica.

MATTHÆVM, qui solus hebraicè composuit, edíditque Euangelium, quod & Hieronymi temporibus in S. Pamphili Martyris bibliotheca Cæsariensi conseruabatur.

IVDAM, fratrem Iacobi, cuius vna inter catholicas recensetur, atque etiamnum superest exigua epistola.

BARNABAM, cuius vna aliquando celebrata est epistola ad ædificationem ecclesiæ pertinens, nunc autem interisse creditur. Eius Apostoli fragmenta quædam à B. Clemente Alexandrino conseruata in promptu sunt, quæ quòd incerta sint, an ab eo, vt iacent, emanarint, in Scripturis canonicis non censentur.

Iam extra chorum 14. Apostolorum, duo sunt Euangelistæ.

LVCAS, cuius est non modò vnum Euangelium, quod ipsius nomine inscribitur; sed etiam Acta Apostolorum, in quibus ea ferè persequitur, quibus in comitatu Paulli interfuit, quamuis & alia nonnulla de quibusdam alijs Apostolis, quæ auditu ab illis accepit.

MARCVS, Petri discipulus & interpres, qui ex magistri sui relatione breue concepit, conflauitque Euangelium: quod idem Apostolus approbauit, & vtendum ecclesijs auctoritate sua commisit.

Secundùm hos Scriptores Canonicos & primæ miniméque dubiæ auctoritatis, hi veniunt eiusdem sæculi scriptores, quorum opera in magno sunt, aut certè olim fuerunt precio.

HERMAS Paulli discipulus, cuius volumen *PASTOR* inscriptum maximi fuit ab antiquis æstimatum, pòst autem siue operâ hæreticorum, siue librariorū negligentia, siue temporum iniuria sic vitiatum corruptúmque, vt inter scripturas dubias, quas ἀποκρύφους Græci vocant, reiectum sit.

CLEMENS Romanus Pontifex, cuius vna extitit præclara epistola, olim in ecclesijs publicè legi solita: sed neque illa nunc extat, neque

neque aliud quippiam, quod certò & purè eius dici possit.

HIEROTHEVS, Paulli discipulus, Dionysij Areopagitæ magister, qui librum vnum composuit *Theologicarum Institutionum*, & alterum *Hymnorum amatoriorum*. Ex vtroque nonnulla supersunt FRAGMENTA, quæ ipsius vitæ subiunximus.

DIONYSIVS Areopagita, itidem Paulli & Hierothei auditor, qui opera multa edidit, quorum aliqua hodieque vigent, alia pridem interijsse creduntur. Vtraque post eius vitam recensemus.

IGNATIVS Theophorus, cuius fide & amore ardentes supersunt duodecim epistolę. Hæ proferuntur infra, & de nonnullis alijs dubitatur & disputatur.

POLYCARPVS Ioannis cum Ignatio discipulus, cuius vnicam è multis retinemus, & græcè latinéque proferimus AD PHILIPPENSES laudatissimam epistolam.

PAPIAS Hierapoleos Episcopus, superiorum duorum cōdiscipulus, qui libros quinque inscriptos *EXPLANATIO SERMONVM DOMINI* composuit: è quibus aliquot FRAGMENTA ad vitam eius extremam adiecimus.

QVADRATVS, Apostolorum auditor, & Athenarum Episcopus, à quo insignis pro Christianis Apologia scripta est, & Hadriano Imp. oblata: cuius nunc perexiguæ restant reliquiæ, ipsius vitæ græcè latinóque sermone subiectæ.

ARISTIDES, Philosophus Christianus, genere Atheniensis, qui eodem tempore, quo S. Quadratus, eidem Hadriano librum Apologeticum pro sedanda Christianorum vexatione obtulit. Huius vitam libenter alijs addidissem, si materia illi scribendæ suppeditasset. Verùm præterquam quod eius scriptorum nihil prorsus extet, etiam quicquid de illo reperitur, vix pagellam ac ne vix quidem adimplet. De quo sic Martyrologium Rom. ad trigesimam primam Augusti: *Athenis S. Aristidis fide & sapientia clarissimi: qui Hadriano Principi de religione Christiana volumen obtulit, nostri dogmatis continens rationem, & quòd Christus IESVS solus esset Deus, præsente ipso Imp. luculentissimè perorauit.* Præter quæ nihil, neque Eusebius, neque Hieronymus, neque alius quispiam quod equidem nōrim, in medium affert, nisi Philosophum fuisse eloquentissimum, & sub pristino habitu, Christi discipulum.

Hi igitur sunt omnes sacri ecclesiæ Scriptores, qui primo floruerunt sęculo, quamuis eorum nonnulli ad secundum quoque peruenerint & scripserint. Nunc ad habita eodem primo æuo Concilia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CONCILIA.

CVm Concilij nomen à varijs variè capiatur & definiatur (ex quo fit, vt modò plura, modò pauciora statuantur vno eodemque sæculo a diuersis concilia) ex instituti huius vsu esse arbitror, vt eius descriptionem, quam sequi velim, hic pręmittam, ne fortè mirū cuiquam videatur, cur à me pauciora, quàm à quibusdam Cōcilia recenseantur.

CONCILIVM igitur Ecclesiasticum (alia enim procul habeo) nihil est aliud, quā virorum sacri ordinis pro grauioribus FIDEI, DISCIPLINÆVE Christianæ negotijs, seu componendis, seu stabiliendis legitimè collecta multitudo. Quæ si fiat ex vniuerso orbe, vocatur *Concilium Oecumenicum* seu *vniuersale*, si tantùm ex vna aliquótue nationibus, *nationale*: si ex vnica prouincia, *prouinciale*: si ex vna diœcesi seu Episcopatu duntaxat, *diœcesanum* seu *Episcopale*. Ita modò posita descriptio potest ad horum singula, breui adiectione, accommodari.

Concilia igitur primo sæculo fuerunt quatuor, & omnia Hierosolymis habita: vnde & illis nomen.

CONCILIVM I. HIEROSOLYMITANVM.

CElebratum est hoc Cōcilium breui postea, quàm Christus Dominus omni spectante FIDELIVM turbâ in cælum ascēdit: quando nimirum S. Petrus diuino instinctus oraculo cognouit numerum Apostolorum, qui vno imminutus erat, esse supplendum, eámque rem, vt principalis momenti, ad Concilium esse referendam. Hoc igitur conuocato, & centum ferè ac viginti congregatis stans in medio eorum, de suffectione vnius Apostoli in Iudæ proditoris locum egit: deinde duobus à concilio propositis, vnius ex illis electionem, fusis ad Deum precibus, & omni cœtu consentiente, sorti commisit: qua sorte, præterito Barsaba, Matthias in duodecimum Apostolum est electus. Continetur hoc concilium & electio in Actis Apostolorum, cap. I.

CONCILIVM II.

ESt illud, quod ad sedandam dissensionē inter fideles qui ex Hebræis, & eos qui ex Gentibus Christi FIDEM amplexi erāt. Hi enim querebantur viduas suæ gentis in ministerio mensarum prę Hebræis mulieribus cōtemni. Vt ergo omnis tolleretur inuidia atque contentio, ministerium à feminis ad viros translatum est, & septem Ministri siue Diaconi ad istud opus electi sunt: quibus tamen

men & sacræ mensæ ministerium adiunctum est. Tota hæc res Actorum cap. 6. describitur.

CONCILIVM III.

HOc est, quod in Actis capite 15. proponitur, & quod hodiéque per excellentiam Hierosolymitanum appellatur, (cùm & alia Hierosolymis celebrata sint) éstque forma quædam & exemplar omnium, quæ postea fuerunt, legitimorum conciliorum. Huius concilij caussa & origo fuit, quorundam ex Hebræis conuersorum error, qui sentiebant vnà cum lege Christi, seruandam veterem, adigendósque eos qui ex Gentibus ad Ecclesiam aduenirent, ad circumcisionem & ad alios ritus Iudaicos. *Conuenerunt* igitur *Apostoli & Seniores videre de verbo hoc*, inquit LVCAS, id est, ad dirimendam super hac re & difficultate controuersiam. Et ecce conticentibus qui aderant, primus ad dicendum exsurgit PETRVS, docetque non adigendos esse Gentiles ad suscipiendam circumcisionem, neque ad alia veteris instrumenti onera. Post quem non longò interuallo IACOBVS Hierosolymorum, vbi hæc gerebantur, Episcopus, sermonem excepit, & comprobata PETRI sententia, Scripturæque testimonijs confirmata, sic suam absoluit: *Propter quod ego* (Actor. 15. ver. 19.) *iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.* Approbarunt reliqui hanc sententiam, placuitque Apostolis & Senioribus cum omni ecclesia, mittere hoc decretum Antiochiam (vbi hæc commota fuerat quæstio) cum hisce litteris:

(Actor. 15. ver. 23. & deinceps.) *APOSTOLI ET SENIORES FRATRES, HIS QVI SVNT ANTIOCHIÆ, ET SYRIAE, ET CILICIAE, FRATRIBVS EX GENTIBVS SALVTEM.*

Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus, placuit nobis collectis in vnum eligere viros, & mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba & Paullo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri IESV Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. VISVM EST ENIM SPIRITVI SANCTO ET NOBIS, NIHIL VLTRA IMPONERE VOBIS ONERIS, QVAM HAEC NECESSARIA: VT ABSTINEATIS VOS AB IMMOLATIS SIMVLACHRORVM, ET SANGVINE, ET SVFFOCATO, ET FORNICATIONE: A QVIBVS CVSTODIENTES VOS, BENE AGETIS. VALETE.

CONCILIVM IV.

DEscribitur in Actis Apostolorum cap. 21. Tractatum in eo fuit, an deberent Iudæi circumcidere filios suos. Accusabatur enim Paullus tanquam præuaricator legis, & qui circumcisionem non tantùm Gentibus, sed etiam Iudæis inutilem, nec admittendam prædicaret. Illo igitur Hierosolymam ingresso concilium habitum est Seniorum, & communiter statutum, non esse contemnendas, pro tempore isto, veteris legis cærimonias, adeóque expedire, vt Paullus ipse ad tollendam de se cõceptam opinionem, aliquas publicè obseruaret. Quod & fecit. Decebat enim veterem legem non statim & semel extingui, sed sensim & cum honore excedere & sepeliri. Neque enim in priore cõcilio decretũ fuit, ne Iudæi circũciderentur, sed ne Gentiles ad illam adigerentur. Concilium autem hoc declaratur per illa verba S. Lucæ: *Et cùm venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paullus nobiscum ad IACOBVM, omnésque collecti sunt Seniores* &c. (Actor. 21. ver. 17.)

Hęc igitur sunt 4. concilia, ad ecclesiæ bonum & honorem & pacem ac tranquillitatem, primo Christi sæculo constituta. Nam alij Apostolorum conuentus qui referuntur, seu ad Virginis obitum & exequias, seu ad alia quæcúmque, non videntur ita conciliorum mereri nomen, quemadmodum illa quatuor, quæ in sacris litteris clarè expressa sunt, & momenta non exigua ad res FIDEI stabiliendas habuerunt. Nunc ad Ecclesiæ in hoc sæculo progressus.

FIDEI AC RELIGIONIS in primo CHRISTI sæculo progressus.

ECclesiæ à Domino IESV Christo progenitæ & educatæ progressus dum breuiter percurro; eos quidem, quos ipse per se Dominus vita, doctrina, miraculis, morte ac resurrectione perquam admirandos in eâ effecit, silẽtio magis quàm sermone honorans, tantùm eos in præsenti attingam, quos ipsius Apostoli atque Discipuli, eorúmue auditores, primo nascentis Ecclesiæ sæculo, sudoribus suis procurarunt. Relicta igitur à Domini recessu præcipuâ eiusdem Ecclesiæ in terris curâ penes vndecim, Petrus ipsorum princeps, animũ ad res dignè Deo gerendas seriò applicans, intellecto cælitus primum Apostolorum numerum defectione Iudæ proditoris imminutum, alterius electione esse supplendum; nihil huic electioni præuertendum ratus, proposuit in medio fratrum (qui ferè centum viginti tum aderant) quid sibi super ea re videretur, probatáque eius ab omni cœtu sententia, Matthias è numero discipulorum

rum ad ordinem Apostolorum sortitò aggregatus est. Nempe tot ecclesiæ primos Duces esse oportebat, quot Christus primò elegerat, & quot in cælum portis intratur. Hi ergo duodecim ad totum orbem Regi suo acquirendum tanto successu incubuerunt, vt intra primi illius sæculi spatium nulla ferè fuerit natio, nulla gens tam fera ac barbara, quæ Christi fidem aliqua saltem in parte non receperit. Ac felix quidē& fortunata præ omnibus Orientis regio! quæ post Christum Dominum mox eiusdem Apostolos habuit veræ FIDEI satores ac magistros. Quippe hi potentes verbo & opere, si vnquam antè aut pòst alij, admirabiles suorum auditorum conuersiones ad FIDEM fecerūt. Petrus sanè prima concione ad populum Hierosolymitanum, tria traxit hominum millia: Act. 2. secunda verò, quam occasione cuiusdā ex Act. 4. vtero claudi à se sanati habuit, altera quinque addidit millia. Sic *verbum Domini crescebat, & multiplicatur numerus discipulorum in Ierusalem valde.* Sed plebeiorum fortassis & mediocrium duntaxat, non scribarum, non Sacerdotum, non eorum qui verbo rem augere possent & exemplo. Immo & horum, ipso Act. 6. teste Luca. *Multa etiam*, inquit, *turba Sacerdotum obediebat FIDEI.* Iam autem creatis ex Petri & aliorum consilio septem Diaconis, & aliquibus ex illis ad Domini bella promptissimis, omnia in meliùs tam aduersa quàm prospera, tam morientibus quàm viuentibus profecere. Stephanus ex illis septem vnus multos viuens, sed plures moriens in vno Saullo vicit: cùm fusis ad Deum precibus pro Diacono Apostolum ecclesiæ exhibuit. Philippus autem secunda Diaconorum gloria, Act. 8. Samariam per tempus persecutionis ingressus, eandem Christo conciliauit, & latè patens Petro & Ioanni ea de caussa illuc missis ostium euangelij reliquit. Nam ipse ab Angelo ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum (qui viâ ab Hierusalem Gazam versus desertâ tendebat) abire iussus, cum veram religionem docuit, abluit, ac suæ genti conuertendæ idoneum fecit. Denique submissis in auxilium (quæ diuina voluntas fuit) duobus nouis Apostolis Paullo & Barnaba, & cunctis communi sensu diuersas terræ plagas, fulguris more petentibus, atque obuia hominum corda simul fidei luce, simul Dei amore accēdentibus, vix erat qui resistere Spiritui, à quo agebantur & mouebantur, posset. Postquam igitur per sese varias adierunt & docu[illegible] prouincias, tum ipsi discipulos suos ad [illegible] percolendas circumquaque dimiserunt: Petrus quidem S. Marcum in Ægyptum; S. Paucratium in Siciliam; S. Apollinarem Rauennas; S. Martialem in Aquitaniam; S. Sixtum Remos; S. Maternum Tungros, Treuiros, Coloniam, aliósque aliò. Nimis enim prolixū esset cunctos recensere. Quemadmodum autē Petrus, sic & alij Apostoli creatos ab se Episcopos in alias atque alias prouincias rei administrandæ publicæ allegarunt. Et vide, quot & quantæ vno sæculo prouinciæ Christo accesserint, primò quidem Iudæa, Galilæa, Samaria, manente Hierosolymis Iacobo fratre Domini, & alijs Apostolis, & discipulis, Spiritus sui primitias in proxima & vicina loca spargentibus; deinde paullatim reliqua Syria, præcipuam eius vrbem Antiochiam occupante Petro, & annos aliquot gubernante: post autem Grçcia, Italia, Sicilia, Gallia ambobus Ecclesiæ principibus Petro & Paullo percurrentibus, tum etiam à Iacobo Apostolo Ioannis fratre Hispaniâ; ab ipso Ioanne Asia; ab Andrea Scythia, Epirus, Thracia; à Thoma Persis, Parthia, Media, cum Indis simul & Brachmanis, regionibúsque finitimis; à Bartholomæo maior Armenia & citerior India; à Matthæo Æthiopia; à Simone Chananæo & Iuda Thaddæo Mesopotamia, Arabia, Idumęa; à Matthiâ in locum duodecimum subrogato Æthiopia; denique à Barnaba, decimoquarto Apostolo, Paulli collega, prçter Antiochiam Syriæ, (vbi primus Apostolorum semen euangelij sparsit & multiplicauit) etiam Mediolanensis ecclesia & Cyprus insula (nam hæ suarum ecclesiarum fundationem illi acceptam referunt) luce FIDEI perfusæ referuntur. Neque ab horum Apostolorum excessu decreuit Ecclesia, sed magis magisque, ipsorum allaborantibus discipulis, præsertim ijs quorum nunc vitas describimus, in dies accreuit. Nam Dionysius & Hierotheus post Græciæ culturam aliò profecti, ille in Galliā, hic in Hispaniam, nouas in locis incultioribus sementes fecerunt: neque minus seu Ignatius in Syria & propinquis regionibus, seu Polycarpus in Asia, seu Papias in Phrygia, seu alij alibi (vtè vitis singulorum ampliùs cognoscetur) tuendæ atque amplificandæ religioni insudarunt. Atque de his hactenus, nunc speciatim de singulis ac primùm de S. Dionysio.

VETE-

VETERVM DE S. DIONYSIO AREOPAGITA ELOGIA.

S. Lucæ Euangelistæ.

Act. 17.

Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ [Παύλῳ] ἐπίστευσαν. ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς.

Quidam verò viri adhærentes ei [Paulo] *crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.*

Eusebij Cæsariensis Episcopi.

l. 3. hist. eccl. c. 4.

Ἐπὶ τούτοις καὶ τὸν Ἀρεοπαγίτην ἐκεῖνον· Διονύσιος ὄνομα αὐτῷ· ὃν ἐν Πράξεσι μετὰ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ πρὸς Ἀθηναίους Παύλου δημηγορίαν πιστεῦσαι ἀνέγραψεν ὁ Λουκᾶς. Καὶ τῆς ἐν Ἀθήναις ἐκκλησίας πρῶτον Ἐπίσκοπον ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν γεγονέναι ἱστορεῖ.

Adde his [Paulli discipulis] *Areopagitam illum (Dionysius illi nomen) quem in Actis post Paulli in Areopago ad Athenienses concionem credidisse scripsit Lucas. Quem & ecclesiæ Atheniensis primum Episcopum, alius quidam antiquorum, Dionysius Corinthiorum Pastor, fuisse narrat.*

S. Ioannis Chrysostomi.

Orat. de pseudoprophetis.

Ποῦ Εὐόδιος, ἡ εὐωδία τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διάδοχος; ποῦ Ἰγνάτιος τὸ τοῦ Θεοῦ οἰκητήριον; ποῦ ὁ Διονύσιος τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ;

Vbi Euodius, ille bonus odor Ecclesiæ, & sanctorum Apostolorum successor? Vbi Ignatius Dei domicilium? Vbi Dionysius, volucris cæli?

Flauij Lucij Dextri S. Hieronymo æqualis.

In chronico ad annum Christi 110.

HAud multò pòst S. Dionysius Areopagita Hispanias inuisit, vt legatus à B. Clemente totius Occidentis ordinatus.

Andreæ Cæsarææ Cappadociæ Episcopi.

In cap. 17. Apocal. ser. 10.

Τὰς δὲ ἑπτὰ βροντὰς ἡγούμεθα, ἢ ἑπτὰ φωνὰς νοεῖσθαι ἐξ ἑνὸς διαρθρουμένας Ἀγγέλου, ἢ ἑπτὰ ἑτέρους ἁγίους Ἀγγέλους τὰ μέλλοντα προαγορεύοντας· ὡς ἐντεῦθεν δηλοῦσθαι τοῦ προτέρου Ἀγγέλου τούτους εἶναι δευτερεύοντας, καὶ ἐκεῖθεν τὴν ἀφορμὴν τοῦ προφητεύειν λαμβάνοντας, κατὰ τὴν τῷ μακαρίῳ Διονυσίῳ διωρισμένην ἀγγελικὴν εὐταξίαν.

Per septem verò tonitrua, vel septem voces ab vno Angelo profectas, intelligere possumus septem alios Angelos futura prædicentes: ita vt significetur hos septem Angelos secundas à priore Angelo tenere, atque ab eo prædicendi impetum accipere, iuxta seriem Angelorum à beato Dionysio definitam.

Martini Papæ I.

In conc. Lateran. consultatione 3.

Codicem S. Dionysij, Episcopi Atheniensis, hi quorum interest, Actis deducant. &c.

S. Ioannis Damasceni Confessoris.

Lib. de fide Orthodoxa cap. 17.

Καθὼς δὲ ὁ ἁγιώτατος καὶ θεολογικώτατός φησι Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης· Πᾶσα ἡ θεολογία, ἤγουν ἡ γραφὴ τὰς οὐρανίους οὐσίας ἐννέα κέκληκε.

Quemadmodum autem ait sanctißimus & Theologorum maximus Dionysius Areopagita: Omnis Theologia siue Scriptura cælestes substantias nouem nominauit.

Iobij monachi, viri doctissimi.

Apud Photium in Bibliotheca, cap. 222.

Ὁ γνήσιος τοῦ Παύλου μαθητὴς ὁ σοφὸς Διονύσιος τὰ αὐτὰ καὶ τοῖς αὐτοῖς μικροῦ διαμαρτύρεται ῥήμασι, καὶ μάλιστά γε ἐν τοῖς, περὶ τελείου καὶ ἑνός.

Germanus Paulli discipulus sapiens ille Dionysius eadem & totidem propè verbis testatur: & maximè vbi agit De perfecto & vno. Ita ille. Agit autem cap. 13. de diuinis nominibus.

Anastasij Bibliothecarij.

In præfat. ad libros S. Dionysij.

B. Dionysius Areopagita, Antistes Atheniensis &c. arcana Theologiæ, diuina ducente manu ingressus, in Sanctuarium Dei ablato velamine penetrauit.

Ioannis Scoti.

In epist. ad Carolum Caluum.

CHristo duce, qui est lux mentium, & illuminat abscondita tenebrarum, libros S. Patris Dionysij Areopagitæ Episcopi Athenarum, quos scripsit ad Timotheum Ephesiorum Episcopum, & epistolas eiusdem de græco in latinum transtulimus.

Photij Patriarchæ, Constantinopolitani CCXXXI.

In bibliotheca, cap. 231.

Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶσσαν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν, ὁ μαθητὴς Παύλου, καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, καὶ τῶν Ἀθηναίων ἐπίσκοπος.

Dionysius sermone quidem magnus, sed contemplatione maior, Paulli discipulus, & Christi martyr, & Atheniensium Episcopus.

Theodori Metochitæ, magni Logothetæ.

In historia Rom. compendio.

Ὁ δὲ θειότατος Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης οὐχ ἁπλῶς οὕτω, κατὰ δὲ ἀντίφραξιν τῆς σελήνης τὸ σκότος ἐκεῖνο λέγει γενέσθαι καινοπρεπῶς τὸ παγκόσμιον.

At diuinißimus ille vir Dionysius Areopagita non ita simpliciter, sed per lunæ oppositionem tenebras illas toti mundo obductas dicit.

VITA

VITA SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ.

Ad cuius ſcriptionem hi, qui ſequuntur, Scriptores præcipuam ſuppeditarunt materiem.

S. LVCAS EVANGELISTA.
S. DIONYSIVS CORINTHIORVM EPISCOPVS.
EVSEBIVS CÆSAREÆ PALÆSTINÆ EPISCOPVS.
S. AMBROSIVS ECCLESIÆ DOCTOR.
S. IOANNES CHRYSOSTOMVS.
S. HIERONYMVS PRESBYTER.
FLAVIVS LVCIVS DEXTER.
ANASTASIVS SINAITA.
S. GREGORIVS, TVRONENSIS EPISCOPVS.
S. GREGORIVS MAGNVS, PONT. ROM.
S. VENANTIVS FORTVNATVS.
AVCTOR CHRONICI ALEXANDRINI.
S. MAXIMVS MARTYR, DIONYSII SCHOLIASTES.
S. IOANNES DAMASCENVS.
SYMEON METAPHRASTES.
MICHAEL SYNCELLVS.
METHODIVS CONSTANTINOPOLITANVS EPISCOPVS.
HILDVINVS, ABBAS S. DIONYSII.
HINCMARVS ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS.
FLODOARDVS ABBAS.
HVGO DE S. VICTORE.
VINCENTIVS BELLOVACENSIS.
NICEPHORVS CALLISTVS.
MARTYROLOGIA LATINORVM VARIA.
MENÆVM ET MENOLOGIVM GRÆCORVM.

SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ ATHENARVM EPISCOPI FRANCORVM APOSTOLI ET MARTYRIS VITA.

Ἱκανόν μοι, καὶ τοῦτο θεὸς δοίη, περὶ ἀληθείας εἰδέναι πρῶτον, ἔπειτα εἰδότα, ὡς χρὴ, λέγειν. PIVM IPSIVS S. DIONYSII VOTVM. Ex epist. ad S. Polycarpum.

Satis est mihi, & hoc det Deus! primò veritatem agnoscere, deinde agnitam, quemadmodum oportet, annunciare.

PRÆFATIO.

SI è claris sanctorum Patrum vitis, eæ primum punctum ferunt, quæ vnà cum antiquitatis auctoritate, maiores in litteris, in laboribus, in peregrinationibus, in signis denique ac salutaribus prodigijs admirabilitates habent; nemini sanè in dubio relinquitur quo loco, quoue numero ea censeri debeat, quæ sanctum Dionysium Areopagitam oculis spectādum, penitúsque cognoscendum exhibet: virum scilicet Apostolis ætate coniunctum, virum sacris profanisque disciplinis apprimè eruditum, virum è Græciâ in Ægyptum, ex Ægypto in Græciam, & hinc cum magno Paullo, vase electionis, in varias orbis plagas profectum, postremóque in Asiam, in Italiam, in Galliam, in Hispaniam grauibus de caussis peregrinatum: virum inquam post Areopagi supremos apices mitissimū legis Christianæ discipulum, sed è discipulo eximium orbis doctorem, insignem Galliarum Apostolum, fortem ac generosum Christi martyrem, in vita æquè & post vitam perillustribus factis atque miraculis gloriosum. Huius ego vitæ seriem, ijs omnibus perdiligēter & quàm accuratè perquisitis, quę ad illam pleniùs ac rotundiùs concinnandam facere visa sunt, & inuocato (quod ipsemet ante omnium rerum initia faciendum edocuit) Dei Optimi Maximi auxilio in præsenti aggrediar. *Dionys. l. de diuinis nom. cap. 3.*

VITÆ SANCTI DIONYSII
CAPVT PRIMVM.
Genus, patria, ætas, studia.

Qvo anno natvs sit Dionysivs.

NATVS est [a] Dionysius Athenis, vrbe totius Græciæ multo clarissima ac nobilissima: [b] idque anno circiter Christi nono, Augusti Imp. quinquagesimo, parentibus quidem vitæ instituto gentilibus, sed genere & virtute claris. Puer artes liberales domi siue in vrbe sua talium artium parente ac domina perdidicit. Quibus egregiè imbutus foras adolescens prodijt, atque in Ægyptum quasi ad vnicam & singularem sacratioris & reconditioris disciplinę magistram, [c] imperante Tiberio Nerone se contulit, tam vt eius regionis nobiles philosophos conueniret, quàm vt siquid nouæ rerum abditarum cognitionis haurire posset, id patrijs institutionibus velut sacrum complementum adijceret. Nam illò ferè præstantissima quæque ingenia, post ceteras disciplinas alibi perceptas, pro mathesi rerumque cælestium cognitione adipiscenda, & sacris mysterijs ritibusque addiscendis, quasi pro supremo omnigenæ eruditionis coronamento migrare solitos accepimus. [d] Quod de Pythagora, de Thalete Milesio, de Platone, de Eudoxo, deque alijs compluribus eximijs philosophis multi auctores tradiderunt. [e] Quin etiam ipso huius Dionysij tempore domicilia sacerdotum, hoc est Ægypti sapientum, & loca vbi Plato, vbi Eudoxus, vbi alij viri illustres habitauerant Heliopoli ostendebantur. Istos porrò Ægypti sacerdotes, siue prophetas, (sic enim illi suę gentis sapientissimos appellitabant, non secus quàm Persæ Magos, Assyrij Chaldæos, Galli Druidas, & Indi Gymnosophistas) ab ipso Abrahamo Patriarcha, qui ibidem Heliopoli iam olim vixerat, hausisse primitus astrologię disciplinã, scripsêre viri multò doctissimi. Istuc ergo Dionysius in flore ætatis eiusmodi studiorum caussa profectus est: quamdiu autem ibidem constiterit, nullæ, quod quidem sciam, produnt litteræ: sed ibi fuisse, cùm Christus Saluator Hierosolymis pro totius generis humani salute cruci suffixus penderet, pérque terrifica illa solis defectio terram terreret vniuersam, testes citantur ipsiusmet Dionysij ad sanctum Polycarpum Smyrnæ Pontificẽ litteræ, quæ hodieque extant, & in doctorum versantur manibus. Quo quidem

Ægypti lavs a stvdiis artivm.

Alexander Polyhistor in historia Iudæorum. Iosephus l. 1. Antiq. ca. 9. Eusebius lib. 9. de præparat. euang. c. 17. Suidas in Dionysio.

quidem tempore annum ætatis agebat Dionysius circiter vicesimum quintum, & Heliopoli (quæ vrbium Ægypti, vt modò insinuatum est, præcipuà Sacerdotum habitatione clarissima antiquitus habebatur) vnà cum [f] Apollophane sophista, æquali suo, degebat. [g] Exurgente igitur illà eclipsi, cum ambos magna teneret admiratio, quid sibi lux derepente & alieno tempore, & præter naturæ legem se condens, quidue cælo obductę, nouo prorsus & insolito more, tenebrę, & quidem tantę tamque diuturnæ vellent ac portēderent (tres enim ipsas horas, nimirum à sextà vsque ad nonam tenuisse sacra produ͂t oracula) tum ipsis ad exactiùs explorandos distinguendosque amborum luminarium congressus, digressusque, Philippi Aridæi regula astronomica vti visum, & impensius inusitatā illam solis ac lunæ concursionem contēplari, atque attēdere: cūque obseruando deprehendissent (quod aliàs quoque erat notissimū) fieri ordinario naturę cursu haud posse, vt sol id temporis suorum defectionem radiorum pateretur: & nunc lunam quoque ipsam aduerterent (quæ solita esset alioqui à parte occiduà solem subire) iam è contrario ab orientali tractu subingredi, ac velut pullum nigrantemque amictum soli obtendere, & sua caligine auctorem parentemque lucis, ad vltimam vsque eiusdem lineam offuscare, ac demum resilire: tum Dionysius ingenti cum admiratione ad cognatū & consodalem suum conuersus, *Quid hoc*, inquit, *rei est, ô Apollophanes? quid ista sibi ostenta volunt?* ille autem diuino quodam afflatu, *Hæ sunt*, inquit, *ô bone Dionysi,* [h] *rerum diuinarum mutationes.* Tum verò ipsum rursus Dionysium cælestiori quodam instinctu percitum (idque traditione, vt Michaël Syncellus loquitur, à parentibus ad filios deriuata) dixisse ferunt: *Ignotus in carne patitur Deus, cuius caussa vniuersum hoc obscuratum, atque concussum est.* Aut certè, quod cum tam breuiter, quàm eleganter intulisse alij memorant: ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut Deus patitur, aut patienti compatitur.* Denique idem Dionysius admirandæ huius defectionis & obscuritatis tempus, annum, diem, horam perdiligenter annotauit, atque sicunde fortassis inauditæ mutationis vel caussa quæpiam, vel occasio, seu prodita litteris, seu vulgata sermonibus postea temporis inaudiretur, seriò animaduertere statuit. Quod tandem Athenis, vt mox dicetur, è Paulli Apostoli congressu, & fida relatione non sine magno FIDEI lucro est assecutus. Liceat verò hîc nobis in isto tam admirabili principis luminaris defectu & contemplatu pulchra æternæ sapientiæ consilia pauxillulum demirari: liceat etiam vnà summam illius rerum omnium conditoris, & moderatoris potentiam iuxtà & bonitatem fixiùs attendendo & amare & complecti: eius, inquam, moderatoris, qui, vt rectè obseruauit & dixit Sapiens, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quàm enim fortiter tam Iudæorum quàm Gentilium corda tum attigit, & quàm suauiter communem salutis vtrorumque rationem disposuit, cùm & Iudæis semper signa de cælo petentibus,

Michaël Syncellus in encomio S. Dionysij.

Luca 23 v. 35

Suidas in Dionysio.

DEI SAPIENTIA IN VOCATIONE AD FIDEM.

Sap. 8. vers. 1.

tentibus, tam illustre de cælo & in cælo signum dedit, & clarissimo, quamuis atrarum tenebrarum, prodigio, memor suæ caritatis, suæ iniuriæ immemor, in ipsa sua morte subuenit? & cùm gentilibus atque alienigenis, tam ijs qui longè, quàm qui propè, nominatim autem Dionysio & Apollophani, earum rerum quibus maximè capiebantur atque vacabant studijs, tanquam aptissimis ad eos alliciendos & sibi coniungendos lenocinijs, sese quadam tenus manifestans succurrit, nempe astrologiæ deditis extraordinaria in astris prodigia exhibendo. Quippe ambo, dum cælos suspiciunt, dum rimantur sidera, dum solis defectionem inusitatam vident & examinant; Deo corda permouente, prima nouę legis & Christianæ fidei semina suis postmodò temporibus in fruges eruptura, vt post videbitur, susceperūt. Sic olim tres illos Magos inspiciendis & obseruandis stellis intentos vnâ eis obiectâ prorsus mirâ & insolenti ad perquirendum nouum Regem (cuius illa ferebat indicium) & ad congrua ei munera, dignósque tantis natalibus honores deferendos, incertum fortius an suauius, pertraxerat. Sic deinde homines piscatores ad piscatum deducturus animarum, atque à mari & à retibus ad ecclesiæ gubernacula prouecturus, non alio quàm piscationis vocabulo vsus ad se pellexit. Quin & pellectos nullo neque gratiore, neq; suauiore modo detinuit, atque in suę potentiæ ac diuinitatis fide atque notitia confirmauit, quàm obiectis inter piscandum prodigiosis iactibus & capturis. Sed ad Dionysium eiusque capturam redeamus. Iam ergo reuersus ex Ægypto in patriam, eo magis in ore atque oculis suorum ciuium esse cœpit, quòd ad insitam naturæ ingenijque nobilitatem, atque ad patrias artes ac disciplinas, etiam ab exteris gentibus nouam quasi scientiarum supellectilem deportaret. Ita haud difficile nobili ac generoso iuueni fuit, præclaris præsertim imbuto artibus & moribus, viam sibi ad quamuis amplos honores & magistratus aperire. Quare cùm genere suo & nomine condignas esset complexus nuptias (nam ad illas stimulabat cùm ætas illis idonea, tum cupido summę dignitatis, ad quam adspirabat, & quam citra coniugium, vti mores tunc erant, vix sperabat) [k] cumque perillustrem sibi feminam nomine Damarim copulasset, ita studuit cunctas matrimonij leges examussim custodire, ita se in suscepto vitæ statu & gradu gerere, vt nullo mali facinoris obstaculo, cursū ad ea quę petebat, sibi pręcediret.[l] Igitur inter Archontas (nouemuirûm is est magistratus) præmonstrata ex instituto patrio, totius vitę anteactę integritate Athenis est cooptatus. E quo magistratu redditâ rursū, vti moris erat, officij sui, quo bene perfunctus esset, ratione, cū scilicet insontem se, atque ab omni auaritiæ & iniquitatis suspicione immunem in eo iudicio, quod illi δοκιμασίαν,[m] id est, probationem siue censuram appellant, rite cōprobasset, in sanctissimū[n] Areopagi cōsilium, qui summus illic erat vrbanę dignitatis gradus, inoffenso pede conscendit. Atque inibi quidē haud postremo eū fuisse loco, tūc cū sanctus Paullus doctrinę suę ratio-

nem

Trium magorum ad Christum euocatio.

Damaris Dionysii vxor.

Simeon Metaphrastes in vita.

Michael Syncellus in encomio, & alij.

ATHENARVM LAVS.

nē redditurus iniecta manu in Areopagum pertractus est, sed vnum potiùs è primis Iudicibus, imò etiam Iudicum principem Græci scriptores disertè asseuerant. Et Michaël quidem Syncellus post eximiam Athenarum laudem, quas (vti verè erant) Grecię decus, philosophorum domicilium, oratorum gymnasium atque ludum appellat, ita subdit de Dionysio: *Ex ea*, inquit, *vrbe hic est ortus Dionysius, eiusque dux fuit illustrissimus, & Areopagi Iudicum princeps: quorum Iudicum splendorem generis atque magnificentiam, rerum Atticarum Scriptores Androtion, & Philochorus fusè denarrarunt. Ex quibus profectò maiorum Dionysij primatum, & honorem, & gloriam coniecturâ assequi licet. Nec enim apud superbos Athenienses facilis cuiquam ad eiusmodi principatum aperta erat via, nisi quem & sapientia, & prudentia, & iustitia, & fortitudo, & temperantia, & cùm his simul eximia generis claritudo commendaret.* Ita ille. Fuit denique Dionysius ex eo consilio, & senatu, qui iam olim à Solone legislator & morum censor, & custos legum, & religionis ac ceremoniarū præses, & capitalium ac grauissimarum caussarum iudex atque arbiter fuerat constitutus. Ad quem senatum non tantùm è reliqua Græcia, sed è remotis quoque nationibus,[p] atque adeo ab ipsis Romanis, licet præcipuam sapientiæ atque grauitatis laudem affectantibus, difficiliores lites, & intricatiora iudicia subinde referebātur. In quo quantus fuerit Dionysius, siue doctrinarum varietatem, siue iuris æquitatem, siue morum denique spectes innocentiam, clarè idem Syncellus docet, qui non modò facundissimum in oratoribus, acutissimum in philosophis, perspicacissimū in astronomis, in ceteris artibus ac disciplinis spectatissimum, sed etiam, (quod multo maius est atque gloriosius) inter bonos optimum, & inter Iudices longè iustissimum extitisse scribit. Atque talis quidem erat, cùm gentilis atque Deorum cultor: qualis autem postea, hinc ordiemur.

AREOPAGI COMMENDATIO.

CAPVT SECVNDVM.

Dionysij ab erroribus, ad fidem conuersio.

Atheniensium mores.

Actor. 17. v. 21.

MVLTIS demum pòst annis, quàm ista solis defectio, de qua superiùs memoratum est, apparuerat, sanctus Paullus orbem terrarum fulguris ac tonitrui instar peragrans, & modò cunctas Græcię oras suâ sanctioris vitę atque doctrinæ luce collustrās, Athenas quoque peruenit: vrbem, si quam aliam, omni prauæ superstitionis genere, & Deorum non notorum modò, sed etiam ignotorum insano cultu longè famosissimam: vrbem, quam omnes artes & scientiæ, ac pręsertim vniuersæ philosophorum sectę, velut vnicum totius sapientiæ vmbilicum densis agminibus obsidebant: vrbem denique, vbi & ciues & aduenæ (quod ipse sanctus Lucas non frustra annotauit) *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui*, hoc est rumorum colligendorum aut spargendorum, siue quarumcumque demum nouarum rerum curiosissimam: vt proinde Apostolo seminandi verbi (vn-

de & *seminiuerbius* illis est appellatus) cupido nunquam frequens deesse posset voluntariorum ad noua & inaudita mysteria confluentium multitudo. Hîc igitur cùm haud secus, quàm alibi fecerat, firmo fidentique animo sanctum Christi euangelium palam annunciaret, felici prorsus sorte, nec sine Deo euenit, vt tum Dionysius de stupenda illa solis obscuritate, tam ex eiusdem Paulli verbis quàm ex aliorum scriptis atque sermonibus, in Christiana schola, quod tantopere olim desiderauerat, certiùs cognosceret. [b] Paullum enim id temporis Christi Domini vitam, mortem, resurrectionẽ, coram Iudęis, Epicureis, Stoícis, alijsque quibuslibet, iam in foro, iam in synagogis, iam vbi sors dederat, publicè priuatimque, magna cum libertate atque constantia quotidie prædicantem, quidam apprehensum tanquam inauditę auctorem superstitionis, & nouorum dęmoniorum annunciatorem ad Areopagum (cuius erat de religionibus ac ceremonijs iudicare) protinus adduxerunt. [c] Nam licet Romanis omnia tum subessent, Atheniensibus tamen & Lacedæmonijs sua iura & magistratus in integro, vt antiquitus, relicta erant. Hinc & Paulli caussa non ad Romanum pretorium, sed ad pręcipuum illud Athenarum tribunal spectabat. [d] Stans igitur Paullus in medio Areopagi cęlestem planè, & diuinitus inspiratum sermonem, temporique & auditoribus quam maximè conuenientem, ducto ab eorum aris & delubris exordio, ingenti cum fiducia habuit, nempe sibi per vrbem Atheniensem, & loca ipsis religiosa pertranseunti, & antiquas Deorum statuas & simulacra diligentius attendenti, aram vnam inter alias occurrisse, in qua inscriptum esset: [e] IGNOTO DEO. Cùm enim Athenienses, [f] tam ex antiquissimorum Philosophorum ac Poëtarum libris, [g] quàm è Sibyllinis oraculis vnum aliquem esse Deum percepissent, inaspectabilem, innominatum, ineffabilem, ne illum ipsi fortasse, aut alium quempiam magnorum Deorum ac Numinum debitis honoribus defraudarent, aram eo titulo erexerant. Quare quod ipsi ignorantes colerent, hoc se illis annunciare Paullus proclamabat: ipsorumque adeò Poëtarum, quos illi permagni facerent, testimonijs, & quibusdam receptę Philosophię doctrinis vsus, ita sensim ad sapientiorum animos peruasit, vt cùm alij, tum ipse Dionysius aliorum apex, & instar multorum, eius adhærere fidei, doctrinęque decreuerit. [h] Nec opus miraculis atque prodigijs viro docto atque sapienti fuit, (quæ tamen haud defuisse nonnulli auctores scribunt) sed doctis tantùm & sapientibus dictis: quę vbi ex ore Paulli audiuit, confestim illi se submisit. Sic enim Paullus loquebatur: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim & videns simulacra vestra, inueni & aram in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mũdum & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia. Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam*

PAVLVS AD AREOPAGVM DVCTVS.

ARA IGNOTI DEI.

S. PAVLI ORATIO.

Act. 17.

uersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum: quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: Sicut & quidã vestrorum Poëtarum dixerunt: IPSIVS ENIM ET GENVS SVMVS. Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis Diuinum esse simile. Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant: eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidẽ præbens omnibus, suscitans eũ à mortuis. Hæc summa orationis, quam beatus Paullus pro fidei suæ defensione & Christi honore in Areopago habuit: quæ quibusdam quidem (vt sæpenumero in rebus quoque optimis accidit) risui atque ludibrio, nonnullis stupori atque admirationi, aliquibus verò honori ac venerationi fuit. Nam in Iudicis Dionysij animam, velut in terram optimam profundè illapsa, in eximiç pietatis ac sanctimoniæ arborem se extulit, in qua & cæli aues, hoc est, Atheniensium primò, deinde & Francorum, aliorumque deinceps populorum conuersæ ad Deum mentes nidificarent. Illo enim ipso tempore, [i] anno scilicet ætatis suæ circiter quadragesimo tertio, istis, alijsque efficacibus Paulli verbis, cum illius præsertim admirandæ eclipseos memoria adhuc animum stimulante collatis, ad Christi fidem perductus est.[k] Magnum sanè opus diuinæ gratiç: negari non potest: tamen vt trahenti Deo minùs repugnaret, ipsa suæ philosophiæ secta (erat enim [l] Platonicus) nõ parum adiutabat. [m] Nam Epicurei quidem & Cynici, toti in voluptatibus, toti in sordibus, atque ad nihil aliud ferè quàm ad facessendum generosis animis negotium nati, longissimè à moderatis Christianæ fidei institutis aberant. Platonici autem, præsertim eruditiores, (è quibus se esse suo iure gloriari poterat Dionysius)[n] non pauca diuinæ legi docebant consimilia. Nam animç immortalitatem & iudicium & præmia & pœnas, quæ maximi inter alia sunt momenti, inter sua primç auctoritatis scita habuerunt. His igitur frequentissimè cùm Apostoli, tum alij Doctores, & nunc etiam Paullus, ad salubrem incutiendum timorem, qui initium est sapientiç, vtebantur. Dionysij porrò eàdem ipsâ viâ deductionem ad Christum, ipsa Apostolorum acta disertè testantur: vbi post recitatam beati Paulli in Areopago orationem (cuius extrema verba iudicij & resurrectionis mentionem induxerant) ita subditur: *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant: quidã verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paullus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis:* nimirum ij præcipuè, qui ex Dionysij domo familiaque erant, & qui inuitatũ in ædes Paullũ, super noua Christi doctrina & vnius veri Dei cultu sapientissimè disputantem, & propositis quæstionibus sine mora & hæsitatione respondentem, satisque facientem audiuerant atque suspexerant. Ita vir tanti nominis

Vide S. Chryso. homil. X. ad pop. Antioch. sub finem.

ORATIONIS S. PAVLLI FRVCTVS.

DIONYSIVS ANTE SVSCIPTAM FIDEM FVIT SECTA PLATONICVS.

PLATONICORVM SCITA FIDEI CONFORMIA.

Actor. 17.

& gloriç (quippe cùm omni eruditus politicâ liberalique doctrinâ, tum genere, opibus, dignitate, cunctis denique, quæ vehementiùs demiratur genus mortalium, multò florentissimus) homini extraneo, pauperi, despecto, multisque etiam irriso, sese post tanta profanarum, inflantiumque scientiarum decora, rudem discipulum, ac nouæ, humilisque doctrinæ tironem, atque auditorem tradidit. Neque tam grandi natu virum in aquæ expiatoriæ lauacrum descendere, & modò geniti infantis ritu, in Christo renasci ac repuerascere, nouaque Christianæ disciplinæ elementa tam Areopago dissentanea puduit piguitue condiscere. Nimirum ea vis est diuini verbi, ea Patris vniuersorum ad se attrahentis efficacia, ea denique Spiritus Sancti volūtatem humanam, internosque affectus commouentis operatio, vt vnà cum fide subeat confestim depulsis vitijs integer amicarum virtutum chorus, & qui paullò ante sui amans, superbus, arrogans, litigiosus, intemperans, aut aliter vitiosus cernebatur, idem nunc acceptâ nouæ religionis formâ, & salutari ablutus lauacro, velut alter homo, & antiquis exutus vitijs, sui contēptor, modestus, demissus, pacificus, castus, alijsque virtutum ornamentis clarus & cunctis carus agnoscatur. Quod non solùm in Dionysio, sed in plurimis quoque alijs & olim cernere licuit, & nunc in barbararum gentium conuersione licet liquidò animaduertere. Tantū scilicet prima fidei eruditio & Ecclesiç Baptismus in animos possunt. Quæ sanè tam magna & tam sancta morum cōmutatio haud minùs hodie in admirabili venerandç Eucharistiç sacramento, quàm in salutifero baptismate haberet locum (est enim Eucharistia illo sanctior & gratijs fecundior) si quo modo ad hoc, ita ad illam ab æquè sollicitis & benè comparatis animis adiretur. Et fieret id fortasse, si, vt Dionysio & Hierotheo, (quibus ea *sacramentum sacramentorum* appellata est) eius nobis dignitas magis perspecta foret, & cordi amplius inhçreret. Verùm hæc alias. Est enim propius quiddam aliud, quod circa Dionysij accessum ad fidem tractandum est. Nam quærere possit quispiam: nullúsne in vrbe Atheniensi, aut etiam in ipso Areopago motus, ex talis tantique viri abscessu, factus sit: nullàne in eum accusatio, tanquā in Deorum desertorem adornata, nihilne denique impietatis nomine (sic ipsis noua religio denotabatur) seu damni illatum, seu insidiarum structum, seu calumniarum intentatum. His enim si appetitus est Dionysius, & cunctis superior fuit; nec sanè illaudatus prçteriri debet, & pro exemplo est proponendus. Id igitur modò agendum.

FIDEI CHRISTIANAE EFFICACIA.

EVCHARISTIA BAPTISMO SANCTIOR.

Dionysius lib. de eccles. hier. ca. 3.

CAPVT TERTIVM.

Dionysij contra fidei suæ & vitæ nouæ calumniatores virtus & constantia.

QVEMADMODVM in rebus mundanis vsu venit, vt quo sublimiùs sitæ fuerint, hoc plurium pateant oculis atque sermonibus: ita ferè in hominum vita contingit, vt cùm humiles & plebeij, seu bene seu malè egerint, in silentio & ignoratione versentur: eorum con-

trà qui in eminentiori aliquo honoris atque dignitatis gradu constituti fuerint, vita omnis & facta dictaque omnia cunctorum exposita sint non solùm oculis atque sermonibus, sed etiam opinionibus & iudicijs in vtramque partem varijs, frequentiùs verò inuidorum quoque ac maleuolorum cauillationibus atque calumnijs. Erat ergo Dionysius, antequam Christianæ militiæ nomen daret, in Areopago, velut in sublimi quodam theatro, primarum partium actor, & omnium vndiquaque spectantium oculis conspicuus; obseruabatur ab omnibus, colebatur ab omnibus: ita vt non posset vllum eius dictum factúmue, in tanta dignitatis luce esse obscurum. Quare cum Paullo in augustissimum illud Areopagi consilium adducto, & nouæ superstitionis reo iussisset pro se volenti dicere, fieri audientiam, interque dicẽdum tota concio iam aures ad Paullum, iam ad Dionysium oculos conuerteret, huncque interdum illius nimis intentum dictis obseruaret, tum nonnihil primò mirari, deinde aliquid suspicere, postea verò quàm finita oratione nõ modò liberum dimitti Paullum animaduerterunt, sed etiam, (quod nonnulli curiosius perscrutantes annotarunt) domum nonnunquam inuitari, benignè haberi & audiri, denique coli & honorari cognouerunt, tum eius rei rumor per vrbem spargi, atque à populo, vt talium auidissimo, cupidissimè audiri & referri, principem scilicet Areopagi ab vno extraneo captum & delusum, spretis magnis Dijs Deabusque, vni illi IGNOTO DEO, quẽ iste hospes & aduena attulisset, totum adhærescere. Qui rumor cùm non esset vanus, eaque propter magis in dies magisque confirmaretur, nec iam dissimulare Dionysius aut vellet, aut posset, Deus bone! quæ passim admirationes! qui cauilli! quę sermonum contentiones! quæ calumniæ! à notis, ab ignotis, à propinquis, à familiaribus, ab omni denique hominum genere, ordine, sexu! cùm nullus ferè in Areopago, in foro, in circulis sermo alius, quàm de Dionysio per eos dies passim resonaret. *Michaël Syncellus in Dionysij encomio.* Nam exceptis qui eius supremum locum & honorem ambiebant, dolebant fermè cuncti talis ac tam præstantis viri tam miserum & miserandum (vt ipsi quidem opinabantur & vocabãt) casum: & illam à Ioue & Marte, & Minerua & Cerere, alijsque suis cælitibus, pro vno ignoto defectionem, tanquam certissimam de cælo prolapsionem complorabant. Consanguinei verò & affines, cùm prorsus statuisse eum viderent, nuncium honoribus remittere, acquisitum nomen negligere, Areopagum & partam in eo dignitatem relinquere, TENTATIONES A CONSANGVINEIS. quid non egerunt? quid non tentarunt? quam in partem sese non verterunt? quas ad eius expugnandum animum fabricas non admouerunt? cùm ita & illum & coniugem subinde lacesserent: Heu vos miseri! quid vobis euenit? quid hoc rei actum est? quid istud monstri?

Quò vobis mentes rectæ, quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

Enimuero tu Dionysi, qui hæc agas, satin' sanus es? an te aliquæ exagitant intemperiæ? Nam subitarium hoc negotium in viro aliàs tam

maturo,

maturo, tam prudente, tam considerato, quis queat dubitare, quin aliquid præstigiarum, & malæ artis ab aliquo nefario & conscelerato procuratum habeat? Túne Deos, quos omnis retro antiquitas coluit, quos tu ipse adhuc tam sanctè veneratus es, & venerandos esse docuisti, mutatâ desubitò voluntate nunc abijcis? tu illos, velut Circęo quodam poculo in alium versus nunc despiciendos & despuendos doces? Ecqua de caussa verò? nempe vt vnum seditiosum & sceleratum & impium, quē sui populares ob horrenda flagitia morte infamissima mactarunt, tanquam Deum colas & venereris? Papæ! insolentem, inuisam, inauditam amentiam. Talia illi & multa alia. Quibus cùm sapientissimè vir Dei nouus responderet, & hinc Deorum vanitatem ex antiquissimis ipsorum gentilium libris; & inde vnius veri Dei veritatem solidissimis rationibus commonstraret, surdis, quod aiunt, auribus accinebat. Et de Christo quidem, cùm ex Paulli doctrina eius summam innocentiam & voluntariam pro hominibus mortem, & data in morte prodigia, replicando etiam nondum inueteratam defecti solis memoriam, satis clarè ostenderet; tamen ipsi & illa temerè infitiabantur & hanc aliorsum trahebant. Quasi nimirum & talis innocentia si fuisset, nunquam fuisset publico iudicio condemnata: & illa solis defectio si totum orbem inumbrasset, non tam ea de caussa, quàm occultis quibusdam rationibus accidisset. Plurima enim Deorum fatis in mundo euenire, quorum explorare caussas velle, quandoquidem ipsi Dij ignotas velint, extremæ sit dementiæ. Proinde orare se illum atque obtestari, vt etiam atque etiam secum cogitet atque consideret, quid agat: totam hic eius existimationem atque famam periclitari: nec ipsi tantùm eam religionis mutationem, sed vniuersæ quoque Dionysiorum genti atque familiæ fraudi fore. Quare misereretur sui, suorumque: neu per imprudentiam suam aut temeritatem aut stultitiam aut etiam impietatem committeret, vt domus sua modò tam florens, tam opulenta, tam honore & gloria circumfluens, & semper hactenus in omnium ore & laude versata, nunc vnius superstitionis (quæ passim exsibiletur) gratiâ, istis omnibus nudata, in squallore & sordibus, humilis & deformata iaceat, nihilque pristini decoris atque ornamenti retineat: sed infamiæ atque ignominiæ, cuius tam vixerit hactenus insolens, fiat obnoxia. Nec defuerunt fortasse, qui exilium & tormenta, aut mortem, & Socratis exitium ei denunciarent. Si enim Socrati, tanto philosopho, Deum vnum & nouum, sed illum tamen summum, & ab hisce miserijs remotissimum inducenti nex allata sit: quid eo futurum, qui vnum furciferum (nulla enim erat apud efferatos talium verborum parsimonia) & inter latrones patibulatum, esse Deum edoceat & pro magno NVMINE venditet? Denique simile prorsus somnio videri, tam stupidum esse aliquem, & bardum, qui hæc tam incredibilia vel suspicetur, non modò credat; quid virum doctum? quid Areopagitam? quid primi illius consilij principem? Ita ferè isti. Quibus quā sapienter, & quàm fortiter nouus Christi athleta

respon-

respondcrit, haud paullo facilius est cogitatu, quàm dictu: summa tamen responsi hæc fuit: valdè scilicet in Christi persona ab ignaris hominibus aut nimis credulis aberrari. Nam qualis fuerit magister, non aliunde certiùs quàm ex discipulis posse disci. Quorum discipulorum ea sit vita, ij mores, vt nihil vitiosum, nihil fallax, nihil fucatum deprehendi in ijs possit: doctrina verò tam rectæ rationi & veræ philosophiæ consentanea, vt nihil magis. Cuius scilicet minimè dubiam veritatem ingens prodigiorum eam ob rem patratorum copia euidenter comprobarit: & eorum quidem prodigiorum, quibus non vana hominum fama gloriáue collecta sit, sed infirmorum & debilium & mancorum, imò & mortuorum, sanitas, vita, salus procurata. Ad minas autem vel exilij vel mortis quod attineat, se vel Socrate ipso libentiùs promptiúsque (quippe & pro meliori caussa) moriturum. Vitam enim esse, non mortem, pro Christo mori. Hanc mortem, vel vitam potius certatim à Christianis peti, & auidiùs quàm thesaurum quæri. Nec verò Epicureos tam inhiare atque adhinnire voluptatibus, quàm veros ac germanos Christi sectatores eas refugere atque aspernari. Nã præ cunctis & voluptatibus & delicijs maximo ipsis in precio esse labores, sudores, vigilias, & quæcumque vulgo hominum dura & aspera & intolerabilia reputantur. Quod profectò dum faciunt, non vitiatæ infractæque naturæ, & ad mollia semper inclinantis instinctu, sed eximiæ cuiusdam virtutis & altioris potestatis adminiculo, id se præstare manifestè produnt. His igitur & talibus dictis, qualia ex Paulli ore identidem nouus tiro audiebat (nam ad diuinum eius spiritum animam suam agglutinauerat) non modò ab importunis eorum aggressionibus bellè se expediebat, sed etiã nonnullos quà vi rationum, qua auctoritatis pondere in suas partes, non secus ac ferrum magnes, pertrahebat: quosdam verò, quos euincere obstinatos omnino non poterat, saltem labefactatis eorum arietibus ac machinis ita quatefaciebat, vt suis inciperẽt munitionibus atque momentis diffidere: alios denique sua præfractiùs obstinatiúsque defendentes, quàm aliena patientiùs faciliúsque sufferentes ita absoluebat, vt intelligerẽt, nisi suas accommodare aures sapientibus dictis mallent, quàm alienas arreptis è triuio maledictis obtundere, nihil esse cur domum suam ventitarent, aut congressum peterent: quidquid enim agerent, acturos frustra, frustra laboraturos. Cùm autem essent non pauci, qui toto, quod aiunt, pectore aduersus eum obniterentur, nullus tamen fuit ex omnibus, qui plus facessiuerit negocij, quàm qui aliàs vnus erat ex omnibus longè carissimus & familiarissimus, nempe à prima ætate sodalis, & in iuuentute peregrinationum socius, & vno verbo, alter ipse, APOLLOPHANES: idem inquam ille, qui vt moribus simul & studijs artium coniunctissimus, & in Ægypto contubernalis, celeberrimam illam solis defectionem, cùm Heliopoli vnà essent, simul notauerat, simul explorauerat, sed non perinde in cor animúmque demiserat. Is igitur nullum non mouit lapidem, quo intimũ suum amicum de suscepta

DIONYSII AD CONSANGVINEORVM CAVILLOS RESPONSIO.

CHRISTIANORVM STVDIA ET VOTA.

DIONYSII ET APOLLOPHANIS DE FIDE CONTENTIO.

noua

noua religione deturbaret. Hic autem è contrario dies noctésque de illo in suam sententiam attrahendo cogitare. Adibat & audiebat alter alterum eo libentiùs ac patientiùs, quo vtrique auidior animus erat & socij euincendi sibiq́ue adiungendi, & veteris amicitiæ retinendæ. Sed cùm mutuę accessiones semper plenæ amoris essent, tamen discessiones semper mœroris luctúsque erant quàm confertissimę. Nam ob spes vtrimque frustratas, quo maior in ingressu amor se explicuerat, hoc tristior in digressu amaror súccedebat. Leuiùs tamen & patientiùs, quodcunque istud erat molestiæ, ferebat Dionysius: quippe Paulli & Hierothei cōsolationibus sustentatus, immo & cælesti intus gratia, præsertim à suscepto initiationis sacramento, roboratus: at verò Apollophanes (quem & ista deficiebant è cælo præsidia, & quem sua insuper conturbabat, intúsque agitabat, sicut praua & peruersa, sic perantiqua & nimis inueterata de Dijs suis opinio) continere se interdum nō poterat, quin graues in iras atque iniurias vehementiùs exardesceret, atque eò nonnunquam vsque progrederetur, vt multis indignisque tam Christū, quàm Paullum, velut tanti mali auctores, conuitijs & execrationibus oneraret: immo vtrūque, vt mille crucibus, mille cruciatibus dignissimum, diris omnibus deuoueret. Nempe, vti acerbè infremens aiebat, nihil vnquam visum tetrius, nihil auditum execrabilius, quàm ob nescio quam nouitiam legem, nec legem, & ob vnius vilissimi & facinorosissimi Iudæi (quæ effrenis erat ipsius & multorum maledicentia) simulatam & arrogatam diuinitatem (ob quam tamen dignissimâ pœnâ in sublimi pependisset) Deos optimos maximos atque ab omni vetustate cultos contemni, sanctissima & augustissima templa deseri, antiquissimas cerimonias ritusq́ue negligi, omnem denique sacrorum religionē ac pietatem in sannas ludibriáque conuerti. Quæ quidem verba tam acerbè iracundeque proiecta, tametsi generosum Dionysij pectus satis grauiter vulnerarent, hac tamē tenùs dumtaxat penetrabant, vt ne impos sui maledicta maledictis regereret, sed tantisper iræ dans locum veterísque memor amicitiæ, cuncta in præsens sustineret. Hunc enim, quē modò diaboli liuor & superstitionis malignitas incendisset, exulcerati animi æstum, non desperabat tempore ipso, quod omnia domat, lenitum iri; atque etiam (si Dei optimi maximi voluntas foret & gratia iuuaret) sperare se aliquando eum mutata voluntate, in ipsis Christi castris merit urum. Nec verò falsus animi fuit. Nam cùm negocijs alium aliò vocantibus, disiuncti locis fuissent, & Apollophanes° in Polycarpi (eratchic vir in consuetudine familiari sanè quàm admirabilis) congressum, seu Smyrnæ seu alibi incidisset, intérque mutuos sermones eò fortè ventum esset, vt de Dionysio verba miscerentur, ecce rursum ille in hunc commoueri, & maledicta iacere, & parricidam appellare, idcirco nimirum potissimè, quod dixisse aliqua aut scripsisse Dionysium aduersus Græcos siue Gentiles, suísque ipsos armis oppugnasse inaudisset. Polycarpus igitur pro solita animi lenitate & mansuetudine bonum hìc

S. POLYCARPI AD APOLLOPHANIS CONVERSIONEM STVDIVM.

esse

esse ratus hominem mollibus verbis delinire potius, quàm iratum magis exasperare, & ignem, vt vulgo dicitur, fodere, ita rem temperauit, ita motus omnes composuit, ita denique progressu temporis cum sibi deuinxit, vt ipsius tam Christo, quàm Dionysio conciliandi reconciliandique spes non minima emicaret. Misit ergo litteras ad Dionysium, docuitque de eodem Apollophane, quo nunc in loco res essent: nempe illum non mediocriter in ipsum fuisse commotum, propterea quòd illum intellexisset tam libris quàm disciplinis Græcorum iniquè aduersus Græcos vti, ideóque temperare nequaquam sibi potuisse quin & maledicta in eum iaceret, & parricidam appellaret. Desideratur quidem hac ætate illa sancti Polycarpi epistola, sed Dionysij ad eam responsum, vnde hæc colliguntur, beneuolentiæ mansuetudinísque plenum hodieque extat. Cuius ferè hæc est summa: nescire se vnquam aduersus Græcos, aut aduersus quoscumque alios dixisse. Nam arbitratum se esse viris bonis sufficere, si veritatem in se ipsa agnoscerent, atque ita vt se habet, annunciarent. Hoc enim si debitè fieret, tum per sese omnia quæ à veritate sunt aliena, vt alia re nulla esset opus, posse redargui. Quare superuacaneum esse, veritatis interpretem aut cum his aut cum illis depugnare. Nam ita prorsus rem hic esse, atque in possessione regij numismatis. Ait enim vnusquisque illud se habere: & habet fortassis particulæ illius adulterinam quandam imaginem, sed verum numisma non habet. Igitur illum si quis redarguerit, accedet similiter & alius, qui & hoc verum numisma penes se esse dicet, eodémque modo alius & alius, licet adulterina singuli afferant numismata; sed verum nullus. At cùm ipsum verum & regale numisma prolatum fuerit, quod facilè sua sponte se prodit, probatque legitimum, ita vt à nullo redargui possit; tum cetera omnia quæ non sunt illi in omnibus similia, per se & nullo negocio apertæ conuincentur falsitatis. Sic in vera & Christiana religione vsu venit. Hæc enim mundo ostensa & alijs comparata se solam veram ac sinceram religionem præstat: alias verò non religiones, sed superstitiones, & imagines tantùm atque vmbras quasdam religionis adulterinas clarè commonstrat. Itaque minimè festinus, inquit, aut præceps fui, vt vel aduersus Græcos vel aduersus alios quoscumque dicerem. Mihi enim satis est, & hoc det Deus; primò veritatem agnoscere, deinde agnitam, quemadmodum oportet, annunciare. Sic ille. Atque hoc fuit primum illius epistolæ membrum: in quo prudenter ad conciliandam sibi Apollophanis beneuolētiam de obiecta Græcorum impugnatione se purgauit. In secundo autem membro, iactum Apollophanis telū acutè quidem, sed benignè & citra contumeliā in ipsum retorsit. Sic enim de illo ad eundem Polycarpum: *Quod autem ais*, inquit, *me*[c] *ab Apollophane sophista probro affici & parricidam appellari, propterea quòd Græcorum scriptis abutar aduersus Græcos, verius sanè illi possem obijcere ipsos Græcos*

Dionysii ad S. Polycarpum epistola.

Similitudo egregia religionis & numismatis.

Pium S. Dionysii votum.

cos diuinis contra diuina non sanctè vti: quippe qui per Dei sapientiam attentent diuinum cultum & religionem è medio tollere. Neque hic de vulgo duntaxat hominum loquor, qui poëtarum fabulis earum sectando spurcitias adhæreſcunt, & res creatas aduersus creatorem adorant: verùm ipse, ipsemet Apollophanes diuinis aduersum diuina non sanctè vtitur. Rerum enim exiſtentium ſcientiâ (quæ rectè ab ipſo philoſophia dicitur, & quæ à Sancto Paullo DEI SAPIENTIA appellatur) tam ad earundem rerum quàm ad ipſius ſcientiæ auctorem veros philoſophos ſubuehi oportebat. Ita ille. Poſt hæc autem memor ſe cum amatore & ſtudioſo aſtrologiæ loqui, ad eum ijſdem artibus capiendum, quibus ipſe captus ſit, accingitur. Memorat enim mirabilia quæ in cælo & in ſole ſupra communem naturæ ordinem olim facta ſint: diſputatque ea fieri tantùm ab eo potuiſſe, qui & cælos & ſolem ab initio condiderit, & nunc in ſtatu ſuo contineat. *Ac ne aliorum, aut etiam eius ſententiam*, inquit, *contra inſtitutum meum refellam, intelligere debebat Apollophanes, vtpote ſapiens, nihil vnquam in ordine motuque corporum cæleſtium mutari potuiſſe, niſi mutante ipſorum conditore & conſeruatore, qui, vt docent ſacræ litteræ, facit mutatque omnia. Quin igitur eum colit, quem vel ex eo verè omnium eſſe Deum cognouimus? Quin eum admiratur, cuius potentia & rerum omnium cauſſa eſt, & omni ſermone ſuperior?* [a] *Quis enim fecit, vt olim ſol & luna ſimul cum reliquis cælis hærerent prorſus immoti, & vt item totum ijſdem in punctis cuncta conſiſterent? Aut certè, quod etiam mirabilius, quis efficere potuit, vt cælis maioribus ſoluto motu currentibus, illi qui intra ipſos continentur & cum ipſis ad ſua ſpatia rapi ſolent, præter morem iam reſiſterent, nec vnà in orbem circúmque deferrentur? Certè ſoli vis diuina præpotenti ſuo cunctiſque dominante imperio id potuit. Cedo rurſus,* [b] *quis auctor aliàs fuit, vt dies vnus ferè tribus æquaretur, & in totis viginti horis cuncti cælorum orbes motionibus contrarijs retrò curſum flecterent, & circuitionibus naturæ ordinem exſuperantibus eò vnde venerant reuerterentur? Aut, ſi hoc magis placet, quis vni ſoli dedit, vt in curſu proprio, quincuplici ſua motione in horas decem contracta, eandem rurſus totam alijs decem horis remenſus nouam terendo viam remearet?* [c] *Nam & hoc Babylonios meritò obſtupefecit, & Regi Ezechiæ tanquam humanum tranſgreſſo faſtigium & Dei potentiam exæquanti vltro & citra pugnam ſubmiſit. Quid dicam magnifica illa in Ægypto, vel etiam alibi patrata miracula? Nam quæ attuli, vt cunctis communia & in cælo facta, vbique terrarum & omnibus gentibus ſunt celebrata.* Hęc Dionyſius pro aſſerenda vnius Dei veritate ex cælo & aſtris in aſtrologi gratiam cùm diſſeruiſſet, veritus ne illa apud Apollophanem propter ſacrarum litterarum, vnde deſumpta ſunt, ignorationem, aut propter ipſorum prodigiorum non experientiam, fidem non obtinerent (tametſi quod de triplici die dictũ eſt, è Perſarum quoque ſacris ritibus cognoſci poſſit, quandoquidem

dieï

1. Cor. 1. verſu 21.

Amos 5. v. 8. ſecundum ſeptuag. ὁ ποιῶν πάντα, καὶ μεταποιῶν.

Ioſue 10.

Vide S. Maximum & Pachymeram, de quincuplici motione.

diei illius protensionem Magi ipsi, vt æternæ traderent memoriæ, triplicis MITHRÆ, ita solem appellant, diem solemnem fecerint) petit tamen à Polycarpo, vt præter illa, immò præ illis, memoriā ei refricet illius admirabilissimæ defectionis solis, quam Heliopoli vnà viderint, cū & ipse Apollophanes, velut diuinans, proclamauit: *Hæ sunt rerum diuinarum mutationes. Et ecce hæc ipsa mutatio,* adiungit Dionysius, *transtulit nos ab errore ad veritatem, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, à simulacris ad verum Deum.* Deinde concludens epistolam, *Tu verò,* inquit, *ô diuine Polycarpe, reliqua, quæ desiderantur, adijce, vt virum talem & tam sapientem ad longè sapientissimam traducas religionis Christianæ veritatem.* Et verò adiecit, remque totam feliciter confecit Polycarpus. Nam cùm alijs, tum maximè ipsius Dionysij argumentis hominem aggressus, tandem eò deduxit, vt relictâ mundi sapientiâ, lubens, volens ad diuinam (quę sola verę sapientiæ meretur nomen) se transferret. Quæ tum porrò fuerint vtriusque & Dionysij & Polycarpi gaudia, qui plausus, quę mutuæ congratulationes, de tanto viro sociatis laboribus ad suaue Christi iugum adducto, quis dicat? Solet præda multo tempore & magnis sudoribus acquisita esse lętior, & plus multò afferre voluptatis, quàm citò & breui labore parta. Enimuerò hęc eiusmodi fuit, vt alia similis fortasse nulla reperiri possit, pro qua & tam diu & tam constanter fuerit vnquam ab vllo laboratum. Valde enim serò & multis pòst annis quàm de religione inter illos agi cœptum fuerat, immò post multas quoque & calumnias & cōuicia, inde quidem acriter & superbè iacta, hinc autem leniter & modestè tolerata, fructus hic longanimitatis multò suauissimus, tāquam dignum operę precium, perceptus est. Adeò iuuat in procuranda fratrum salute, & in peccatoribus quamuis obstinatis & pertinacibus in viam reducendis, nec citò, nec tardè despondere animum, sed menses & annos & multiplicata lustra sustinere, adeóque totam vitam & quamdiu vel tibi vel illis spiritus & sanguis supersit, monendo, arguendo, increpando, vota denique & preces ad Deum fundendo, & si etiam opus sit, labores, dolores, molestias & omnis generis conuicia & maledicta sufferendo, dum anima cælo & terrâ carior lucrifiat, laborare. Quanta porrò fuerit Dionysio ex vnius animæ lucro vis gaudij, quātus exultantis animi feruor, testes sunt ipsius ad Apollophanem datæ post susceptum fidei sacramentum litteræ: quarum exemplum hic subijcio.

RATIO CIRCA LVCRANDI ANIMAS.

Dionysius Apollophani Philosopho S.

IAm iam ad te, CORDIS MEI AMOR, sermonē dirigo, & multas meas curas sollicitudinésq; tuâ caussâ olim susceptas tibi in memoriā redigo. Nēpe tenes, quàm miti & beneuolo animo tuā illam in errore, tametsi leuibus ex caussis, pertinaciā redarguerim, vtque istas vanas, quibus illudebaris, opiniones insimulauerim. Nunc autē summā diuinæ erga te benignitatis moderationē, quanto possum maximo affectu venerans, tibi salubriter resipiscēti, pars animæ meæ, congratulor. Quin

DIONYSII AD APOLLOPHANEM EPISTOLA.

& ijs, quæ olim aspernabare, nunc iuuat te affari: & quorum priùs respuebas notitiam, ea modò rursus inculcare. [l]Sæpe enim tibi & quidem accuratè exposui, (quod & Moyses litteris prodidit) hominem à Deo primitus è limo factum, & mundi peccata diluuio expiata: & consecutis temporibus ipsum Moysen amicitia cum Deo copulatum multa in Ægypto & in Ægypti egressione, ipsius Dei caussa & virtute patrasse prodigia, neque ipsum modò, sed alios quoque deinceps diuinos vates similia non raro edidisse, qui & Deum è virgine naturam humanã suscepturum multò antè prænouerant. Quibus mihi non semel, sed sępius respondisti, non modò te nescire an hæc vera essent, sed etiam quis ille Moyses, & albus atérne fuerit, penitus ignorare: euangelium autem IESV CHRISTI[l], qui est *DEVS* totius *MAIESTATIS* (quod meum vocabas) respuere: Paullum verò mundi circumambulonem & verbisatorem à terrenis ad cælestia deuocantem nolle recipere. Denique tu me quoque, quasi patriæ religionis iura degener abdicassem, inque nefaria sacrilegia præceps issem, reprehendens hortabare; vt ea, quibus innitebar dediscerem: aut saltem aliena missa faciens, satis haberem mea retinere, neu diuinis numinibus & patrijs institutis derogarem. Posteaquam verò superna lux paternæ gloriæ super mentis tuę tenebras splendoris sui radios sua voluntate demisit, simul intimo cordi meo infudit, vt plenum pietatis negocium tibi memorarem: nempe quo modo nobis Heliopoli degentibus (eram tum annos circiter viginti quinque natus, & tu mihi ferme coæuus) die quadam sexta, & hora item ferè sexta, sol horribiliter subeunte luna obscuratus fuerit, ([m]non quòd Deus, sed quòd Dei opus in veræ ipsius lucis occubitu lucere non quiuerit) tumque ex te percunctatus sim, quid tibi, vir prudentissime, super hoc videretur, tu autem eiusmodi responsum dederis, quod menti penitus infixum, nulla prorsus obliuione, nulla vel mortis imagine dilabi possit. Cùm enim totus orbis tetra tenebrarum caligine vniformiter obductus fuisset, ac iam repurgari solis globus & renitescere occœpisset, tum assumptâ Philippi Aridæi regulâ, & contemplatis cæli orbibus deprehendimus, quod erat quoque aliàs notissimum, non potuisse id temporis defectionem solis euenire: deinde obseruauimus lunam ab oriente solem subiuisse, eiusque radijs obstruxisse, donec totum occuleret, quæ tamen alias ab occidente solita esset occurrere: quin illam quoque notauimus, cùm ad extrema solis peruenisset, eiusque vniuersum orbem obtexisset, tùm retrò orientem versùs recurrisse, quamuis id esset tempus, quod nec lunæ præsentiam, nec solis concursum postularet. Ego igitur, ô multiplicis eruditionis sacrarium, tanti mysterij nescius cùm essem, sic te alloquebar: Quid sibi vult hoc rei, ô doctrinæ speculum Apollophanes? Insolita ista portenta ecquorumnam tibi mysteriorum videntur indicia? Tu autem ore diuino magis, quàm humanæ vocis sermone, *Hæ sunt, ô bone Dionysi*, inquiebas, *diuinarũ rerũ mutationes*.

Genes. 2. versu 7.

Psal. 18. vers. 3.

DIONYSIVS 25. ANNOS NATVS TEMPORE PASSIONIS DOMINICÆ.

ECLIPSEOS IN CHRISTI OCCVBITV EXPLORATIO.

APOLLOPHANIS DE ECLIPSI IVDICIVM.

Denique

denique, cùm diem annumque annotassem, & tempus illud cum eo, quod Paullus mihi quondam ab ore suo pendenti annunciauerat, signis conclamantibus concordare sensissem, tum & veritati manus dedi, & me falsitatis nexibus expedij. Quam proinde veritatem, & mirificè prædico, & tibi ingero, quæ est vita & via & lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Cui & tu tandem, vt verè sapiens, cessisti. Nam cessisti vitæ, cùm mortem abdicâsti. Et optimè sanè deinceps feceris, si eidem veritati prorsus adhæseris: ita quidem nobis arctius coniungere. Illud enim, illud os nobiscum posthac erit, cuius splendore verborum, mentis meæ perstringens aciem, solitus eras accersitis hinc inde coloribus, & fucato eloquentiæ nitore intimos pectoris nostri recessus pertentare, immo & nonnullis interdum maledicentiæ aculeis nos acriùs fodicare. Quare quemadmodum antehac, vt tute fatebare, doctrinæ Christianæ, sacrarumque litterarum quamuis sapida cognitio tibi non sapiebat, sed cùm ad eam vel degustandam tantùm accederes, à mentis tuæ palato resiliens, ac velut dedignans in pectore tuo sedem ponere, resistebat: ita modò postquam cor intelligens ac prouidum es nactus, tete ad superna erige, neque pro ijs quę non sunt, ea quæ verè sunt, dimitte: adeoque contra eos, qui te ad falsa prouocauerint, tanto in posterum esto pertinacior, quanto tu nobis, cùm ad veritatem votis omnibus inuitaremus, extitisti peruicacior. Sic enim ego in Domino Iesu, (qui est esse meum & viuere) lætus dehinc moriar, quandoquidem & tu in eo viuas.

Ioannis 1.

HVMILIS SACRARVM LITTERARVM STILVS NON SAPIT GENTILIBVS.

Hactenus exemplum litterarum Dionysij, & vnà exuberantis lætitiæ, super vnius peccatoris ad Deum accessione, illustre testimonium. Itaque non tantùm fortis & constans Areopagita noster in sustinendis calumnijs, & in quibuscumque aduersus fidem nostram machinationibus eluctandis fuit, sed etiam felix & fortunatus. Iam ad accusationem intentatam, aut irrogatam pœnam, nomine respectuque nouæ religionis quod attinet, horum nihil fuit. Athenienses enim à Socratis morte (cuius ita eos puduit, ac pœnituit, vt mox in publici luctus signum, palæstras & gymnasia omnia clauserint, eiusque accusatores alios exilijs, alios morte multarint, ipsum autem ærea statua donarint) minimè præcipites fuère, nec ad suscipiendam de noua religione aduersus quempiam accusationem, nec ad ferendum de Deorum cultu aut neglectu iudicium. Hinc etiam paucæ cùm sint è claris vrbibus, vbi non multa extiterint Christianorum martyria: tamen Athenis, vrbe tam ampla & celebri, ne vnus quidem fidei Christianæ caussa, (de quo quidem firmiter constet) vel exilij, vel mortis pœna, præsertim publico iudicio multatus esse facilè reperiatur. Nam de PVBLIO & QVADRATO Athenarum Episcopis & Dionysij nostri successoribus (de quibus ferè solis ambigi posset) vero est quam simillimum, quorundam priuatorum iniurijs, vel tumultu populi subitaneo (vti ex ipsorum & martyrum actis quadam tenus licet intelligi) vel lapidibus appetitos, vel a-

ATHENIENSIVM DE SOCRATIS DAMNATIONE POENITENTIA.

ATHENIS NVLLA AVT PAVCISSIMA MARTYRIA.

lijs modis exagitatos, quo pax Christianis esset, sponte sua vrbe cessisse, alibique oppetisse. Qua de re dicendi locus commodior in Quadrato. Iam enim post euicta, quę in principijs occurrere solent, variorum impedimentorum luctamina, ad considerandos eius cùm in sacra Theologia, tum in omnimoda virtute profectus prouehimur.

CAPVT IIII.

Dionysij in Theologia & virtute profectus atque ad Episcopatum euectio.

[a] EX quo tempore nouus hic Christi miles aquis salutaribus in ecclesia Dei respersus, cunctis INIMICI pompis ac lenocinijs nuncium remisit, confestim tanquam de morte translatus ad vitam, & pristinæ suæ cum strepitu populari consuetudinis oblitus, noua studia aggredi, nouas virtutes omni conatu & animi & corporis vrgere ac persequi cœpit. In quo, vt faciliùs iuxtà & feliciùs fructũ operę suę dignum consequeretur, ipsa magistrorum dignitas ac præstantia (vnde primus discendi ardor nasci solet) momenti attulit plurimum. Nam eos sanè magistros habuit, qui Deum ipsi habuerant præceptorem. Nempe Apostolos & Discipulos Christi, sed prę omnibus & diutius omnibus Paullum. Qui enim illum verbo veritatis in Christo genuerat, idem prima illi spiritus alimenta suppeditauit, idem prima fidei elementa tradidit, idem lac illi potum dedit. Instar siquidem & exemplum bonę matris pręstare erga Dionysium Paullus voluit; non minus scilicet liberaliter educando, quàm ingenuè pariendo. Quare pręcipua religionis nostræ mysteria sedulò illi exposuit, mundum videlicet, qui perperam à nonnullis philosophis ab æterno exstitisse disputaretur, à Deo conditum esse, cùm antea nihil omnino, nisi Deus, extitisset: tum etiam Angelos, tum homines primitus creatos, & illos quidem cæli habitatores, hos autem terræ incolas, & paradisi cultores cõstitutos: ad quorum pleniorem notitiam ipsi sedulam veteris instrumenti lectionem impensè commendabat. Deinde primorum parentum peccata & pœnas, & illorum ad posteros transfusionem, atque inde totius humanæ infirmitatis originem, (vnde vt culparum, sic aquarum profluxisset diluuium) explanabat. Post illud quoque, perditi generis instaurationem, & Patriarcharum seriem atque fidem, egregiaque NVMINIS instinctu facinora in oculis desigebat. Tum verò ad scriptam Dei voluntate, & Angelorum ministerio cælitus delatam legem, ac Moysi in manus traditam aggrediebatur: cuius legis præcepta duabus tabulis exarata cùm mirificè dilaudasset, eaque non solùm naturæ conformia, sed etiam humanæ societati conseruandæ necessaria commonstrasset, dehinc multitudinem rituum ac ceremoniarum rudi, duroque populo, ad perdomandam eius ferociam, congruenter quidem initio impositarum, sed nunc mutatis temporibus earundem nimiam difficultatem, atque ex ea re plurimas mortalium partim transgressiones, partim anxietates (prout vel existimatio neglectum, vel nimia sollicitudo superstitionem

S. PAVLVS APOSTOLVS DIONYSII PRIMVS PRAECEPTOR IN REBVS FIDEI.

VETERIS LEGIS COMMENDATIO.

nem pareret) verbis exaggerabat. Ex quibus omnibus, ac præcipuè ex perpeti hominum exitio ac ruina, efficere nitebatur, & profectò efficiebat, opus fuisse omnino, vt lege veteri exarescente, rebusque pessum euntibus noua lex, nouus legislator adueniret: & quidem talis, cui potestas & imperium in omnes esset. Itaque Deum Patrem misisse è cælo vnigenam filium suum, qui iunctâ sibi & conglutinatâ nostrâ naturâ, simul Deus, simul homo existens, redimere modo optimo genus mortalium, & pro sua infinita sapientia sciret, & pro inexhausta potentia posset, & pro immensa bonitate vellet. Super quibus altissimis fidei nostræ mysterijs, cùm Dionysio tanquam acuto & solerti in paucis philosopho multa succurrerēt exaduerso, eaque nec leuia, nec spernēda argumenta, hæc vbi magistro suo lucis habendæ gratia proposuisset, ab hoc euestigio tam lucidè habebat exposita, & nouis insuper aliorum nodorum exsolutionibus coniunctim declarata, vt multò semper plus referret, quàm quæsisset. Cùm enim Paullum minimè fugeret, quantus olim in republica christiana futurus esset Dionysius, accelerabat hominem ecclesiæ necessarium opportunis instruere documentis, atque in eius animam, velut in quandam sacrorum depositorum arcam fidelissimā, omnes scientiæ ac sapientiæ suæ thesauros congerere. Itaque, cui nec acre deerat ingenium, & talis ac tantus magister suppetebat, facile fuit, accedente in primis non impari diligentia, eò diuinarum rerum cognitionis breui tempore peruenire, quò pauci multis annorum spatijs vix, ac ne vix quidem potuerint attingere. Denique (vt quid Paullus Dionysio contulerit, paucis & significantibus verbis è scriptura complectar) *Circumduxit eum & docuit.*[c] Nam Paullo Græciam & Asiam peragranti tres ipsos annos adhæsisse Dionysium constans est fides. Illo igitur Theologiæ magistro, maximè & primò omnium vsus est:[d] secundum hunc autem sancto Hierotheo, viro si non omnino pari Apostolis, certè suppari, & mirificis Dei optimi maximi donis vbertim cumulato. De quo in præsentia, (quod aliàs opportunior, cùm eius describetur vita, futurus sit enarrandi locus) plura non tangam. Quia verò minimè satis est homini ad ecclesiæ gubernacula admouendo quantacumque pollere scientia, seu sacra, seu profana; sed opus præterea est, ac præcipuè quidem, multa eximiaque virtute (nam illa instrumenti dumtaxat, hæc autem animæ locum tenet) idcirco Dionysius tanto in hanc quàm in illam incubuit impensiùs, quanto anima instrumento præstabilior est. Nec longè illi petenda omnigenæ virtutis aut documenta fuerunt, aut exempla, cùm & illa identidem ex Magistri ore, velut certissima oracula, audiret; & hæc in eiusdem vita & moribus, quasi in pulcherrima pictura, quotidie legeret. Quare illius exemplo, corpus suum (quæ prima est tendentibus ad vitæ perfectionem via)[e] crebris ieiunijs, vigilijs, laboribus perdomabat, atque in seruitutem quotidie redigebat. Neque enim poterat, nec volebat in comitatu Paulli aliud facere, quàm Paullus. Vti ergo Paullus, (quemadmodum de se ipse prædicat) cùm alijs in mul-

NOVÆ LEGIS CAVSSA ET INSTITVTIO.

Deuter. 32. versu. 10.

S. HIEROTHEVS DIONYSII SECVNDVS MAGISTER IN RELIGIONIS MYSTERIIS.

EXIMIA SCIENTIA ET VIRTVS PRÆSTANS DVO AD EPISCOPATVM NECESSARIA.

VIA AD VITÆ PERFECTIONEM.

multis malis fuit, tum nominatim IN LABORE ET ÆRVMNA, IN VIGILIIS MVLTIS, IN FAME ET SITI, IN IEIVNIIS MVLTIS, IN FRIGORE ET NVDITATE, sic & Dionysius, vt magistri germanus discipulus, esse in iisdem voluit: nec quicquam in vitæ victusque commodis, aut malorum immunitatibus habere singulare. Quippe ex euangelij lectione didicerat, *sufficere discipulo, vt sit sicut magister eius; & seruo, sicut Dominus eius.* Nolebat igitur laborante, aut vigilante, aut ieiunante magistro, vel ociosus esse, vel somnolentus, vel genio deditus: sed belli illius intestini & continuæ pugnę, in qua inter se hostiliter caro & spiritus, licet habitatione coniunctissimi, assiduè confligunt conscius (*CARO enim concupiscit aduersus SPIRITVM, SPIRITVS autē aduersus Carnem*) huic arma sua, quibus præualeret & insolesceret, detrahere; & illi auxilia & neruos, quibus legitimo suo potiretur dominatu, instituit acquirere. Itaque lecti, mensæ, aliarumque rerum huiusmodi, non modò delicias, sed etiam minùs necessarias commoditates generoso animo circumcidit. Spiritui verò prorsus è contrario, non solùm quas potuit commoditates, sed etiam delicias omnes, tametsi eas non semper, nec omni ex parte necessarias, indulsit. Quas autem? Nimirum continuas ad Deum precationes, quibus nihil, nec sapidiùs esse potest, nec salubrius: deinde sancti euangelij & aliarum sacrarum scripturarum lectionem, non tantùm diurnis, sed etiam nocturnis horis frequentatam; quâ nescio an quippiam aduersus malarum voluptatum exitiales illecebras reperiri fortius valeat atque solidius. Denique (vt alia omittam) diuinæ illius mensæ, & panis viuifici quotidianum pastum, vnicas deuotæ animę delicias, quibus tamen delicijs (nec enim id de omnibus dici potest) & robur quoque inest & immortalitas. Hæc igitur quatuor inter alia plurimi faciebat, (quæ & omnes sanè qui nomen aliquod in perfectiore vita obtinere apud Deum volunt, plurimi facere, & maximo in pretio habere debent) corporis scilicet inuictam depressionem, orationis vsum indeficientem, sacrę lectionis studium indefatigabile, diuini epuli famem gustúmque insatiabilem: primum quidem ea de caussa, quòd quātò corpus deprimitur, tanto ferè spiritus eleuatur: secundum autem, quod sapienter intelligeret, *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum esse descendens à patre luminum*, & continentiam atque sapientiam non tam humana ope acquiri, quàm ritè postulantibus manu diuina conferri: tertiùm verò quòd minimè ignoraret sacrę Scripturę verba spiritum & vitam esse: quartum denique quòd certus existeret omnes Diuinitatis thesauros illo in sacramento pleniùs atque vberiùs quàm vspiam alibi cum hominibus communicari. Itaque per sollicitā corporis macerationem, & assiduam precationum in cęlos eiaculationem ad alias virtutes (quarum istæ non tantùm fundamenta, sed etiam fomenta sunt) sibi viam strauit. Quin etiam eo vsque & laborando & connitendo progressus est, vt nihil eum corpus, aut certè propè nihil retardaret, quo minùs & diuinas litteras hominibus terrestribus & friuola

1. ad Cor. 11. versu. 27.

Matt. 10. v. 24.

Ad Galathas. 5. versu 17.

MENTIVM PIARVM DELICIAE.

Iacobi cap. 1. versu 17.

DIONYSII IN VIRTVTVM VIA PROFECTVS.

uola voluptatum amantibus inaccessas penetraret: ac sese insuper (adiuuante in primis ac subleuante illa gratia, quæ in sacramento sacramẽmentorum plurima suscipitur) visis cælestibus & Angelicis collocutionibus dignum exhiberet. Paulus igitur hos sui discipuli profectus videns, & egregia virtutum specimina, quæ in dies affatim exhibebat, cũ animo suo subinde pensitans miro efferebatur gaudio. Nam ita Dionysius cunctos sui magistri mores induerat, ita omnem eius disciplinam, speculi instar nitidissimi repræsentabat, vt hic eum contemplans, velut alterum se in eo contemplari videretur; vt nec immerito eadem illi posset dicere, quæ alij cuidam discipulorum, licet alio quodam sensu, dixit: *Tu autem assecutus es meã doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam.* Quippe adeò hæc noster Areopagita erat assecutus, vt non tantùm ea in Paullo esse meminisset, sed ipse etiam vita & moribus repræsentaret. Quare Paullus nihil amplius differendum ratus, quin tantum lumen ad dispergendas gentiliorum errorum tenebras in sublimi poneret, eum magno totius ecclesiæ bono, sed occidentalis præsertim; vt pòst videbitur, longè maximo, creauit Episcopum: Atheniensique ecclesiæ iam ad lucem assurgenti præesse voluit:[f] siue primum (vt alius Dionysius Corinthiorum Antistes & scriptor perantiquus memorat)[g] siue secundum, vt è Græcorum menæo (vbi primus locus sancto Hierotheo assignatur) colligi potest. Nã in primis ferè omnium ecclesiarũ Episcopis, non modò propter ingenia hominum naturali quodam vitio antiquitatem affectantia, sed etiam propter frequentes ipsorum Episcoporum ab vno loco ad alium migrationes, magna inueniendi ordinis certæque successionis assignandę difficultas exoritur. Constat enim, vti enascente, sic adolescente ecclesia, non Apostolos tantùm, sed ipsorum quoque discipulos incredibili quodam fidei ardore succensos, non vnius loci ditionisue angustijs labores terminasse suos, sed ecclesiã satis alicubi fundatã instructáque, relicto inibi aliquo è discipulis successore alias in terras euangelij quàm longissimè propagandi studio cupidè commigrasse. Vnde & historiæ ecclesiasticæ principem valde laudo, qui hunc illorum morem (prælucet enim veritati) minimè tacitum præterijt, sed de his ipsis, quę iam transcurrimus, temporibus agens, déque viris Apostolicis (qui vsque ad sanctum Quadratũ Dionysij nostri, post Publium, in eodem Atheniensi Episcopatu successorem extiterunt) mentionem inducens, in hanc ferè perscribit sententiam: *Plurimi,* inquit, *ea tempestate ardentiori cælestis sapientiæ amore succensi, & animos diuini verbi thyrso percussi, primò quidem salutaribus obsequentes cohortationibus copias suas in egenos distribuebant, deinde relicta domo & patria munus euangelicæ prædicationis aggrediebantur, atque ijs potissimè, qui nihildum Christianæ fidei inaudissent, Christum annunciare, & Sanctorum euangeliorum scripturas aperire, omni studio contendebant. Hi autem iactis in peregrina terra fidei fundamentis, cùm alios pro se PASTORES ibidem ordinassent, & nouarum ecclesiæ plantarum curam*

2. ad Timot. 3.

S. DIONYSIVS A PAVLLO CREATVR EPISCOPVS.

SERIES PRIMORVM IN ECCLESIIS EPISCOPORVM CVR INCERTA.

Eusebius lib. 3. histor. eccl. cap. 37.

CHRISTIANORVM IN DISSEMINANDO EVANGELIO FERVOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ram culturamque eis demandaſſent, tum ad alias inde regiones atque gentes ſeſe cum Dei gratia atque adiutorio transferebant. Quippe cùm illo etiam tempore plurima ab illis miracula, Spiritus ſancti virtute deſignarentur. Quibus fiebat, vt ad primas eorum conciones, plurima mortalium turba veram erga Deum pietatem atque cultum auidis animis combiberent. Sic ille. Cum igitur non rarò accideret nonnullos ex ijs PASTORIBVS perexiguo tempore, & rebus non ſatis exactè ordinatis, in Epiſcopali throno conſidere, hinc factum vt ijs in ſerie Epiſcoporum præteritis, ipſorum ſucceſſores, qui & diutius eas prouincias adminiſtraſſent, & in rebus eccleſiæ ſtabiliendis plus laboraſſent, pro primis Epiſcopis haberentur. Ita Hierotheum eccleſiam Athenienſem à Paullo vix dum inchoatam primum ſuſcepiſſe, auxiſſe, rexiſſe, docuiſſe arbitrandum eſt: ſed eo paucis pòſt annis ad alia, quò Spiritus agebat, digreſſo, aut etiam ab Apoſtolis euocato & miſſo (Nam in Hiſpaniam conceſſiſſe & ibi Epiſcopatum tenuiſſe in confeſſo eſt) Dionyſium à Paullo eidem eccleſię præfectum eſſe: idque anno circiter à Chriſti ortu quinquageſimo quinto: quo tempore agebat ipſe Dionyſius annum ætatis ferè quadrageſimum ſextum, parque erat tam regendæ eccleſię, quàm quibuſuis laboribus pro ſuſcepti mumeris ratione ſufferendis. Quæ quidem quemadmodum præſtiterit, & quibus in fundando atque ordinando Athenienſi Epiſcopatu virtutibus effloruerit, nunc tempus eſt breuiter exponendi.

S. HIEROTHEVS ALIQVAMDIV REXIT ECCLESIAM ATHENIENSEM.

QVO ANNO DIONYSIVS CREATVS SIT EPISCOPVS ATHENARVM.

CAPVT V.

Dionyſij in fundando & ordinando Epiſcopatu Athenienſi eximia virtus & induſtria.

ERat eccleſia Athenienſis, cùm eam Dionyſius moderãdam ſuſcepit, in ſuis adhuc incũnabulis, puſilla, debilis, infirma, sãcti Hierothei quidem lacte vtcumque nutrita[a] (Nam Paullus obiter tantùm & per tranſennã, quòd aliò feſtinaret, ſemina fidei proiecerat) ſed nondum per ætatem vegetis & fortibus membris. Quippe quorum augmento & vigori, [b] aduerſa quorundã leuiũ & nouam fidem irridentiũ Philoſophorũ aura plurimùm officiebat. Quibus tamen reuincẽdis, vt ſanè quàm laborioſam, ſic perutilẽ hactenus operam idem Hierotheus nauauerat, ſed aliò Dei voluntate traductus præcipuam fundatæ ac firmatæ illius eccleſiæ laudem Dionyſio reliquit. Hic enim annos multos eam tenuit, tantaque ſtatim ab initio diligentia ad illius amplificationem, confirmationem, ordinationem incubuit, vt tãdem nulli eccleſiarum Græciæ, neque numero, neque robore, neque apta ſingulorum inter ſe membrorum conuenientia, vlla ex parte concederet. Nam à Paulli comitatu in eam vrbem reuerſus, illo ſpiritu feruens, quẽ à tali magiſtro acceperat, & quẽ cõmunicare cum ſuis popularibus quàm plurimis æſtuabat, confeſtim præcipuos eccleſiæ, quibus maximè cõfidi poſſe didicerat, adire, benignè affari, participes ſuorũ conſiliorum efficere, de Paullo & eius factis viſa auditaque narrare, viciſſim

PHILOSOPHI MVLTVM FIDEI OFFICIVNT.

ATHENIENSIS ECCLESIÆ LAVS.

item ſciſcitari de numero Chriſtianorum Athenienſium, de feruore, de conſtantia, de aduerſarijs, de eorum conatibus, dolis, impugnationibus, alijſque ad rem prudenter inter hoſtes gerendam cognitu neceſſarijs: denique adhortari eos, vt ſinguli pro viribus, alius cognatos & affines, alius vicinos & amicos, alius hoſpites & aduenas ad notitiam IGNOTI DEI, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti adducerent. Et videre erat vnumquemque ardentibus Paſtoris ſui verbis inflammatum pro ſe omnem operam atque induſtriam ſpondere, & ſpes non vanas authorum aut illorum ad fidem pertrahendorum oſtendere. Ita ignis vbique caritatis cum ingenti omnium gaudio, & incredibili ex mutuo conſpectu animorum exultatione, & ſui pro vnica Dei gloria deuotione promicabat. Dixiſſet aliquis aureum illud primæ eccleſiæ ſęculum, quo Hieroſolymis *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, Athenis Dionyſio auctore atque duce eſſe renouatum. Sic breui bonus acceſſit ad veteranos tironum numerus, partim ſapientiæ & ſpiritui doctiorum, cui reſiſtere non poterant, manus dantes, partim imbecillioris ſexus inuſitata modeſtia, grauitate, caſtimonia in ſtuporem rapti, partim denique ſingulari omnium in dictis & factis prudentia, æquitate, fide, conſtantia, ceteriſque virtutibus ſuauiter ſimul potenterque perducti. Facillimum enim erat vel ipſo aſpectu (ſic in alteris modeſtia pellucebat) Chriſtianos Gentileſque internoſcere. Nihil enim in iſtis leue, nihil fallax, nihil fucatum, nihil arrogans, nihil turbidum, nihil denique non ex optima & ſinceriſſima profectum diſciplina cernebatur. Ita vt vel inimicis ipſis tanta virtutum vi conuictis perquàm ſuaue interdum videretur, per odorem iſtorum vnguentorum ad totam Chriſtianę religionis fragrantiā, cum amoris impetu decurrere. Et quia nihil ferè eſt, quod ita hominum demulcere, deuincireque animos ſoleat, quàm in ſumma dignitate & auctoritate par animi demiſſio, atque humanitas; incredibile dictu eſt, quantum apud ciues ſuos hiſce virtutibus effecerit Dionyſius. nempe qui cùm eſſet (vti prius fuerat Areopagi caput) ſic modò totius Athenienſis eccleſiæ princeps, tamen tantùm infra ſe modeſtia, manſuetudine, affabilitate deſcenderet, nulli vt ſe præferre, cunctos ſibi æquare vellet: adeoque id ageret, vt nullius priuati domus tam vni pateret amiciſſimo, quàm ſuę ædes apertę eſſent omnibus. Ita faciles ad eum aditus omnium erant, non honeſtiorum modò, ſed pauperum quoque & pupillorum & viduarum, immò horum potius; quibus etiam magiſtri ſui Paulli exemplo, non tantùm animæ documenta neceſſaria, ſed corpori quoque ſuſtentando æris collectanei ſtipes opportunas procurabat. His igitur alijſque eius officijs, cùm eccleſiæ corpus ſatis copioſa frequentia coagmentatum, pro faciliori regimine ac profectu exigere videretur, vt gradus officiaque, quemadmodum in bene morata republica ſolet, conſtituerentur; rem hanc Dionyſius, vt quondam Apoſtoli in electione Diaconorum, totius congregationis precibus etiam atque etiam commēdauit: ipſe vero

Act. 4. v. 32.

MODESTIA ET SINCERITAS CHRISTIANORVM NOTA.

HVMILITATIS VIS.

rò

rò præ omnibus ad hoc opus, tam sacrificia & vota, quàm nocturnas diurnasque preces tota mentis contentione adhibuit: donec tandem docente intus Spiritu, quid ex vsu commissi sibi gregis, & ad maiorem Dei gloriam esset, liquidò cognouit, & bono publico foras produxit.

Populi Christiani in certos ordines partitio.

Cùm igitur omnis populus Christianus duas in classes ex antiquo esset diuisus, nempe aliquorum sacris ministerijs addictorum, & aliorum omnis sacri muneris exortium (priores nunc Clerici, posteriores Laici appellantur) primò quidem ad priores aggressus, curauit, vt qui vel in Sacerdotes, vel in Diaconos essent cooptati, quam horum vnusquisque personam gereret, quodcumque sacrum munus obiret, id tanquam Deo præsente & inspectante, immò & cultum, qui sibi exhibeatur, admittente, omni cum diligētia, cura, sollicitudine purum castúmque præstaret. In eos enim totius plebis dirigi oculos, nec ab eorum duntaxat verbis, aut mandatis, sed etiam (ac multo fortasse magis) ab eorum vita & moribus, suæ institutionis condiscere disciplinam. Ac proinde diligenter cauendum, ne quid in credito sibi munere seu grande seu paruum committerent, quod obseruantibus subditis offensioni esse posset.

Laicorum gradus in ecclesia Atheniensi.

Quibus rectè & ordine constitutis, ad alterum ecclesiæ membrum, siue ad Laicos conuersus, bonum factum iudicauit, eos in tres gradus distinguere, quorum postremus sit eorum, qui à sacrorum mysteriorum inspectione & vsurpatione arcentur: medius, eorum qui ad hæc admittuntur, & sanctus populus appellantur: primus autem & præcipuus Monachorum, seu Cultorum.

Monachorum gradus.

Hi enim maiorem quandam & sublimiorem, quàm medius gradus, perfectionem profitentur, propterea que etiam certis ritibus, non quidem ab Episcopis, sed à Sacerdotibus consecrantur. Quod autem ad postremum seu infimum populi Christiani gradum attinet, eum in tres partes vir sanctus dispertijt, nimirum in Catechumenos, in Energumenos, & in Pœnitentes.

Catechumeni.

Catechumeni vocantur ij, qui primis fidei rudimentis imbuuntur, atque ad sanctam per lauacrum salutare regenerationem pręparantur.

Energumeni.

Energumeni autem, qui à malis spiritibus agitantur, vera alioqui per susceptum antea baptismum ecclesię membra.

Poenitentes.

Pœnitentes denique, qui publicis grauibúsque peccatis se indignos sanctissimorum participatione mysteriorum reddiderunt. Hos omnes admittebat quidem magnus Pontifex in sacram ædem, dum fierent conuentus, permittebatque sacrarum litterarum lectioni & expositioni interesse (his enim erudiebantur atque sanabantur) sed cùm illis absolutis ad ipsa sacrosancta venerandę Eucharistiæ mysteria celebranda se accingeret, tum verò ad maiorem tantorum mysteriorum honorem, (quę quantam maximam exigunt assistentium puritatem ac sanctimoniam) iubebat eos, vt minùs mundos minúsue capaces, absistere. Quòd illi quidem nec inuiti (quippe ita edocti erant) nec prorsus illibenter faciebant. DIONYSIVS enim, vti sapiēs & alta quadam mente prędirus erat, in hoc impensè laborauerat, vt magnam inter ordines atque gradus concordiam, animorumque

rumque conſenſionem ſtabiliret. Abſque hac enim nullam rempublicam, nullum conſilium, nullam religionem, nullum conuentum ſtare poſſe: rem Chriſtianam Athenis hactenus concordia cœpiſſe & creuiſſe, eadem concordia deinceps firmam ac ſtabilem fore. Nec verò plus eſſe cauſſæ, quamobrem inferiores in eccleſia gradus altioribus aut inuideant, aut obtrectent, quàm in corpore vel pedes manibus, vel femora humeris, vel artus membraque omnia capiti. Nam hanc vniuerſorum ſalutem eſſe, & optimam compoſitionem, cùm vnumquodque membrum ſua contentum ſorte proprijs inſiſtat officijs, &, ſiqua poſſit, opituletur etiam, nō verò obſtrepat alienis. In corpore humano ſingula ſingulis membris munia ab ipſorum auctore attributa eſſe: mutuamque inter ipſa ex naturę inſtinctu ſemper durare concordiam: in corpore item eccleſiæ ab Epiſcopis quidem, ſed diuinitus directis, ſua vnicuique ordini & gradui officia diſtribui; in quibus ſi volentes libenteſque perſtiterint, non modò nunc ſaluti & proſperitati ipſis fore, ſed etiam poſtea perpetuo honori ac ſempiternę gloriæ. Huiuſcemodi ergo rationibus inducti locum tenebant vnuſquiſque in ſacris conuentibus, quem Pontifex aſſignaſſet. Non erant quidem tum Chriſtianis augusta templa, ſed in ijs tamen quæ erant, ſuum quiſque locum norat. Adyta tenebat & ingrediebatur ſolus Pontifex, eique ſubditus ordo ſacer: proximas penetralibus ſedes Monachi occupabant: non quales nunc ſunt monachi, à populo ſecreti, & Patrem aut Rectorem habentes aliquem ordinis ſui, ſed qui pars populi erant, & patrijs in ædibus habitantes pro ſacrorum magiſtro ac Pręſule ſolum Epiſcopum, vel aliquem conſtitutum ab Epiſcopo Sacerdotem agnoſcebant. Secundùm Monachos, reliquus fidelis populus conſiſtebat, cui ad inſpicienda & fruenda diuiniora myſteria ius erat. Paullo ab his longiùs ſubſidebant, qui immundi cenſebantur, aut qui omnium expertes ſacramentorum erant: primò quidem, qui defectionis à fide, vel alterius grauis delicti culpam lugebant, & pœnitentiam mœrore publico profitebantur: deinde qui à dæmonibus poſſeſſi, aut obſeſſi, aut miſerandum in modum vexati erant: poſtremo autem loco, qui nullo dum ſacramento eſſent initiati. Nam hos, vtpote in Chriſto necdum regenitos, neque ſacris vitę nouæ radijs eatenus colluſtratos, æquum eſt ijs cedere, qui licet tentationibus victi peccato ſuccubuerint, aut locum dæmonis inſultibus dederint, tamen & renati ſunt in Chriſto, & gregi fidelium adſcripti, & eorundem cum illis ſacramentorum participes effecti. Quibus ita conſtitutis ad ſacrorum rituum ac cærimoniarum curam, quibus non paruus ſacramentis honos ac reuerentia conciliatur, mentem adiecit. Hos igitur ritus pietatis atque ſanctitatis plenos cùm induxiſſet, eos cùm ipſe primus obſeruauit exactiſſimè, tum ab alijs ſacrorum miniſtris præcipuâ diligentiâ obſeruari iuſſit. Quare Athenienſis eccleſia tam ſancto regente Pontifice, Chriſtianis quidem mirè ſpecioſa & amabilis apparebat, àc velut altera noui Salomonis aula: hoſtibus verò inſidiantibus munita, & ter-

Ordinvm concordia in Eccleſia.

Locorvm in templis distinctio

Caerimoniarvm in rebvs sacris cvra.

& terribilis vt castrorum acies bene ordinata. Quippe cui nec foris pulchritudo desideraretur cærimoniarum, nec intus fortitudo deesset virtutum. Nam in vtrumque vir longè vigilantissimus & oculatissimus sedulò excubabat, vti & religionis exterior species foris respectantibus pietatem excitaret, & interior deuotæ mentis sanctimonia diuinas è cælo gratias deuocaret. Quis autem vel sermone eloqui, vel etiam concipere animo possit, qualis ipse pontifex Dionysius dum sacris operaretur, quantúsue fuerit? quàm compositus corpore, mente, spiritu? quàm remotis à terra sensibus? quàm cunctis animæ viribus cælo Deoque intentis, & ad capienda diuina vibratis? satis sanè erat incendendis ad deuotionem atque feruorem omnium cordibus vna sui Præsulis Deo immolantis consideratio. Itaque ad sacros cœtus, quoties ij cumque haberentur, magna semper erat concurrentium promptitudo, magna alacritas animorum: quando scilicet eum visuri sacrificantem essent, quando verba de diuinis facientem audituri, eum, inquam, cuius vel solus conspectus, vel cogitata tantùm præsentia non mediocres animis indere virtutis stimulos quibant. Eius porrò verba, cùm ad turbam suam concionaretur, eiusmodi erant, quę non externos sensus dictionis mollicie titillarent, vel aures blanditijs vngerent, sed quæ mentes acriter ad virtutem cierent, at salubri peccatorum confricatione ad pœnitentiam pungerent. Itaque sub eius conciones, plus suspiriorum audiebatur, quàm laudum & acclamationum, plus verarum lachrymarum cernebatur, quàm inanium plausuum. Erant enim eius sermones, non de iucundis, sed de vtilibus, atque vt plurimum de finibus hominis, de morte, de iudicio, de horrendis post hoc fugacis æui supplicijs, déque alijs eiusdemmodi argumentis, vt posset cum Paullo præceptore suo dicere; *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum IESVM Christum.* Quidquid enim fecit Paullus, hoc ferè est imitatus Dionysius. Nec enim illa surdis excepit auribus, quæ identidem suis ingeminabat præceptor: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et illud ad Philippenses: *Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Quis autem magis illam Paulli formam habuit, quàm Dionysius, qui illam non in vita modò, (quod & alij è discipulis fortasse multi) sed etiam simillima in morte præstitit, quod non ita multi. Verùm de his posteriùs. Nam alia illis præuertenda sunt. Et ecce nunc ad sacrum Apostolorum cœtum, qui Hierosolymis habitus est, & cui interesse Dionysij excellens virtus meruit, pręcupida festinat oratio.

DIONYSII INTER SACRIFICANDVM DEVOTIO.

Michaël Syncellus in encomio.

Actorum 20. versu. 18.

1. Cor. 4. versu 16. & cap. 11. v. 1. Philip. 3. v. 17.

CAPVT VI.

Dionysius beatißimæ Virginis conspectu in terris fruitur, & suprema excedentis benedictione in Apostolorum cœtu potitur.

[a] HÆc est Dei opt. max. erga seruos suos præsertim fide sinceros, & caritate feruentes benignitas ac munificentia, vt non modò vita perfunctos omni gaudio in æternis beatorum domicilijs perfundat, sed eorum quoque in terris superstitum susceptos labores, aut aduenientes extrinsecus molestias multa interdum consolatione attemperet. Ita cum multis sanctorum, ita cum Dionysio Areopagita illum fecisse manifestum est. Nam cùm despectis mundi honoribus, & derelicto celeberrimi illius Areopagi fastigio, humilem legis Christianæ modestiam ac submissionem volens lubens amplexus esset, ac modò sub Paulli disciplina (cui totus & anima, & mente, & corde, [b] vt Syncelli vtar verbis, erat agglutinatus) doctrinam, spiritumque Apostolicum combibisset, immò & commissam sibi Atheniensem ecclesiam optimis legibus atque institutis, non sine multis magnisque laboribus, diuinitus ordinasset, hoc ipse præter alia inter medios sudores & ærumnas percepit maximæ ac liquidissimæ voluptatis nobile solatium: quòd plurium simul Apostolorum (qui quidem ea tempestate vitam inter mortales agitabant) per orbem alioqui paullò antè dispersorum gratissimo conspectu atque congressu, sed præcipuè beatissimæ Virginis Deiparæ incomparabili præsentia in hoc mortali corpore dignatus sit. Nempe ad eam breui pòst è vita migraturam tam ipse quàm Hierotheus & Timotheus, [c] multique alij egregia vitæ sanctimonia præstantes, incredibili sacræ illius atque animatæ ARCÆ TESTAMENTI visendæ ac honorandæ studio conuenerunt: immò & Apostoli per diuersa terrarum antehac diuisi, iam tum diuino nutu, siue ab Angelis, vt quondam Habacuc propheta aut Philippus Diaconus, rapti, siue leuibus nebulis, quod quidam arbitrati sunt, per sublime vecti, siue etiam (quod multi factum credunt) de appetente eius excessu aliquanto antè diuinitus præmoniti, (voluntas enim erat supremi Regis honorare matrem, & sepulchrum eius reddere gloriosum) ad illius breui emigraturæ virgineum thalamum, velut condicta die, simul vnanimes cõparuerunt. Erat tum virgo ætate admodum prouecta (annos scilicet circiter septuaginta duos nata) & huius producendæ vitæ, post fidem in filium Iesum Christum longè lateque propagatam, minor ei iam restare ratio videbatur, quàm illius ad cælestem illam perfruendam, & reuisendum filium lubenter cupideque dimittendæ. Igitur ardentes ad cælum preces, quò nunc anima vehementer anhelabat, non semel, sed sæpius sparserat, vt si quidem Deo ita collibitum foret, abire sursum de hac statione ad præparatum sibi domicilium liceret, iámque etiam diuinum responsum, & proficiscendi tempus ex animi senten-

Michaël Syncellus in encomio S. Dionysij sub initium.

Danielis 14. v.35.

Act. Apost. cap.8. v.39.

BEATISSIMÆ VIRGINIS DESIDERIVM EXCESSVS, ET AD CÆLOS ANHELATIO.

tia acceperat: cùm fidissimo suo Ioanni, tanquam vni omnium secretorum participi, & cunctorum, quę ad iusta sibi facienda spectarent, necessario curatori aperuit. Is verò, quemadmodum velle Virginem matrem cognouerat, socijs Apostolis, alijsque Domini discipulis, & ijs quorum vota super hac re Deus exaudierat, aut verbo aut scripto maturè vt significaretur, prouidit. Ita vndecunque, & ab ijs qui procul distabant, Hierosolymam est approperatum, & ab omnibus qui propè aberant, ad montem illum Sion, vbi erat Virgini & Ioāni commune domicilium, ingenti studio concursum est. Deus bone! quæ tum illic amicorū inter sese post longinqua tempora, & quàm suaues ac iucundæ reuisiones, recognitiones, consalutationes! quàm stricti amplexus, & quàm sancta oscula! cùm & discipuli & Apostoli, & vtrorumque auditores & sectatores, & cuncti inuicem mira cū voluptate congrederentur, totosque, & ore, & oculis, & osculis, sancto ipsos conglutinante spiritu, amores effunderent!

Montis Sionis laudes.

Bene profectò hæc in monte Sion, monte sancto, monte amabili; monte, in quo nec ros vnquam mellifluus, nec opportuna aliquando desideretur pluuia; monte, in quo toties sacrosancti Iesu inambularunt pedes, in quo Spiritus sanctus abundātissimas donorum suorum primitias in generosa dilectissimi cœtus corda diffudit: in quo toties & Angeli & Angelorum hominúmque Regina conuersati sunt: in quo nunc quoque præcipua totius sanctitatis columina sanctissimæ parenti suæ quàm religiosissimè parentaturi concurrerunt. Verūenimuerò si de monte Sion talia, quid de ipso Virginis habitaculo & thalamo, hoc est, de præcipua montis illius gloria (nihil enim Mons ille vnquam habuit, neque sanctius, neque augustius, quàm istud ipsum, quod Dei filio, & Dei matri frequentatum, & in habitatum est domicilium) quid de illo, inquam, beatissimo domicilio dici aut cogitari dignum potest? quæ ibi fuerunt religiosissimæ pietatis studia! quæ omnigenarum virtutum à matre sapientiæ sapientissima exercitia! quàm feruidę illic precationes! quàm profundę meditationes! quàm altæ contemplationes! qui raptus animi! qui excessus mentis! Qualia ex illis penetralibus ad Apostolos documenta! qualia ad omnes emanauere consilia, auxilia, solatia, &, vno verbo, omnis generis dona perfecta & data optima! Huc ergo in istam bonorum omniū indeficientem apothecam, vnà cum Apostolis & Apostolorum paribus noster hic ingredi meruit Dionysius: nec hoc tantùm, sed & Reginę ipsius thalamo appropinquare, & ipsam Reginam viuentem & videntē cominus intueri, & in diuino vultu effulgentes cęlestium gratiarū thesauros contēplari, & verba ex ore illo purissimo, melle simul & fauo dulciora, plùs nimio felicibus ac fortunatis auribus excipere, & intimis animi medullis condere. O voluptas! O deliciæ! Quàm citò tibi, ô ter beate Dionysi, quàm citò & quàm properanter in talium haustu deliciarum tot exantlati antehac abs te labores, & tot perpessu graues ærumnæ forti animo toleratæ fumi instar euanuerunt, ac nihil esse

S. Dionysii ad Virginis thalamum exultatio et profectus.

nec

nec fuiſſe conuictæ ſunt! Sic olim Iacobo Patriarchæ ſeptem anni in vita agreſti & paſtoritia durè exacti, cum ſuper pecore vigilans & ęſtu vreretur & gelu, tamen ſpecioſæ Rachelis ſuæ reſpectu, *videbantur* (vt ait Scriptura) *pauci dies præ amoris magnitudine*.

Gen. 29. v. 20

Verùm Dionyſio totidem ferè anni in laborioſiſſimo Epiſcopatus onere tranſacti, conſpecta Virginis matris plena modeſtiæ maieſtate, non modò pauci dies videbantur præ amoris & admirationis magnitudine, ſed nulli. Cùm verò & adhortantem ipſam ad ſuſceptos in filij ſui vinea labores conſtanter in finem perferendos audiuit, & propoſita vincentibus multiformium coronarum præmia ſingulari celeſtis oris gratia præmonſtrantem attendit, tum verò & incredibili amore exarſit, & vix ac ne vix quidem apud ſe fuit. Denique extrema valedicentis & omnibus bene precantis verba, ſubmiſſo quantum potuit & corpore & animo, mixtiſque gaudij & mœroris affectibus excepit, & diu mutus ſtetit. Vt ille, ſic & alij.

DEIPARÆ AD CÆLOS EMIGRATIO

Illa verò in dulciſſimi filij comitatu & in præclara ſubuolantium Angelorum pompa cælos velociſſimè penetrauit, & præcelſa Seraphinorum loca incomparabilis gloriæ plena tranſcendit. Quis autem in illo articulo fuerit ſingulorum ſenſus, quis affectus, quę comploratio, qui gemitus & ſuſpiria, quis dicat? Tacitis proinde, quæ dici non poſſunt, cogitari vix poſſunt, tandem exequiarum cura cùm alios omnes, tum Apoſtolos maximè, & præcipuè Ioannem Domini peræquè & Dominæ dilectum, tanquam huius domeſticum & familiarem, & omnis apparatus è cęlo conſcium inceſſit: & quæ eius prouidiſſima cura fuit, nihil is omnino, quod factum oportuit, infectum prætermiſit. Alia litteris perſequentur, qui ex inſtituto laudandum eius exceſſum vberius ſuſceperunt, ego his ſolum nunc inſiſtam, quæ cum Dionyſij noſtri laude, cuius propriè acta pertractamus, coniuncta ſunt. Itaque ceteris exequiarum iuſtis debitè peractis ad orationes & hymnos funebres ventum eſt. Placuit enim ſacro Apoſtolorum ſenatui, vt in matris Domini ſui laudes, tã ipſi, quàm alij Pontificum, ſi quid in ſe ineſſet facundiæ & pietatis, experirentur.

VIRGINIS CÆLO RECEPTÆ LAUDATIONES.

Hîc verò erat Apoſtolos videre & audire velut ſemideos quoſdam, irruente in eos Spiritu commutatos, iam de filio, iam de matre, prorſus noua, prorſus mira, prorſus diuina, pari & obſecundante ſtilo deprædicantes: iam item alios atque alios, & in his ſanctum Hierotheum Dionyſij præceptorem, tam excellenter, ipſo teſte Dionyſio, eximij laudatoris partes ſuſtinentem, vt omni ex parte, argumenti, dictionis, actionis, affectionis, nomen planè exæquaret ſuum. Quid ipſe autem Dionyſius? Nempe qui alios in cęlum extollit, ipſe de ſe ſilet. Verùm illud ipſum ſilentium, & tanta Hierothei contrà dilaudatio, mihi omni voce expreſſius clamat, illas ipſas virtutes, quas in magiſtro tam diligenter obſeruauit & tantopere commendauit, in ſemet abundanter habuiſſe; & quod eſt in ſe ipſe expertus, hoc de Hierotheo expreſſiſſe. Nam hoc ingenuorum eſt proprium ingeniorum, è ſuo ſpiritu atque feruore de ſimili alterius aut etiam maiori benignam cum animis ſuis facere coniecturam:

cturam. Si enim & alijs in rebus tantus fuit Dionysius quantum scripta ipsa demonstrant: in huius Virginis & matris, (amabilissimæ dicã, an admirabilissimæ?) celebrandis tali in consessu præconijs quantus extitisse credendus est? Certè, (quod ipse de magistro dixit) totus extra se raptus, totus in ea quæ sublimissima sublimissimè attingebat, transformatus. Sed de hocce apud beatissimam Deiparam sacro conuentu, déque profusis in eam honoribus in præsentia satis. Nam ad tempus quo

TEMPVS VIRGINEI OBITVS.

hęc facta sunt quod attinet, (quãuis, vbi de re aliqua constet, peruicaciũ sit ingeniorũ quęrere & altercari de tẽpore) tamen anno Christi circiter quinquagesimo octauo, Neronis autẽ Imp. secundo dicimus accidisse.

Niceph. lib. 15. cap. 14.

Rem verò ipsam beatus Iuuenalis Hierosolymorum (vbi ea trãsacta est) Episcopus, continua traditione ad sua tempora deuolutam, abhinc mille ducentis ferè annis Marcianum docebat Imperatorem. Is enim

PVLCHERIA IMPERATRICIS LAVDES.

Imperator, cum insigni esset pietate, & coniugem eam haberet, à qua sola in pietatis stadio & studio vinceretur, Pulcheriam Augustam scilicet, coram Deo verè pulchram, illà ipsa hortante ad Beatissimę Virginis perquirendas reliquias cogitationes applicuit suas. Itaque ipsum Iuuenalem Patriarcham, & alios Palęstinæ Episcopos qui ad Chalcedonense concilium ea tempestate conuenerant, ad se accitos interrogauit, num sanctissimę Dei genitricis sacrum corpus, eo in tumulo, in quo primitus compositum fuerat, etiamnum reperiretur: habere enim se in animo, ad vnum templorum eidem Virgini dicatorum, (tria siquidem illi Pulcheria Augusta Constantinopoli fabricauerat, eaque pulcherrima & augustissima) illud transferre, futurum vrbis principalis munimentum atque præsidium. Cui respondit Patriarcha, in sacris quidem litteris dę obitu Deiparæ mentionem haberi nullam, antiquissima tamen ac verissima traditione receptum esse, sanctos Apostolos, eius instante obitu Hierosolymam vndique terrarum, ad quas dispersi fuerant, conuolasse, è vita etiam emigranti adfuisse, mortuam cum honore & hymnis tumulasse: quin & ipsum triduum Angelicos concentus eo loci auditos esse. Addebat denique tertio exequiarum die, cùm sancti Thomæ postulatu reclusum fuisset sepulchrum, solas sepulchrales fascias, suo loco perinde quasi paullò antè à corpore desertas, ab ipsis esse inuentas, sed

SANCTISSIMA VIRGINIS DEIPARÆ CORPVS IN CÆLOS TRANSLATVM.

inenarrabili odoris suauissimi fragrantia redolentes: ita censuisse ipsos virgineum corpus à corruptione esse seruatum, atque in cælos translatum: igitur denuo tumulum obsignasse, inibique reliquisse. Et sanè valde congruebat, vt corpus quod nulli subditum peccato fuisset, id neque corruptioni, quæ à peccato exorta est, subderetur. Quod etiam Propheta regius tanto antè interuallo prospiciens, de vtroque tã matris quàm

Psal. 131. v. 8. Glycas parte 3. pag. 325.

filij incorrupto corpore cõcinebat: *SVRGE DOMINE IN REQVIEM TVAM, TV ET ARCA SANCTIFICATIONIS TVÆ*: hoc est, tu Domine, qui es SANCTVS SANCTORVM, nec tu solũ, sed & ARCA SANCTITATIS TVÆ, id est Virgo MARIA mater tua, cuius in vtero tanquã in arca sanctissima, castè & pudicè custoditus es. Sur-

gito

gite ambo absque corruptione ad gloriā incorruptam & requiem imperturbabilem. Decet enim, vti à duobus primæuis corporibus manauit per inobedientiam corruptio: sic à duobus noui ac beatioris sæculi diuinis tabernaculis per vtriusque obedientiam Deo offerantur incorruptionis primitiæ. Ita virgo receptis dimissi corporis exuuijs, prorsus integra & incorrupta ad regalem conscendens thalamum, inanem in terris tumulum dereliquit: quamuis nec omnino inanem: quippe illà sacri depositi aliquantà præsentià sanctitatem indeptus erat non vulgarem. Hunc tumulum pius Imperator, quando aliud haberi non poterat, ad se transmissum in magnificentissimo beatissimæ Virginis templo (Blachernarum appellant) proximè sacram mensam deposuit. Nec verò tacuit idem beatus Iuuenalis eo in cœtu adfuisse vnà cū discipulis & sācto Timotheo atque Hierotheo beatissimum Dionysium. Quiquidem Dionysius, an conspecta tum in persona Virginis quasi plusquam humana maiestate, ea quæ passim feruntur, dixerit, nimirum se pro Deo eam fuisse habiturum, nisi aut fides aut ratio inhibuisset, id, inquam, nec ita certum habeo, vt asserere ausim; nec ita incertum, vt refellere debeam.[h] Vti enim à nouis quidem hominibus, sic à doctis admodū & pijs huiuscemodi opinionis celebrata est auctoritas. Quare hæc alijs relinquentes, Dionysium à Sanctis locis ad sui gregis pascua reuertentem pedetentim prosequemur.

CAPVT VII.

Dionysij ab Hierosolymis reuersi Pontificiæ occupationes & Apostolici discursus.

POsteaquam iustis beatissimæ VIRGINI ex more persolutis, sua vnicuique negocia & sacer instinctus discessum persuaserunt: tum & Dionysius diuinæ consolationis & cælestium opum plenus ad iter se accinxit. Viderat enim præcipuum & vnicum ferè mundi miraculum, quod tam multi videre concupiuerant, tam pauci viderant: nec viderat ipse tantùm, sed etiam ex visu simul & auditu mirabiles quasdā amoris sancti faces, & incensa virtutum eius, vnaque euangelij dissemiriandi studia mente conceperat: cum Apostolis etiam & discipulis Domini de rebus maximis ac diuinissimis familiariter collocutus fuerat, tantosque ex omnibus fecerat profectus, quantos breui sermone complecti difficile est. Quare tanquam nihil aut parum esset, quod hactenus in vinea Domini laborauerat, ad longè maiora vastum illud pectus his inflammatum incendijs pertendebat. Neque illum sinebant ea quæ ab alijs per latum orbem varijs in regionibus facta audiuerat, somnum oculis capere. Ita continenter obuersabantur animo; ita dies noctesque ad paria stimulabant. Quamobrem ita reditum Athenas disposuit, vti & per longa itineris spacia quàm plurimos, quacumque transiret, Christo studeret mortales adiungere, & vnà statueret, postquam ad suos peruenisset, rebus inibi quantà maximà diligentià compositis confirmatisque,

DIONYSII AD LABORES MVLTIPLICANDOS INCITAMENTA.

matiſque, ad incultiora & opis ſuæ indigentiora loca ſe transferre. Igitur ſuis redditus cùm iam non qualis antehac viſus, ſed tanquam Angelus aliquis de cælo lapſus ſuſpiceretur ab omnibus, amaretur ab omnibus, viam ad res quas intendebat feliciter peragendas inuenit expeditiſsimam. Itaque & cœtus habere frequentiores, & ea in illis perdocere, quæ vt ſcitu maximè neceſſaria, ita fructu eſſent vberrima: fidei ſcilicet præceptis mordicus inhærere, & ea frequenti repetere memoria, ac liberis ſuis domeſticiſque tradere: fidem verò, quæ alioqui inanis ſit & infructuoſa, probis moribus & honeſtis actibus corroborare, & cohoneſtare. Quam in rem haud rarò ſingula ſingulorum tam in ſe quàm erga alios officia exponebat, quid parentes filijs; quid filij parentibus; quid domini ſeruis; quid ſerui dominis; quid coniuges alter alteri, & omnes inter ſeſe deberent. Denique quid viduis, quid virginibus, quid cęlibem vitam ſequentibus præcipuè cordi eſſe oporteret. Nam & in his omnibus inculcandis præcipuos inſtitiſſe Apoſtolos non ſolùm in libris legerat, ſed etiam oculis auribuſque acceperat. Quia verò longè maximũ momentum ad eccleſiam in ſuo flore ac vigore ſuſtentandam, immo & ad amplificandam quoque, & aduerſus omnes hoſtium inſultus protegendam, in accurata ſacrorum miniſtrorum diſciplina poſitum eſſe intelligebat, propterea & totius doctrinæ formam ipſis præſcripſit, & ſe ipſum (quod Paullus à Tito exigebat, & in illo à cunctis Epiſcopis) *exemplum præbuit bonorum operum*, hócque omnibus modis ſategit, vt qualis eſſet ipſe, aut eſſe vellet, tales poſt ſe in eccleſia ſua relinqueret ſucceſſores. Quod profectò qui pro dignitate præſtat, haud minus eccleſiæ importat emolumenti, quàm ſi integram aliquam ad Chriſti fidem adduceret prouinciam. Quin verò etiam multò magis. Nam vel vnicus talis Antiſtes, non vnius duntaxat, ſed plurium inſtar eſt prouinciarum. Nec dubitem affirmare (vt ne longè hinc abeam) ſanctum Paullum in vnius Dionyſij perfecta informatione non minùs feciſſe cõmodi, quàm ſi multas Chriſtianæ religioni regiones adiunxiſſet? Is enim Dionyſius totam Atticam, vt amplius opera Paulli opus nõ eſſet, Chriſto acquiſiuit: is multas alias prouincias curſim à Paullo adumbratas, & primis duntaxat coloribus tinctas, magiſtri relegens veſtigia omnibus perfectæ doctrinæ numeris abſoluit: is bonam Galliarum partem, is non minimam Hiſpaniarum ditionem tam per ſe quàm per ſuos Chriſtianæ legi ſubiecit. Sapientiſſimè igitur, quod dicere inſtitueram, in princeps eccleſiæ membrum, ſiue in ordinis ſacri bonam ac perfectam conſtitutionem atque diſciplinam cura peculiari incubuit. Atque illud in primis & ſingulariter commendauit, vt ordo quiſque inferior ſuperiori, hic autem ſupremo (vt lex eſt Dei & naturæ) ſubiectus eſſet: neu quiſquam aduerſus ſuperiores, quos Dei loco habere & reuereri & audire debeat, ſibi quicquam temeraria audacia arrogaret. Cõtra quod eius mandatum ſi quis interdum ſui obliuioſus veniret, mirè angebatur animi; & culpæ reum, licet aliàs mitiſſimus, haud ſine iuſta verbo-

Docvmenta plebi Christianæ vtilissima.

Ad Titum 2.

Ecclesiasticorvm disciplina maximi momenti res.

Ordinvm inferiorvm adversvs superiores arrogantia, qvam grave flagitivm.

rum acrimonia seueriùs emendabat. Eiusce experimenti testimonium [b] Demophilus ille CVLTOR siue MONACHVS præstare potest. Erat enim ex eo Laicorum ordine, qui ob maiorem pietatis cultum CVLTORES, & ob vnius Dei, reiectis omnibus mundi & rerum terrenarum curis, peculiare seruitium, MONACHI nuncupabantur: sed cùm inferiorem se non Presbyteris modò, sed etiam Diaconis deberet meminisse, nescio qua imprudentis zeli imagine ab inspiciendo vero atque iusto abstractus, contra Sacerdotem quempiam audaciùs insurgere, & nimiam eius in improbos, vt sibi persuadebat, indulgentiam vehementiùs incusare cœpit: quin etiam pœnitentem quendam criminum suorum medelam ab eodem Sacerdote exposcentem acerbius repellere, & in adyta contra fas ingressus, eum cui ea ingrediendi ius esset, cum acerbis dictis aditu prohibere non reformidauit. Quod factum postquam Dionysius ex amborum tam Presbyteri, quàm ipsius Demophili litteris accepisset, non mediocriter sanè (quemadmodum rei grauitas exigebat) commotus animo, siue ob violatum in ecclesię membris debitum ordinem, siue ob monachi à maligno spiritu illusi acerbam arrogantiam tantâ cũ animi cæcitate coniunctam meritò excanduit. Quippe in eum qui irrogatam Sacerdoti iniuriam zelum putaret, & qui perturbatum ab se ecclesiasticæ dispositionis ordinem, officium ac pietatem nominaret. Adeò insinuata bonis mentibus superbia sensim omnem extundit veræ sapientiæ virtutisque sensum. Quid autem vir sanctus tali in re ac tempore? Aberat tum Athenis ad alia pro religionis necessitate & incremento profectus, nec tam commodè poterat adeò enormiter prolapsum absens releuare, quàm animus erat, aut res postulabat: memor tamen illius boni pastoris, qui oue vna perdita *dimittit nonaginta nouem in deserto*, vt requirat centesimam, alias ipse omnes curas & negocia, vt huic vni intenderet, atque à recta rationis orbita decrrãtem vnam ouiculam reduceret, tantisper seposuit. Epistolam igitur ad eundem Demophilum conscripsit, & ex abundantia quidem caritatis bene longã, sed non longiorem tamen quàm doctiorem & vtraque persona digniorem. Cuius cùm exemplum in promptu habeam, sitque ea longè pulcherrima & adæquè saluberrima, nihil cũctabor eam ponere in medio. Nam præter ipsius Doctoris nostri excellens ingenium, doctrinámque sacrarum litterarum longè vberrimam, tria præterea exhibebit suis egregiè depicta coloribus non minimi precij documenta, quæ in ipso fonte iuuabit recognoscere: nempe quanta sit MANSVETVDINIS apud Deum pulchritudo & æstimatio: quantum hominis arrogantis & in aliena officia se immittentis peccatum & supplicium: ac postremò quãta existat diuinæ benignitatis erga peccatores patientia, longanimitas, commiseratio. Cuius quidem virtutis etiam exemplum ibidem profertur, quo nullum vsquã alibi post Euangeliũ & Acta Apostolorũ, (nisi me prorsus fugit ratio) nec antiquius reperias, nec efficacius. Epistolã igitur talia & tam salubria continentem medicamina nũc expromam.

CVLTORES ET MONACHI QVALES ET VNDE DICTI.

ZELI INCONSIDERATI EXEMPLVM.

SVPERBIA VT PIAS ALIOQVI MENTES EXCÆCET.

Matthei 18. v. 11. Lucæ 15. v. 4.

EPISTOLA DIONYSII AD DEMOPHILVM VTILITATES.

CA-

CAPVT VIII.

Dionysij ad Demophilum Cultorem siue Monachum, officij & humanitatis limites transgressum, vindex epistola.

DEMOPHILO CVLTORI DIONYSIVS SALVTEM.

Numer. 12. versu 3. & 8.

MANSVETVDINIS VBERRIMA COMMENDATIO.

TRadunt[a] Hebræorum historiæ, ô generose Demophile, sanctum illum Moysen, ob insignem animi mansuetudinem, ipsius Dei conspectu dignatum esse; ac si quando illum eâ orbatum gratiâ scribant, non id prius fuisse factum dicunt, quàm idem ab ingenita sibi mansuetudine desciuisset: nam tum demum ei grauiter Dominum succensuisse, cùm nimio plus sibi arrogaret, diuinisque consilijs obsisteret. At verò cùm eundem decretis à Deo honoribus illustrem prædicant, id non aliam ob rem, quàm propter eximiam diuinæ bonitatis imitationem ei attribuunt. Erat enim admodum mansuetus: eaque de caussa SERVVS DEI dicitur, & quàm omnes alij Prophetæ, Dei aspectu dignior. Quin etiam cùm aduersus ipsum & Aaronem temerarij quidam de sacerdotij gentisque principatu contenderent, se omni honoris ac dominationis ambitione superiorem præstitit, populique præfecturam Dei ipsius commisit iudicio. Postquam verò & in ipsum insurrexerunt, & præterita exprobrando grauiùs interminati sunt, nihilque propius fuit, quàm vt impetum in eum facerent, tum denique Deum in salutem inclamauit. Eo autem agebat rem suam confidentiùs, quòd malorum omnium subditis ingruentium nulla in se culpa resideret.

Ibidem versu 7. & 8.

QVALIS ESSE DEBEAT CVM DEO VERSATVRVS

Prudenter enim intelligebat eum, qui cum bono Deo versetur, illi, quoad facultas ferat, quàm simillimum effici oportere, nec vllius nisi honesti ac liberalis facti esse conscium. Nam quid *Dauidem Dei patrem* Deo conciliauit, carumque reddidit? Nonne benignitas & aduersus inimicos ipsos caritas? INVENI, (inquit ille summè bonus & bonorum amans) INVENI VIRVM SECVNDVM COR MEVM. Et verò lex quoque bona data est, vt iumentorum inimici cura habeatur. Et IACOB, vt innocentiæ tenax, iustificatus est. Et IOSEPH fratres insidiatores minimè puniuit. Et ABEL simpliciter & minimè suspiciosè cum fratricida ambulauit. Denique sacræ litteræ bonos appellant eos, qui nec mala meditantur animo, nec opere exequuntur, nec aliorum item malitia de bono deturbantur, sed qui è contrario eos, qui mali sunt, bonos reddunt, & totum bonitatis suæ sinum in eos explicant, suaque humanitate ad similia prouocant. Enimuerò ad altiora mentem surrigamus, non iam sanctorum virorum mansuetudinem, non bonorum Angelorum bonitatem deprædicantes, qui Gentium miserentur, qui illis bona postulant, qui homines perniciosos ac maleficos arguunt, qui tam horum grauati malis indolent, quàm aliorum, qui ad bona traducuntur, salute congaudent: neque item alia, quæcumque de beneficis Angelis Theologia tradit, memorantes: sed ipsius Christi, qui verè bonus & longè opti-

Actor. 13. versu 22. Exod 23 v. 4. Genes. 25. v. 29. Genes. 45. v. 4 Genes. 4. v. 8.

BONI QVI DICANTVR IN SCRIPTVRAS

optimus eſt,ſalutares radios in mentis tranquillitate ſuſcipientes,ab his ad diuina eius benefacta colluſtrati aſcendamus. An non eius eſt ineffabilis atque incogitabilis bonitatis,quod ea quæ non ſunt facit vt ſint, & ea quæ ſunt conſeruat,vt conſtanter ſint,& cuncta vult ſibi eſſe conſimilia,atque in ſuorum bonorum,pro cuiuſque modo,partem venire? Quid quòd ab ipſo etiam recedentibus amabiliter inhæret, & conatur euincere reluctantes, & vt ne indignus eorum numero cenſeatur, quæ ipſis in amore & delicijs ſunt,rogat:immo & ipſum temerè incuſantes ſuſtinet,& defenſoris partes ſuſcipit, & ſe magis eorum amicitiam culturum ſpondet:adeóque,cùm adhuc longè ſint, accedentibus occurrit,& obuiam procedit, & totus totos amplexans oſculatur, neque priora exprobrat, ſed amat præſentia,& feſtum diem agit, & conuocat amicos, bonos ſcilicet,vt ſit LÆTANTIVM OMNIVM HABITATIO. Demophilus autem,& ſiquis alius bonis infenſus eſt, valde iuſtè increpatur,& bona diſcit,& bonus fit. Quomodo enim,inquit, non oportebat bonum lætari de eorum ſalute,qui perierant, & de vita eorum, qui mortui erant? Certè & in humeros tollit ouem ab errore vixdum reuerſam,& bonos Angelos ad gaudium inuitat:ſed & benignus eſt in ingratos, & *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*: & ſuam ipſius vitam pro transfugis profundit. Tu verò, quemadmodum litteræ tuæ indicant, etiam Sacerdotis genibus accidentem impium quidem,vt ais,& peccatorē,neſcio quomodo calcibus ab eo propulſaſti. Deinde ille quidem rogabat, & fatebatur ſe ad malorum medicinam acceſſiſſe: tu autem non modò non exhorruiſti, ſed etiam bonum Sacerdotem audacter contumelia affeciſti, eum ſcilicet, qui pœnitentem miſericordia dignum iudicabat, & impium Deo reconciliabat:tandemque Sacerdoti dixiſti: *Exi cum tui ſimilibus*,& ſimul(quod nefas eſt)in adyta proſiluiſti, & ſancta ſanctorum vilia reddidiſti. Et nobis interim ſcribis: *Sacra, quæ violatum ibantur, prouidè conſeruaui, & adhuc inuiolata conſeruo.* Audi ergo iam, quid ego dicam. Nefas eſt Sacerdotem etiam ab iis,qui ſuperiores te ſunt, Miniſtris,aut à tui ordinis MONACHIS corrigi: quamuis etiā impiè ſe habere in rebus diuinis videatur,aut aliquid eorum, quæ prohibita ſunt,agere. Si enim indecenter quippiam & inordinatè in rebus diuiniſſimis admittere,eſt inſtituta & leges violare,quid rationis habere poteſt traditum à Deo ordinem Dei cauſſa peruertere? Neque enim DEVS in ſe diuiſus eſt. Quomodo enim alioqui *ſtabit regnum eius*? Et ſi Dei eſt,vt ſcripturæ loquuntur,iudicium:Sacerdotes autem, ſecundum Epiſcopos,diuinorum iudiciorum nuncij ſunt atque interpretes, tu ab illis(à quibus etiam CVLTOR factus es)per medios Miniſtros diuina cōgruenter ſtatui tuo,cùm tempus fuerit,condiſcito. An non & ſacra myſteria hoc clamant? Nec enim ſine ratione *ſancta ſanctorum* ab omnibus exempta ſunt: quibus Pontificum ordo præ ceteris magis appropinquat:deinde Sacerdotum, & poſt hos conſequenter Miniſtrorum: eos autem qui CVLTORES ordinati ſunt,adytorum valuæ diſterminant, ſepa-

Amor Christi in homines immensus ex quo ostenditur.

Luce 15. v. 20.

Psal. 86. v. 7.

Luce 15. v. 32.

Matt. 5. v. 45

Demophili littera arrogantiæ et malæ gloriationis plenæ.

Sacerdotum peccata minime ab inferioribus corrigenda.

Mat. 12 v 25.
Isa. 30. v. 18.

Malac. 2. v. 7.

Locorum in templis distributio.

Cultorum locus et munus.

ſeparántque: ad quas etiam valuas initiantur & aſſiſtunt, nō ad illarum cuſtodiam, ſed propter ordinem & ſui ipſorum cognitionem, tāquam populo præ ſacris ordinibus magis appropinquantes. Vnde & ſancta ſacrorum ordinatio ſanxit eos diuinorum quidem eſſe participes, ſed alijs, qui interiores ſunt, ea tradendi conceſſit poteſtatem. Nam ij qui myſticè circa diuinum ſemper verſantur altare, cernunt audiúntque diuina clarè ſibi reuelata, & benignè ad ea quæ extra diuina vela ſunt prodeuntes, obedientibus CVLTORIBVS, & ſancto populo, & ordinibus qui expiantur, pro dignitate ſacra annunciant: quæ ſarta tecta hactenus rite conſeruata ſunt: donec in ea violentè inſiliens, *ſancta ſanctorum* cum pompa ad te efferri nec volentia coēgiſti. Ac te interim ſacra habere ais, & conſeruare: cùm nihil eorum quæ ad Sacerdotes pertinent nec videris, nec audieris, nec habeas: quemadmodum neque Scripturarum veritatem cognouiſti, licet de ijs quotidie *verbis contendas ad ſubuerſionem audientium.* Et quidem, ſi Præfectus aliquis prouinciæ quidquam attentaret, quod ſibi mandatum ab Imperatore non eſſet, iure plecteretur: nec minus ſi Imperatore quoſpiam vel abſoluente vel condemnante, vnus aliquis ſubditorum, eius retractare iudicium auſus eſſet (nō enim dicam contumelia afficere) is profectò deturbare eum imperio videretur. Tu autem, ô homo, itáne aduerſus Dominum manſuetum & bonum, & contra eius Pontificiam legiſlationem audax es? Atque hęc quidem dici queant, quandocumque quiſpiam ſupra dignitatem ſuam aliqua aggrediatur, etiam ſi æqua eſſe videantur, quæ faciat: quandoquidem hæc facere liceat nemini. Quid enim Ozias abſurdum faciebat, cùm Deo incenſum adoleret? Quid Saul, cùm eidem ſacrificium offerret? Quid tyranni dæmones, cùm Ieſum verè Deum prædicarent? Verùm Theologia abdicat omnēm qui alieno ſe immiſcet officio: Et vnuſquiſque, ait, in ordine ſui miniſterij erit. Ac ſolus Pontifex in SANCTA SANCTORVM ingredietur, & ſemel in anno: atque hoc in omni iuxta legem Pontificia puritate. Sacerdotes autem portant Sancta: & Leuitæ *non tangent vaſa ſanctuarij, ne moriantur. Iratuſq́; eſt indignatione Dominus contra Oziam.* Et *MARIA percuſſa eſt leprâ,* legem legiſlatori ferre aggreſſa. *Et in filios Sceua inſilierunt dæmonia.* Et *NON mittebam eos, & ipſi currebant: & nō loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Et impius *qui immolat mihi vitulum, quaſi qui occidit canem.* Atque, vt vno verbo dicam, non ſuſtinet legis tranſgreſſores perfecta Dei iuſtitia. Dicentibus autem illis: *In nomine tuo virtutes multas fecimus,* reſpondet: *Non noui vos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Quocirca nefas eſt, vt ſacræ loquuntur litterę, ea quę bona ſunt non iuxta dignitatem exequi: ſed vnumquemque ſibi attendere oportet, nec altiora profundioráue mente proſequi, ſed ea ſola quæ ſibi iuxta ſtatum atque captum mandata ſunt, cogitare. Quid igitur? inquis, non oportet ſacerdotes impiè agentes, aut alicuius alterius abſurdè commiſſi conuictos reprehendi & corrigi? ſed ijs ſolis licebit, *qui in lege gloriantur, per præuaricationem legis Deum inhonorare?*

2. ad Timotheum 2.

ACRIS IN MONACHVM ALTIORA SE AVDENTEM EX COMPARATIONE INCREPATIO.

2. Paralipomenon 26. v. 16. *1. Reg. 13* *Marci 1. v. 24.*

Numer. 4. v. 15. *2. Reg. 6. v. 7.* *Numer. 12. v. 10.* *Act. 19. v. 16.* *Ieremiæ 23. v. 21.* *Iſaiæ 66. v. 3* *Matthæi 7. v. 22.*

CONTEMPTORVM DIGNITATIS SACERDOTALIS VERBA

Ecquomodo autem Sacerdotes ſunt Dei interpretes? quomodo enim populo diuinas virtutes annũciabunt, qui earum vim & efficaciā ignorant? quomodo illuminabunt qui ipſi in tenebris ſunt? quomodo Spiritum ſanctum impertient, qui ſitne Spiritus ſanctus, neque habitu, neque re ipſa & veritate crediderunt? Ad hæc ego tibi reſpondebo. Neque enim inimicus eſt Demophilus. Neque patiar te *circumueniri à Satana*. Etenim vnuſquiſque ordo circa Deum verſans diuinior eſt eo, qui ab illo magis diſtat: & ea quæ veræ luci propinquiora ſunt, ſimul & lucidiora ipſa ſunt, & ad lucem cum alijs communicandam aptiora. Nolim autem mihi propinquitatem ex loco accipias, ſed ex rerum diuinarum captu. Quòd ſi Sacerdotum ordo illuminandi ſortitus eſt facultatem, certè qui eâ non eſt prędítus, à ſacerdotali ordine & virtute prorſus excidit. Et quidem is luce magis orbatus & temerarius mihi videtur, qui talis cùm ſit, ea ſibi ſumit quæ Sacerdotum ſunt propria, neque timet, neque reueretur res diuinas præter dignitatem proſequi: qui ea ipſa Deum latere putat, quorum ipſe ſit conſcius: qui verba ſe daturum arbitratur ei, quem falsò appellat patrem: qui audet nefarias voces ſuas (non enim precationes dixerim) ad diuina myſteria velut Chriſti imitatione depromere. Non eſt hic Sacerdos, non eſt; ſed inimicus, ſed doloſus, ſed ſeipſum fallens, ſed lupus pelle ouina aduerſus ſanctum populum obtectus. Verumtamen neque fas eſt Demophilo iſta corrigere. Si enim Theologia iuſtè iuſta tractari iubet: & hoc eſt iuſtè iuſta tractari, ea nimirum vnicuique, quæ ſecundum eius ſunt dignitatem, iuſtè diſtribui: id ſanè ipſum omnibus agendum eſt, non verò præter ſuam cuiuſque dignitatem aut ordinem. Nam & Angelis æquum eſt ea tribui, quæ ipſorum congruunt dignitati, ſed minimè à nobis, ô Demophile, cùm noſtra nobis potiùs per illos à Deo conferenda ſint: ſicuti etiam ipſis Angelis per alios præcellentiores Angelos, atque, vt ſummatim dicam, in omnibus rebus per primas diſtribuuntur ſecundis quæ ipſarum ſtatui congruunt, ab ordinata & æquiſſima vniuerſorum prouidentia. Igitur qui, vt alijs præſint, à Deo conſtituti ſunt, ij poſterioribus, quæ ipſis ſunt conſentanea, diſtribuant: Demophilus autem & RATIONI & IRÆ & CVPIDITATI ſua ſingulis conuenientia definiat, neque ipſorum violet ordinem, ſed ſuperior ratio inferioribus partibus imperet. Nam ſi, cùm in foro viderimus vel famulum domino, vel iuniorem ſeniori, vel filium patri conuiciantem ſimul & irruentem & plagas inferentem, impiè videamur agere, niſi occurrentes opem ijs, qui digniores ſunt, afferamus, (quamuis hi etiam fortaſſe illos priùs iniuria affecerint) qui fieri poteſt, vt non erubeſcamus videntes RATIONEM ab IRA & CVPIDITATE ſuppeditari, imperioque quod illi Deus contulit exſpoliari, & in nobis ipſis impiam & iniuſtam ordinis perturbationem & ſeditionem & confuſionem excitari? Meritò proinde beatus ille noſter à Deo legiſlator non permittit eccleſiæ Dei præeſſe, qui non priùs domui ſuæ bene præfuerit. Nam

DIONYSII AD EA RESPONSIO.

2. Cor. 2.

INDIGNVS EST NOMINE SACERDOTIS QVI DOTIBVS CARET SACERDOTALIBVS.

SCRIPTVRA SACRA IVBET IVSTA IVSTE TRACTARI.

RERVM ORDO IN CVNCTIS SERVANDVS.

COMPARATIO ELEGANS AD REVERENTIAM IN MAIORES NATV AVT DIGNIORES COMMENDANDAM.

Paullus 1. ad Timotheum 3

QVIS APTVS REGIMINI ECCLESIÆ.

Lucæ 16.v. 10.

qui seipsum bene rexerit, & alium reget: & qui alium, etiam domum: & qui domum, etiam vrbem: & qui vrbem, etiam gentem: atque, vt vno verbo dicam, quemadmodum sacra ait scriptura, *qui fidelis est in modico, & in magno fidelis est: & qui in modico infidelis est, & in magno infidelis est*. Ipse igitur CVPIDITATI & IRÆ & RATIONI iuxta cuiusque gradum sua præscribas: Tibi autem Dei MINISTRI, MINISTRIS verò Dei SACERDOTES, SACERDOTIBVS PONTIFICES, PONTIFICIBVS APOSTOLI & APOSTOLORVM SVCCESSORES. Ac si quis fortè inter illos ab officio deerrauerit, à sanctis eiusdem gradus atque ordinis corrigetur: nec ordo in ordinem peruertetur: sed vnusquisque in suo ordine, & in suo hærebit ministerio. Atque ista hactenus à nobis dicta sint, vt scias & geras quæ tui sunt muneris. Ad tuam verò aduersus hominem, vt ais, impium & peccatorem animi inhumanitatem quod attinet, [g] nescio quo pacto tantam carissimi mei contritionem defleam. Cuius enim, putas, CVLTOR à nobis constitutus es? nisi enim illius BONI, certè prorsus & ab illo & à nobis & à toto CVLTV nostro alienum te fateare necesse est. Et iam oportet vt alium quæras DEVM & SACERDOTES alios: apud quos efferatus magis reddare, quàm perfectus; & caræ tibi inhumanitatis minister euadas implacabilis. An enim vel nos ipsi ad plenam sanctimoniam perfecti sumus? An diuinę erga nos clementiæ non egemus? An potiùs duplicia peccata, vt scriptura loquitur, more impiorum peccauimus, non videntes in quo offendamus, atque insuper nos iustificantes: & putantes nos videre, re autem verà non videntes? *Obstupuit quidem cælum super hoc*, & ego inhorrui, & mihi ipse vix credo, ac nisi litteras tuas legissem (quas vtinam non legissem!) scias velim mihi non persuasuros fuisse, si qui fortassis persuadere voluissent Demophilum in ea esse sententia, vt existimet Deum, qui in omnia bonus est, non etiam esse humanum, & se eius miserentis atque saluantis non indigere: immo etiam exauctorare Sacerdotes eos audeat, qui dignati sint, ex sua bonitate, populi ferre ignorantias, vt qui probè scirent se etiam ipsos *esse circundatos infirmitate*. At verò diuinus ille & principalis Pontifex aliam inijt viam, & quidem cùm esset ipse, vt sacra tradunt eloquia, *SEGREGATVS A PECCATORIBVS*; qui & nostræ in ipsum caritatis demonstrationem esse voluit, ouium suarum regimen quàm mansuetissimum. Et quidē *seruum nequam* appellat eum, qui conseruo suo debitū non dimisit, neque plurimę erga se benignitatis partem aliquā cum eo communicauit. Itaque eum suæ fruitioni inhumanitatis adiudicat. Quod necessariò & mihi & Demophilo reformidandum est. Nam & Dominus impiè ipsum persequentibus in ipso PASSIONIS articulo remissionem à PATRE impetrauit; discipulos quoque increpauit, quòd à se immisericorditer postulassent, vt Samaritanos, qui ipsum ab vrbe sua repulerant, impietatis condemnaret. Hoc porrò millies

SVPERIORES ORDINES MINIME AB INFERIORIBVS CORRIGENDI.

DIONYSIVS GRAVITER DEFLAT PECCATVM DEMOPHILI.

Ecclesiastici 7.v.8.

Ierem.2.v.12

Ad Hebræos 5.v.2.

Hebr.7.v. 26.

Ioannis 21. versu.15.

Matthæi 18. ver.32.

Lucæ 23.v. 34.

Lucæ 9.v. 55.

in audaci epistola tua (nam id sursum deorsumque iactas) dictum est, non te ipsum esse vltum, sed Deum. Dic verò sodes, BONVMNE per malitiam? Apage autem. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Ad Hebræos 4. v. 14.

Sed & innocens est & misericors. *Non contendet, neque clamabit.*

Isaiæ 42. versu 2.

Et ipse est mansuetus. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

1. Ioannis 2.

Quare impetus tuos nemini æmulandos haudquaquam suscipimus: [h] neque, si millies nobis Phinees & Heliam repetas. Iesu enim hæc audienti non placuerunt DISCIPVLI, mitis ac benigni Spiritus tum expertes. Nam & diuinissimus Præceptor noster *cum modestia corripit eos, qui resistunt.*

PAVLVS DIONYSII PRÆCEPTOR

2. ad Timotheum 25.

Docendi enim sunt ignorantes, non puniendi: quemadmodum nec cæcos punimus, sed manu ducimus. Tu autem virum oculos ad lucem attollere incipientem infracto in faciem colapho repulisti, & magno cum pudore accedentem audacter calce impetisti (dignum hoc sanè ingenti horrore) eum scilicet, quem Christus, vt verè bonus, per montes errabundum requirit, & fugientem aduocat, & vix inuentum in humeros tollit. Ne quæso, ne tam malè de nobis consulamus, neque aduersus nosmetipsos gladium conuertamus. Nam illi quidem qui aliquos vel iniuria vel beneficio afficere conati sunt, non semper effecerunt quæ voluerunt, sed in se ipsos attracta vel malitia vel bonitate, aut diuinis se virtutibus cumularunt, aut immanibus doloribus immerserunt.

HOMINVM INIVRIOSORVM ET BENEFICORVM TAM NVNC QVAM IN POSTERVM DISCRIMEN.

Atque illi quidem bonorum Angelorum comites & asseclæ, tam hic, quàm illic cum omni pace & malorum omnium immunitate in perpetuum beatissimo fine perfruentur, & quod omnium bonorum est supremum, semper cum Deo erunt. Hi autem & pace sua simul & diuina excident, tamque in hac vita quàm post mortem cum importunis dæmonibus versabuntur. Quocirca magno nobis studio elaborandum est, vt cum bono Deo simus, & cum Domino semper æuum exigamus, neu cum malis à iustissimo iudice secernamur, digna meritis ex culpa nostra sustinentes. Quod ego quidem sanè omnium maximè pertimesco, & cunctorum expers malorum inueniri exopto.

HVMILITAS S. DIONYSII ET SANCTVS TIMOR.

Huc vsque S. Dionysij verba eò tetenderunt, vt tam sacrarum auctoritate Scripturarum, quàm solidis rationum momentis (quæ duo præcipua sunt aduersus quamlibet errorum vitiorúmue pertinaciam armamenta) hominis cæci arrogantiam debellaret: sequentia verò ad ipsius peccati grauitatem propiùs in oculis defigendam, atque ad expromendos è deuicto animo veri ac sinceri doloris gemitus spectant. Quippe exemplo longè efficacissimo (quod bonis quoque oratoribus in more positum est) omnem commonitionem ita concludit:

Ac si tu velis, *inquit*, diuinum viri cuiusdam sancti visum tibi commemorabo. Neque rideas. Vera enim dicam. Quum in Cretam aliquando appulissem, hospitio sanctus Carpus me excepit, vir, si quisquam alius, ob singularem mentis puritatem ad diuina visa multo aptissimus. Quippe qui sacris operari mysterijs haud priùs aggrederetur, quàm sancta quapiam ac propitia visione à Deo donatus esset. Hunc igitur ali-

EXEMPLVM MISERICORDIÆ DEI RARISSIMVM.

Hilaria, festa matris deum.

Visio admirabilis.

Angelorum in salute hominum officium.

quando, vt de se ipse memorabat, infidelium non nemo mœrore affecerat; nec alia de caussa quàm quòd idem infidelis certum hominem ab ecclesiæ gremio ad impietatem abduxerat. Cùm ergo ij dies, quos HILARIA vocant, agerentur, hic CARPVS, quem oportuerat pro vtroque Deum benignè deprecari, & cum eius auxilio alterum ab errore reducere, alterum bonitate superare, immò ab ijs per omnem vitam commonefaciendis, quamdiu quidem pœnitentię tempus superesset, nunquam desistere: tunc tamen, quod aliàs nunquam, vehementi admodum indignatione, animique amaritie percitus quieti se dedit, ac obdormiuit quidem ita malè affectus (erat enim vespera) verùm sub mediam noctem (quo tempore solitus erat ad diuinos hymnos sponte sua expergisci) surrexit quidem cùm somnos cepisset parum quietos atque identidem interruptos & perturbatos, sed ad suam cum Deo collocutionem oppidò irreligiosè accessit. Nam mœrebat atque indignabatur, & periniquum esse mussitabat, homines impios, & qui vias domini rectas peruerterent, super terra viuere: Deumque interim rogitabat, vt igneo aliquo turbine vitam absque miseratione ambobus abrumperet. Post quæ verba aiebat sibi videre visum, derepente eam domum vbi erat, agitari primùm, deinde à summo fastigio per medium diuidi: tum ante se pyram prælucidam (sub dio enim is locus esse videbatur) è cælesti regione ad se vsque deferri, ac cælum ipsum discedere & aperiri, atque in cæli dorso IESVM innumeris humana specie adstantibus Angelis consistere: Atque hæc quidem supernè: infernè verò cùm despexisset, ibi terram ipsam vasti ac tenebrosi hiatus instar disruptam paruisse: & homines quidem illos, quibus malè imprecatus fuerat, coram se ad illius os hiatus stare visos tremebundos ac miserabiles, & præ plantarum instabilitate tantùm non præcipites, cùm interea ex eodem hiatu serpentes obreperent, & circa nutantes istorum pedes gyros agerent, nunc implicando & degrauando & elabi connitentes retrahendo, nunc dentibus caudisque partim infestando, partim titillando, ac modis omnibus in voraginem propellendo. Aiebat insuper viros quosdam in medio conspectos, qui in miseros illos vnà cum serpentibus impetum facerent, exagitarent, propellerent, percuterent: vt propiùs abesset nihil, quàm vt sic vexati in imum proruerent, partim quidem inuiti, partim etiam voluntarij, tantis scilicet malis paullatim eò adigentibus. Narrabat præterea deorsum se respectantem eo fuisse spectaculo delectatum, superiora verò contempsisse, immò satis indignatum, quod necdum proruissent: se enim in hoc sæpius incubuisse, sed nihil profecisse: atque id ipsum indignationis atque imprecationis sibi caussam extitisse. Tum verò tandem sublatis sursum oculis, & ægrè quidem, rursus cælum, vt priùs, paruisse, ac IESVM quidem eius quod gerebatur miseratione tactum de cælesti solio exsurgere visum, atque ad illos descendere, ac benignam manũ porrigere, & vnà cum illo Angelos opem afferentes aliunde aliũ

præsto

præsto illis adfuisse, postremoque omnium, CARPO ipsi iam manum extendenti dixisse IESVM: AGE CARPE, FERI ME SODES. NAM PRO SALVANDIS HOMINIBVS DENVO PATI PARATVS SVM: IDQVE MIHI PERGRATVM FVERIT, DVMMODO NVLLI AMPLIVS PECCENT. Hæc sunt quæ ab illo audiui, & vera esse credo. Hactenus Dionysij epistola, qua ipse tanquam bonus pastor velut fistulę sono exerrantem ouiculam in ordinem reuocauit. Sed quàm bene in eàdem epistola dictum illud SALVATORIS nostri sua oratione vir sanctus confirmauit! *Omnis scriba doctus in regno cælorum* (id est, in ecclesia) *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Quàm multis enim epistola illa & veteribus & nouis exemplis atque sententijs ex vtroque depromptis testamento abundauit! & quàm apposité illud sancti Carpi (fuit is quoque Paulli Apostoli discipulus, & Troade postmodum Episcopus) pulcherrimum & recentissimum exemplum, propterea que & certissimum & vtilissimum ad extremam epistolam (vbi scilicet amoris erga Iesum aculeos relinqueret) vsurpauit! Si quis porrò sit, quem desiderium teneat cognoscendi, qualis quantusque in suis ad populum concionibus idem Areopagita fuerit, non sunt sanè alibi alia eius cognitionis quęrenda vestigia: cùm ex laudatis modò litteris abundè id liceat intelligi. Qui enim vnius hominis emendandi caussâ tantum operæ studijque attulit, atque ex vniuersa ferè scriptura fortissimas, eique quod agebatur, opportunissimas rationes protulit, quid fecisse eũ existimamus, cùm ad erudiendam, dirigendam, corrigendam multitudinem, publicè in templo perorandum fuit? Sed ô factum malè! & ingratum illud sęculum (quodcumque illud fuit) quod tãti viri dignas immortalitate cohortationes aut socordiùs excepit aut negligentiùs conseruauit! Verùm omissis quę habere non possumus, ad alia eius acta, quorum felix superest recordatio, gressum promoueamus.

Matthæi 13. versu 52.

EPISTOLA S. DIONYSII AD DEMOPHILVM VERA LAVS.

QVANTVS FVERIT DIONYSIVS IN SERMONIBVS AD POPVLVM.

CAPVT IX.

DIONYSII per Neronis tempora euangelicæ excursiones.

ATheniensis ecclesię rebus, quemadmodum suprà memoratum est, ordinatis, eodem instinctus est spiritu Dionysius, quo sui præceptores Apostoli; nempe ad ea excurrendi loca, quæ nondum suscepta FIDE, aut certè nequedum satis firmata, præsentis auxilij magis indigerent. Primò igitur vicina Athenis oppida vrbésque obijt, & Christi nomen, sicubi hactenus inauditum erat circumtulit, & vbi auditum & prædicatum fuerat, nouo præconio firmauit, roborauitque; nec vllis in eo extollendo & in spe salutis ostendenda laboribus pepercit. Et magnus sanè in ipsa Græcia patebat industriæ exercendæ campus. Syria enim atque Asia, & proximæ illis regiones, vbi diutius Apostoli hæserant & curauerant, religionis nostræ pręceptis vtcumque imbutę erant: at verò Gręcia (si Corinthum quidem exceperis, vbi à Paullo biennium exactum est) ob exigua commorationis Apostolorum spacia, leuiùs FI-

DIONYSII SPIRITVS APOSTOLICVS.

QVIS ECCLESIÆ FVERIT STATVS NERONIS TEMPORE.

DEI disciplinis tincta erat.[b] Nunc autem sub annum DOMINI sexagesimum secundum, quo impurissimus Nero sextum agebat imperij,[c] Romam ipsam Apostolorum Princeps excolebat,[d] Paullus in Galliam demigrarat, totúsque (quod iam diu proposuerat) in Hispanias ferebatur: Ioannes in Asiam discesserat, alij alias extra Græciam prouincias administrabant, nonnulli etiam martyrio cursum finierant: Andreas quidem è Scythia sua Europæa, quæ illi sortitò obtigerat, in Achaïam descenderat, egregiam ibi messem pro certo messurus, si plus licuisset inter mortales degere: sed Ægeæ Proconsulis malitia & insipientia sermones sanos non ferentis, atque ipsius etiam athletæ ingens CRVCIS desiderium, in qua mori prægestiebat, nuper eum cælo tradiderant. Itaque Dionysius, qui suum esse iudicabat per Apostolorum vestigia gradientem inuigilare,[f] ne post eorum discessionem venirent *lupi rapaces non parcentes gregi*, neúe sparsa euangelij semina nullo irrigante citò exarescerent, cum illam ipsam Achaïam, tum finitimas ei regiones adijt, lustrauit, confirmauit. Hinc frequens in itineribus erat, & vbicumque aliquod ecclesiæ periculum seu à Iudæis, seu à Gentilibus, seu ab hæreticis imminere intelligebat, promptus alacerque occurrebat. Nihil enim lucro fidei, ne animam quidem suam anteponebat. Nec minor illi diligentia celeritásque erat, sicubi amplificandæ religionis spes aliqua ostendebatur. Mox enim rupta mora, & suorum oblitus in commodorum, tanquam ad gratissimas animo suo delicias illò conuolabat. Nimirum tale est verorum Dei amatorum ingenium, talis animi impetus, vbi eius, quem summè amant, agi gloriam senserint, continere se non queunt, quin alia omnia abijciant, & in vnum pro cunctis neruos omnes intendant, quod placere dilecto suo intellexerint. Id scilicet amoris, id feruentis affectionis est testimonium. Qui amor eo fuit in Dionysio erga Christum maior, quo magis illius erga se immensam caritatem & antehac præsenserat & perpetuò sentiebat. Nam quis diuinum aduersus homines amorem vel acutiùs penetrauit, vel impensiùs æstimauit, vel expressiùs descripsit, vel denique in se susceptum ardentiùs expromsit, atque in alios transfudit, quàm hic vnus Areopagita Christianus? Tali ergo ardens amore cùm propinquiores Athenis vrbes percurrisset, suísque omnia flammis incendisset, ad alia atque alia progressus[g] in Phrygiam vsque peruasit. Qua verò cumque transibat, non modò sereni cæli instar diffusa fidei luce omnes errorum tenebras depellebat, sed etiam vnà cum vitijs animi varios corporis morbos languorésque percurabat. Hinc fiebat, vt eum non velut hominem in terris natum, sed quasi Deum aliquem de cælo lapsum talibus insueti miraculis suspicerent, & illum certatim alij appeterent, alij retinerent, inuitique tam beneficum salutaremque virum à se dimitterent. Sic apud Troadem in minore Phrygia, cursu tantisper represso, annos aliquot constitit,[h] & fabulosæ illius Cybeles, seu matris Deûm, vt ipsi vocabant, superstitiosos impurósque cultores ad religiosam sinceramque vnius veri Dei venerationem

S. ANDREÆ APOSTOLI MARTYRIVM.

Actor. 20. versu 29.

AMORIS IN DEVM VEHEMENTIS EFFICACITAS.

DIONYSIVS IN PHRYGIAM VSQVE PENETRAT, IBIQVE ALIQVOT ANNOS FIDEM ANNVNCIAT.

tionem traduxit. Inde autem reuersus[i] iam inter Lacedæmonios versabatur, & rem Christianam totis viribus promouebat, cùm fama de comprehensione Paulli in vrbe Româ, & de imminenti eius nece passim peruagata ad eum peruenit. Nunc enim Neroniana crudelitas maioribus furijs agitata nullo discrimine in quoslibet sæuiebat; quin & matrem & præceptorem duplici prostratâ pietate iam occiderat. Dionysius igitur & patris sui, à quo vitam acceperat, & Pontificis sui, à quo initiatus & Antistes creatus fuerat, & Præceptoris sui, à quo tam multa & tam diuina didicerat, vltimùm videndi & alloquendi, ac si res ferret, etiam commoriendi percupidus, expeditis, quæ in manibus erant, negocijs, festinanter Athenas repetijt:[k] Publium, qui deinceps gregi præesset, in locum suũ subrogauit:[l] Romã socijs aliquot comitatus properauit. Verùm quantacumque vsus celeritate, non quiuit ante peractum eius certamen, & obtentam martyrij palmam aduenire. Nam & necessariæ quędam per iter occasiones, quas negligere nefas erat, vel inuitum aliquantisper remoratę sunt, & importunus bonorum omnium osor Nero, subdente ei faces nequissimo dæmone, atque ad facinus præcipitandum importuniùs propellente, iam duo totius religionis prima capita cruce & ferro vna eademque die sustulerat. Quæ tum autem tristitia pium Dionysij cor pupugerit, qui mœror animum obsederit, qui fluctus lacrymarum pectus obruerint, cùm peracta se absente tam eximia duorum ecclesiæ principum certamina intellexit, quis dicat? Nec enim dignè æstimari tale damnum potest, nisi ab eo qui Petrum & Paullum viderit, audierit, familiariùs coluerit. Sperabat Dionysius ex illis ecclesiæ columinibus multa quærere, multa discere, & super populi sui regimine, & de suscipiendis in alias, quas ipsi designassent, terras peregrinationibus extrema mandata & verba capere. Sed spes omnes, tantæ intercursu calamitatis, irritæ ceciderunt. Illi ad præmia euocati erant, ipse Dionysius & sacri eius collegæ non nisi ad graues luctus, & immaniores cum immanissimis hostibus luctas relicti, talibus amissis belli ducibus, & tam ferâ in terris dominante & sanctum Dei populum premente bestiâ, in alio ferè nullo, nisi in Domino exercituum spes suas omnes collocare. Quid enim meliùs? quid tutius? quid fortius? Is est scilicet, qui potissimè & suprema manu ecclesiam regit, custodit, protegit. Is est qui Pastoribus suis diu noctúque præsto est: is est qui consilia rerum agendarum iam vigilantibus suggerit, iam dormientibus per somnia & visa (quod sanctis haud infrequens) cum futuris euentibus ostendit. Et Dionysio quidem alia in persecutione quid demonstrauerit pòst dicetur ([m] habemus enim certum & clarum eius rei testimonium) nunc autem in temporibus perinde calamitosis, quin multa quoque ostenderit, quamuis hæc modò litterarum penuriâ desiderentur, nihil prorsus caussæ est cur ambigamus; immo scripta eius humano captu altiora (vt alijs deficiamur omnibus) liquidò clamitant. Verùm de his suus breui erit locus, cetera huius peregrinationis persequamur. Hoc saltem inter

INSTRVIT LACEDAMONIOS.

DIONYSII INGENS DESIDERIVM RAVISENDI PAVLLI.

NERO IMP. PETRVM ET PAVLLVM EADEM DIE INTEREMIT.

SPES IN DEVM AD OMNIA VALIDA.

SANCTIS EPISCOPIS NVNQVAM NON PRAESTO EST DEVS.

DIONYSIVS ROMÆ APOSTOLORVM DISCIPVLOS ET ÆQVALES SVOS CONVENIT.

S. PAVLLVS A TITO ET LVCA SEPVLTVS.

CLEMENS QVOMODO DICATVR PETRI SVCCESSOR.

CLEMENTIS RES A PETRI MARTYRIO.

inter anxiferos suos dolores consecutus est Dionysius non mediocris solatij, quod sublatis è medio præceptoribus viuas eorum imagines in vtriusque discipulis conspexerit, cum ijs sermones consiliaque contulerit, ab ijs multa, quæ à magistris audire non potuit, ex visu audituque relata cognouerit. Nam Romæ quidem Titum & Lucam inuenit, antiquos Paulli comites ([a]qui & ipsum sepulturæ mandarunt) & Timotheum quoque, vt vero est simile, quem idem Apostolus celerem certaminis sui finem prospiciens ad se Romam accelerare iusserat, sed & Clementem, quem plerique Latinorum, vt auctor Hieronymus, Petro proximũ Pontificem constituunt. Nam sanè Clemens post Petrum saltem aliquamdiu sedẽ primus tenuit, sed breui pòst, siue cupidus aliò demigrãdi, siue qualibet alia de caussa, lubẽs volens Lino cessit. Hinc Linus à Petro Apostolo (tacita ob temporis breuitatẽ administratione Clemẽtis) primus in serie Pontificum numeratur. Permultũ tamen idem Clemens in illo sui Episcopatus quamuis exiguo spacio, ecclesiæ profuit. Nam & res ecclesię vrbanas parentum orbitate non parum turbatas composuit, & eorum qui multi propter videndos Apostolos Romam confluxerant, alios aliò, Dionysium in Galliam amandauit. Quin & ipsemet relictâ Lino Româ, & tradito simul ecclesię Pontificatu, in alias orbis plagas, quò fidei necessitas inuitabat, factum sementem iniit. Verumenimuero, quia isthæc Dionysij in Galliam amandatio non adeò tenuis gloriæ, neque fructus fuit, vt tam leuiter perstringenda sit, de illa iustus & plenus sermo nobis in præsenti instituendus est.

CAPVT X.

DIONYSII in Galliam, missu CLEMENTIS Pontificis, profectio: & res ibidem ab exitu NERONIS vsque ad DOMITIANVM Imp. gesta.

a SANCTORVM PIA COLLOQVIA A RECENTI MORTE APOSTOLORVM.

A recenti geminorum Apostolorum è terris raptu, nihil ferè aliud per dies plusculos inter eorum successores viros Apostolicos in cogitatione & sermone mutuo fuit, quàm de illorum, vt fit, suorum patrum & pręceptorum virtutibus, siue amoris vehementiâ ad hoc vnum à cęteris omnibus abstrahente, siue æmulationis studio ad imitandorum bene gestorũ memoriam rapiente. Alius admirabilem Petri moderationẽ, alius sanctos Paulli feruores, alius inusitata vnius in terris prodigia, alius inauditos alterius in cælos raptus, alius summi Pastoris inter Iudæos labores atque fructus, alius Doctoris Gentiũ inter Græcos opera & operę precia, alius denique atque alius, quę vidisset audiuissetque, non sine maximo amoris ac desiderij sensu memorabat. Vnũ tamen in primis fuit, quod attentiori consideratione peropus habere visum: nempe quo loco statuque res Christiana per orbẽ esset: quę prouincię adiũctæ Christo: quinã in ijs insudarent: qui auxilia postularent: qui & ad quos potissimum mittendi forent. Quæ cùm sanctissimus Clemens, perantiquus amborum Apostolorum discipulus & cooperator

impen-

impenſiùs conſideraſſet, & hinc ampliſſimarum Galliæ atque Hiſpaniæ terrarum neceſſitatem, inde idoneorum operariorum paucitatem perpendiſſet, Dionyſij, quem multis nominibus cariſſimum habebat, virtuti & rerum multarum experientiæ confiſus, ſtatuit earum regionum curam cum illo partiri, & quod ipſe pręſens vellet, ſi liceret, hoc ei tanquam alteri ſibi cum latiſſima regendi & gubernandi poteſtate committere.[b] Ad ſe igitur accerſitum perbenigneque exceptum ita ferè affatus eſt: Minimè te fugit, mi dilectiſſime frater, quanta vbique poſt copioſam Apoſtolorum ſationem meſſis albeſcat: verùm quàm multa meſſis, tam pauci operarij. Atque eos præſertim deſidero, qui eruditione & ſanctimonia ſic polleant, ſic ordine & auctoritate emineant, vt non tantùm vtiles ſe operas præſtent, ſed etiam ac multo quidem magis præeſſe ipſi operis poſſint. Ecce vicina nobis Gallia & aliæ Occidentis regiones partim FIDEM ſuſcepêre, partim ad ſuſcipiendam paratæ, ſi quis fortiter ac conſtanter in hoc Dei opus incumbat, præſentaneum expectant expoſcuntque auxilium. Ego autem, ſi quid mente aſſequi poſſum, & te illò vocari diuinitus, & alium huic tanto muneri aptiorem reperiri cenſeo neminem. Noui doctrinam tuam, noui pietatem, noui robur animi, mentiſque conſtantiam. Hic erit, vbi vires ingenij, & induſtriæ tuæ neruos ad euertendam falſorum Deorum vanam ſuperſtitionem gloriosè explices: vbi tuum promouendæ religionis ardens ſtudium dignis Deo factis expromas: vbi denique priſtinos labores tuos & generoſas pro Chriſto pugnas pœnaſque exoptatâ tandem laureâ corones. Noli enim deſperare ibi te inuenturum, quod hîc quæſiuiſti. Sed expectanda ſunt tempora, non perurgenda. Quo longius certamen, hoc palma glorioſior. Sed certamini atque palmæ vna Dei voluntas præfiniat oportet modum. Age igitur, mi collega & ſacer commilito, ad ea accingere, ad quę te Imperator noſter inſtruxit: ad oras Occidentis in nomine Domini curſum tuum dirige; atque vt bonus Chriſti miles Domini Dei tui prælia præliare. Habebis aduerſarios plurimos, ſed tecum plures erunt, quàm contra te. Nam Angelorum forti vallabere cuſtodia, & noſtris ac fratrum noſtrorum precibus adiuuabere. Atque, vt ne gentis barbaricę reformides atrocitatem, aderit tibi, vbicumque fueris, dux noſter IESVS, qui inimicos tuos fugabit ante te, planamque aperiet ad proſperos euangelij curſus viam. Quare, vt idem Dominus IESVS Chriſtus magiſtro meo Petro, & ille mihi, ſic & ego tibi ſacram ligandi atque ſoluendi poteſtatem trado, vt eâ fretus, noſtríſque & ſanctorum Apoſtolorum votis precibúſque adiutus, eò confidenter vadas quò mitteris, tuíque ſorte Apoſtolatus, & Dei legatione per omnem Galliam, nullo retardante impedimento, feliciter perfungare. Tu igitur *opus fac Euangeliſtæ: miniſterium tuum imple*: atque in hoc incũbe, vt Chriſti notitiâ per te quaqua versũ diffuſâ, â Domino in die retributionis audire merearis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituã: intra in gaudium Domini tui.* Hæc & eiuſmodi alia

Clementis Pont. ad Dionyſium oratio.

Dotes Dionyſii ad Gentilium conuerſionem.

Dionyſio ampliſſima poteſtas in Occidentis eccleſias conceditur.

2. ad Tim. 4.

Matthæi 25. verſu 2.

cùm

DIONYSII AD VERBA CLEMENTIS RESPONSIO.

cùm secundis auribus excepisset Dionysius (gaudebat enim eò se mitti à suprema potestate, quò & sua sponte diuino instinctus spiritu ferebatur) contractis in pauca verbis se libenter cupideque summi pastoris pariturum voluntati respondit: nihil enim sibi gratius, nihil magis esse in votis, quàm eius obsequi imperijs, à cuius ore sacro & nutu diuino totus penderet. De socijs deinde comitibusque itineris actum: de quibus vt conuenit, & qui destinati erant adfuere (facilis enim est inter illos qui spiritu Dei aguntur ad omnia superiorum mandata consensio) tum ad illos, Pontifex ea verba habuit, quæ cunctorum animos tam ad iter magno animo suscipiendum, quàm ad eos qui instarent labores generosè pro Christo perferendos succenderent: tum verò lætos alacresque in via bonâ cum felici apprecatione cunctos dimisit.[c]

DIONYSII EX VRBE IN GALLIAM COMITES.

Erant in sociorum numero, præter Rusticum & Eleutherium indiuisos comites, Saturninus, Marcellus, Lucianus,[d] Regulus,[e] Iön, qui & Ionas quibusdam appellatur; & qui priùs quoque in Gallia fuerat,[f] sed desperato digno operę precio excesserat, Eutropius. Nam cùm in eam plagam à Principe Apostolorum, à quo fidei mysteria edoctus fuerat, vnà cum alijs socijs missus esset, atque in Santonibus (populi sunt Aquitaniæ) non modico tempore, nec paruis laboribus paucissimos ad Christi partes adduxisset, nimirum, vt quidam scribunt, viros decem duntaxat,[g] inde tot pertæsus molestiarum, & malè impensorum, vti existimabat, laborum, reuertit Romam.

PRÆDICATIONIS EVANGELII FRVCTVS EXIGVVS IN AVDITORIBVS, MAGNVS IN LABORE PRÆDICANTIS.

Nempe sic nos homuli solemus, eas refugimus prouincias, quas nostræ minus responsuras expectationi credimus: ac si post multos labores par fructus non sequatur, omnem nos lusisse operam impendiò querimur. Atqui profectò peruersè hoc cuncti agimus, quòd omnem fructum alienâ in voluntate potiùs quàm in nostrâ ponimus.

VNDE MERITORVM MAGNITVDO APVD DEVM CENSEATVR.

Nec enim Deus optimus maximus operum successu res metitur, sed amoris affectu, nec tam quantum egerimus expendit, quàm ex quanto. Potuit Eutropius solis viris decem toto viginti annorum interuallo emendatis, plus gratiæ apud Deum commeritus esse & gloriæ, quàm alius viginti millibus vel vno anno vel vna cōcione correctis. Docuit igitur Clemēs, quantas illis suis, vt existimabat, infructuosis laboribus animę suę opes cōparasset, tantumque sapienti sua oratione effecit, vt derelictā prouinciam non modò libenter repeteret, sed auidè quoque ardenterque reposceret.

S. EVTROPIVS AD LABORES GALLICOS, VNDE IMPRVDENS EXCESSERAT, REVERTITVR.

Hinc & Episcopum creauit, & tanquam futuri præsagus, cum mentione inducta martyrij ad palmam animauit. Ita se Dionysio, cuius antè audiuerat nomen, & nunc virtutem plùs admirabatur, itineris socium dedit. Atque, vt olim PETRVS post integræ noctis dispendia, iactis in nomine Domini retibus copiosissima præda potitus est, ita hìc (vt hoc dicere obiter occupem) suscepta ad Pontificis mandatum expeditione quàm difficillima, breuissimo tempore plurimos mortales & vnà ipsam Principis Santonum filiam ad FIDEM traduxit, & simul gloriosam illatæ necis lauream indeptus est. Atque hoc ob itineris societatem de Eutropio per transennam dictum sit. Nam de nobili

bili eius martyrio, perſcriptiſque ab Dionyſio ACTIS mihi inſtitutum eſt ſuo loco fuſiùs infrà dicere. Iam autem intermiſſum iter & diſcedentes ſanctos proſequamur. Accepta ergo ſanctiſſimi Pontificis benedictione, in viam lætis ac magna ſpirantibus animis ingreſſi ſunt: nihilque eâ viâ ob mutuum inter ipſos amorem & fraternam concordiam breuius eſt viſum (multi enim cùm eſſent, erant ſicut vir vnus & cor vnum & anima vna) nihil ob gratiſſimas de diuinis rebus collocutiones iucundius, nihil denique ob felicem rerum ab Apoſtolis eorumque diſcipulis geſtarum memoriam (quâ velut cibo ſuauiſſimo quotidie paſcebantur) nec in præſens hilarius, nec in futurum beatius poterat exoptari? Mare igitur, quod ipſorum votis mirè obſecundabat, felici ac multis inuidendo nauigio, quod non tam venti aut vela, quàm Spiritus ſancti gratia afflabat ac promouebat, ex Italia in Galliam citiſſimè ſimul placidiſſimeque tranſmiſerunt.[b] Quam verò vrbem primò petiuere, aiunt fuiſſe Arelaten, inſigne prorſus in prouincia Narbonenſi, & omnium gentium commercijs peropportunum emporium. Hic fuerat haud ita pridem ſanctus Trophimus Paulli diſcipulus, remque Chriſtianam primus vrbis eius Epiſcopus à ſancto Paullo ordinatus, vt vires tulerant, fundarat ac promôrat:[i] ſed quem poſtea Mileti infirmum ſe reliquiſſe ſcribebat paullò ante martyrium ſuum Apoſtolus, eum iam vita functum fuiſſe, antequàm ſancti Roma diſcederent, ac propterea huc potiùs quàm vſquam aliò curſum illos direxiſſe, vero creditur quam ſimillimum. Ab hac igitur vrbe, quod DEVS bene vertat, res à Dionyſio totâ Galliâ præclarè geſtas, ipſo labores noſtros è cæleſti throno reſpectante & adiutante, auſpicabimur.

Optima itineris condimenta.

S. Trophimus primus Arelatensis Episcopus.

2. ad Timoth. c. 4. v. 20.

CAPVT XI.

Dionyſij in Galliam ingreſſi prima ARELATE ſuper FIDEI rebus conſilia & auſpicia.

FILI, inquit magnus ille ECCLESIASTICVS, *ſine conſilio nihil facias.* Quod diuinum mandatum & oraculum eo ſibi diligentiùs exequendum terræ Galliæ Apoſtolus exiſtimauit, quo res illa maior erat ac difficilior, quam Dei nutu ſuis impoſitam humeris modò erat aggreſſurus. Deorum enim ab omni retro ętate tam pertinaciter quàm ſuperſtitioſè cultorum euerſio hic agebatur. IESV CHRISTI è contrario in acerbam crucem latrones inter ignominioſè ſublati æterna diuinitas & noua religio feris ac barbaris gentibus proponenda, comprobanda, perſuadenda erat. Vires proinde humanas, (ſi quidem ſolitariè & per ſe conſideraretur) tantæ rei molimen longè exſuperabat: ſed tamen Dei optimi maximi auxilijs iunctas, nec ſibi, ſed illis confiſas, neque illud, neque quiduis aliud exſuperare poterat. Quocirca cùm eiuſmodi res eſſet, vt & viribus maximis & potenti ſubſidio indigeret, nec mediocrem inſuper prudentiam induſtriamque exigeret, confeſtim vt Arelaten ventum eſt, actis primùm ductori ac ſoſpitatori Deo ſuper

Ecclesiastici 32. versu 24.

Quid Dionysius Arelate gesserit.

prospera nauigatione & felici appulsu gratijs, eò cogitationes suas omnes vir sapientissimus applicuit, vt de totius Galliæ statu, singulorúmque populorum moribus, quæ præsenti forent instituto necessaria, plenè cognosceret: tum verò de dimittendis quaquauersum idoneis operis, habito cum suis consilio, suauiter, vt Dei suaderet gloria, disponeret. Neque verò ad hæc præstanda vrbs opportunior, aut locus commodior, quàm vbi nunc erant, quæri optaríue poterat. Quippe ad quam vrbem frequens ex omni Galliâ concursus erat, non aliorum modò, sed etiam Christianorum: à quibus disci poterat, quod scire ad rectam ecclesię administrationem boni pastoris interesset. Hic ergo aliquamdiu substitit: hic Christianos recollegit, hic recensuit: hic Paulli & Trophimi fructus laborum recognouit: hic à fratribus, præsertim à Sacerdotibus & Diaconis, quinam superstites adhuc essent in Gallia Episcopi, & vbi suas sedes fixissent, quas animarum messes fecissent, quas potissimum terras steriles incultásque reliquissent, perdidicit. Tum verò accitis in consilium collegis & sodalibus, auditáque super quibus deliberabatur sententia, denique quod optimum factu, Domino Deo (quod semper ante omnia solebat obseruare negocia) inuocato, suam vnicuique, in qua desudaret, prouinciam designauit. [b] Saturnino Aquitaniam, Luciano Bellouacum, Sanctino Meldas, Regulo Arelaten, Eutropio Santonas, alijs alias vrbes tractúsue in solo Gallico commisit. [c] At verò Marcellum, quem & Eugenium nonnulli vocant, (idem enim esse à multis creditur) Hispanis è Galliâ, vt credibile est, auxilia poscentibus, cùm priùs eum creasset Episcopum, misit in Hispaniam. Ipse autem Dionysius agrum Parisiensem, quo nihil erat ea tempestate, quantum ad fidem pietatémque spectat, incultius atque agrestius, sibi excolendum reseruauit.

Dionysius comites ac discipulos in diversa Galliæ loca distribuit.

Decet enim, vt in militia Imperatores, sic in ecclesia primos Antistites, eas potissimè sibi partes assumere, quæ plus laboris ac difficultatis secum afferant: vt ne tam imperio subditos suos, quò velint, pellere, quàm exemplo ad magna atque ardua post se trahere videantur. Nimis dura enim & superba censentur imperia, cùm labores & pericula committuntur, & desunt exempla. Cauebat proinde Dionysius in eorum esse numero, qui alios duriter tractant, ipsi molliter viuunt. Nec enim hoc à Paullo præceptore didicerat, nec in vllo Apostolorum viderat, nec ipse hactenus vel per somnium cogitarat. Nam vestigia glorię Dei, quæ vt plurimum in periculis, in laboribus, in ærumnis, in factu arduis, in perpessu asperis illustriùs deprehenduntur, tanquam bonus Christi venaticus semper & in omnibus sagaciter indagabat, & per illa ad opimas animarum prædas cursu infatigabili properabat.

Episcoporum partes in laboribus præcipua esse debent.

Detinuit quidem illum aliquanto spacio vrbs Arelate, sed ingentem paullò longioris illic moræ fructum Deus ostenderat. Iam Nero, monstrum potiùs hominis, quàm homo, tyrannus scilicet qualem adhuc terra non tulerat, cunctis exosus inuisúsque mortalibus, debitas suæ importunæ crudelitatis pœnas Deo, sanctísque Apostolis exsoluerat: nec alia quidem, (quod

Neronis post Apostolorum cædem punitio.

(quod deterrimum & tamen iustiſſimum) quàm ſua manu, vt peſſimo ſcilicet victoriæ genere, qui alios ante ſe omnes barbarica crudelitate vicerat, idem ſuiipſius nece ſeipſum vinceret. Hoc igitur monſtro è viuis ſublato, cùm boni omnes reſpirare, tum vel maximè Chriſtiani cuncta ſperare in dies meliora: quibus videlicet non minimum promouendæ ſanctæ religioni argumentũ ſuppeditabat, quòd eius perſequẽdæ primus auctor is fuiſſet, qui totus ex fœdiſſima atque ſpurciſſima vitiorum omnium colluuie conflatus, nihil non iniquiſſimo ſuadente atque impellente dæmone hactenus fecerat. Docuerunt igitur tum Dionyſius & cuncti vniuerſim omniũ eccleſiarum magiſtri, propterea neci datos eſſe Petrum & Paullum duos religionis noſtrę multò omniũ manſuetiſſimæ principes, quòd tyranno truculentiſſimo, ac teterrimis eius genijs atque dęmonibus, à quorum arbitrio & nutu nefarius ille ſicarius totus pendebat, generosè fuiſſent aduerſati: quodque eius execrandis libidinibus atque ſpurcitijs veræ caſtimoniæ honeſtatem prętuliſſent. Ita non difficilem ad eorum aures, qui talia mirum in modum exhorreſcebant, aditum cùm inueniſſent, tum ad expromenda FIDEI noſtræ documenta eo fidentiùs accedebant, quo erant cum virtute & ratione coniunctiora. Ad quod quidem palam faciendum valebat hic noſter Areopagita, cùm auctoritate magni nominis, tum præcipuè incredibili quadam cælitus inſpirati ſermonis gratia, cui & vis inerat & copia dicendi incomparabilis. Vnde bonus Arelatenſiũ numerus ſenſim eum ſectari, deguſtare verba, demirari vitam, adamare virtutes, ſuſpicere & ſuſcipere euangelium, Chriſti facta mutis Deorum ſimulacris compoſita quanto eſſent anteferenda, ſuo ſilentio primùm, deinde voce & comprobatione conteſtari: poſtremò Deorum ſuorum potentiæ, quos impunè à Chriſtianis contemni & imbecillitatis ſugillari viderent, paullatim diffidere: cùm verò & prodigia in nomine IESV (qui honoris gratia nobis ſemper nominandus eſt) ſæpenumero facta eſſe, & non raro fieri ſcirent, ſeu in abigendis dæmonibus, ſeu in propulſandis morbis, tum apertè RELIGIONI manus dare, & diuinæ virtuti faſces haud inuitè ſubmittere. Non prius igitur generoſus Chriſti athleta diſceſſit Arelate, quàm & multum ſub Ducis ſui vexillo populum conſcripſiſſet, & longè clariſſima ſuæ virtutis ibidem reliquiſſet impreſſa veſtigia. Erat inibi fanum quoddam, populi cultu ac veneratione in primis auguſtum ac celebre, in quo Martis ſtatua publicis impertiebatur honoribus: hanc ſtatuam Dionyſius, quo veram vnius Dei potentiam aſtrueret, ſola diuini nominis inuocatione diſiecit, diffregitque: fanum verò ipſum omni hactenus ſacrorum execrandorum turpitudine inquinatum, & ſtultiſſimæ ſuperſtitionis indigniſſima vanitate pollutum cùm rite perpurgaſſet, ſanctiſſimis beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli nominibus & honoribus, non inuito populo, (quippe patratorum ab ijs prodigiorum iam conſcio & admiratore) conſecrauit, ibidemque

NECIS SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLLI CAVSA.

DIONYSII LABORES ET FRVCTVS IN VRBE ARELATE.

MARTIS STATVA PRECATIONE DIONYSII DIFFRINGITVR.

TEMPLVM SS. PETRO ET PAVLLO CONSECRATVM A S. DIONYSIO.

que baptiſterium originalibus eluendum maculis collocauit. Nam mirificas eorum virtutes,& inſignia in omnes mortales beneficia(quæ partim in euangeliorum codice, partim in eo qui Actus Apoſtolorum inſcribitur fuſiùs repertum iri indicabat) breuiter illis expoſuerat: quemadmodum Petrus ſcilicet, quaſi quiſpiam vitæ mortíſque diſpenſator,ſolo verbo alios quidem neci propter impia ſcelera tradidiſſet,alios autem vitæ ob eximia benefacta reddidiſſet.

Principum Apostolorum acta prodigiosa.

Act. 4. v. 1. & seqq.

Act. 9. v. 36. & seqq.

Act. 5. v. 15.

Nam Ananiā quidem & Sapphiram memorabat, propterea quòd mentiti eſſent Spiritui ſancto, ad ſancti Petri vocem corruiſſe mortuos: Tabitham verò præclaram eccleſiæ diſcipulam,à pietate in viduas commēdatam,ab inferis eiuſdem euocatu luci eſſe redditam: quin & ſola eius vmbrâ quoſcumque infirmos perfectæ ſanitati eſſe reſtitutos. Paullum autem è Chriſti perſecutore diſcipulum nonnunquam in cælos raptum ea inibi vidiſſe, audiuiſſéque, quibus enunciandis nulla lingua idonea, nulla par eſſe poſſet oratio: ſed miraculorum inſuper minimè vulgarium fulgore inſigniter coruſcaſſe. Nam & Elymam magum doctrinæ Chriſti reſiſtentem in ipſo momento oculis orbaſſe: & aliàs infirmis longè plurimis incolumitatem, mortuis verò etiam nonnullis amiſſam vitam redonaſſe:

2. ad Cor. 12. v. 4.

Act. 13. v. 8. & seqq.

Vitæ doctrinæque Apostolorum sinceritas.

denique ita vtrumque vixiſſe, vt nihil vnquam in moribus turpe aut vitioſum; ita docuiſſe,vt nihil in doctrina falſum aut pernicioſum;ita poſtremò exceſſiſſe, vt nihil in morte abiectum aut ignominioſum deprehendi à quoquam, aut iure reprehendi poſſet: immo omnem vitam, doctrinam, mortem, bonorum plena exemplorum extitiſſe. In ijs enim eluxiſſe in rebus agendis prudentiam, in negocijs communicandis æquitatem, in moderandis ſenſibus caſtimoniam, in affectibus refrenandis fortitudinem, in aduerſis ferendis & morte ſuſtinenda patientiam, animíque inuictam conſtantiam.

Falsorum Deorum refutatio.

Cum quibus ſi falſorum Deorum vitæ conferrentur, ſeu Martis, ſeu Mercurij, ſeu Iouis ipſius aut Saturni aut aliorum quorumcumque, quanta, Deus bone! inquiebat, in illis diuerſitas! maior ſanè quàm diei & noctis, quàm lucis & tenebrarum. Vnus enim liberos ſuos deuoraſſe,alter patrem ipſum pepuliſſe regno, iſte alienæ coniugi ſtuprum intuliſſe, hic res alienas furto auertiſſe, alius alia & quidem horrenda ac propudioſa admiſiſſe flagitia, & ijs etiam gloriatus fuiſſe memoratur. Et tantam nihilominus extitiſſe hominum cæcitatem,vt diuinos ijs honores elargirentur, quos ob ſua execranda facinora æternis pœnis certiſſimò conſtaret eſſe damnatos.

Dei e cælo salutis nostræ caussa descensus.

Propterea igitur Deum ipſum è cęlis ad tantam cæcitatem ſua immenſa luce depellendam,& tam denſas errorum tenebras doctrinæ ſuæ veritate diſſipandas deſcendiſſe:atque hunc eſſe quem ipſis prædicaret: cuius principes diſcipulos veris laudibus efferret: quibus templa, & ſtatuæ multo iuſtiùs quàm Marti & Mercurio aliíſue Dijs, ſi tamen Dijs, deberentur. Talibus ferè,ſed multò pluribus ac maioribus,prout Spiritus ei dabat, populi animos vir ſanctus detinebat, erudiebat, Chriſto acqui-

acquirebat. Post hæc commendatâ Regulo (cui manum simul & Episcopi munus iam imposuerat) Arelatensi ecclesiâ, dispositísque in ea ordinibus & ad mutua inter se officia diligenti oratione concitatis valedixit, datoque pacis osculo & impertita benedictione, in interiorem Galliam, assumptis Rustico & Eleutherio comitibus, penetrauit. Vbi autem consederit, quid egerit, quæ studia consectatus sit, proxima enarratio demonstrabit.

S. REGVLO ARELATENSIS ECCLESIA COMMENDATA.

CAPVT XII.

Dionysij ad Parisios profectio, & ibidem religionis & Episcopatus fundatio.

[a] PARISII, hâc ipsâ, quâ de agimus, ætate, immo & pluribus antè sæculis celebre erant, non vrbis quidem vt nunc, sed populi in Gallia Celtica SENONAS inter & BELLOVACOS siti, & SEQVANAM fluuium accolentis nomen. Quod quidem nomen olim IVLIVS Cæsar commentarijs suis illustrius fecerat, simulque eorum vrbem Lutetiam belli consilio inibi habito reddiderat clariorem: verùm longè alia claritudo pòst accessit, cùm Dionysius Areopagita omnem propè Athenarum gloriam, hoc est seipsum, huc transtulit; neque hoc sine felici rei magnæ omine, facultatis scilicet omnium liberalium artium, & græcæ in primis facundiæ eodam aliquando (quod iam dudum factum est) transituræ. Sed illa tamen, quamuis per se ampla, præ FIDEI luce quam diffudit, præ CHRISTI nomine quod importauit, præ tot insignibus victricis fidei trophæis quæ tota Galliâ erexit, exigua videri possunt & debent. [b] Igitur ad hunc populum & ad hanc vrbem diuino ductu accessit, eumque in vicino delegit habitationi locum, quem & sacris studijs, & pijs precationibus, & diuinorum contemplationi, & opportuno ab euangelij laboribus receptui reperire potuit quàm commodissimum. Eum esse credunt, quem Academia Parisiensis nunc insidet, illius Atheniensis, quam Plato celebrauit, & vbi Dionysius quondam philosophatus est, æmula. Hic ergo cum duobus socijs RVSTICO Presbytero & ELEVTHERIO Diacono fidissimis contubernalibus consedit: hîc sacris operatus est: hîc diuina meditatus, hîc cælestia contemplatus, [c] hic libros illos incomparabiles, & nisi paucis rarísque ingenijs, inaccessos est commentatus, quos & hodierna Theologorum schola secundùm scripturas in prima ponit laudatque auctoritate: hic denique, vt quondam Ioannes in deserto, concurrentes ad se omnis generis mortales fama vitæ & miraculorum excitatos docuit, abluit, & plus etiam quàm Ioannes, peccatorum suorum vinculis exuit, ac teterrimæ ereptos seruituti in libertatem filiorum Dei vindicauit. [d] Nam cùm virtute polleret miraculorum, & iàm visum cæcis, iam auditum surdis, iam sermones mutis, iam claudis gres-

PARISII ANTIQVIS QVI DICTI.

Cæsar lib. 6. belli Gallici initio.

DIONYSIVS AD LVTETIAM PARISIORVM DIVINO NVTV ACCESSIT.

DIONYSII AD LVTETIAM ACTA COMPENDIO RELATA.

EIVSDEM MIRACVLA

Michael Syncellus in laudatione S. Dionysij.

gres-

gressum reformaret, varijsque præterea morborum affectos incommodis citra vstionem, sectionem, potionum amaritudinem, sola precatione & verbi diuini inuocatione percuraret, toti genti admirationi fuit, immo & propter facta tam benefica passim apud omnes in amore & honore non vulgari. Quibus ad FIDEI persuasionem Deique illius cultum (cuius vocato nomine hæc patrabat) viam sternentibus, non exiguum Parisiorum numerum ad Christi castra perduxit. Sed præ alijs omnibus, quorum obscurior fama est & ignota nomina, vnus singulariter extitit, cuius non quiuit hactenus nec ætas cuncta disperdens, nec liuor semper magnis inuidens, aut obtegere nomen aut obscurare gloriam.

Lisbii ex cuius stirpe Montmorentiana existit familia insignis ad Christi fidem conuersio.

[e] LISBIVS enim prisca stirps & radix Montmorentianæ familiæ, qui primus è Gallica nobilitate salutiferis baptismi aquis à Dionysio expiatus & Christiani nominis gloriâ creditur insignitus, viuit etiamnum & viget, vigebitque perennibus, nec vnquam intermorituris ad omnem posteritatem litteris. Nam vt antehac, ita & deinceps, Gallorum habebitur & appellabitur Christianæ primitiæ: nec celabitur (vt nobilis erat

Eiusdem Lisbii pia benignitas et munificentia.

iuxtà & locuples) tam ad commendandam ac promouendam FIDEM eius auctoritas, quàm ad religiosa sacella & oratoria (prout ea ferebat tempestas) vel aptanda vel conseruanda insignis benignitas ac munificentia. Ad hæc enim opera tam auctoritate quàm opibus prȩstò adfuisse Dionysio ex antiquis habetur monumentis. Atque hæc fortassis irarum & discordiarum coniugi occasio & seminarium fuit:

Larcia Lisbii vxor Christianis aduersa.

quòd scilicet Larcia (hoc erat coniugi nomen) tantarum impensarum, quibus dilapidari rem familiarem arbitrabatur, impatiens (marito enim FIDEM amplexo diu infidelis perstitit) virum tamquam summæ in Deos impietatis reum detulerit, præclaramque martyrij palmam, sed longo post hæc tempore, remanentibus tamen odijs, volens nolens, vt suo dicetur loco, procurarit.

Ecclesia Vespasiani Imp. temporibus in pace effloruit.

Nam cùm Vespasianus imperium nunc teneret, princeps admodum mitis ac humanus, nulla grauior hisce temporibus extitit in Christianos persecutio, nulla religionis hostibus, sui in bonos expromendi odii, tanta quantam voluissent opportunitas fuit. Hinc ecclesia illo Imperatore sensim recreari, paullatim accrescere, vires sumere, ȩdiculas struere, liberiùs sacros cœtus habere, in Christi doctrina & virtutum exercitio non pœnitendos progressus in dies facere. Tum ergo & Dionysius obsecundante in primis quem modò diximus Lisbio, [f] nonnulla varijs in locis sacella, vt commoditas erat, construxit.

Sacella in Paris. à Dionysio consecrata.

Primum autem, vel certè inter prima illud fuisse creditur, quod omnipotenti Deo, suæ huius peregrinationis auctori atque Duci, titulo sanctæ TRINITATIS dedicauit: quod deinde multis pòst

S. Trinitatis

sæculis in honorem sancti BENEDICTI, reseruatâ tamen ibidem loci venerandæ antiquitatis & sanctimoniæ gratâ memoriâ, instauratum, amplificatum, consecratum fuit. Quippe in sacello, quod sancti

sancti NICOLAI nunc dicitur, & in diui BENEDICTI templo inclusum est, hoc legitur veteris religionis certissimum monumentum: IN HOC SACELLO S. DIONYSIVS COEPIT INVOCARE NOMEN SANCTÆ TRINITATIS. Nam ille propriè locus fuit ædificati à Dionysio sacelli. Postea verò & alterum cultui beatæ MARIÆ VIRGINIS, destructo, quod inibi colebatur, MERCVRII simulacro dedicasse tradunt: quod ab indigenis ad rei memoriam NOSTRA DOMINA DE CAMPIS est appellatum. Vbi & partem aliquam sanctissimi veli eiusdem Virginis, cuius ipse interfuerat exequijs, ad maiorem loci eius sanctitatem deposuit. Vnum item sancto STEPHANO primo post Christi ascensionem martyri; quod hodieque TEMPLVM SANCTI STEPHANI GRÆCORVM vulgò nominatur, quòd scilicet primi eius conditores Græci essent. Alia denique alijs sanctis, quorum enumeratione, vt difficili, minúsque necessariâ nunc supersedeo. Sed quemadmodum templa & sacraria: sic Sacerdotes & Ministros constituit, variaque in loca dimisit. Necessarium enim erat, vt multiplicatis gregibus pastores quoque multiplicarentur. Illos autem cùm ad omnem virtutem diligētissimè informauit, tum etiam peculiari cura ijsdem commendauit, vt ea quàm exactissimè callerent & curarent, quæ sui essent circa res sacras officij & ministerij. Nec immeritò. Quid enim in omni mundo est, quod parem curam ac sollicitudinem requirat, quàm ea seruitia & obsequia, quæ non hominem mortalem, sed Deum ipsum & cælos tangunt? Nam si pro personarum dignitate atque fastigio verum est honorem ac venerationem crescere, quàm exquisiti diuinæ adorationis ritus ac cærimoniæ, & quanta honoris ac reuerentiæ incrementa ad supremæ illius atque infinitæ maiestatis cultum adhibenda sunt? Dionysius igitur tanti reuerentissimus culminis, præclaram omnino, si quis alius, hac in re nauauit operam. Cum enim Apostoli (in quorum præcipuè humeros tanquam primorum Dei Legatorum, & nouæ legis principalium præconum id incumbebat oneris) instituta à Magistro sacramenta & sacrificia certis ritibus ac cęrimonijs, maioris venerationis ergo, diuinitus instruxissent, ordinatísque ab se Episcopis non tam voce aut scripto, quàm vsu & exemplo tradidissent, visum est viris Apostolicis post illorum è vita migrationem è bono communi fore (quod & Spiritus ipsis suggerebat) vt præcipua religionis Christianæ mysteria, corúmque ratio & intelligentia sic litteris mandarentur, vt & cum nouis Pontificibus ac Sacerdotibus (quorum iam passim per omnes terras numerus excrescebat) facilè communicarentur, & simul caueretur, ne quæ occulta esse oporteret, temerè ad homines profanos & indignos emanarent. Quemadmodum enim ad religionis sanctæque disciplinæ consensionem atque vnitatem plurimum istis commodarent: ita his propter ignorantiæ tenebras mentisque imbecillitatem haud parum officerent. Quare hoc in negocio primus omnium, quod quidem sciatur, sanctus Hierotheus Dionysij magister laborauit: sed ita laborauit, vt eius

S. MARIÆ VIRGINIS SACELLVM.

TEMPLVM S. STEPHANI GRÆCORVM.

Methodius in Dionysij martyrio.

NIHIL PAREM CVRAM REQVIRIT ATQVE DIVINA ECCLESIÆ SERVITIA.

RITVS ET CÆRIMONIÆ SACRIFICIORVM AC SACRAMENTORVM AD APOSTOLIS INSTITVTA, A VIRIS APOSTOLICIS PROBATA LITTERIS PERENNARVNT.

QVINAM SACRAMENTORVM RITVS LITTERIS PRIMI MANDAVERINT.

ſcripta ob difficultatem & obſcuritatem ſublimioribus duntaxat ingenijs ſubſeruirent. Vnde cùm ea Dionyſius ad Timotheum vrbis Epheſi Epiſcopum tranſmiſiſſet, is ita probauit, vt mediocribus ingenijs aliquanto clariora requireret. Quin & ipſummet Dionyſium ad hunc ſuſcipiendum laborem non ſemel, ſed ſępius hortatus eſt, non quaſi ipſe Timotheus, vtpote veteranus Paulli Apoſtoli diſcipulus, ijs magnopere indigeret, ſed vt nuper creatis aut deinceps creandis ab ſe Epiſcopis in directionem atque ſubſidium exhiberet: vnumque eſſent illa ſcripta Dionyſij velut rituum omnium ac cęrimoniarum conforme magiſterium. Et ſanè ita per orientem & vniuerſam Græciam, quæ in libris ſuis circa ordines conferendos idem perſcripſit Dionyſius, inualuerunt perennaruntque, vt eorum vſus apud illos hodieque perſeueret. Sed de libris in præſentia hoc tantùm dicam, quod ſatis liquet, (nam omnium recenſionem, quorum quidem nunc ſit memoria, pòſt inferemus) nobiles illos libros, alterum de cæleſti, alterum de eccleſiaſtica hierarchia, cùm ſint è poſtremis ab eo editis operibus, in Gallia eſſe ſcriptos, in Gallia auctos & retractatos. Hic enim à duorum Apoſtolorum glorioſo exceſſu (ex quo tempore ad ſcribendum ab eorum diſcipulis maximè eſt ſtimulatus) ſedem ac domicilium tenuit. Quamuis & exemplo magiſtrorum ad viſendas & firmandas remotiores eccleſias, in alia terrarum nonnunquam excurrerit.[g] Nam & in Hiſpaniam è Gallia profectum fuiſſe Hiſpani ipſi affirmant. Quod eo quoque fit probabilius: quòd qui ab orbis exorſi capite in vicinas Gallias ſub illa Apoſtolorum tempora proficiſcebantur, ſoliti eſſent ſatis euulgato inibi euangelio, inde in Hiſpaniam eiuſdem dilatandi gratiâ cõuolare. Plurima enim in Hiſpanorum hiſtorijs eiuſmodi profectionum exempla cõſignantur.[h] Nēpe hoc de ſancto Martiale Lemouicēſium Epiſcopo,[i] hoc de ſancto Saturnino Toloſanorum, hoc de ſancto Iöne ſeu Iona Preſbytero Caſtrēſium, hoc de ſancto Mancio Catalaunenſium Antiſtite, hoc de pluribus alijs in Gallia Epiſcopis, & Apoſtolorum diſcipulis memoriæ prodiderunt. Neque enim vt regnorum aut prouinciarum, ſic fidei & religionis limites erant: ſed diſperſorum toto orbe Chriſtianorum velut vna prouincia, vnum regnum, vna natio, immo velut vna domus & vna familia tota Chriſti eccleſia erat: tamque facilis tum è prouincia in prouinciam, quàm nunc ex vrbe in vrbem, & ferè dixerim è domo in domum, tranſitus patebat & receptus. Nulla tum inter Chriſtianos ob locorũ interualla animorum diſiunctio, nulla ob linguarum diuerſitatem caritatis diuulſio, nulla denique inter fratres (Italos enim, Gallos, Germanos, Hiſpanos, Græcos, & quoſcumque alios totius vniuerſi populos vna continebat & conglutinabat germanitas) nulla, inquam, inter fratres pluſquam fraterno amore ſe complectentes, niſi ſolius virtutis & pietatis, & diuini honoris parebat æmulatio. At ſi fortè tempeſtas aliqua perſecutionis ingruebat, ea magis inter illos ſeſe, non ſecus atque aquam frigoris aſperitas, conſtringebat. Iuit igitur in Hiſpaniam Diony-

S. Hierothei scripta intellectu difficiliora quam Dionysii.

Cærimoniæ a Dionysio perscriptæ, apud Græcos magna ex parte perseverant.

Libri Dionysii de cælesti hierarchia et de ecclesiastica, scripti sunt in Gallia.

Dionysius in Hispaniam pro fidei bono est profectus.

Christianorum caritas et concordia.

Profectio Dionysii in Hispaniam.

Dionyſius,& ſuorum,quos antehac illò prę̨miſerat, diſcipulorũ labores & fructus præſens inſpexit,cognouit,promouit. Eſt enim dictu incredibile,quantum Fidei rebus afferat pondus,ſanctorum virorum, præſertim doctrina & auctoritate præſtantium, vel audita tantùm oratio, vel conſpecta ſolùm præſentia. Hinc tantus olim populis ardor inerat vel videndi & audiendi Apoſtolos, vel ijs è vita profectis, ipſorum ſaltē diſcipulos velut viuas eorum imagines cognoſcendi. Ea cauſſa fuit,cur Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores perraró in vna ſede ita hęſerint, quin ad alias atque alias prouincias ſeu ipſarum inuitatu, ſeu ſua voluntate crebrò peregrinati ſint. Itaque & CLEMENS ipſe, Petri ſucceſſor & diſcipulus,relictâ ad tempus Româ varias in partes, nō minùs quàm magiſter ſuus abijt: & circa hæc ipſa tempora vſque ad Domitiani ſceptra,& impios aduerſus eccleſiam motus,generoſi Chriſti athletæ liberè & cōfidenter,quocumque Spiritus Dei agebat,non modò ad multiplicandas eccleſias,ſed etiam ad eas confirmandas,& ſtatutis ac legibus ordinandas,& ſacro concordiæ vinculo (quod maximè tunc erat neceſſarium)colligandas contendebant. Sic ergo & Dionyſius nec Athenis, nec Gallijs, nec Germania contentus, in Hiſpanias quoque penetrauit, & temporum vſus opportunitate,ea quæ Iacobus,quæ Petrus,quę Paulus, quę alij Apoſtolorum plantauerant, irrigatum iuit. De tempore quidem profectionis etſi non omnino liqueat, de profectione tamen ipſa ſatis liquet.Quæ autem in Gallias reuerſus infeſto iuxtà & infauſto Domitiani egerit dominatu,hinc iam ordiemur.

DESIDERIVM VIDENDORVM APOSTOLORVM

CAPVT XIII.

Dionyſij per tempora Domitiani Imp. curæ & labores, & prophetiæ Spiritus.

VEriſſimum eſt quidem ſanè, quod peritiſſimi viæ cæleſtis ductores ac magiſtri tradunt, eo quemque ſeruorum Dei & crebriùs & copioſiùs diuina participare beneficia,quo & gratior ſit de ſuſceptis,& impenſorum aduerſus collatorem officiorum atque obſequiorum profuſior.Cuius enim nec imminui bonorum copia propter immenſitatem, nec exhauriri liberalitas propter infinitam benignitatem poteſt, idem ſe in mutui amoris certamine vinci à ſeruo Dominus nequaquam ſinit. Cùm ergo Dionyſius depluentium in ſe donorum memor,tam illa quàm ſemetipſum in eorum auctorem totum refunderet,velut perfectum quendam reciprocantis beneuolentię circulum,licet impar,gratiſſimus tamen,cum Deo contexebat. Noua enim cùm reciperet beneficia, noua referebat officia:& dum hæc referret, nouiſque propter hoc ipſum à Deo gratijs cumularetur, his ille denuo incitatus,quo plus recipiebat, eo plus reddebat; quoque plus reddebat, eo plus recipiebat, vt non eſſet nec dandi numerus,nec finis remunerandi. Ita quippe & magni Apoſtoli creſcebant,qui nec eſſe vacuam in ſe gratiam Dei ſinebant,& alios quoque,vt ne in vacuum eam reciperent,

MODVS CRESCENDI IN VIRTVTIBVS FACILIS ET EXPEDITVS

2. ad Cor. 6. v. 1.

rent, hortabantur. Ita Apostolorum discipuli (& hic in primis Dionysius) in dies proficiebant, semper cursui suo addentes, semper laborem labori, industriam industriæ, obsequia obsequijs aggerantes. Hinc à rebus cunctis inferioribus digressi, atque ad Deum & diuina sublimè erecti, miris implebantur omnigenæ sapientiæ fulgoribus, quibus & se & mundana omnia penitùs cognoscerent atque despicerent: & Bonum ipsum, verè omne bonum in ipsius Boni radio conspicerent, & vniuersis terrę rebus vti perpusillis & nullo precio dignis, immensum quantùm anteferrent. Quemadmodum enim ij, qui ex altissimis turribus & aërijs speculis, ac præsertim monti cuipiam editissimo superstructis, homines quamuis procerissimos & gigantęa mole spectandos infernè obambulantes conspicantur, ipsi eos velut exiles vermiculos aut perexigui corporis formiculas videre sibi videntur, vixque vident: ita qui mēte & cogitatione in alta atque abdita Dei mysteria per multiplices profundæ contemplationis gradus conscenderunt, ij tam magna, tam excelsa, tam incomprehensa inibi speculantur, & demirantur, vt deflexis infernè orbibus, humana omnia, immo absolutè omnia, puncti instar breuissimi esse videant, si tamen videant. Nam vt qui diu in lucidissimo sole ambulauit, dum in vmbracula primùm ingreditur, præ oculorum caligine nihil videt: sic magnis viris cum Deo suo familiariter versantibus vsu venit, vt toti diuinis mysterijs intenti & perfusi terrena nec videant, nec curent. Ab infimis enim rebus, quoad eius fieri potest, se subducunt, semperque ea minimi faciunt, quæ vulgus hominum, quia maiora non nôrit, permagno æstimat. Dionysius porrò, vt qui abundāti supernę lucis copia perfusus omnia ista prorsus vana nihilque esse intelligeret, proindeque se ab illis penitus segregans, illa quæ verè sunt, & magna sunt, tota animi contentione persequeretur, ad Deum assiduè aspirabat, ascendebat, adhærebat, [b] totusque quodammodo Dei effectus (quod apprimè ad diuina percipienda necessariū scriptis suis edocuit) ea quæ paucis nosse datum est, videbat, audiebat, imbibebat, atque ad alios quaqua poterat verborum grandiloquentia (nolebat enim res tantas verbis vulgo obuijs deterere) efferebat. Quippe nimis profanum & irreligiosum esse ducebat, res à communi & vulgari hoc statu tam semotas, tam diuersas communibus ac vulgaribus enunciare vocibus: atque adeò ad honorem & ęstimationem Dei rerumque diuinarum hoc spectare iudicabat, si verbis quàm posset magnificentissimis ea quæ omnem transcendunt magnitudinem, quadam tenus repræsentaret. Hinc voces nouas, & sua compositione eximium quiddam atque omni creato fastigio altius atque augustius designantes, infinitis atque incomparabilibus Dei perfectionibus explicandis efformauit. [c] Quas homines quidam leues, & audaculi, partim ignoratione, partim maleuolentia, deteriorem in partem interpretati, maluerunt stili & eloquentiæ affectationi bene prudenterque dicta attribuere, quàm dignitati rerum atque maiestati assignare; quodque est deterius, Auctoris potiùs

E DIVINORVM CONTEMPLATIONE NASCITVR TERRENORVM CONTEMPTVS.

Libro De diuinis nominibus cap. 7.

CAVSSA GRANDILOQVENTIÆ IN DIONYSIO.

DIONYSIANI STILI REPREHENSORES CVIVSMODI HOMINES SINT.

potiùs cauillari verba & calumniari sermonem, quàm & dicendi genus admirari, & dicentis reuereri pietatem. Ast ego quidem prorsus è contrario, illa ipsa ab eodem Spiritu verba suggesta esse certò scio & credo, à quo & res ostensas non dubito.[d] Neque enim antè ad scribendum aggredi vir sanctus audebat, aut solebat, quàm se feruenti precatione, velut cælesti quadam catena ab humo subleuasset, Deoque iunxisset.

NIHIL DEO INCONSVLTO AGGREDITVR DIONYSIVS.

Denique tam familiares illi erant Dei sermones & oracula, vt sacris quidem in negocijs nihil grande, nihil mediocre, sine diuino viso aut cælesti responso susciperet. Multos in Diaconorum, in Sacerdotum, in Episcoporum ordinem cooptauit, sed vnum absque Dei sententia neminem.[e] Quippe qui & omnibus hoc faciendum Præsulibus disertè edocuit, & complurium conglobatione exemplorum euidenter comprobauit.

Cap. 5. de eccles. Hierarchia.

Ex ipsius quoque institutione, si quis obscurus ac difficilis Scripturæ locus occurrebat, cuius in exoluendo nodo Ministri laborarent, illi Presbyteros adibant, Presbyteri ipsum, ipse autem (nisi si Apostoli in promptu essent) intima templi ingressus Deum ipsum consulebat, & quæcumque is vellet, illo ipso per Angelos inspirante condiscebat. Quemadmodum enim in cælesti, sic & in ecclesiæ principatu ordo est addiscendi, ordo est & docendi: quodque in cælo Seraphini, hoc in ecclesia sunt Episcopi: & sicut ab illis primis inferiores Spiritus, sic ab his subiecti ordines difficilium hauriunt disciplinam. Qui autem in terra sunt supremi, hi à cælo sumunt quod ignorant; vt & qui in cælo summi, à Deo ipso, vt primo fonte, nullius interuētu, cognitionem accipiunt.

HIERARCHIÆ ECCLESIASTICA CVM CÆLESTI CONFORMITAS.

Quæ igitur Dionysius maximè ardua didicit & docuit, hæc quidem aliquam partem è sacris litteris, nonnullam item è Paulli atque Hierothei magisterio, sed tamen multò maximam atque præcipuam, non ab hominibus, sed à Deo & Angelis, precando, meditando, contemplando percepit.

DIONYSIVS DIVINA A DEO EDOCTVS.

Nam si tanta est Dei Opt. Max. in homines benignitas ac beneuolentia, vt contractâ cum illis, (tametsi cum imparibus) amicitiâ, eos consiliorum suorum facere participes, & arcana pandere etiam priuatis non dedignetur; quanta primis militiæ suæ ducibus, quanta Dionysio inter duces strenuissimo ac laboriosissimo & ob mentis eximiam puritatem longè carissimo, siue luce inter ardentissimas preces, siue nocte per obiecta visa inter quietem ostendit?

ANIMI PVRITAS AD SVSCIPIENDAS ILLVSTRATIONES NECESSARIA.

Si enim Deus sol est lucidissimus, & Dionysij anima speculum nitidissimum, & ille quidem ad dispergendos radios semper compositus, & hæc ad recipiendum semper disposita, quidni perpetuò & ille illustraret & hæc illustraretur? Neque sanè vt in hoc aëre, sic in mente, obuelantium interuenit nubium frequentia. Est enim mens iusti à terra & vicino terris aëre, & nubibus hunc aërem constistantibus eleuatior, vnoque ictu & momento ad Deum, cùm voluerit, se penetrat. Dionysius autem tantis vrebatur diuini amoris incendijs, vt illis in alta sublatus, (nescit enim ille ignis in inferioribus detineri) semper cum Deo esset, semper beatâ eius aurâ & sancto diuinoque Spiritu afflaretur. Quod tū accide-

DIONYSIVS IN ECCLESIÆ PERSECVTIONIBVS CLARIVS A DEO ILLVSTRATVR.

accidebat potissimè, cùm exortis in mundo turbinibus (qui imperante Domitiano sæuissimi extiterunt) Dei ecclesiam grauior torqueret necessitas. Cùm enim vir Dei intolerabilem illius Imperatoris superbiam summa impietate coniunctam videret [g] (quippe non DOMINVS solùm, sed etiam DEVS appellari, & diuinos sibi tribui honores tyrannus ille volebat & iubebat) cumque insuper quales & quanti motus aduersus ecclesiam à tam arroganti & tempestuoso mundi huius velut maris gubernatore aut archipirata potiùs exsurrecturi essent, perspicaci mentis acie præuideret, tum ipse, vt verè pius & pro grege suo magis nũc quàm aliàs vnquam peruigilans, vni vero Deo se stringere, arctius eum complecti, ardentiùs exorare, crebriùs & instantius consilia & oracula tam arctis in rebus exposcere: ita vt cùm alia multa de suorum statu, tum etiam de procul remotis, Deo illa sibi manifestante præcognouerit, quę & multa eum consolatione afficerent, & præsentium temporum mœrorem non modò spe futurorum bonorum certissimâ permultum imminuerent, sed etiam prꝗualentibus gaudijs prorsus abstergerent. Nam cùm excitata in pios Dei cultores ab impio tyranno tempestate vnicus iam è toto Apostolorum choro superstes in terris esset dilectus ille Iesu discipulus, cuius in vno capite salus consistebat plurimorum, quem tamen ipsum immanis tyrannus dæmonum furijs agitatus iam morte, iam exilio sublatum è medio cupiebat ([h] nam modò in feruentis olei doliũ immisit, modò in exilium, postquam illæsus è dolio exisset, relegauit) Dionysius de tanti Apostoli & hisce præsertim temporibus tam necessarij salute & incolumitate plurimùm sollicitus, continuis pro illo precationibus diu noctuque insistebat: quin & illius magni Patriarchæ instar cum Deo colluctans, vim quodammodo, si ita loqui licet, pro noto & amico faciebat, vti eius curam gereret, murumque aduersus insurgentes & incursantes bestias opponeret. Quid multa? Deus alioqui inuictus se vinci passus est, & quem fecerat Apostolum, fecit & Euangelistam: sed antequam faceret, consilij sui Dionysium participem esse voluit. Quemadmodum enim olim Abrahamo *in ipso feruore diei* Deus apparuit, ita Dionysio in cælestis ardore caritatis pro ecclesia æstuanti adfuit, & quę circa exulantem in Patmo Apostolum gesturus esset, aliquantò antè indicauit: nimirum vitam eius & incolumitatem ad nouos pro ecclesia labores sibi cordi fore: adeoque propediem futurum, vt ab exilio exolutus in sua reuerteretur, & reuersus euangelium conscriberet: sed euangelium, quo & noui recentium errorum satores confunderentur, & sua Christo ęterna diuinitas vindicaretur. Hac igitur abditorum reuelatione tam amica, tam certa, tam salutari mirificè recreatus Dionysius, quamuis alia celare oracula ex submissionis studio semper adamasset, hoc tamen vnum, quod in amici honorem & consolationem adeò vergeret, nec celare voluit, nec potuit. Nam ad illum his ipsis sæuientis Domitiani temporibus in insula, ad quam deportatus fuerat, degentem litteras dedit: quibus litteris ea, quæ de ipso cęlitus didicerat,

Domitiani Imp. intoleranda superbia.

De S. Ioanne Euangelista quæ præcognovit Dionysius.

Genes. 32. v. 24.

Genes. 18. v. 1

Euangelium S. Ioannis scribendum prædictum.

dicerat, lætus patefecit. Quas ipsas litteras, cùm ad manus habeam, haud bonum factum, si reticuero. Harum proinde exemplum hîc subijciam.

CAPVT XIV.

[a] *DIONYSII ad IOANNEM APOSTOLVM in PATMO exulem litteræ: & nonnulla de sanctis reuelationibus.*

DIONYSIVS IOANNI APOSTOLO.

[b] *Saluto sanctam animam tuam, ô dilecte. Est enim istud mihi erga te præ multis proprium & familiare.[c] Salue, inquam, ô verè dilecte, & ei quidem valde dilecte, qui re vera & amabilis & desiderabilis & diligendus est.[d] Ecquid mirum, si & Christus vera dicit, & iniqui homines eius discipulos ex vrbibus eijciunt, ea sibi, quæ ipsos decent, retinentes, & à viris sanctis, improbi cùm sint, sese disiungentes atque abscedentes. Nam sanè ea quæ videntur, eorum, quæ non videntur, claræ sunt imagines. Neque enim Deus venturis sæculis, iustæ illius, quæ tum ab ipso fiet, separationis auctor caussáue erit: sed ij, qui seipsos à Deo prorsus separauerint, quemadmodum & alteros in hoc ipso tempore cum Deo esse & versari cernimus. Nam vt veritatis sunt amatores, terrenarum rerum affectione se exuunt, atque in omni simul cunctorum malorum vacuitate & libertate, simul in diuino bonorum omnium amore pacem ac sanctimoniam diligunt. Quin & à præsenti hac vita initium futuræ faciunt, dum scilicet medios inter homines tenorem obseruantes Angelicum, ab omni sunt perturbatione liberi, & Deorum appellatione ac bonitate, alijsq́; perfruuntur bonis. Nam ego quidem nunquam ita sim amens,[e] vt te quicquã in hoc tempore pati existimem. Quippe qui corporis mala,[f] hoc vno tantùm quòd ea discernas, sentire te credam. Eos verò qui te iniuria afficiunt,[g] séque euangelij solem exterminaturos haud rectè opinantur, meritò redarguens, opto sanè vt ab ijs quæ aduersus seipsos patrant desistentes, ad bonum conuertantur; téque ad se attrahẽtes luminis participes fiant. Nam nos quidẽ, quicquid demũ aduersi acciderit, clarißimo Ioannis radio priuare non poterit, nunc quidem tui memoria & veræ Theologiæ tuæ renouatione fruituros, paullò pòst autem (dicam enim, etsi audax dictu est) tibi ipsi intimè copulandos. Quippe dignus sum, cui fides habeatur, cùm ea quæ & tibi præcognita sunt, à Deo didicerim, & nũc referam: te scilicet ista Patmensi custodia liberatum iri, atque in terram Asiam postliminiò rediturum, & boni Dei imitationes ibidem editurum, posterisque traditurum.*

IOANNIS APOSTOLI LAVDES.

IVDICII EXTREMI ÆQVITAS.

PIORVM CHRISTIANORVM IN PRÆSENTI ET FVTVRO BEATA SORS.

IOANNES APOSTOLVS SOL EVANGELII.

PRÆDICIT DIONYSIVS SE IOANNEM AB EXILIO CONVENTVRVM.

Hactenus Dionysij litteræ, eæque vaticinandi gratia & amoris spiritu plenæ. Nam quæcumque in illis prædixit, breui postea, vti prædixit, euenêre. Ioannes enim, *Discipulus ille quem diligebat Iesus*, Domitiano propter nimiam superbiam & immanitatem imperio & vita pulso, actísque eius à senatu rescissis, in Asiam dominante Nerua saluus incolumisque redijt. Vbi & euangelium suum, quod ad Christi imitationem inducit, proptereáque BONI DEI IMITATIO est à DIONYSIO appel-

QVOTO ÆTATIS ANNO S. IOANNES SCRIPSERIT EVANGELIVM.

appellatum, iam circiter nonagenarius exarauit. Quis hic porrò Dei noſtri benignitatem (ad eum enim bona omnia tanquam ad fontem remittenda ſunt) quis hìc, inquam, eius in ſeruos ſuos benignitatem ſatis demirari poſſit? Quippe qui illis ſemper, & vbique præſto eſt: cum illis familiariter loquitur: illis ſecreta conſiliorum aperit: illis, ſiqua interrogant, ſi conſulunt, ſi de futuris ſciſcitantur, promptè, & plura interdum quàm ſciſcitentur, reſpondet: quin & vota precéſque non rarò anteuenit: & occulta myſteriorũ, quæ verecundioribus ſcrutari eſſet religio, velut amoris exceſſum teſtari volens, reuelat ac detegit. Nam & ipſi Dionyſio quanta non ſolùm de hominibus, ſed etiam de Angelis, ſed etiam de ſeipſo reuelauit! Nihil enim ferè eius ſcripta omnia, niſi Spiritum illum diuina & abſcondita inſpirantem & reuelantem ſpirãt. Atque adeò in hoc eccleſiæ calamitoſo ſtatu, non modò Ioannem (de quo magis quàm de ſe erat ſollicitus) ab exilio reuocandum, ſed etiam ipſum Domitiani furoribus eximendum, & ſe eiuſdem dilecti Apoſtoli conſpectu fruiturum diuino ſuggerente Spiritu præcognouit.

DEI CVM SANCTIS MIRA FAMILIARITAS ET BENIGNITAS.

REVELATIONES QVIBVS POTISSIMVM FIERI SOLITÆ.

Erant quidem illo ſæculo Dei reuelationes non modò Eccleſiæ Præſidibus, ſed priuatis quoque non paucis (qui vulgo tamen virtute præcellerent) familiares: verùm vtroque ex genere haud ſanè multis, quos cum Dionyſio auſis componere. Nam vt Ioannem, tanquam præcellentem Apoſtolum è numero eximamus, ecquos mihi ex illa ętate pręter Titum fortè, & Timotheum, & Hierotheum, & Carpum Paulli diſcipulos, aut præter Ignatium, Polycarpũ, & Papiam, Petri Ioanníſque auditores, alióſque Apoſtolorum ſectatores quàm pauciſſimos, ecquos inquam præter illos inuenias, quos aliquo modo cùm Dionyſio conferre poſſis? Et tamẽ ipſi Titus & Timotheus (vt è duobus coniectura ſit de alijs) recepti è cęlo luminis palmam eidem videntur Dionyſio detuliſſe. Nam & illum ſæpenumerò ſuper rebus difficilioribus conſuluêre, & implicatiores ſacrarum ſcripturarum nodos ab eo poſtulauere exſolui.

DIONYSIVS AD REVELATIONES DIVINAS EXIMIE APTVS.

Ne verò quiſpiam imprudenter, ne dicam impiè, exiſtimet magnum illum iuſtitiæ ſolem illis tantùm primis ſęculis, & ſuper excelſos duntaxat illos montes, copioſi ſui luminis iaculatum eſſe radios, & abditorum myſteriorũ reſeraſſe arcana: nunc autem velut ſenecta ætate parciorem effectum, nec ſplendores vllos emittere, & reuelationum dona in ſinu abſcondita retinere: is pro certo & explorato habeat immutabilem eſſe Deum, ac proinde omnibus ætatibus peræquè benignum & liberalem, nunquam à ſuorum profuſione donorum, vbi quidem vaſa repererit idonea (& verò ſemper aliqua reperit) deſtitiſſe, aut deſtiturum eſſe. Atque vtinam quidem quàm promptę ſunt Dei manus ad profundendum, tam paratæ ſint hominum mentes ad excipiendum! Neque enim à Deo, qui naturâ ſuâ ſemper idem eſt, ſemper diues, ſemper bonus, ſemper largus; ſed ab homine, qui nec egeſtatem ſuam nouit, nec veras opes quærit, immemor Dei, ignarus ſui, ab ipſo inquam homine, non à Deo iſtorum communicationis bonorum raritas & mentis penuria proficiſcitur.

VNDE QVIBVSDAM TEMPORIBVS DIVINARVM REVELATIONVM RARITAS.

citur. Licet enim tibi, licet alteri paria Dionysio recipere, si paria Dionysio feceris: ita nimirum, vt hæc habeas, quæ & Dionysius: primò quidem tui magnam cognitionem, & despicientiam, vt alios tibi præferas, te nemini: deinde mentem non à grauioribus tantùm flagitijs, sed à minimis quoque noxijs, quoad assequi Deo iuuante valeas, maximè puram ac liberam: tum verò cunctas animi affectiones æquabili rectæ RATIONIS arbitrio egregiè domitas atque subiectas: nempe vt terrena omnia, & quæcumque sub pedibus, velut quodam debitæ contemptionis præsagio, te habere vides, non pluris, quàm ipsa verè sint, facias: tantoque minùs corpori, quàm animæ tribuas, quantò minus seruo ancillæque deberi scis, quàm aut hero aut dominæ: vt prima proinde & maxima pascendæ mentis cura sit, postrema corporis: neu de cibo potionéue (multò autem minùs de delicijs, quæ solius esse debent animæ) nisi admodum moderatè, & tantummodò vt corpus sustineatur, parque sit sustinendis laboribus, cogites. Præterea laudes, honores, dignitates, diuitias, famæ celebritatem, magni nominis gloriam, aliaque vulgo hominum magna (etsi spectantibus Deum perparua sint) non modò non appetas, sed etiam internæ pacis respectu, & æternæ gloriæ studio fortiter reijcias. Post hæc autem id cures, id viriliter studeas, in id toto, quod aiunt, pectore incumbas, tota vt cogitatio tua in Dei agnitione & in eius infinitarum æstimatione perfectionum defixa sit, tota vt memoria in beneficiorum & factorum eius admirabilium grata recordatione inhęreat: denique vt voluntas & affectus & desiderium, & quidquid est fidelis animæ, in vnico Deo & vnicè dilecto continuè, quoad eius fieri potest, immoretur: ita vt (quod idem noster commendabat Dionysius) Dei totus sis, & à te totus excedas. Quod si etiam, eiusdem sancti Pontificis exemplo, susceptis pro Deo laboribus delectère, eósque vltro appetas, & ante quietem & ocium ponas, quodque omnium est maximũ, pro Christo pati, & quælibet acerbissima sustinere, supplicia omniũ voluptatum & deliciarum loco habeas, tum verò longè præstantioribus bonis affluet ac dilatabitur cor tuum, & non modò diuinarum vbertate reuelationum, sed aliorum quoque insimul eximiorum donorum abundantia, vt amicus ab amico, vt familiaris à familiari, confertim cumulabere. Qui enim Sanctorum induerit mores, & diuinos imbiberit amores: idem haud dubiè & dona consequetur Sanctorum, & pari cum illis gloriæ ornamento coronabitur. Iuisse verò Dionysium per hósce omnes gradus, & illa omnino via ad supremum istud sanctitatis, quam adeptus est, & illustrationis, quâ perfusus est, fastigium tetendisse ac peruenisse multò clarissimum ferunt iuxtà & certissimum, tam aliorum, quàm ipsiusmet scripta iudicium & testimonium. De alijs autem claris viris, qui per eosdem calles suis quisque in ætatibus, vsque ad hanc ipsam quam decurrimus, eodem quò Dionysius fastigij conscenderunt (quorum nos quidem nonnullos in consequentibus adferemus, sed plurimos alijs

QVIBVS GRADIBVS AD SVMMAM SANCTITATEM CONSCANDATVR.

CORPORE QVOMODO VTENDVM.

ANIMÆ VIRES QVO INTENDENDA.

QVIBVSNAM PRÆCIPVE CONTINGANT CÆLESTES SANCTORVM DELICIÆ.

ſcriptoribus relinquemus) memorare huius non eſt inſtituti. Iam enim ad alia Dionyſij decora curſum intendimus.

CAPVT XV.

Dionyſij ab extremis Domitiani temporibus vſque ad Traianum res geſtæ.

PERSECVTIONIS DOMITIANI IMP. ACERBITAS.

[a] EIus ſæuitiæ atque immanitatis, quam Domitianus [b] ſupremis pręſertim imperij ſui annis aduerſus Chriſtianos exprompſit, pars orbis nulla exors fuit. Vbique cædes, vbique exilia, vbique cruciatus, illo alterum Neronem repræſentante, auditi. [c] Exterminatus ab illo Apoſtolus, occiſi Pontifices, vexati Epiſcopi, melior ac nobilior eccleſiæ portio varijs modis exagitata, nullibi tutò ſubſiſtere in ſuo permiſſa eſt. Igitur & in Gallia atque Germania, vbi Dionyſius curabat, ſatis turbatum fuit: nec dubium, quin multa per eam tempeſtatem tam in ſe, quàm in membris ſuis, hoc eſt, in progenitis ab ſeſe filijs grauia paſſus ſit. Vt enim parentes in cariſſimorum liberorum dolore & cruciatu plus ſæpenumero dolent & cruciantur, quàm ſi in ſe eadem ipſi experiantur: ſic amantiſſimi ſubditorum ſuorum Epiſcopi grauiùs vel mediocres in ipſis plagas, quàm atrociora in ſemetipſis tormenta perſentiſcunt. Noluit porrò arcana Dei prouidentia ſuum Galliæ Apoſtolum in hoc aduerſo turbine vita eripi, ſed alia in tempora reſeruatum huc illuc ad iuniores animandos athletas & ad neceſſaria debilibus ſuppeditanda auxilia diſcurrere. Itaque locis omnibus aderat, & vbi præſentius periculum docente ac dirigente intus Spiritu aduertebat, illuc aduenturos Chriſti hoſtes omni diligentia præuertebat: ibi laborabat, ibi ſanctum populum cunctis fidei armis ante certamen præmuniebat. Idem verò & alij eius collegæ Epiſcopi pro ſuis quiſque viribus ſedulò ac indefeſſè præſtabant. Quorum vnus quidem annis iam grauis, ſed meritis grauior (is eſt beatus Eutropius Petri Apoſtoli diſcipulus, de quo & ſuprà breuis mentio) egregium in his temporibus certamen decertauit. Nam poſt multos in Santonibus (populi ſunt Galliæ Aquitanicæ) FIDEI cauſſa exantlatos labores, & laborum ingentia dilatatis eccleſiæ terminis operæ precia, tandem premente diaboli inuidia, & populi tumultu concitato, lapidibus primò appetitus, dein fuſtibus immaniter cæſus, poſtremoque ſecuri ad caput illiſa percuſſus plenam in cælos palmam intulit. Eius autem ſpectata in pietatis conflictu animi fortitudo & eximia victoria, cùm Chriſtianos omnes mirificè exhilarauit, tum præcipuè ſocium eius ac comitem Dionyſium hiſce turbidis in rebus adeò recreauit, vti & ad gaudium cum alijs communicandum, & ad gloriam ipſius martyris euulgandam, [e] Acta eius martyrij græcè conſcripſerit. Quæ quòd Clementi Pontifici fore multò gratiſſima certò ſciret (is enim dum in Galliā eum mitteret, marty-

DIVINO CONSILIO EVASIT DIONYSIVS DOMITIANI PERSECVTIONEM.

S. EVTROPII NOBILE MARTYRIVM.

S. DIONYSIVS ACTA EVTROPII MART. GRAECE CONSCRIPSIT.

martyrem futurum præſagierat) [f] ad illum Romæ tum reſidentem & præſidentem miſit, adiectis vnà litteris, quibus poſtulabat, vt eorum exemplum in Græciam, ac præcipuè Athenas ad cognatos & conſanguineos ſuos, alióſque FIDELES tranſmitteret. Nempe glorioſam generoſi pugilis pugnam & victoriam non ſolùm magno illis gaudio fore, ſed efficaci etiam ad paria audenda incitamento vir longè ſapientiſſimus ſentiebat. [g] Hinc etiam à primis eccleſiæ initijs inualuit illa & adhuc perennauit conſuetudo, illuſtria martyrum acta perſcribendi, atque ad exteras prouincias fraternæ inſtinctu caritatis, & ſtudio ſimilis profectus circumquaque dimittendi. Vtinam autem hæc, de quibus loquitur, Acta nunc extarent! Siue enim propter Dionyſij ſacrum laborem, ſiue propter Eutropij egregias laudes, quàm nunc meritò deploranda eſt iſtorum ACTORVM iactura, tam è contrario iuuaret & ſtimularet ſalutaris eorundem lectio atque notitia. Sed his relictis, quæ habere non poſſumus, ad reſpiciendam gratioris cæli ſerenitatem, quam diſiecto & diſtracto huius tempeſtatis commotore Domitiano, ſuæ eccleſiæ reddidit verus & ſolus *DOMINVS*, verus & ſolus *DEVS*, (quàm enim falsò hæc nomina *DEVS* & *DOMINVS* vſurpauerit tyrannus ille, [h] opera docuerunt, exitus iudicauit) cum ſtilo animum aduertamus. Domitiano igitur ſucceſſit Nerua, hoc eſt, ſuperbo moderatus, immani perhumanus; ſucceſſit autem, vt morbo ſanitas, vt nocti dies, vt lux tenebris. Nam tum demum illuxiſſe eccleſiæ clarum iubar viſum eſt, [i] cùm Nerua Imp. obductam mundo caliginem ſuæ ſplendore clementiæ diſſipauit. Exire tum Chriſtiani è latibulis, reuerti ab exilio CONFESSORES, ſua recuperare proſcripti, ad ſolitos cœtus remeare, & conuenire FIDELES per metum antehac diſtracti. Tum & IOANNES ipſe, prima nunc Eccleſiæ claritudo, & verè FILIVS TONITRVI accepto diuinitus & dictato poſt fulgura & tonitrua euangelio, velut alter Moyſes è monte, in quem cum Deo tractaturus aſcenderat, deſcendit, relictaque, quam habitatione ſua beauerat, inſula, repetens Epheſum ſuis ſe reddidit, totiéſque deſideratum, toties expetitum iam denique euangelium euulgauit. Nec mora: differtur per omnia piorum ora lætus rumor: ſed Dionyſius ante omnes eodem nunc audire factum, quo futurum priùs audiuerat, oraculo: nec celare id ſuam plebem, ſed prædicare, ſed ad gratias Deo agendas excitare. Prorſus igitur alia iam erat eccleſiæ facies, quàm paullò antè conſpecta fuerat; læta, hilaris, explicata, amoris & fiduciæ plena, in hymnis & canticis ſpiritualibus Deo deuota, procedens quotidie & creſcens, ſiue ſuis ipſius incrementis, ſiue acceſſionibus alienis. Semper enim eccleſia perſecutione, ſicut vitis, putatione, lætiùs prouenit, latiùs proficit. Hoc in profectu nouos Sacerdotes, nouos Epiſcopos vigil ac ſedulus PASTOR creſcentibus eccleſijs ordinauit. Ex quibus SANCTINVM ad Carnutes tantiſper in fide roborandos miſit, indeque aliquanto pòſt tempore Melden-

ACTA MARTYRVM AD EXTRANEAS PROVINCIAS MITTI SOLITA.

DOMITIANI EXITIVM ET PERSECVTIONIS EXITVS.

IOANNIS EVANGELIVM EPHESI EVVLGATVR.

ECCLESIA PERSECVTIONE SICVT VITIS RESECTIONE PROFICIT.

S. SANCTINVS CARNVTIBVS ET MELDENSIBVS FIDEM ANNVNTIAT.

properantem non poterant, ſed (quod ſecundum in votis erat) comitari abeuntem plurimi properabant. Sciebant enim, quàm non modò ſuauis, ſed etiam ſalutaris virorum ſanctorum ſit comitatus, atque eorum præſertim, qui Apoſtolorum amicitia & familiaritate dignati, præclaris eorum dictis & factis fecundum pectus in ſitientes piorum aures, apertoſque animæ ſinus valeant expromere. Epheſum verò vrbem, vrbem ex nomine ſuo verè deſiderabilem vt venit Dionyſius, & dilectum illum Ieſu diſcipulum, magiſtrum autem ſuum longè dilectiſſimum vt inuenit & conuenit, tanta ambos derepentè mutuo è conſpectu inceſſit lætitia, tam arcta è familiari collocutione orta eſt neceſſitudo & animarum inter ſeſe conglutinatio, vt quadam reciprocatione ſancti amoris alter in alterum tranſiſſe totus videretur. Hic agnoſcebat AQVILA illa euangelica germanum pullum liquidos ſolis radios irreflexa mentis acie intuentem, adeoque ardorum cæleſtium in humano corpore, Angeli inſtar, patientem. Agnoſcebat, & amabat, & fouebat, & in ſublimium reuelationum gyros nequaquam inaſſuetum educebat & circumducebat. Hic verò amoris iuxtà & venerationis plenus, illum vt Apoſtolum Dei, vt ſolem mūdi, vt coronam ECCLESIÆ, vt Prophetā ſæculorum, vt Regis aſſeſſorem, vt Reginæ filium & cuſtodem & heredem tota animi deuotione ſuſpiciebat, colebat, aſſectabatur, nunquā videndi, nunquam audiendi, nunquam admirandi ſatur. Pluſculis igitur hebdomadis, vel menſibus potiùs vnà cùm fuiſſent, deque proceſſu euangelij in his atque illis mundi partibus, nec non de erroribus modò enatis, & eorum ducibus Chriſti diuinitatem aliaque FIDEI myſteria impugnantibus collocuti eſſent, tum illum Ioannes euangelio ſuo adhuc recenti, & planè muſteo (quod nimirum ipſe Spiritus ſancti muſto plenus iam modò eructauerat) donatum, & ſua benedictione munitum in occidentis plagas, vnde venerat, & vbi precioſa eum palma expectabat, renauigare hortatus eſt. Hic autem, tametſi ab illo velut vnico mundi miraculo auelli per ſe graue eſſet, tamen diuinæ cedens voluntati, & honorem Chriſti præ ſuis commodis ponens, iter eſt aggreſſus. Quo in itinere & ad ſua regreſſu, multò etiam magis, quàm dum ad Apoſtolum tenderet, à populis & vrbibus occurrebatur, deducebatur, detinebatur. Tum & Athenienſem reuiſiſſe eccleſiam, finitimáſque illi vrbes olim ſibi excultas (quippe aut illò, aut certè non procul via ferebat) incredibili illarum eccleſiarum gaudio adijſſe, & inibi aliquamdiu commoratum eſſe ipſa perſuadet patris in liberos caritas. Deus bone! qui tum ad ciuem ſuum, ad doctorem, ad paſtorem, ad patrem mortalium concurſus, videre, tangere, amplecti, diſſuauiari hunc Angelum Dei contendentium! Quoties eius expetiti congreſſus! quoties poſtulatæ exhortationes! quibus tamen habendis nulla ædes, nullus ſacer locus ob ſancti populi affluxum ſatis amplus capáxue erat. Verba porrò ipſius, partim referentis, quæ cùm alibi, tum maximè in Gallia fundatæ eſſent eccleſiæ, qui eam vineam viri illuſtres coluiſſent, colerentque:

DIONYSIVS IOANNEM MAGISTRVM EPHESI CONVENIT.

IOANNIS EVANGELISTÆ LAVDES.

REMITTITVR DIONYSIVS A IOANNE IN OCCIDENTEM.

lerentque: quàm præclara illic nuperà in persecutione extitissent martyrum certamina: partim memorantis, quæ in Asia præsens vidisset, quæ ab alijs audisset, de discipulo potissimè illo, *quem diligebat Iesus*, & quem nunc totus orbis Christianus vnicè & singulariter deamaret, & pro cuius vita & incolumitate vota quotidie faceret, verba, inquam, ipsius hæc & talia publicè annunciantis, velut cælestia quædam oracula cupidissimis excepta auribus in profunda mentis dimittebantur, vt ad posteros redundarent. Id autem præcipuè Dionysius spectabat, vt auditores suos ad eorum quos prædicabat, & quorum pulchras ac verè aureas de fide, de pietate, de alijs virtutibus sententias inter dicendum subinde ingerebat, reuerentiam & amorem & imitationem stimularet. Minimè enim eos audiendos esse dicebat & ingeminabat, qui diuersa ab illis magnis viris sentirent, qui suam Christo diuinitatem impiè ac sacrilegè ereptum irent, qui alia quàm Apostolorum semita graderentur,[e] (Ebionem scilicet ac Cerinthum & similes denotabat) contra quos habere se luculentum Ioannis Apostoli & nouissimi Euangelistæ, hodieque superstitis testimonium ostendebat, qui primò euangelij sui in cursu illos petat, ac velut intorto è supernis nubibus, cum fulgure & tonitru, fulmine subuertat, dicens: *IN PRINCIPIO ERAT VERBVM: ET VERBVM ERAT APVD DEVM, ET DEVS ERAT VERBVM*, & alia, quæ ibi consequenter aduersus illos faciunt, & diuinam Christi naturam planissimè adstruunt. Ita visitatis & in fide confirmatis Græciæ ecclesijs, Italiam versus cursum direxit, Romámque tandem multa per viam eluctatus amicorum retinacula (quocumque enim appellebat, vincula caritatis & iura hospitij illum quàm arctissimè constringebant) ad Clementem Papam veterem amicum & collegam venit: vbi diutiùs consistere & immorari non caritas modò suasit, sed auctoritas quoque suprema & tractandarum rerum necessitas adegit. Interea huius moræ quædam res se obtulit, quæ inhabitantem in Dionysio vera vaticinandi spiritum commoueret. [f] Adolescentem quendam Romanum, TAVRINVM nomine, Tarquinij & Eutychiæ filium, matris rogatu, (quæ clam infideli marito Christiana erat) sacris vndis abluerat beatus Clemens: quem cùm Dionysio commendaret erudiendum, vnaque piæ matris de filio somnium referret (erat autem somnium rite coniectantibus futuræ index sanctitatis, nempe lilium odoriferum è parturientis vtero prodire visum) cõiectis Dionysius in adolescentem oculis, in hanc subitò erupit vocem: *O fili, multa pro Christo tibi debentur certamina.* Nec vana fuit vaticinatio. Obtenta à Clemente discedendi facultate, duxit illum sanctæ eius matris victus precibus (quæ prudenter filio à patre infideli metuebat) secum in Galliam, accuratè instruxit, instructum sacris ministerijs adhibuit; denique prospiciens, immo iam multò antè certò præscius, quanta pro Christi nomine esset perpessurus, Episcopi munere, vt pòst dicetur, honorauit. Reuersus igitur in Galliam Dionysius, quò iã diu expectabatur

Ioannis 13. versu 23.

Ioannis 1. versu 1.

VATICINANDI SPIRITVS IN S. DIONYSIO

S. TAVRINI INITIATIO ET EDVCATIO.

VISI NOCTVRNI EXPLICATIO

DIONYSII IN GALLIAM REGRESSVS.

tur & desiderabatur, dici non potest quantis sinceri amoris & verorum gaudiorum significationibus passim exceptus sit. Reducem enim & saluum & velut renouata iuuentute viuidum atque alacrem ex longo itinere videbant pastorem illum suum & ducem, cui alium, si illo orbarentur, vix erat vt auderent sperare similem. Credibile est autem primò Arelaten (quò ex Italia breuis est traiectus) nauem applicuisse, hocque ingressu oppidanos primi illius sui ingressus fecisse memores, quò vnà cum socijs à Clemente missus illuc appulerat, ipsisque Episcopum dederat: nunc autem cum nouo beati Ioannis venire euangelio longè diuinissimo, cuius sit exemplum ipsis relicturus omni thesauro preciosius. Quo illi audito, mirum quantum exultare & triumphare gaudio, tam de sanctissimi Apostoli memoria, de quo non pauca Dionysius memorabat, quàm de tanto eius dono & monumento, cuius origo prorsus diuina & cælestis existeret. Cùm autem iusto illic tempore partim ad pernoscendum ecclesiæ statum, partim ad danda eis mandata & communicandos animi sui sensus restitisset, tum ad alias pari modo, & simili gratulationum, gaudiorum, hilaritatum mutua profusione, Parisios vsque contendit. Quid ibi autem fecerit, nunc exequendum.

CAPVT XVII.

Dionysij ad Parisios reuersi extrema studia atque ad FIDEI certamen præparatio.

QVemadmodum amittendi Dionysij, quamdiu is in itineribus fuit, maior Parisios quàm quoslibet tenuerat metus: ita eius recepti longè copiosior quàm vllos alios lætitia & triumphus incessit: atque eo sanè solidior, quòd illum maximo iam natu ([b]annum enim nonagesimum ætatis excesserat) amplior certiorque spes erat perpetuò apud se deinceps retinendi. Nuntiatum igitur de propinquo eius aduentu cùm esset, probissimi quique certatim & densis agminibus illi occurrere, amplexari, reditum cõgratulari, gestu & verbis totaque vultus hilaritate extraordinariæ voluptatis sensum testificari. Ad cœtus verò in ædem sacram vt ingressus est, verbáque ad concionem habuit, Deus immortalis! quantum modò ex eius veneratione, in confertissima licet turba, silentium! quantæ modò ex dictorum admiratione & approbatione acclamationes! quanti etiam ex inundãti dilatatæ mentis gaudio fluctus lachrymarum! Percurrente enim illo benignissimi Domini erga se toto itinere beneficia: recensente etiam quos viros sanctos & hic & illic viderit, conuenerit, suspexerit: Ioannem in primis Apostolũ ad stuporem mundi in mundo relictum: cuius secum nouissima scripta, euangelium deportasset; [c]euangelium scriptionis tempore quidem postremum, sed mysteriorum altitudine & nobilitate facilè primum: in quo & nonnulla ab alijs euangelij scriptoribus omissa diuino agitante Spiritu suppleuerit, & quædam breuiùs concisiúsque exarata, pleniùs distin-

PARISIORVM ERGA DIONYSIVM AFFECTVS.

IOANNIS EVANGELIVM ALTITVDINE MYSTERIORVM ALIIS NOBILIVS.

distinctiusque expresserit: talia, inquam, recensente Dionysio, & quæ idem Ioannes in Patmo egisset, quæ nunc Ephesi ageret, quàm diuinis virtutibus polleret, quæ signa & prodigia morbidis curandis, mortuis suscitandis in dies patraret, referente, atque ad amplexandam eius doctrinam, & imitandos mores sanctissimos incitante, mirabiles conciebantur animorum motus: nihilque esse apparebat, quod hactenus in Christi schola fecerant, præ eo quod in posterum (tantus virtutum ardor omnes incenderat) facturi videbantur. Nequit enim dici quantam vim ad commouendas mentes habeant, viuorum adhuc & superstitum velut spirantia exempla, digno ex ore in tempore prolata. *Mala aurea*, inquiebat ille SAPIENS, *in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Hoc nunc Dionysius agebat: cuius verba præterquam quòd in tempore suo dicebantur, etiam erant eiusmodi, vt non tam malis aureis in lectis argenteis, quàm facibus igneis è cæli incendijs conferenda essent. Quamuis tamen id quoque illi frequenter accideret, vt ardorem inflammati pectoris exprompta verba haud exæquarent. Nam & in priuato scribens non rarò id patiebatur. Sed iam ad alia. In Traiani nunc versamur temporibus. [d] Nam Neruæ imperium breue admodum, nec sesquianno par, totum in peregrinatione, quam depinximus, consumptum est. A quâ peregrinatione studium Dionysio fuit, quod reliquum esset supremæ ætatis, tanquam vltimum vitæ actum excellenter peragere. Hoc igitur in duobus posuit: vno quidem, vt se hostiam puram & immaculatam & acceptissimam Deo præpararet: altero autem, vt toti ecclesiæ, quoad facultas ferret, non in præsens tantum, sed etiam in futurum profutura relinqueret. Is enim est magnarum animarum scopus, ea viuidorum ingeniorum est cura, nequaquam angustis huius fugacis æui terminis laborum suorum fructus coarctare, sed ad omnia pòst sæcula, si fieri possit, longissimè propagare. Quocirca cùm libros antehac nonnullos (vt est à nobis alibi indicatum) conscripsisset, quorum aliquos ordine (quem sacris in rebus diuinisque mysterijs, si alibi vspiam, obseruari perequum est) firmando stabiliendóque longè vtilissimos Timotheo dedicasset, visum est ei iam seni cùm illos, tum alios ad limam & amussim reuocare, locisque ex nupero Ioannis euangelio desumptis exornare simul & roborare. Vt enim auctorem ipsum, sic eius scripta incredibile quanti faciebat. Cordi autem in primis fuit recens fundatas seu à se, seu ab Apostolis in Gallia & viciniore Germania ecclesias sedulò visitare; quantus in singulis populus vera religione imbutus esset, quantus etiam restaret imbuendus, obseruare: num qui inter illos falsi fratres aut errorum clandestini prosatores exitterent, cautè explorare: diuina officia in festis conuentibus, si decenti ritu & consentaneis cærimonijs celebrarētur, perspicaci oculo contemplari: cum ipsis item Pastoribus & Ministris priuatim crebrò agere: rei bene gerendæ & subditorum sibi deuinciendorum præcepta tradere: à fide quoque extraneos illiciendi atque ad Christi legem traducendi rationes condocere: ante omnia

VIVORVM EXEMPLA, MAGNI AD VIRTVTEM STIMVLI.

Prouerb. 25. versu 11.

QVA DIONYSIVS EGERIT TRAIANI IMP. TEMPORIBVS.

LIBROS SVOS DIONYSIVS RETRACTATIORES EDIT.

SOLLICITVDO ECCLESIARVM VISITANDARVM ET IN FIDE FIRMANDARVM.

omnia autem mutuę illos caritatis,& concordiæ res paruas exaugentis, & diuisas coagmentantis impendiò commonere. Populus verò, seu ad aras facientem sanctum senem spectaret, seu habentem verba ad concionem audiret, mirè affici animo, nec verbis solùm, sed aspectu ipso capi; nec dubitare, quin à tali profecta sanctitate sibi pro oraculis recipienda, sibi omni studio exequenda essent.

SANCTORVM VERBA QVASI ORACVLA.

Adeò in veneranda canitie spectatæ innocentis vitæ sanctimonia, pertrahendis quoquò velit mortalium animis plurimum potest! Sic visitabat vir ille diuinus commissas sibi prouincias, sic formabat, sic firmabat, sic ad virtutem animabat, sic omnis armaturæ genere ad se suósque tuendos, ad alienos amore, labore, constantia peruincendos obarmabat. Atque hæc magna & prima eius erga FRATRES occupatio fuit. Altera in responsis, cùm multi vndique eum consulerent, quæstiones proponerent, de statu ecclesiarum renunciarent, dandis ac referendis. Extant eius aliquot epistolæ, quibus testatam hanc occupationem habemus: vtinam omnes! Plura enim in his speculis eius doctrinæ atque prudentiæ exempla intueremur.

DIONYSIVM NVLLA QVAMVIS GRAVES ET MVLTA OCCVPATIONES A DEO ABSTRAHVNT.

Sed in tantis quæ illum vrgebant & premebant externis occupationibus, semper secum, semper cum Deo, semper totus Dei erat. Neminem enim nisi illum in cunctis quæritabat, nullius nisi illius honorem & amorem venabatur. O si hoc etiam ijs qui idem munus gerunt, accideret vniuersis! Quàm bene cum omni ecclesia ageretur! vbi tunc lupis, vbi vulpibus esset locus? certè nec illi oues deuorarent, nec hæ vineam deuastarent. Adesset enim omni loco suis pastoribus, suis custodibus ille bonus PASTOR, & vigil custos, qui & illos sub ouina pelle delitescentes detegeret, & has per cuniculos subrepentes ad lucem extractas demonstraret. Est enim profectò dictu incredibile, quantum sancti Episcopi à sole suo IESV CHRISTO recipiant luminis, & quàm pauca quæ ad ipsos, & ad gregem suum spectent, eos lateant. Aliàs multa Dionysius de se & suis: [c] nunc & de appetente extremo certamine & vicina gloriosę mortis victoria edocetur.

Vincent. Bellouac. lib. 10. cap. 33.

DIONYSIVS DE VICINA MORTE DIVINITVS PRAMONETVR.

Itaque cognito breui adesse tempus, quo pertingendum esset ad metam, per omnia terræ Galliæ loca circumfert acutæ mentis aciem, ac si quid vspiam desideretur, affulgente de cælo lumine studiosiùs inspicit: & ecce quasi Ebroica supplices tenderet manus (est autem Ebroica Galliæ Celticæ antiqua ciuitas) & Pontificem postularet, diuino motus spiritu Taurinum illi Pontificem dedit, virum sanè illis temporibus, eique regioni aduersus dæmones & magos prorsus necessarium.

S. TAVRINVS CREATVR A DIONYSIO EPISCOPVS EBROICENSIS.

Cuius diuinam electionem nec ipse dissimulauit MALVS. Nam cùm nouus Præsul suscepto per manus impositionem sacro ministerio, ad concreditam sibi vrbem proficisceretur, ecce iste versipellis suam hic rem agi cernens, & ad veteres suas artes confugiens, conatur aliquoties eius iter, quod sibi perquam noxium præsentiebat, intercludere.

DÆMON AD TERRENDVM TAVRINVM EIVSQVE ITER ET LABORES IMPEDIENDOS VARIAS FORMAS INDVIT.

Iam enim informis vrsi speciem indutus, iam leonis rugientis terrorem imitatus, iam ferocientis bubali impetum prætentans, in virum Dei tanquam membratim discerpturus incurrit. Sperabat scilicet hisce multi-

multiformibus terriculis accessu vrbis prohibere: verùm sanctus Antistes talium fraudum haud ignarus, in Domini verbo, & ope Dionysij confidens, omnes elusit & irrisit artes, &, *ô miser*, inquit, *qui conditoris tui deserta similitudine, mutis te assimilas bestijs, ecquid tibi post hæc melius? an nouo iam aliquo demulceris gaudio?* cui ille, nescio quid rancidum infrendens: *Ecquod mihi possit esse gaudium*, inquit, *quando tu cum Deo tuo huc veneris meum subuersurus dominatum? sed faxo equidem, vt qui te huc transmisit, breui intereat: tecúmque solo deinceps singulariter dimicem*. Vix dixerat, nec vsquam fuit. Nimirum coactus est, vt sæpe aliàs, mendacij pater, & de Dionysio & de Taurino eius discipulo edicere veritatem. Propterea scilicet atrocissimum illi bellum renunciabat, quòd eum cunctis Christi athletis præsentissimam ferre opem, seque omnibus sensim expelli prouincijs, & simulacra cum fanis & delubris passim prosterni, ludibrioque haberi cerneret.

DÆMON COGITVR DE SS. DIONYSIO ET TAVRINO EDICERE VERITATEM.

Voluit porrò Dionysius, quod & fecisse Paullum meminerat, aliquos è discipulis suis habere testes martyrij, qui acta ipsius ad Dei honorem & fratrum vtilitatem conscriberent. Cui rei Sanctinum & Antoninum è Carnutibus euocauit. Sed quòd ipsorum scriptos de magistri rebus cōmentarios in præsentia non habeamus, cogimur aliunde ea, quibus coniunctim deficimur, hinc inde varijs ex ecclesiarum tabulis labore haud paruo disiunctim quærere. Sed non in tenui labor, is præsertim qui prælustrem trium inuictorum pugilum pugnam vna in arena spectandam exhibebit.

DIONYSIVS SANCTINVM ET ANTONINVM SVOI INTERESSE VOLVIT MARTYRIO IDQVE LITTERIS PRODERE.

CAPVT XVIII.

Dionysij sociorúmque comprehensio, & Lisbij nobilis viri eorum fautoris martyrium.

Michaël Syncellus in encomio S. Dionysij.

[a] ECclesiæ rebus (labente in dies magis magisque superstitione) læto iam passu procedentibus, tanti impatiens successus ille hominum & virtutum iuratus hostis Diabolus præcipuos inuidiæ suę ministros ac satellites (quales ferè id temporis plerique omnes erant prouinciarum Præfecti ac Præsides) cùm in Christianos communiter vniuersos, tum præcipuè in celeberrimum ea tempestate Dionysium Areopagitam furore & feritate obarmauit. Horum igitur iussu perquisitus ad necem vir sanctus & cælo iā maturus, in vrbe Lutetia, vbi post multos laboriosæ sementis annos copiosam exuberantis FIDEI messem legebat, [b] in ipso euangelij præconio comprehensus est. Quippe iam fortis & indefessus athleta cursum consummârat, fidem seruârat, tempusque tandem aduenerat, quo ad repositam sibi suisque laboribus coronam conuolaret. [c] Sæpe alioquin illum Druides (hi erant Galliæ prisci flamines & sacrificuli) [d] ad necem & carnificinam perquisiuerant: sæpe quasi iam iam capturi in eum eminus conspectum stipati turbis incurrerant: sed capiendi potestatem, distante adhuc horâ, Dei manus retardarat.

DIONYSIVS IN IPSO EVANGELII PRÆCONIO COMPREHENDITVR.

DRVIDES GALLIÆ FLAMINES DIONYSIO SÆPIVS INSIDIATI.

darat. Cùm enim nonnunquam abeo proximè abessent, & tantùm non manibus prædam tenerent, eam Dominus seruo suo gratiam oris affundebat, id lumen oculis, eam voci atque sermoni virtutem immittebat, vt magis ipsos caperet, quàm ab ipsis caperetur: adeò vt qui ad mortem rapturi venerant, ipsi in admirationem & stuporem rapti consisterent, manusque ad FIDEM inuitanti vltro darent; aut certè siue ab ipso, siue ab Angelo ipsius custode conterriti fugam capesserent. Quæ quidem cunctos euangelij præcones & pro Christo Dei legatione fungentes, sed eos præsertim, qui in terris longinquis, aut barbaris in nationibus peregrinantur, plurimùm permouere, atque ad spem suam in Domino, cui se curæ esse nórint, omni depulso metu firmiter collocandam meritò incitare atque inflammare debeant. Comprehensus igitur ad extremum est Dionysius, sed vt bonis certaminibus auream imponeret coronidem, atque vt de hostibus simul semélque omnibus, & de ipsa insuper morte mortuus triumpharet. Atque vt qui laborum & periculorum indiuulsi hactenus comites ei adhæserant, extremi quoque certaminis & præparatorum ab æterno præmiorum simul consortes forent, vnà cum illo Rusticus & Eleutherius (quorum illum Sacerdotem, hunc Diaconum consecràrat) simul capti, simul vincti, simul ducti sunt.[e] Insignis autem DIONYSII alacritas animique fortitudo ad tribunal & ad mortem, quasi ad epulum, gradientis, iuncta dicendi & religionem propalam confitendi egregia libertate atque fiducia, litteris est mandata tam grecis quàm latinis. Oblatus enim Præfecto, & de genere, de patria, de studijs interrogatus, pro cunctis vnum (illa enim alia nihili, hoc vnum maximi reputabat)[f] SE CHRISTI SERVVM ESSE respondit. Quærenti rursus,[g] essétne ille, qui populos à Deorum immortalium cultu auerteret, qui arte magica hominum animos fascinaret, qui inuictis Imperatoribus contumaciter se opponeret, ipse infracto constantique animo, se impietatis euersorem, simulacrorum destructorem, dæmonum supplantatorem, ingenuè intrepideque confessus est. Flagitanti denique ecqua esset sua religio, qui cultus, quæ professio, ipse vnaque bini socij, trium instar puerorum medijs in flammis inambulantium, spiritu & gratia pleni[h] clarissimam FIDEI suæ professionem vno ore ediderunt. Quâ ille auditâ: *A vobis igitur*, inquit, *nostrorum Imperatorum atque Principum iussa & mandata contemnuntur? à vobis inuiolatorum Deorum honos & potestas despicitur atque violatur? Atqui ego, quanti ista vobis statura sit superbia atque contumacia, faxo breui vt experiamini*. Hæc cùm diceret, ecce Larcia matrona, Lisbij, de quo suprà diximus, coniux, cui multæ pridem cum marito religionis caussa disputationes & altercationes intercesserant, arrepta huius temporis occasione, furoris & irarum quas dæmon succenderat plena, ad Præfectum properè adit, & vtrumque grauiter incusat, maritum & Dionysium, hunc magię, illum impietatis: nempe maritum suum magicis illusum artibus maximos quosque Deos minimi facere, vnum præ illis nescio quem furciferum plurimi æstimare:

IIDEM VT DIVINA INTREPIDI.

RVSTICVS ET ELEVTHERIVS VNA CVM DIONYSIO COMPREHENSI.

Michaël syncellus in encomio.

DIONYSII AD MORTEM ALACRITAS ET DICENDI FIDVCIA.

LARCIA MATRONA DIONYSIVM MAGIÆ ACCVSAT, ET LISBIVM MARITVM IMPIETATIS IN DEOS INSIMVLAT.

LISBII ARDENS IN CHRISTVM PIETAS.

æstimare. hunc continenter in ore habere, hunc venerari, huic preces & vota offerre: nullis quæ ad eius honorem faciant impensis parcere, quin etiam ad Deos immortales deserendos, quorum nec vnum in laribus reliquerit, assiduè se cohortari, & vnam sibi dies noctésque cantilenam occinere: *Debes fieri Christiana*, hoc est, vt ego quidem interpretor, inquiebat, maga & sacrilega. Quæ cum ita sint, per omnes Deos etiam atque etiam se rogare, vti marito, quam possint, medelam citissimè afferant: de sortilego autem illo & venefico, vt meritus ipsis videbitur, ita statuant: se enim in tanto vitæ & religionis dissidio quietum trahere spiritum nequaquam posse. Quibus illi auditis tam in hanc improbam impiè misericordes, quàm in istos longè probissimos immisericorditer impij, bono eam animo esse iubent: daturos se actutum operam, vti & maritus ad mentem redeat, & magus ille suis dignas artibus & malis dolis pœnas luat. Nimirum sperabant se facili negocio rem cum Lisbio transacturos. Quo factum est, vt cùm contrà quàm sperauerant, prorsus eueniret, (mox enim tribunali adfuit, & pro FIDE & CHRISTO rupis instar immotus stetit) nullisque eum nec argumentis, nec minis, nec blanditijs mouere de sententia possent, immo & cæcitatis in Deorum & religionis æstimatione ab eo redargui se sentirent, nec ferrent, subtilibusque subinde inspiratarum è cælo rationum aculeis se ad viuum pungi non sustinerent, sic, inquam, factum est, vt sui nimis impotentes, mortis in eum præcipitarint sententiam, dumque vitam putant eripere, immortalem ei gloriam præpararint. Breui siquidem postea pro Christiani nominis propugnatione, capitis supplicio affectus, æternam martyrij lauream, plaudentibus è cęlo Angelis, est consecutus. Ita magistros suos & doctores nimis quàm felici sorte discipulus antecessit: & ita antecessit, vt suæ in ipsos Deo acceptissimæ hospitalitatis eximiæque caritatis (qua ipsos primùm in Parisiense territorium ingressos excepit, iuuit, protexit) triplex à Deo benignissimo præmium receperit. Quorum primum quidem & maximum fuit, illa, quam diximus, nobilissimi martyrij laurea: secundum verò, Larciæ vxoris, pro qua tot ad Deum preces viuus fuderat, ad eandem fidem, eandemque palmam, vt infrà ostendetur, vocatio: tertium denique, totius posteritatis suæ, hoc est, domus Montmorencianæ (quæ istorum martyrum vera est & germana soboles) perennis in Christianâ FIDE constantia, ac tot quidem in reuolutionibus rerum & honorum, inconcussa prosperitas. Nam domi iuxtà & militiæ, in sacro peræquè & populari statu, nec sine clara *litterarum* luce, & testata *sapientiæ* laude, illa etiamnum viget claretque familia: & quidem secundis Christianorum votis & apprecationibus æternum videtur claritura. Cùm enim Lisbius communi & inueterato totius gentis consensu, illius habitus sit hactenus, & nunc habeatur familiæ caput, indeque profluxerit, vt Baro Montmorencianus passim *PRIMVS BARO CHRISTIANVS FRANCIÆ* appelletur, hinc ea inualuit consuetudo, vt quocumque in exercitu quispiam imperet Montmoren-

LISBII A DIONYSIO AD FIDEM CONVERSI CONSTANTIA.

EIVSDEM MARTYRIVM.

HOSPITALITATIS MERCES.

MONTMORENCIANÆ DOMVS ORIGO ET PROSPERITAS A S. LISBIO MARTYRE.

PRIMVS BARO CHRISTIANVS FRANCIÆ.

morencianorum, his illi acclametur ominis longè faustissimi vocibus: *AVXILIETVR DEVS PRIMO CHRISTIANO*. Quod indigenæ sua lingua vulgò sic efferunt: *DIEV AIDE AV PREMIER CHRESTIEN*. Qua in re & pius acclamantum in FIDEM Christianam affectus recognoscitur, & in prælijs tota victoriæ fiducia in Dei solius auxilio reponitur. Ad cuius auxilij promptam impetrationem dum *PRIMI CHRISTIANI* memoria renouatur, ipsæ sancti DIONYSII in agro Parisiaco primitiæ, & velut opima de incredulitate spolia apposite commemorantur. Nempe ista est grati animi, & beneficiorum diuinitus olim acceptorum maximè memoris non minùs pia, quàm læta significatio. Succinctæ enim illius & succulẽtæ acclamationis hæc ferè est vis & sententia: *Domine Deus exercituum, qui oblatas à Dionysio Gallicanæ nobilitatis primitias in Lisbio accepisti, eidémque contra FIDEI hostes illustrem martyrij palmam contulisti, eiusdem nunc piæ, fideli, miniméque degeneri propagini aduersus impios sanctæ religionis impugnatores fortiter opitulare.* Hoc, inquam, breuicula illa acclamatio significat, hoc petit, hoc impetrat. Quia verò eadem Lisbiana seu Montmorenciana domus, vti puram ab initio suscepit FIDEM, ita deinceps integram inuiolatamque, nec vllo permistam hæreseos aut erroris cuiuslibet inquinamento hactenus conseruauit, conseruatque, idcirco in suis insignibus gentilitijs tam aptè, quàm iure breuissimum illud vnius vocis inclusit elogium: ΑΠΛΑΝΩΣ· *ABSQVE ERRORE*; & græca quidem, vt opinor, voce, quòd qui primus ex ea stirpe erroris abegit nebulas (beatus scilicet Dionysius) Græcus esset. Benedictus autem Deus, cuius *misericordia à progenie in progenies timentibus eum.* Sed terni athletæ nostri, viso hoc fautoris & hospitis sui spectaculo quidnam? Nempe tantùm abfuère, vt vel præ metu animis caderent, vel mœrore aliquo (quemadmodũ sibi fortasse hostes persuaserant) percellerentur: vt potiùs exultantis animi motus, & interni vim gaudij nec capere possent, nec celare. Quod enim maius & amico & hospiti & fratri, immò & sibi optarent ac vellent bonum, quàm tali pugnatâ pro CHRISTO pugnâ transire ad regnum? Neque tam tardi, opinor, & bardi erant ipsi iniquitatis satellites, quin ex fronte eorum & vultu latentes animos & se extrinsecùs prodẽtia optatissimæ mortis vota peruiderent. Hinc etiam ipsi magis excruciari, & ad nouas excogitandas carnificinas in tempus aliud cum minis & detestationibus athletas differre, atque in tetrum carcerem mittere. Sed quo profectu iam considerabitur.

GRATI ANIMI PIA INDICIA.

ELOGII MONTMORENCIANORVM ORIGO.

Lucæ I.

CAPVT XIX.

DIONYSII & sociorum eius inclusio, diuerberatio, dilaceratio, martyrium.

CONSCIENTIA VIS PRORSVS ALIA IN MARTYRIBVS QVAM IN FACINOROSIS.

LOngè alia, vt hic est intueri, in facinorosorum iudicijs est ratio,

quàm in cauſſis martyrum. Ibi & iudices tranquilli ſunt, & rei tremunt: hîc autem & quæſitores perturbantur, & martyres, in quos inquiritur, ſecuri ſunt. Quippe iſtos ſuorum conſcientia ſcelerum exagitat, & quas meruerunt pœnas, identidem ſibi obuerſari oculis putant: hi verò nullius culpæ conſcij, & ſuorum benefactorum memores, ſpe certa præmiorum vel medijs in tormentis recreantur. Hoc in tribus hiſce regni æterni candidatis plùs ipſa luce dilucet. Nam cùm in iudicijs Præfecti ipſi inſtar tempeſtuoſi maris, hinc inde varijs irarum & furoris perturbationibus contra inſontes agitentur: hi, tanquam res aliena agatur, non ſua, nihil iudicio, nihil minis, nihil propoſitis ob oculos tormẽtis commouentur.

MARTYRVM IMMOTA CONSTANTIA.

Adiudicat illos Præfectus diræ verberationi: illi gratias Deo agunt: trahit, raptat, vexat carnifex: nihil reſiſtunt. Cruciat, clamat, fodicat tortor: ne gemunt quidem. Et ſanè pulchrum hîc erat & dignum, in quod cælites omnes, & Deus ipſe oculos intenderet, ſpectaculum.[b] Hic enim ſtabat ſenex centum eoque amplius annos natus, canicie venerabili, modeſtia, grauitate, manſuetudine ſingulari: illìc fero & truci aſpectu lictores: iſtic virgæ, ſecures, cataſtæ, fidiculæ, equulei, alia crudelitatis inſtrumenta: quæritur inter hæc, quid habeat ſenex animi, Chriſtúmne abnegando iuſſis parere Imperatoris, & iſta euadere terribilia, an Imperatori obluctando cunctas ſubire, quas in oculis habeat, tormentorum acerbitates, & dura intolerandaque omnia experiri? Nihil moræ vir ſanctus in re minimè dubia facit.

DIONYSII CENTVM ET DECEM ANNOS NATI ADVERSVS TORMENTA MAGNANIMITAS.

Stat, inquit, *hæc omnia & maiora pro Chriſto pati. Tantùm illo fruar: & omnia in me tormenta veniant.* Iam igitur videre erat iſtos iam pridem humani ſanguinis ſitientes tigridum more in ſenem irruere, immaniter propulſare, veſtes diloricare, nudum in medio ſtatuere, virgis omni ex parte concidere, & ſenile ac effœtum corpus nullo reſpectu dilacerare: illum autem inter diros immanium verberum crepitus, nihil aliud, niſi Dei opt. max. laudes quanto maximo affectu celebrare, niſi commilitones ad paria cæli beneficia cohortari. *Laudem DOMINI*, inquiebat, *loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto eius: quoniam ſtigmata paßionis Chriſti perferre dignus habitus ſum pro confeßione eius in corpore meo, quæ gloria eſt veſtra, ô viri fideles, & dilectißimi fratres. Quocirca nec vos hæc mea tormenta terreant, ſed animent potius, atque ad eadem pro nomine Ieſu Chriſti perferenda inflamment.*

Pſal. 144. verſu 21.

Sic igitur & vnicus & ſenex & nudus & inermis tortores multos & iuuenes & validos & armatos generosè ſuperauit, nec enectam propè verberibus ſenectam non modò de animi propoſito deturbare, ſed nec minimum quatefacere FIDEI baculo innixam ter terni inuicem ſuccedentes potuère barbari lictores. At ſocios fortè vicerunt. Nihil minùs.

SOCIORVM S. DIONYSII FORTITVDO.

Atrociſſima quidem verberatione & membrorum plurimo ſanguine perfuſorum cruentatione inſtiterunt, vt vincerent, aut verbum ſaltem vnum fracti aut debilitati elicerent animi, ſed idem & tantundem à filijs, quantum à patre elicuerunt: nempe FIDEI hortatus pro gemitu, Dei laudes pro ſuſpirijs: at

verò

verò sibi ipsis pro expectatione confusionem, pro victoria ignominiam. Denique tãquam rebus illa die desperatis retrudi iubent sanctos in carcerem, vt ibi grauissimo catenarum pondere degrauati, & loci ipsius squallore ac pædore perdomiti, ad secundum FIDEI conflictum imbecilliores redderentur. Nẽpe ignorabãt homines impij & inhumani, quo plura Christiani pro Domino patiantur, hoc maiora ab illo subsidia impetrare: neque sciebant eos afflictis corporibus erectos & constantes gerere animos, tantoque ad ea quæ restent sustinenda alacriores, quanto ea quæ priùs sustinuerant, essent acerbiora. Nã & huius rei fecêre ipsimet experimentum, cùm alia die productum sanctum Antistitem, & de sentẽtia, quam teneret, interrogatum, maiore etiam quàm antehac fiducia respondentem audiuerunt: cùm & extendi in catastam, direque tam illũ quàm socios excruciari iussos rupiũ instar stare immotos conspexerũt. Tum enim omnes, vti priùs, & verbis gaudiũ testari, & Deo gratias agere. Quid igitur tandem? Profertur ferrea crates in medium, ignis copiosus subijcitur, torus flammis excandescit; deijcitur in eum vir sanctus, non enim deponitur: strident nidentque vstulata membra, sed spiritus semper sibi præsens & renidens illud Domino suo dulcisonum in medijs ignibus fundit melos: *IGNITVM ELOQVIVM TVVM DOMINE VEHEMENTER: ET SERVVS TVVS DILEXIT ILLVD.* Deinde & precatur: *Domine Deus, qui dixisti: Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quemadmodum mihi priùs periculosiorem dedisti cupiditatis ignem ope tua euincere, da & nunc hasce flammas ad tui nominis gloriam superare.* Quid multa? Adfuit precanti Deus, & votis annuit. Nec flammas tantùm fecit vt vinceret, sed & ferocissimarum bestiarum, quibus proiectus est, rabiem, & ingentia clibani incendia, & membrorum in cruce suffixiones: quæ omnia partim inuictâ patientiâ sustinuit, partim salutari signo profligauit, partim prece & FIDEI prædicatione sibi substerni, & suæ subseruire gloriæ iussit. Nam precanti, & Crucis signum rugientibus atque in se incurrentibus bestijs obiectanti, ipsę quamuis immanes & efferatę, coram eo quasi cicures & mansuetæ prociderunt. Coniectum etiam in flagrantissimos æstuantis clibani ardores fusæ ad Deum precationes omni auro puriorem ac splẽdidiorem eduxerunt. In crucem denique sublatum, cùm ex ea velut è suggestu cõcionatorem ageret, populumque circumfusum diuinis cohortationibus aliorsum, quàm quęsitores vellent, pertraheret, è ligno eum refigere, qui affixerãt, maluerunt, quàm doctoris sapienter incãtantis audire sermones: & pædore potiùs carceris illũ enecare, quàm tot suppliciorum victorem gloriosum exhibere. Quo tamen in carcere (is tunc Glaucini carcer vocabatur: nunc autẽ sacellum est ipsius sancti Dionysij, vulgo *SAINCT DENIS DE LA CHARTRE* appellatum) nec diuina defuit gloria: & Dionysij excellens apud Deum gratia præclarè emicuit. Cùm enim in eundem carcerem non modò bini eius socij, sed aliorum quoque FRATRVM bonus numerus cum illo

[Margin notes:]
SVSTINENT CARCERIS ÆRVMNAS IISQVE REDDVNTVR FORTIORES.
N... ...ASSIO ADHIBENTVR TORMENTA.
Psalmo 118. ver. 2.
Isaiæ 43. ver. 2.
VINCIT IGNEM, BESTIAS, CRVCEM.
E cruce tanquam è suggestu concionatur.
Acta martyrij apud Hilduinum.

vnà inclusi essent, ipse omnes ad generosè ac fortiter decertandum cohortatus, ibidem ad maius illis indendum robur sacris operari, & cunctos pane illo, sanctorum corda diuinitus confortante, reficere cōstituit.

Dionysio in carcere sacrificanti apparuit Iesus Christus, eique sacram hostiam præbuit.

Ecce verò illi raro quodam amoris ac pietatis sensu (Angelum potiùs crederes quàm hominem) sacrificanti, atque ad sumendam & cum alijs communicandam immortalitatis escam se accingenti, immensa quædam lux è cælo affulget, in qua Christus Dominus multa circumcinctus Angelorum caterua, omnibus qui tali viso se dignos præstiterunt, intuentibus, se aris immiscet, & acceptam è sacra mensa hostiã diuino Pōtifici sua manu offert, dicitque: *ACCIPE HOC CARE MEVS: quod mox complebo tibi vnà cum Patre meo, qui mecum est maxima merces tua, & his, qui audierint te, salus in regno meo. Nunc facies fortiter: & memoria tua erit in laude. Dilectio & benignitas quam habes, pro quibuscumque petieris, impetrabit.*

Precationum S. Dionysii efficacia.

Dictu porrò incredibile est, quàm subitò cæcus ille atque obscurus carcer in prælustrem Regiam, immo in locum deliciarum, omniumque cæli voluptatum inclusis verterit. Sentire mox cuncti insolitum mentis gaudium: & cupidinem, ardoremque mortis in se omnes quàm flagrantissimum experiri: robur quoque & fortitudinem seu in membris, seu in animis secum ipsi demirari: denique cognoscere & fateri, vbi Deus præsens sit, ibi robur esse, ibi vires, ibi animos, ibi vitam, ibi delicias, ibi gloriam, ibi gaudium, ibi cælum.

Dei benigna præsentia quid secum afferat.

Quibus omnibus, heu dolor! quàm miseri sunt, qui ab illo voluntarij secedentes miserrimè se priuant! quanto, Deus bone! feliciores illi & sapientiores, qui alijs omnibus despectis ac despectis, illa sola quærunt, illis solis student, ad illa sola per ignem, per aquam, per eculeos, per omnia tormenta currunt, quæ regnum perennemque gloriam pariunt.

Postrema interrogatio martyrum.

Aderat iam noui iudicij, noui certaminis tempus: educuntur martyres è custodia: sistuntur tribunali: denuò interrogantur: mentémne tandem vexatio illis reduxerit? an in sua etiamnum damnabili persistant amentia? velíntne Dijs immolare immortalibus, & viuere? an verò vitam suauem & honestam cum morte acerbissima atque turpissima commutare?

Responsio SS. Martyrum generosa.

Ast illi multò etiam quàm antè animosiùs, Deos execrari: & dicere, non se vitam postulare, quæ inferat mortem: sed mortem flagitare, quæ afferat vitam. Vitam ipsam esse IESVM Christum: Deos autem, quos stulti & cæci colant, deteriores esse morte: illum ad gloriam & immortalitatem ducere: hos ad miseriam & intoleranda inferorum supplicia deuoluere.

SS. Martyrum condemnatio et obtruncatio.

Quibus auditis exacerbatus supra modum Fescenninus supremam tandem de eorum obtruncatione profert sentētiam. Itaque post repetitam singulorum dirissimã diuerberationem, illos ex vrbe ad vicinum MERCVRII collē abreptos immanissimi tortores per viã sanè quã inhumaniter vexant, tandemque spei plenos, & gratias Deo agentes, sæpe optatâ, sępe expetitâ pro Christo morte, resectis hebetatâ securi capitibus (sic ad acerbiores cruciatus mandatum fuerat) transmittunt ad vitam. Sed de tempore, de loco, de quibusdam alijs vel martyrio coniunctis,

vel

vel cum martyrum gloria consecutis paullò ampliùs est differendum. Ad hoc igitur intendamus.

CAPVT XX.

MARTYRII TEMPVS, LOCVS, ET ALIA *his adiuncta, visu audituq́; mirabilia.*

QVO IMPERATORE MARTYRIVM OBIERIT S. DIONYSIVS VARIÆ SVNT SENTENTIÆ.

DE tempore & Imperatore, quo beatus Dionysius terris excessit, non est omnium, aut potiùs non fuit, vna eademque sententia. Nam ad Hadrianum Imperatorem plerosque omnes nunc inclinare, aut certè inclinaturos equidem credo & spero. Fuerunt igitur hactenus, ijq́ue non pauci, [b] qui imperante Domitiano; [c] fuerunt & nõnulli qui Traiano, fuerunt & tertij [d] qui Hadriano Traiani successore Dionysium obtenta palma emigrasse dicerent & confirmarent: inde scilicet nata diuersitate, quòd primis à Christo temporibus *Acta martyrum* memoriâ magis, quàm scripto continerentur: quoniam Christianis per illas persecutionum procellas potiùs vacabat fortiter rem gerere, quàm gestam eleganter conscribere. Quo factum est, vt cùm memoria multò sit factorum retinentior, quàm nominum, in obliuionem nomina iuerint, facta ad hoc æui perennarint. Longè pòst autem cùm etiam scriptis mandari cœpta sunt Acta, fuit historicis tanto pòst interuallo ad temporum notas & ad Imperatorum nomina coniecturis adnitendum. Quę cùm sint ex ingeniorum varietate varijs variæ; hinc quidam, vt ad res Dionysij ventum est, considerata hinc tormentorum, quæ passus est, acerbitate, illinc eius ætate, quam ad Domitianum peruenisse nullus dubitaret, idcirco martyrij tempus ad Domitiani tempora retulerunt. Alij verò coniectis in alia oculis, & Dionysij ipsius peregrinationes & scripta diligentiùs rimati, repererunt saltem ad Traiani eum tempora peruenisse. Tertij denique, cùm ipsius martyris veteres memorias, tum alia priscorum de illo antiquissima perscrutati monumenta, fidis vestigijs etiam vltra progressi sunt, & Dionysium egisse obijsseque vitam Hadriano Imperatore deprehenderunt, posterísque tradiderunt. Ita veterrimi cõcinnator martyrologij, ita venerabilis Beda, ita Ado Viennensis Episcopus, ita secundùm illos & alij fecerunt, & nos fecimus. Nam & Aristidem, eximium illum secundi sæculi Scriptorem, ipsum Dionysij martyrium Hadriani consignasse temporibus iam olim compertum est. Quare, vt rem concludamus, ANNO CHRISTI CIRCITER CXXI. [d] HADRIANO IMP., [e] FESCENNINO PRÆFECTO, victis in iusto FIDEI certamine hostibus, egregia martyrij laurea donatus est DIONYSIVS AREOPAGITA, Athenarum Episcopus, Galliarum Apostolus, totius occidentis Legatus, vtriusque Hierarchiæ, cælestis & ecclesiasticæ, ac diuinorum nominum descriptor & interpres eximius, THEOLOGORVM secundùm Apostolos & Euangelistas dux & antesignanus: qui ætatem vixit (vti & magnorum virorum illo æuo complures) longam iuxtà & sanctam: nempe

ORIGO VARIETATIS SENTENTIARVM DE TEMPORE MORTIS S. DIONYSII.

Vetus martyrolog. ad 3. Octob.

QVOT ANNOS VIXERIT S. DIONYSIVS.

nempe annos ampliùs centum decem. Quam etiam ætatem eodem ipſo ſæculo tranſcendit beatus SIMEON Hieroſolymorum Epiſcopus & Chriſti cognatus: quem centum ipſos viginti annos exegiſſe, & glorioſam in tam grandi æuo martyrij coronam reportaſſe certum eſt: vt proinde quod de Dionyſio affertur, haud ita mirum videri debeat; cùm de iſto id quod minùs probabile videri poterat, nullo dubitante teneatur. Hoc de tempore: nunc de loco. Nobilitatis enim ei facta acceſſio exigit ſtilum.

LOCVS VBI DIONYSIVS ET SOCII MORTEM OPPETIERVNT.

Locus igitur, vbi tres illi generoſi athletæ victoriam & gloriam adepti ſunt, colliculus fuit vrbi Pariſienſi imminens, olim MERCVRII ([f] quoniam illic MERCVRIVS honore præcipuo coleretur) ab indigenis ita vocitatus: ſed conſequentibus temporibus, propterea quòd horum atque aliorum item martyrum multo ſanguine reſperſus & quaſi conſecratus fuerit, MONS MARTYRVM, & lingua patria *MONT-MARTRE* vulgo eſt appellatus: hodieque ad perpetuam inclytorum martyrum memoriam ea perſeuerat appellatio.

MONS MARTYRVM.

Quo in loco (res ſanè noua, & vt olim viſu, ſic & nunc dictu admiranda) [g] Dionyſij martyris truncus, licet exanguis & vitæ expers, tamen ſe erexit, & reciſum ab humeris caput (ſic eſt antiqua traditio, & ſic complures litteris prodidêre) in manus ſuas, perinde ac ſi viueret, trophęi inſtar accepit, atque ad duo circiter Gallica milliaria, duce Angelo, & choris cæleſtibus cum admirabili concentu comitantibus, & hymnum, modò *GLORIA TIBI DOMINE*, modò *HALLELVIA* reſonantibus, tam diu deportauit, donec ad locum vbi nunc ſitus eſt, & ſui nominis vrbem & cœnobium habet, peruenit; atque in nobilis matronæ fundo ([h] CATVLLA ei nomen fuit) quaſi ſe illi daret, requieuit.

DIONYSIVS OBTRVNCATVS GESTAT IN MANIBVS CAPVT.

Diffugere extemplo infideles tanto territi prodigio, & ne fors ſibi fraudi tanta artis magicæ, vt vocitabãt, efficacia exiſteret, permultùm formidare: Chriſtiani verò, & quos melior agebat ſpiritus, (inter quos & Larcia Liſbij vxor fuit) diuinam admirari & celebrare virtutẽ atque potẽtiam. Vnde multi antehac à religione alieniores, manus Chriſto dedêre, princepſque inter illos iam dicta Larcia propalam ſe Chriſtianam profeſſa, ideóque comprehenſa & enecta, effuſo in vicem baptiſmi ſanguine, numero ſanctorum martyrum eſt aggregata.

LARCIÆ NOBILIS MATRONÆ CONVERSIO.

Sacrum verò Dionyſij depoſitum Catulla eiuſdem martyris diſcipula diligenter cuſtodiuit; nec eo ſolo contenta, ſtuduit etiam duorum commilitonum RVSTICI & ELEVTHERII ſacra corpora, quę impij ſatellites in Sequanam projjcere deliberauerant, vel prece, vel precio, vel etiam aſtu obtinere. Nam ſatellites menſa exceptos largè hilaritérque haberi iuſſit, dato interim certis FRATRIBVS mandato, vt iſtis compotatione occupatis eadem corpora clandeſtinò ſubrepta in tuto abſconderent. Quod ab illis impigrè quidem factum; ſed cùm remotâ menſâ, remota etiam cadauera nimis in hoc vno ſobrij ſatellites animaduertiſſent, eáque tumultuoſiùs identidem repoſcerent, adeóque niſi actutum redderentur, minas intentarent, fuit vt modò eluſa vigilantia poculis, ſic nunc iracundia pecunijs elidenda. Ergo aurum obiecit,

CATVLLÆ MATRONÆ IN OBRVENDIS MARTYRVM CORPORIBVS STVDIVM ET INDVSTRIA.

iecit,& preciosiora quouis auro sacra pignora retinuit. Ita Christiani tam sanctarum exuuiarum compotes facti,eas deinceps, vt præcipuum ac singulare in duris aduersisque rebus perfugium habuerunt. Digressis enim barbaris,rebusque iam satis saluis eadem sacra cimelia ad tertiam Octobris (vt græci scriptores annotarunt) ab eadem Catulla commodo in loco sunt deposita,miraculis ibidem tanquam è fonte iugiter scaturiente affatim manantibus. Ipse etiam Catullæ ager, seu laudatus sepulturæ martyrum locus,[k] in feminæ honorem Catulliacus posteris est dictus,præsertim postquam ædicula beatis martyribus ibidem loci constructa frequenti populo celebrari cœpit. Hanc ædiculam primitus dedicasse memoratur S. Regulus Arelatensis Episcopus, tali occasione:[l] Illi die quadam in vrbe sua sacris operanti, atque ad ea sacri CANONIS verba,vbi sanctorum vita functorum fit memoria, progresso excidit præter morem & intentionem,vt alijs recitatis nominibus adijceret: ET BEATIS MARTYRIBVS TVIS DIONYSIO, RVSTICO, ET ELEVTHERIO: cuius extemporalis nec voluntarij additamenti admiratione tactus,cùm penderet aliquantisper animi,ecce illi visum nouum & insolens: ternæ oculis obuersantur columbæ CRVCI altaris insidentes, quæ trium illorum martyrum nomina in pectoribus sanguine inscripta præferebant DIONSYII, RVSTICI, ELEVTHERII: quas fixo parumper obtutu contemplatus,demum ternos illos athletas sancto suggerente Spiritu palmam assecutos martyrij (nec enim aliunde id acceperat,& recens res erat) retexto ænigmate intellexit. Tum verò incitari animus ad petendum Parisios,ibique super martyrum certamine atque exitu magis particulatim cognoscendum: perque opportunè tum euenit, vt non procul Lutetiâ cùm abesset, in ipsam Catullam inciderit,& si quid de nece hominum nuper occisorum inaudisset, interrogauerit. Illa enim Christianum,vti erat,ex modestia & habitu & sermone suspicata, petijt Christianúsne esset? illoque,quod verum erat, confitente: *Num etiam*, inquit, *ex amicis & familiaribus es Dionysij & sociorum eius Rustici & Eleutherij*? tum ille obortis ad eorum nomina lachrymis: *Planè*, inquit, *ex illis sum,& esse glorior*.[m] Tum igitur ipsa quoque illorum se discipulam aperiente,mutuæ congratulationes, amica colloquia, perbenigna hospitalitas; denique non posse satiari,nec ille,nec illa, de Dionysij rebus: illo,quæ prioribus temporibus alibi fecerat,referente; hâc autem, quæ proxima persecutionis procella tulerat, memorante. Qui etiam inter alia de die martyrij & de tempore visionis inter se conferentes,in vnam eandemque lucem vtraque incidisse compererunt. Postquam autem, quæcumque Regulo in votis erant,bona femina indicasset & commõstrasset,tum etiam atque etiam ipsum rogauit, vti longiorem apud se moram faceret; se enim,quamuis à beato Dionysio nonnullam accepisset rerum sacrarum agnitionem, primaque FIDEI rudimenta quadam tenus attigisset, tamen præcipuorum mysteriorum rudem ignaramque adhuc esse,quorum magnopere desideraret ipso magistro ampliorem

SACRARVM RELIQVIARVM CVLTVS.

PRIMA S. DIONYSIO ÆDICVLA A S. REGVLO ARELATENSI EPISCOPO DEDICATA.

VISVM S. REGVLO INTER SACRA MYSTERIA OBLATVM.

Acta S. Reguli apud Vincentium Bellouac. lib. 10. cap. 28.

CATVLLA PARTIM A S. DIONYSIO, PARTIM A S. REGVLO INSTRVCTA.

pliorem

pliorem notitiam. Cui vir ſanctus, vt beneficium beneficiò repenſaret, eius inſtruendæ gratia dies aliquot inibi eſt commoratus: quo etiam tempore conſtructam ab ea ædiculam, materie quidem & ſpatio humilem atque exiguam, ſed repoſitis in ea tantorum martyrum pignoribus nobilem in primis atque auguſtam, eorundem ſanctorum honori, vt antè attigimus, conſecrauit. Atque hæc prima omnium S. Dionyſio & ſocijs ſacratarum ædium fuit. Poſteris verò temporibus alia quoque ad beatiſſimi Dionyſij memoriam in eodem Pariſienſi tractu condita ſunt ſacraria, locorum ſcilicet vbi concluſus, vbi tortus, vbi obtruncatus fuit, æterna monumenta, quorum primo nomen datum eſt: S. DIONYSII DE CARCERE, vulgo *S. DENIS DE LA CHARTRE.* Secundo, S. DIONYSII DE PASSIONE, vernaculè autem *S. DENIS DV PAS.* Tertio SACELLVM MARTYRVM; Gallicè *LA CHAPELLE DES MARTYRS.* Et duo quidē priora in vrbe ipſa Lutetia, poſtremum autē in conſpectu vrbis, ſiue in MONTE MARTYRVM (de quo ſuprà dictum eſt) viſitur. Et hæc quidem antiquiſſima: de alijs autem recentioribus, & magnificentioribus pòſt dicetur. Nam quędā alia, quę hoc Dionyſij ſęculo cōtigêre, ac præſertim eius diſcipulorum labores & fructus, nonnullæque ipſius martyris poſt mortem apparitiones præuertendæ ſunt.

ÆDICVLÆ IN HONOREM S. DIONYSII COMPLVRES APVD PARISIOS EXSTRVCTÆ.

LA CHAPELLE DES MARTYRS.

Vide infra cap 2j. & ſeqq.

CAPVT XXI.

Diſcipulorum S. Dionyſij labores & fructus, nonnullæq; eiuſdem martyris ſalutiferæ poſt mortem apparitiones.

VT filij parentibus, ſic diſcipuli magiſtris honori, laudi, gloriæ, & inſtar pulchræ & ſuauęolentis coronæ exiſtunt. Tales fuêre Dionyſio (vt omittamus Ruſticum & Eleutherium, primas illius coronæ roſas) illi inſignes eccleſiarum duces S. Ion (quem [a] modò Ionam, modò Ionium inuenimus appellatum) Sanctinus, Antoninus, Taurinus, Regulus, Eugenius, complures alij, ſed nominare ſingulos longum, præcipuos non omiſiſſe neceſſarium. Hi ergo à diſceſſu patris verè patrios gerere animos, & pro ſe vnuſquiſque ſollicitus eſſe, vt paternarum virtutum adita hereditate, ſuam quiſque vineam ſancta quadam æmulatione, quàm poſſet excultiſſimam Dei gratia & ſuo labore redderet. Iōn quidem Presbyter, qui primò Athenis Romam cum Dionyſio, deinde Roma in Galliam cum eodem tranſierat, ſacerdotij ſui partes & viuente & vita functo Præceptore examuſſim impleuit: ſemenque euangelij præſertim [b] in agro Caſtreſio cum perſuaui virtutum ſuarum odore, & temperantis animi fragrantiâ diſperſit: quippe aqua ſola & herbis ſolitus vitam ſuſtinere, & per tempus quidem quadragenarij ieiunij bis duntaxat quot hebdomadis cibum ſumere. Is admiratus magiſtri fortitudinem, & magno eius imitandi ſtudio ſuccenſus in paria ſe iecit certamina, primiſque Gentilium ſub Chriſti iugum ductis inſcenſo martyrij curru triumphauit. Comprehenſus enim haud procul Lutetia, &

DISCIPVLI CORONA MAGISTRORVM.

Iōnis Presbyteri laudes.

ABSTINENTIÆ SINGVLARIS EXEMPLVM.

FIDEI titulo interemptus magiſtri trophæum triumphumque etiam in eo repræſentauit, quòd reſectum à ceruicibus caput palmis excepit, atque ad montem vnâ ferè Leucâ diſtantem, vbi & ſepultus eſt, deportauit. Loco acceſſit honos, vt MONS S. Iönis diceretur. Huius diem natalem adſcribunt martyrologia decimo kalendas Octobris tali elogio:

S. IÖN RECISVM A CERVICIBVS CAPVT MANIBVS PORTAVIT.

APVD PAGVM CASTRENSIVM, SANCTI Iönis Presbyteri & martyris: qui cum S. Dionyſio profectus in Galliam, iuſſu IVLIANI Præfecti verberibus caſus gladio martyrium conſummauit.

Martyrolog. Rom. 22. Sept.

Iungamus S. Iöni B. Sanctinum Meldenſem Epiſcopum, quādoquidē in iiſdem Eccleſiæ tabulis eadē coniunctus die reperitur, hiſce verbis:

S. SANCTINI MELDENSIS EPISCOPI LAVDES.

APVD CIVITATEM MELDENSEM BEATI SANCTINI EPISCOPI, diſcipuli S. Dionyſij Areopagitæ, qui eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eo conſecratus primus illic euangelium prædicauit.

Martyrolog. Rom. ibidem.

Is eſt, qui Dionyſij magiſtri ſui certamen vnà cum Antonino ſpectauit, deſcripſit, ad Pontificem detulit: tandemque ad ſuos reuerſus, & vita & miraculis clarus relicto ſucceſſore Antonino, poſt multa animarum lucra feliciter emigrauit. Quem & ipſe Antoninus iiſdem virtutum veſtigijs, & pari ſucceſſu & exitu ad cælum eſt conſecutus.

S. ANTONINI EPISCOPI MELDENSIS HONORES.

Iam verò Taurinus Ebroicenſis Epiſcopus, de quo ſuprà nonnihil memoraui, poſt ſancti patris è terra exceſſum tanto impenſiùs in omnem partem intendere, quo eccleſia tanto parente orba maiorem à ſucceſſoribus curam exigebat. Is edendorum ad inducendam firmandamque FIDEM, prodigiorum facultate præditus fuit planè admirabili.[c] Nam vnâ eadémque die præter alia, etiam mutis hominibus quatuor loquendi vſum, & cæcis octo videndi vim conciliauit, & vitam vni reddidit. Alias verò ſacrificulis Dianam colentibus depulſum à ſimulacro dæmonem turpiſſimum cum ingenti ipſorum horrore & deteſtatione conſpicuum præbuit. Denique multum populi quà cohortationibus, quà curationibus, quà miraculis Deo cùm acquiſiuiſſet, ad eum victor tranſijt.

Cap. 16.

S. TAVRINI EBROICENSIS EPISCOPI RES GESTÆ.

EIVSDEM MIRACVLA.

De Regulo autem, cuius nonnulla ſuperiùs mentio facta eſt, quid eius dignum virtutibus dici poteſt? eodem enim quo dux ſuus ſpiritu ſemper ambulauit, ſemper laborauit, ſemper ad extremum vſque aduerſus impietatem decertauit: nec ſine ducis ipſius quamuis emeriti, quamuis in cælo triumphantis præſenti ope & interuentu. Nam cùm ab exceſſu Dionyſij, Siluanectum (vrbs eſt Lutetiam inter & Nouiomum) FIDEI propagandæ cauſſa profectus eſſet, multaque tam per iter, quàm in vrbe ipſa, pro vnius Dei cultu aſſerendo, miracula patraret, ſimulacra deſtrueret, dæmones expelleret, mortales multos Chriſto lucrifaceret: ipſi fanorum ac delubrorum Pontifices nimia ira ſuccenſi Quintilianum eius vrbis Præfectum adierunt: virum ſanctum impietatis atque ſacrilegij inſimularunt: pœnas cum ſanguine popoſcerunt: nec ille mori recuſauit: iam ſurrexerat, iámque ibat (nouus enim dolor dimiſſis à Regulo è carcere ſuopte motu Chriſtianis Præfecti animum vehementiùs inflammarat) niſi coniux Chriſtiana, & olim ab ipſo Dionyſio noxis ab-

S. REGVLI ACTA.

MOTVS IN S. REGVLVM AB IDOLORVM SACRIFICVLIS CONCITATVS.

luta,

luta, mariti impetum prudentia sua retardasset: atque etiam nisi Dionysius meditatam discipulo pœnam non auertisset modò, sed in honorem quoque & in gaudium conuertisset. Dum enim Præfectus de sanctissimi Præsulis nece, sollicita secum mente pertractat, benignissimus autem Deus solita pietate de serui sui salute disponit, ecce Dionysius nocte intempesta, cum duobus socijs palmæ consortibus, per visum Pręfecto se obijcere, & sic affari: QVINTILIANE, DOMINVS IESVS CHRISTVS, CVIUS NOS SERVOS PROFESSIONE FIDELI FATEMVR, HVC SALVTIS TVÆ CAVSSA NOS MISIT: VT RELICTO DÆMONVM CVLTV AD EVM CONVERTARIS, ET POSTPOSITA TYRANNIDE, CHRISTIANÆ RELIGIONIS CVLTOR DEINCEPS EXISTAS. IGITVR PRIMO MANE FRATREM NOSTRVM INQVIRE REGVLVM, A QVO NOXARVM VENIAM POSTVLANS, QVICQVID IVSSERIT, NIHIL RELVCTANS FACITO. Ille autem expergefactus narrare vxori somnium atque visum, & imagines eorum qui apparuerant, ab ætate, forma, lineamentis exactè depingere: Tum illa, *Noueris*, inquit, *dilecte mi, hos qui tibi locuti sunt, non alios esse quàm beatum Dionysium, eiúsque socios, qui ad Lutetiam à Præfecto Fescennino obtruncati palmam obtinuerunt martyrij. Quocirca bene & ex salute tua facies, si quemadmodum ab ijsdem sanctis diuinitus es commonitus, sanctum adeas Pontificem, & quicquid ipse iusserit, facias: ne, si secus faxis, iram omnipotentis Dei Christianorum incurras.* Ne multa. Paruit ille coniugis & sanctorum monitis, atque ad virum Dei, mandata accepturus, & legem Christi vnà cum omni familia amplexurus, se contulit. Tum verò Pontifex tam ipsum Præfectum quàm totam ferè ciuitatem ad sua sacra confluere intuitus, miris incedere lætitijs, & palam Christi laudes ex toto corde resonare. Ita nimirum viri sancti etiam hinc ad æterna translati nostra curant: ita ecclesiæ inuigilant: ita gentilium saluti student: ita honorem Dei amplificant. Eximium igitur quidem sanè & germanum Dionysij discipulum fuisse hunc Regulum prorsus necesse est: cuius pia studia magister suus sic cordi habuerit, sic ex alto inspexerit. Et quàm vicina, Deus bone! nobis sunt sanctorum auxilia! sed illorum potissimè, qui Patres nostri ac Pontifices in terris extiterunt; si tamen eorum insistentes vestigijs, & vt germani filij, eorum mandatis obsequentes simus, & deuota prece amicam opem imploremus. A Regulo ad Eugenium mox veniam, si vnicum duntaxat de illo prius addidero; quemadmodum scilicet Regulus eò virtutis dignitatísque peruenerit, vt FIDEI Dux, & Rex sacrorum, & quidem talis tantúsque euaderet. Nempe primo in adolescentiæ flore B. Ioannem Apostolum audiuit, suspexit, secutus est: cuius cælesti ac mellifluo delibutus eloquio, nobilis & diues cùm esset, omnia post Christi paupertatem & euãgelicam doctrinam posuit. Athenas dehinc profectus Dionysio adhęsit, quem & primò Romam, & deinde in Galliam, vt ante memini, est comitatus, & quod multo amplius est, in moribus atque laboribus proximè imitatus. Nunc de *Eugenio*, & vt verè nomen sonat, *Nobili*, non tam illa nobilitate, quam de caduca hominis stirpe stultus suspicit

S DIONYSII POST MORTEM APPARITIO.

QVINTILIANVS SILVANECTI VRBIS PRÆFECTVS AB VXORE CHRISTIANA INTERPRETATIONEM VISI NOCTVRNI EDOCETVR, ET AD CHRISTI FIDEM CONVERTITVR

S. REGVLVS FVIT IOANNIS APOSTOLI AVDITOR.

S. EVGENII EPISCOPI TOLETANI LAVDES.

ſpicit mundus, quàm illa vera & ſolida, quam de manu Domini ſapiens ſuſcipit Chriſtianus. Hic igitur cùm in Dionyſij comitatu atque diſciplina vim ingenij magnorum capacis oſtendiſſet, præclareque ſacerdotij ſui munus explêſſet, ab eo denique in Epiſcoporum ordinem cooptatus, atque in Hiſpaniam ablegatus eſt: vbi ſic rem geſſit, ſic eccleſiæ Toletanæ habenas rexit, vt nobiliſſimæ illius prouinciæ ad Chriſtianam legem acceſſio illi potiſſimè, tanquam primo atque omnium ſanctiſſimo Pontifici, accepta meritò referenda ſit. Qui poſt innumeram rudis populi multitudinem ſancta religione imbutam [8] reuiſendi aliquando magiſtri & ſermones cum eo conferendi deſiderio captus in Galliam tranſijt: ſed, heu dolor! vbi ſpiritus voluptatem ex amici affatu ſperabat non mediocrem, ibi ex eiuſdem deproperato interitu incredibilem hauſit animo dolorem. Nam priuſquam Pariſios attigiſſet, occiſum intellexit. Itaque & mortuum luxit, vt patrem: & pro FIDE occiſum laudauit, vt victorem. Neque verò iter aut inhibuit aut reflexit: ſed vel inuiſendi ſepulchri amans, vel paris ſortiendæ ſortis cupidus Lutetiam verſus iter proſecutus eſt: neque amplius quatuor milliaribus iam diſtabat, cùm & ipſe interceptus à FIDEI hoſtibus, & interfectus eſt. Cadauer in lacum Marcoſiũ proiecerunt. Ibi diutiſſimè, immo, vt auctores nõ pauci tradiderunt, annos circiter ducentos immerſum delituit. Neque tamen vel Dei prouidentia in cuſtodiendo, vel Dionyſij cura in reuelando deſiderata eſt: & tanti temporis latebræ corporis probauêre dignitatem. Nam ſaluum & incolume duobus pòſt ſæculis non vſitato repertum eſt miraculo. Sic autem repertum vulgata fert fides: Hercoldus vir nobilis & locuples, Conſtantini magni, vt aiunt, temporibus, domum & agros propter lacum illum habebat: cùm autem ex oculis grauiter laboraret, ecce illi S. Dionyſius per noctem in venerandi forma ſenis ſe offerre, ac læto hilarique vultu ita compellare: *Hercolde frater, ſurge ex morbo ſanus; & ad vicinum adi lacum, condiſcipuli noſtri Eugenij corpus illic require, ac honeſtè ſepeli. Nam illius gratia & meritis magna huic populo collaturus eſt Deus beneficia.* His auditis expergefactus Hercoldus, & ſanum ſe cernens ac demirans, nimio gaudio exultat tam de diuino viſo, quàm de curato viſu. Nec mora eſt, quin continuò lacum petat, corpus educat, ſepultura donet. Verùm id omnibus meritò perquam mirum & verè Dei opus apparere, tam integrum illud, tam recens reperiri, atque ſi illo die & non ducentis antè annis fuiſſet neci datum. In fundo autem ſuo cùm perhonorificè ſepeliſſet, poſteáque ſepulcro ſuperædificatum martyris honori ſacrarium fuiſſet, ingentia ibi miracula & exinde concurſus admirabiles facti. Sacrum igitur corpus terra Gallia, vt precioſorum huiuſmodi pignorum cultrix ſtudioſiſſima, & multis ſæculis & ingenti cura retinuit: ſic tamen, vt nonnullam reliquiarum portionem viri pientiſſimi exorarint, potentiſſimi impetrarint. [i] Decimo enim circiter ab ortu Chriſti ſæculo, hoc eſt, octingentis, eoque amplius, pòſt annis, quàm idem beatus Eugenius martyrij laurea decoratus fuerat, ſanctus

EIVSDEM IN GALLIAM PROFECTIO ET MARTYRIVM.

CORPVS S. EVGENII DVCENTIS POST MORTEM ANNIS INTEGRVM.

S. DIONYSIVS APPARET HERCOLDO ET EVM SANAT.

S. EVGENII HONORIFICA SEPVLTVRA ET AD SEPVLCRVM MIRACVLA.

S. GERARDVS ABBAS BRONIENSIS OBTINET ALIQVAS S. EVGENII RELIQVIAS.

ctus Gerardus Abbas Broniensis nonnullas eius reliquias (cuius in honorem oratorium quondam monachus extruxerat) à S. Dionysij cœnobitis, qui illas in suo monasterio Parisijs asseruabant, precariò obtinuit. Quo etiam tempore præclara eiusdem martyris Acta in concilio Leodiensi recognita, & publicè deinceps quotannis legi iussa: immo ipse qui ei concilio præerat STEPHANVS Leodiensis Episcopus, vir sanctissimus hæc in eiusdem Eugenij honorem addidit: *Decreto*, inquit, *Pōtificio statuitur, & hac sancta Synodus ei subscribens aßentit, vt per totā, in qua S. martyr quiescet, decaniam, solemnitas eius instar dominicæ diei celebretur, & ecclesia Broniensis ab omni opsonio Leodiensi Episcopo ex debito persoluendo deinceps immunis sit.* Edictum quoque proposuit idem Episcopus, vt transeuntibus in Leodiensem & Namurcensem terram eiusdem S. Eugenij reliquijs, denso ac frequenti agmine obuiam iretur, & in præparatum ipsis locum magno cum gaudio inferrentur. Nam S. Gerardus Parisijs delatas, Cuuinij, quod eiusdem diœcesis opidum est Lotharingię finitimum, tantisper deposuerat, rogatumque interim Antistitem Stephanum venerat, num ei placeret, vti publicus S. Eugenij reliquijs honos haberetur? cui ille, vt iucundo erat ac perspicaci ingenio, audito nomine Eugenij, *Prorsus*, inquit, *ita faciendum, & magno Eugenio cum magno euge obuiandum est.* Itaque sic factum. Annis verò post hanc translationem ampliùs ducentis, hoc est, Christi circiter millesimo centesimo quinquagesimo sexto, cùm Ludouicus septimus, Rex Galliæ, Toleti esset, mentioque sancti Eugenij incidisset, ab eo impetrata est, quamuis ægrè, pars aliqua eius reliquiarum, nempe brachium dextrum. Quibus reliquijs, cùm ab Abbate Sancti Dionysij, Regis Ludouici legato, Toletum deferrentur, ipse Alphonsus Castellæ Rex, Imperator nuncupatus, cum filijs Regibus, & proceribus, & sacris ordinibus, & magna cōfluentium mortalium turba, ritu supplicationis processit in occursum, succollantibúsque ipso & duobus filijs Regibus, theca ipsa in ædem maximam insigni pompa & solemnitate illata est, anno Salutis, vt dixi, millesimo centesimo quinquagesimo sexto, pridie idus Februarij. Nec verò cessauit Hispana pietas, donec cetera patroni sui ossa, quæ in Gallijs residua erant, obtineret, atque in ecclesiam Toletanam, quam ille idem primus pastor instituerat, fundarátque, velut in propriam possessionem ex Gallorum concessione transferret. Quare Philippus II. Hispaniarum Rex legationem pro ijs impetrandis ad Carolum IX. Galliæ Regem misit, tandemque anno Salutis quingentesimo sexagesimo quinto supra millesimum, hoc est, annis post iam dictam dextri brachij translationem quadringentis nouem, impetrauit. Tum igitur honos eidem Eugenio tantus ab Hispania, & ab eius Rege potissimùm est habitus, quantus haberi ab homine mortali possit. Quippe præter aliam translationis pompam & apparatum incomparabilem, Rex ipse Catholicus incredibili succensus pietate, oneri subire, & humeros feretro supponere, atque in pristinam Toletanam sedem, tanto pòst interuallo

velut

S. EVGENII ACTA IN CONCILIO LEODIENSI RECOGNITA.

STEPHANI EPISCOPI LEODIENSIS DECRETVM, DE HONORANDIS S. EVGENII TOLETANI RELIQVIIS.

CVVINII OPIDO DIOECESIS LEODIENSIS DEPONVNTVR S. EVGENII RELIQVIÆ.

RELIQVIARVM S. EVGENII TRANSLATIO.

Ioannes Mariana lib. 4. de rebus Hispaniæ c. 4.

PHILIPPVS II. HISPANIARVM REX A CAROLO IX. REGE GALLIÆ RELIQVA CORPORIS S. EVGENII IMPETRAT.

EIVSDEM PHILIPPI IN RELIQVIARVM CVLTV PIETAS.

velut reducem Episcopum sanctissimum & martyrem gloriosissimum reuehere, pro magno honore & voluptate habuit. Quo in facto palam sanè toti mundo fecit, quàm altè Christiana & auita pietas cordi regio & tantorum potenti honorum & regnorum insideret. Huius porrò martyris sacra solemnisque memoria decimo septimo kalēdas Decembris Romano adscripta martyrio sic legitur:

Natalis S. Eugenij Episcopi Toletani & Martyris, B. Dionysij Areopagitæ discipuli, qui in territorio Parisiensi consummato martyrij cursu, beatæ passionis coronam percepit à Domino. Cuius corpus Toletum postea fuit translatum. Hactenus de B. Dionysij eximijs aliquot discipulis: nunc ad aliquas virtutes in diuinis ipsius scriptis prælucentes attendamus.

TRANSLATIONIS CORPORIS S. EVGENII TOLETVM ATTESTATIO.

CAPVT XXII.

Virtutes nonnullæ S. Dionysij ex eiusdem Scriptis delectæ, & primò Pietas.

QVum aliarum S. Dionysij virtutum ipse Areopagus, tum verò Christianarum S. Paullus, & S. Clemens testes quàm locupletissimi extiterunt. Siquidem illum nec Areopagus in suum consiliũ, nec hi ecclesiæ proceres ad munus Apostolicum, nisi omnibus florentẽ virtutibus adlegissent. Sed earum virtutũ quædam in suscepto vitæ genere, quædam in immortalibus eius scriptis illustriùs emicuerunt. Nam vt alia missa faciam, quòd Episcopatu Atheniensi, quem ab Apostolis acceperat, sponte dimisso, multis in spargenda euangelij semente peragratis regionibus in Italiam peruenerit: quòd ex Italia in Galliam, hoc est, in terrã eo quidem tempore satis incultam ac barbarã voluntarius abscesserit: quòd denique plurima ac diuersissima supplicia, nõ infracto tantũ animo, sed etiam læto pertulerit, atque ad eadẽ pari virtute perferẽda, alios animarit: has, inquam, virtutes verè heroicas ipsa vitæ series cõtinet. Sed sunt etiã aliæ nonnullæ, quę ex eiusdem scriptis, velut quidã è viridanti prato suaueolentes flores carptim delecti, aliquẽ pijs animis odorẽ spargant: eęque tres numero pręcipuè: quas magnopere expediat omnibus, qui se ad scribendos libros conferunt, non minùs imprimi intus animis, quàm foras scriptis exprimi. Sũt autem hæ: pietas, modestia, mãsuetudo: pietas quidẽ in Deo & Sanctis ad opem in scribendo pręstandã inuocandis: modestia autem in nullius scriptis, veterũ præsertim & maiorum, contẽnendis; sed eorum dignitate & auctoritate augenda potiùs & tuenda, quàm spernenda aut eleuanda, mansuetudo denique non in scriptis modò, sed in actis quoque omnibus tam suis exhibendis, quàm alienis ferendis aut refellendis: hæ virtutes in B. Dionysij monumentis, si in cuiuspiã alterius, sanè quàm excellenter eluxerunt. Et spectetur in primis Pietas. *Pietas autem ad omnia vtilis est,* inquit Paullus. *1. ad Timot. 4. vers. 8.*

H PIETAS

PIETAS DIONYSII.

Pietas quidē in omnibus, qui nūc extant, eius libris, velut votiuę quędā primitię, in ipso statim initio, & quasi primo limine sese offert. Nā cùm præter eius epistolas virtutē hanc egregiè redolētes, libri sint quatuor: vnus, *De cælesti hierarchia*: alter, *De ecclesiastica hierarchia*: tertius, *De diuinis nominibus*: quartus, *De mystica Theologia*: in horum singulorum principijs prima in Deum pietas cūctis legentibus fronte religiosissima occurrit. Primum enim illorum à S. Iacobi verbis & Iesu inuocatione sic orditur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Quin & ipsa illuminationis à patre profluentis vniuersa processio benignâ in nos largitione emanans, rursus tanquam vis quadam copulatiua excitando dilatat, & ad Patris ipsius colligentis vnitatem, & Deificam simplicitatem conuertit. Quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia, vt sacra loquuntur eloquia. Quare inuocato Iesu*, inquit, *qui est lux Patris, lux existens, lux vera*, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *per quem nobis ad Patrem, lucis auctorem, aditus patuit, ad sanctißimarum scripturarum traditas à patribus illustrationes, quoad eius fieri potest, suspiciamus: & quas nobis cælestium mentium hierarchias signis quibusdā subobscuris expresserunt, pro viribus speculemur.* Ita ibi. Iam autem capite 2. eiusdem libri, antequam aggrediatur ad dicendum, quid sit hierarchia, *Sit autem*, inquit, *huius sermonis dux atque director Christus, si fas mihi est dicere, meus, qui totius expositionis hierarchicæ perfectißimus est inspirator.*

Iacobi 1. versu 17.

Secundo item libro, qui est De ecclesiastica hierarchia, sub primi capitis initium ita prætendit pietatem: *Nunc autem hierarchiam nostram, eiúsque principium, & naturam ita pro virili mea exprimere conabor, si Iesum, qui omnium hierarchiarum est initium atque perfectio, antè inuocauero.* Et cap. 3. eiusdem libri, cùm de venerabilis Eucharistiæ sacramento agit, ita ipsum sibi propitiū exposcit: *Sed ô tu*, inquit, *diuinißimum atque sacrosanctum sacramentum, circumiecta tibi symbolicè ænigmatum velamenta detegēs, perspicuè nobis ostenditor, & mentis nostræ oculos singulari & inoperta luce perfundito.* Iam libro 3. qui est de diuinis nominibus, cap. 1. ita scribit: *Mihi autem det Deus*, inquit, *vt diuinitatis, quæ, nec appellari, nec nominari potest, beneficas variásque appellationes pro eius dignitate laudibus efferam, neque ab ore meo verbum veritatis auferat.* Sed capite 3. eiusdem libri, non modò pietatem suam satis aliàs testatam, sed vim quoque piarum precationum tribus egregijs explicat similitudinibus: quibus hìc lectorem æquum est munerari. Sic igitur habet: *Ac primam*, inquit, *si videtur, & perfectam & omnium Dei progreßionum interpretem appellationem, inuocata Trinitate, quæ boni fons est, & bonum exsuperat, & quæ suam omnem optimam prouidentiam exponit, consideremus. Precationibus enim ad eam, vt boni principium deduci primum debemus, cúmque propiùs ad illam acceßerimus, tùm ex ipso dona longè optima, quæ penes eam sita sunt, edoceri.*

V. Eucharistia tanquam viuæ et videntis inuocatio.

Precationum vis mirifica.

Nam

Nam ipsa quidem omnibus præsens est, non tamen illi præsentia sunt omnia: sed cum puris precibus, & mente imperturbatâ & animo ad diuinam coniunctionẽ apto illam inuocamus, tum demum illi præsentes sumus. Nec enim ita in loco est, vt ab illo absit, aut ex alijs ad alia commigret. Quin si eam in rebus omnibus esse dixerimus, tamen minus dixerimus, quàm eius postulet infinitas, quæ omnia & excedit & comprehendit. Itaque nos ipsos ad sublimiores diuinorum benignorúmque radiorũ obtutus per preces extendamus.

EGREGIA SIMILITVDINES VIM PRECATIONVM OSTENDENTES.

Quemadmodum enim si perillustrem catenam è cæli fastigio dependentem atque huc vsque pertingentem alternis semper manibus apprehendamus, attrahere quidem illam videbimur, re autem vera non eam attrahemus, cùm suprà simul & infrà existat, sed nos potiùs ipsos ad altiores coruscantium radiorum fulgores sursum attollemus. Aut quemadmodum si nauigium aliquod ingressi, rudentes è saxo quopiam ad nos vsque protensos auxilij caussa teneamus, non saxum ad nos, sed nos potius ac nauim ipsam ad saxum adducemus. Aut denique, quemadmodum si quis stans in naui saxum maritimum aspellat, nihil sanè contra fixum atque immobile saxum proficiet, sed se ipse potiùs ab eo disiunget, tantóque magis ab illo repellet, quanto illud magis dispulerit. Quare priusquam aliquid aut agamus, aut dicamus, præsertim quod ad Deum spectet, nobis à precibus ordiendum est, non quò vim illam vbique simul & nullibi præsentem attrahamus, sed quò Dei memoria & inuocatione nos ipsos ei tradamus, & copulemus. Ita nimirum vir ille multò sapientissimus, nobis ad Deum & ad cælestia viam parari, ita ab humo ad cælum, velut quibúsdam catenulis animos erigi ac subleuari docuit. Denique initio libri de mystica Theologia, eadem pietas velut in primis foribus ita se obijcit:

SS. TRINITATIS INVOCATIO.

O Trinitas, inquit, *essentia, diuinitate, bonitate superior, diuinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos ad ignotissimum & lucidissimum atque excellentissimum mysticorum eloquiorum culmen, vbi simplicia & absoluta & immutabilia Theologiæ mysteria latent adoperta, præfulgente quadam silentij occulta sacra docentis caligine, quæ quidem vbi maximè videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem, & in eo quod omnino tangi & videri non potest, longè pulcherrimis splendoribus mentes nec oculatas mirificè complet.* Ita ille.

Marsilius Ficinus comment. in Dionysium c. 3. de diuinis nom.

Quam ad precationem ita Marsilius Ficinus, vir in philosophia magnus & æuo suo facilè princeps: *Dionysius Areopagita,* inquit, *Platonicæ disciplinæ culmen & Christianæ Theologiæ columen, quærens diuinum lumen, non tam intelligentia perscrutatur, quàm ardẽte voluntatis affectu & oratione petit. Quippe cùm à Paullo mundi sole didicerit, Platone etiam confirmante, ipsum vniuersi principium esse intellectu quãtumlibet excelso superius: non igitur conatu quodam intelligẽtiæ comparari, sed in animum amore prorsus Deo deditum accendi Deum, atque ibidem in ardore lucere.* Hæc Marsilius. Nunc, quia verum est PIETATI in Deum sociari & adhærere MODESTIAM, in hanc tantisper oculos deflectamus.

CAPVT XXIII.

Dionyſij modeſtia ſeu animi ſubmiſſio.

MODESTIÆ LAVS.

ALtera quæ in Dionyſij ſcriptis grato aſpectu & quaſi verecundo ore collucet, proptereaque omnibus meritò adamanda & ſemper in ſinu habenda Scriptoribus, eſt *Modeſtia*, velut fida Pietatis ſocia, & intima contubernalis. Quæ modeſtia in æſtimatione ingenij atque iudicij (quod ferè in hominibus ſolet eſſe ſuperbiſſimũ) nõ minùs, quàm ceteris in rebus à magno Areopagita peramãter ſtrictéque cõplexa eſt. Quod cùm ex alijs locis, tũ verò è tribus potiſſimè, vno *De cæleſti hierarchia*, altero, *De eccleſiaſtica*, tertio, *De diuinis nominibus colligi* licet. Nã in primo quidem horũ librorum, poſtquã ſuper ea quęſtione: *Cur Iſaias Propheta purgatus dicatur à Seraphim*, ſuam expoſuiſſet ſententiã, ingenuè faſſus eſt eam ſe ab alio didiciſſe, & libenter quidem, ſi melior afferatur, mutaturũ eſſe. Sic enim ſcribit: *Atque hoc quidem ille me docuit: tibi autẽ trado. Tuæ erit ſapientiæ atque eruditionis, aut alteram cauſſarum allatarũ omni dubio exſoluere, & alteri vt æquam & rationi conſentaneam, & veram fortaſſis, anteponere; aut tecũ aliquid quod propius ſit veritati excogitare, aut ab alio addiſcere; Deo ſcilicet ſermonem ſuppeditante, & Angelis deferentibus, atque ita nobis, qui Angelorum ſtudioſi ſumus, clariorem, ſi fieri poßit, & cariorem patefacere contemplationem.* Ita ille ſancto Timótheo. Deinde eiuſdem libri poſtremum caput ita pulchro fine concludit: *Hæc mihi de ſacris figuris dicta ſunto: quæ ab exacta quidem earum interpretatione procul abſunt; ad hoc tamen, vt arbitror, iuuant, vt ne nimis abiectè figuratis imaginibus adhæreſcamus. Quod ſi obijcias non omnium Angelicarum virtutum, aut operationum, aut imaginum feciſſe nos mentionem, tibi equidem prorſus, quemadmodum res habet, reſpondebo: nempe nos ſcientiæ illius ſupramundanæ rudes eſſe, atque alio potius ad ea perdiſcenda doctore atque interprete indigere: tum etiam illa quæ prius expoſitis ſimilia ſunt, eandémque vim habent, nos ſpõte prætermiſiſſe, tam in dicendo modum aucupantes, quàm res reconditas, & ingenio noſtro maiores ſilentio venerantes.* Secundum verò librum, qui eſt de cæleſti hierarchia, haud minùs ſpecioſo exitu terminauit. Sic enim dixit: *Iſta, fili, tã multa & tam præclara, & ſingularia hierarchiæ noſtræ ſpectacula videre mihi datum eſt: alijs autem perſpicacioribus mentibus non hæc modò, ſed etiam multò clariora & diuiniora fortè perſpecta ſunt: tibique ipſi, vt opinor, illuſtriores atque diuiniores pulchritudines ad ſublimiorem radium iam dictis gradibus contendenti collucebunt. Quare communica tu quoque mecum, ô dilecte, perfectiorem lucem, & præſtantiores atque vniformiores, quaſcunque contueri poteris pulchritudines, oculis meis commonſtra. Nam per hæc, quæ modò à me dicta ſunt, inſitas tibi ignis diuini ſcintillas excitatum iri confido.* Iam autem libro De diuinis nominibus hanc verè aureã impoſuit coronidẽ. *Hæc nos diuina nomina in vnũ congeſta, quatenus aſſequi datũ eſt, explicuimus non modò impares accuratæ illorum expoſitioni (quod & Angeli ex vero dicant)*

QVANTI FECERIT DIONYSIVS S. TIMOTHEVM.

DIONYSIVS TIMOTHEVM VOCAT FILIVM OB ÆTATEM: ALIOQVI RERVM DIVINARVM SCIENTIA SIBI PAREM FACIT AVT SVPERIOREM.

cant) nec ijs etiam, quas Angeli tribuunt, laudibus inferiores (cùm & postremis nostri cedant Theologi) neque item Theologis ipsis, eorúmue auditoribus & assectatoribus conferendi, sed eorum quoque, qui nostri sunt ordinis, postremi & infimi. Quare si rectè quidem habeant, quæ à me dicta sunt, & pro loco nostro & ordine, interpretationis diuinorum nominum sentẽtiam aßecuti sumus, id bonorum omniũ auctori acceptum referatur, qui primò quidem dicẽdi, deinde & bene dicendi tribuit facultatem. Quòd si eorum nominum, quæ eandẽ vim habent, aliquod prætermissum est, id eadem via & ratione subaudiẽdum erit. Sin minùs rectè, minusq; perfectè hæc à nobis tractata sunt, aut si etiã à veritate vel omnino, vel ex parte aberrauimus, tuæ fuerit humanitatis corrigere non sponte ignorantẽ, & addiscendi cupidum edocere: atque etiam haud satis per se valenti opẽ ferre, & ægrotare nolenti medicinam facere; & alia quidẽ à te ipso, alia verò ab alijs inuenta, sed omnia ab ipso Bono percepta in nos transfundere. Neque te pigeat hominem amicũ afficere beneficio: cùm & nos videas nullã nobis traditarũ sacrarũ institutionũ intra nos continuiße, sed eas tecum & cũ ceteris sacris hominibus incorruptas cõmunicasse, vti & deinceps cõmunicaturi sumus, prout quidem & nos ad dicendũ, & pares alij fuerint ad audiẽdum: nec iniqui circa traditionem erimus, nisi si vel ad intelligendũ vel ad eloquendum fuerimus tardiores. Sed hæc quidem, vt Deo gratũ, ita se habeant, & dicantur: & hic sit diuinorum nominum quæ mente percipiuntur finis: nunc ad Theologiã symbolicam Deo ducente transibimus. Ita librũ illum beato fine conclusit Dionysius. Cuius modestia & animi submissio non ex his tantùm, sed ex alijs cõpluribus locis, quorũ aliqua alibi tetigimus, cognosci potest. Veruntamen ea quæ coniunctam habent ipsius erga præceptores suos insignem reuerentiã atque laudem tacita præterire qui possum? Nam optimi sanè animi & nobilissimæ indolis signum est clarissimum, vt minorum erga maiores, sic discipulorũ aduersus pręceptores suos honor & reuerẽtia. Quæ in S. Dionysio tã illustribus notis emicuerũt, quàm in vllo alio antehac fortassis nemine. Siquidem magistrorum suorum vix vnquam, ac ne vix quidẽ in scriptis suis, nisi cum gratissima debiti honoris pręfatione, & sui præ illis magna submissione atque despicientia cõmeminit. Nam Hierothei quidẽ vnius è magistris suis verba è Theologicis institutionibus, ad firmandã eius auctoritate propositam à se doctrinam, non sine eximia eiusdem laude ac veneratione aliquoties profert in mediũ. Cùm enim admirandam Domini IESV in vtero virgineo efformationẽ nec sermone vllo exprimi, nec vlla mẽte concipi, ne Angelica quidẽ & Seraphica, docuisset, tum de eadem Christi humana generatione atque miraculis hæc cũ magisti honore subiecit: *Hæc autem,* inquit, *& alibi à nobis compluribus in locis demõstrata sunt, & ab inclyto præceptore nostro in suis Theologicis institutionibus perquã eximiè celebrata: siue illa à sacris Theologis acceperit, siue ex accurata scripturarum perscrutatione, multa in eis exercitatione vsuq; diuturno perspexerit: siue ex aliqua diuiniore inspiratione edoctus fuerit, non studio solùm, sed etiam experimento diuina assecutus, atque ex quadam natura conuenientia atque consensione, si ita loqui fas est, ad mysticam & quæ non docetur,*

DIVINIS NOMINIBUS PLENE EXPLICANDIS IMPARES ETIAM ANGELI.

S. TIMOTHEUM QUANTI FECERIT DIONYSIUS.

S. DIONYSII ERGA SUOS PRÆCEPTORES REVERENTIA.

VERBI INCARNATIO INEFFABILIS.

S. HIEROTHEI LAUDES.

tur,

tur, sed suscipitur, coniunctionem atque fidem perfectè prouectus. Atque vt multas & beatas, optimæ illius mentis speculationes in paucissimis ostendam, hæc de Iesu in collectis à se institutionibus ait: Omnium caussa est & complementum Iesu diuinitas &c. Ita Dionysius libro de diuinis nominibus, cap. 2. Iam autē eiusdem libri capite tertio, vbi de celeberrimo illo Apostolorū, aliorumque Pontificum apud sanctissimam Deiparam conuentu agit, quàm eundem magistrum suum extollit! quàm se deprimit! Eius verba S. Timotheum Ephesi Episcopum alloquentis hæc sunt.

COETVS APOSTOLORVM ET VIRORVM APOSTOLICORVM AD VIRGINIS DEIPARÆ EXCESSVM ET EXEQVIAS.

Apud ipsos, inquit, *Deo afflatos Pontifices nostros, cum & nos, vt nôsti, & ille* (Hierotheus scilicet) *ac plerique è nostris sanctis fratribus ad contemplationem corporis illius, quod vitæ principium extitit, Deúmque suscepit, conuenissemus (aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus supremum ac maximè venerandum Theologorum columen) cumq; eo conspecto placuisset, vt potentissimam diuinæ imbecillitatis bonitatem Pontifices omnes pro suo quisque ingenio collaudarent, tum ille, vt scis, (Hierotheus) alijs omnibus sacrorum magistris secundum Apostolos præcellebat, totus excedens, totus se deserens, atque adeò quandam eorum, quæ prædicabantur, communionem in se experiens, ab omnibus, qui videbant & audiebant, qui noscebant, vel ignorabant, sacro numine correptus, & laudator diuinus iudicabatur. Sed quid ego tibi ea, quæ de diuinis rebus ibi dicta sunt, commemorem? Nisi enim meimet ipsius planè oblitus sum, scio me quoque abs te istorum diuinorum hymnorum partes aliquas audiuisse. Adeò tibi cordi est diuina haud leuiter persequi. Verùm vt mystica illa, & sicut in vulgus non efferenda, & tanquam tibi perspecta prætermittamus, quotiescumque nostra cum multis communicare, & quàm plurimos ad doctrinam sacram adduci oportuit, ille plerisq; sanctis doctoribus, & vsu temporis, & mentis puritate, & demonstrationum certitudine, & ceteris sanctæ eloquentiæ facultatibus haud paruo interuallo antestabat: ita vt aduersus tam magnum solem nostros figere obtutus ausi nunquam fuerimus.*

S. HIEROTHEVS INSIGNIS EVANGELII PRÆCO.

IDEM SOLI COMPARATVR.

Ita enim nobis conscij sumus, ita sentimus non posse nos, nec diuina, quæ mente percipienda sunt, satis intelligere, nec quæ super Dei cognitione exprimenda sunt, dignè effari, sed cùm procul ab eo absimus, id etiam accedit, quòd ista diuinorum virorum ad veritatem Theologicam spectante scientia deficimur, atque eò prorsus ex magno metu & reuerentia deuenimus, vt nihil omnino de sacra philosophia nec audiremus, nec diceremus, nisi insedisset animo, non esse diuinarum rerum quantulamcumque cognitionem negligendam.

RERVM DIVINARVM QVALISCVMQVE COGNITIO NON NEGLIGENDA.

Quod quidem nobis persuadent non modò naturales mentium appetitiones, quæ tantam quā-tam capere possunt, rerum sublimium contemplationem studiosè semper affectant, sed ipsa quoque diuinarum legum optima institutio, quæ ea quidem, quæ supra nos sunt, tanquam meritum & captum excedentia, vetat curiosiùs inuestigare: omnia verò, quæ permissa & concessa sunt, iubet attentè condiscere, & benignè cum alijs communicare.

CAVSÆ QVIBVS AD SCRIBENDVM INDVCTVS SIT DIONYSIVS.

His igitur & nos inducti, atque ad diuinorum, quatenus assequi licet, inuentionem, nec labori parcentes, nec inertiæ concedentes, immo nec eos, qui nostris altiora contemplari non valent, absque subsidio relinquere sustinentes, animum ad scribendum appulimus, nihil quidem no-

ui

ui inducere ausi, sed minutioribus dumtaxat, & particularibus quibusdam instructionibus, ea quæ compendiosè à nostro verè Hierotheo dicta sunt, distinctum atque explanaturi. Hactenus verba Dionysij de se tam tenuiter atque submissè, quàm de præceptore Hierotheo reuerenter ac honorificè dicta. De quo rursus, capite quarto eiusdem libri, sic ait: *Hæc etiam præclarus ille noster sacrorum moderator* (Hierotheus) *in hymnis amatorijs diuinè exposuit. Quorum hic meminisse, & nostro, De amore, tractatui velut sacrum quoddam caput annectere haud erit alienum.* Annectit deinde illud caput, quod ad ipsiusmet Hierothei vitam differo. Adeò vir ille sanctus quantum præceptoribus & rerum diuinarum magistris deberetur honoris & obseruantiæ, non intelligebat modò, sed etiam absque omni inuidia præ se gratissimo animo ferebat, posterísque tradebat. Quin etiam neque eandem, quam suus Doctor Hierotheus, materiam antè ausus est pertractare, quàm clarum fecisset, id se bona eius venia, immo suasu, atque iussu facere: nec tam quæ ille ardua atque difficilia perscripsisset maioribus animis & perfectis sensibus accommoda, quàm quæ idem tanquam minora omisisset ab alijs explicanda, & tardioribus ingenijs exponenda, sese alieno rogatu scriptis mandare professus esset. In quibus tam propter exemplum iuuentutis, quæ olim suos magistros his tracta vestigijs venerabitur, quàm quia S. Dionysij perillustris, & omnibus æmulanda Scriptoribus tam sua extenuantis, quàm aliena extollentis elucet modestia, animique submissio, non pigebit aliquantisper in monstranda tantę virtutis pulchritudine immorari. Hæc igitur sunt magni Areopagitæ verba: *Sed aliquis requiret fortasse, quid sit, quamobrem postquam venerandus præceptor noster* Hierotheus *Theologicas institutiones perexcellenter collegerit, nos iam, quasi illæ minus sufficerent, nouas alias & præsertim hanc Theologiam conscripserimus. Atqui si ille quidem omnia, quæ ad Theologiam pertinent, ex ordine commentari voluisset, ac totius Theologiæ summam breuissimis explicationibus persequi, eò vesaniæ aut temeritatis nunquam prorupissemus, vt nos illo arbitraremur vel perspicacius res Theologicas esse assecuturos vel diuinius: neque item animum induxissemus in ijsdem labore superuacaneo repetendis operam nostram ludere: quid dicam & præceptorem & amicum, ex cuius præcipuè sermonibus secundùm diuinum Paullum instituti sumus, iniuria afficere, & præstantissimam eius contemplandi scientiam & expositionem suffurari? Sed cùm is diuina grauiter explanans, compendiosas nobis & multa breuiter complectentes definitiones exposuerit, simúlque mandauerit, vt & nos pro virili, & quicumque nostri similes rudiorum sunt animarum magistri, apto sermone breues illas & singulares mentis illius perspicacissimæ sententias explicaremus, tuq; ipse nos, ô Timothee, ad idem præstandum sæpenumero exhortatus sis, & nobis eius librum tanquam sublimiorem remiseris: hinc & nos illum vt perfectorum atq; exercitatorum ingeniorum magistrum, ijs qui supra vulgus sapiunt, secernimus, eiúsque scripta velut altera scripta diuina, & Apostolicis proxima reputamus: nostri autem similibus pro nostro & ipsorum captu res diuinas exponemus. Si enim perfectorum est solidus cibus; alios*

REVERENTIÆ IN MAGISTROS EXEMPLVM IN S. DIONYSIO EXPRESSVM.

S. HIEROTHEI SCRIPTA DIVINIS PROXIMA.

alios

alios eo pascere quantæ perfectionis est? Rectè igitur hoc quoq; à nobis dictum est claram illam & per se oculatam spiritualium eloquiorum contemplationem & succinctam eorum doctrinam exercitatioris indigere facultatis, sermonum autem qui eò deducant scientiam atque disciplinam inferioribus sacrorum mysteriorum magistris iuxtà & discipulis conuenire. Quanquã & illud quoque à nobis perquam diligenter est obseruatum, vt quæ diuinus ille præceptor plana expositione distinxisset, nullo modo attingeremus, nec ijs quæ ipse dilucidasset, denuo repetendis actum ageremus. Hactenus Dionysij Areopagitæ, viri in maxima & sublimissima scientia longè modestissimi verba planè aurea, quæ cunctis sacræ Theologiæ Doctoribus, sed & quibuslibet alijs quarumcumque artium magistris, sed tamen illis potissimè, vt eiusdem studij corriualibus, cùm Christianæ submissionis, tum debitæ maioribus, & præsertim magistris suis, reuerentiæ exemplo esse debeant. Verùm de modestia satis: nunc germana eius mansuetudo inspici cupit.

CAPVT XXIV.

DIONYSII mansuetudo & mansuetudinis commendatio.

S. DIONYSII EPISTOLÆ IN QVIBVS POTISSIMVM ELVCET EIVS MANSVETVDO.

SAncti Dionysij modestiæ comes mansuetudo iungatur. Quibus scilicet vt geminis germanisque sororibus cùm scripta eius cetera, tum epistolæ præsertim insignes sunt, tresque potissimùm, vna ad Polycarpum Smyrnæ Pontificem: altera ad Demophilum monachum: tertia ad Sopatrum Sacerdotem. In quarum prima leniter admodum & mansuetè coniectum in se Apollophanis graue conuicium retorquet: secundam verò totam ferè in eximia mansuetudinis laude consumit. In tertia quàm suauiter cum probis viris alia quàm nos sentientibus agendum sit, ipsius suæ epistolæ exemplo docet. Est enim illa grauiter iuxtà & perhumaniter scripta. Eam hîc integram, cùm sit breuissima, subijcio.

Dionysius Sopatro Sacerdoti S.

Noli existimare in hoc esse victoriam, sancte Sopater, si alterius formam religionis, aut opinionem, quæ tibi bona non videatur, possis reprehendere. Neque enim, si illam iudicatò redargueris, ideo statim res Sopatri bene habebunt. Fieri enim potest, vt inter multa falsa & apparentia, veritas quæ vnica est & abdita, teq; & alios lateat. Quoniam sanè non, si quid rubrum non sit, continuò est album: nec si equus non sit, confestim est homo. Verùm, si me audias, ita facies; abstinebis quidem à dicendo in alios: pro veritate autem sic dices, vt quæ dixeris, nequaquam refelli possint.

Ita Dionysius. Cui hoc proprium fuit, vt sua conaretur solidè comprobare, aliena non magnopere curaret (nisi si multùm religioni officerent) refutare. Ostensa enim certò & liquidò veritas omnem contrariam falsitatem suo marte supplantat. Quod idem ipse in epistola ad S. Polycarpum egregiè docet, atque exemplo veri ac regij numismatis con-

cõfirmat:quo in medium posito adulterina omnia mox deprehenduntur. Rectè tamen obseruauit Maximus S. Dionysij interpres, non simpliciter ab Auctore nostro refutationes aliarum opinionum reprobari (cùm & ipse Elymæ magi sententiam refutet in libro *De diuinis nominibus*) sed tum duntaxat, cùm præter institutum aliena operosiùs refellantur, quàm propria confirmentur. S. MAXIMI MART. OBSERVATIO AD EPISTOLAM S. DIONYSII.

Epistolã ad S. Polycarpum suo loco antè positã de superato per mansuetudinem conuitio non existimaui hîc reponendam, sed in memoriã solùm esse reuocandam. Verùm eandem mansuetudinem in laudata superiùs ad Demophilum epistola, vti meminisse lector potest, adeò exactè, fusè, feruideque partim exemplis, partim sententijs vir sanctissimus & mansuetissimus exaggerauit, vt inde satis signi sit, quàm eadem virtus illi cara & intimis insita medullis fuerit. Vbi inter alia exemplum illud de S. Carpo Christi mansuetudinem per visum nocturnum edocto, vt longè pulcherrimum, atque ad eliciendam in peccatores lenitatem efficacissimum, cunctis curam animarum gerentibus necessariò legendum est. Quocirca totum vnà cum sua epistola in superioribus est positum. Illuc ergo quos ea res tangit, allego. Nam ad Reges Christianissimos (in quorum auxilia & nunc & olim currere solitus est S. Dionysius) cùm in præsenti auocer, moram non traho.

CAPVT XXV.

S. Dionysij in Christianißimos Francorum Reges beneficia.

PRoximum virtutibus locum meritò sibi prodigia vindicant, & præsertim quæ animis iuxtà & corporibus profuere. Quorum quia Christianissimi Francorum Reges præcipuè compotes fuerunt, ab ijs auspicatò capiendum videtur initium. Primus igitur in hunc ordinem veniet Dagobertus Clotarij filius: quando hunc ei locum tam series tẽporis, quam percepti à S. Dionysio beneficij magnitudo addicit. Quippe, qui & patris iram adolescens, & Dei vindictam terris excedens, huius sanctißimi martyris opportuno interuentu euaserit. Quę quo pacto acciderint, breuiter enarrabo.

[b] Rex Clotarius Dagoberti parens carum in paucis, & cui res fidenter committeret, certum hominem habebat, nomine Sadragesillum: hunc & filio moderatorem & Aquitaniæ gubernatorem præfecerat. Sed eundem Dagobertus, vt seueriorem & minus sui reuerentem odio tacito & vindictæ auido persequebatur. Patre igitur Clotario per venationum studia ab se longius seiuncto, commodam sui vlciscendi occasionem nactus, Sadragesillum inuitat, adhibétque mensæ: post mensam in eum manus inijci, vestes detrahi, flagris cædi, barbam amputari mandat. Cuius tam audacis facti exinde conscius & citò pœnitens (ita scilicet est animus iuuenum, vt cæcus & præceps ad audendum, sic celer & facilis ad retractandum) patris iram & conspectum exhorrebat, nec sine causa. *Aimoinus l. 4. de gestis Francorum.*

ſa. Nam reuerſus pater, & illatam homini amico tam atrocem iniuriam oculis ſuis conſpicatus, grauiter admodum & iniquo animo ferre: immo & ingentibus minis tanti auctorem facinoris filium ad pœnam depoſcere: hic autem nuſquam tutus latebras vbique quærere, & præ nimio metu loca identidem commutare, donec tandem in vicum Catulliacum, & in ſacram ibidem ædiculam, S. Dionyſij & ſociorum corporibus illic aſſeruatis nobilem, tanquam in aſylum, confugit. Ibi enim ceruum contra inſequentes moloſſos, & venatores, quos occultus nexus aditu arcuerat, ſalutem quondam inueniſſe meminerat.

S. DIONYSIVS DAGOBERTO APPARET ET REGNATVRVM PRÆDICIT.

Hic ergo mœſtus ac lugens cùm iaceret, tam animo deiectus, quàm oppreſſus ſomno, ecce illi per visũ vir ore venerando obijci, hortarique, vt poſito metu, bono ſit animo: iſtoc enim illum periculo, atque etiam maiori, quàm hoc eſſet, olim defuncturum: immo & Francorum regno quondam potiturum, ſi tamen eorum, qui hìc ſiti eſſent, monumenta ſeſe ornaturum promitteret: promiſit: móxque vt dictis & promiſſis certa conſtaret fides, cæleſtem opem ſenſit. Nam eos qui à patre miſſi venerant, cùm vno circiter milliari ab æde illa abſtarent, ne vltrà progredi poſſent, vis diuina inhibuit. Qui proinde ſubitaneo territi prodigio iter reflectunt, & quid monſtri ſibi accidiſſet, Regi renunciant: quibus ille recuſans fidem, & inertię potiùs atque infidelitati, quàm certo prodigio factum attribuens, alios eodem ſubmittit; ſed illi quoque in pari interuallo acceſſu prohibiti, idem quod nuncij priores, referunt: quibus perinde increpitis, &, tanquam Principi filio obſecũdantibus, acerbè reiectis, abit ipſemet ſtomacho plenus, velut filium à ſepulchris martyrum ſuis manibus abſtracturus: verùm vbi ſe nihilo minùs quàm ſatellites ibidem loci, quadam vi clandeſtina ab appropinquando diſtineri animaduertit,

REX CLOTARIVS AGNOSCIT PRODIGIVM ET REDIT CVM FILIO DAGOBERTO IN GRATIAM.

cæleſti tandem potentia, & martyrum virtute recognita dat manus, reditque cum filio in gratiam, & recepta progrediendi facultate, ædiculam ingreſſus glorioſos martyres ſupplex adueneratur, & ſibi propitios facit. Filius autem Dagobertus accepti memor beneficij magno deinceps honore & horrore eum locum, & ſanctos loci præſides, potiſſiméque Dionyſium coluit. Quo tamen in cultu haud ſanè id probauerim, quòd illud ſapientiſſimè dictum, *Ne quid nimis*, aut non ſatis attenderit, aut parum curauerit. Siquidem nimia exornandæ S. Dionyſij baſilicæ, quam ipſe exædificauerat, cupidine, omnia ferè Galliarũ templa præcipuis expoliaſſe ornamentis fertur, adeoque ædis S. Hilarij Pictauienſis

S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI SACRA ÆDES.

Epiſcopi valuas ex ære fuſili fabrefactas in D. Dionyſij haud veritus eſt tranſportare: non reputans ſcilicet animo, quàm ea pietas vel ingrata Sanctis, vel inuiſa Deo foret, quæ vnius Diuorum ornamenta ex alterius conflaret exuuijs. Neque verò cælites ipſi de tam impia & irreligioſa (ſi fas eſt ſic appellare) pietate & religione atrũ ferre calculum diſtulerunt. Nam earum valuarum alteram, dum per oceanum in Sequanam, & per hunc Pariſios verſus deueheretur, profundo fluminis alueo nunquã adhuc repertam demerſerunt. Sed & hoc & alia Dagoberti peccata

cùm

cùm eius seriò pœnitentis regiæ eleemosynæ, & pia opera, tum etiam SS. martyrum & in primis Dionysij cultus & veneratio, teste certa reuelatione absterserunt. Narrat enim Aimoinus, & narrationi subscribunt rerum Gallicarum Scriptores vniuersi, Ansoaldum illustrem virum, eūdémque Pictauensis ecclesiæ protectorem, cùm peragratis Siciliæ oris in Galliam postliminio renauigaret, ad quandam breuem insulam appulisse: illic viri cuiusdam sanctissimi solitariè degentis, Ioannis nomine, congressu & confabulatione vsum; atque inter alios de animæ salute sermones interrogatum ab eo fuisse, num Regem Dagobertum nosset? Qui cùm nosse respondisset, illum rursus sciscitatum, quæ vita, qui mores hominis extitissent? quibus ex ordine commemoratis, demum subiecisse senem illum solitarium, quæ super eiusdem Regis statu per visum accepisset: nempe sibi vigilijs ac ieiunijs, atque etiam ipso senij grauamine in somnum depresso, virum quendam venerāda canicie spectabilem adstitisse, monuisséque, vti properè surgeret, ac pro Dagoberti Regis anima, quæ eâdem ipsâ horâ corpus deseruisset, preces ad Deum funderet: quod impigrè exequenti subitò apparuisse in ipso pelago, nec à se procul, terribiles visu formas, teterrimos scilicet ac truculento vultu dęmones, qui vinctum Regem Dagobertum per vasta maris spacia vexantes, plagísque lancinantes ad antra ignea pertraherent; ipsum verò Regem diris distentum cruciatibus, inter verbera vexationésque, certorum Sanctorum efflagitasse subsidia: atque tum aperto derepente cælo, viros quosdam nitore admirabili, inter crebra fulmina multo cum fragore ruentia descendere visos, qui ab eo interrogati, quinam essent, eos se esse responderunt, quos Dagobertus in suppetias aduocasset, Dionysium scilicet & Mauritium martyres, & cum his S. Martinum Confessorem. Hos ergo vidisse se referebat, ereptam dęmonibus animam ad cęlos cum hoc epinicio deducentes: *Beatus, quē elegisti & assumpsisti Domine: inhabitabit in atrijs tuis.* Hæc solitarius ille ætate & sanctitate venerabilis à se visa Ansoaldo narrauit, Ansoaldus S. Audoëno, Audoënus & Aimoinus posteritati. E quibus duo videntur ad vitam bene beatéque degēndam elici posse vtilia documenta: quæ omnibus quidem mortalibus, sed potissimè Regibus cordi esse debent: vnum, vt peccata sua, quibus ob curarum molem eos contaminari necesse est, maturè ac sollicitè profusis in egenos largitionibus redimant: alterum, vt nonnullos è Sanctorum numero, quos peculiari cultu & veneratione in vitâ prosequantur, & quorum ope in exitu securiores sint, sibi patronos adsciscant. Quod vtrumque Dagobertus ille magno animæ suæ bono mille ferè antè annis præstitit. Nam præter S. Dionysij templum, quod vniuersis, quę Gallia tum habuit, magnificentius extruxit, hoc præterea effecit immortali memoria dignissimum, quòd subiugatis circumquaque vicinis nationibus, & pace toto regno firmata, cùm se alius, vt solet, luxui ocióque dedidisset, ipse nuncio his remisso animum ad pietatem, & cogitationes suas ad regnum aliud verè regnum pulchris meritis comparandum se-

Aimoinus li. 4. cap. 34. de gestis Francorum.

IOANNIS SOLITARII DE DAGOBERTO REGE VISIO.

SANCTORVM IN SVPPETIAS INVOCATIO.

Psal. 64.

REGVM ANTE MORTEM PIA OFFICIA.

DAGOBERTI REGIS PIETAS.

riò adiecerit. Siquidem in vnum coactis Galliȩ proceribus eam super vitæ suæ mutatione habuit orationem, quam frequentissimus ille Pontificum cœtus ingenti plausu excepit: se nimirum considerata hinc mortalitate corporum, inde immortalitate animorum, in hanc deinceps, cuius præcipua sit habenda ratio, redemptis præteritæ vitæ flagitijs, penitus & ex animo velle intendere, proindéque testamentum condere decreuisse, in quo omnes regni sui celebriores basilicas certis copijs & prædijs locupletaret. Quod ille quidem non dixit magnificentiùs, quā præstitit liberaliùs. Nam & apud ipsum Aimoinum, & apud alios rerum Gallicarum Scriptores non orationem modò Regis,[d] sed & testamentum ipsum pijs instructum donationibus inuenias. Neque verò solùm Dagoberto, sed & alijs eum consecutis Francorum Regibus idem ille regni Apostolus in vtrisque tam terrenis, quàm cælestibus bonis commodauit. Extat enim egregia Ludouici Pij Imperatoris, eiusdemque Francorum Regis ad Hilduinum Abbatem epistola, in qua è maioribus suis complures recenset, quibus incredibili bono fuit piam beati Dionysij coluisse memoriam: *qui dum sacras eius exuuias* (ita loquitur Imperator) *in terris ob amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi, opibus quibus poterant, honorauerunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt: vt videlicet vnus è priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem preciosissimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium, sicut diuina ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus, inq; vita perenni desiderabiliter constitutus.* Ita de Dagoberto Rege Ludouicus Pius laudatæ superiùs reuelationi conformiter memorauit. Qui ibidem deinceps eiusdem Dionysij, primò in proauum suum Carolum, deinde in Pippinum, postea in patrem suum Carolum magnum, & postremò in semetipsum merita & beneficia gratissimo animo persequitur. *Proauus* inquit, *noster Carolus, Princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excellentissimi martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem Principatus.* Denique, quò breuis sim, eadem propè de auo, de patre, de se ipse prædicat: nempe S. Dionysij meritis regni coronam ipsis datam, seruatam, restitutam. Neque verò in hos magis, quàm in posteros Reges eiusdem martyris se prodidit beneficentia. Nempe pares pietate paria solent beneficia comitari. Itaque Robertus, qui ad regni potentiam non modò pietatem, sed & doctrinam quoque, eámque Rege pio dignissimam adiunxit, cum suæ magnam partem felicitatis, S. Dionysio adscriberet, in eius honorem & grati signum animi cœnobitis Dionysianis agros non paucos, & præclara latifundia insigni liberalitate condonauit, his vsus verbis: *Probauimus ergo,* inquit, *operæprecium esse (vt diligentiùs obsequijs diuinis vacarent, & nostram ac totius regni salutem Deo commendarent) qualemcunque largitionis nostræ opem conferre fratribus è monasterio specialis patroni nostri Macarij Dionysij: cuius protectionum alis euecti, & quàm plurima iam pericula superauimus, & ad hæc regni fastigia nos ascendisse cōfidimus.*

EIVSDEM IN SACRA ET RELIGIOSA LOCA LIBERALITAS AC MVNIFICENTIA.

LVDOVICI PII FRANCORVM REGIS VERBA.

S. DIONYSII IN REGES FRANCORVM BENEFICIA.

ROBERTI REGIS FRANCORVM PROSPERITAS A DEO ET DIONYSIO.

Dein

Dein recenſet Rex liberaliſſimus iuxtà & pientiſſimus villas decem, quas illis totas concedit,aliaque inſuper non pauca. Poſt quæ ſubiungit: *Hac itaque regiæ largitionis noſtræ indulgentia cupimus ſanctorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, quibus olim omnem ſpei noſtræ fiduciam commiſimus, patrocinia promereri, quatenus hoſtibus noſtris & victrices dextras inferre, & cum triumpho victoria,inuicta annuente Deo exinde de eorum ſubiectione vexilla referre*. Hæc ille. Itaque ſemper inuictus fuit:ſemper omnium quęcumque attētauit cōpos & victor: ſemper etiam pius.Hinc& multas ædes ſacras varijs in locis exſtruxit:apud Siluanectū,ſancto Regulo beati Dionyſij ſocio vnam: Aureliæ,Diuo Aniano aliā:Stampis,beatiſſimę Virgini tertiam: Auguſtoduni,duas:apud Poſſiacū,rurſus eidem Virgini alteram.Anno demum regni ſui 34.& ſalutis noſtræ circiter 1033.ſanctè obijt, atque in æde S.Dionyſij tumulū, in cælo regnū aliud acquiſiuit.De Henrico autē primo eius filio quid dicā? An à patris germana pietate deſciuit,aut ab auito Dionyſij cultu vel latum vnguē degenerauit? nempe qui propter Ratiſponenſium de corpore S.Dionyſij diſſenſionem,cùm illud in cœnobio Dionyſiano detegi iuſſiſſet,inibique repertum,& quidem mira odoris fragrantia diuinitus refertum cognouiſſet, confeſtim extraordinaria inſtinctus pietate,Pariſijs ad S.Dionyſij vrbem,eadem ipſa die(hoc eſt,nonâ Iunij, quæ exinde quotannis feſta eſt)ad viſendum atque venerandum idem corpus,nudis pedibus, Rex tantus & tam potens ad duo circiter milliaria properauit,& regalia munera ſacræ eius aræ deuotus impoſuit.Denique & Philippus Auguſtus,& eius filius Ludouicus S.Ludouici pater, & ipſe S.Ludouicus(vt tres ſint inſtar omnium)præſentiſſimam patroni ſui opem non ſemel,ſed ſæpius experti ſunt. Nam anno quidem Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo ęgrotantibus vno eodémque tempore,& vno eodemque morbo, ſed locis maximè diſsitis, Philippo Rege & Ludouico Filio,hoc in Francia,illo in tranſmarinis regionibus, vbi aduerſus Turcas pro terra ſancta militabat, inuocatâ S. Dionyſij & ſociorum ope,atque inſuper inſtituta ab eius cœnobij Religioſis ad vrbem vſque Pariſios ſolemni ſupplicantium proceſsione, ambobus è periculoſiſsimo dyſenteriæ morbo incolumitas eſt reſtituta.Qua quidem in re mirabilis ſanè Dei opt. max.largitas conſtitit:qui pro ſolo filio deprecantibus(nihil dū enim de patris inualetudine inaudierant)non tantùm pro filio,ſed etiā pro patre propitius fuit, amboſque eadē horâ perſanauit.Quæ duplicata ſanitas incredibile dictu quanta deinceps reip. Chriſtianæ commoda importarit.Fuerunt enim illi duo Reges nō modò Eccleſię fortiſſimi propugnatores,ſed etiā hæreticorum ac pręſertim Albigenſium impugnatores acerrimi, nec ſine magna opinione ſanctitatis.Neque deſunt qui Philippo ipſi vita functo occurriſſe Dionyſium, atque ſe illi ad cælos ducem ac comitem præbuiſſe diuina certum oſtēſione aſſeuerent.Quod ſuis celebrare verſibus minimè prætermiſit Guilielmus Brito,qui in libris Philippiados hæc de illo cecinit inter alia:

EIVSDEM REGIS IN S. DIONYSII COENOBIVM INSIGNIS LIBERALITAS.

TEMPLA A ROBERTO REGE VARIIS LOCIS EXCITATA.

HENRICI PRIMI FRANCORVM REGIS DEVOTIO ERGA S. DIONYSIVM

DETECTIONIS RELIQVIARVM S. DIONYSII DIES FESTA.

Rigordus libro de geſtis Philippi Auguſti.

PHILIPPI REGIS FRANCORVM ET LVDOVICI FILII INCOLVMITAS, SS. MARTYRIBVS ACCEPTA RELATA EST.

Guilielmus Brito, lib. 12. Philippiados.

——— ——— ——— ——— spiritus aula
Fulget in Angelica, ductore receptus eodem:
Idque Patri Patrum Dionysius ipse sequenti
Nocte reuelauit: ne quis regnare Philippum
Cum Christo dubitet, re tanto teste probata.

Guilielmus Nangius de gestis S. Ludouici.

S. Ludouicus verò gratiarum beati Dionysij expers esse qui potuit? quippe qui in illius cultu (si veram & sinceram spectes pietatem) nulli superiorum Regum aut Imperatorum concesit. Quare cùm anno Domini 1244. in grauem & medicis desperatum morbum incidisset, & eo quidem tempore, quo eius opem præcipuè expectabat & efflagitabat Ecclesia, (nam ad illum Innocentius IIII. Pontifex ob Friderici Imperatoris tyrannidem confugerat) tum & ipse Rex Ludouicus, & sanctissima eius mater Blancha Regina, non aliunde secundùm Deum & sanctissimam Virginem, quàm à B. Dionysio regni patrono certum ac præsens auxilium sperandum rati, eius sacras reliquias ex abditis latebris in lucem erui, palam & publicè coli, per ædem & claustrum Dionysianum religioso ritu circumferri, preces denique tam ad eum, quàm ad socios martyres pro Regis salute spargi expetierint. Quæ simul fieri cœpta sunt, statim Rex conualescere, confestim regni Ecclesiæque negocia in melius procedere occœperunt.

S. LVDOVICI ET BLANCHÆ MATRIS ERGA DIONYSIVM PIETAS.

CAPVT XXVI.

Christianissimorum Franciæ Regum erga B. Dionysium studia & honores.

a Codice M. S. in S. Dionysij cœnobio apud Parisios.

[a] CHristianissimis Regibus antiquissimum in orando, & honorando Dionysio Clotarium II. inuenio: qui plurimum quidem auri, & argenti ad exornãdas B. Dionysij & sociorum martyrum memorias obtulit, immo prædia quoque & bona & multa: sed tamen Dagobertus eius filius, tam liberalitate & munificentia in extruendo & dotando templo patri anteiuit, quàm eiusdem Dionysij honore atque cultu, cunctis ferè Regibus. Nam Ludouicorum quidem purior & religiosior pietas fuit, vti & sanctitas maior: sed Dagoberto templi & cœnobij Dionysiani laudem fundationis cuncti attribuunt. Cuius templi partem, quę sancta corpora obtegebat, argento texit, cœnobium autem nõ opibus tantùm largissimè ditauit, sed priuilegijs quoque, & immunitatibus amplissimè honorauit. [b] Verùm de templi consecratione, ipsius Christi Domini peractâ ministerio, mira & inusitata, idoneis tamen auctoritatibus & testimonijs, pręd icantur. Nam cùm Antistites ad celebrandam dedicationem (quæ ad VI. Kalendas Martij futura sperabatur) Dagoberti Regis inuitatu in vnum conuenissent, leprosus quidam obtentâ ab æditu is in eadem sacra æde pridie dedicationis perno-

Vincent. Bellouacensis in Spec. hist. l. 23. cap. 36. & 37
b Robertus Gaguinus lib. 3. hist. Franc. in Dagoberto.

pernoctandi facultate, dum vigil in precationibus excubat, ecce videt manifestè Christum Dominum sanctis Apostolis Petro & Paullo stipatum, assectantibus quoque Dionysio, Rustico, & Eleutherio templi patronis ingredientem, ipsumque candido præmicantem habitu, omne dedicationis munus per sese obeuntem.

CHRISTVS DOMINVS DEDICANDI TEMPLI PARTES SVSCIPIT.

Quo absoluto munere ad se quoque accedentem ac huiusmodi vtentem verbis audit: *Tu homo dicito Pontificibus, vbi crastina luce ad hanc ædem aduenerint, eam à me consecratam esse, & habeto huius testimonium certitudinis, lepræ tuæ mundationem.* Quæ simul atque est elocutus, leprâ in vicinum lapidem translatâ, *(quæ ad hunc vsque diem*, inquit Robertus Gaguinus, *per summam admirationem visitur)* leprosus omnino mundatus est. Quo miraculo attoniti Præsules dedicatione abstinuerunt. De Dagoberto hactenus. Ceteri porrò Reges, quà honoribus, quà largitionibus egregiè sunt æmulati: qui quidem in sancti Dionysij meritis tantum esse præsidij crediderũt, vt spe beatæ vitæ per eius allegationem citiùs obtinendæ, in eius templo voluerint tumulari: vnde & idem templum pro communi Regum mausolæo cœptum est deinceps vsurpari.

CAROLI MAGNI MODESTIA, PIETAS ET DEVOTIO ERGA S. DIONYSIVM.

Sed inter alios, quanta Caroli Magni pietas in hoc genere, quanta modestia & animi demissio fuit? qui se ipsâ Dionysij æde indignum reputans, satis sibi esse dixit, si ante ipsa ædis limina conderetur, itaque condi voluit. Quâ tamen cum modestiâ certat vincitque, me iudice, illa eiusdem in patronum suum pietas & deuotio singularis, quâ donorum aliorum quantislibet largitionibus non contentus, in templum ipse ingressus, & deposito super aram sacram regali diademate, genibus humi flexis, palam & cunctis audientibus, regnum suum & Francorum coronam B. Dionysio obtulit ac deuouit.

FRANCIÆ REGNVM S. DIONYSIO OFFERTVR.

Domine sancte Dionysi, inquit, *ego me honore regni Franciæ spolio, vt vos de cetero eius habeatis dominiũ.* Deinde altari quaternos aureos velut redẽptionis precium imposuit, hoc signo testans, & palam omnibus faciens à nullo se Francorum regnũ, nisi à Deo & à B. Dionysio obtinere. Quod non modò ipse fecit, sed alijs quoque pòst vẽturis Regibus quotannis faciendum præscripsit.

MOS REGVM FRANCIÆ IN EXPEDITIONIBVS AVT PEREGRINATIONIBVS EXTRA REGNVM.

In expeditionem porrò extra regnum abiturus, siue alia de caussa exiturus pro more habuit, ab eodem Dionysio facultatem exposcere, eique regnum commendare, hac fere formula: *Domine Sancte Dionysi, à vobis nunc abeundi facultatem peto, Franciámque vobis relinquo, vt illius secundùm Deum curam ac tutelam suscipiatis.* Quod Caroli magni exemplum ad posteros quoque transijt, qui etiãnum iter aliquod magnum aggressuri ad SS. Martyrum corpora adeũt, & oblatis super ara B. Dionysij muneribus, ac regni curâ & protectione Diuis concredita ab ijsdem accipiunt discedendi facultatem. Ab eodem Dionysij honore & amore priscum illud dictum emanasse creditur, quod ijsdem Francorũ Regibus linguâ patriâ fuit in ore quàm frequentissimum: *Mon Ioue, Sainct Denis*, hoc est, Iuppiter meus, Sanctus Dionysius: quasi dicerent: Iouem sibi habeant alij: mihi pro Ioue erit sanctus Dionysius: Quod dictum vsque à Clodoueo primo deriuatum

QVA DICTI ILLIVS, MON IOVE, SAINCT DENIS, ORIGO ET SIGNIFICATIO.

riuatum ferunt, qui vxoris suæ Clotildis pientissimæ Reginæ suasu atque hortatu, tam ad suscipiendæ FIDEI Christianæ votum quàm ad S. Dionysij cultum fuerit incitatus. Hæc enim cùm eximia corporis forma, & indole verè regia emineret, ea lege cum Clodoueo nuptias pepigerat, vt se Christianorum baptisma admissurũ, & à Ioue, alijsque Dijs nec Dijs ad vnum Deum, atque ad Christiana sacra trãsiturum promitteret. Quod tunc quidem promissum, sed à nuptijs celebratis diu prorogatum necessitas tandem extorsit. Quintodecimo enim regni sui anno Alemannos bello aggressus, & ab ijs pæne oppressus, dũ suos à fuga cohibere non valeret, tum demum arctis in rebus, & fidei suæ redijt in memoriam olim Clotildi datæ, & falsis Dijs non succurrentibus, vni vero

CLODOVEI DE SVSCIPIENDA RELIGIONE CHRISTIANA VOTVM.

Dèo Opt. Max. baptismum & religionem vouit, si is à se quidem in hoc prælio staret, & domum victorem reduceret. Quo nuncupato voto, noua confestim incessente animum alacritate denuo dari signum classico iubet, & quam sibi proximam habebat, ad sui corporis munimentum, egregiam armis iuuentutem secum agens, retro in hostes flectit: nec mora: fugiunt persecutores: vincuntur victores: Rex Alemannorum cæditur: Alemannia subiugatur. Parta igitur tam memorabili victoria occurrit victori viro victrix Clotildis vnà cum S. Remigio; atque, vt multa paucis, Rex Clodoueus voti reus instruitur, abluitur, insignis Christi cultor & S. Dionysij cliens efficitur, iacetque deinceps cum suis Dijs Iuppiter, & pro Ioue Dionysius passim celebratur. Denique siue in iureiurando, siue in sermone alio, vbi antea Iuppiter vsurpari solitus erat, iam à Christianis Regibus nihil fere a-

QVA FIT DICTI ILLIVS GALLICI ORIGO: MON IOVE SAINCT DENIS.

liud, nisi *Mon ioue, sainct Denis* resonat: donec annis labentibus, & Ioue sensim in obliuionem abeũte posteriores Reges, & Principes alij deflexa nonnihil pronunciatione, arbitrati *gaudium,* & non *Iouem* secunda illa voce enuntiari, cœperũt vulgò *Mon ioye, sainct Denis*, id est, *Gaudium meum, Sanctus Dionysius*, parua litterulæ vnius commutatione, vsurpare: præsertim quòd ita Clodoueum ipsum Gallici idiomatis tum satis rudem, vtpote Francum, ita locutum esse existimarẽt: ac proinde plus auctoritatis Regi & antiquitati, quàm legibus grammaticis tribuẽdum contenderent: secundùm quas alioqui, *Ma ioye, sainct Denis*, recta concinnaque locutione fuisset efferendum. Denique quotiescũque insignis aliqua de hostibus parta fuisset victoria, hæc ferme erat exultantis exercitus, hæc congratulantis populi publica acclamatio: *Mon ioye, sainct*

ARMA VICTORIA S. DIONYSIO APPENDI SOLITA.

Denis. Mon ioye, sainct Denis. Quippe & qui victorias & triumphos & spolia vni secundùm Deum accepta referrent Dionysio. Hinc & erepta hostibus signa, atque vexilla, interdumque sua ipsorum arma, quibus fortiter prospereque depugnauerant, eidem velut sacro exercituum duci suspendebant. Sed nunc ad propositum reuertamur. Caroli Magni egregiam in Dionysium pietatem filius Ludouicus, qui Pius est cognominatus; & Ludouici, Carolus Caluus; & Caroli Calui, eius posteri sunt imitati. Nam de Ludouico quidem testis est locuples

ipsiusmet

ipſiuſmet ad Hilduinum epiſtola, cui commemoratis tam in ſe quàm in maiores ſuos Dionyſij beneficijs, cõquirendorum eiuſdem martyris librorum ac monumentorum omnium, ſibique exhibendorum curam imponit: ſatis ſcilicet inſinuans aliquam ſe à faſtidioſis regni negocijs animi remiſſionem in eorum lectione poſiturum. Adde quòd Carolum Caluum filiorum natu minimum, adhuc admodum paruulum eidem ſancto, ſingulari cura, atque (vt Aimoinus loquitur) *ſpeciali traditione* cõmendarit. Qui proinde natu iam grandior & regni potens, cultum S. Dionyſij velut patriam atque auitam hereditatem retinuit. Quare facta deſubitò Danorum in Franciæ regnum irruptione, cùm hæreret inops conſilij, alijs aliò elabentibus, & vrbem ipſam Pariſios hoſti prædam deſerentibus, ipſe ad S. Dionyſij monaſterium opem diuinam imploraturus cum exiguis copijs contendit: vbi quidem fixum habuit, vel diffluente populo, pro SS. martyrum reliquijs depugnare, & ſanctum locum tueri; vel, ſi facultas aliqua daretur, réſque poſtularet, in hoſtem irrumpere, ſicque laudabili corporis interitu, religionis ac fidei gloriam depaciſci. Sed eius aduentantis inexpectatam audaciam hoſtes declinauerunt: ipſe verò his atque alijs defunctus periculis ſancti Dionyſij templum magnis auxit prouentibus, & precioſiſſimis donarijs adornauit: quæ ad hoc vſque tempus aſſeruata viſuntur. Inter quæ donaria fuerũt Dominicæ crucis clauus & ſpinea Chriſti corona & ſancti ſenis Simeonis brachium. Idem Carolus cùm annos triginta regnaſſet, imperium eſt conſecutus: quo biennium duntaxat perfunctus, Sedeciæ medici, quem habebat cariſſimum, veneno, vt aiunt, interijt, & Vercellis vrbe Italiæ tumulatus eſt: ſed in S. Dionyſij ædem ſeptennio poſt transferri voluit. Nam Archengerus cœnobita Dionyſianus, & Alphonſus D. Quintini Viromandenſis æditiuus ſe in templis ſuis pernoctãtes ab ipſo Carolo per quietem, de eius corpore in martyrum ædem transferendo admonitos aſſeuerarunt. Nec fuit Ludouicus Craſſus à maiorum æmulanda in Dionyſium veneratione degener. Siquidem ingruente in Franciam Henrico II. Imp. & vrbi Rhemis extremum minitante exitium, interea dum miles ſcribitur, adit ipſe ad S. Dionyſium, regni tutorem inuocat, eius & ſociorum corpora è latebris effert, venerationi exhibet: deinde aſſumptâ ab altari flammulâ (vexillum hoc eſt ſacrum & bellicum Francis Regibus in militia prẹferri ſolitum) Rhemos cum exercitu aduolat. Cuius aduentu & copijs territus Imperator, cõfuſione ſimul & mœrore & impatientia animum flagellantibus, mortis accelerata neceſſitate retroceſſit, breuique poſtea, & quidem ſine liberis exceſſit. Ludouicus autem voti compos, dimiſſo exercitu ad Dionyſij cœnobium Deo & Martyribus gratias acturus redijt: quibus & egregia dona ſuſpendit. Sed quod Rege dignam pietatem in primis oſtendit, hoc fuit: quòd recondendis eorundem SS. Martyrum corporibus ſuos ipſe humeros Rex tantus ſuppoſuit. Coniungamus tam pio Regi coniugem ſuam multò pientiſſimam, cuius in S. Dionyſium tanta pietas, & amor,

Aimoinus l. 1. miraculorum S. Germani, cap. 1.

Robertus Gaguinus, lib. 5. hiſt. Francorum, cap. 1.

Rigordus de geſtis Philippi Augusti.

LVDOVICI CRASSI ERGA S. DIONYSIVM PIETAS.

ADELAIDIS REGINÆ PAR RELIGIO.

& beneuolentia fuit, vt locum martyrij eius, siue Montem Martyrum illustri cœnobio sacrarum virginum ornare, & noua quadam perpetuæ sanctimoniæ corona honorare voluerit. Nam ibi Adelaïs æterna digna memoria heroina, vt pijs virginibus ordinis S. Benedicti egregium & tali cœtui accommodatum esset monasterium, quò se recipere identidem ad sacros suos amores atque delicias, hoc est, ad memoriam atque monumenta gloriosæ mortis Sanctorum martyrum posset, institit apud maritum, peruicítque, vt viris religiosis, qui locum illum priùs insidebant (erat enim Prioratus, vt vocant, à cœnobio *S. Martini de Campis* dependens) aliquis alius attribueretur, quem ipsi volentes lubentesque in commutationem acciperent. Id igitur curatum diligenter, & factum: ac illi quidem Abbatiam *S. Dionysij de carcere* appellatam non inuiti accepere. Virgines autem in montem martyrum triumphante ac voti sui potiente Adelaïde conscendêre. Extant huius commutationis litteræ à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi (nam illius ea res intererat) anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo tertio datæ. Absolutis porrò tum alijs ad habitationem ædificijs, tum ad preces & vota templi structuris, percommodum sanè accidit, tam ad maiorem Regis ac Reginæ lætitiam atque exultationem, quàm ad ipsius solemnitatis longè augustissimam & sanctissimam celebrationem, vt Eugenius III. Pontifex in Gallia diuersaretur. Nam Regis Christianissimi, & pientissimę Adelaïdis inuitatu templum illud nouum legitimis cærimonijs dedicauit, & sibi ad aram principem facienti S. Bernardum Abbatem Claraüallensem pro Diacono, Petrum Venerabilem Præsulem Cluniacensem pro Subdiacono ministraturos assumpsit. Ac Bernardus quidem illam ipsam tunicam, qua tum sacris operatus erat, è tela argentea confectam eidem monasterio munus reliquit. Quæ ibi sanctæ Reginæ gaudia, qui plausus, qui triumphi rebus omnibus, tam è voto, tamque ex animi sententia confectis fuerint, quis dicendo exprimat? Ex illo igitur itare frequenter ad beatum illum locum, nec vnquã aspectu, cultuque sanctæ illius terræ, quæ patroni sui Dionysij sociorúmque martyrum sanguinem suxit, satiari. Denique post carissimi mariti excessum cuncta illi palatia præ illo vno cœnobio sorduêre: ibi viduitatem suam sacrare, ibi totam deinceps vitam exigere, ibi mori, & sepeliri elegit. Nec parentum virtutem in se desiderari passus est Ludouicus Iunior: qui in terram sanctam parans expeditionem (annus erat salutis nostræ 1147.) priusquam regno excederet, ad S. Dionysij secundá post Pentecosten hebdomadá accessit, à quo & opem, & discedendi facultatem expetijt: quo etiam in templo sacrum vexillum ex more regio perquam reuerenter accepit. Quin & patris exemplum secutus sacro beati Dionysij feretro, dum reconderetur, succollauit. Philippum verò Augustum huius Ludouici Iunioris filium quis hîc sine flagitio præterire possit? Hic enim multis parentum precibus post copiosam alterius sexus sobolem à Deo impetratus, & vix decimumquintum

Vide in Bibliotheca Cluniacensi Priuilegia Pontificum monasterio Cluniacensi concessa.

TEMPLI MONTIS MARTYRVM NOBILISSIMA DEDICATIO.

LVDOVICI IVNIORIS AVITA PIETAS ERGA S. DIONYSIVM

tum ingressus annum viuente & volente patre, regni gubernaculis admotus cùm fuisset, confestim magna in Deum pietatis, magna in Dionysium venerationis specimina edere incepit. Anno igitur Domini millesimo cẽtesimo nonagesimo, ipsa die S. Ioannis Baptistæ sacra, (id quod diu ante præ se tulerat, & diutius cum animo suo voluerat ac concupiuerat) seriò aggredi expeditionem in terram sanctam nunc instituens, in oppidum S. Dionysij, eum inuocaturus patronum & ducem præsidemque belli, se contulit. Ibi verò coram sacris eius & sociorum suorum Rustici & Eleutherij corporibus marmoreo in pauimento humiliter prostratus, ardentes ad Deum Opt. Max. preces fundere, atque illi & beatæ Virgini, & hisce beatis martyribus atque omnibus Sanctis suppliciter enixeque cõmẽdare: dein lachrymis perfusus à precatione surgere, & sportam baculumque peregrinationis porrigente Guilielmo Rhemensi Archiepiscopo, auunculo suo, Apostolicæ sedis Legato, cum magno pietatis sensu accipere: tum etiam bina vexilla egregiè apparata, quæ supra sanctorum martyrum corpora fixa erant, suis manibus refigere, ac tollere: denique post expostulata à Fratribus Religiosis precationum subsidia, & post acceptã claui Dominici, & spineæ coronæ, & brachij sancti Simeonis (quas in eo cœnobio preciosissimas seruant Reliquias) benedictionem abscedere, atque iter pro amplificanda religionis Christianæ gloria Rex Christianissimus maturare. Perruptis proinde omnibus morarum & dilationum caussis, anno proximo, ipso sacri Paschatis vigilia, pro muris Acconis vrbis totius Palæstinæ multò munitissimæ, Christianis eam obsidentibus, sed nihil admodum contra Saladini vires & loci propugnacula proficientibus, tanquam Angelus Domini adstitit, & dato suis animo sic oppugnare adorsus est, vt illi non expectato Francorum insultu (iam enim patefacta via erat) dedere se malentes, quàm perire, has deditionis conditiones admiserint: vt veram Domini Crucem, quam habebat Saladinus, redderent: vt omnes Christianos, quos in terris suis captiuos detinebant, restituerent: ipsi verò saluis tantùm corporibus sine armis vllis excederent. In grauem post hæc morbum Philippus cùm incidisset, aliæque simul reditus caussæ intercederent, in Franciam reuersus nihil habuit antiquius, quàm vt confestim ad beatissimi Dionysij ædem orationis caussa deproperaret: cui aduentanti eius cœnobij Religiosi vnà cum Abbate suo Hugone, *facta* (vt Rigordi verbis vtar) *processione* obuiam iuere, eumque cum hymnis, & laudibus in templum induxere. Rex autem ante Sanctorum corpora humiliter prostratus primò quidem quantas potuit maximas Deo beatisque martyribus, quorum ope tot ac tantis defunctus esset periculis, gratias egit: tum verò pallium sericũm, amoris sui pignus altari anathema imposuit. Verùm quò testatiorem suam faceret aduersus Dionysium pietatem, quantumque in eius apud Deum auctoritate spei atque fiduciæ reponeret, luculentius demonstraret, idem postea pristino monachorum Dionysianorum numero tricenos alios, qui perpetuò rem diui-

Margin notes: PHILIPPI AVGVSTI IN TERRAM SANCTAM ADVERSVS BARBAROS EXPEDITIO. — SACRARVM RELIQVIARVM CVLTVS. — CRVX DOMINI RECVPERATA. — *Rigordus lib. de gestis Philippi, anno Domini 1191.* — *Gaguinus lib. 6. hist. Francorum.*

Guilielmus Nangius, in gestis S. Ludouici.

diuinam pro ſe Deo exoluerent, copijs ſuppeditatis adiunxit. Hæc & alia in Dionyſium officia cùm ceteri Francorum Reges obſeruarint, tum principali cum modeſtia & pietate S. Ludouicus, qui ad iter Hieroſolymitanum fidei propagandæ cauſſa accinctus, ipſam quoque Religioſorum Dionyſiani cœnobij exedram ingreſſus, non modò Præſulis, aut ſeniorum monachorum, ſed iuniorum quoque humiliora ſedilia refugiens, locum in infimo eorum graduum, quibus ad Abbatis thronum conſcenditur, elegit: vnde expetitis omnium Religioſorum pro ſe & pro totius regni ſalute (quod B. Dionyſio præcipuè commendabat) ſanctis precibus, & percepta claui Dominici & ſpineæ coronæ benedictione, iter cum fauſtis omnium apprecationibus & acclamationibus aggreſſus eſt. Neque in morte quàm in vita ſuam in Dionyſium eximiam pietatem minùs patefecit: ſiquidem deficientibus iam corporis viribus, illam vſitatæ ad B. Dionyſium precationis clauſulam identidem repetere auditus eſt: *Tribue nobis quæſumus Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare.* In eiuſdem Dionyſij templo, quod multis viuens aureis coronis, & ornamentis decorauerat, atque ad ſepulturam elegerat, eſt conditus. Hæc ad teſtificandam Chriſtianiſſimorum Regum in martyrem Dionyſium pietatem cùm abundè ſint, ceteris, quæ multa conferri poſſent, ſuperſedeo.

S LVDOVICVS IN TEMPLO S. DIONYSII SEPVLTVS.

CAPVT XXVII.

Aliorum partim Sanctorum, partim genere illuſtrium aduerſus B. Dionyſium honores.

PRæter illorum, quos ſuprà laudauimus, pietatem honoreſque aduerſus S. Dionyſium, multi quoque alij partim cultus frequentia & ſinceritate, partim templornm, cœnobiorum, aliorúmue ædificiorum exſtructione eundem ſibi patronum fautorémque fecerunt. In quibus primas ſanè ſibi vendicat B. Genoueſa virgo ſanctiſſima: quæ ducentis ferme annis ante Regem Dagobertum, vicum Catulliacenſem ex amore & honore S. Dionyſij frequentiſſimè celebrauit, inibique illam ipſam ædem, in quam tantò poſtea Dagobertus patris iram fugiens, vt antè memoraui, velut in aſylum confugit, non tam facultatibus ſuis, tametſi illis quoque, quàm precibus & miraculis condidit. Quæ enim ad templum tali loco & tempore ædificandum maximè deſiderabantur, ea vbi reperienda eſſent, precando didicit, & ipſis operarũ neceſſitatibus miracula patrando ſubuenit. Iungatur S. Genoueſæ beata Birgitta, virgini Gallicanæ vidua Germanica, etſi æuo quidem admodum diſiuncta (inter vtrâque enim haud minùs quàm nouem ſæcula interfuerũt) pietatis tamen ardore & colẽdi Dionyſij ſtudio propè par ac gemina. Quippe quæ beatum martyrem tam frequenter, ac tam feruenter voto & precibus adierit, & laceſſiuerit, vt non rarò quà viſis cæleſtibus,

S. GENOVEFA VIRGINIS IN S. DIONYSIVM PIVS AFFECTVS MIRACVLIS COMPROBATVS.

B. BIRGITTA ERGA S. DIONYSIVM DEVOTIO.

bus, quà opportunis solatijs ab eodem ipsam visitante affici meruerit. Et flagrante quidem inter Reges Philippum Valesium Galliæ, & Eduardum Angliæ, quàm acerrimo bello, vidit inter precandum Galliæ patronum Dionysium super afflicto regni statu, Reginæ cæli supplicantem, & auxilium Francis implorantem. Aliàs item cùm è peregrinatione ad S. Iacobi Compostellani susceptâ cum marito simul reuerteretur, isque Atrebati in morbum incidisset, ex quo illa non mediocrem animo participauerat mœrorem, gratissimam à suo Patrono Dionysio consolationem percepit. Precanti enim apparens eum se esse dixit, qui ab Vrbe Roma euangelij proferendi caussa in Franciam venisset: & quia singulari ab ea diligeretur affectu, hinc se eius curam habiturum, sempérque præsto affuturum: & addidit promisso pignus, breui consecuturam mariti valetudinem. Quæ & paullò pòst est consecuta. Denique aliàs sæpius eundem habere visitatorem merita est & consolatorem. His accenseri meritò debent S. Suuibertus Frisonum Apostolus, & B. Notgerus Eburonum Episcopus, quorum ille relicto natali solo, & stirpis nobilitate Christo substrata (Anglus enim erat, & illustri è familia oriundus) cùm à S. Vuilfrido Merciorum Præsule creatus Antistes ad Frisones Germanósque fide imbuendos missus esset, nihilque haberet antiquius, quàm vt vanas eorum superstitiones in veram vnius Dei religionem, & profana Deorum fana in Diuorum sacra templa commutaret, tum magni Dionysij toto Occidente notissimi, & sibi in primis carissimi haud immemor, templum eius honori sub annum salutis nostræ sexcentesimum nonagesimum in oppido Hoernaer consecrauit. Alter verò multorum Leodij templorum ædificator vnum quoque in honorem & cultum B. Dionysij construxit, cui & Canonicorum adiunxit Collegium: qui primò quidem viginti, *procedente verò tempore* (vt loquitur & testatur Anselmus) *decem additis, in tricenarium profecerunt numerum*. Sanctæ vero Edithæ pietas meritissimò inter hos sanctos sibi locum facit. Fuit hæc virgo Edgari Regis filia, & Eduardi Regis & martyris soror, & post patris quidem ac fratris excessum (nisi constanter recusasset) gentis suę Regina: quæ contempto Regno & mundo, dum tota viam insistit pietatis, templum in honorem D. Dionysij patroni sui sub annum Domini nongentesimum octogesimum quartum condidit, & requietis suæ locum certo mentis præsagio appellauit. Nam in eodem templo, quod viuens crebrò frequentarat, à S. Dunstano, qui illud eius inuitatu dedicauerat, sepulta est. Qui Dunstanus cùm in ipsa dedicatione eam virginem obseruasset pollicem dexterum identidem ad efformandum in fronte sua Crucis signum extendere, facto delectatus apprehendit eius dexteram, & dixit: *Nunquam putrescat hic digitus*. Qui proinde mansit imputribilis. Nam tredecim ipsis annis à suo decessu apparuit eadem sancta virgo beato Dunstano, & de corporis eleuatione commonuit, addito veritatis signo, quòd præter ea membra quibus olim in puellari ætate abusa fuerat, (oculorum scilicet, manuũ, &

In reuelat. extrau. c. 92. & in vita eius tomo 4. Surij.

S. DIONYSIVS APPARET S. BIRGITTÆ.

S. Marcellinus Presbyter in vita S. Suuiberti c. 11. t. 2. Surij.

TEMPLVM S. DIONYSII AREOP. LEODII EXTRVCTVM A NOTGERO EPISCOPO.

S. EDITHA TEMPLVM CONSTRVIT S. DIONYSIO.

FREQVENS SIGNI CRVCIS IN FRONTE IMPRESSIO APPROBATA MIRACVLO.

pedum) totum reliquum corpus incorruptum inueniretur. Adiunxit etiam de pollice his verbis: *Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi assiduè Crucis signum impressi, illæsum videbis, vt appareat clementia Domini in parte seruata, & paterna castigatio in parte absumpta*. Denique, vt S. Dionysij cultum olim, dum viueret, egregiè promouerat, ita illius mundo defunctæ venerationem, quadam remunerationis vice idem Dionysius Dunstano Antistiti apparens, & sacrum virginis corpus in lucem exponi & coli præcipiens, cælesti auctoritate promouit. Adeò exhibitus Sanctis cultus in eos, qui exhibuerint, non sine ingenti fenore solet reciprocari.

S. DIONYSIVS APPARET S. DVNSTANO EPISCOPO.

Facit porrò candidissimus ille puritatis & pietatis Anglicanæ flos, beatissima Editha, vti & aliorum Anglorum seu Regum seu Principum S. Dionysij amantissimorum, & sacro eius honori deuotissimorum mihi refricetur ac redeat læta memoria: nec tui, ò beatissime Eduarde Rex, & Confessor, vlla possim ratione obliuisci. Haud enim scio an quicquam aliquando tulerit terra Anglia nomine tuo vel maius vel sanctius, sed simul & coniunctim gloriæ S. Dionysij celebrandæ & tutandæ deuotius. Nam cùm præter solitam in sancta regni tui loca & Indigetes tuos liberalitatem ac munificentiam, Dionysij quoque licet peregrini memor esses, ac prædiuitem ei villam plurimisque abundantem commodis elargirere, ita fere dicebas, ita scribebas: *Ego Eduardus Rex Anglorum, cùm essem in pace, in gloria regni mei, pro salute animæ meæ patrumq; meorum, qui ante me regnauerunt, cum consultu & decreto primatum fideliumq; meorum dedi S. Dionysio, (qui celebris memoriæ apud nos quidem nominatur, apud Francos autem & colitur, & habetur) villam quandam nominatam Teintuna in territorio & comitatu vrbis, quæ Oxenaforda dicitur, cum omnibus appendicibus eius, id est, terris, siluis, pascuis, aquis, pratis, cultis, & incultis. Sit autem terra hæc immunis, & libera ab omni negocio, excepta expeditione, & pontis vel arcis instauratione. Quòd si qui violauerint, sit pars eorum decreto Dei & meo, omniumq; Episcoporum (quorum nomina hìc habentur) cum Iuda traditore, cum Dathan, & Abiron in ignem æternum, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur; nisi reatum suum coram Deo, & sancto Dionysio emendauerint. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo nono*, &c. His litteris regiæ donationis subscripserant nomina sua, primò Rex & Regina, deinde duo Archiepiscopi, tum Episcopi sex, posteà Duces quinque, deinceps & alij. Sed hæc studio breuitatis omitto, & ab Anglorum pietate, de qua & inferiùs sermo mihi necessariò instituẽdus est, in Franciam pedem refero.

S. EDVARDI REGIS IN S. DIONYSIVM PIETAS ET MVNIFICENTIA

LITTERÆ DONATIONIS EDVARDI REGIS.

Vocat enim ad se, quem hactenus omisi, S. Eligius, & in S. Dionysij honore spectari artem suam petit. Cui sanè inter æui illius aurifices facilè principi, & in opus quod ad Beati Dionysij spectabat ornamentum toto, quod aiunt, animo & corpore incumbenti haud mediocris laus debetur: immo & Nouiomensis Episcopatus, qui pòst diuinitus ei tributus est, vt pars fortè aliqua præmij, procuratore apud Deum Dionysio, felici sorte obtigit. Nam longè nobilissimum eidem suo & omnis Galliæ patrono, in ciuitate Parisiensi condidit

S. ELIGIVS OLIM EXCELLENS AVRIFEX TOTAM ARTIS INDVSTRIAM IN S. DIONYSII HONOREM IMPENDIT.

didit mauſolæum, cui & tectum auro, gemmiſque opere mirifico incruſtatum ſuperpoſuit. Quo quidem in opere tametſi Regis Dagoberti liberalitas ac munificentia præclarè reſplenduit, tamen omne auri gemmarumque precium infra artis ac induſtriæ æſtimationem fuit. *Tantum enim illic* (vt S. Audoeni verbis vtar) *ſuppeditante Rege ſuam exercuit induſtriam, atque ita ſuum declarauit ingenium & artificium, vt panè ſingulare ſit in Gallijs ornamentum, & in magna omnium admiratione vſque in hodiernum diem.*

Apud Surium tomo 6. vitarum.

Liceat mihi in horum coronam Sanctorum, qui S. Dionyſij gloriæ, & honori ſtuduerunt, aut ſacra illi loca coluerunt, etiam S. Ignatium Societatis Ieſu, Deo duce, auctorem atque fundatorem includere. Is enim Pariſijs cùm ſtuderet, & nonnullis ſibi adiunctis ſocijs totus ad res magnas ac diuinas aſpiraret, tandem anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, cùm inſtituenda, formandáque perfectioris vitæ initia, & quædam velut ſemina futuræ Societatis iacienda concepiſſet animo, non alium ad hæc beata principia commodiorem aut ſanctiorem locum eſſe iudicauit, quàm vicinum Pariſijs Montem martyrum, hoc eſt, mõtem illum S. Dionyſij & aliorum martyrum cruore conſecratum: illuc proinde ſolemni Aſſumptæ Virginis die (quam præcipuam ſibi apud Deum patronam cuncti adſciuerant) communiter adeundum cenſuerunt: ibi tantam celebritatem quâ poſſent pietate exigendam: ibi eorum quæ ad Dei gloriam & Fratrum ſalutem conceperant vota nuncupanda. Et ſumma quidem votorum hæc fuit: Primum vt remiſſo fluxis vaniſque voluptatibus nuncio integram illibatamque in perpetuum amplexarentur caſtitatem. Dein vt, quoad eius fieri poſſet, paupertatis ſemita graderentur, eámque excepto tam ſtudiorum (quæ aliqui necdum abſoluerant) quàm deſtinatæ ad ſacra Hieroſolymorũ loca peregrinationis tempore gnauiter ſectarentur: neu quicquam omnino pro auguſtiſſimi ſacrificij celebratione quouis prætextu admitterent. Præterea, vt in Palæſtinam ad gentis eius ſalutem, (ſi quidem pateret aditus & permitteretur) certo tempore conſtituto ſimul nauigarent: ſin minùs, ad ſummum Pontificem adirent, atque ad eius proſtrati genua totos ſe ad fructum animarum ex ipſius nutu arbitrioque dedicarent. Quæ vota duobus quoque annis conſequentibus eodem die, & loco, & ritu renouarunt. Quis autem dubitet, quin ille Galliarum Apoſtolus, ille inſtructor Gentium, ille ab Oriente ad Occidentem peregrinus, cùm in ſui martyrij loco exiguam illam coronam videret ſua per veſtigia incedere meditantem, ac ſe fratrum ſuorum in longinquis terris degentium ſaluti deuouentem, quis, inquam, dubitet, quin ille verus honoris Dei amator & æmulator multum caloris multumque roboris, deuotæ illi nouorum athletarum coronæ & ad promittenda, & ad præſtanda tanta molimina, ſuis apud omnium gratiarum fontem precationibus impetrârit? Addamus horum Diuorum numero illuſtres regia dignitate perſonas: ſiue Adelaïdem Roberti Frãcorum Regis matrem, egregia ſanctitate feminam; ſiue Henricum III. Angliæ

SOCIETAS IESV PRIMA PIETATIS VOTA IN MONTE MARTYRVM NVNCVPAVIT.

QVÆ VOTA NVNCVPARINT IGNATIVS ET SOCII ANTE CONDITAM ET APPROBATAM SOCIETATIS IESV RELIGIONEM.

ADELAIDIS REGINÆ FRANCORVM ERGA S. DIONYSIVM DEVOTIO.

Helgaudus in vita Roberti Regis Francorum.

Angliæ Regem præclara virum pietate: de quorum altera Helgaudus Floriacensis, post cœnobiorum ab ea exstructorum recensionem, ita subdit: *Speciali autem suo post Dominum amicorum amico, beato videlicet Dionysio casulam miro itidem opere factam contulit, quod opus vocatur Orbis terrarum, illi Caroli Calui dissimillimum. Sperabat enim se Deo fidelis Regina partem habituram cum eo, cui promiserat Deus sermone non casso, impetraturum pro quibuscumque petijsset. Etenim vniuersa progenies famulam se tanti martyris in omni opere proclamabat.* De altero autē ita Nangius: *Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono Henricus Rex Angliæ venit in Franciam, exceptusq́ est Parisijs à S. Ludouico: postmodum B. Dionysium visitare cupiens discessit Parisijs, & ad ecclesiam B. Dionysij venit cum magna deuotione, & reuerentia, mensémque, & eo amplius ibi commoratus conuentui cappam auream & scyphum magni ponderis contulit.* Nec inhonoratum indonatúmue S. Dionysium reliquit Philippus II. Hispaniarum Rex; qui obtento à Rege Franciç S. Eugenij primi Antistitis Toletani (quod diu multumq́ue postulauerat) sacro corpore, in tanti memoriam beneficij, & simul quòd idem Eugenius Dionysij Areopagitæ discipulus ab eo in Hispaniam missus esset eidem martyri Dionysio argenteam lampadem magnitudine & artificio spectabilem donum misit. Istis, quæ in hoc genere præcipua sunt, cursim delibatis, cetera transiliens, ad mirabiliora Dionysianæ virtutis signa depropero.

Guilielmus de Nangis lib. de gestis S. Ludouici.

PHILIPPVS II. REX HISPANIARVM MISIT LAMPADEM ARGENTEAM S. DIONYSIO.

CAPVT XXVIII.

S. Dionysij varia in varios & vario in genere post mortem miracula.

OMnia quæ B. Dionysius post excessum ad Superos vario in genere perpetrauit miracula & peruestigare studiosiùs nimis tædiosum, & accuratiùs enarrare nimis operosum esset: proinde præcipua duntaxat & pauca referam. In quibus tenere principatum illud debet, quod in Stephano Pontifice, eius nominis tertio, in magnum ecclesiæ bonum idem Dionysius designauit. Cuius quidem miraculi, quo certior extet fides, ex ipsiusmet Stephani litteris, quę hodieq́ue in promptu sunt, collecta veritas est. Hic igitur Stephanus ab Aistulpho Longobardorum Rege iniquè oppressus, expetitis frustra ab Imperatore Constantinopolitano auxilijs, demum ad Pipinum Francorum Regem, si quid is fortè subsidij afferret, se contulit; cui Rex perbenignè & perhumaniter excepto, atque in B. Dionysij cœnobio per hyemem hospitari iusso spopondit se proximo vere in Aistulphum ducturum, & opem afflictæ Italiæ, vbique ipsi, & Pontifici quietem & pacem allaturum. Stephano interea tam ex itinerum laboribus, quàm ex iniurijs temporum grauissimè laboranti, & desperata iam valetudine, nusquam nisi in Deo & in sanctis spes suas reponenti, ecce dum in æde sacra preces fundit, per visum apparent Principes Apostolorum Petrus & Paullus, & cum illis

STEPHANVS III. PONTIFEX PERICVLOSISSIME LABORANS SANATVR A S. DIONYSIO.

illis vnà templi Præses S. Dionysius, & hic quidem gracili ac procero corpore, vultu amœno, coma candida, tunica niuea clauo purpureo iūcta, pallio conchyliato stellulis aureis intertexto: & hi inter sese læto ac hilari ore sermocinantes Dionysio medendi munus deferunt: tum ille palmam & thuribulum manu gestās, Presbytero & Diacono, qui seorsum adhuc steterant, latera cingentibus ad ægrum propiùs accedit, salutatque: *Pax tecum frater, noli timere: non morieris, donec ad sedem tuam prosperè reuertaris. Surge sanus, & hoc altare in honorem Dei & Apostolorum eius Petri & Paulli, quos vides, dedica, missas gratiarum agens.* Erat verò ibidem (vt ipse retulit visi huius spectator Stephanus) inæstimabilis quædam cum mira suauitate claritas. Mox ergo sanitati est restitutus. Quare cùm exequi mandatum B. Dionysij iā incolumis satageret, & demonstratam arā in Dei & Apostolorum honorem consecrare, ij qui corā aderant, & pridianę infirmitatis oculati testes fuerant, desipere eū arbitrabātur, donec Pipino Regi, & optimatibus, atque proceribus rei serie denarrata, & fide dictis habita, ritè sacris operatus, eam ipsam arā dedicauit, & super ea palliū Apostolicum, ac Petri claues, velut sacra quædam anathemata in rei memoriā deposuit. Annus tūc agebatur Domini septingentesimus quinquagesimus quartus, ipsius autem Stephani Papæ tertius. Fertur idem Pontifex nonnullas B. Dionysij Reliquias secum Romam asportasse, atque in eiusdem martyris honorem monasterium in paterno fundo ædificare cœpisse, quod opus morte auctoris interceptum Paullus eius frater, & in Pontificatu successor magnificè absoluit, conuectisque in illud compluribus SS. martyrū corporibus consecrauit, & Græcis hominibus Deo ibidem famulaturis, in memoriā & honorem Dionysij Areopagitæ, vt fratrem velle didicerat, attribuit: locumque, *Ad sanctos martyres in schola Græcorum*, appellauit. Atque de Stephano hactenus. Quemnam autem illi potissimùm subiungemus, similis à beato Dionysio collatæ valetudinis compotem & laudatorem? Te, opinor, iure quàm meritissimo, Dux Berthalde, & inter Angliæ Duces veræ pietatis cultu eminentissime. Tu enim in grauissimam aliquando delapsus infirmitatem, cùm à medicis sperare nihil posses, ad cælestia suspirans remedia, opem à beatis Dionysio & socijs martyribus confidenter expectasti & reportasti. Nam audito esse in Gallijs eorundem Sanctorum corpora, velut quasdam efficacium medelarum apothecas, quàm primùm per Caroli magni Imp. (cuius in obsequijs versabare) facultatem licuit, illò te contulisti, eos veneratus es, ab ijs sanitatem expostulasti, & paucis admodum, quibus ad eorum monumenta decubuisti, diebus integram planè ac solidam valetudinem recuperasti. Quid ergo? Apud ingratum & immemorem ea fuit collocata gratia? Nullusque in Sanctos tanti beneficij fructus redundauit? immo verò maximus. Nam ædem illis sacram in villa tua extruxisti, & illam ipsam villam vnà cum agris, pratis, siluis, aquis, campis, hereditate à maioribus acceptam, sed & portus duos maritimos ei terræ

S. Dionysii Stephano Pontifici apparentis eumque sanantis verba.

Stephanus tertius Papa aram dedicat in honorem Apostolorum Petri et Paulli.

Monasterium Romæ extructum ab Innocentio III. Pontif. in honorem S. Dionysii.

Berthaldus Dux ope S. Dionysii et sociorum Martyrum e morbo desperato reualuit.

Templum in honorem S. Dionysii et Sociorum, a Berthaldo Duce construitur.

riò adiecerit. Siquidem in vnum coactis Galliȩ proceribus eam super vitæ suæ mutatione habuit orationem, quam frequentissimus ille Pontificum cœtus ingenti plausu excepit: se nimirum considerata hinc mortalitate corporum, inde immortalitate animorum, in hanc deinceps, cuius præcipua sit habenda ratio, redemptis præteritæ vitæ flagitijs, penitus & ex animo velle intendere, proindéque testamentum condere decreuisse, in quo omnes regni sui celebriores basilicas certis copijs & prædijs locupletaret. Quod ille quidem non dixit magnificentiùs, quã præstitit liberaliùs. Nam & apud ipsum Aimoinum, & apud alios rerum Gallicarum Scriptores non orationem modò Regis,[d] sed & testamentum ipsum pijs instructum donationibus inuenias. Neque verò solùm Dagoberto, sed & alijs eum consecutis Francorum Regibus idem ille regni Apostolus in vtrisque tam terrenis, quàm cælestibus bonis commodauit. Extat enim egregia Ludouici Pij Imperatoris, eiusdemque Francorum Regis ad Hilduinum Abbatem epistola, in qua è maioribus suis complures recenset, quibus incredibili bono fuit piam beati Dionysij coluisse memoriam: *qui dum sacras eius exuuias* (ita loquitur Imperator) *in terris ob amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi, opibus quibus poterant, honorauerunt, per eius preces dignißimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt: vt videlicet vnus è priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem preciosißimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium, sicut diuina ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus, inq; vita perenni desiderabiliter constitutus.* Ita de Dagoberto Rege Ludouicus Pius laudatæ superiùs reuelationi conformiter memorauit. Qui ibidem deinceps eiusdem Dionysij, primò in proauum suum Carolum, deinde in Pippinum, postea in patrem suum Carolum magnum, & postremò in semetipsum merita & beneficia gratissimo animo persequitur. *Proauus* inquit, *noster Carolus, Princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excellentißimi martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem Principatus.* Denique, quò breuis sim, eadem propè de auo, de patre, de se ipse prædicat: nempe S. Dionysij meritis regni coronam ipsis datam, seruatam, restitutam. Neque verò in hos magis, quàm in posteros Reges eiusdem martyris se prodidit beneficentia. Nempe pares pietate paria solent beneficia comitari. Itaque Robertus, qui ad regni potentiam non modò pietatem, sed & doctrinam quoque, eámque Rege pio dignissimam adiunxit, cum suæ magnam partem felicitatis, S. Dionysio adscriberet, in eius honorem & grati signum animi cœnobitis Dionysianis agros non paucos, & præclara latifundia insigni liberalitate condonauit, his vsus verbis: *Probauimus ergo,* inquit, *operæprecium esse (vt diligentiùs obsequijs diuinis vacarent, & nostram ac totius regni salutem Deo commendarent) qualemcunque largitionis nostræ opem conferre fratribus è monasterio specialis patroni nostri Macarij Dionysij: cuius protectionum alis euecti, & quàm plurima iam pericula superauimus, & ad hæc regni fastigia nos ascendisse cõfidimus.*

EIVSDEM IN SACRA ET RELIGIOSA LOCA LIBERALITAS AC MVNIFICENTIA.

LVDOVICI PII FRANCORVM REGIS VERBA.

S. DIONYSII IN REGES FRANCORVM BENEFICIA.

ROBERTI REGIS FRANCORVM PROSPERITAS A DEO ET DIONYSIO.

Dein

Dein recenſet Rex liberaliſſimus iuxtà & pientiſſimus villas decem, quas illis totas concedit, aliaque inſuper non pauca. Poſt quæ ſubiungit: *Hac itaque regiæ largitionis noſtræ indulgentia cupimus ſanctorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, quibus olim omnem ſpei noſtræ fiduciam commiſimus, patrocinia promereri, quatenus hoſtibus noſtris & victrices dextras inferre, & cum triumpho victoriæ, inuicta annuente Deo exinde de eorum ſubiectione vexilla referre*. Hæc ille. Itaque ſemper inuictus fuit: ſemper omnium quęcumque attētauit cōpos & victor: ſemper etiam pius. Hinc & multas ædes ſacras varijs in locis exſtruxit: apud Siluanectū, ſancto Regulo beati Dionyſij ſocio vnam: Aureliæ, Diuo Aniano aliā: Stampis, beatiſſimę Virgini tertiam: Auguſtoduni, duas: apud Poſſiacū, rurſus eidem Virgini alteram. Anno demum regni ſui 34. & ſalutis noſtræ circiter 1033. ſanctè obijt, atque in æde S. Dionyſij tumulū, in cælo regnū aliud acquiſiuit. De Henrico autē primo eius filio quid dicā? An à patris germana pietate deſciuit, aut ab auito Dionyſij cultu vel latum vnguē degenerauit? nempe qui propter Ratiſponenſium de corpore S. Dionyſij diſſenſionem, cùm illud in cœnobio Dionyſiano detegi iuſſiſſet, inibique repertum, & quidem mira odoris fragrantia diuinitus refertum cognouiſſet, confeſtim extraordinaria inſtinctus pietáte, Pariſijs ad S. Dionyſij vrbem, eadem ipſa die (hoc eſt, nonâ Iunij, quæ exinde quotannis feſta eſt) ad viſendum atque venerandum idem corpus, nudis pedibus, Rex tantus & tam potens ad duo circiter milliaria properauit, & regalia munera ſacræ eius aræ deuotus impoſuit. Denique & Philippus Auguſtus, & eius filius Ludouicus S. Ludouici pater, & ipſe S. Ludouicus (vt tres ſint inſtar omnium) præſentiſſimam patroni ſui opem non ſemel, ſed ſæpius experti ſunt. Nam anno quidem Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo ęgrotantibus vno eodémque tempore, & vno eodemque morbo, ſed locis maximè diſsitis, Philippo Rege & Ludouico Filio, hoc in Francia, illo in tranſmarinis regionibus, vbi aduerſus Turcas pro terra ſancta militabat, inuocatâ S. Dionyſij & ſociorum ope, atque inſuper inſtituta ab eius cœnobij Religioſis ad vrbem vſque Pariſios ſolemni ſupplicantium proceſsione, ambobus è periculoſiſsimo dyſenteriæ morbo incolumitas eſt reſtituta. Qua quidem in re mirabilis ſanè Dei opt. max. largitas conſtitit: qui pro ſolo filio deprecantibus (nihil dū enim de patris inualetudine inaudierant) non tantùm pro filio, ſed etiā pro patre propitius fuit, amboſque eadē horâ perſanauit. Quæ duplicata ſanitas incredibile dictu quanta deinceps reip. Chriſtianæ commoda importarit. Fuerunt enim illi duo Reges nō modò Eccleſię fortiſſimi propugnatores, ſed etiā hæreticorum ac pręſertim Albigenſium impugnatores acerrimi, nec ſine magna opinione ſanctitatis. Neque deſunt qui Philippo ipſi vita functo occurriſſe Dionyſium, atque ſe illi ad cælos ducem ac comitem præbuiſſe diuina certum oſtēſione aſſeuerent. Quod ſuis celebrare verſibus minimè prætermiſit Guilielmus Brito, qui in libris Philippiados hæc de illo cecinit inter alia:

EIVSDEM REGIS IN S. DIONYSII COENOBIVM INSIGNIS LIBERALITAS.

TEMPLA A ROBERTO REGE VARIIS LOCIS EXCITATA.

HENRICI PRIMI FRANCORVM REGIS DEVOTIO ERGA S. DIONYSIVM

DETECTIONIS RELIQVIARVM S. DIONYSII DIES FESTA.

Rigordus libro de geſtis Philippi Auguſti.

PHILIPPI REGIS FRANCORVM ET LVDOVICI FILII INCOLVMITAS, SS. MARTYRIBVS ACCEPTA RELATA EST.

——————————————— spiritus aula
Fulget in Angelica, ductore receptus eodem:
Idque Patri Patrum Dionysius ipse sequenti
Nocte reuelauit: ne quis regnare Philippum
Cum Christo dubitet, re tanto teste probata.

Gulielmus Breto, lib. 12. Philippiados.

Guilielmus Nangius de gestis S. Ludouici.

S. Ludouicus verò gratiarum beati Dionysij expers esse qui potuit? quippe qui in illius cultu (si veram & sinceram spectes pietatem) nulli superiorum Regum aut Imperatorum concesisit. Quare cùm anno Domini 1244. in grauem & medicis desperatum morbum incidisset, & eo quidem tempore, quo eius opem præcipuè expectabat & efflagitabat Ecclesia, (nam ad illum Innocentius IIII. Pontifex ob Friderici Imperatoris tyrannidem confugerat) tum & ipse Rex Ludouicus, & sanctissima eius mater Blancha Regina, non aliunde secundùm Deum & sanctissimam Virginem, quàm à B. Dionysio regni patrono certum ac præsens auxilium sperandum rati, eius sacras reliquias ex abditis latebris in lucem erui, palam & publicè coli, per ædem & claustrum Dionysianum religioso ritu circumferri, preces denique tam ad eum, quàm ad socios martyres pro Regis salute spargi expetierint. Quæ simul fieri cœpta sunt, statim Rex conualescere, confestim regni Ecclesiæque negocia in melius procedere occœperunt.

S. LVDOVICI ET BLANCHÆ MATRIS ERGA DIONYSIVM PIETAS.

CAPVT XXVI.

Christianissimorum Franciæ Regum erga B. Dionysium studia & honores.

CHristianissimis Regibus antiquissimum in orando, & honorando Dionysio Clotarium II. inuenio: qui plurimum quidem auri, & argenti ad exornādas B. Dionysij & sociorum martyrum memorias obtulit, immo prædia quoque & bona & multa: sed tamen Dagobertus eius filius, tam liberalitate & munificentia in extruendo & dotando templo patri anteiuit, quàm eiusdem Dionysij honore atque cultu, cunctis ferè Regibus. Nam Ludouicorum quidem purior & religiosior pietas fuit, vti & sanctitas maior: sed Dagoberto templi & cœnobij Dionysiani laudem fundationis cuncti attribuunt. Cuius templi partem, quę sancta corpora obtegebat, argento texit, cœnobium autem nō opibus tantùm largissimè ditauit, sed priuilegijs quoque, & immunitatibus amplissimè honorauit. [b] Verùm de templi consecratione, ipsius Christi Domini peractâ ministerio, mira & inusitata, idoneis tamen auctoritatibus & testimonijs, prędicantur. Nam cùm Antistites ad celebrandam dedicationem (quæ ad VI. Kalendas Martij futura sperabatur) Dagoberti Regis inuitatu in vnum conuenissent, leprosus quidam obtentâ ab æditius in eadem sacra æde pridie dedicationis perno-

a Codice M. S. in S. Dionysij cœnobio apud Parisios.

Vincent. Bellouacensis in Spec. hist. l. 23. cap. 36. & 37

Robertus Gaguinus lib. 3. hist. Franc. in Dagoberto.

CHRISTVS DOMINVS DEDICANDI TEMPLI PARTES SVSCIPIT.

pernoctandi facultate, dum vigil in precationibus excubat, ecce videt manifestè Christum Dominum sanctis Apostolis Petro & Paullo stipatum, assectantibus quoque Dionysio, Rustico, & Eleutherio templi patronis ingredientem, ipsumque candido præmicantem habitu, omne dedicationis munus per sese obeuntem. Quo absoluto munere ad se quoque accedentem ac huiusmodi vtentem verbis audit: *Tu homo dicito Pontificibus, vbi crastina luce ad hanc ædem aduenerint, eam à me consecratam esse, & habeto huius testimonium certitudinis, lepræ tuæ mundationem.* Quæ simul atque est elocutus, leprâ in vicinum lapidem translatâ, (*quæ ad hunc vsque diem*, inquit Robertus Gaguinus, *per summam admirationem visitur*) leprosus omnino mundatus est. Quo miraculo attoniti Præsules dedicatione abstinuerunt. De Dagoberto hactenus. Ceteri porrò Reges, quà honoribus, quà largitionibus egregiè sunt æmulati: qui quidem in sancti Dionysij meritis tantum esse præsidij crediderũt, vt spe beatæ vitæ per eius allegationem citiùs obtinendæ, in eius templo voluerint tumulari: vnde & idem templum pro communi Regum mausolæo cœptum est deinceps vsurpari.

CAROLI MAGNI MODESTIA PIETAS ET DEVOTIO ERGA S. DIONYSIVM.

Sed inter alios, quanta Caroli Magni pietas in hoc genere, quanta modestia & animi demissio fuit? qui se ipsâ Dionysij æde indignum reputans, satis sibi esse dixit, si ante ipsa ædis limina conderetur, itaque condi voluit. Quâ tamen cum modestiâ certat vincitque, me iudice, illa eiusdem in patronum suum pietas & deuotio singularis, quâ donorum aliorum quantislibet largitionibus non contentus, in templum ipse ingressus, & deposito super aram sacram regali diademate, genibus humi flexis, palam & cunctis audientibus, regnum suum & Francorum coronam B. Dionysio obtulit ac deuouit.

FRANCIÆ REGNVM S. DIONYSIO OFFERTVR.

Domine sancte Dionysi, inquit, *ego me honore regni Franciæ spolio, vt vos de cetero eius habeatis dominiũ.* Deinde altari quaternos aureos velut redēptionis precium imposuit, hoc signo testans, & palam omnibus faciens à nullo se Francorum regnũ, nisi à Deo & à B. Dionysio obtinere. Quod non modò ipse fecit, sed alijs quoque pòst vēturis Regibus quotannis faciendum præscripsit.

MOS REGVM FRANCIÆ IN EXPEDITIONIBVS AVT PEREGRINATIONIBVS EXTRA REGNVM.

In expeditionem porrò extra regnum abiturus, siue alia de caussa exiturus pro more habuit, ab eodem Dionysio facultatem exposcere, eique regnum commendare, hac fere formula: *Domine Sancte Dionysi, à vobis nunc abeundi facultatem peto, Franciámque vobis relinquo, vt illius secundùm Deum curam ac tutelam suscipiatis.* Quod Caroli magni exemplum ad posteros quoque transijt, qui etiãnum iter aliquod magnum aggressuri ad SS. Martyrum corpora adeũt, & oblatis super ara B. Dionysij muneribus, ac regni curâ & protectione Diuis concredita ab ijsdem accipiunt discedendi facultatem. Ab eodem Dionysij honore & amore priscum illud dictum emanasse creditur, quod ijsdem Francorũ Regibus linguâ patriâ fuit in ore quàm frequentissimum:

QVÆ DICTI ILLIVS, MON IOVE, SAINCT DENIS, ORIGO ET SIGNIFICATIO.

Mon Ioue, Sainct Denis, hoc est, Iuppiter meus, Sanctus Dionysius: quasi dicerent: Iouem sibi habeant alij: mihi pro Ioue erit sanctus Dionysius: Quod dictum vsque à Clodoueo primo deriuatum

priuatum ferunt,qui vxoris ſuæ Clotildis pientiſſimæ Reginæ ſuaſu atque hortatu, tam ad ſuſcipiendæ FIDEI Chriſtianæ votum quàm ad S. Dionyſij cultum fuerit incitatus.Hæc enim cùm eximia corporis forma,& indole verè regia emineret,ea lege cum Clodoueo nuptias pepigerat, vt ſe Chriſtianorum baptiſma admiſſurū, & à Ioue, alijſque Dijs nec Dijs ad vnum Deum, atque ad Chriſtiana ſacra trāſiturum promitteret.Quod tunc quidem promiſſum,ſed à nuptijs celebratis diu prorogatum neceſſitas tandem extorſit. Quintodecimo enim regni ſui anno Alemannos bello aggreſſus,& ab ijs pæne oppreſſus, dū ſuos à fuga cohibere non valeret,tum demum arctis in rebus,& fidei ſuæ redijt in memoriam olim Clotildi datæ,& falſis Dijs non ſuccurrentibus,vni vero

CLODOVEI DE SVSCIPIENDA RELIGIONE CHRISTIANA VOTVM.

Dèo Opt. Max. baptiſmum & religionem vouit, ſi is à ſe quidem in hoc prælio ſtaret, & domum victorem reduceret. Quo nuncupato voto, noua confeſtim inceſſente animum alacritate denuo dari ſignum claſſico iubet, & quam ſibi proximam habebat, ad ſui corporis munimentum,egregiam armis iuuentutem ſecum agens, retro in hoſtes flectit:nec mora: fugiunt perſecutores: vincuntur victores: Rex Alemannorum cæditur: Alemannia ſubiugatur. Parta igitur tam memorabili victoria occurrit victori viro victrix Clotildis vnà cum S. Remigio; atque, vt multa paucis, Rex Clodoueus voti reus inſtruitur, abluitur,inſignis Chriſti cultor & S. Dionyſij cliens efficitur, iacetque deinceps cum ſuis Dijs Iuppiter,& pro Ioue Dionyſius paſſim celebratur. Denique ſiue in iureiurando, ſiue in ſermone alio, vbi antea Iuppiter vſurpari ſolitus erat,iam à Chriſtianis Regibus nihil fere a-

QVÆ SIT DICTI ILLIVS GALLICI ORIGO: MON IOVE SAINCT DENIS.

liud,niſi *Mon ioue, ſainct Denis* reſonat:donec annis labentibus,& Iouè ſenſim in obliuionem abeūte poſteriores Reges,& Principes alij deflexa nonnihil pronunciatione, arbitrati *gaudium*, & non *Iouem* ſecunda illa voce enuntiari,cœperūt vulgò *Mon ioye,ſainct Denis*,id eſt,*Gaudium meum,Sanctus Dionyſius*,parua litterulæ vnius commutatione, vſurpare: præſertim quòd ita Clodoueum ipſum Gallici idiomatis tum ſatis rudem,vtpote Francum,ita locutum eſſe exiſtimarēt:ac proinde plus auctoritatis Regi & antiquitati, quàm legibus grammaticis tribuēdum contenderent:ſecundùm quas alioqui,*Ma ioye,ſainct Denis*,recta concinnaque locutione fuiſſet efferendum.Denique quotieſcūque inſignis aliqua de hoſtibus parta fuiſſet victoria,hæc ferme erat exultantis exercitus,hæc congratulantis populi publica acclamatio: *Mon ioye,ſainct*

ARMA VICTORIA S. DIONYSIO APPENDI SOLITA.

Denis. Mon ioye,ſainct Denis. Quippe & qui victorias & triumphos & ſpolia vni ſecundùm Deum accepta referrent Dionyſio.Hinc & erepta hoſtibus ſigna,atque vexilla, interdumque ſua ipſorum arma, quibus fortiter proſpereque depugnauerant,eidem velut ſacro exercituum duci ſuſpendebant. Sed nunc ad propoſitum reuertamur. Caroli Magni egregiam in Dionyſium pietatem filius Ludouicus,qui Pius eſt cognominatus; & Ludouici, Carolus Caluus; & Caroli Calui, eius poſteri ſunt imitati. Nam de Ludouico quidem teſtis eſt locuples

ipſiuſmet

ipſiuſmet ad Hilduinum epiſtola, cui commemoratis tam in ſe quàm in maiores ſuos Dionyſij beneficijs, cõquirendorum eiuſdem martyris librorum ac monumentorum omnium, ſibiq́ue exhibendorum curam imponit: ſatis ſcilicet inſinuans aliquam ſe à faſtidioſis regni negocijs animi remiſſionem in eorum lectione poſiturum. Adde quòd Carolum Caluum filiorum natu minimum, adhuc admodum paruulum eidem ſancto, ſingulari cura, atque (vt Aimoinus loquitur) *ſpeciali traditione* cõmendarit. Qui proinde natu iam grandior & regni potens, cultum S. Dionyſij velut patriam atque auitam hereditatem retinuit. Quare facta deſubitò Danorum in Franciæ regnum irruptione, cùm hæreret inops conſilij, alijs aliò elabentibus, & vrbem ipſam Pariſios hoſti prædam deſerentibus, ipſe ad S. Dionyſij monaſterium opem diuinam imploraturus cum exiguis copijs contendit: vbi quidem fixum habuit, vel diffluente populo, pro SS. martyrum reliquijs depugnare, & ſanctum locum tueri; vel, ſi facultas aliqua daretur, réſque poſtularet, in hoſtem irrumpere, ſicq́ue laudabili corporis interitu, religionis ac fidei gloriam depaciſci. Sed eius aduentantis inexpectatam audaciam hoſtes declinauerunt: ipſe verò his atque alijs defunctus periculis ſancti Dionyſij templum magnis auxit prouentibus, & precioſiſſimis donarijs adornauit: quæ ad hoc vſque tempus aſſeruata viſuntur. Inter quæ donaria fuerũt Dominicæ crucis clauus & ſpinea Chriſti corona & ſancti ſenis Simeonis brachium. Idem Carolus cùm annos triginta regnaſſet, imperium eſt conſecutus: quo biennium duntaxat perfunctus, Sedeciæ medici, quem habebat cariſſimum, veneno, vt aiunt, interijt, & Vercellis vrbe Italiæ tumulatus eſt: ſed in S. Dionyſij ædem ſeptennio poſt transferri voluit. Nam Archengerus cœnobita Dionyſianus, & Alphonſus D. Quintini Viromandenſis æadituus ſe in templis ſuis pernoctãtes ab ipſo Carolo per quietem, de eius corpore in martyrum ædem transferendo admonitos aſſeuerarunt. Nec fuit Ludouicus Craſſus à maiorum æmulanda in Dionyſium veneratione degener. Siquidem ingruente in Franciam Henrico II. Imp. & vrbi Rhemis extremum minitante exitium, interea dum miles ſcribitur, adit ipſe ad S. Dionyſium, regni tutorem inuocat, eius & ſociorum corpora è latebris effert, venerationi exhibet: deinde aſſumptâ ab altari flammulâ (vexillum hoc eſt ſacrum & bellicum Francis Regibus in militia pręferri ſolitum) Rhemos cum exercitu aduolat. Cuius aduentu & copijs territus Imperator, cõfuſione ſimul & mœrore & impatientia animum flagellantibus, mortis accelerata neceſſitate retroceſſit, breuiq́ue poſtea, & quidem ſine liberis exceſſit. Ludouicus autem voti compos, dimiſſo exercitu ad Dionyſij cœnobium Deo & Martyribus gratias acturus redijt: quibus & egregia dona ſuſpendit. Sed quod Rege dignam pietatem in primis oſtendit, hoc fuit: quòd recondendis eorundem SS. Martyrum corporibus ſuos ipſe humeros Rex tantus ſuppoſuit. Coniungamus tam pio Regi coniugem ſuam multò pientiſſimam, cuius in S. Dionyſium tanta pietas, & amor,

Aimoinus l. 1. miraculorum S. Germani, cap. 1.

Robertus Gaguinus, lib. 5. hiſt. Francorum, cap. 1.

Rigordus de geſtis Philippi Augusti.

LVDOVICI CRASSI ERGA S. DIONYSIVM PIETAS.

ADELAIDIS REGINÆ PAR RELIGIO.

& beneuolentia fuit, vt locum martyrij eius, siue Montem Martyrum illustri cœnobio sacrarum virginum ornare, & noua quadam perpetuæ sanctimoniæ corona honorare voluerit. Nam ibi Adelaïs æterna digna memoria heroina, vt pijs virginibus ordinis S. Benedicti egregium & tali cœtui accommodatum esset monasterium, quò se recipere identidem ad sacros suos amores atque delicias, hoc est, ad memoriam atque monumenta gloriosæ mortis Sanctorum martyrum posset, institit apud maritum, peruicítque, vt viris religiosis, qui locum illum priùs insidebant (erat enim Prioratus, vt vocant, à cœnobio *S. Martini de Campis* dependens) aliquis alius attribueretur, quem ipsi volentes lubentésque in commutationem acciperent. Id igitur curatum diligenter, & factum: ac illi quidem Abbatiam *S. Dionysij de carcere* appellatam non inuiti accepere. Virgines autem in montem martyrum triumphante ac voti sui potiente Adelaïde conscendêre. Extant huius commutationis litteræ à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi (nam illius ea res intererat) anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo tertio datæ.

Vide in Bibliotheca Cluniacensi Priuilegia Pontificum monasterio Cluniacensi concessa.

Absolutis porrò tum alijs ad habitationem ædificijs, tum ad preces & vota templi structuris, percommodum sanè accidit, tam ad maiorem Regis ac Reginæ lætitiam atque exultationem, quàm ad ipsius solemnitatis longè augustissimam & sanctissimam celebrationem, vt Eugenius III. Pontifex in Gallia diuersaretur.

TEMPLI MONTIS MARTYRVM NOBILISSIMA DEDICATIO.

Nam Regis Christianissimi, & pientissimę Adelaïdis inuitatu templum illud nouum legitimis cærimonijs dedicauit, & sibi ad aram principem facienti S. Bernardum Abbatem Claraüallensem pro Diacono, Petrum Venerabilem Præsulem Cluniacensem pro Subdiacono ministraturos assumpsit. Ac Bernardus quidem illam ipsam tunicam, qua tum sacris operatus erat, è tela argentea confectam eidem monasterio munus reliquit. Quæ ibi sanctæ Reginæ gaudia, qui plausus, qui triumphi rebus omnibus, tam è voto, tamque ex animi sententia confectis fuerint, quis dicendo exprimat? Ex illo igitur itare frequenter ad beatum illum locum, nec vnquã aspectu, cultuque sanctæ illius terræ, quæ patroni sui Dionysij sociorúmque martyrum sanguinem suxit, satiari. Denique post carissimi mariti excessum cuncta illi palatia præ illo vno cœnobio sorduêre: ibi viduitatem suam sacrare, ibi totam deinceps vitam exigere, ibi mori, & sepeliri elegit.

LVDOVICI IVNIORIS AVITA PIETAS ERGA S. DIONYSIVM

Nec parentum virtutem in se desiderari passus est Ludouicus Iunior: qui in terram sanctam parans expeditionem (annus erat salutis nostræ 1147.) priusquam regno excederet, ad S. Dionysij secunda post Pentecosten hebdomadã accessit, à quo & opem, & discedendi facultatem expetijt: quo etiam in templo sacrum vexillum ex more regio perquam reuerenter accepit. Quin & patris exemplum secutus sacro beati Dionysij feretro, dum reconderetur, succollauit. Philippum verò Augustum huius Ludouici Iunioris filium quis hîc sine flagitio præterire possit? Hic enim multis parentum precibus post copiosam alterius sexus sobolem à Deo impetratus, & vix decimumquintum

tum ingreſſus annum viuente & volente patre, regni gubernaculis admotus cùm fuiſſet, confeſtim magna in Deum pietatis, magna in Dionyſium venerationis ſpecimina edere incepit. Anno igitur Domini milleſimo cēteſimo nonageſimo, ipſa die S. Ioannis Baptiſtæ ſacra, (id quod diu ante præ ſe tulerat, & diutius cum animo ſuo voluerat ac concupiuerat) ſeriò aggredi expeditionem in terram ſanctam nunc inſtituens, in oppidum S. Dionyſij, eum inuocaturus patronum & ducem præſidemque belli, ſe contulit. Ibi verò coram ſacris eius & ſociorum ſuorum Ruſtici & Eleutherij corporibus marmoreo in pauimento humiliter proſtratus, ardentes ad Deum Opt. Max. preces fundere, atque illi & beatæ Virgini, & hiſce beatis martyribus atque omnibus Sanctis ſuppliciter enixeque cōmēdare: dein lachrymis perfuſus à precatione ſurgere, & ſportam baculumque peregrinationis porrigente Guilielmo Rhemenſi Archiepiſcopo, auunculo ſuo, Apoſtolicæ ſedis Legato, cum magno pietatis ſenſu accipere: tum etiam bina vexilla egregiè apparata, quæ ſupra ſanctorum martyrum corpora fixa erant, ſuis manibus refigere, ac tollere: denique poſt expoſtulata à Fratribus Religioſis precationum ſubſidia, & poſt acceptā claui Dominici, & ſpineæ coronæ, & brachij ſancti Simeonis (quas in eo cœnobio precioſiſſimas ſeruant Reliquias) benedictionem abſcedere, atque iter pro amplificanda religionis Chriſtianæ gloria Rex Chriſtianiſſimus maturare. Perruptis proinde omnibus morarum & dilationum cauſſis, anno proximo, ipſo ſacri Paſchatis vigilia, pro muris Acconis vrbis totius Palæſtinæ multò muniſſimæ, Chriſtianis eam obſidentibus, ſed nihil admodum contra Saladini vires & loci propugnacula proficientibus, tanquam Angelus Domini adſtitit, & dato ſuis animo ſic oppugnare adorſus eſt, vt illi non expectato Francorum inſultu (iam enim patefacta via erat) dedere ſe malentes, quàm perire, has deditionis conditiones admiſerint: vt veram Domini Crucem, quam habebat Saladinus, redderent: vt omnes Chriſtianos, quos in terris ſuis captiuos detinebant, reſtituerent: ipſi verò ſaluis tantùm corporibus ſine armis vllis excederent. In grauem poſt hæc morbum Philippus cùm incidiſſet, aliæque ſimul reditus cauſſæ intercederent, in Franciam reuerſus nihil habuit antiquius, quàm vt confeſtim ad beatiſſimi Dionyſij ædem orationis cauſſa deproperaret: cui aduentanti eius cœnobij Religioſi vnà cum Abbate ſuo Hugone, *facta* (vt Rigordi verbis vtar) *proceſſione* obuiam iuere, eumque cum hymnis, & laudibus in templum induxere. Rex autem ante Sanctorum corpora humiliter proſtratus primò quidem quantas potuit maximas Deo beatiſque martyribus, quorum ope tot ac tantis defunctus eſſet periculis, gratias egit: tum verò pallium ſericūm, amoris ſui pignus altari anathema impoſuit. Verùm quò teſtatiorem ſuam faceret aduerſus Dionyſium pietatem, quantumque in eius apud Deum auctoritate ſpei atque fiduciæ reponeret, luculentius demonſtraret, idem poſtea priſtino monachorum Dionyſianorum numero tricenos alios, qui perpetuò rem diui-

PHILIPPI AVGVSTI IN TERRAM SANCTAM ADVERSVS BARBAROS EXPEDITIO.

SACRARVM RELIQVIARVM CVLTVS.

CRVX DOMINI RECVPERATA.

Rigordus lib. de geſtis Philippi, anno Domini 1193.

Gaguinus lib. 6. hiſt. Francorum.

Guilielmus Nangius, in gestis S. Ludouici.

diuinam pro se Deo exoluerent, copijs suppeditatis adiunxit. Hæc & alia in Dionysium officia cùm ceteri Francorum Reges obseruarint, tum principali cum modestia & pietate S. Ludouicus, qui ad iter Hierosolymitanum fidei propagandæ caussa accinctus, ipsam quoque Religiosorum Dionysiani cœnobij exedram ingressus, non modò Præsulis, aut seniorum monachorum, sed iuniorum quoque humiliora sedilia refugiens, locum in infimo eorum graduum, quibus ad Abbatis thronum conscenditur, elegit: vnde expetitis omnium Religiosorum pro se & pro totius regni salute (quod B. Dionysio præcipuè commendabat) sanctis precibus, & percepta claui Dominici & spineæ coronæ benedictione, iter cum faustis omnium apprecationibus & acclamationibus aggressus est. Neque in morte quàm in vita suam in Dionysium eximiam pietatem minùs patefecit: siquidem deficientibus iam corporis viribus, illam vsitatæ ad B. Dionysium precationis clausulam identidem repetere auditus est: *Tribue nobis quæsumus Domine prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.* In eiusdem Dionysij templo, quod multis viuens aureis coronis, & ornamentis decorauerat, atque ad sepulturam elegerat, est conditus. Hæc ad testificandam Christianissimorum Regum in martyrem Dionysium pietatem cùm abundè sint, ceteris, quæ multa conferri possent, supersedeo.

S. LVDOVICVS IN TEMPLO S. DIONYSII SEPVLTVS.

CAPVT XXVII.

Aliorum partim Sanctorum, partim genere illustrium aduersus B. Dionysium honores.

PRæter illorum, quos suprà laudauimus, pietatem honoresque aduersus S. Dionysium, multi quoque alij partim cultus frequentia & sinceritate, partim templorum, cœnobiorum, aliorúmue ædificiorum exstructione eundem sibi patronum fautorémque fecerunt. In quibus primas sanè sibi vendicat B. Genouefa virgo sanctissima: quæ ducentis ferme annis ante Regem Dagobertum, vicum Catulliacensem ex amore & honore S. Dionysij frequentissimè celebrauit, inibique illam ipsam ædem, in quam tantò postea Dagobertus patris iram fugiens, vt antè memoraui, velut in asylum confugit, non tam facultatibus suis, tametsi illis quoque, quàm precibus & miraculis condidit. Quæ enim ad templum tali loco & tempore ædificandum maximè desiderabantur, ea vbi reperienda essent, precando didicit, & ipsis operarũ necessitatibus miracula patrando subuenit. Iungatur S. Genouefæ beata Birgitta, virgini Gallicanæ vidua Germanica, etsi æuo quidem admodum disiuncta (inter vtrãque enim haud minùs quàm nouem sæcula interfuerũt) pietatis tamen ardore & colẽdi Dionysij studio propè par ac gemina. Quippe quæ beatum martyrem tam frequenter, ac tam feruenter voto & precibus adierit, & lacessiuerit, vt non rarò quà visis cælestibus,

S. GENOVEFA VIRGINIS IN S. DIONYSIVM PIVS AFFECTVS MIRACVLIS COMPROBATVS.

B. BIRGITTÆ ERGA S. DIONYSIVM DEVOTIO.

bus, quà opportunis ſolatijs ab eodem ipſam viſitante affici meruerit. Et flagrante quidem inter Reges Philippum Valeſium Galliæ, & Eduardum Angliæ, quàm acerrimo bello, vidit inter precandum Galliæ patronum Dionyſium ſuper afflicto regni ſtatu, Reginæ cæli ſupplicantem, & auxilium Francis implorantem. Aliàs item cùm è peregrinatione ad S. Iacobi Compoſtellani ſuſceptâ cum marito ſimul reuerteretur, iſque Atrebati in morbum incidiſſet, ex quo illa non mediocrem animo participauerat mœrorem, gratiſſimam à ſuo Patrono Dionyſio conſolationem percepit. Precanti enim apparens eum ſe eſſe dixit, qui ab Vrbe Roma euangelij proferendi cauſſa in Franciam veniſſet: & quia ſingulari ab ea diligeretur affectu, hinc ſe eius curam habiturum, ſempérque præſto affuturum: & addidit promiſſo pignus, breui conſecuturam mariti valetudinem. Quæ & paullò pòſt eſt conſecuta. Denique aliàs ſæpius eundem habere viſitatorem merita eſt & conſolatorem. His accenſeri meritò debent S. Suuibertus Friſonum Apoſtolus, & B. Notgerus Eburonum Epiſcopus, quorum ille relicto natali ſolo, & ſtirpis nobilitate Chriſto ſubſtrata (Anglus enim erat, & illuſtri è familia oriundus) cùm à S. Vuilfrido Merciorum Præſule creatus Antiſtes ad Friſones Germanoſque fide imbuendos miſſus eſſet, nihilque haberet antiquius, quàm vt vanas eorum ſuperſtitiones in veram vnius Dei religionem, & profana Deorum fana in Diuorum ſacra templa commutaret, tum magni Dionyſij toto Occidente notiſſimi, & ſibi in primis cariſſimi haud immemor, templum eius honori ſub annum ſalutis noſtræ ſexcenteſimum nonageſimum in oppido Hoernaer conſecrauit. Alter verò multorum Leodij templorum ædificator vnum quoque in honorem & cultum B. Dionyſij conſtruxit, cui & Canonicorum adiunxit Collegium: qui primò quidem viginti, *procedente verò tempore* (vt loquitur & teſtatur Anſelmus) *decem additis, in tricenarium profecerunt numerum.* Sanctæ vero Edithæ pietas meritiſſimò inter hos ſanctos ſibi locum facit. Fuit hæc virgo Edgari Regis filia, & Eduardi Regis & martyris ſoror, & poſt patris quidem ac fratris exceſſum (niſi conſtanter recuſaſſet) gentis ſuę Regina: quæ contempto Regno & mundo, dum tota viam inſiſtit pietatis, templum in honorem D. Dionyſij patroni ſui ſub annum Domini nongenteſimum octogeſimum quartum condidit, & requietis ſuæ locum certo mentis præſagio appellauit. Nam in eodem templo, quod viuens crebrò frequentarat, à S. Dunſtano, qui illud eius inuitatu dedicauerat, ſepulta eſt. Qui Dunſtanus cùm in ipſa dedicatione eam virginem obſeruaſſet pollicem dexterum identidem ad efformandum in fronte ſua Crucis ſignum extendere, facto delectatus apprehendit eius dexteram, & dixit: *Nunquam putreſcat hic digitus.* Qui proinde manſit imputribilis. Nam tredecim ipſis annis à ſuo deceſſu apparuit eadem ſancta virgo beato Dunſtano, & de corporis eleuatione commonuit, addito veritatis ſigno, quòd præter ea membra quibus olim in puellari ætate abuſa fuerat, (oculorum ſcilicet, manuũ, &

In reuelat. extrau. c. 92. & in vita eius tomo 4. Surij.

S. DIONYSIVS APPARET S. BIRGITTÆ.

S. Marcellinus Presbyter in vita S. Suuiberti c. 11. t. 2. Surij.

TEMPLVM S. DIONYSII AREOP. LEODII EXTRVCTVM A NOTGERO EPISCOPO.

S. EDITHA TEMPLVM CONSTRVIT S. DIONYSIO.

FREQVENS SIGNI CRVCIS IN FRONTE IMPRESSIO APPROBATA MIRACVLO.

pedum) totum reliquum corpus incorruptum inueniretur. Adiunxit etiam de pollice his verbis: *Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi assiduè Crucis signum impressi, illæsum videbis, vt appareat clementia Domini in parte seruata, & paterna castigatio in parte absumpta.* Denique, vt S. Dionysij cultum olim, dum viueret, egregiè promouerat, ita illius mundo defunctæ venerationem, quadam remunerationis vice idem Dionysius Dunstano Antistiti apparens, & sacrum virginis corpus in lucem exponi & coli præcipiens, cælesti auctoritate promouit. Adeò exhibitus Sanctis cultus in eos, qui exhibuerint, non sine ingenti fenore solet reciprocari.

S. DIONYSIVS APPARET S. DVNSTANO EPISCOPO.

Facit porrò candidissimus ille puritatis & pietatis Anglicanæ flos, beatissima Editha, vti & aliorum Anglorum seu Regum seu Principum S. Dionysij amantissimorum, & sacro eius honori deuotissimorum mihi refricetur ac redeat læta memoria: nec tui, ô beatissime Eduarde Rex, & Confessor, vlla possim ratione obliuisci. Haud enim scio an quicquam aliquando tulerit terra Anglia nomine tuo vel maius vel sanctius, sed simul & coniunctim gloriæ S. Dionysij celebrandæ & tutandæ deuotius. Nam cùm præter solitam in sancta regni tui loca & Indigetes tuos liberalitatem ac munificentiam, Dionysij quoque licet peregrini memor esses, ac prædiuitem ei villam plurimisque abundantem commodis elargirere, ita fere dicebas, ita scribebas: *Ego Eduardus Rex Anglorum, cùm essem in pace, in gloria regni mei, pro salute animæ meæ patrumq; meorum, qui ante me regnauerunt, cum consultu & decreto primatum fideliumq; meorum dedi S. Dionysio, (qui celebris memoriæ apud nos quidem nominatur, apud Francos autem & colitur, & habetur) villam quandam nominatam Teintuna in territorio & comitatu vrbis, quæ Oxenaforda dicitur, cum omnibus appendicibus eius, id est, terris, siluis, pascuis, aquis, pratis, cultis, & incultis. Sit autem terra hæc immunis, & libera ab omni negocio, excepta expeditione, & pontis vel arcis instauratione. Quòd si qui violauerint, sit pars eorum decreto Dei & meo, omniumq; Episcoporum (quorum nomina hîc habentur) cum Iuda traditore, cum Dathan, & Abiron in ignem æternum, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur; nisi reatum suum coram Deo, & sancto Dionysio emendauerint. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo nono,* &c. His litteris regiæ donationis subscripserant nomina sua, primò Rex & Regina, deinde duo Archiepiscopi, tum Episcopi sex, posteà Duces quinque, deinceps & alij. Sed hæc studio breuitatis omitto, & ab Anglorum pietate, de qua & inferiùs sermo mihi necessariò instituẽdus est, in Franciam pedem refero.

S. EDVARDI REGIS IN S. DIONYSIVM PIETAS ET MVNIFICENTIA

LITTERÆ DONATIONIS EDVARDI REGIS.

Vocat enim ad se, quem hactenus omisi, S. Eligius, & in S. Dionysij honore spectari artem suam petit. Cui sanè inter æui illius aurifices facilè principi, & in opus quod ad Beati Dionysij spectabat ornamentum toto, quod aiunt, animo & corpore incumbenti haud mediocris laus debetur: immo & Nouiomensis Episcopatus, qui pòst diuinitus ei tributus est, vt pars fortè aliqua præmij, procuratore apud Deum Dionysio, felici sorte obtigit. Nam longè nobilissimum eidem suo & omnis Galliæ patrono, in ciuitate Parisiensi condidit

S. ELIGIVS OLIM EXCELLENS AVRIFEX TOTAM ARTIS INDVSTRIAM IN S. DIONYSII HONOREM IMPENDIT.

didit mauſolæum, cui & tectum auro, gemmiſque opere mirifico incruſtatum ſuperpoſuit. Quo quidem in opere tametſi Regis Dagoberti liberalitas ac munificentia præclarè reſplenduit, tamen omne auri gemmarumque precium infra artis ac induſtriæ æſtimationem fuit. *Tantum enim illic* (vt S. Audoeni verbis vtar) *ſuppeditante Rege ſuam exercuit induſtriam, atque ita ſuum declarauit ingenium & artificium, vt penè ſingulare ſit in Gallijs ornamentum, & in magna omnium admiratione vſque in hodiernum diem.* Liceat mihi in horum coronam Sanctorum, qui S. Dionyſij gloriæ, & honori ſtuduerunt, aut ſacra illi loca coluerunt, etiam S. Ignatium Societatis Ieſu, Deo duce, auctorem atque fundatorem includere. Is enim Pariſijs cùm ſtuderet, & nonnullis ſibi adiunctis ſocijs totus ad res magnas ac diuinas aſpiraret, tandem anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, cùm inſtituenda, formandáque perfectioris vitæ initia, & quædam velut ſemina futuræ Societatis iacienda concepiſſet animo, non alium ad hæc beata principia commodiorem aut ſanctiorem locum eſſe iudicauit, quàm vicinum Pariſijs Montem martyrum, hoc eſt, mõtem illum S. Dionyſij & aliorum martyrum cruore conſecratum: illuc proinde ſolemni Aſſumptæ Virginis die (quam præcipuam ſibi apud Deum patronam cuncti adſciuerant) communiter adeundum cenſuerunt: ibi tantam celebritatem quá poſſent pietate exigendam: ibi eorum quæ ad Dei gloriam & Fratrum ſalutem conceperant vota nuncupanda. Et ſumma quidem votorum hæc fuit: Primum vt remiſſo fluxis vaniſque voluptatibus nuncio integram illibatamque in perpetuum amplexarentur caſtitatem. Dein vt, quoad eius fieri poſſet, paupertatis ſemita graderentur, eámque excepto tam ſtudiorum (quæ aliqui necdum abſoluerant) quàm deſtinatæ ad ſacra Hieroſolymorũ loca peregrinationis tempore gnauiter ſectarentur: neu quicquam omnino pro auguſtiſſimi ſacrificij celebratione quouis prætextu admitterent. Præterea, vt in Palæſtinam ad gentis eius ſalutem, (ſi quidem pateret aditus & permitteretur) certo tempore conſtituto ſimul nauigarent: ſin minùs, ad ſummum Pontificem adirent, atque ad eius proſtrati genua totos ſe ad fructum animarum ex ipſius nutu arbitrioque dedicarent. Quæ vota duobus quoque annis conſequentibus eodem die, & loco, & ritu renouarunt. Quis autem dubitet, quin ille Galliarum Apoſtolus, ille inſtructor Gentium, ille ab Oriente ad Occidentem peregrinus, cùm in ſui martyrij loco exiguam illam coronam videret ſua per veſtigia incedere meditantem, ac ſe fratrum ſuorum in longinquis terris degentium ſaluti deuouentem, quis, inquam, dubitet, quin ille verus honoris Dei amator & æmulator multum caloris multumque roboris, deuotæ illi nouorum athletarum coronæ & ad promittenda, & ad præſtanda tanta molimina, ſuis apud omnium gratiarum fontem precationibus impetrârit? Addamus horum Diuorum numero illuſtres regia dignitate perſonas: ſiue Adelaïdem Roberti Frãcorum Regis matrem, egregia ſanctitate feminam; ſiue Henricum III. Angliæ

Apud Surium tomo 6. vitarum.

SOCIETATIS IESV PRIMA PIETATIS VOTA IN MONTE MARTYRVM NVNCVPATA.

QVÆ VOTA NVNCVPARINT IGNATIVS ET SOCII ANTE CONDITAM ET APPROBATAM SOCIETATIS IESV RELIGIONEM.

ADELAIDIS REGINÆ FRANCORVM ERGA S. DIONYSIVM DEVOTIO.

illis vnà templi Præses S. Dionysius, & hic quidem gracili ac procero corpore, vultu amœno, coma candida, tunica niuea clauo purpureo iūcta, pallio conchyliato stellulis aureis intertexto: & hi inter sese læto ac hilari ore sermocinantes Dionysio medendi munus deferunt: tum ille palmam & thuribulum manu gestãs, Presbytero & Diacono, qui seorsum adhuc steterant, latera cingentibus ad ægrum propiùs accedit, salutatque: *Pax tecum frater, noli timere: non morieris, donec ad sedem tuam prospere reuertaris. Surge sanus, & hoc altare in honorem Dei & Apostolorum eius Petri & Paulli, quos vides, dedica, missas gratiarum agens*. Erat verò ibidem (vt ipse retulit visi huius spectator Stephanus) inæstimabilis quædam cum mira suauitate claritas.

S. DIONYSII STEPHANO PONTIFICI APPARENTIS EVMQVE SANANTIS VERBA.

Mox ergo sanitati est restitutus. Quare cùm exequi mandatum B. Dionysij iã incolumis satageret, & demonstratam arã in Dei & Apostolorum honorem consecrare, ij qui corã aderant, & pridianę infirmitatis oculati testes fuerant, desipere eũ arbitrabãtur, donec Pipino Regi, & optimatibus, atque proceribus rei serie denarrata, & fide dictis habita, ritè sacris operatus, eam ipsam arã dedicauit, & super ea palliũ Apostolicum, ac Petri claues, velut sacra quædam anathemata in rei memoriã deposuit. Annus tũc agebatur Domini septingentesimus quinquagesimus quartus, ipsius autem Stephani Papæ tertius.

STEPHANVS TERTIVS PAPA ARAM DEDICAT IN HONOREM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLLI.

Fertur idem Pontifex nonnullas B. Dionysij Reliquias secum Romam asportasse, atque in eiusdem martyris honorem monasterium in paterno fundo ædificare cœpisse, quod opus morte auctoris interceptum Paullus eius frater, & in Pontificatu successor magnificè absoluit, conuectisque in illud compluribus SS. martyrũ corporibus consecrauit, & Græcis hominibus Deo ibidem famulaturis, in memoriã & honorem Dionysij Areopagitæ, vt fratrem velle didicerat, attribuit: locumque, *Ad sanctos martyres in schola Græcorum*, appellauit.

MONASTERIVM ROMÆ EXTRVCTVM AB INNOCENTIO III. PONTIF. IN HONOREM S. DIONYSII.

Atque de Stephano hactenus. Quemnam autem illi potissimùm subiungemus, similis à beato Dionysio collatæ valetudinis compotem & laudatorem? Te, opinor, iure quàm meritissimo, Dux Berthalde, & inter Angliæ Duces veræ pietatis cultu eminentissime. Tu enim in grauissimam aliquando delapsus infirmitatem, cùm à medicis sperare nihil posses, ad cælestia suspirans remedia, opem à beatis Dionysio & socijs martyribus confidenter expectasti & reportasti.

BERTHALDVS DVX OPE S. DIONYSII ET SOCIORVM MARTYRVM E MORBO DESPERATO EVALVIT.

Nam audito esse in Gallijs eorundem Sanctorum corpora, velut quasdam efficacium medelarum apothecas, quàm primùm per Caroli magni Imp. (cuius in obsequijs versabare) facultatem licuit, illò te contulisti, eos veneratus es, ab ijs sanitatem expostulasti, & paucis admodum, quibus ad eorum monumenta decubuisti, diebus integram planè ac solidam valetudinem recuperasti. Quid ergo? Apud ingratum & immemorem ea fuit collocata gratia? Nullusque in Sanctos tanti beneficij fructus redundauit? immo verò maximus. Nam ædem illis sacram in villa tua exstruxisti, & illam ipsam villam vnà cum agris, pratis, siluis, aquis, campis, hereditate à maioribus acceptam, sed & portus duos maritimos ei terræ

TEMPLVM IN HONOREM S. DIONYSII ET SOCIORVM, A BERTHALDO DVCE CONSTRVITVR.

vicinos ſimul cum ſalinis, alijſque eodem pertinentibus, perquam inſigni & prolixa benignitate, eorundem Sanctorum cultoribus Monachis, ſiue Dionyſianis cœnobitis condonaſti. *Dignum eſt enim*, inquiebas, *vt per quos ſum ab omni corporis liberatus infirmitate, ipſi mihi in ipſa mea debeant hereditate ſuccedere.* Beatum porrò illud ſæculum (ſunt enim bina hæc piæ liberalitatis exempla vnius eiuſdemque octaui ſæculi) quod tales habuit clientes Sanctorum! quod tam memores protulit diuinorum beneficiorum ſuſceptores! Et verò alios eodem ipſo ſæculo, & ex eadem Anglia præclaros poſſem adducere erga Dionyſium benefactores, ſeu Offam Merciorum Regem, ſeu geminos fratres Agonaualam, & Sigrinum, & hoſce quidem vltro & vnanimi cõſenſu omnem ſuam poſſeſſionem, quam portui Lundeuicenſi vicinam habebant, ſancto Dionyſio contribuentes: illum autem & quicquid ibidem habebat iuris benigniſſimè remittentẽ, & alia inſuper è ſuo adiungentem. Fuit, fuit olim ea in Diuos pietas, ea largitas, vt præ Sãctorum honoribus omnis propinquorum videretur inducta obliuio: nũc è contrario tanta eſt propinquorum cura, & viſcera corrodens ſollicitudo, vt nulla videatur Sanctorum prę propinquis reſtare memoria. Verùm hoc agamus, & alia noſtri martyris benefica reuiſamus miracula. Auctor præterea eſt Flodoardus ſua ætate, hoc eſt, ſub annum Chriſti nõgenteſimum, feminam pauperculam, Gillaudem nomine, cùm totam manum impacto molæ manubrio grauiter ſauciaſſet, ad B. Dionyſij ſacras Reliquias, (quæ ob infeſtationes Paganorum Rhemis tunc aſſeruabantur) magno cum timore, & reuerentia adijſſe, atque in preces diu noctuque proſtratam, eius denique alloquio & ſolatio in ſomnis donatam eſſe, & ſimul viam obtinendæ ſanitatis didiciſſe. Alia eiuſdem martyris miracula perſtringit Rigordus æui ſui ſcriptor: quorum bina in annum 1193. bina in proximè ſequentem inciderunt. Priora ſunt hæc: Puerulus quidam vita functus ad B. Dionyſij ædem à parentibus, ipſo eiuſdem ſancti feſto die, deportatus, & ante martyrum corpora altari impoſitus, poſtquam parentes S. Dionyſij opem miſtis prece lachrymis atque ſuſpirijs impenſiùs implorassent, ad vitæ vſuram, vniuerſo reſpectante populo, remigrauit. Item arreptitius quidam in eodem templo ſimili ope curatus eſt. Poſteriora autem inſequenti anno hæc fuerunt: Trimulus puer de Curte noua aquis ſubmerſus vitam B. Dionyſij meritis recuperauit. Deinde vir quidam Miſionenſis eodem inuocato & ſuccurrente Dionyſio martyre è cuſtodia apud Rothomagum exolutus eſt. Nec verò tantum Dionyſij cultoribus magna beneficia, ſed etiam ſepulchri violatoribus grauia in promptu fuerunt ſupplicia. Quippe duorum ſacrilegorum acceleratæ mortes, & vnius quidem in ipſo peccati articulo, alterius verò intra eundem annum, quo facinus admiſerat, idonea ſunt teſtimonia. Prior è Sigeberti Francorum Regis primoribus erat, qui eodem Rege Pariſios armis & flammis vaſtante, S. Dionyſij ſacram ædem non pietatis, ſed auaritiæ impulſu ingreſſus, à ſancti

PRINCIPVM ANGLIÆ MVNIFICENTIA IN CVLTV S. DIONYSII.

Flodoardus lib. 1. historiæ Rhemensis cap. 24.

Rigordus lib. de geſtis Philippi Auguſti.

MORTVI ALIQVOT MERITIS S. DIONYSII AD VITAM SVNT REVOCATI.

Greg. Turon. lib. 1. miracul. c. 72.

SACRILEGII IN S. DIONYSIVM ADMISSI DIVINA PVNITIO.

ſancti ſepulchro pallam holoſericam auro & gemmis coruſcantem tollere non dubitauit. Ecce ergo, dum infelici ſpolio ſe beatū putat, & neceſſitate nauigandi vrgente, vnà cum credito ſibi puero, cui ducētos aureos nummos tradiderat aſſeruandos, iter proſequitur, derepente carus ille & precioſus puer præceps è naui, tactus à nemine, & incertum quo caſu delabitur, & aquis obrutus nec ipſe, nec aurū apparet. Impulit quidem ea duplex iactura, vt confeſtim littori applicaret, & ſepulchralem pallam, vnde abſtulerat, referret, ſed mortem ſacrilegij vindicem ne annum quidem vnum amoliri potuit. Eodem enim obijt. Alter eadem instigante auri cupidine ipſum aſcendere & pedibus conculcare ſacrum tumulum haud veritus, dum ei impendentem columbam aureā lancea tentat elidere, ipſe pedibus, quibus turritum inſiſtebat tumulum, vtrimque dilapſis, cōpreſſiſque in ipſo lapſu teſticulis, & ſuo infixā lateri lanceā, mortem pro auro inuenit. Nec ſanè fortuitò iſta, ſed iuſto Dei iudicio illis euenere: vt quàm aptiſſimè in eos quadret illud Eccleſiaſtici: *Multi dati ſunt in auri caſus: & facta eſt in ſpecie ipſius, perditio illorum.* id eſt, multi propter aurum ceciderunt, & eius capti ſpecie perierunt.

ALIVD EXEMPLVM SIMILIS PVNITIONIS.

Gregor. Turon. l. 1. Miracul. c. 72.

Eccleſiaſtici cap. 31.

CAPVT XXIX.

S. Dionyſij Reliquiæ & earum virtus atque æſtimatio.

SAnctiſſimum Dionyſij corpus habuit initio, habetque etiamnum inuicta Francia: nec eſt verum, illud aliquando, ſeu vi, ſeu dolo ad gentem aliam tranſlatum, foris remanſiſſe, aut nunc eſſe. Nam Rhemos quidem (vt è Flodoardo ſuperiùs inſinuatum eſt) propter infeſtationem paganorum ſemel delatum eſſe conſtat, ſed ibi ad meliora tantùm vſque tempora reſeruatum. Semel item à Carolo Magno in ſocietatē militię aſſumptum, ſed partâ victoria mox relatum. Nā aduerſus rebellantes ſibi Saxones bellū moturus, cùm ſatis noſſet, quàm forti, & dura cum gente ſibi res eſſet, & ipſa ancipitis Martis diſcrimina ſagaci animo iā antè proſpiceret; quo pręter humana auxilia & mortales copias, etiam ſanctorū haberet in caſtris ſuis præſens auxilium; voluit beatorū martyrū Dionyſij & ſociorum eius corpora ab religioſis viris in eam expeditionē deportari. Fardulphus ergo S. Dionyſij Abbas (fuit hic ordine octauus decimus) eidem Regi à cōſilijs, & cunctis in expeditionibus comes fidelis ac prouidus, atque etiam rebus fidei ac pietatis promouēdis admodum idoneus negocium hoc ſuſcepit, & qui viciſſim ſacris deportandis Reliquijs ſuccollarent, bonam vim Clericorum prouidit. Bis pugnatum eſt totis caſtris: ſed eorum altero conflictu debellatum, & victoria penes Carolum Magnum ſtetit. Hic autem cęleſtis haud immemor beneficij, hoc primò curauit (quod ſemper à Chriſtianis Regibus primò curandum eſt) vt victoriæ fructus præcipuè ad Dei honorem, & ſanctæ fidei augmentum recurreret. Itaque mandauit, vt Saxones Chriſti religionem inſtitutaque ſuſciperēt: deinde eorundem

CAROLVS MAGNVS SS. MARTYRVM DIONYSII ET SOCIORVM CORPORA SECVM IN EXPEDITIONEM DEFERRI IVBET.

CAROLI MAGNI VICTORIS GRATVS ERGA DEVM ET CHRISTIANAM RELIGIONEM ANIMVS.

Saxonum aliquot millia, qui varias in regni sui partes distribuerentur, & sensim ecclesiæ rudimentis & moribus imbuerentur, deportauit. Quo facto (vt Deus ipsum honorantes nouis semper auget honoribus) haud multò postea ipsius Regno adiecit Imperium: fuitque deinceps simul Rex, simul Imperator; & regnauit quidem secundo rerum cursu, nec interrupta vnquam valetudine, annos quadraginta septem: imperauit verò quatuordecim. Vnus denique in omni vita morbus, seu febris vna, vitæ eum mortali eripuit, felicemque & bis fortunatum immortali adscripsit, anno scilicet octingentesimo decimo quinto, ad quintam Kalendas Februarias. Qua die sancta eius memoria quibusdam in ecclesijs piè recolitur, & solemniter celebratur. Tum ergo pius ille, & verè sanctus Imperator sacrum Dionysij corpus ex vrbe & æde sibi cognomine extulit, & cum illo vnà illustrem victoriam reportauit. Sed aliàs nunquam (nisi quis audacibus credere fabulis velit) ab vrbe S. Dionysij longiùs quàm Parisios regni caput, tanti martyris principales reliquię, prę sertim vt remanerent, alterique loco propriæ essent, leguntur exportatæ. Harum porrò Reliquiarum virtus, non tantùm aut in morbis sanitatem, aut victoriam in prælijs, sed incrementũ quoque & prosperitatem regnis & imperijs importauit. Quod Henrico Regi Saxoniæ Caroli Simplicis Frãcorum Regis Legatus haud obscurè indicauit. Nam cùm ei manum S. Dionysij auro gemmísque inclusam, fidei & amicitiæ testem Caroli nomine offerret, his vsus esse verbis memoratur: *Hoc habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij. Hanc partem vnici solatij Francorum Galliam inhabitantium (postquam eos deseruit insignis martyr Vitus, & ad nostrã perniciem vestramq́; perpetuam pacem, Saxoniã visitauit) cõmunicare tecũ maluit. Neque enim postquam trãslatum est corpus eius à nobis, ciuilia vel externa cessauère bella. Eodem quippe anno Dani & Nortmãni regionem nostram inuaserunt.* Quibus verbis vaticinari Legatus voluit, non secus à Francia cum his Dionysij sacris Reliquijs prosperitatem ad Saxonas transituram, quàm olim cum B. VITI corpore transijsset. Quanti porrò manum illam S. Dionysij æstimarit Rex Henricus, idem qui superiora, perscribit Witichindus: *Rex autem*, inquit, *munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens prosternitur Reliquijs sanctis, & deosculatus eas summa veneratione veneratus est.* Ita ille. Nec defuit sanè pietati huic & venerationi merces: quandoquidem ex illo tempore Saxonum res, Hungarorum irruptionibus nuper admodum accisę in pristinum restitui statum, & magna sumere incrementa, domitis bello Sclauis, Bohemis, Dalmatis, & alijs in orbem vicinis populis, (quos Henricus fecit tributarios) continuatis victorijs inceperunt. Tantum scilicet in sacris Reliquijs, & in conuenienti earum cultu situm est boni! Quod vtinam Clodoueus II. intellexisset, atque à contrectandis Dionysij sanctissimis ossibus irreuerentes manus abstinuisset! næ & mens illi firmior, & eius regno prosperitas maior constitisset. Verùm vbi martyris brachium minùs piè & religiosè attigit atque abscidit, tum & ipse

CAROLI MAGNI PIETAS HONORATVR ADIECTIONE IMPERII.

RELIQVIARVM SACRARVM VIRTVS IN AVGENDIS IMPERIIS.

Witichindus l. 1. Gestorum Saxonicorũ.

Ado in Chrõ. Gaguinus li. 3. hist. Franc. c. 4.

& ipse mente motus est, & haud modicè attonsa magnanimæ illius gentis est gloria. Ac licet ablatam brachij partem, auro & gemmis ditiorem postea reddiderit, & varia insuper donaria S. Dionysij cœnobio pro recuperanda integræ mentis firmitate contulerit, nunquam tamen ita reualuit, quin ad supremum vsque tempus aliqua insaniæ vestigia prætulerit: magnum sanè Regibus documentum, quantus ad res sacras horror & reuerentia afferenda sit: & quàm non leuiter, tametsi cum pietate (qua forsan & Clodoueus non omnino caruit) Sanctorum membra nec frangenda, nec disiungenda sint. Et verò tantam inesse virtutem ipsius sacri corporis Reliquijs quid mirum? quando & vela & serici panni, quibus eæ inuoluuntur, aduersus potestates tenebrarum harum & terribiles dæmonum carnificinas haud parum possint. Nam cùm anno Domini millesimo quinquagesimo, quo detectum corpus, & palam venerationi expositum fuit, quidam ex ijs Abbatibus qui ad eam solemnitatem accesserant, nonnullam antiquissimi veli partem, quo obuolutum corpus fuerat (nam velum nouum, idque preciosissimum miserat Henricus primus Rex Francorum) inde ad monasterium suum asportasset, atque obsesso cuipiam à dæmone homini Gentili & à fide nostra alieno admouisset, mox ille obsessor quamuis aliàs atrox & importunus seriò abscessit, & aufugit: & homo ille ab ista tyrannide vindicatus aquis ablui salutaribus, & Christianis accenseri expetijt. Denique tanta fuit non Regum modò aut virorum virtute præstantium erga S. Dionysij sacras Reliquias affectio pietatis atque religio, sed etiam indiscriminatim totius populi Galliæ, vt existimarent hominem tam insignitæ improbitatis ac nequitiæ reperiri neminem posse, qui coram venerando tanti totius Galliæ patroni tumulo deierare aut mentiri ausus esset. Hinc non rarò accidebat, vt si quis vel iniustitiæ vel cuiuslibet alterius grandis flagitij reus obiectum sibi crimen inficiaturus in iudicio videretur, is ad S. Dionysij tumulum tanquam ad rem maximè sacram & inuiolabilem iurisiurandi gratia traheretur. Ibi enim vel stimulis conscientiæ fodicantibus, vel pœna scelerum citò consequente, certa veritatis edebantur indicia. Talibus nimirum Deus opt. max. sanctos suos dignatur honoribus. Tam præsentibus eorum contemptores prosequitur terroribus, vlciscitur supplicijs. Hactenus quæ S. Dionysius egerit vidimus: quid scripserit, requiramus.

a veteribus codicibus S. Dionysij apud Parisios.

Greg. Tur. l.5. hist. cap. 32.

CAPVT XXX.

Librorum S. Dionysij index.

PRimam in Theologia laudem secundùm Scripturæ sacræ libros sibi ex doctorum & piorum consensu vindicant S. Dionysij opera, multis probata & laudata cùm Philosophis, tum Theologis. Quorum librorum pars optima, Dei beneficio, hodie superest: nonnulla portio iniuriâ temporum interijt.

SVPERSVNT HODIE LIBRI.

De cælesti Hierarchia.	I.	De ecclesiastica Hierarchia.	I.
De diuinis nominibus.	I.	De mystica Theologia.	I.

ITEM EPISTOLÆ.

Ad Caium.	IV.	Ad Dorotheum.	I.
Ad Sopatrum.	I.	Ad Polycarpum.	I.
Ad Demophilum.	I.	Ad Titum.	I.
Ad B. Ioannē Euangelistam.	I.	Ad Apollophanem.	I.

His porrò superstitibus hoc insigne laudis meritò adscripsit seu Ambrosius Camaldulensis, seu Iacobus Faber Stapulensis, seu quilibet alius, quisquis primus fuit. *Theologia viuificans: Solidus cibus.*

Nihil enim in omnibus istis Areopagitæ scriptis facilè reperias, quàm solidum cibum, quàm Theologiam viuificantem.

INTERIERVNT AVTEM HI LIBRI.

De Symbolica Theologia.	Theologicæ informationes.
De anima.	De iusto & diuino iudicio.
De diuinis hymnis.	De ijs quę intelligentia, & quę sensu percipiuntur.

Quibus libris magno ecclesiæ damno deperditis idem qui suprà, quisquis ille fuerit, hanc iure bono affixit tristis iacturæ epigraphen. *Infinitus thesaurus aut deperditus, aut absconditus.* Scripsisse autem Dionysium libros eiusmodi nulli magis quàm ipsi credimus. Quippe qui in ijs, qui modò extant, istorum qui non extant, à se scriptorum meminerit. Libros porrò qui supersunt egregijs Deus opt. max. decorauit miraculis. Anno enim à Christi ortu circiter 824. cùm Michael Balbus Imp. Orientis Legatos ad Ludouicum Pium Regem Francorum & Occidentis Imp. misisset, eo ipso die quo libri S. Dionysij per Theodorum Diaconum ecclesiæ Constantinopolitanę Oeconomum, qui vnus erat è Legatis, ad cœnobium Dionysianum allati sunt (erat autem vigilia S. Dionysij) nouemdecim insignes variorum morborum curationes meritis tanti martyris designatæ sunt, eæque in personis notissimis, nec longè ab eodem cœnobio degentibus. Duobus autem ferè post hæc sęculis, siue sub annum Domini nōgentesimum sexagesimum septimum, Othone magno imperante aliud accidit prodigium, quod totidem hìc verbis referam, quot nobis transmisit S. Odilo Presbyter in vita S. Maioli, Abbatis Cluniacensis: *Quum esset*, inquit, *aliquando S. Maiolus in monasterio sanctissimi martyris Dionysii, & pro consuetudine nocturnis horis legeret eiusdem martyris & admirabilis Philosophi librum De hierarchia calesti, graui in eum incidente somno, cereus è manu eius in libri paginam decidit: & ecce rem stupendam: ignis naturæ suæ officium persequens, ellychnium & ceram consumsit, paginam violare non est ausus.* Ita S. Odilo.

De libris S. Dionysij nihil plus in præsentia dicendum videtur. Itaque ad Menæa Græcorum, quæ nostris respondent Martyrologijs, & Sanctorum laudes aliquanto quàm illa fusiùs referunt, transeamus.

CAPVT

CAPVT XXXI.

S. Dionysij è Græcorum Menæo, vitæ compendium, & laudum manipuli.

QVæ de Menæo huc adducentur, partim ad roborandam eorum quæ adhuc dicta sunt fidem, partim ad Dionysij cultum & laudes pertinebunt. Ea sunt vitæ compendiolum, & succincta velut epinicia. Istud primò, deinde hæc proferam. Itaque ad tertiam Octobris, martyrologij more sic habet:

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, γʹ. τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου.

Eodem mense, die tertiâ, Sancti Dionysij Areopagitæ martyris.

Τμηθεὶς τὴν κεφαλὴν Διονύσιε ἔκθεες ἄρας.

Abscissum caput aufugiens Dionysius aufert.

Οὗτος πλούτῳ καὶ δόξῃ καὶ συνέσει καὶ σοφίᾳ τῶν πάντων ὑπερέχων τῶν ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ βουλευτῶν εἷς ἦν· καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου, καὶ βαπτισθεὶς χειροτονεῖται Ἐπίσκοπος. τὰ ἀπόρρητα μυηθεὶς ὑπὸ τοῦ σοφοῦ Ἱεροθέου· καὶ συγγράμματα καταλελοιπὼς παράδοξα καὶ θαυμαστά τε καὶ ὑψηλότατα.

Hic vir opibus & gloriâ & prudentia & sapientiâ omnibus præstâs, vnus erat è Senatoribus Areopagi. Qui à magno Paullo in fidei retia pertractus & baptizatus, in Episcopum assumptus est. Idem à sapiente Hierotheo sacra & ineffabilia edoctus mysteria, scripta planè singularia & admiranda & sublimissima transmisit ad posteros.

Αὐτὸς τοίνυν καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως ἑρμηνεύσας τὸν τύπον, μετὰ ταῦτα καταλαβὼν τὰ ἑσπέρια μέρη ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομιτιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, καὶ ταύτην ἰδίαις χερσὶν ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε, θαῦμα τοῖς ὁρῶσιν ἐνστησάμενος· καὶ οὐ πρότερον ταύτην ἀνῆκε, πρὶν ὅτε γυναικὶ ὀνόματι Κατούλᾳ ὑπαντήσας καὶ κατὰ θείαν συσχεθεὶς πρόνοιαν ταῖς ἐκείνης παλάμαις οἷά τινα θησαυρὸν ἐναπέθετο.

Hic ergo post explanatam ecclesiasticæ dispositionis formam, dehinc imperãte Domitiano ad partes profectus occidentales, multis inibi patratis miraculis, in vrbe Parisijs capite plectitur: quod ipsum caput, suis exceptum manibus, ad duo vsque milliaria raptis in admirationem spectatoribus deportauit: neque antè dimisit, quàm mulieri Catulæ appellatę obuiam factus, & diuinâ prouidentia detentus, velut thesaurum quendam in manibus deposuit.

Ὡσαύτως Ῥουστικὸς καὶ Ἐλευθέριος καρατομοῦνται οἱ αὐτοῦ φοιτηταί. καὶ σὺν τῷ μαρτυρικῷ σώματι τοῦ ἱεροῦ κήρυκος τὰ τῶν ἁγίων σώματα ῥίπτονται θηρσὶ βο-

Rusticus porrò & Eleutherius illius discipuli similiter sunt obtrũcati: quorum corpora simul cum sancti pręconis ac martyris corpore feris

re feris & auibus pabulum abiecta sunt. Verùm quidam fidelium hasce Sanctorum reliquias acceperunt, & in loco abdito propter vrgentem carnificum metum deposuerunt: donec ijs aliò dilapsis beata Catula certam in domum easdē reliquias die tertia Octobris transtulit & condidit.

ρα καὶ ὀρνέοις προκείμενα. Πιστῶν δέ τινες τὰ τῶν ἁγίων λαμβάνουσι λείψανα, καὶ ἐν τῷ ἀφανεῖ κατατίθενται, διὰ τὸν ἐπικείμενον φόβον τῶν δημίων· κἀκείνων ἀπαλλαγέντων, ἔν τινι τὰ τῶν μαρτύρων λείψανα ἡ μακαρία Κατοῦλα δομήματι κατατίθησι τρίτην τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς ἄγοντος.

Erat autem Dionysius, quod ad figuram corporis attinet, statura mediocri, gracilis, albus quidem, sed subpallidus, subsimus, contractis superciliјs, oculis profundis, magnis auribus, canus, comatus, barba modicè promissa, sed rarà, pauxillùm ventriosus, digitis manuum oblongis.

Ἦν δὲ κατὰ τὸν σωματικὸν τύπον, τὸ μέγεθος μέσος, ἰσχνὸς, λευκὸς, ὑπωχρὸς, ὑπόσιμος τὴν ῥῖνα, τὰς ὀφρῦς συνεσπασμένος, κοῖλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὦτα μεγάλα ἔχων, πολιὸς, κομήτης, μετρίως βαθυνόμενος τὴν ὑπήνην, ἀραιὸς τὴν ἔκφυσιν τοῦ γενείου, ἠρέμα προγάστωρ, μακροδάκτυλος ταῖς χερσίν.

Dies eius solemnis in sanctissima magna ecclesia celebratur.

Ἡ δὲ σύναξις αὐτοῦ τελεῖται ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ.

Hactenus quæ ad vitam: nunc quæ ad laudes spectant:

Diuinus Paullus sapienter concionatus te, ô Dionysi, gratiæ hamo cepit: te intuitus vas electionis, sacrorum doctorem & arcanorum contemplatorem effecit. Quicum, ô diuiniloque Dionysi, Deum exora, vt te laudibus ex amore celebrantes salui fiant.

Ἀγκίστρῳ τῆς χάριτος σοφῶς ὁ Παῦλος ὁ ἔνθεος δημηγορήσας ἐζώγρησεν ἱεροφάντορα καὶ τῶν ἀπορρήτων θεωρὸν εἰργάσατό σε, σκεῦος ἐκλογῆς θεασάμενος. μεθ' οὗ δυσώπησον θεορρῆμον Διονύσιε τοῦ σωθῆναι τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

Mentem tuam, ô sapientissime pater Dionysi, virtutis cultu Angelis parem, cùm fecisses supramundanam hierarchiæ dispositionem, sanctè indagasti, ad cuius exemplar, ordines Angelorum imitatus, ecclesiæ cœtus ordinasti.

Ἀγγέλοις ὁμότιμον τὸν νοῦν, πάτερ Διονύσιε δι' ἀρετῆς ἐργασάμενος, τὴν ὑπερκόσμιον τῆς ἱεραρχίας εὐταξίαν πάνσοφε τὴν τούτων ἱερῶς ἀνιστόρησας, καθ' ἣν ἐρρύθμισας ἐκκλησίας τὰ συστήματα, οὐρανίων τὰς τάξεις μιμούμενος.

Tu Deo, quantum homini datum est, sapientissimè assimilatus, ô beate Dionysi, cælitus inspiratā diuinorum nominum explanationem piè propalasti: nempe illa, quæ intelligentiam superant, præstantiori cum Deo coniunctione edoctus, in mūdi fines propagasti.

Εὐφιλοσοφώτατα θεῷ, μάκαρ Διονύσιε, ὡς δυνατὸν, ὁμοιούμενος, τῶν ὀνομάτων σου μυστικῶς τῶν θείων εὐσεβῶς ἐξήπλωσας τὴν ἔνθεον θεόφρονα ἀνάπτυξιν, ἑνώσει κρείττονι μυηθεὶς τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν, καὶ μυήσας τοῦ κόσμου τὰ πέρατα.

Τῆς

Τῆς οὐρανίου γνώσεως ἀθεώρητον βυθόν σε καλέσωμεν λαμπρότατε μάρτυς τοῦ χριστοῦ· ὡς καὶ ὁπλίτην καὶ στερρὸν ὑπέρμαχον τῆς ἐκκλησίας ἀνυμνοῦμέν σε σοφέ.

Πυρὶ γὰρ ἐλλαμφθεὶς τῷ ἁγνοτάτῳ ἠξιώθης ἅμα ταῖς ἄνω στρατολογίαις τὸ φωτεινὸν περιβόλαιον ἐνδύσασθαι χριστὸν, καὶ λαμπρυνθεὶς τῇ αἴγλῃ τοῦ πνεύματος τὸν νοῦν Διονύσιε. Διό σου τὴν παγκόσμιον μνήμην πανηγυρίζοντες πιστῶς δοξάζομεν τὸν δοξάσαντά σε κύριον.

Τῷ Παύλῳ τῷ θείῳ μαθητευθεὶς τῷ τῶν οὐρανίων Διονύσιε θεατῇ οὐράνιος μύστης παραυτίκα καὶ θηγόρος ἐχρημάτισας.

Ὁ χάριτι θείᾳ καταυγασθεὶς καταύγαζον μάκαρ τῶν ὑμνούντων σε τὰς ψυχὰς, τὰς σὰς συνιέναι θεοπνεύστους διδασκαλίας Διονύσιε.

Νοὸς καθαρότητι καὶ ψυχῆς, τῶν ἐπουρανίων διακόσμων τὰς ἀστραπὰς μαθεῖν ἠξιώθης, καὶ τὰς τούτων χορεύσασίας ἰδεῖν Διονύσιε.

Οὐρανίων ἁψίδων ὑπεραρθεὶς ὅσιε τῶν ὑπερκοσμίων τὰς τάξεις καὶ τὰ στρατεύματα καὶ τὰς λαμπρότητας ὑψηγορίαις τῶν λόγων καὶ πανσόφοις φράσεσι πᾶσιν ἐτράνωσας.

Ὑψηλῆς θεωρίας ἐμφορηθεὶς ἔνδοξε τὴν τῶν ὀνομάτων τῶν θείων ἀνάπτυξιν ἐθεολόγησας τριαδικὸς θεόλογος γεγονὼς τῇ χάριτι θεομακάριστε.

Νεκρωθεὶς τοῖς παροῦσι τῷ πρὸς θεὸν ἔρωτι καὶ φιλοσοφίᾳ συντόνως ἐγγυμνασάμενος, τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν ζωοποιῶν χαρισμάτων θεοφόρον ὄργανον πάτερ γεγένησαι.

Ὡς τοῦ σκεύους ὑπάρχων τῆς ἐκλογῆς

Te te, ô clarissime Christi martyr, cælestis scientiæ profundum incōtemplabile appellemus: quē-admodum & grauis armaturæ militem, & firmum Ecclesiæ propugnatorē te ô sapiens collaudamus.

Nam igne purissimo vnà cum cęlesti militia collustratus, & mentem Spiritus splendore perfusus, fulgidum indumentum, ô Dionysi, Christum induere meruisti. Hinc ornatissimam celebrantes tui memoriam, Dominum qui te gloria cohonestauit, fideliter glorificamus.

A diuino Paullo cælestium contemplatore informatus, ô Dionysi, confestim & cælestis Doctor & diuinus Orator euasisti.

Diuina illustrate gratiâ, ô beate Dionysi, animas te laudantium collustra, vt tuas à Deo inspiratas doctrinas intelligant.

Mentis & animæ puritate, cælestium ordinum fulgores cognoscere, & eorum intueri choros, ô Dionysi, meritus es.

O Sancte supra cælestes eleuate fornices, tu cęlitum ordines & exercitus & splendores sublimitate sermonū & interpretatione sapiētissima cunctis manifestasti.

Sublimi contemplatione sublatus ô gloriose & multo beatissime (Dionysi) Diuinorum Nominum explicationem diuinè elocutus es, factus Dei gratia Trinitatis Theologus.

Terrenis per Dei amorem emortuus, atque in philosophia enixè exercitatus, viuificarum gratiarum mentem excedentium Deiferum organum, ô pater, effectus es.

Tanquam diuinum simulacrū vasis

vasis electionis, diuina mysteria spiritu quàm verissimè docuisti, & diuinæ illustrationis gratià perfusus Angelorum ordines clarè manifestasti. Vnde & relictis mundo, quæ mente percipiantur, diuinis tuis documentis, ô sacrorum magister Dionysi, vniuersos illuminasti. Age, Christo Deo supplica, vt sanctam tui memoriam ex affectu celebrãtibus delictorum suorum veniam largiatur.

ἀπεικόνισμα θεῖον, ὡς ἀληθῶς τὰ θεῖα μυστήρια ἐδίδαξας τῷ πνεύματι, καὶ φωτισθεὶς τῇ χάριτι τῆς θείας ἐλλάμψεως τὰ τῶν Ἀγγέλων τάξεις τρανῶς διεσάφησας. Ὅθεν καὶ τῷ κόσμῳ νοητῶς καταλείψας τὰ θεῖά σου δόγματα, κατεφώτισας ἅπαντας ἱερόμυστα Διονύσιε. Πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

Decentem Ecclesiarum ordinem concinnasti. In ijs enim, ô Pater, formas similes incorporearum Virtutum sacræ formationi corporaliter depinxisti: per quas instruitur & illustratur tota fidelium pia congregatio.

Ἐκκλησιῶν τὴν εὐκοσμίαν ἐρύθμισας. Ἐν αὐταῖς γὰρ πάτερ ἐζωγράφησας μορφωτικῶς τύπους ἐμφερεῖς ἱεροπλασίας τῶν ἀμορφώτων Δυνάμεων· δι' ὧν μυσταγωγεῖται καὶ φωτίζεται πᾶσα τῶν πιστῶν ἡ θεόφρων ὁμήγυρις.

Theologiæ tuæ fluenta, ô Deo correpte Dionysi, prata mentium semper virentia, & in rectitudine doctrinarum sita vbertim irrigant. Naturæ enim vnitatem in personarum trinitate, venerandam monarchiam prædicasti.

Ῥεῖθρα τῆς σῆς θεολογίας, θεόληπτε, τοὺς λειμῶνας ἄγαν καταρδεύουσι τοὺς λογικοὺς καὶ ἀειθαλεῖς καὶ πεφυτευμένους ἐπὶ δογμάτων ὀρθότητι. Μονάδα γὰρ οὐσίας ἐν τριάδι προσώπων τὴν σεπτὴν μοναρχίαν ἐκήρυξας.

Verborum tuorum vox, quasi sonus quidam cælestis vehemens, impias mentes sermone gratiæ attonuit, & clarissimis diuinorum documentorum fulgoribus corda fidelium collustrauit.

Ῥημάτων σου ὁ φθόγγος, ὥσπερ τις οὐράνιος ἦχος φερόμενος, τὰς ἀθέους φρένας κατεβρόντησε λόγῳ τῆς χάριτος, καὶ δογμάτων θείων μαρμαρυγαῖς ταῖς φανωτάταις τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἐλάμπρυνεν.

Sapientiæ fontem sapientissimè adamasti, ô pater; atque eiusdem philtro & amore circumlatus multiplex factus es, & fluentorum diuinorũ flumina perenniter profundis, ô vir Deo afflate.

Τὴν πηγὴν τῆς σοφίας ἐκφιλοσοφώτατα πάτερ ἠγάπησας, καὶ τῷ ταύτης φίλτρῳ καὶ ἀγάπῃ συμπεριφερόμενος πολλοστὸς ἐγένου, καὶ ποταμοὺς θείων ναμάτων ἀεννάως πηγάζεις θεόπνευστε.

Vita tua mirabilis, sermo mirabilior, lingua tua pellucida, os ignem spirans, ô beate Dionysi: sed mens tua, ô pater, Deo sanè quàm simillima.

Ὁ βίος σου θαυμαστὸς, ὁ λόγος θαυμασιώτερος, ἡ γλῶσσά σου φωταυγὴς, τὸ στόμα πυρίπνοον μάκαρ Διονύσιε· ὁ δὲ νοῦς σου πάτερ ἀκριβῶς θεοειδέστατος.

Portis cælestibus in spiritu pe-

Τὰς οὐρανίους διαβὰς πύλας ἐν πνεύματι,

ματι, καὶ μαθητευθεὶς τῷ ὑπὲρ τρεῖς τοὺς οὐρανοὺς φθάσαντι Ἀποστόλῳ Διονύσιε, τῶν ἀρρήτων ἐπλουτίσθης πᾶσαν γνῶσιν· καὶ κατηύγασας τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνωσίας καθεύδοντας. Διὸ κράζομεν· χαίροις πάτερ παγκόσμιε.

netratis, & à Paullo ſupra tres cælos prouecto edoctus, omni ineffabilium cognitione, ô Dionyſi, ditatus es: qui & in tenebris ignorantiæ indormientes luce perfudiſti. Vnde clamamus: Salue pater multò ornatiſſime.

Ἄγγελος ἐπ' ἀνθρώπων ἀρεταῖς χρηματίσας ὁ μέγας Διονύσιος, πᾶσαν ὡς ὑπόπτερος ἐμυήθη τὸν νοῦν τὴν οὐράνιον γνῶσιν. Διὸ ἄσμασιν ὡς Ἄγγελον τιμήσωμεν βοῶντες πρὸς αὐτὸν τοιαῦτα· Χαῖρε ὁ γνοὺς τὸν Χριστὸν διὰ Παύλου. Χαῖρε πολλοὺς πρὸς Χριστὸν ἐπιστρέψας. Χαῖρε πολυθέου σκηνῆς ὀλετήριον. Χαῖρε θεογνώστου βουλῆς σκοπευτήριον. Χαῖρε βίβλος θεοχάρακτος, μυστηρίων θησαυρέ. Χαῖρε πίναξ θεομόρφωτε καὶ διόπτρα οὐρανοῦ. Χαῖρε ὅτι τὸ πάθος τοῦ κυρίου κατεῖδες. Χαῖρε, ὅτι προθύμως δι' αὐτὸν σφαγιάζῃ. Χαῖρε πηγὴ βλυζάνουσα ἄφεσιν. Χαῖρε ῥανὶς κοιλαίνουσα ἄνοιαν. Χαῖρε φραγμὸς ἀσεβῶν παρόδιας. Χαῖρε φωστὴρ τοὺς πιστοὺς καταυγάζων. Χαῖρε πάτερ παγκόσμιε.

Magnus Dionyſius ob virtutes Angelus inter homines appellatus, omnem cæleſtem cognitionē velut aliger aſſecutus eſt. Quare tanquam Angelum cantibus honoremus & ad eum clamemus. Salue ô Chriſti per Paullum agnitor. Salue multorum ad Chriſtum conuerſor. Salue ſcenæ multos exhibentis Deos deſtructor. Salue cōſilij Deo cogniti ſpeculator: Salue à Deo exarate liber, myſteriorum theſaure. Salue Deo informata tabula, & cęli dioptra. Salue Paſſionis Domini conſpector. Salue pro illo alacriter mortem paſſe. Salue fons remiſſionem peccatorum profundens. Salue gutta amentiam excauans. Salue agger impiorum acceſſui oppoſite. Salue fax fideles illuminans. Salue pater multò ornatiſſime.

Ὡς ὄμβρος οὐράνιος ἐν γῇ διψώσῃ, τὰ σὰ διδάγματα τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἀεὶ ποθούσας καταπαίνουσι, καὶ ἀκορέστως βοᾶν ἐκδιδάσκουσιν· Εὐλογητὸς ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Vt cæleſtis imber in terrâ ſitienti, mentes fidelium ſemper auidas irrigant doctrinæ tuæ, & inſatiabiliter exclamare docent: Benedictus Deus Patrum noſtrorum.

Δοχεῖον πνεύματος τοῦ παναγίου ὤφθης εὐάρμοστον, καὶ τὰς τούτου ἐμπνεύσεις καὶ φανερώσεις προφητικώτατα προαγορεύων σοφὲ Διονύσιε, Εὐλογητὸς, ἐκβοῶν, ὁ τῶν πατέρων θεός.

Sanctiſſimi Spiritus receptaculum peraccommodum extitiſti, ô ſapiens Dionyſi: cuius & inſpirationes ac manifeſtationes more maximè prophetico pręlocutus es, exclamās: Benedictus Deus Patrū.

Γνωριμοτέρα γέγονε διὰ σοῦ Διονύσιε ἡ τῶν Ἀθηναίων εὐκλεὴς μητρόπολις Χριστῷ προσενέγκασά σε ἀπαρχὴν πανίερον, τῷ παμβασιλεῖ διηνεκῶς με-

Notior per te facta eſt, ô Dionyſi, Athenienſium inclita metropolis: quæ te, ſanctiſſimas primitias, Chriſto obtulit, omnium Regi cōtinen-

vicinos simul cum salinis, alijsque eodem pertinentibus, perquam insigni & prolixa benignitate, eorundem Sanctorum cultoribus Monachis, siue Dionysianis cœnobitis condonasti. *Dignum est enim*, inquiebas, *vt per quos sum ab omni corporis liberatus infirmitate, ipsi mihi in ipsa mea debeant hereditate succedere*. Beatum porrò illud sæculum (sunt enim bina hæc piæ liberalitatis exempla vnius eiusdemque octaui sæculi) quod tales habuit clientes Sanctorum! quod tam memores protulit diuinorum beneficiorum susceptores! Et verò alios eodem ipso sæculo, & ex eadem Anglia præclaros possem adducere erga Dionysium benefactores, seu Offam Merciorum Regem, seu geminos fratres Agonaualam, & Sigrinum, & hosce quidem vltro & vnanimi cōsensu omnem suam possessionem, quam portui Lundeuicensi vicinam habebant, sancto Dionysio contribuentes: illum autem & quicquid ibidem habebat iuris benignissimè remittentē, & alia insuper è suo adiungentem. Fuit, fuit olim ea in Diuos pietas, ea largitas, vt præ Sāctorum honoribus omnis propinquorum videretur inducta obliuio: nūc è contrario tanta est propinquorum cura, & viscera corrodens sollicitudo, vt nulla videatur Sanctorum prę propinquis restare memoria. Verùm hoc agamus, & alia nostri martyris benefica reuisamus miracula. Auctor præterea est Flodoardus sua ætate, hoc est, sub annum Christi nōgentesimum, feminam pauperculam, Gillaudem nomine, cùm totam manum impacto molæ manubrio grauiter sauciasset, ad B. Dionysij sacras Reliquias, (quæ ob infestationes Paganorum Rhemis tunc asseruabantur) magno cum timore, & reuerentia adijsse, atque in preces diu noctuque prostratam, eius denique alloquio & solatio in somnis donatam esse, & simul viam obtinendæ sanitatis didicisse. Alia eiusdem martyris miracula perstringit Rigordus æui sui scriptor: quorum bina in annum 1193. bina in proximè sequentem inciderunt. Priora sunt hæc: Puerulus quidam vita functus ad B. Dionysij ædem à parentibus, ipso eiusdem sancti festo die, deportatus, & ante martyrum corpora altari impositus, postquam parentes S. Dionysij opem mistis prece lachrymis atque suspirijs impensiùs implorassent, ad vitæ vsuram, vniuerso respectante populo, remigrauit. Item arreptitius quidam in eodem templo simili ope curatus est. Posteriora autem insequenti anno hæc fuerunt: Trimulus puer de Curte noua aquis submersus vitam B. Dionysij meritis recuperauit. Deinde vir quidam Misionensis eodem inuocato & succurrente Dionysio martyre è custodia apud Rothomagum exolutus est. Nec verò tantum Dionysij cultoribus magna beneficia, sed etiam sepulchri violatoribus grauia in promptu fuerunt supplicia. Quippe duorum sacrilegorum acceleratæ mortes, & vnius quidem in ipso peccati articulo, alterius verò intra eundem annum, quo facinus admiserat, idonea sunt testimonia. Prior è Sigeberti Francorum Regis primoribus erat, qui eodem Rege Parisios armis & flammis vastante, S. Dionysij sacram ædem non pietatis, sed auaritiæ impulsu ingressus, à

sancti

PRINCIPVM ANGLIÆ MVNIFICENTIA IN CVLTV S. DIONYSII.

Flodoardus lib. 1. historiæ Rhemensis cap. 21.

Rigordus lib. de gestis Philippi Augusti.

MORTVI ALIQVOT MERITIS S. DIONYSII AD VITAM SVNT REVOCATI.

Greg. Turon. lib. 1. miracul. c. 72.

SACRILEGII IN S. DIONYSIVM ADMISSI DIVINA PVNITIO.

ſancti ſepulchro pallam holoſericam auro & gemmis coruſcantem tollere non dubitauit. Ecce ergo, dum infelici ſpolio ſe beatũ putat, & neceſſitate nauigandi vrgente, vnà cum credito ſibi puero, cui ducẽtos aureos nummos tradiderat aſſeruandos, iter proſequitur, derepente carus ille & precioſus puer præceps è naui, tactus à nemine, & incertum quo caſu delabitur, & aquis obrutus nec ipſe, nec aurũ apparet. Impulit quidem ea duplex iactura, vt confeſtim littori applicaret, & ſepulchralem pallam, vnde abſtulerat, referret, ſed mortem ſacrilegij vindicem ne annum quidem vnum amoliri potuit. Eodem enim obijt. Alter eadem inſtigante auri cupidine ipſum aſcendere & pedibus conculcare ſacrum tumulum haud veritus, dum ei impendentem columbam aureã lancea tentat elidere, ipſe pedibus, quibus turritum inſiſtebat tumulum, vtrimque dilapſis, cõpreſſiſque in ipſo lapſu teſticulis, & ſuo infixã lateri lanceã, mortem pro auro inuenit. Nec ſanè fortuitò iſta, ſed iuſto Dei iudicio illis euenere: vt quàm aptiſſimè in eos quadret illud Eccleſiaſtici: *Multi dati ſunt in auri caſus: & facta eſt in ſpecie ipſius, perditio illorum.* id eſt, multi propter aurum ceciderunt, & eius capti ſpecie perierunt.

ALIVD EXEMPLVM SIMILIS PVNITIONIS.

Gregor. Turon. l. 1. Miracul. c. 72.

Eccleſiaſtici cap. 31.

CAPVT XXIX.

S. Dionyſij Reliquiæ & earum virtus atque æſtimatio.

SAnctiſſimum Dionyſij corpus habuit initio, habetque etiamnum inuicta Francia: nec eſt verum, illud aliquando, ſeu vi, ſeu dolo ad gentem aliam tranſlatum, foris remanſiſſe, aut nunc eſſe. Nam Rhemos quidem (vt è Flodoardo ſuperiùs inſinuatum eſt) propter infeſtationem paganorum ſemel delatum eſſe conſtat, ſed ibi ad meliora tantùm vſque tempora reſeruatum. Semel item à Carolo Magno in ſocietatẽ militię aſſumptum, ſed partà victoria mox relatum. Nã aduerſus rebellantes ſibi Saxones bellũ moturus, cùm ſatis noſſet, quàm forti, & dura cum gente ſibi res eſſet, & ipſa ancipitis Martis diſcrimina ſagaci animo iã antè proſpiceret; quo pręter humana auxilia & mortales copias, etiam ſanctorũ haberet in caſtris ſuis præſens auxilium; voluit beatorũ martyrũ Dionyſij & ſociorum eius corpora ab religioſis viris in eam expeditionẽ deportari. Fardulphus ergo S. Dionyſij Abbas (fuit hic ordine octauus decimus) eidem Regi à cõſilijs, & cunctis in expeditionibus comes fidelis ac prouidus, atque etiam rebus fidei ac pietatis promouẽdis admodum idoneus negocium hoc ſuſcepit, & qui viciſſim ſacris deportandis Reliquijs ſuccollarent, bonam vim Clericorum prouidit. Bis pugnatum eſt totis caſtris: ſed eorum altero conflictu debellatum, & victoria penes Carolum Magnum ſtetit. Hic autem cęleſtis haud immemor beneficij, hoc primò curauit (quod ſemper à Chriſtianis Regibus primò curandum eſt) vt victoriæ fructus præcipuè ad Dei honorem, & ſanctæ fidei augmentum recurreret. Itaque mandauit, vt Saxones Chriſti religionem inſtitutaque ſuſciperẽt: deinde eorundem

CAROLVS MAGNVS SS. MARTYRVM DIONYSII ET SOCIORVM CORPORA SECVM IN EXPEDITIONEM DEFERRI IVBET.

CAROLI MAGNI VICTORIS GRATVS ERGA DEVM ET CHRISTIANAM RELIGIONEM ANIMVS.

Saxonum aliquot millia, qui varias in regni sui partes distribuerentur, & sensim ecclesiæ rudimentis & moribus imbuerentur, deportauit. Quo facto (vt Deus ipsum honorantes nouis semper auget honoribus) haud multò postea ipsius Regno adiecit Imperium: fuitque deinceps simul Rex, simul Imperator; & regnauit quidem secundo rerum cursu, nec interrupta vnquam valetudine, annos quadraginta septem: imperauit verò quatuordecim. Vnus denique in omni vita morbus, seu febris vna, vitæ eum mortali eripuit, felicemque & bis fortunatum immortali adscripsit, anno scilicet octingentesimo decimo quinto, ad quintam Kalendas Februarias. Qua die sancta eius memoria quibusdam in ecclesijs piè recolitur, & solemniter celebratur. Tum ergo pius ille, & verè sanctus Imperator sacrum Dionysij corpus ex vrbe & æde sibi cognomine extulit, & cum illo vnà illustrem victoriam reportauit. Sed aliàs nunquam (nisi quis audacibus credere fabulis velit) ab vrbe S. Dionysij longiùs quàm Parisios regni caput, tanti martyris principales reliquię, prę sertim vt remanerent, alterique loco propriæ essent, leguntur exportatæ. Harum porrò Reliquiarum virtus, non tantùm aut in morbis sanitatem, aut victoriam in prælijs, sed incrementũ quoque & prosperitatem regnis & imperijs importauit. Quod Henrico Regi Saxoniæ Caroli Simplicis Frãcorum Regis Legatus haud obscurè indicauit. Nam cùm ei manum S. Dionysij auro gemmísque inclusam, fidei & amicitiæ testem Caroli nomine offerret, his vsus esse verbis memoratur: *Hoc habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij. Hanc parte unici solatij Francorum Galliam inhabitantium (postquam eos deseruit insignis martyr Vitus, & ad nostrã perniciem vestramq́; perpetuam pacem, Saxoniã visitauit) cõmunicare tecũ maluit. Neque enim postquam trãslatum est corpus eius à nobis, ciuilia vel externa cessauere bella. Eodem quippe anno Dani & Nortmãni regionem nostram inuaserunt.* Quibus verbis vaticinari Legatus voluit, non secus à Francia cum his Dionysij sacris Reliquijs prosperitatem ad Saxonas transituram, quàm olim cum B. VITI corpore transijsset. Quanti porrò manum illam S. Dionysij æstimarit Rex Henricus, idem qui superiora, perscribit Witichindus: *Rex autem*, inquit, *munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens prosternitur Reliquijs sanctis, & deosculatus eas summa veneratione veneratus est.* Ita ille. Nec defuit sanè pietati huic & venerationi merces: quandoquidem ex illo tempore Saxonum res, Hungarorum irruptionibus nuper admodum accisę in pristinum restitui statum, & magna sumere incrementa, domitis bello Sclauis, Bohemis, Dalmatis, & alijs in orbem vicinis populis, (quos Henricus fecit tributarios) continuatis victorijs inceperunt. Tantum scilicet in sacris Reliquijs, & in conuenienti earum cultu situm est boni! Quod vtinam Clodoueus II. intellexisset, atque à contrectandis Dionysij sanctissimis ossibus irreuerentes manus abstinuisset! næ & mens illi firmior, & eius regno prosperitas maior constitisset. Verùm vbi martyris brachium minùs piè & religiosè attigit atque abscidit, tum & ipse

CAROLI MAGNI PIETAS HONORATVR ADIECTIONE IMPERII.

RELIQVIARVM SACRARVM VIRTVS IN AVGENDIS IMPERIIS.

Witichindus l. 1. Gestorum Saxonicorũ.

Ado in Chrõ. Gaguinus li. 3. hist. Franc. c. 4.

& ipse mente motus est, & haud modicè attonsa magnanimæ illius gentis est gloria. Ac licet ablatam brachij partem, auro & gemmis ditiorem postea reddiderit, & varia insuper donaria S. Dionysij cœnobio pro recuperanda integræ mentis firmitate contulerit, nunquam tamen ita reualuit, quin ad supremum vsque tempus aliqua insaniæ vestigia prætulerit: magnum sanè Regibus documentum, quantus ad res sacras horror & reuerentia afferenda sit: & quàm non leuiter, tametsi cum pietate (qua forsan & Clodoueus non omnino caruit) Sanctorum membra nec frangenda, nec disiungenda sint. Et verò tantam inesse virtutem ipsius sacri corporis Reliquijs quid mirum? quando & vela & serici panni, quibus eæ inuoluuntur, aduersus potestates tenebrarum harum & terribiles dæmonum carnificinas haud parum possint. Nam cùm anno Domini millesimo quinquagesimo, quo detectum corpus, & palam venerationi expositum fuit, quidam ex ijs Abbatibus qui ad eam solemnitatem accesserant, nonnullam antiquissimi veli partem, quo obuolutum corpus fuerat (nam velum nouum, idque preciosissimum miserat Henricus primus Rex Francorum) inde ad monasterium suum asportasset, atque obsesso cuipiam à dæmone homini Gentili & à fide nostra alieno admouisset, mox ille obsessor quamuis aliàs atrox & importunus seriò abscessit, & aufugit: & homo ille ab ista tyrannide vindicatus aquis ablui salutaribus, & Christianis accenseri expetijt. Denique tanta fuit non Regum modò aut virorum virtute præstantium erga S. Dionysij sacras Reliquias affectio pietatis atque religio, sed etiam indiscriminatim totius populi Galliæ, vt existimarent hominem tam insignitæ improbitatis ac nequitiæ reperiri neminem posse, qui coram venerando tanti totius Galliæ patroni tumulo deierare aut mentiri ausus esset. Hinc non rarò accidebat, vt si quis vel iniustitiæ vel cuiuslibet alterius grandis flagitij reus obiectum sibi crimen inficiaturus in iudicio videretur, is ad S. Dionysij tumulum tanquam ad rem maximè sacram & inuiolabilem iurisiurandi gratia traheretur. Ibi enim vel stimulis conscientiæ fodicantibus, vel pœna scelerum citò consequente, certa veritatis edebantur indicia. Talibus nimirum Deus opt. max. sanctos suos dignatur honoribus. Tam præsentibus eorum contemptores prosequitur terroribus, vlciscitur supplicijs. Hactenus quæ S. Dionysius egerit vidimus: quid scripserit, requiramus.

E veteribus codicibus S. Dionysij apud Parisios.

Greg. Tur. l. 5. hist. cap. 32.

CAPVT XXX.

Librorum S. Dionysij index.

PRimam in Theologia laudem secundùm Scripturæ sacræ libros sibi ex doctorum & piorum consensu vindicant S. Dionysij opera, multis probata & laudata cùm Philosophis, tum Theologis. Quorum librorum pars optima, Dei beneficio, hodie superest: nonnulla portio iniuriâ temporum interijt.

SVPERSVNT HODIE LIBRI.

De cælesti Hierarchia.	I.	De ecclesiastica Hierarchia.	I.
De diuinis nominibus.	I.	De mystica Theologia.	I.

ITEM EPISTOLÆ.

Ad Caium.	IV.	Ad Dorotheum.	I.
Ad Sopatrum.	I.	Ad Polycarpum.	I.
Ad Demophilum.	I.	Ad Titum.	I.
Ad B. Ioannem Euangelistam.	I.	Ad Apollophanem.	I.

His porrò superstitibus hoc insigne laudis meritò adscripsit seu Ambrosius Camaldulensis, seu Iacobus Faber Stapulensis, seu quilibet alius, quisquis primus fuit. *Theologia viuificans: Solidus cibus.*

Nihil enim in omnibus istis Areopagitæ scriptis facilè reperias, quàm solidum cibum, quàm Theologiam viuificantem.

INTERIERVNT AVTEM HI LIBRI.

De Symbolica Theologia.	Theologicæ informationes.
De anima.	De iusto & diuino iudicio.
De diuinis hymnis.	De ijs quę intelligentia, & quę sensu percipiuntur.

Quibus libris magno ecclesiæ damno deperditis idem qui suprà, quisquis ille fuerit, hanc iure bono affixit tristis iacturæ epigraphen. *Infinitus thesaurus aut deperditus, aut absconditus.* Scripsisse autem Dionysium libros eiusmodi nulli magis quàm ipsi credimus. Quippe qui in ijs, qui modò extant, istorum qui non extant, à se scriptorum meminerit. Libros porrò qui supersunt egregijs Deus opt. max. decorauit miraculis. Anno enim à Christi ortu circiter 824. cùm Michael Balbus Imp. Orientis Legatos ad Ludouicum Pium Regem Francorum & Occidentis Imp. misisset, eo ipso die quo libri S. Dionysij per Theodorum Diaconum ecclesiæ Constantinopolitanę Oeconomum, qui vnus erat è Legatis, ad cœnobium Dionysianum allati sunt (erat autem vigilia S. Dionysij) nouemdecim insignes variorum morborum curationes meritis tanti martyris designatæ sunt, eæque in personis notissimis, nec longè ab eodem cœnobio degentibus. Duobus autem ferè post hæc sęculis, siue sub annum Domini nongentesimum sexagesimum septimum, Othone magno imperante aliud accidit prodigium, quod totidem hìc verbis referam, quot nobis transmisit S. Odilo Presbyter in vita S. Maioli, Abbatis Cluniacensis: *Quum esset*, inquit, *aliquando S. Maiolus in monasterio sanctissimi martyris Dionysii, & pro consuetudine nocturnis horis legeret eiusdem martyris & admirabilis Philosophi librum De hierarchia calesti, graui in eum incidente somno, cereus è manu eius in libri paginam decidit: & ecce rem stupendam: ignis natura sua officium persequens, ellychnium & ceram consumsit, paginam violare non est ausus.* Ita S. Odilo.

De libris S. Dionysij nihil plus in præsentia dicendum videtur. Itaque ad Menæa Græcorum, quæ nostris respondent Martyrologijs, & Sanctorum laudes aliquanto quàm illa fusiùs referunt, transeamus.

CAPVT

CAPVT XXXI.

S. Dionyſij è Græcorum Menæo, vitæ compendium, & laudum manipuli.

QVæ de Menæo huc adducentur, partim ad roborandam eorum quæ adhuc dicta ſunt fidem, partim ad Dionyſij cultum & laudes pertinebunt. Ea ſunt vitæ compendiolum, & ſuccincta velut epinicia. Iſtud primò, deinde hæc proferam. Itaque ad tertiam Octobris, martyrologij more ſic habet:

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, γʹ. τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου.

Eodem menſe, die tertiâ, Sancti Dionyſij Areopagitæ martyris.

Τμηθεὶς τὴν κεφαλὴν Διονύσιε ἔκθεες ἄρας.

Abſciſſum caput auſugiens Dionyſius aufert.

Οὗτος πλούτῳ καὶ δόξῃ καὶ συνέσει καὶ σοφίᾳ τῶν πάντων ὑπερέχων τῶν ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ βουλευτῶν εἷς ἦν· καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου, καὶ βαπτισθεὶς χειροτονεῖται Ἐπίσκοπος. τὰ ἀπόρρητα μυηθεὶς ὑπὸ τοῦ σοφοῦ Ἱεροθέου· καὶ συγγράμματα καταλελοιπὼς παράδοξα καὶ θαυμαστά τε καὶ ὑψηλότατα.

Hic vir opibus & gloriâ & prudentia & ſapientiâ omnibus præſtãs, vnus erat è Senatoribus Areopagi. Qui à magno Paullo in fidei retia pertractus & baptizatus, in Epiſcopum aſſumptus eſt. Idem à ſapiente Hierotheo ſacra & ineffabilia edoctus myſteria, ſcripta planè ſingularia & admiranda & ſublimiſſima tranſmiſit ad poſteros.

Αὐτὸς τοίνυν καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως ἑρμηνεύσας τὸν τύπον, μετὰ ταῦτα καταλαβὼν τὰ ἑσπέρια μέρη ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομιτιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, καὶ ταύτην ἰδίαις χερσὶν ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε, θαῦμα τοῖς ὁρῶσιν ἐνστησάμενος· καὶ οὐ πρότερον ταύτην ἀνῆκε, πρὶν ὅτε γυναικὶ ὀνόματι Κατούλᾳ ὑπαντήσας καὶ κατὰ θείαν συσχεθεὶς πρόνοιαν ταῖς ἐκείνης παλάμαις οἷά τινα θησαυρὸν ἐναπέθετο.

Hic ergo poſt explanatam eccleſiaſticæ diſpoſitionis formam, dehinc imperãte Domitiano ad partes profectus occidentales, multis inibi patratis miraculis, in vrbe Pariſijs capite plectitur: quod ipſum caput, ſuis exceptum manibus, ad duo vſque milliaria raptis in admirationem ſpectatoribus deportauit: neque antè dimiſit, quàm mulieri Catulæ appellatę obuiam factus, & diuinâ prouidentia detentus, velut theſaurum quendam in manibus depoſuit.

Ὡσαύτως Ῥουστικὸς καὶ Ἐλευθέριος καρατομοῦνται οἱ αὐτοῦ φοιτηταί. καὶ σὺν τῷ μαρτυρικῷ σώματι τοῦ ἱεροῦ κήρυκος τὰ τῶν ἁγίων σώματα ῥίπτονται θηρσὶ βο-

Ruſticus porrò & Eleutherius illius diſcipuli ſimiliter ſunt obtrũcati: quorum corpora ſimul cum ſancti pręconis ac martyris corpore feris

re feris

re feris & auibus pabulum abiecta sunt. Verùm quidam fidelium hasce Sanctorum reliquias acceperunt, & in loco abdito propter vrgentem carnificum metum deposuerunt: donec ijs aliò dilapsis beata Catula certam in domum eadē reliquias die tertia Octobris transtulit & condidit.

ρα καὶ ὀρνέοις παρακείμενα. Πιστῶν δέ τινες τὰ τῶν ἁγίων λαμβάνουσι λείψανα, καὶ ἐν τῷ ἀφανεῖ κατατίθενται, διὰ τὸν ἐπικείμενον φόβον τῶν δημίων· κἀκείνων ἀπαλλαγέντων, ἔν τινι τὰ τῶν μαρτύρων λείψανα ἡ μακαρία Κατούλα δομήματι κατατίθησι τρίτην τοῦ Ὀκτοβρίου μηνὸς ἄγοντος.

Erat autem Dionysius, quod ad figuram corporis attinet, statura mediocri, gracilis, albus quidem, sed subpallidus, subsimus, contractis superciliis, oculis profundis, magnis auribus, canus, comatus, barba modicè promissa, sed rarà, pauxillùm ventriosus, digitis manuum oblongis.

Ἦν δὲ κατὰ τὸν σωματικὸν τύπον, τὸ μέγεθος μέσος, ἰσχνὸς, λευκὸς, ὑπωχρὸς, ὑπόσιμος τὴν ῥῖνα, τὰς ὀφρῦς συνεσπασμένος, κοῖλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὦτα μεγάλα ἔχων, πολιὸς, κομήτης, μετρίως βαθυνόμενος τὴν ὑπήνην, ἀραιὸς τὴν ἔκφυσιν τοῦ γενείου, ἠρέμα προγάστωρ, μακροδάκτυλος ταῖς χερσίν.

Dies eius solemnis in sanctissima magna ecclesia celebratur.

Ἡ δὲ σύναξις αὐτοῦ τελεῖται ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ.

Hactenus quæ ad vitam: nunc quæ ad laudes spectant:

Diuinus Paullus sapienter concionatus te, ô Dionysi, gratiæ hamo cepit: te intuitus vas electionis, sacrorum doctorem & arcanorum contemplatorem effecit. Quicum, ô diuiniloque Dionysi, Deum exora, vt te laudibus ex amore celebrantes salui fiant.

Ἀγκίστρῳ τῆς χάριτος σοφῶς ὁ Παῦλος ὁ ἔνθεος δημηγορήσας ἐζώγρησεν ἱεροφάντορα καὶ τῶν ἀπορρήτων θεωρὸν εἰργάσατό σε, σκεῦος ἐκλογῆς θεασάμενος. μεθ' οὗ δυσώπησον θεορρήμον Διονύσιε τοῦ σωθῆναι τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

Mentem tuam, ô sapientissime pater Dionysi, virtutis cultu Angelis parem, cùm fecisses supramundanam hierarchiæ dispositionem, sanctè indagasti, ad cuius exemplar, ordines Angelorum imitatus, ecclesiæ cœtus ordinasti.

Ἀγγέλοις ὁμότιμον τὸν νοῦν, πάτερ Διονύσιε δι' ἀρετῆς ἐργασάμενος, τὴν ὑπερκόσμιον τῆς ἱεραρχίας εὐταξίαν πάνσοφε τὴν τούτων ἱερῶς ἀνιστόρησας, καθ' ἣν ἐρρύθμισας ἐκκλησίας τὰ συστήματα, οὐρανίων τὰς τάξεις μιμούμενος.

Tu Deo, quantum homini datum est, sapientissimè assimilatus, ô beate Dionysi, cælitus inspiratā diuinorum nominum explanationem piè propalasti: nempe illa, quæ intelligentiam superant, præstantiori cum Deo coniunctione edoctus, in mūdi fines propagasti.

Εὐφιλοσοφώτατα θεῷ, μάκαρ Διονύσιε, ὡς δυνατὸν, ὁμοιούμενος, τῶν ὀνομάτων σου μυστικῶς τῶν θείων εὐσεβῶς ἐξήπλωσας τὴν ἔνθεον θεόφρον ἀνάπτυξιν, ἑνώσει κρείττονι μυηθεὶς τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν, καὶ μυήσας τοῦ κόσμου τὰ πέρατα.

Τῆς

Τῆς οὐρανίου γνώσεως ἀθεώρητον βυθόν σε καλέσωμεν λαμπρότατε μάρτυς τοῦ χριστοῦ· ὡς καὶ ὁπλίτην καὶ στερρὸν ὑπέρμαχον τῆς ἐκκλησίας ἀνυμνοῦμέν σε σοφέ.

Te te, ô clarissime Christi martyr, cælestis scientiæ profundum incōtemplabile appellemus: quēadmodum & grauis armaturæ militem, & firmum Ecclesiæ propugnatorē te ô sapiens collaudamus.

Πυρὶ γὰρ ἐλλαμφθεὶς τῷ ἁγνοτάτῳ ἠξιώθης ἅμα ταῖς ἄνω στρατολογίαις τὸ φωτεινὸν περιβόλαιον ἐνδύσασθαι χριστόν, καὶ λαμπρυνθεὶς τῇ αἴγλῃ τοῦ πνεύματος τὸν νοῦν Διονύσιε. Διό σου τὴν παγκόσμιον μνήμην πανηγυρίζοντες πιστῶς δοξάζομεν τὸν δοξάσαντά σε κύριον.

Nam igne purissimo vnà cum cęlesti militia collustratus, & mentem Spiritus splendore perfusus, fulgidum indumentum, ô Dionysi, Christum induere meruisti. Hinc ornatissimam celebrantes tui memoriam, Dominum qui te gloria cohonestauit, fideliter glorificamus.

Τῷ Παύλῳ τῷ θείῳ μαθητευθεὶς τῷ τῶν οὐρανίων Διονύσιε θεατῇ οὐράνιος μύστης παραυτίκα καὶ θεηγόρος ἐχρημάτισας.

A diuino Paullo cælestium contemplatore informatus, ô Dionysi, confestim & cælestis Doctor & diuinus Orator euasisti.

Ὁ χάριτι θείᾳ καταυγασθεὶς καταύγαζον μάκαρ τῶν ὑμνούντων σε τὰς ψυχάς, τὰς σὰς συνιέναι θεοπνεύστους διδασκαλίας Διονύσιε.

Diuina illustrate gratiâ, ô beate Dionysi, animas te laudantium collustra, vt tuas à Deo inspiratas doctrinas intelligant.

Νοὸς καθαρότητι καὶ ψυχῆς, τῶν ἐπουρανίων διακόσμων τὰς ἀστραπὰς μαθεῖν ἠξιώθης, καὶ τὰς τούτων χοροστασίας ἰδεῖν Διονύσιε.

Mentis & animæ puritate, cælestium ordinum fulgores cognoscere, & eorum intueri choros, ô Dionysi, meritus es.

Οὐρανίων ἀψίδων ὑπεραρθεὶς ὅσιε τῶν ὑπερκοσμίων τὰς τάξεις καὶ τὰ στρατεύματα καὶ τὰς λαμπρότητας ὑψηγορίαις τῶν λόγων καὶ πανσόφοις φράσεσι πᾶσιν ἐτράνωσας.

O Sancte supra cælestes eleuate fornices, tu cęlitum ordines & exercitus & splendores sublimitate sermonū & interpretatione sapiētissima cunctis manifestasti.

Ὑψηλῆς θεωρίας ἐμφορηθεὶς ἔνδοξε τὴν τῶν ὀνομάτων τῶν θείων ἀνάπτυξιν ἐθεολόγησας τριαδικὸς θεόλογος γεγονὼς τῇ χάριτι θεομακάριστε.

Sublimi contemplatione sublatus ô gloriose & multo beatissime (Dionysi) Diuinorum Nominum explicationem diuinè elocutus es, factus Dei gratia Trinitatis Theologus.

Νεκρωθεὶς τοῖς παροῦσι τῷ πρὸς θεὸν ἐρωτικῷ φιλοσοφίᾳ συντόνως ἐγγυμνασάμενος, τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν ζωοποιῶν χαρισμάτων θεοφόρον ὄργανον πάτερ γεγένησαι.

Terrenis per Dei amorem emortuus, atque in philosophia enixè exercitatus, viuificarum gratiarum mentem excedentium Deiferum organum, ô pater, effectus es.

Ὡς τοῦ σκεύους ὑπάρχων τῆς ἐκλογῆς

Tanquam diuinum simulacrū

vasis

vasis electionis, diuina mysteria spiritu quàm verissimè docuisti, & diuinæ illustrationis gratia perfusus Angelorum ordines clarè manifestasti. Vnde & relictis mundo, quæ mente percipiantur, diuinis tuis documentis, ô sacrorum magister Dionysi, vniuersos illuminasti. Age, Christo Deo supplica, vt sanctam tui memoriam ex affectu celebrãtibus delictorum suorum veniam largiatur.

Decentem Ecclesiarum ordinem concinnasti. In ijs enim, ô Pater, formas similes incorporearum Virtutum sacræ formationi corporaliter depinxisti: per quas instruitur & illustratur tota fidelium pia congregatio.

Theologiæ tuæ fluenta, ô Deo correpte Dionysi, prata mentium semper virentia, & in rectitudine doctrinarum sita vbertim irrigant. Naturæ enim vnitatem in personarum trinitate, venerandam monarchiam prædicasti.

Verborum tuorum vox, quasi sonus quidam cælestis vehemens, impias mentes sermone gratiæ attonuit, & clarissimis diuinorum documentorum fulgoribus corda fidelium collustrauit.

Sapientiæ fontem sapientissimè adamasti, ô pater; atque eiusdem philtro & amore circumlatus multiplex factus es, & fluentorum diuinorũ flumina perenniter profundis, ô vir Deo afflate.

Vita tua mirabilis, sermo mirabilior, lingua tua pellucida, os ignem spirans, ô beate Dionysi: sed mens tua, ô pater, Deo sanè quàm simillima.

Portis cælestibus in spiritu pe-

ἀπεικόνισμα θεῖον, ὡς ἀληθῶς τὰ θεῖα μυστήρια ἐδίδαξας τῷ πνεύματι, καὶ φωτισθεὶς τῇ χάριτι τῆς θείας ἐλλάμψεως τὰ τῶν Ἀγγέλων τάξεις τρανῶς διεσάφησας. Ὅθεν καὶ τῷ κόσμῳ νοητῶς καταλείψας τὰ θεῖά σου δόγματα, κατεφώτισας ἅπαντας ἱερόμυστα Διονύσιε. Πρέσβευε Χριστῷ τῷ θεῷ τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

Ἐκκλησιῶν τὴν εὐκοσμίαν ἐρύθμισας. Ἐν αὐταῖς γὰρ πάτερ ἐζωγράφησας μορφωτικῶς τύπους ἐμφερεῖς ἱεροπλασίας τῶν ἀμορφώτων Δυνάμεων· δι' ὧν μυσταγωγεῖται καὶ φωτίζεται πᾶσα τῶν πιστῶν ἡ θεόφρων ὁμήγυρις.

Ῥεῖθρα τῆς σῆς θεολογίας, θεόληπτε, τοὺς λειμῶνας ἄγαν καταρδεύουσι τοὺς λογικοὺς καὶ ἀειθαλεῖς καὶ πεφυτευμένους ἐπὶ δογμάτων ὀρθότητι. Μονάδα γὰρ οὐσίας ἐν τριάδι προσώπων τὴν σεπτὴν μοναρχίαν ἐκήρυξας.

Ῥημάτων σου ὁ φθόγγος, ὥσπερ τις οὐράνιος ἦχος φερόμενος, τὰς ἀθέους φρένας κατεβρόντησε λόγῳ τῆς χάριτος, καὶ δογμάτων θείων μαρμαρυγαῖς ταῖς φανωτάταις τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἐλάμπρυνεν.

Τὴν πηγὴν τῆς σοφίας εὐφιλοσόφως πάτερ ἠγάπησας, καὶ τῷ ταύτης φίλτρῳ καὶ ἀγάπῃ συμπεριφερόμενος πολλοστὸς ἐγένου, καὶ ποταμοὺς θείων ναμάτων ἀενάως πηγάζεις θεόπνευστε.

Ὁ βίος σου θαυμαστὸς, ὁ λόγος θαυμασιώτερος, ἡ γλῶσσά σου φωταυγὴς, τὸ στόμα πυρίπνοον μάκαρ Διονύσιε· ὁ δὲ νοῦς σου πάτερ ἀκριβῶς θεοειδέστατος.

Τὰς οὐρανίους διαβὰς πύλας ἐν πνεύματι,

ματι, καὶ μαθητευθεὶς τῷ ὑπὲρ τρεῖς τοὺς οὐρανοὺς φθάσαντι Ἀποστόλῳ Διονύσιε, τῶν ἀρρήτων ἐπλουτίσθης πᾶσαν γνῶσιν· καὶ κατηύγασας τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνωσίας καθεύδοντας. Διὸ κράζομεν· χαίροις πάτερ παγκόσμιε.

Ἄγγελος ἐπ' ἀνθρώπων ἀρεταῖς χρηματίσας ὁ μέγας Διονύσιος, πᾶσαν ὡς ὑπόπτερος ἐμυήθη τὴν νῦν τὴν οὐράνιον γνῶσιν. Διὸ ᾄσμασιν ὡς Ἄγγελον τιμήσωμεν βοῶντες πρὸς αὐτὸν τοιαῦτα· Χαῖρε ὁ γνοὺς τὸν Χριστὸν διὰ Παύλου. Χαῖρε πολλοὺς πρὸς Χριστὸν ἐπιστρέψας. Χαῖρε πολυθέου σκηνῆς ὀλετήριον. Χαῖρε θεογνώστου βουλῆς σκοπευτήριον. Χαῖρε βίβλος θεοχάρακτος, μυστηρίων θησαυρέ. Χαῖρε πίναξ θεομόρφωτε καὶ διόπτρα οὐρανοῦ. Χαῖρε ὅτι τὸ πάθος τοῦ κυρίου κατεῖδες. Χαῖρε, ὅτι προθύμως δι' αὐτὸν σφαγιάζῃ. Χαῖρε πηγὴ βλυζάνουσα ἄφεσιν. Χαῖρε ῥανὶς κοιλαίνουσα ἄνοιαν. Χαῖρε φραγμὸς ἀσεβῶν παροδίας. Χαῖρε φωστὴρ τοὺς πιστοὺς καταυγάζων. Χαῖρε πάτερ παγκόσμιε.

Ὡς ὄμβρος οὐράνιος ἐν γῇ διψώσῃ, τὰ σὰ διδάγματα τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἀεὶ ποθούσας καταπιαίνουσι, καὶ ἀκορέστως βοᾶν ἐκδιδάσκουσιν· Εὐλογητὸς ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Δοχεῖον πνεύματος τοῦ παναγίου ὤφθης εὐάρμοστον, καὶ τὰς τούτου ἐμπνεύσεις καὶ φανερώσεις προφητικώτατα προαγορεύων σοφὲ Διονύσιε, Εὐλογητὸς, ἐκβοῶν, ὁ τῶν πατέρων θεός.

Γνωριμωτέρα γέγονε διά σου Διονύσιε ἡ τῶν Ἀθηναίων εὐκλεὴς μητρόπολις Χριστῷ προσενέγκασά σε ἀπαρχὴν πανίερον, τῷ παμβασιλεῖ διηνεκῶς με-

netratis, & à Paullo supra tres cælos prouecto edoctus, omni ineffabilium cognitione, ô Dionysi, ditatus es: qui & in tenebris ignorantiæ indormientes luce perfudisti. Vnde clamamus: Salue pater multò ornatissime.

Magnus Dionysius ob virtutes Angelus inter homines appellatus, omnem cælestem cognitionẽ velut aliger assecutus est. Quare tanquam Angelum cantibus honoremus & ad eum clamemus. Salue ô Christi per Paullum agnitor. Salue multorum ad Christum conuersor. Salue scenæ multos exhibentis Deos destructor. Salue cõsilij Deo cogniti speculator: Salue à Deo exarate liber, mysteriorum thesaure. Salue Deo informata tabula, & cęli dioptra. Salue Passionis Domini conspector. Salue pro illo alacriter mortem passe. Salue fons remissionem peccatorum profundens. Salue gutta amentiam excauans. Salue agger impiorum accessui opposite. Salue fax fideles illuminans. Salue pater multò ornatissime.

Vt cælestis imber in terrâ sitienti, mentes fidelium semper auidas irrigant doctrinæ tuæ, & insatiabiliter exclamare docent: Benedictus Deus Patrum nostrorum.

Sanctissimi Spiritus receptaculum peraccommodum extitisti, ô sapiens Dionysi: cuius & inspirationes ac manifestationes more maximè prophetico prelocutus es, exclamãs: Benedictus Deus Patrũ.

Notior per te facta est, ô Dionysi, Atheniensium inclita metropolis: quæ te, sanctissimas primitias, Christo obtulit, omnium Regi cõtinen-

tinenter modulans: Benedicite pueri.

λωδοῦσα· Οἱ παῖδες εὐλογεῖτε.

Sanctorum Apostolorum meritus esse conspector & collaborator, etiam gloriæ consors factus es, & cùm illis simul ad conspectum corporis illius, quod re verâ vitæ principium fuit, festinasti, vnicæ inquam & augustissimæ Deiparæ, quam meritò magnā prædicamus.

Ἁγίων Ἀποστόλων ἀξιωθεὶς θεατὴς χρηματίσαι καὶ σύμπονος, συγκοινωνὸς γέγονας τῆς δόξης, καὶ σὺν αὐτοῖς ἐπὶ τὴν θέαν ἔσπευσας σώματος τοῦ ὄντως ζωαρχικοῦ, τῆς μόνης θεοτόκου καὶ σεβασμιωτάτης, ἣν ἐπαξίως μεγαλύνομεν.

A Paullo celebri coryphæo edoctus, ô beatissime Dionysi, ab eodem recōditorum notitiam accepisti. Vnde & te Atheniensi ecclesiæ imposuit luminare, creans te piæ vrbis Pontificem: quam tu ô sapientissime Dei præco tuis precibus in recta fide custodias.

Τῷ Παύλῳ Διονύσιε τῷ κλεινῷ κορυφαίῳ μαθητευθεὶς πανόλβιε, ὑπ' αὐτοῦ ἐμυήθης τῶν ἀποκρύφων τὴν γνῶσιν. Ὅθεν σε καὶ λαμπτῆρα τῇ ἐκκλησίᾳ τίθησιν Ἀθηνῶν προχειρίσας τῆς εὐσεβοῦς ἱεράρχην πόλεως· ἣν φυλάττοις ὀρθοδοξοῦσαν πάνσοφε ταῖς εὐχαῖς θεοκῆρυξ.

Venerandæ tuæ obdormitioni, ô virgo sanctissima, aderat Dionysius vnà cum Hierotheo & diuino Timotheo, quorum vnusquisque simul cum Apostolis hymnū gloriæ tuæ conuenientem decantabat. Quibuscum etiam nunc omnis te mortalium lingua, Dei genitricem & mundi patronam concelebrat.

Ἐν τῇ σεπτῇ κοιμήσει σου παναγία παρθένε παρῆν ὁ Διονύσιος σὺν τῷ Ἱεροθέῳ καὶ Τιμοθέῳ τῷ θείῳ, ἅμα τοῖς Ἀποστόλοις ὕμνον ἐξάδων ἕκαστος πρόσφορον τῇ σῇ δόξῃ· μεθ' ὧν καὶ νῦν πᾶσα γλῶσσα βρότειος ἀνυμνεῖ σε τὴν τοῦ θεοῦ λοχεύτριαν καὶ τοῦ κόσμου προστάτιν.

Hactenus è Menæo, quæ ad rem præsentem faciunt, præcipua. Nam residua, quæ hisce sunt quàm simillima, & nihil noui afferunt, vitandæ tam prolixitatis, quàm fastidij gratia, prætermitto.

Accedam nunc ad Documenta è S. Dionysij libris desumpta: in quibus Documentis tota eius doctrina (quę alioqui apud latinos interpretes perobscura est) breuiter ac dilucidè, Deo adspirante exponetur. Qui meus labor in Theologorum gratiam præcipuè impensus, non poterit, vt opinor, ipsis esse ingratus. Ego enim multa græci textus lectione ac relectione germanum Dionysij sensum rimatus, & claris, quoad potui, purisque verbis interpretatus, velut dura ossa confregi, vt latentem sub ijs profundissimæ Theologiæ medullam illis exhiberem. Quum autem in his Documentis duplici vtar charactere, quæcumque Romano impressa sunt, ea sunt ipsissima S. Dionysij Areopagitæ doctrina: quæ verò ad singulorū capitum calcem aut alibi Italico charactere subiecta sunt, ea nostræ sunt annotatiunculę ad nonnullas difficultates enodandas viam præeuntes.

DOCV-

DOCVMENTA E SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ LIBRIS, SIVE SCRIPTORVM EIVS MEDVLLA.

Qvum decreuerim in hisce Scriptorum ecclesiasticorum vitis, post declaratam & prodigijs confirmatam eorum sanctitatem, etiã fidem atque doctrinam, tanquam regiam ad cælum viam, certis vestigijs ostendere: eo diligentiùs id præstari par est in Dionysio, quo & ipse Apostolis familiarior, & eius scripta sunt antiquiora. In quibus quidem, quòd vtriusque tam triumphantis quàm militantis Ecclesiæ monarchiam, & monarchiæ ordines, & ordinum distinctiones, cum officijs & munijs & ministerijs exactè, si quis alius, exequatur; idcirco mihi in mente est deductâ ex ijsdem libris sapidissimâ documentorum eius medullâ, tãquam cibo omnium optimo & saluberrimo, pias veríque studiosas mentes compascere.

A cælesti ergo hierarchia ducam initium, id est, (vt hoc obiter dicam) à sacro cæli principatu: in quo Princeps & Rex est Deus: primi proceres, sunt Seraphim: proximi, Cherubim: tertij, Throni. Deinde alij atque alij, per suas hierarchias atque ordines, vsque ad vocatos proprio nomine Angelos, siue infimam cæli plebem.

Libro igitur de cælesti hierarchiâ hæc continentur.

CAPVT I.

Quæ sit diuinæ illustrationis necessitas & efficacia.

DOCTRINA S. DIONYSII.

AD cognoscendam cælestem hierarchiã opus est diuinâ illustratione: ad quam impetrandam inuocandus est IESVS lumen Patris æterni.

DIVINÆ ILLVSTRATIONIS EFFICACIA. Ista diuina illustratio, tametsi è sua bonitate ad res omnes se protendat, tamen in sese vna & simplex manet, atque illos, qui ad eam pro modulo suo aspirant, tam sibi ipsis, quàm ipsos inter sese copulat, atque in vnum iungit.

Parit eadem illustratio intelligentiam Sacrarum Scripturarum, quæ res diuinas & spirituales sub quibusdam corporearum rerum tegumentis contemplandas exhibent. Quum enim corporei simus, non valemus in hac nostra mortalitate ad perspiciendas naturas plenè spirituales, sine corporum aliquorum seu signorum materialium adiumento subleuari. Quare per pulchritudinem aliquam oculis corporeis peruiam, ad beatarum mentium longè eminentiorem venustatem, quæ sola mente capi potest, cogitandam atque æstimandam erigimur.

Est enim corporea pulchritudo, inuisibilis pulchritudinis quædam effigies: vti & terreni odoris suauitas, spiritualis dulcedinis imago: & lux corporea, lucis incorporeæ simulacrum: & Dei cognitio per sacras scripturas acquisita, quædam plenæ ac perfectæ in cælo cõtemplationis vmbra: & gradus ordinésque ecclesiastici, quibus fideles inter se & cum Deo copulantur, cælestis reip. in qua beatæ mentes inter se & ad supremam maiestatem ordinantur, quoddam instar: & ipsa postremò diuinissimæ Eucharistiæ perceptio, participationis Iesu imago. Atque ita de ceteris, quæ cælestibus quidem naturis modo sublimiori, nobis verò symbolicè seu signis quibusdam tradita sunt.

Hæc primi capitis summa: cuius illa extrema verba: diuinissimæ Eucharistiæ perceptio, participationis Iesu imago; *tam auidè ab hæreticis arripiuntur, quàm non intelliguntur: cùm hic sit verborum sensus: perceptio specierum panis & vini, quæ cernuntur & gustantur, est imago seu signũ participationis Iesu, qui sub illis speciebus est, & spiritualiter à nobis cernitur & gustatur.*

Vide eundem locum fusiùs contra hæreticos pertractatum ab Hugone à S. Victore lib. 2. In cælestem hierarchiam, *sub finem.*

CAPVT II.

Diuina & cælestia signis dissimilibus aptè explicari.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Imagines rerum diuinarum. Aliæ similes, aliæ dissimiles.

IMagines & formæ, quibus res diuinæ ac cælestes in Scripturis exprimuntur, sunt in duplici genere: Aliæ similes, aliæ dissimiles.

Similes vocantur, quę eximiæ sunt & præstabiles, multósque habent similitudinis cum rebus, quas exprimunt, modos.

Similium exempla.

Vt cùm Deus appellatur Verbum, Mens, Essentia, Lux, Vita, Sol iustitię, Stella matutina in mentem sanctè exoriens, Lumen spiritualiter & sine velamine illuminans. Item Ignis innocuè collustrans, Aqua plenitudinis vitalis suppeditatrix, atque in ventrem penetrans, & fluuios continenter defluentes scaturiendo emittens.

Dissimiles quæ sint.

Dissimiles nominantur, quę per negationes fiunt, aut quæ humiles sunt & obscuræ, nec multas habent cum rebus quas repræsentant, similitudinis notas. Prioris generis sunt, cùm Deus dicitur inuisibilis, infinitus, incomprehensus.

Secundi, cùm vocatur Vnguentum odoriferum, Lapis angularis. Item Leo, Panthera, Pardus, Vrsa, &c, quod est vilissimum, Vermis, aliáque huiusmodi.

Porrò magis propriè & aptè exprimuntur res diuinæ formis dissimilibus, quàm consimilibus: idq; tribus potissimè de caussis.

1. Caussa est: quod cùm significantur rebus admodum dissimilibus, homines absint longiùs ab errandi periculo, quàm si valdè similibus. Nam si Angeli, verbi gratiâ, exprimantur per homines auri lucisúe instar conspicuos, fulgidos, decoros, splendidè amictos, igneum quippiam absque nocumento fulgurantes, facilè reperiantur, qui errent, & arbitrentur Angelos esse re verâ tales homines. At si formis vilioribus atque ignobilioribus depingantur, facilè existimabunt etiam rudiores, non hoc esse Angelos, per quod repræsentantur; sed aliquid in eo latens, quod aliquam habeat cũ Angelis similitudinem, sibi esse perscrutandum.

Verius et melius exprimuntur diuina per negationes quam per affirmationes.

2. Cùm satis constet ea quæ diuina sunt, veriùs per negationes significari, quàm per affirmationes, & ipsæ negationes sint è genere dissimilium; manifestò liquet Deum & diuina meliùs & magis propriè dissimilibus exprimi quàm similibus. Vt cùm Deus dicitur inuisibilis, immensus, incomprehensibilis.

Quare cùm sacræ litteræ naturas cælestes dissimilibus figuris exprimunt, non censendæ sunt eas ignominia, sed honore potiùs afficere: siquidem hoc pacto illas rebus omnibus corporeis, suprà quàm hominis animus capere possit, docent excellere.

3. Per imagines seu formas dissimiles magis occultantur diuina indignis & inidoneis. Nec enim fas est mittere margaritas ante porcos. *Matt. 7.*

Hactenus 2. capitis summa.

Collegit etiam istas Dionysij rationes, S. Thomas. 1. p. q. 1. art. 9. ad 3. Sed omnium elegantissimè pertractauit Hugo à S. Victore libro 3. In cælestem hierarchiam, initio & deinceps.

CAPVT III.

Quid sit Hierarchia, & quænam ex ea vtilitas?

DOCTRINA S. DIONYSII.

Hierarchiæ descriptio.

HIerarchia est sacer ordo creaturarum intelligendi & agendi facultate præditarum, ad Dei similitudinem & imitationem, quoad eius fieri potest, pro modo illustrationum ipsis diuinitus infusarum, assurgens.

Finis autem Hierarchiæ est Dei imitatio, & quàm intima cum eodem coniunctio & cooperatio.

Quare debent, qui de hierarchia sunt, & præsertim primores, Deum pro virili sua imitari, ad maximam cum eo coniunctionem aspirare, eum omnis sacræ scientiæ & actionis ducem sequi, eius diuinissimum decorem fixè & indeclinabiliter intueri, & quantum possibile est exprimere: neque hoc solùm, sed alijs quoque prodesse, & eos efficere diuina simulacra & specula pellucida & immaculata & diuinorum radiorum susceptiua: sic vt etiam ipsi indita sibi luce sanctè repleti, eam rursus absque inuidia ad alios inferiores transfundant, iuxta præscriptum scilicet diuinarum legum. Neque enim fas est, nec ijs qui initiant, nec ijs qui initiantur, aliquid omnino efficere, præter id quod suus vnicuique ordo & sacrę perfectionis gradus permittit.

Triplices sunt hierarchiæ gradus.

Sunt autem in hierarchia diuersi gradus.
Alij enim purgant: alij purgantur.
Alij illuminant: alij illuminantur.
Alij perficiunt: alij perficiuntur.

Ij purgare dicuntur, qui puritatem, quâ copiosè pollent, cum alijs minùs puris communicant.

Purgari autem; qui eandem participant puritatem, ac puriores fiunt.

Illi illuminare, qui lumen, quo largissimè sunt perfusi, in eos qui digni sunt, deriuant.

Illuminari verò; qui lumen istud recipiunt, & eo magis ac magis complectuntur.

Isti perficere, qui quod in inferioribus est minùs perfectum & absolutum, scientiæ suæ communicatione perficiunt atque absoluũt.

Perfici autem, qui istius scientię atque perfectionis, quæ in ipsis desiderabatur, compotes fiunt.

Omnis porrò purgationis & illuminationis & perfectionis primus auctor & antiquissimum

mum principium, & qui horum nullo indiget, immo qui est ipsamet puritas, & lumen, & perfectio, est Deus.

Hactenus capitis tertij summa & medulla.

Nota verò discrimen inter purgationem & illuminationem & perfectionem manifestè ostendi posse in hierarchia ecclesiasticâ, præsertim dum infidelis quispiam adulta iam ætate accedit ad fidem.

Purgatur enim, dum à falsis opinionibus, quas à puero de dijs & eorum cultu imbiberat, liberatur.

Illustratur autem, dum Christianam doctrinam edocetur, vt de Deo vno & trino, de Iesu Saluatore, de alijs fidei mysterijs instruitur, & salutis lauacro abluitur. Est enim baptismus sacramentum illuminationis.

Perficitur denique, dum ad Christianarum virtutum apicem deducitur, & sacræ scientiæ atque actionis culmen adipiscitur.

Horum discrimen in Angelis, vide infrà cap. 6. de Ecclesiastica hierarchia in fine, vbi explicatur quomodo dicantur purgari Angeli, cùm sint ab omni peccatorum labe immunes.

CAPVT IV.

Quid Angelorum nomen significet.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Deus, vt bonitas & omnium caussa, naturas omnes ad sui communionem vocauit, & quibusdam dedit, vt essent; alijs, vt viuerent; hominibus, vt intelligerent; sed nullis plus quàm Angelis contulit: quippe quibus illa omnia & alia præterea dona addidit.

Appellantur autem Angeli, hoc est, Nuncij, quod Deo proximi, eiusque maximè participes, ea quę ab illo accipiunt, nobis annuncient.

Sic lex diuina per Angelos nobis data est.

CALESTIA TRADVNTVR HOMINIBVS PER ANGELOS. Sic Patriarchæ ad Dei cognitionem per Angelos deducti sunt.

Sic Prophetæ visiones suas & prædictiones ab ijsdem didicerunt.

Sic Incarnationis mysterium per Angelos patefactum est.

Sic Zachariæ, sic Mariæ Virgini, sic Iosepho, sic Pastoribus, sic Iesu ipsi Angelus apparuit, & illos quidem noua & incognita docuit, hunc autem confortauit.

Nec est quod dicat aliquis Deum per sese ipsum, & non per Angelos, neque per aliud medium, quibusdam Sanctorum esse visum, cùm è sacris Scripturis scire debeat, id quod Dei occultum est, neminem vidisse, & visurum neminem; sed illas apparitiones Dei, quæ Sanctis obtigerunt, nihil fuisse aliud, quàm enunciationes quasdam per visa sancta, & ijs qui videbant accommodata, Deo consentaneas. Talia autem visa seu sacras visiones, propterea quòd in eorum qui videbant mentes quendam diuini luminis radium infunderent, & nonnulla diuinorum cognitione sanctè imbuerent, sacræ litteræ apparitiones Dei meritò appellarunt. Illas porrò diuinas visiones, inclyti patres nostri per Angelos acceperunt. MOYSES NON VIDIT IN TERRIS DEVM, SED ANGELVM A QVO ET LEGEM ACCEPIT.

Nam & ipsam legem, quę à Deo ipso Moysi tradita in Scripturis prędicatur, Angelorum operâ ad nos peruenisse sapienter docet Theologia: quasi nimirum diuinæ legis ordine hoc sanciente, vt secundi per primos ad Deum adducantur.

Neque tantùm id locum habet inter diuersæ hierarchiæ Angelos, sed in quaque etiã hierarchia sic à Deo statutum est, vt sint primi, medij, & infimi ordines: & priores quidem inferiorum doctores sint & quasi manuductores ad diuinum congressum & illustrationem & communionem.

Hæc omnia Dionysius in illo capite.

Quod autem hic dicit Deum in terra nemini per se visum, sed per Angelos, aliúdue quippiam, idq; è sacris liquere litteris, est sanè verissimum ex Ioannis 1. versu 18. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Bene porrò idem Dionysius in epist. 1. ad Caium, Si quis est, inquit, qui viso Deo, intellexit quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quæ ipsius sunt & cognoscuntur. id est, sed aliquid ab eo creatum vidit, quod cognosci potest. Intellige de visione & cognitione viatorum.

CAPVT V.

Cur omnes cælestes substantiæ vocentur Angeli.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Tametsi omnes naturæ cælestes vocentur Angeli, tamen in ordinum distinctione, ij propriè vocantur Angeli, qui infimi sunt ordinis. Ratio autem cur Angeli nomen ad omnes Spiritus communiter extendatur, est, quod omnes diuinarum illustrationum sint nuncij. Nam quidquid est virtutis & perfectionis in inferioribus Angelis, hoc totum in superioribus repetitur, non è contrario. Hinc postremum Angelorum ordinem nemo vocauerit Principatus, aut Thronos, aut Seraphim, cùm summarum illarum virtutum non sit particeps. Sed quemadmodum ille sanctos nostros Pontifices ad notos sibi diuinitatis splendores erigit, & suam cum ipsis scientiam communicat: ita nobiliores ac superiores Spiritus cum inferioribus Angelis faciunt: nempe illis nunciant, quę ab altioribus, aut ab ipso Deo didicerunt. Vnde meritò Nuncij seu Angeli appellantur. NOMINIS ANGELI DVPLEX ACCEPTIO.

Nisi quis fortè dicat omnes Angelicas appellationes omnibus naturis cælestibus esse com-

communes, prout nimirum vniuersæ Dei similitudinem atque illustrationem, vel minorem, vel maiorem recipiunt.

Hæc est tota eius capitis doctrina. In cuius postrema parte insinuatur aliquo modo Angelos seu infimi ordinis Spiritus posse vocari nominibus superiorum Ordinum, verbi gratia, Archangelos, Principatus &c. adeoque Seraphim, quatenus scilicet aliquid participant & vsurpant perfectionis ipsorum: quemadmodum ille Angelus, qui labia Isaiæ igneo carbone purgauit, vocatus est Seraphim, de qua vide infrà cap. 13. & Hugonem a Sancto Victore in hoc cap. 5.

CAPVT VI.

De ordinibus Angelorum.

DOCTRINA S. DIONYSII.

DIVISIO HIERARCHIÆ ANGELORVM.

NOuem sunt cælestium Spirituum ordines, totidem congruis nominibus appellati: quos diuinus noster institutor [*Paullus*] in tres terniones discreuit.

Primus est eorum, qui semper Deum circumstant, & continenter illi ac præ alijs nullo intermedio adhærent & coniunguntur.

Hi sunt { Seraphim, Cherubim, Throni. } Quos 1. hierarchiam S. Paullus appellauit.

Secundus est eorum, qui his sunt proximi.

Ij sũt { Dominationes, Virtutes, Potestates. } Quos 2. hierarchiã idem nominauit.

Tertius est eorum, qui postremi sunt in cælesti principatu.

Isti sũt { Principatus, Archangeli, Angeli. } Quos 3. hierarchiam vocitauit.

Hæc Dionysius cap. 6.

Tali ordine sunt in cælo, & secundum hunc ordinem describuntur ab eodem Dionysio, cap. sequenti. Et rursus lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 1. Quem ordinem etiam sequitur S. Ioannes Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa, cap. 8. ipsum citans & laudans Areopagitam. Sequitur & Hugo à S Victore & Albertus magnus & S. Thomas 1. p. q. 108. a. 5. & 6. & omnes Scholastici: nẽpe vt primi & summi in 1. hierarchia sint Seraphim: secundi Cherubim: tertij Throni. Deinde in 2. hierarchia, primo loco sint Dominationes, 2. Virtutes. 3. Potestates. Ac postremo in 3. Hierarchia, primi sint Principatus, secundi Archangeli, tertij Angeli.

Alioqui notandum in hoc cap. 6. Dionysij, errorem, vt credibile est, primi typographi, aut anteà alicuius descriptoris incurrisse in descriptione 2. hierarchiæ quæ nunc sic habet:

Δευτέραν δὲ εἶναί φησι τὴν ὑπὸ τῶν ἐξουσιῶν καὶ κυριοτήτων καὶ δυνάμεων συμπληρουμένην. *Secundam verò esse dicit, quæ à Potestatibus & Dominationibus & Virtutibus expletur.*

Oportet autem sic corrigere: ὑπὸ τῶν ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων καὶ κυριοτήτων. *id est, à Potestatibus & Virtutibus & Dominationibus. Incipit enim S. Dionysius hoc capite singulas hierarchias ab imo sursum ascendendo. Sed quia sequentibus capitibus, in adferendis singulorum ordinum descriptionibus contrarium ordinem seruat, nempe vt à dignioribus incipiat: propterea & hic illum seruaui confusionis vitandæ gratia.*

Quod autem Virtutes sint ante Potestates patet ex capite 8. & 9. infrà. In 2. & 3. hierarchia ponunt alium ordinem S. Gregorius magnus & S. Bernardus: de quo vide Dionysium Rikelium hic articulo 24.

CAPVT VII.

De Seraphim, Cherubim & Thronis, siue 1. hierarchia.

DOCTRINA S. DIONYSII.

ANgelorum proprietates ipsis eorum nominibus significantur.

Seraphim enim, vt norunt qui Hebraicè callent, idem significant, quod incensores, aut calefacientes.

Cherubim autem, cognitionis copiam, aut sapientiæ profusionem denotant.

De significatione porrò nominis Thronorum, quod non sit vox hebraica, sed græca ac proinde satis nota, nihil dicit S. Dionysius, nisi in explicatione proprietatum inferiùs. Sciunt enim omnes thronum significare solium eleuatum.

SERAPHINORVM DESCRIPTIO.

Itaque nomen Seraphim significat ipsorum circa diuina perpetuum ac perennem motum, calorémque & acumen, & eximium continuæ atque indeclinabilis motionis feruorem, vim quoque efficacem inferiora sursum ducendi ac sibi assimilandi, velut ea feruefaciendo atque ad similem calorem exsuscitando: necnon eadem purificandi, velut incendendo atque exurendo, facultatem. Denique inopertam & inextinctam, & eodem modo semper se habentem, luminosam atque illuminatiuam proprietatem, quæ omnem tenebrosæ caliginis caussam procul abigat atque exterminet.

CHERVBINORVM DESCRIPTIO.

Cherubinorum autem appellatio, eorum vim cognoscendi ac intuendi Deum significat, necnõ idoneam facultatem ad supremę illustrationis receptionem atque contemplationem plenam diuinæ pulchritudinis atque lucis

lucis sapientiam tribuentis, ab ipso Deo prima operatrice virtute acceptæ, è cuius plenitudine non mediocrem ad inferiores Spiritus copiam transmittunt.

THRONORVM DESCRIPTIO. Altissimorum verò atque eleuatorum Thronorum nomen, excellentiam denotat ab omni prorsus subiectionis vilitate semotam, atque ad superiora modo quodam supramundano tendentem, quæque ab omni postremitate separata, absque vlla declinatione in alto habitet, ac circa eum, qui verè altissimus est, totis viribus inconcussè stabiliterque constituta sit, ac diuinum accessum in omni impatibilitate ac spirituali puritate excipiat, tanquam Deifera atque ad omnia quæ Deo placuerint, suscipienda, officiosè exporrecta.

Huius primæ hierarchiæ proprium est suam puritatem, scientiam, bonitatem proximè à Deo suscipere & à nullo alio: deinde eam cum inferiore hierarchia communicare.

Sic inferiores Angelorum ordines petunt à superioribus: Quis est iste Rex gloriæ: & superiores respondent: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. *Psal. 23.*

Itaque hæc hierarchia mysterium sanctissimæ Trinitatis proximè à Deo ipso didicit, & prima cecinit, Sanctus, Sanctus, Sanctus: idemque inferiores hierarchias docuit.

Hactenus capitis VII. summa.

Annotatio.

Nota non deesse argumenta, vnde probari possit Thronos in cælo omnium esse supremos, etiam præ Cherubinis & Seraphinis. Quod S. Maximus tam ex hoc capite, quàm ex præcedentibus probare nititur. Et sanè Thronorum descriptio superiùs posita haud parum fauere illi videtur.

1. Quia velut præferens eos Seraphinis & Cherubinis, Altissimorum verò, inquit, *& eleuatorum Thronorum &c. Quòd si altissimi, certè primi & supremi.*

2. Quia ibidem Thronorum excellentia dicitur ab omni prorsus subiectionis vilitate semota: quasi nulli prorsus, nisi Deo subijciantur: quare non ipsi post Cherubinos & Seraphinos, sed ante vtrosque.

3. Quid propius sedenti in throno, quàm thronus ipse? ita Deo in Thronis sedenti, quam ipsi Throni? Itaque Throni Deo proximi. Itaque primi.

4. Quum docuerit Dionysius cap. V. inferiorum ordinum appellationes conuenire etiam superioribus ordinibus, non è contrario: docet idem cap. VII. appellationes Seraphim, id est calefacientes, & Cherubim, id est, pleni sapientiâ, etiam Thronis conuenire. Quod non faceret, nisi Thronos indicaret Seraphinis & Cherubinis esse superiores.

Hæc sunt præcipua, vt mihi quidem videtur, pro asserendo Thronorum summo principatu argumenta.

Sed contra hæc facit maior auctoritas tam Græcorum, quàm Latinorum.

RATIONES QVIBVS PROBATVR SE- *1. Quia ipse Dionysius, cap. VI. huius libri de cælesti hierarchia, vbi singulos ordines singularum hierarchiarum recenset, ab infimis ordiendo, ita procedit in 1. hierarchia: Throni, Cherubim, Seraphim: in 2. sic: Potestates, Virtutes, Dominationes: in 3. Angeli, Archangeli, Principatus. Quare sicut Principatus sunt primi & supremi in 3. hierarchia: ita Seraphim in 1.* RAPHINOS IN CÆLO SVPREMOS ESSE DEOQVE VICINISSIMOS.

2. Idem Dionysius cap. VII. & VIII. & IX. vbi procedit ordine dignitatis, primos ponit Seraphim in 1. hierarchia: Dominationes in 2. Principatus in 3.

3. Idem Dionysius cap. X. vocat Seraphim θειοτάτους. *1. diuinissimos, &* πρώτους. *1. primos. Et rursus cap. XI. præponit eos Thronis. Item cap. XIII. cùm dicit: Quapropter prima sanctorum Angelorum distinctio in se magis quam cetera igneam proprietatem continet, [vbi innuuntur Seraphim] fusámque diuinæ sapientiæ communionem &c. [vbi Cherubim] solíjq; proprietatem expansum Dei domicilium declarantem, [vbi Throni insinuantur.] Et eodem cap. sub finem vocat Seraphim, primum ducem secundum Deum.*

4. S. Ignatius Martyr in epist. ad Trallianos, vbi cælestes ordines describit, proximos sanctissimæ Trinitati iungit Seraphim.

5. Meneum Græcorum ad octauam Nouembris, quâ die omnium ordinum Angelorum solemnitatem celebrat, ita habet: Εἰς τὴν σύναξιν τῶν ἐννέα ταγμάτων· Σεραφὶμ, Χερουβὶμ, Θρόνων, Κυριοτήτων, Ἐξουσιῶν, Ἀρχῶν, Δυνάμεων, Ἀρχαγγέλων, Ἀγγέλων id est, *Ad solemnitatem nouem ordinum: Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Potestatum, Principatuum, Virtutum, Archangelorum, Angelorum.*

6. Ac postremò accedit omnium Latinorum Patrum auctoritas primum ac summum locum Seraphinis attribuentium.

Vide Gregorium magnum homilia 34. in euangelia. S. Bernardum serm. 19. super Cantica. S. Thomam 1. p. q. 108. art. 5. & 6. & alios. Iam Seraphim loco supremo positos, & post illos, Cherubim: ac deinde Thronos, nulli, qui sanctarum Scripturarum testimonia nouit, ignotum esse potest, ait Hugo à Sancto Victore, in hunc S. Dionysij librum, cap. 5.

Itaque oppositis rationibus sic responderi potest: RATIONES OPINIONIS ADVERSÆ REFELLVNTVR.

Quod 1. loco adferebatur Thronos vocari altissimos: hoc tantùm facit, vt dicantur esse in altissimâ hierarchiâ, non autem altissimi aut supremi in eâ hierarchia: cùm & idem Dionysius cap. XV. eiusdem libri, vocet Seraphim ὑπερτάτους. *1. supremos.*

Quod 2. dicebatur, de excellentia Thronorum ab omni subiectionis vilitate semota, hoc respectiuè accipiendum: quia scilicet in supremâ sunt hierarchiâ, quæ nulli alteri hierarchiæ subijcitur, sed soli Deo: cùm aliæ hierarchiæ subdantur primæ.

Quod 3. vrgebatur de throni propinquitate, respectu sedentis. Potest etiam aliquid sedenti propius esse, quàm eius thronus, nempe vestes & alia ornamenta. Quare Thronorum appellatio magnam quidem indicat propinquitatem, sed non omnium maximam & absolutissimam.

Quod 4. & vltimo, subijciebatur Thronos dici etiam Cherubim & Seraphim: si S. Dionysius addidisset: Et non contrà, optimum & certissimum fuisset

set argumentum: nunc autem illius partis defectus efficit, vt vis argumenti deficiat: & hoc tantùm velit Dionysius, Thronos in eo communicare cum Seraphinis, quòd ipsi etiam ardeant & incendant: cum Cherubinis, quòd scientiâ plurimâ polleant. Nam eiusdem hierarchiæ ordines eadem dona participant: immo etiam qui sunt inferioris hierarchiæ, participant ea quæ sunt superioris, sed imperfectiore modo.

Hactenus, quæ super illa quæstione, ob S. Maximum alia sentientem, mihi dicenda occurrerunt.

CAPVT VIII.

De media Hierarchia, quæ continet Dominationes, Virtutes, Potestates.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Dominationum descriptio. DOminationum appellatio, excellentiam quandam designat à seruitute & ab omni despicabili subiectione liberam; quæ, vt suæ libertati est consentaneum, nulli rerum inferiorum tyrannidi vllatenus se submittit: quippe demulceri nescia, & omni seruitute deprimente superior, omni subiectioni constantissimè renitēs, & ab omni dissimilitudi ne exempta; sed veræ ac principalis dominationis continenter appetens: ad cuius imaginem tum se, tum inferiores naturas egregiè conformat, nec ad quidquam eorum quæ apparent, sed ad id quod verè est, omnino se conuertit; sempérque in principalis participatione similitudinis pro virili suâ persistit.

Virtutum descriptio. Virtutes verò masculam quandam & inconcussam fortitudinem ad diuina obeunda munia ipsis propria significant, eámque nulli cælestium illustrationū receptioni imparem, sed ad Dei imitationem, validè assurgentem, neque diuino motui ex ignauiâ suâ non respondentem, verùm ad cælestem illam & virtutum effectricem virtutem acie irretortâ respectantem: cuius quoque simulacrum, quoad potest, in se repræsentat: seque ad eam velut ad virtutum principem fortiter conuertit: ad inferiora verò, virtutis conferendę gratiâ & quadam Dei imitatione progreditur.

Potestatum descriptio. Potestates porrò, quæ cum diuinis dominationibus & virtutibus eiusdem sunt ordinis, significant concinnam & inconfusam circa diuinorum donorum susceptiones ordinationem: quæ haudquaquam more tyrannico, potestatis viribus in peius abutatur: sed inuictè ad diuina & cum bono ordine agatur: & sitas infra se mentes ad eadem benignè exsuscitet: ac denique Potestatum principi, quantum fas est, assimilata eandem similitudinem vicinis sub se Angelis in bene instructis ordinibus suę potestatis, quantū potest, exprimat.

Hæc secunda hierarchia purgatur, illustratur, perficitur à primâ, sicut prima à solo Deo; quæ proinde multo excelle[illegible]ius diuina dona participat, quàm secunda: vti & secunda, quàm tertia.

Ista est summa capitis 8. in quo sub finem, iam dicta Angelorum inter se subordinatio exemplis sacræ Scripturæ ab eodem S. Dionysio edocetur. Explicationes porrò proprietatum, quæ singulis huius hierarchiæ Ordinibus à S. Dionysio attributa sunt, requiri possunt apud eius interpretes, quorum è Græcis antiquissimi sunt S. Maximus & Georgius Pachymeras: è Latinis Hugo à Sancto Victore & Albertus magnus.

CAPVT IX.

De tertia siue vltima Hierarchia, quæ continet Principatus, Archangelos, Angelos.

DOCTRINA S. DIONYSII.

PRincipatuum nomen indicat eos vim ac facultatem modo quodam diuino regendi ac principandi, cum sacro ipsisq; conuenientissimo ordine obtinere: simúlque ad supremum omnium principatum eos ex toto esse conuersos, atque alijs ad eandem conuersionem duces esse: adeóque eundem in se principatum, quà possunt, exprimere & diuinum eius in omnes ordines regimen in pulchra sui ordinis dispositione repræsentare. Principatuum descriptio.

Archangeli inter Principatus & Angelos medij, in aliquo cum vtrisque conueniunt: cum istis quidem, quòd ad supereminentem Dei principatum more quodam principandi conuersi sint, atque ad eius formam, quoad assequi datur, se effingant, & Angelos iuxta eiusdem decentes, ordinatas, & inaspectabiles principandi rationes in vnum coniungant: cum his verò, quòd acceptas à superioribus reuelationes, ipsis Angelis, & per illos nobis pro cuiusque modulo annuncient. Archangelorum descriptio.

Angeli autem, qui inter beatos spiritus omnium sunt infimi, ea quę ab Archangelis acceperunt, hominibus annunciant. Angelorum descriptio.

Hæc vltima hierarchia præsidet hierarchijs humanis: ita vt bono ordine fiat omniū ad Deum ascensus & conuersio & communicatio & intima coniunctio: & vicissim Dei ad omnes hierarchias cum sui communicatione processio.

Itaque in sacris litteris populo Iudæorum præsidere dicitur Michaël, & alijs gentibus alij Angeli. Statuit enim altissimus terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei.

Si quis autem quærat, quid causæ sit, cur cùm omnes nationes Angelos habeant sibi præsidentes, tamen solus populus Iudęorum ad diuinas reuelationes, & vnius veri Dei notitiam perductus sit; respondendum est aliarum nationum errores non ex culpa Angelorum ipsis præsidentiū prouenisse, sed ab ipsismet hominibus, qui sui amore & proprio arbi- Liberum arbitrium in hominibus.

arbitrio de recta ad Deum via in idololatriam deflexerint.

Nam & aliqui è Gentilibus Deum agnouerunt, vt Melchisedec, qui non tantùm Deo carus, sed & Sacerdos fuit, & alijs ad Deum perueniendi dux fuit. Pharaoni quoque adfuit per visum Angelus Ægypti, & Babyloniorum Principi Angelus Babyloniorum; ijsdémque visa sua exposuerunt, vni quidem Ioseph Patriarcha, alteri Daniel: per quos Deũ agnoscere & colere potuerunt.

Gen.41. Daniel.2.

Hactenus capitis IX. summa.

Annotatiuncula.

Nota illam sententiam hîc suprà positam: Statuit enim altissimus terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei. *non ita esse accipiendam, quasi tot sint diuersæ gentes, quot sunt Angeli Dei. (Neque enim hoc verum esse potest, cùm numerus Angelorum non modò Gentium excedat numerum, sed etiam hominum, quorum singuli suum habent custodem Angelum) sed quòd vnaquæque gens atque natio suum habeat præsidem Angelum: prout aliquoties hoc eodem capite innuitur. Deinde lectionem vulgatam, Deuteron. 32. versu 8. non habere:* Secundùm numerum Angelorum Dei. *sed:* Secundùm numerum filiorum Israël. *Nota etiam insignem hîc esse locum pro libero hominis arbitrio contra hæreticos illud abnegantes: cùm scilicet Dionysius culpam idololatriæ Gentium, non in præsides Angelos, sed in homines suapte voluntate & arbitrio viam ad Deum deserentes conferendam scribat. De libero arbitrio multa hîc quoque S. Maximus in Scholijs, quem vide.*

Liberum arbitrium.

Nota denique auctorem horum librorum in hoc cap. insinuare olim se fuisse Gentilem. Vnde colligit S. Maximus in suis Scholijs non posse hos libros attribui Apollinari, vt quidam voluerunt, cùm Apollinaris non fuerit è Gentilibus ortus parentibus, sed Christianis: vt patet ex Epiphanio & Hieronymo.

S. Dionysii scripta non possunt attribui Apollinari.

CAPVT X.

Breuiter hîc repetitur & concluditur quod de Angelorum officio & subordinatione superiùs tractatum est.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Primà Angelorum hierarchia à solo Deo purgatur, illustratur, perficitur: 2. autem per primam: 3. per secundam: homines verò per tertiam. Adeò placuit supremæ ac sapientissimæ maiestati res omnes in cælo & in terrâ, pulcherrimâ harmonia colligare & ordinare.

Quin etiam in ijsdem ordinibus, non modò in diuersis, hæc indita est harmonia & subordinatio. Siquidem Theologi eam inter ipsos Seraphinos esse indicarunt, cùm dixerunt alterum clamasse ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus. Per hoc declarantes, primos Seraphinos secundis notitiam sanctissimæ Trinitatis dispertisse, & secundos tertijs.

Esai.6. ver.3.

Immo non tantùm vnus idémque ordo alicuius hierarchiæ, sed etiam vnus idémque Angelus, & vna eadémque anima, suos habent primos, medios, vltimos ordines atque facultates, quæ purgationis, illustrationis, perfectionis sunt participes: cùm præter Deum nihil sit per se & absolutè perfectum.

Hucvsque summa capitis.

Annotatiuncula.

Quomodo vnusquisque Angelus in se habeat primas, medias, vltimas virtutes seu facultates non explicatur hoc capite, sed insinuatur in sequenti: vbi dicit Dionysius omnes diuinas mentes in tria diuidi εἰς οὐσίαν ϗ δύναμιν ϗ ἐνέργειαν. id est, in substantiam & in virtutem & in actionem: hoc est, ad earum perfectionem requiri ista tria: inter quæ hic est ordo, vt primò, sit ipsa natura seu substantia: secundò, virtus seu potestas agendi: tertiò, ipsa actio. Quare non intendit S. Dionysius afferre diuisionem generis in suas species aut aliam similem, sed tantùm diuisionem & ordinem rerum necessariarum ad perfectionem. Et idem de anima hominis dicendum, in qua est 1. ipsa animæ substantia: deinde virtus & facultas ad agendum, & postremò ipsa actio. Nota per Theologos *in hoc capite suprà, intelligi Prophetas veteris Testamenti, qui de Deo scripserunt, vt patet è productis ibi exemplis.*

CAPVT XI.

Adfertur ratio, cur omnes naturæ cælestes vocentur Virtutes.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Virtutum nomen tribuitur omnibus naturis cælestibus, sicut & Angelorum: non tamen prout nomen illud propriè accipitur pro illis Virtutibus, quæ locum habent in 2. hierarchiâ, sed prout est nomen commune, quod significat virtutem aliquam quæ in omnibus naturis cælestibus reperitur, tametsi diuersimodè, cùm in supremis supremo, in medijs medio, in infimis infimo modo reperiatur.

Nam si Virtutum nomen propriè accipiatur, tum non conueniet inferioribus ordinibus, qui sunt Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli: sed tantùm superioribus. Quia superiores continent inferiorum perfectiones, non contrà.

CAPVT XII.

Cur Pontifices seu Episcopi vocentur Angeli?

DOCTRINA S. DIONYSII.

Pontifices seu Episcopi vocantur Angeli: quia proprietatis Angelorum (quæ est nunciare alijs ea, quæ ab alijs acceperint & didicerint) participes sunt: atque ad eorundem

Episcopi vocantur Angeli.

dem interpretandi similitudinem; quantum homini fas est, aspirant atque contendunt.

ANGELI ET HOMINES SANCTI VOCANTVR DII.

Quin etiam ipsi Angeli & viri sancti & Deo carissimi, Dij appellantur, licet Deus infinitè ab omnibus remotus sit, atque incomparabili præstet dignitate, ita vt nihil ei propriè & omnino simile dici possit.

Sed nimirum qui ad coniunctionem cum Deo, quoad valent, connituntur, atque ad recipiendas eius illustrationes pro virili sua continenter assurgunt, hi Deum iuxta vires imitando, Dei quoque appellatione digni fiunt.

CAPVT XIII.

Cur Isaias dicatur purgatus ab vno è Seraphim?

DOCTRINA S. DIONYSII.

ANGELVS QVI PVRGAVIT LABIA ISAIÆ NON FVIT EX ORDINE SERAPHINORVM.

DIcunt aliqui non missum fuisse vnum ex ordine Seraphinorum, sed ex infimo Angelorum ordine qui nobis præsunt, vocatum tamen Seraphim, quia munus Seraphicum exerceret, peccata scilicet per incendij speciem oblitterando, & eum qui purgabatur, ad præstandam Deo obedientiam inflammando.

Aliam caussam & alius quidam mihi suggessit, eámque non aspernandam: nempe dici Isaiam purgatum à Seraphim, quamuis ab aliquo ex inferioribus Angelis purgatus sit: quia quod ab inferioribus fit Angelis, id ad supremos refertur, eo modo quo & ad Deum. Deus enim præcipuè & primò erat expiator labiorum Isaiæ, Seraphim autem secundariò tantùm respectu Dei: sed respectu creaturarũ primariò: vnde & hac ratione illi vt primę inter creaturas attribuitur purgatio.

Quemadmodum & Pontifex inter homines, dum per Sacerdotes & Diaconos suos expiat & illuminat, expiare & illuminare dicitur. Quare Angelus qui labia Isaiæ expiauit, suam expiandi scientiam atque virtutem in Deum vt primum auctorem, in Seraphim verò tanquam primum Pontificem retulit.

CAPVT XIV.

De numero Angelorum.

DOCTRINA S. DIONYSII.

NVmerus Angelorum est innumerabilis. Quod sacra Scriptura significatum voluit, cùm numeris in se reflexis & multiplicatis vsa est dicendo: Mille millia & decies millies centena millia. Nam multi sunt beati cęlestium mentium exercitus, qui infirmam & contractam numerorum corporeorum, quibus vtimur, mensuram transcendunt: ita vt à solis supremis Angelis, quibus id Deus scire concessit, quantus sit omnium numerus, perfectè cognoscatur.

Hæc Summatim Dionysius.

Annotatiunculæ.

Locus ille de numeris reflexis & multiplicatis habetur Danielis VII. versu X. his verbis: Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.

HVGO A S. VICTORE VIDETVR PERPERAM INTELLEXISSE VERBA S. DIONYSII.

Nota Hugonem à S. Victore in suis Annotationibus elucidatorys ad hoc caput, ita accepisse S. Dionysij verba, quasi diceret numerum Angelorum à Deo tantùm cognosci. Et credibile est Hugonem falsum esse in Latinâ Scoti interpretatione. Sed Græca nihil aliud volunt, quàm numerum Angelorum à sola eorum suprema & cœlesti intelligentiâ & scientiâ, quæ ipsis abundantissimè à Deo conceditur, cognosci. Vbi Hugo per supremam & cœlestem intelligentiam ac scientiam, intelligit Dei Sapientiam: cùm tamen ista verba sequentia: quæ ipsis [*Angelis scilicet, siue beatis mentibus*] abundantissimè à Deo conceditur: *manifestè indicent de scientiâ, quæ Angelis supremis copiosissimè infunditur.*

Deinde pro hac nostra sententia contra Hugonem est S. Maximus interpres Græcus, in suis Scholiys ad eundem locum, & eum secutus Pachymeras. Sed & S. Augustinus in Enchiridio ad Laurétiũ cap. LXII. *Et vtique nouerunt sancti Angeli,* inquit, *docti à Deo (cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt) quanti sint, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. De numero Angelorum tractat S. Thomas 1. p. q. 50. art. 3. vbi quærit:*

Vtrũ Angeli sint in aliquo magno numero? *& hanc subdit conclusionem.*

Angeli cùm longè perfectiores sint corporalibus creaturis, in quadam maximâ multitudine sunt omnem materialem multitudinem excedentes. Quid autem intelligat S. Thomas per materialem multitudinem, non est inter Doctores & Interpretes consensio. Aly enim specierum duntaxat multitudinem intelligunt: aly verò omnium cuiuscunque speciei indiuiduorum simul. Atque hunc posteriorem sensum ipsi S. Dionysio Areopagitæ, (vnde S. Thomas & aly omnes hauserunt) disertè attribuit S. Bernardinus Senensis tomo 4. serm. 48. de amore misericordiæ, his verbis: Dionysius in suo libro Hierarchiæ dicit, quòd solùm Angeli in paradiso existentes sint plures quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris ac terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcumque creata. *Sic autem intellige illa verba S. Bernardini, vt velit S. Dionysium virtute & sensu verborum suorum id insinuasse, non autem clarè & expressè ita dixisse. Quantum quidem ad tantam multitudinem Angelorum attinet, consentit S. Bernardino noster Stephanus Bubali in tomo de Angelis ad S. Thomæ quæstionem 50. art. 3. ego autem nihil diffinire ausim. Vide & Albertum Magnum ad hoc caput S. Dionysij, vbi Angelorum multitudini attribuit illud prophetæ Iob. cap. 25. versu 3.* Numquid est numerus militum eius? Iob. 25. vers. 3.

CAPVT

CAPVT XV.

Hic agit S. Dionysius de imaginibus corporeis, quibus exprimũtur Angeli, aut quibus eorum spirituales facultates aliquatenus declarantur: verbi gratia, quid significet, quod Angeli fingantur ignei? quòd in forma humana? quod pedibus pennatis? quòd sine calceamentis? quod subinde in vestibus splendidis? in ornatu Pontificio? quod Zonâ præcincti? Quid in ijs declaret nomen ventorum, nubium, æris, electri, gemmarum? Quamobrem illis attribuatur forma leonis, bouis, aquilæ? Item equorum figura, seu alborum, seu nigrorum, seu rubrorum, seu permisti coloris? Quid sibi velint, quæ illis attribuuntur flumina, rotæ, currus? &c. Postremò agit de Angelorum gaudio super peccatorum pœnitẽtiâ.

IN Angelos, *inquit*, voluptas nostra, quæ cum perturbatione coniuncta est, neutiquam cadit: sed dicuntur Deo congaudere & congratulari ob eorum, qui perierant, inuentionem: dum diuina quadam voluptate, & benigna atque vbere lætitia perfruuntur, quam ex cura & salute eorum, qui ad Deum conuertuntur, hauriunt: & dum tranquillitate quadam ineffabili potiuntur: cuius etiam sæpenumero viri sancti per Deificos diuinarum illustrationum accessus fiunt participes. GAVDIA SANCTORVM.

Nota in hoc capite pulcherrime describi eas proprietates ignis, quæ ad Deum & Angelos a Theologis transferri solent. Item aquilæ. Nam licet aliarum quoque rerum, admodum pulchrè, non tamen ita fusè.

Non attuli hic ipsarum imaginum quibus Angeli exprimuntur, explicationes: quia totum caput, quod satis prolixum est, describendum fuisset Verùm hæc quantulacunque boni consules Lector.

Hactenus summa & medulla totius libri de cælesti hierarchia: nunc pari passu in ecclesiasticâ, Deo dante, progrediemur.

DOCVMENTA E LIBRO SANCTI DIONYSII DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAPVT I.

Quæ sit ecclesiasticæ Hierarchiæ traditio, & quis huius scopus.

DOCTRINA S. DIONYSII.

HANC vim habet omnis hierarchia, siue cælestis, siue ecclesiastica, primò quidem, vt ipse hierarcha, seu hierarchiæ princeps [*is in ecclesiastica est Pontifex*] pro naturâ suâ & modo & ordine in diuinis rebus perficiatur ac deificetur, neque hoc ipse contentus ingenitam sibi diuinitus Dei similitudinem suis inferioribus pro cuiusque dignitate dispertiat.
2. Vt ipsi inferiores ad imitationem superiorum incumbant: nec hoc tantùm, sed etiam eos qui infra sunt ad altiora deducant.
3. Vt qui inferiore adhuc sunt gradu, progressum faciant, & pro virili sua duces alijs se præbeant. Ita vt omnes diuina quadam consensione, eius quod suapte natura pulchrum & sapiens & bonum est, participes fieri studeãt.
Duplex est discrimen inter hierarchiam cælestem & inter ecclesiasticam. Prius quidem secundùm naturam: posterius verò secundùm modum tendendi in Deum. Nam in cælesti hierarchia sunt naturæ incorporeæ & spirituales: in ecclesiasticâ autem corporeæ & humanę. Deinde ab istis cernitur Deus sine imaginum sensibilium auxilio: homines autem talibus imaginibus indigent, vt ad diuinas contemplationes eleuentur. DISCRIMEN INTER HIERARCHIAS CÆLESTEM ET ECCLESIASTICAM.

Hierarchia ecclesiastica, est omnium ordinum sacrorum sub vno hierarcha dispositio. QVID SIT HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

Hierarcha porrò est vir diuinus & cælesti numine afflatus, omnis sacræ scientiæ gnarus, in quo tota eius hierarchia purè perficitur & agnoscitur. QVID HIERARCHA.

Huius hierarchiæ principium est Trinitas, fons vitæ, essentia bonitatis, vna rerum omnium caussa, à cuius bonitate ea quę sunt, tam quòd sint, quàm quòd bene sint, acceperunt.

Illius autem Trinitatis seu trinæ vnitatis voluntas est hominum & Angelorum salus.

Hæc verò salus aliter obtingere non potest, nisi ij qui salutem consequuntur, dij fiant.

Deum autem fieri nihil est aliud, quàm Deum, quoad eius fieri potest, imitari & cum eo vnum fieri.

Quare hic omni hierarchiæ communis propositus est finis, continuus scilicet Dei & diuinorum amor, & quanta quãta haberi potest Dei similitudo & coniunctio. HIERARCHIA FINIS.

Dici-

Dicimus proinde eum, qui suapte natura est Deus, principium esse omnis deificationis, à quo qui dij fiunt, id ipsum, quòd tales fiant, accipiunt: & Angelis quidem puriùs & spiritualiùs quàm hominibus id obtingit. Siquidem illis intrinsecus in splendore puro & materiæ experti diuina imprimitur voluntas: hominibus autem extrinsecus per verba & oracula in diuersorum signorũ varietate & multitudine. Nam tota vis & substantia nostræ hierarchiæ sunt tradita à Deo eloquia. Quorum ea maximè veneranda sunt, quæ in sacris traduntur libris. Et illa quidem excellentiore modo acceperunt Prophetæ & Apostoli, quàm alij ipsis posteriores: quippe illi verbis tantummodo sine scripturâ vllâ: hi autem scriptis acceperunt.

TRADITIONES APOSTOLICÆ SVNT DVPLICES: QVADAM SCRIPTÆ, QVADAM NON SCRIPTÆ.

Quæ autem Apostoli à Deo didicerunt, ea posteris tradiderunt, partim scriptis institutionibus, partim non scriptis, iuxta sacras leges. Et diuina quidem ac cælestia sub quibusdam sensibilibus imaginibus tradiderunt: non tantùm vt ea profanos laterent, quibus ne signa quidem & symbola rerum sacrarum licet attingere: sed etiam, quia necesse est per tales imagines ad cælestium contemplationẽ ipsos quoque Christianos subleuari: ac denique quia quæ sunt Pontificij muneris, ne quidem cum initiatis quibuslibet, sed cum solis Pontificibus communicanda sunt: ita vt vnusquisque ordo ea duntaxat, quæ sui sunt ordinis, edoceatur: [*Presbyter scilicet, quæ Presbyteri: Diaconus, quæ Diaconi, &c.*]

Quare tu quidem ô Timothee, hæc quæ Pontificij muneris ad te mitto, cum solis Põtificibus, vt mihi promisisti, & cum alio nemine communicabis, suadebisque ijsdem collegis tuis, vt idem seruent, nec diuina nisi diuinis, nec perfecta nisi perfectis, nec sanctissima nisi sanctis addiscenda tradant.

CAPVT II.

De ijs quæ in Illustratione siue in Baptismo fiunt.

DOCTRINA S. DIONYSII.

QVum hierarchiæ nostræ scopus sit Deo assimilari & cum eo coniungi, non aliter id assequemur, quàm sanctissimorum eius mandatorum amore & executione, iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* (Ioan. 14. ver. 23.)

BAPTISMI VIS.

Principium porrò executionis istorum præceptorum est Baptismus, qui & mẽtes ad aliorum sanctorum eloquiorum & sacramentorum susceptionem aptissimè conformat, & ad cælestem hereditatem viam sternit, & nobis sanctam & diuinam regenerationem largitur. Quum enim in rebus omnibus seu diuinis seu humanis prius sit esse, deinde agere; sanè qui needum beneficio baptismatis diuinum esse acceperit, is nihil diuinorũ vnquam sciet, neque aget.

Mysterium Illustrationis *siue* *Baptismi ritus & cærimoniæ.*

DOCTRINA S. DIONYSII.

§.1. Episcopus qui semper quadam cum Deo similitudine *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, omnibus verè euangelia, id est, verè bona noua annunciat: Deum scilicet pro sua naturali bonitate omnibus propitium mortalibus ad nos descendisse, vt nos sibi assimilaret. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* (1. ad Timot. 2. — Ioannis 1. ver. 12.)

BAPTIZANDVS ADIT SVSCEPTOREM SIVE PATRINVM.

§.2. Qui ergo hac perceptâ doctrinâ, tantorum tamque cælestium bonorum cupit fieri particeps, vnum aliquem ex ijs qui iam diuinis initiati sunt mysterijs adit, suadétque vt se ad Episcopum deducat, & promittit quæcunque is tradiderit, se integrè secuturum: quare ne dedignetur admissionis suæ, adeóque totius deinceps vitæ curam suscipere.

SVSCEPTOR EVM AD EPISCOPVM DEDVCIT.

§.3. Hic verò licet salutem illius sanctè amet, tamen rei magnitudinem cum humanâ componens infirmitate, horrore quodam percellitur, hærétque animi dubius; ad extremum tamen, se id quod rogatus sit, executurum benignè profitetur, sicq; eum ad Pontificem deducit.

EPISCOPVS RECIPIT ET EXAMINAT BAPTIZANDVM.

§.4. Pontifex ambos cum gaudio recipit, & alterum quidem (quasi ouem perditam humeris excepisset) in ecclesiam introducit: dein partim tacitâ gratiarum actione Deum laudat, partim corporali adoratione vnum illud beneficum principium, à quo vocantur ea quæ vocantur, & à quo saluantur ea quæ saluantur, religiosè veneratur. Exinde omni sacro cœtu tam ad cooperandum & congaudendum hominis saluti, quàm ad gratias diuinæ bonitati agendas conuocato, primò quidem certum hymnum è sacris Scripturis vnà cum omni ecclesiastico ordine decantat, tum sanctam mẽsam siue aram exosculatus ad hominem præsentem progreditur, ex eóque sciscitatur, quidnam volens huc venerit?

§.5. Ille iuxta susceptoris sui instructionem, suam impietatem & veri boni ignorantiam, & sanctorum operum penuriam accusat, petitque eius sacro interuentu Deo ac diuinis potiri.

§.6. Tum Pontifex rationem ei exponit, quâ ad Deum, qui vndiquaque perfectus & immaculatus est, accedere oporteat: dein explanato illi diuino viuendi modo, quærit num ita viuere decreuerit: & ei professo ita victurum capiti manum imponit, signátque, & sacerdotibus

cerdotibus vti nomen vtriusque tam eius quàm susceptoris describant, imperat. Quibus descriptis sacras preces fundit: quas vbi tota cum illo ecclesia dicto, Amen, complexuit, tum hominem discalceat & per Diaconos exuit: Deinde conuertens eum versus Occidentem, iubet attendentem ad eandem plagam & eodem conuersas manus propellentem ter insufflare in satanam, & insuper abrenunciationis verba profiteri: quæ postquam is præeunte Episcopo ter pronunciauit, eum Episcopus ad Orientem traducit, & suspiciētem ad cælum manusque protendētem Christo militare, & omnibus diuinis assentiri eloquijs mandat. Quo peracto suam ei professionem rursus ter inculcat, & ter iterum professo benedictionem cum precatione impertit ac manus imponit.

ABRENUNCIATIO.

§ 7. Postquam idem homo à Diaconis planè exutus est, adferunt Sacerdotes sacrum vnctionis oleum: & Pontifex terna crucis impressione inungendi facit initium, deinde totius reliqui corporis oleo perungendi curā Sacerdotibus commissā, ad baptisterium se confert: cuius aquas sacris inuocationibus sanctificat, tribúsque sanctissimi vnguenti cum crucis forma infusionibus totidem iungit sacri cantici diuinis prophetis inspirati pronunciationes, tum adduci hominem iubet, & is quidem recitato è professionis tabula, ab vno è Sacerdotibus, tam ipsius quàm susceptoris nomine, ab ijsdem Sacerdotibus, ad aquam adducitur in Episcopi manus: ipse autem Episcopus è loco celsiore, post denuo recitatū à Sacerdotibus propè aquas, eius qui initiatur nomen, ter illum demergit, & in tribus demersionibus & emersionibus tres beatissimæ Trinitatis personas pronunciat. Inde suscipientes eum Sacerdotes susceptori tradunt, & vnà cum illo veste alba ipsum induunt, rursúsque ad Episcopum adducunt: is hominem sanctissimo signat oleo, & deinceps sacrosanctæ Eucharistiæ participem fore renunciat.

VNCTIO BAPTIZANDI.

TRINA DEMERSIO.

Hactenus è Dionysio totidem ferè verbis ritus baptismi explicatus. Post hæc inducit Contemplationem, id est, eorum quæ in baptismo corporaliter fiunt, spiritualem intelligentiam, quæ est eiusmodi.

CONTEMPLATIO.

§. 1. Corporis per aquam naturalem ablutio significat omnium animæ vitiorum, per vitam probam atque diuinam, expiationem.

§. 2. Quòd initiandus non per se adit Pontificem siue Episcopum, sed ad eum deduci petit; hoc significat, ei qui ad vitam accedit spiritualem, ante omnia necessarium esse pudorem & cognitionem sui.

§. 3. Quòd Pontifex eum recipiens signat cruce, & tam eius quàm deducentis nomen scribi iubet; hoc indicat illum iam agnosci per signum Crucis de numero eorum qui salutem consequuntur, & eum tanquam salutaris ad veritatem viæ amatorem, iam dignum esse qui prodatur monumentis: itémque eius ducem.

§. 4. Quòd exuitur vestibus, denotat non posse nouam & perfectam induere vitam, nisi priùs veterem & malam exuerit.

§. 5. Quòd conuersus ad Occasum primò repellentis signum, deinde & insufflātis edit: hoc ad propulsationem tenebrosorum vitiorum, atque ad insitarum prauarum affectionum exterminationem spectat: quasi qui iam omnibus, quæ Dei similitudini aduersantur, nuncium remittat.

§. 6. Conuersio ad Orientem; argumentum est in vero lumine deinceps ambulaturi coram Deo, & viam peccatorum declinaturi.

§. 7. Vnctio corporis; admonitio est præparationis ad sacra certamina sub Deo agonotheta: in quibus qui vicerit, vnà cum Christo in baptismate peccatis morietur.

§. 8. Terna immersio & emersio; hortamentum est ad diuinam tridui atque trinoctij sepulturæ Iesu mortem, quà homini fas est, imitandam.

§. 9. Illustres ac candidæ vestes; indicia sunt interioris ornatus animæ, post detersam peccatorum fœditatem.

§. 10. Vnguenti postrema & perfectiua infusio; suauissimi virtutum ac bonæ famæ odoris fragrantiam insinuat.

Hæc summatim è capite 2. S. Dionysij.

CAPVT III.

De ijs quæ in Synaxi perficiuntur
siue
De Eucharistia.

DOCTRINA S. DIONYSII.

EVcharistia, ex Hierothei sententia, est Sacramentum Sacramentorum. *id est, nobilissimum atque excellentissimum sacramentū.* Quod etiam Communio & Synaxis appellatur. Et quamuis cetera quoque sacramenta gratiam adferant, atque ad Deum ducant, & cum eo coniungant: quia tamen Eucharistia perfectiùs id efficiat, propterea hęc sibi nomina peculiariter vindicat. Sic enim & Baptismus siue Regeneratio, sacramentum illustrationis appellatur, quia scilicet primum lumē animæ conferat, sitque omnium diuinarum illustrationum principium, licet alia sacramēta suo etiam modo illuminent.

SAcramentum Synaxeos siue Cōmunionis.
seu
Sacrosancti sacrificy & Eucharistiæ ritus.

Pontifex siue Episcopus postquam sacras preces ad diuinam aram absoluit, tum ducto ab eadem ara initio odores incēdit, & totum locum sacrum obit: dehinc ad aram reuersus, sanctam

ORDO SOLEMNIS SACRIFICII.

ſanctam pſalmorum melodiam inchoat: cui ſimul concinit totus ordo eccleſiaſticus: tum conſequitur ſanctorum librorum per miniſtros ſacros lectio: poſt hanc foras mittuntur Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes; ſoliq́ue in templo remanẽt, qui diuinorum aſpectu & communione ſunt digni. Miniſtrorum porrò alij ſtant ad occluſas templi fores: alij in ijs, quæ ſui ſunt ordinis, occupantur: alij denique è miniſtrantium ordine ſelecti [*id eſt, primi Diaconi*] vnà cum Sacerdotibus in diuino altari panem ſacrum & calicem benedictionis, præmiſſo ab omni cœtu fidelium, fidei catholicæ hymno, proponunt. Deinde Epiſcopus ſacram precationem perficit, & pacem ſanctam cunctis annunciat, [dicendo ſcilicet, *Pax vobis.*] cúmque omnes inter ſe ſalutarunt, myſtica fit ſacrarum tabularum recitatio. Exhinc Pontifex & Sacerdotes lauant manus, & ille quidem ad altare progreditur, vbi circumſtantibus ſolis Sacerdotibus & Diaconis, ſacram Dei actionem laudat [*memorando ſcilicet, quæ Chriſtus in cena proximè ante conſecrationem fecit*] & ſacrificat diuiniſſima [*i. conſecrat*] eadémque laudata exhibet in conſpectum, per ſanctè propoſita ſymbola [*id eſt, per externas ſacramenti ſpecies.*] Quibus donis ſanctarum Dei actionum demonſtratis, ad ſacram eorum communionem & accedit ipſe & alios inuitat: ſicque accepta & data communione Deos faciente, in ſacram gratiarum actionem deſinit: ac multis quidem ad ſola diuina ſigna attendentibus, ipſe ſemper diuiniore ſpiritu ad ſancta myſteriorum principia, in diuini ſtatus puritate, vt Pontificem decet, contemplanda eleuatur.

Hactenus ſancti ſacrificij atque Euchariſtiæ ritus ac cærimoniæ è Dionyſio: inde ad Contemplationem progreditur, in qua primùm pro rudioribus tria adfert inſignia ex ijs, quæ in myſterio Euchariſtiæ fiunt, documenta: deinde ad ſublimiorem pro perfectis interpretationem aſcendit.

CONTEMPLATIO.

INTERPRETATIO BREVIS EORVM QVÆ FIVNT IN SACRIFICIO.

Pſalmi & lectiones, quæ initio ſacrificij recitantur, partim perfectam exitialium vitiorum expurgationem docent: partim probę ac ſanctæ vitæ diſciplinam exponunt.

Sanctiſſima vnius & eiuſdem panis ac calicis communio diuinam morum ſimilitudinem & concordiam, tanquam ijs qui eodem vtuntur alimento, lege ſancit: ſimúlque diuiniſſimæ illius cenæ memoriam refricat.

Excluſio inidoneorum docet, quàm ſanctè & dignè Deo ad diuina accedendum ſit.

Annotatiuncula.

Ita Dionyſius initio Contemplationis ſiue expoſitionis ſpiritualis eorum, quæ ſymbolicè ſeu corporaliter fiunt: perrecturus deinceps ad exactiorem ac ſublimiorem explicationem, ipſum prius inuocat diuinum ſanctiſſimúmque ſacramentum, petitque ab eo ſibi lucem ad ipſum peruidendum conferri. Ex quo ſequitur re verâ Deum lucis auctorem in ſacramento contineri: non verò tantùm panis & vini naturam, ſignáue externa vitæ rationiſque expertia. Alioqui enim vbi non eſt auditus, fruſtra eſt inuocatio. Et certè in Dionyſio ſola ſigna ſurda & muta inuocante, locum quam aptiſſimè haberet vulgatum illud: Nos canimus ſurdis.

Iam verò vtens inuocatione ſatis manifeſtò declarat, tale ſub ſacramento numen eſſe, quod audire inuocantem & adiuuare valeat.

Inuocatio autem quâ hîc vtitur eſt eiuſmodi:

INVOCATIO VENERABILIS SACRAMENTI.

Sed tu, ô diuiniſſimum atque ſacroſanctum ſacramentum, circumiecta tibi ſymbolicè ænigmatum velamenta detegens perſpicuè nobis oſtenditor: & mentis noſtræ oculos ſingulari atque aperta luce perfundito.

Poſt hanc inuocationem pergit in Contemplatione: & myſteriorum in actione Euchariſtica expoſitionem pleniorem inducit pro perfectioribus, hoc modo.

INTERPRETATIO FVSIOR EORVM QVÆ FIVNT IN SOLENNI SACRIFICIO. SVFFITVS EPISCOPI PER TEMPLVM.

§.1. Progreſſus Pontificis ab altari ad extrema templi, cum odoris fragrantia, & ab his regreſſus ad idẽ altare, ſignificat Dei opt. max. ad nos accedentis & bona ſua communicantis, nec interim à ſtatu ſuo (quo ſemper idem eſt) vllatenus diſcedentis, eximiam benignitatem.

Ita quidem & ſacramentum Synaxeos, quod habet vnum & ſimplex & indiuiſum principium in ſacram quidem ſignorum varietatem, ex ſuo in homines amore multiplicatur, ſed ab iiſdem ſignis ad monadem ſuam iterum ſe recolligit, atque ad ſe ſanctè accedentes, vnum efficit.

Ita & Pontifex tametſi vnam diuinitatis notitiam in multos diſpertiat, dum ſacrorum ſignorum vtitur multitudine: tamen rurſum quaſi ſolutus & liber ad ſuum principium ſine imminutione reuertitur, & mentem in vnum eleuans, eorum, quæ in myſterijs perficiuntur, vniformes rationes purè perſpicit, & ſuæ ad inferiora progreſſionis finem, diuinioris ad prima reditus facit initium.

PSALMORVM CANTVS.

§.2. Pſalmorum modulatio & aliarum Scripturarum lectio animos ad ſacramenta idoneè comparat, & ſuo concentu ſanctáque diſciplina vnam Chriſtianorum concordiam, animorúmque in virtutibus & rectè factis conſenſionem, maximum ſcilicet ad diuina capeſſenda ſubſidium, commẽdat & inculcat.

Ad hanc pſalmorum modulationẽ & Scripturarum lectionem admittuntur catechumeni, energumeni, pœnitentes: nimirum vt vias Domini addiſcant: ſed ad ſacra myſteria non admittuntur: quia necdum digni, necdum capaces.

Annotatiuncula.

Hic ſubijciebatur librorum ſacræ Scripturæ catalogus bene longus, quem omitto, ne contemplationem diutius interrumpam: & videtur à S. Dionyſio non in 1. compoſitione adiectus, ſed multo poſt inſertus

inferetur, vt infrà quæstione tertia dicturi sumus.

§.3. Fidei Catholicæ hymnus, (quem alij hymni decantationẽ, alij religionis symbolum, alij autem diuiniùs, (vt mihi quidem videtur) Pontificiam gratiarum actionem appellant, quòd nimirum sacra dona cælitus ad nos delata comprehendat) adhibetur in Dei recognitionem, vt creatoris, conseruatoris, redemptoris, summique benefactoris.

§.4. Laudata Dei benignitate seu decãtato symbolo, diuinus panis obtectus & calix benedictionis proponitur: móxque diuinissima salutatio [*siue pacis osculum*] sanctè adhibetur: quo significatur nec in vnum colligi, nec ad pacificam cum vno Deo coniunctionem peruenire posse, qui inter se diuisi sint atque discordes. Nam sancta impertiendę pacis actio, quæ similem simili iungit, & ab ijs qui diuisi sunt, diuina & vniusmodi spectacula separat, hanc animorum inter se & cum Deo coniunctionem significat.

§.5. Sacrarum tabularum, post datam pacẽ, recitatio (quæ eorum qui piè vixerunt, atque ad sanctæ vitæ perfectionem peruenerunt, prædicationem continet) ea nos ad beatissimum statum & finem Deo dignum per eorum imitationem inuitat, & quasi manu ducit: præsertim dum illos velut viuos prædicat, atque (vt Scriptura loquitur) non mortuos, sed à morte ad vitam diuinissimam translatos. *Matthei 22. ver. 32.*

Et attende statim post imposita altari veneranda signa, per quæ Christus significatur & participatur, recitari Sanctorum catalogum, ad declarandam scilicet eorundem Sanctorum longè maximam atque diuinissimam cum Deo coniunctionem.]

ABLVTIO MANVVM TEMPORE SACRIFICII QVID SIGNIFICET.

§.6. Ablutio manuum, quæ à Pontifice & Sacerdotibus, extremorum digitorum tenus coram sanctissimis signis [*pane scilicet & vino in arâ propositis*] vsurpatur, nihil denotat aliud, nisi omnes occultissimas cogitationes nostras Deo patere: ac proinde coram tali iudice, non alias tantùm maculas, sed etiam quaslibet leuissimas animæ imaginationes atque omnem cogitationum immundiciem esse abstergendam.

CONSECRATIONIS RITVS.

§.7. Post hæc accingit se Pontifex ad diuinissimum sacrificium peragendum, idque pręmissâ excusationis, quòd rem tantam audeat, præfatione. Dicit enim se Christi iussu id facere, his verbis: Tu dixisti; *Hoc facite in meam commemorationem.* Deinde rogat, vt & ipse dignus fiat tanto sacrificio, tam ad illud Christi imitatione perficiendum, quàm ad castissimè distribuẽdum; & vt qui illud percepturi sunt, dignè percipiant: denique consecrat, & populo ostendit. Ad extremum verò panem, qui obtectus erat & indiuisus, detegit, atque in multas partes frangit: & calicem item vnum inter omnes diuidit: sicque quod vnum est, symbolicè [*id est secundùm signa siue species*] multiplicat ac distribuit, sanctissimum in ipsis sacrificium perficiens. *Lucæ 22. ver. 19.*

VENERABILIS SACRAMENTI SIGNIFICATIO ET EFFECTVS.

Hæc autem omnia Dei in homines benignitatem repræsentant, qui vnus cùm sit & simplex & absconditus, humanitatis nostræ assumptione, ad id quod compositum est & visibile, sine sui mutatione, pro sua in nos bonitate & benignitate descendit, & nostri secum communionem longè arctissimam & vnius effectricem benignè procurauit: nempe nostram humilitatem cum sua diuinitate in vnum perfectissimè copulando: si & nos quidem, vt membra corpori, sic illi per diuinæ atque inculpatę vitę similitudinem adaptemur; non verò per exitiales perturbationes demortui nos ineptos reddamus, qui diuinis atque sanissimis membris coaptemur, conglutinemur, conuiuamus. Nam si nostri cum eo communionem & coniunctionem appetimus, nobis vita eius diuinissima, quam in carne egit, pro scopo proponenda est: ad quam respectãtes eius exemplo quã lõgissimè à peccato abhorreamus, atque ad diuinum & impollutum vitæ statum recurramus. Id enim aliquam nobis cum eo similitudinem atque communionem aptè præstabit.

Sumpta demum & alijs distributa Deifica communione, in sacra gratiarum actione vnà cum omni sacro Ecclesiæ ordine finem facit.

CVR PONTIFEX PRIVS SVMAT SANCTISSIMVM SACRAMENTVM QVAM ALIIS DISTRIBVAT.

§.8. Quòd sumptio sacrosanctæ communionis à Pontifice mysticam distributionem antecedit, indicat hunc esse generalem in rebus diuinis ordinem, vt priùs ipse Pontifex cœlestium donorum particeps & plenus sit, quã ea cum alijs communicet.

QVALES DEBEANT ESSE EPISCOPI.

Nam qui diuinis abutentes magisterijs secus facere audent, ij profani sunt, atque à sacra institutione prorsus alieni. Quemadmodum enim in radijs solaribus vsu venit, vt res tenuiores ac magis perspicuæ eius illabenti splendore primæ impleantur; deinde lucem, qua totæ perfusæ sunt, in ea quæ post ipsas sunt, solis instar transmittant; ita non temerè ducem se diuinæ lucis præstare alijs debet, nisi qui omni statu suo & habitu Deo euaserit quàm simillimus, adeóque diuina inspiratione & iudicio Episcopus fuerit demonstratus.

Hæc capitis tertij summa & doctrina.

CAPVT IV.

Agit hoc capite Dionysius de vnguenti sacramento, quod priori dicit finitimum, & eius conficiendi ritum sic explicat.

Mysterium ritus vnguenti.

DOCTRINA S. DIONYSII.

Pontifex templo cum incensis odoribus obito, & absoluta psalmorum atque lectionum recitatione, deinde dimissis, vt in Synaxi, imperfectorum ordinibus [*s. Catechumenis;*

menis, Energumenis, Pœnitentibus] acceptum vnguentum imponit altari coopertum duodecim sacris alis, canentibus omnibus voce sanctissima sacrum canticum diuinis Prophetis inspiratum. Completa dehinc super codē vnguento solemni precatione, in sanctissimis eorum, quæ consecrantur, ritibus ad omnem propè Episcopalem functionem illo vtitur.

Nota per sacrum canticum, de quo hic agitur videri intelligendum aut illud: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. *quod & S. Maximo probatur; aut quod eidem & Pachymeræ placet,* τὸ Ἀλληλούϊα. *Et hoc quidem posterius magis debere intelligi patebit infra ex Contemplatione.* §. 10. *Et confirmatur etiam è Liturgia S. Iacobi, fratris Domini, vbi dicuntur Cherubim ac Seraphim* βοῶντα τὸν ὕμνον Ἀλληλούϊα, ἀλληλούϊα, ἀλληλούϊα, *proclamare hymnū alleluia, alleluia, alleluia. Pro quo posteriores liturgiæ habent:* ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, *Sanctus, sanctus, sanctus, &c. Ita vt & hinc antiquitas pateat librorum S. Dionysij concordantis cum S. Iacobo. Licet enim aliqua Liturgiæ S. Iacobi addita sint, non propterea tamen ipsius non est, præsertim in ijs quæ scriptis antiquissimorum Patrum consentiunt & non recentiorum. Nam quæ cum recentioribus conueniunt, hæc potius addita esse existimandum est.*

CONTEMPLATIO.

PEr vnguentum illud circumquaque coopertum & obductum, nihil significatur aliud, quàm id, quod viri probi & sancti in animo habent sanctimoniæ ac diuinæ fragrantiæ, penitus occultum esse debere: neque vanæ gloriæ studio, animi virtutes & suam Dei latentis imitationem foras prodendam. Vt enim longè fragrantissima Dei pulchritudo planè oculis abdita est, neque alijs quàm spiritualibus & quidem spiritualiter apparet: sic in hominibus, virtutis imaginem decet in animo esse reconditam, nec aliò quàm ad Deum spectare & patere. Quippe ad diuinam imaginem ita se optimè effingent, si spiritualem illam & fragrantem eius pulchritudinem perquam attentè respiciant. Quemadmodum enim pictor aliquis, si eam speciem, quam pingere intendit, fixè constanterque & nusquam dimotâ, nusquam diuisâ oculorum acie intueatur, sanè ad eius, quam exprimere conatur, similitudinem quàm proximè attinget: immo, si ita loqui fas est, eam speciem geminabit, & veritatem in similitudine & archetypum in imagine, & vtrumque in vtroque, (excepta duntaxat substantiæ diuersitate) exprimet: sic egregij in animis suis virtutum pictores, si perattentè atque indeclinabiliter occultam illam fragrantemque Dei pulchritudinem contemplentur, futurum est procul dubio, vt diuinam in se imaginem citra errorem vllum repræsentent.

Vanæ gloriæ fuga.

Præsentia Dei in omnibus rebus cogitata quantum valeat.

Hinc est, quod magni viri sanctitatem suam intra mentis deuotissimæ penetralia religiosè occultantes ad solam respiciant mentem archetypam. Vnde etiam fit, vt conuenienter sibi ipsis, nequaquam ea, quæ temerè bona videntur & iusta; sed quæ re vera talia sunt, ament: neque eius gloriæ, quam vulgus inconsideratè beatam vocat, respectum vllum habeant: sed bonum & malum ex ipsa boni & mali natura, Dei imitatione æstimantes, sanctissima efficiantur diuinissimæ odorum fragrantiæ simulacra.

Hæc breuiter Dionysius, quæ ad exteriorem signorum explicationem spectāt, & rudioribus sufficiūt: quæ deinceps sequuntur, perfectioris dicit esse contemplationis, & perfectioribus conuenire.

Contemplatio subtilior et perfectioribus conueniens.

§. 1. Exitus Pōtificis ab altari ad extrema tēpli cum incensis odoribus, atque ad idē altare reditus, significat res diuinas cū omnibus, qui ad ecclesiam spectant, communicari; neque tamen vlla ex parte minui neque immutari.

§. 2. Cantus & lectiones Scripturarū, nō initiatos quidem [*siue catechumenos*] obstetricum instar, ad salutiferam in Dei filios adoptionē fouent & educant: energumenos autē, siue à dæmonibus obsessos, ad statum meliorē conuertūt, & inimicos terrores, prauasque voluptates ab ijs amoliuntur, simulque perfectissimi status atque virtutis apicem ostendunt: quò si perueniant, magis ipsi cōtrarias potestates territuri sint, quàm ab ijs terreantur: immo etiam eò progressuri sint, vt aliorum curationibus præficiantur, vimque aduersus inimicos terrores non ipsi solùm habeant, sed etiam alijs largiantur. Pœnitentibus denique, siue à deteriori statu ad bonā mentem reuersis, robur ad resistendum tentationibus ingerunt. Neque his modò, sed alijs quoque nō parum commodant. Siquidem & eos quibus ad absolutam castimoniam atque puritatem aliquid deficit, perfectè expiant: & eos qui sancti sunt, ad diuinas imagines & earum contemplationem atque communionem deducunt: & eos qui in sanctitate magis eminent, beatis ac spiritualibus pascūt spectaculis, & perfectā ipsorum inter se & cum Deo coniunctionem efficiunt.

§. 3. Post cantum & lectiones ante vnguenti consecrationem, dimittuntur foras indigni & inidonei, perinde atque in Synaxi: ob mysterij scilicet excellentiam à despectu & indignitate vindicandam.

Est autem nihil aliud vnguenti compositio, nisi quædam plurium rerum suaueolentiū concretio, largam in se continens odoriferarum qualitatum copiam, cuius qui sunt participes, bonum ex se odorem pro participationis proportione emittunt.

Vnguenti compositio quid sit.

§. 4. Indicat ergo ista vnguēti symbolica cōpositio ipsum IESVM diuinorum odorū fontem beatissimum, eúmque in sanctissimas animas vapores diuinissimos inhalantem, quibus illæ suauiter placidéq; perfusę & sanctorū donorū plenæ spirituali pascuntur cibo, ista scilicet odorū fragrātia in earū mētes, pro modo

parti-

participationis, penetrante.

Odorum fragrantiam alii aliis abundantius percipiunt. Hanc odorum fragrantiam longè abundantius Angeli tanquam fonti viciniores recipiunt, ac præ ceteris quidem supremi illi Seraphini per bis senas alas hic designati, qui Iesum circumstantes perpetuò clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sunt enim cælestes illæ mentes infatigabiles, & amore Dei sempiterno ardent, ac supra omne vitium & obliuionem eminent.

§.5. Seraphinorum perpetuus clamor significat æternam atque immutabilem eorum in omni contentione & gratiarum actione scientiam atque intelligentiam.

§.6. Eorundem multæ facies & multi pedes multam contemplationem diuinorum splēdorum, & magnam penetrationem in diuinorum bonorum intelligentiam declarant.

§.7. Senæ pennæ non sacrum numerum, vt alijs visum est, sed ipsorum Seraphinorum primas, medias, extremas vires significant: siue quod toti in Deum & perfectiones eius agiles sint ac volatiles, cùm nihil in ijs alarum sit expers, non principium, non medium, nō extremum: siue quòd absque omni impedimento tanquam alis pleni ferantur in Deū. Idcirco enim binę alæ ad faciem, binę ad vmbilicum, binæ ad pedes affinguntur: quò illorū vis omnimoda insinuetur, qua in Deum toti ferūtur.

§.8. Quòd facies & pedes obtegunt, & solis pennis medijs volant; id ostendit primis quidē pennis ea quæ altiora ac profundiora sunt, quàm vt intelligere valeāt, ipsos revereri: medijs verò ad Dei contemplationem moderatè sustolli: extremis denique, ad sui ipsorum cognitionem descendere.

§.9. Quod clamant alter ad alterum, id mutuam inter eos diuinę scientiæ absque inuidiâ communicationem denotat: vt quod vnus didicit, doceat alterum.

Vide hic plura de Seraphinorum appellatione, & eorum mysticâ odoris fragrantia.

Nota item circa 7. §. de senis pēnis, quæri posse cur supra §. 4. dictum sit per 12. pennas, significari Seraphin: cum in 7. §. attribuantur illis tantum 6. pēnæ.

Respondetur: suprà, de duobus Seraphinis: hic autem §. 7. de vno Seraphino tantum agi.

Vnguenti diuini vsus. Diuinum vnguentū adhibetur in omnis ferè rei sacrę perfectâ consecratione, in Baptismo, in Cōfirmatione, in altaris cōsecratione, &c. Et in Baptismo quidem, significat dari diuinū & æternum statum: in Confirmatione autem, infundi diuinissimum Spiritū: in altaris verò consecratione Christū, qui est nostrum diuinū altare, pro nobis sanctificari, vt & nos omni sanctitate compleat. Quæ enim in eo diuinâ dispositione fiunt, eadem ad nos, vt Deo genitos, benignè perueniunt. Christus est diuinum altare.

§.10. Sacrū canticum diuinis prophetis inspiratum, (quod hebraicè callentes dicunt significare *laudem Dei*, vel, *Laudate Dominum*) docet diuinas actiones, [*eas scilicet quæ sanctitatem conferunt & Deos faciunt, quales sunt sacramentorum*] sanctis laudibus dignas esse.

Hactenus capitis 4. summa & medulla.

Nota porrò ex vltimis hisce Dionysij verbis per sacrum canticum intelligi Alleluia, quod Græci scribunt ἀλληλούϊα*, Hebræi autem* הללו יה *id est, Laudate Deum.*

CAPVT V.

De sacris ordinationibus.

DOCTRINA S. DIONYSII.

QVū omnis ratio hierarchica diuidatur in sacra, in ministros sacrorum, & in eos quibus sacra administrantur; dictumque sit hactenus de sacris siue de mysterijs: iam capite quinto tractabitur de diuinis sacrorum ministris: posterioribus verò capitibus de ijs, quibus sacra administrantur.

Diuiditur sacrorum ministrorum ordo, in ordinem expiantem, in ordinem illustrātem, & in ordinem perficientem. *Siue, quod idem est:* Ordinum diuisio.

Sacrorum ministrorū alij sunt Diaconi, alij Sacerdotes, alij Episcopi siue Pontifices.

Summus itaque & Deo proximus ordo est Pontificatus, siue Episcopatus, cui soli ius est absolutum sacra omnia perficiendi: & cui singulariter & ex diuino instituto cōpetit aliorū sacrorum ministrorum ordinatio, diuini vnguenti confectio, & sancta altaris cōsecratio. Episcoporum munus.

Est ergo Pōtificatus siue Episcopatus, ordo plenâ perficiēdi facultate præditus, qui cōsecratoria hierarchiæ munia eximiè exequitur, & sacrorum scientiā docet ac interpretatur, eorundēq; sāctos status & potestates declarat. Sacerdotum officium.

Sacerdotum autem ordo illustratorius Pōtificum ordini subiectus, & simul cum eo propria sibi munia exequens, eos qui initiati sunt, ad spectanda diuina mysteria (quibus & operandi potestatem habet) introducit & eorūdē participes illos facit: cupidos tamē scientię inspectorū à se mysteriorū ad Episcopū remittit.

Diaconorum denique ordo expiatorius & dissimilium discretiuus, accedentes priusquā ad Sacerdotum admittantur sacrificia, expiat, & puros ab ijs quæ Christianæ puritati aduersantur, reddit, sacrorūmque mysteriorum adspectu & participatione dignos efficit. Diaconorum propria functio.

Horū itaque est in ministerio baptismatis, baptizādum veteri veste exuere & discalceare, atque ad occidentem diabolo renunciandi caussa collocare, rursúsque ad oriētem traducere, hortari etiam ad superioris vitæ peccata respuenda, atque à tenebris ad ea, quæ lucis sunt, transmigrandum. Hinc expiatorius ordo appellatur, quòd eos, qui needū initiati sunt, expiet, siue expiatorijs sacrarum scripturarum doctrinis imbuat, & iam expiatos ad illustrantia Sacerdotum sacra deducat.

Dissimilium verò discretiuus: quia profanos à sacris discernat atque distinguat, nec commisceri

misceri sinat. Hinc templi ianuis præficitur, & dignos admittit, excludit indignos.

Sciendum porrò Episcopos non modò facultate perficiendi pollere, sed etiam illustrãdi & expiandi: cùm superioribus potestatibus adsint omnia, quæ inferioribus: quamuis non è contrario. Vnde Sacerdotes non tantùm illustrare possunt, sed etiam expiare. Diaconi verò expiare solũ; nõ illustrare, neq; perficere.

Hæc ordinum distinctio repræsentat diuinarum actionum ordinatum atque inconfusum ordinem. Quoniam Deus ipse mentes in quibus fuerit, primò expiat, deinde illustrat, postremò perficit.

Transit hinc Dionysius ad declarandas collationis sacrorum ordinũ cæremonias, quæ sunt huiusmodi:

Mysterium sacrarum ordinationum.

EPISCOPI CONSECRATIO.

Qui consecrandus est Episcopus, is vtroque genu ante altare flexo, super caput habet Scripturas sacras & manũ Episcopi, atque ita ab illo, qui eum consecrat, Episcopo sanctissimis inuocationibus consecratur.

SACERDOTIS ORDINATIO.

Qui consecrandus est Sacerdos, is vtroque genu similiter ante altare flexo, & impositâ capiti dexterâ Pontificis, precationibus sanctificantibus consecratur.

DIACONI CREATIO.

Qui consecrandus est Diaconus, stat ante aram altero tantum genu flexo: cui sic stanti manum imponit Episcopus, & precationibus, quibus cõsecrare diaconos solet, eũ cõsecrat.

Illorũ porrò vnicuique, Episcopus, qui eos consecrat, etiam signum Crucis imprimit, & suum nomen gradumque pronunciat, demũque amplexatur, ceteris quoque sacri ordinis viris deinceps consalutantibus.

Annotatiuncula.

CVR S. DIONYSIVS VERBA FORMÆ ESSENTIALIA RETICVERIT IN DESCRIPTIONE ORDINVM.

Notandum hic S. Dionysium more suo, quo res sacras profanis vult esse absconditas, reticere verba formæ essentialia, quibus singuli Ordines conferuntur. Quæ si apposuisset, habuissemus distinctè omnẽ rationem à Græcis obseruatam in collatione Ordinum. Innuit autem illa tantùm generatim, dum vocat sanctissimas inuocationes, aut precationes sanctificantes, aut sacras nuncupationes, & hoc quidem vltimum, propterea quod tam nomen eius qui consecrabatur, quam ipsa dignitas sacra, in ipsa essentiali forma nuncupabatur: quemadmodum fit etiamnum apud Græcos: apud quos hæc vsurpantur verba:

FORMÆ COLLATIONIS ORDINVM APVD GRÆCOS.

In creatione Diaconi: Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quę desunt supplet, N. religiosissimum Subdiaconum creat DIACONVM.

In creatione Presbyteri: Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quę desunt, supplet, N. religiosissimum Diaconum creat PRESBYTERVM.

In creatione Episcopi: Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quę desunt, supplet, N. Deo amabilissimum Presbyterum creat EPISCOPVM.

Hæc forma proba est, sicut impositio manuum bona sufficiensque materia.

Apud Latinos, de quibus hic non agimus, ordinationes aliter fiunt. Ratio autem cur dicatur: Diuina gratia creat, *est, ad indicandum Pontificem nõ suopte motu, sed diuino instinctu hos aut hos consecrare. Quæ ratio etiam innuitur à S. Dionysio infrà in* CONTEMPLATIONE, *§. 4. vt videbitur.*

CONTEMPLATIO.

OMNIBVS ORDINIBVS COMMVNIA.

Communia cunctis ordinibus, hoc est, Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis sunt ista: accessus ad altare, genuflexio, manus Pontificis impositio, signum Crucis, nuncupatio, salutatio siue amplexus.

Propria verò singulis sunt hęc: Pontificibus quidem præ inferioribus ordinibus, diuinarum scripturarum super caput impositio.

Sacerdotibus autem, præ Diaconis, vtriusque genu flexio.

Diaconis denique, vnius tãtùm genu flexio.

§. 1. Accessus ad altare & genuflexio significant eorum, qui ordinantur vitam omnem Deo sacrorum auctori planè submittendã, & totam corũ animã in omni castitate & sanctimoniâ illi offerendam, dignámq; esse debere, adeòque simillimam diuino atque sanctissimo templo & altari, quod pias mentes sacro quodam modo sanctificat.

Annotatiuncula.

TEMPLVM ET ALTARE SANCTISSIMVM EST IESVS.

Nota per diuinum atque sanctissimum templum & altare hoc loco intelligi Iesum Christum, qui est spirituale templum & altare, accedentes ad se sanctificans. Ita accepit altare ipse Dionysius superiori capite, vt ibi notam, §. 9. Ita etiam hoc loco intelligunt S. Maximus & Pachymeras & Dionysius Rikelius in hunc locum.

QVID SIGNIFICET MANVS IMPOSITIO.

§. 2. Manus impositio diuinam protectionẽ indicat, sub quã velut sãcti pueri paterna charitate confouentur, & à quã partim statum & potestatem ecclesiasticam suscipiunt, partim à contrarijs potestatibus defendũtur. Indicat 2. eos omnia sacrorum ordinum munia quasi sub præsente Deo exequi, & illum in omnibus actionum suarum ducem sequi debere.

QVID SIGNVM CRVCIS.

§. 3. Signum Crucis, omnium corporearum cupiditatum compressionem & diuinæ vitæ imitationem denotat, quæ ad humanam Iesu vitam longè diuinissimam nusquam declinãdo respectet, qui ad crucem vsque & mortem cum diuina impeccabilitate progressus est, & eos qui ita viuunt, tanquam sibi conformes, crucis signo velut propriæ impeccabilitatis imagine insignit.

Quam impeccabilitatem, vt hic rectè Rikelius, in charitate & gratiâ roborati participamus, non perfectè assequimur.

QVID NVNCVPATIO NOMINIS ET GRADVS.

§. 4. Nuncupatio nominis & gradus ordinãdorum, quæ fit per Pontificem, significat eundẽ Pontificem diuinæ electionis esse interpretẽ, & se nõ suopte motu aut gratia, eos qui ordinantur, ad honorẽ euehere ecclesiasticũ, sed ipsius Dei instinctu; à quo ipse ad omnes muneris

ris sui sacras functiones impellitur.

EPISCOPVS NEMINEM AD ORDINES PROMOVERE DEBET SINE INSTINCTV DEI.

Ita Moyses, sanctus legislator ne Aaronem quidem fratrem suum, tametsi cum Deo carum & sacerdotio dignum reputaret, priùs ad Pontificiam promouit dignitatem, quam diuinitus ad id moueretur.

Ita Iesus ipse primus Pontifex noster, non à se ipso, sed à Patre cælesti clarificatus est, qui ei dixit: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.*

Psalmo 109. ver. 4.

Et cùm discipulos suos ad sacerdotij honorem proueheret, quanquam esset ipse, quà Deus, sacrorum auctor; tamen Patri suo & Spiritui sancto consecrandi munus attribuit, præcipiens discipulis suis, vt scripta diuina loquuntur, *ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam à me audistis, quia vos baptizabimini in spiritu sancto.*

Act. 1. ver. 4.

Ita & Petrus discipulorum princeps, ad supplendum numerum 12. discipulorum cùm accederet, Deo timidè ac religiosè permisit electionem dicens: *Ostende nobis quem elegeris.* & eum, qui diuina sorte diuinitus declaratus est, in sanctum numerum duodecim Episcoporum admisit.

Act. 1. ver. 24.

QVID SORS FVERIT IN ELECTIONE S. MATTHIÆ.

Sors autem illa, quæ diuinitus Matthię obtigit, videtur mihi diuinum aliquod donum fuisse, quod sacro illi choro subindicaret, quisnam esset diuina electione demõstratus: cùm non oporteat Episcopum suopte motu, sed Deo mouente consecrationes Pontificias celebrare.

Salutatio, quæ inter ecclesiastici ordinis homines interuenit, indicat sanctam consimilium animorum societatem, & amabilem inter ipsos lætitiam, quòd scilicet tali ordinum propagatione, ecclesiastici ordinis pulchritudo salua incolumisque seruetur.

Atque hæc sunt communia cunctis ordinibus sacris, nunc ad propria singulis.

PROPRIA SINGVLORVM ORDINVM EXPLICANTVR.

Libri sacrarum litterarum super Episcopi caput impositio significat omnem sacrorum ordinum potestatem ac scientiam Episcopo cælitus à Deo omnis perfectionis auctore tribui: siue quòd omni facultate Pontificia, & sacrarum litterarum cognitione atque interpretatione ita præditus esse debeat, vt quę diuinitus acceperit, alijs tradere possit.

Episcopi scientia qualis & quanta esse debeat.

Genuflexio generatim sumpta subiectionem eius qui accedit ad ordines, & voluntariam Deo submissionem significat.

Vnicum genu flectit Diaconus: quia tantùm expiandi munus habet, & eorum duntaxat, qui expiantur, accessum procurat, illos diuino altari submittens: quo indicatur expiatas in eo mentes modo quodam supramundano consecrari.

Duo genua flectunt Sacerdotes: quia non modo expiandi vim habent, sed etiam expiatos ad contemplationis statum & facultatem deducendi.

Eadem ratio valet in Episcopis vtrumque genu flectentibus: qui & expiant & illuminãt: quòd verò etiam perficiãt, ideo præter vtriusque genu flexionem, sacrarum quoque litterarum libro caput submittunt.

Ita S. Dionysius Areopagita.

CAPVT VI.

De ordinibus eorum qui initiantur.

siue

De gradibus eorum qui Christiana vita institutis imbuuntur.

DOCTRINA S. DIONYSII.

CHRISTIANÆ PLEBIS DIVERSI GRADVS IN ECCLESIA.

EOrum qui initiantur tres sunt gradus.

1. Eorum qui sacris arcentur. 1. Catechumenorum, Energumenorum, Pœnitentium.
2. Populi fidelis & irreprehensibilis.
3. Monachorum.

PRIMVS GRADVS.

De ijs qui sacris arcentur, & quamobrem arceantur, dictum est antehac.

Itaque de secundo & tertio ordine tantùm hic dicendum.

SECVNDVS GRADVS.

Secundus igitur siue medius ordo est fidelis populi, siue eorum qui spectare & participare sacra possunt, & qui Sacerdotibus illustrandi committuntur.

Hi enim ab omni nefaria labe expurgati & castum constãtemq; animi statum adepti, ad contemplandi scientiam à Sacerdotibus traducuntur, & diuinissimorum sacramentorum aspectu & communione donantur: ita vt omni sacro gaudio impleti ad diuinum scientiæ eorundem sacramentorum amorem pro virili sua deuolent.

Hunc ergo sancti populi ordinem appello: vt qui per omnem expiationem progressus & sancto clarissimorum mysteriorum aspectu & communione dignatus sit.

TERTIVS ET SVPREMVS GRADVS INTER LAICOS SVNT MONACHI.

Supremus autem omnium, qui initiantur, est sacer ordo Monachorum, qui & ab omni labe est purgatissimus, & omnis mysterij, quantum fas est, spectator & particeps Pontificibus perficiendi virtute pollentibus traditur, quorum diuinis illustrationibus & Põtificijs traditionibus, inspectas à se sacrorum rituum, qui ad eum spectãt, rationes edocetur, atque eorundem sanctà scientià, ad summam, quoad quidem potest, perfectionem connititur.

Hinc diuini nostri Doctores sanctis eos appellationibus dignati sunt: quorum aliqui θεραπευτὰς [*id est, cultores*] alij μοναχοὺς [*id est, monachos*] nominarunt: à puro scilicet Dei famulatu atque cultu & à vita indiuisa & singulari (*seu à vita simplici & minimè distractà*) vt quæ illos in sanctà diuersorum coniunctione vnum efficiat, atque ad diuinam vnitatem & Deo gratam perfectionem conducat.

Quare & ipsis certum ritum, quo initiarentur,

rentur, donauit sacra lex: & inuocatione item consecratoria, non Episcopali quidem (cùm ea in solis vsurpetur sacris ordinibus) sed Sacerdotali eos dignata est, quæ secundum, post consecrationem Pontificiam, locum obtinet, & super eos à sanctis Sacerdotibus adhibetur.

Annotatiuncula.

Hactenus è Dionysio ea quæ ad initiandorum distinctionem spectant: reliqua huius capitis parte exponet ritum consecrationis mysticæ.

Nota verò priùs, quod hic suprà dictum est: Monachos tradi Pontificibus virtute perficiendi pollentibus, id prorsus ex mente S. Dionysij dici, & eum esse germanum sensum græcorum eius verborum.

Quòd si quis requirat, quomodo dicantur Monachi tradi Pontificibus, cùm ab ijs non consecrentur, sed à Sacerdotibus, vt hic docet S. Dionysius:

Respondetur non tradi, vt consecrentur, sed vt rationes rituum, qui in consecratione obseruantur, & alia ad perfectionem suam spectantia edoceantur. Id enim clarè indicant proximè subsequentia S. Dionysij verba: quorum diuinis illustrationibus & Pontificijs traditionibus &c.

EPISCOPI DVOBVS MODIS ALIOS PERFICIVNT. *Duplex enim est in Episcopis perficiendi ratio: vna consecrando & Sacramenta conferendo: altera consecrationum & sacramentorum scientiam & rationes edocendo. Harum prior aliqua ex parte cum sacerdotibus communicabatur, nempe quantum ad consecrationem monachorum, & collationem sacramentorum: sed posterior reseruabatur Episcopis, vt patet ex ijs, quæ suprà dicta sunt capite V. de ordine Sacerdotum illis verbis:* Eos qui initiati sunt, ad spectanda diuina mysteria, (quibus & operandi potestatem habet) introducit, & eorundem participes illos facit: cupidos tamen scientiæ inspectorum à se mysteriorum ad Episcopum remittit.

Nota denique ex dictis longè alios fuisse istos primi, secundiue sæculi Monachos ab ijs qui postea fuerunt & nunc sunt: ac proinde huius Scriptoris colligi hinc antiquitatem, de qua fusiùs quæstione 2. infrà.

Mysterium monasticæ consecrationis

siue

Ritus consecrandi Monachum.

DOCTRINA S. DIONYSII.

MONACHORVM CONSECRATIO. SAcerdos stans ante diuinum altare precationem monasticæ consecrationi propriam recitat: qui autem consecratur, stat post Sacerdotem, nec vtrumque genu flectit, nec alterum, neque supra caput habet sacra eloquia: sed tantùm Sacerdoti mysticam inuocationem exequenti præsto est. Qua absoluta, conuersus ad eum Sacerdos primò interrogat, num renunciet diuisis seu sæcularibus, non modo vitis, sed etiam imaginationibus: deinde perfectissimam ei vitam exponit, contestans debere illum eam, quæ media est, superare: tum hæc omnia statim professum forma Crucis consignans, & tres sanctissimæ Trinitatis personas pronuncians attondet: postea omni veste exuit, & alia induit, ac postremò cum alijs sanctis viris, qui adsunt, eum salutat, ac diuinorum mysteriorum participem facit.

Hæc est tota forma consecrandi monachum, ex ipsis S. Dionysij verbis.

CONTEMPLATIO.

§.1. Quòd neutrum genu flectit, nec sacras Scripturas capiti impositas habet, sed tantùm Sacerdoti adstat inuocationem recitanti, declarat ordinis Monachorum non esse, alios ad Pontificem adducere; sed suarum duntaxat rerum satagere, atque in singulari seu vnico sacro suo statu consistere, & sacros ordines subsequi, atque ab illis ad diuinam propriorum sibi sacrorum scientiam obsequenter, velut asseclas, traduci. INTERPRETATIO RITVVM IN CONSECRANDIS MONACHIS.

§.2. Quòd diuisæ ac sæculari vitæ, eiusque adeò imaginationibus nuncium remittit, hoc perfectissimam monachorum Philosophiam declarat, quæ in scientia mandatorum à mundi tumultibus separantium, vnumque efficientium occupatur. Nec enim, vt dixi, inter initiandos medij sunt ordinis, sed omnium supremi. Quare multa, quæ citra noxam à medio ordine geruntur, prorsus monachis singularibus interdicta sunt: quippe qui vnum fieri debent, & ad vnum, quod Deus est, tendere, atque ad Sacerdotum vitam, quà fas est, efformari; quòd multa nimirum habeat ei similia, ac præ ceteris, qui initiantur, ordinibus proximè ad eam accedat.

§.3. Signum Crucis (vt alibi dictum est) corporearum omnium cupiditatum compressionem significat.

§.4. Capillorum attonsio puram & inaffectatam vitam designat, quæ nullis fictitijs additamentis studeat mentis deformitatem adornare, sed se contenta, nequaquam humanis venustamentis, at suis duntaxat simplicibus & singularibus ad exactissimam aspiret Dei similitudinem.

§.5. Prioris vestis abiectio & alterius assumptio transitum indicat à sacrâ mediâ vitâ ad perfectiorem.

§.6. Consalutatio sanctam amatorum perfectionis societatem designat, inter sese amāter cum diuinâ lætitiâ congratulantium.

§.7. Inuitatio ad deificam communionem significat eum, qui verè ad monachorum statum peruenerit, non modò propriorum sibi sacrorum spectatorem fore, neque tantùm medij ordinis ritu, sanctissimorum sacramentorum participem futurum, sed cum diuina eorundem cognitione, alio quàm sanctus populus subliniore modo, ad sumptionem deificæ communionis accessurum.

Hactenus de Monachis & nihil plus S. Dionysius.

Anno-

Annotatiunculæ.

Subijcit ibidem duas rationes, cur in collatione sacrorum ordinum post omnes cærimonias detur consecratis sanctissima Eucharistia: vnam quidem, quod ipsa sit omnis rerum sacrarum participationis summa & complementum: alteram, quod homines cuiusque ordinis, pro ratione sui gradus, ad perfectionem atque intimam cum Deo coniunctionem & similitudinem perducat. VENERABILIS EVCHARISTIA IN OMNI ORDINVM COLLATIONE ET SACRAMENTORVM CONSECRATIONE RITV CONFERRI SOLITA.

Quare licet capite V. non posuerit S. Dionysius inter ritus sacrorum ordinum, sumptionem venerabilis Eucharistiæ, tamen in fine omnium ordinationum adhiberi solitam, ex hoc sexto capite manifesto liquet.

Addit deinde velut per recapitulationem, triplicis generis actiones sacras, quas τελετὰς *vocat: nempe expiationem, illustrationem, perfectionem: triplices item ministros; Diaconos scilicet, qui expiant: Sacerdotes, qui illustrant: Episcopos, qui perficiunt: triplices denique, qui initiantur, siue, circa quos illæ actiones sacræ exercentur: nimirum exclusos à sacrorum aspectu & communione, qui expiantur: fidelem populum, qui illustratur: Monachos, qui perficiuntur.*

Sic ordinata hierarchia ecclesiastica secundùm expiationem, illustrationem, perfectionem, cælesti est similis, in qua suo modo eadem fiunt.

Si quæras, quomodo in cælestibus hierarchijs possit esse expiatio siue purgatio, vbi peccatum nullum est: respondet S. Dionysius expiationem in cælo non secundùm peccata, sed secundùm ignorantiam, quæ depellitur, accipiendam esse. Purgantur enim Angeli, dum ab aliquarum rerum ignoratione, parta à superioribus Angelis notitia, liberantur. Nec enim Angeli omnia sciunt. QVOMODO DICANTVR ANGELI IN CÆLO PVRGARI ET EXPIARI.

Illustrantur autem, dum per eosdem multis donantur diuinis illustrationibus. Perficiuntur verò, dum perfecta deificarum cognitionum scientia cumulantur. Possunt enim Angeli quotidie noua condiscere, cum solus Deus sciat omnia. Discunt autem supremi à solo Deo, medij Angeli à superioribus, infimi à medijs: nos autem homines, vt plurimum, ab infimis, ordine seruato.

CAPVT VII.

De ritibus circa defunctos.

Continet hoc caput 3. partes. In 1. adstruitur fides resurrectionis mortuorum: in 2. describitur exequiarum ritus & cærimoniæ: in 3. profertur contemplatio, siue earundem cærimoniarum spiritualis expositio.

DOCTRINA S. DIONYSII.

1. Pars continet hæc documenta. Vnum: longè disparem atque diuersam esse fidelium & infidelium in morte conditionem: vti & vitæ genera fuerunt multo diuersissima. Nam fideles perfectam credentes resurrectionem, læti & pleni bonæ spei excedunt: infideles autem tali spe nulla freti, inuiti & cum mœrore vitam deserunt. IVSTORVM IN MORTE SOLATIA.

Accedit quòd fideles intelligant se in hac vita mutari atque in deterius labi posse: in altera autem beatos & immutabiles fore. Hinc diuina promissa attendentes, quasi eorum veritatem in ipsa iam resurrectione contemplati essent, cum firma spe eorum potiundorum læti ad mortem, quasi ad metam certaminum proficiscuntur.

Alterum documentum. Munda sanctarum animarum corpora, quæ hîc cum illis idem vitæ iugum traxerunt & vnà concertarunt ac desudarunt, suam ipsa quoque propriam resurrectionem suscepturа sunt: vt quæ animabus iuncta & vnum effecta tanquam Christi membra extiterunt, beatum quoque & immortalem vitæ statum pariter consequantur.

Atque horum quidem mors quid est aliud, quàm somnus quidam in gaudio & spe imperturbabili? MORS SANCTORVM QVID SIT.

Infidelium autem alij arbitrati sunt animas interire cum corporibus: alij corporum cum animabus coniunctionem tanquam in beata vita minus accommodam in perpetuum abrumpi: alij animas ex alijs in alia transmigrare corpora: alij denique corporibus redditas, ad similem huic vitæ statum, qui sanctis promissus sit, sanctissimum atque beatissimum velut postliminio redituras existimarunt. Qui omnes à regia via deuiarunt.

Quod si Christianorum quispiam ab accepta fidei pietatisue doctrina in errorum vitiorumue abrupta deflexerit, ei sanè in hora mortis non vilis ampliùs, neque contemptibilis ecclesiæ doctrina censebitur: sed pereuntes voluptates alijs iam cernens oculis, & sanctam vitam, à qua exciderit, beatam reputãs, miserè & coactè ab hac vitæ vsura diuelletur. PROBORVM ET IMPROBORVM IN MORTE DIVERSITAS.

Probis verò & sanctis contrà omnino contingit. Siquidem vbi horum quispiam ad finem certaminum peruenerit, tum sancto gaudio repletur, & magna cum voluptate viam sanctæ regenerationis ingreditur. Quem & propinqui iam mortuum ob adeptam victoriam beatum prædicant, & victoriæ auctori hymnos gratiarum concinunt, ac similem nancisci exitum ipsi exoptant: denique ad Episcopum, velut ad sacrarum coronarum largitionem deportant: qui & libenter excipit, & quæcumque erga sanctè defunctos exhiberi officia sacro ex instituto solent, ritè perficit.

Sequitur 2. pars, siue descriptio ritus exequiarũ.

Mysterium in ijs qui sanctè dormierunt.

siue

Exequiarum ritus.

CONuocato sacro choro diuinus Antistes eum qui excessit è vitâ, si erat è sacris ordinibus, ante sanctum altare deponit, precésque ad Deum & gratiarum actionem orditur: sin è pijs monachis aut sancto populo, SEPVLTVRA LOCA ALIA VIRIS SACRIS ALIA LAICIS DEPVTATA.

cum

eum apud venerandum ſacrarium deponit ante ingreſſum chori ſacri, deinde precationem actionis gratiarum ad Deũ fundit: poſtea Diaconi primò quidem è diuinis litteris veraces de ſancta noſtra reſurrectione promiſſiones recitant: tum eiuſdem argumenti & virtutis pſalmos piè concinunt: quibus peractis primus Diaconorum dimittit catechumenos, & ſanctos qui iam dormierunt prædicat, ac ſimili laudè modò vita functum dignatur, atque omnes vti beatam in Chriſto conſummationẽ expoſcant, cohortatur. Poſt hæc accedens diuinus Pontifex ſuper eo ſanctiſſimas precationes ſpargit: quibus finitis eum ſalutat ipſe, & poſt ipſum cuncti qui adſunt: dein oleum mortuo infundit, & adhibita pro omnibus precatione corpus honeſto in loco vna cum alijs eiuſdem ordinis ſanctis corporibus deponit.

CONTEMPLATIO.

Cærimoniarum Sepulturæ Christianæ interpretatio.

§.1. Quòd Pontifex vnumquemque defunctorum in loco ſui ordinis deponit: facit ad declarandum omnes in reſurrectione illis ordinibus accenſendos eſſe, in quibus hic vixerint; & ſanctiſſimos ſanctiſſimis iunctum iri, & minùs ſanctos minùs ſanctis.

§.2. Gratiarum actio conſequitur, per quam Pontifex pro iſta diuina iuſtitia gratias agit, & ſimul ſanctam precationẽ adhibet, Deumque laudat, quod iniuſtum & tyrannicum à nobis imperium depulerit, atque ad ſua iuſtiſſima iudicia nos tranſtulerit.

§.3. Diuinarum promiſſionum cantus & lectiones, illas beatiſſimas ſedes denunciant, ad quas, qui ſanctè vixerint, in æternum transferendi ſunt: quæ & eum, qui piè obdormiuit, exceperunt; & ſuperſtites ad ſimilem vitę perfectionem extimulant.

§.4. Soli catechumeni deinde dimittuntur, non verò omnes ordines (vt alias aſſolet) eorum qui expiantur: quia ſcilicet hi ſoli nullum prorſus ſacrum myſterium didicerunt. Quibus proinde nihil ſanctorum myſteriorum neque paruum neque magnum licet aſpicere, cùm nec aſpiciendi virtutem à Baptiſmo, qui lucis eſt principium atque donatio, acceperint. Reliqui autem ordines myſteria didicerunt, tametſi quidam ſtultè ac temere in deteriora ſe reiecerint, cùm tendere ad meliora debuiſſent. Hinc à ſanctiſſimorum myſteriorum aſpectu & communione meritò arcentur: (obeſſent enim ipſis indignè participantibus, & fierent maioris rerum diuinarum ac ſummet ipſorum contemptus occaſio) ſed ad exequiarum ritus non ſine cauſſa admittuntur: quo nimirum & mortis incertitudinem, & pręmia ſanctis propoſita, & denunciata improbis æterna ſupplicia condiſcant. Proderit enim fortaſſis cernere eum, qui ſanctè mortuus ſit, velut ſanctorum qui à ſæculo fuerint

Exequiarum ab omnia quum fratrum præsentibus afferebant.

ſocium atque participem in catalogi recitatione, quæ fit per Diaconos, ſanctè pronunciari: ſimiliſque exitus deſiderio forſitan capientur, edocti verè beatam eſſe mortem, quæ in Chriſto oppetatur.

§.5. Quòd verò accedens Pontifex ſuper mortuo precationem fundit, & eum ſalutat, ac poſt eum reliqui ex ordine: hoc pacto nimirum à diuina bonitate expoſcit, vt ómnia peccata ex humana contracta imbecillitate mortuo dimittat, eúmque in lucem ac regionem viuorum, ſiue in ſinum Abrahæ, Iſaac, & Iacob deducat, locum ſcilicet, vnde dolor, triſtitia, gemitus faceſſunt. Hæc enim, vt opinor, ſanctorum beatiſſima præmia ſignificant. Nam lucidæ & dolorum experti immortalitati par eſſe quid poſſit? cùm ad promiſſiones omni mente altiores, licet verba adhibeãtur, quàm adhiberi poſſunt accommodatiſſima, tamen ab earum veritate exprimenda multum abſint, neceſſe ſit. Debemus enim exiſtimare verum eſſe illud eloquium: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2.

Interijcit hic S. Dionyſius dubitationem huiuſmodi.

Quid eſt cauſſæ quamobrem Pontifex preces fundat pro mortuo, cùm iam de illo Dominus concluſerit, nec ſit diuinam mutare iuſtitiam, quæ vnicuique ſecundùm vitæ ſuæ merita retribuit? immo ſi ne pro viuis quidem ſe indignos præſtantibus deprecantes exaudit Deus, quanto minùs pro mortuis? Nec enim Saüli preces Samuelis, nec populo Iudaico Prophetæ orationes profuerunt. Nam vt ſole lumen ſuum in oculos ſanos & illæſos diffundente, nihil proficiat quiſpiam, ſi effoſſis ſibi ſponte oculis vſuram lucis ſolaris expoſcat: ſic ad ſpes falſas & inanes reſpicere videtur, quiſquis Sanctorum preces poſtulat, ſi interea ſanctas eorum actiones, deſpectu diuinorum donorum, & clariſſimorum ac beneficorum mandatorum fugã repudiet.

Cui dubitationi ſic reſpondet.

Dico, *inquit*, ſequens Scripturas, perutiles eſſe in hac vita preces ſanctorum: ſi quis nimirum ſacra dona appetat, ſtatúmque ad ea participanda conuenientem habeat, ac ſuæ item conſcius paruitatis ad aliquem ſanctorum hominum ſe conferens, eum adiutorem & ſupplicatorem apud Deum efflagitet. Cõſequetur enim, quæ petierit, diuiniſſima munera, complectente eum Deo, tam ob eius religioſam mentem & reuerentiam erga ſanctos, quàm ob laudabile rerum petitarum deſiderium, & cõſentaneam diuinamque animi conſtitutionem. Nã ita eſt à Deo decretum, vt diuina munera & dignis dentur, & per dignos, & ordine digniſſimo. Hoc ergo ſanctum decretum ſi quis deſpexerit, ac ſuperbia elatus per ſeſe ad diuinum accedere colloquiũ contemptis ſanctis, quaſi ſua ſponte ſatis dignus volue-

Precationes Sanctorum vtiles ſunt viuis et mortuis.

voluerit, atque insuper Deo indigna & minimè sancta petierit, aut si diuinorum desiderium neque vehemens, neque statui suo congruens habuerit, is sanè merito suo, stultæ petitionis effectu frustrabitur.

Orat itaque Pontifex pro mortuo, vt Deus illi bona promissa tribuat. Quippe id Deo gratum esse intelligit, vt pro altero, quasi pro se, ea postulet quæ planè concedenda nouit. Alioqui pro impijs atque infidelibus mortuis nunquam orat, quod sanè temere & sine fructu, non permotus à Deo faceret, meritóque audiret: *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Iacobi 4.

Præterea pro iustis mortuis precando, suam erga Deum amatorem iustorum piam affectionem demonstrat, simúlque ijs, qui adsunt, ventura iustis bona, tanquam Dei interpres, annunciat.

§. 6. Salutatio, quâ Pontifex & alij præsentes mortuum prosequuntur, indicium est, quàm sit omnibus pijs gratus & honorabilis, quisquis vitâ sanctè actâ hinc demigrarit.

§. 7. Vnctio mortui significat eum, qui vngitur, legitimè certasse & certando excessisse,

§. 8. Denique corporis honesto in loco depositio testimonium quoddam est, in honore ac precio vnà cum anima debere esse corpus illud, quod simul cum illa decertauit ac desudauit: cui & diuina iustitia, tanquam comiti & consorti conuenientia tribuit præmia.

Hactenus rituum in exequijs piorum mystica expositio.

Subijcit idem S. Dionysius occasione vnctionis, quæ tam in baptizato quàm in mortuo vsurpatur, breuiculam de baptismo puerorum obiectionem, quæ est eiusmodi:

Hominibus à fide nostra extraneis risu dignum videri, quòd pueris non audientibus, non intelligentibus, doctrina & sanctæ traditiones à Pontificibus ingerantur: idque eo magis ridiculum censeri, quòd non ipsi, sed pro ipsis alij & abrenunciationes & professiones exequantur.

Responsio Dionysij est hac:

De baptismo paruulorum traditionem esse acceptam à maioribus: qui statuerunt vt parentes infantem bono instructori traderent, à quo exigit Pontifex abrenunciationes & professiones sacras, non quòd alium pro alio instruat atque initiet, vt illi ridentes dicunt. Neque enim sic ait: *Ego pro puero abrenuncio, aut promitto,* sed sic: *Puer abrenunciat & profitetur;* hoc est, Profiteor me diuina mea institutione, huic puero, cùm ad sacrorum intelligentiam peruenerit, persuasurum, vti & aduersarijs omnino abrenunciet, & diuina promissa profiteatur & exoluat. Quare nihil, vt arbitror, absurdum admittitur, si puer diuinâ vitâ imbuatur, probum ducem ac susceptorem habens, qui & diuina inserat & à contrarijs custodiat. Nam propterea puerum sacrorum mysteriorum participem facit Pontifex, vt in ijs educetur, nec aliam teneat viuendi rationem, quàm eam, quæ semper Deum spectet ac sequatur. BAPTISMI PARVULORUM DEFENSIO.

Hæc est breuis summa omnium, quæ S. Dionysij de ecclesiasticâ hierarchia liber fusiùs & obscuriùs complectitur.

Nunc ad librum De diuinis nominibus progredimur, quorum in recensione & explicatione, quis veterum, quis nouorum Scriptorum huic sancto Dionysio fasces non submisit? Nam & hac de causa Lilius Gyraldus Ferrariensis, vir longè doctissimus, omnia numinum nomina curiosissimè perscrutatus ab hisce vt ab alio dignissimè occupatis abstinuit. Sed adeò, inquit, *in eis recensendis sudasse videmus, vt alios omittam, Dionysium magnum illum Areopagitam, vt omnino mihi abstinendum duxerim. Te igitur, si curiosiùs fortasse scire desideras, ad ipsius Dionysij volumina, & eorum qui illa tum græcè, tum latinè interpretati sunt, relego.* LILII GYRALDI DE S. DIONYSIO ELOGIUM.

Sic ille.

DOCUMENTA

S. DIONYSII AREOPAGITAE

E LIBRO DE DIVINIS NOMINIBUS.

CAPUT I.

DOCTRINA S. DIONYSII.

NOn sunt de occulta & supersubstantiali diuinitate alia dicenda, neque cogitanda, quàm quæ sacris litteris tradita sunt. Nempe omnium esse caussam, principium, essentiam, vitam. Item labentium reuocationem ac restitutionem, deficientium & pereuntium renouationem ac reformationem, fluctuãtium stabilitatem, stantium securitatem, ad ipsum contendentium manuductionem; eorum qui illustrantur, illustrationem; qui perficiuntur, perfectionem principalem; qui deificantur, deitatem principalem; eorum qui simplices fiunt, simplicitatem; qui vnum fiunt, vnitatem; omnis principij eminenter principale principium; & eius DIVINA TIMIDE ET CIRCUMSPECTE TRACTANDA SUNT.

eius, quod occultum est, benignam manifestationem; atque, vt summatim dicatur, viuentium vitam, existentium essentiam, & omnis vitæ atque essentiæ principium atque caussam, aliaque huiusmodi quæ à Scripturis sacris edocti sumus.

Attribuitur autem Deo vnitas, ob naturæ simplicitatem & vnitatem: qua & in se vnus est, & nos ad vnitatem, alioqui ex multis conflatos & ad multa diuisos, recolligit.

Attribuitur ei Trinitas; ob diuinæ essentiæ fecunditatem ad tres personas se protendentem; *ex qua omnis paternitas in cælo & in terra est & nominatur.* (Ad Ephesios 4. ver. 15.)

Laudatur etiam vt caussa existentium; propterea quòd omnia ab eius bonitate creatrice in producta sint, non autem ex necessitate naturæ.

Laudatur vt sapiens & pulcher; quòd omnia (quæ quidem incorruptam naturam seruant) omnis diuinæ harmoniæ ac sanctæ pulchritudinis plena sint.

Laudatur vt singulariter benignus; quia verè & integrè in vna persona se nobis coniunxit, & naturæ nostræ humilitatem modò sanè admirabili induit: ex qua natura IESVS, (qui alioqui secundùm diuinam simplex est) ineffabiliter compositus fuit: & qui æternus est, temporalem suscepit extensionem; & qui supersubstantialiter omnem omnis naturæ excedit ordinem, in nostram venit naturam, saluo manente suarum diuinarum proprietatum statu, absque vlla prorsus seu mutatione, seu confusione.

Hæc è sacris litteris & è Pontificijs traditionibus accepimus, quæ sub velamentis rerum corporalium cognoscendas nobis exhibent res spirituales, quamdiu quidem in hac vita degimus: post autem videbimus eum sicuti est. Erimus enim tũ *sicut Angeli*, vt Scriptura loquitur, & filij Dei, vt pote filij resurrectionis. (Matthæi 22. ver. 30)

Præterea Theologi seu sacrarum litterarum Scriptores Deum laudant, modò quasi nominis expertem, quia scilicet quærenti nomen, responderit? *Cur quæris nomen meum?* (Genesis 32. ver. 29) modò vt omnium nominum consortem, quia dixerit: *Ego sum, qui sum.* Ego sum vita, lux, Deus, veritas. Deinde laudant eum vt bonũ, vt pulchrum, vt sapientem, vt amabilem, vt Deum deorum, vt Dominum dominorum, vt Sanctum sanctorum, vt æternum, vt eum qui est, vt sæculorum auctorem, vt vitæ largitorem, vt sapientiam, vt mentem, vt Verbum, vt cognitorem; vt omnis scientiæ thesauros exuperantem, vt potentiam, vt potentem, vt Regem Regum, vt antiquum dierum, vt senij expertem, vt immutabilem, vt salutem, vt iustitiam, vt sanctitatem, vt redemptionem, vt magnitudine omnibus præstantem, vt in aurã tenui. Quin etiam in mentibus cum inesse dicunt, & in animabus, & in corporibu s, & in (RECENSIO QVORVNDAM NOMINVM DEI.) cælo, & in terra, & simul in seipso: eundem in mundo esse, circa mundum, supra mundum, supra cælum, supra essentiam: esse solem, esse stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, lapidem & petram: denique cum esse omnia quæ sunt, & nihil esse eorum quę sunt. Sic ergo tanquam omnium caussæ, & tanquam omnia longè exuperanti, omnia nomina conueniunt, & nullum nomen conueniet: ita vt verè sit Rex omniũ, & circa ipsum sint omnia; atque ab eo, vt caussã, vt principio, vt fine dependeant: sitq; ipse, vt ait Scriptura, *omnia in omnibus:* & verè laudetur, vt omnia (1. ad Corinthios c. 15. ver. 28.) sustinens, inchoans, perficiens & continens, vt custodia & domicilium, atque ad semetipsum cuncta conuertens, & quidem indiuisè, & incircumscriptè, & exemptè. [*hoc est, liberè ab omni re creata: quod scilicet ita existat in rebus, vt sit etiam extra illas.*] Neque illa tantùm nomina Deo attribuunt, quæ vel ab eius prouidentia desumpta sunt, vel à rebus quibus prouidet: sed etiam alia, quæ in diuersis visionibus, tam in templis, quàm alibi sacris Mystis aut Prophetis ostensa sunt. Hinc illi varias formas attribuunt, vel hominis, vel ignis, vel electri: itemque oculos, aures, crines, facies, manus, humeros, pennas, brachia, &c. coronas etiam, sedes, pocula, crateras, & alia quædam mystica, de quibus in Theologiã symbolicã differemus. (QVÆ FORMÆ DEO TRIBVANTVR.)

Nunc autem ad diuinorum nominum è sacris Scripturis collectorum explanationem veniamus, sancta sanctis largientes, & à profanorum ludibrio vindicãtes. Quod faxit Deus, vt pro dignitate præstemus.

CAPVT II.

De Theologia coniuncta & discreta.

TOti Trinitati quædam sunt communia: quædam singulis personis propria. Communia sunt, esse bonum, esse vitam, esse Dominum, esse pulchrum, esse sapientem, esse lucem, esse Deificum, esse caussam, & alia denique omnia, quæ sunt totius Deitatis. Propria autem & distincta sunt Patris nomen & res ipsa, Filij similiter, & Spiritus Sancti: cùm nulla sit inter hæc reciprocatio, neque communitas. Nam sola prima Trinitatis persona est Pater, sola secunda Filius, sola tertia Spiritus Sanctus. Distincta quoque est & propria natura Iesu humana, itemque eiusdem naturæ mysteria propria sunt & singularia. Nec enim quæ diuinitati tribuuntur, eadem illi naturæ, quatenus humana est & nostræ similis, tribui possunt: cùm hæc natura non sit æterna, non sit immutabilis, non sit incorruptibilis. (S. TRINITATI QVÆ SINT COMMVNIA?) (QVÆ SINT SINGVLIS PERSONIS PROPRIA?)

Iam autem, licet personæ inter se distinctæ sint, ita vt vna non sit alia, inter eas tamen quanta maxima cogitari potest, coniunctio reperitur. Neque hoc mirum videri debet, (INTER PERSONAS S. TRINITATIS MAXIMA CONIVNCTIO.)

cum

cùm & in rebus creatis simile quiddam cernatur. Videmus enim cùm in eadem domo plures sunt faces, earum lumina sic coniungi inter se ac copulari, vt lucem vnam conflent, eámque prorsus vniformem, adeò vt non sit qui distinguere singularum lumina valeat, nec dicere, istud lumen est huius facis, & illud istius: quia totum vnius lumen est in toto lumine alterius: quę tamen lumina sic sunt coniuncta, vt etiam maneant inconfusa, & singula à suis facibus dependentia: quarum si aliqua efferatur domo, vnà totum eius lumen & nihil amplius efferatur, alijs scilicet facibus sua lumina & suos splendores retinẽtibus. Quòd si id in rebus terrenis & creatis inuenitur; quãto magis in diuinis & non creatis, quarum vna eadémque est natura & essentia? Quare hæc personarum inter se coniunctio non tantùm illam, quæ in istis rebus corporeis aduertitur, sed etiam quæ in ipsis animis & mentibus existere potest, immensè exuperat.

SIMILITVDO DE PLVRIBVS FACIBVS LVCEM IN LOCO LVCENTIBVS.

Totus igitur Pater in toto Filio & totus in to Spiritu sancto est: & totus Filius in toto Patre & in toto Spiritu sancto, & totus Spiritus sanctus in toto Patre & in toto Filio, ita vt hi tres vnum sint.

Hoc autem habet omnis diuinitas, siue omnes tres personæ commune, quòd suam bonitatem (quam à nullo participant, sed à se habent) cum omnibus rebus creatis communicent, non verò aliquam tantùm eius partem: quemadmodum centrum circuli, cùm sit indiuisibile, totum communicatur cum rectis lineis, quæ à circumferentia ad illud tendunt, non autem secundùm aliquam partem. Aut sicut sigillum totam suam figuram & non partem tantùm cum ijs, in quibus imprimitur, communicat. Hunc porrò communicationis modum longè exuperat ista diuinæ bonitatis communicatio, quæ absque contactu vllo fit. Neque enim Deus ab his qui eum capiunt, tangitur: cùm sigillum à rebus signatis contingatur & centrum à lineis: sed illud quidẽ propriè dicto contactu, hoc autem imaginario.

SIMILITVDO A CENTRO CIRCVLI.

ALIA AB IMPRESSIONE SIGILLI.

Quòd si quis dicat in rebus signatis non semper totum aut idem sigillum reperiri: sciat huius caussam non sigillo, sed ipsis rebus attribuendam esse, cùm sigillum ex se natũ sit totum & idem communicari: sed cùm aliqua ex ijs, quæ sigillum admittunt, sint mollia & lenia; alia dura & aspera, hinc fit, vt ista totam sigilli figuram admittant claram atque integram: hæc autem secus, nempe imperfectam & obscuram: pro cõditione nimirum, aut dispositione materiæ sigillum recipientis.

Quædam propria sunt filij, in quantum assumpsit humanam naturam, & nobis assimilatus est: qualia sunt, pati, mori, resurgere, quæ neque Patri, neque Spiritui sancto conueniunt.

FILII, VT HOMINIS, QVAENAM SINT PROPRIA.

Præterea Pater est prima, & (vt sic dicatur) fontana diuinitas: Filius autem & Sãctus Spiritus germina sunt, si fas ita loqui, à Deo producta & quasi flores, & superessentialia lumina. Quomodo autem hęc sint, nec dicere possibile est, nec cogitare. Hoc duntaxat capere possumus, omnem scilicet rationem Patris ac Filij spiritualem atque intellectualem in rebus creatis à primâ illâ & increata paternitate & filiatione tanquam ab exemplari caussa profluere: sic tamen vt illa ratio Patris & Filij in diuinis immensum quãtum exuperet eam, quæ in rebus creatis reperitur. Nam nec in terrenis quidẽ omnimoda similitudo inter caussas & effecta cernitur: cùm voluptas & dolor caussæ sint quidem, vt homines lætentur aut doleant, sed ipsa nec lætentur, nec doleant: ignis item caussa sit caloris & adustionis, sed ipse nec caleat, nec aduratur: sicut nec ipsa vita, quæ homini caussa est vt viuat, dicitur ipsa viuere: neque lux illuminari, nisi fortè excellenti atque eminenti modo: quia quæ in effectis sunt, abundanter & essentialiter in caussis præexistant.

Quin etiam id quod in tota Theologia est apertissimum, ipsa Iesu incarnatio nec vllo sermone exprimi potest, nec ab vlla mente ne à primo quidem & maximo Angelo intelligi. Scitur quidem Filius Dei humanam assumpsisse naturã, sed quomodo id ex Virginis sanguine præter naturæ legem fecerit: quomodo siccis pedibus corporea constans mole & terrena grauitate, naturam aquæ liquidam & instabilem perambulauerit: quomodo alia miracula & prodigia patrauerit, sanè nescitur.

INCARNATIONIS MYSTERIVM INEXPLICABILE.

Verùm de his aliàs, *inquit*, dictum à nobis fusiùs, itémque à Præceptore nostro Hierotheo in suis Theologicis institutionibus.

Citat hic locum S. Hierothei: sed in præsentia omitto, quod inter S. Hierothei fragmenta post eiusdem vitam, quæ in hoc ipso tomo infrà habetur, inseruerim.

Iam ad propositum reuertamur, declarandum nobis est in præsenti, quæ sint communia diuinæ distinctionis nomina. *id est, quæ toti diuinitati, vt in tres personas distinctæ, indifferenter conueniant.* Per distinctionem autem significatur processio, siue emanatio diuinitatis ad creaturas.

Nomina porrò ad illam processionem pertinentia sic sunt communia, vt sint & coniuncta: adeóque vnum in tribus personis, vt hæc nimirum, bonitas, essentia, vnitas, deitas, quæ licet communicentur & multiplicentur in creaturis, tamen in se manent indiuisa. Quod meus Præceptor Paullus mirabiliter intellexit, cùm dixit: *Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Nam indiuinis vnio vincit diuisionem, & post hanc quoque diuisionem manet immutabilis.

S. PAVLVS BEATI DIONYSII PRAECEPTOR.

1. Ad Cor. 8.

Anno-

Annotatio.

Circa doctrinam S. Dionysij in hoc capite productam hæc notanda sunt. Primo quidem in illa similitudine de multis vno in loco facibus, quarum singula lumina distincta sint, & tamen tota sint alia in alijs, videtur Dionysius tenere lumen esse corpus. Si enim teneret esse accidens, teneret etiam consequenter non esse tria distincta lumina, sed vnicum à tribus caussis partialibus productum, idq; intensius, quàm si ab vnicâ, vel à duabus tantum caussis productum esset: non secus atque in calore accidit, qui à pluribus caussis excitatus est quidem intēsior, quàm si ab vnica caussa, sed tamen vnicus. Quòd autem ita de luminibus loquatur, quasi sint corpora, patet etiam è duobus: vno quidem, quod dicat ea lumina habere distinctionem subsistētem. Sic enim scribit: ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει διάκρισιν, *propriè subsistentem habent distinctionem: Altero, quòd addat educta vna face totum simul eius lumen educi, & nihil aliarum: per quod significatur motus localis, qui proprius est corporum. Et quidem ante Aristotelem, adeóque illius ipsius tempore videtur communis fuisse sententia lumen esse corpus, immo etiam post illum non paucorum, qui scilicet Platonici esse maluerunt (quales ferè omnes SS. Patres Græci) quàm Aristotelici. Nam quòd à fide nostra multò abesset longiùs Aristoteles, quàm Plato: minùs Aristoteli adhæserunt, quàm Platoni. Aristoteli autem & Sancto Thomæ & hodiernis philosophis verior ea videtur sententia, quæ lumen docet esse accidens, siue qualitatem. Hanc probat Aristoteles, & alteram confutat libro 2. de anima cap. 7. quam clarissimè explanant Conimbricenses ibidem: sed quæstionem in vtramque partem diffusè & clarè disputat Franciscus Toletus ad eundem Aristotelis locum, & omnibus quidem, quos viderim, pleniùs & exactiùs, octo rationibus pro priore sententia in medium productis & enodatis.*

Notandum 2. tametsi detur hanc Aristotelis veriorem esse sententiam, non tamen eam Dionysij similitudinem aut perperam, aut frustra esse allatam, cùm solitos sciamus Philosophos, immo & Theologos sanctósque Patres res cuiuspiam declarandæ gratia opinionibus interdum uti apud aliquos probabilibus, aut similitudinibus exemplísue à vulgo receptis, licet illas ipsi non teneant: quemadmodum & S. Thomas obseruauit. Quare & S. Dionysius, quamuis etiam aliter de lumine aliàs sensisset, tamen quò sanctissimæ Trinitatis mysterium obscurissimum lucidius redderet, dici posset de lumine locutus esse ex probabili veterum, atque etiam vulgi sententia, quia nimirum longè magis proposito suo ea seruiret sententia quàm altera. Quin & ipsum Aristotelem etiam de lumine nonnulla sic effatum esse reperimus, ut modo S. Dionysium. Nā in libro Problematum, sectione XI. sub finem, siue quæstione 33. vbi quærit, cur vox meliùs audiatur noctu, quàm interdiu? siue, cur nox aptior sit ad audiendum, quàm dies? vnam inter alias responsionem affert, in qua dicit solis radios & lumen esse corpora. An, inquit, quia meliùs auditur vox per inanius, quàm per plenius? est autem aër interdiu densus, vtpote lumine, & radijs oppletus, noctu autem rarior: postquam ab eo ignis & radij (quæ sunt corpora) abcesserunt. Ita ibi. Per ignem porrò ibi intelligit lumen, quod natura est ignea: vt patet ex eo quod antè dicit: lumine & radijs oppletus. Neque enim aër repletur interdiu igne & radijs, sed lumine & radijs. Hac S. Dionysij ductâ à facibus similitudine vsi sunt & alij magni in Theologia Patres, Leontius Byzantinus contra Nestorianos & Eutychianos, & S. Ioannes Damascenus libro primo Orthodoxæ fidei, cap XI. nisi quòd hic pro tribus facibus tres soles vsurpat, & stringit potiùs similitudinem quàm explicat.

Nox aptior est ad audiendum quam dies.

Notandum præterea ad clariorem eorum, quæ de distinctionibus & processionibus hic afferuntur, intellegentiam, dupliciter eas accipi. Nam est quædam distinctio & processio in diuinis, quæ propria appellatur, secundùm quam vna persona procedit & distinguitur ab alia: quo etiam modo ipsæ personæ diuinæ multiplicantur. Altera verò est, quæ distinctio coniuncta dicitur [id est, communis toti Trinitati] & hæc est processio, secundùm quam creaturæ à Deo procedunt, & inter se multiplicantur & distinguuntur, Deo ipso manente vno & indiuiso. De qua doctrina videndus est S. Thomas in S. Dionysium de diuinis nominibus, ad caput 2. lectione 2. & 3.

CAPVT III.

Continet hoc caput nihil aliud, quàm præfationē quandam & præparationem ad ea, quæ de diuinis nominibus singillatim dicenda sunt. Ac primò quidem dicit precibus diuinam opem postulandam. 2. excusat se, quod post præceptorem suum Hierotheum res easdem tractare aggrediatur, quas ille tractauerat, simúlque multam Hierothei laudem complectitur.

ANtequam explicemus quid sit bonum, *inquit*, inuocanda est Trinitas, quę boni est principium, eique per preces coniungi debemus, sicque ea edoceri, quæ ad boni rationem spectant. Nam licet ipsa Trinitas omnibus sit præsens, non tamen ei præsentia sunt omnia: sed per sanctas preces ad eam appropinquamus.

Precationibus appropinquamus Deo.

Id deinde explicat duabus egregijs similitudinibus: quarum prior precationes assimilat tractui catenæ à cælo pendentis: altera tractui funis ad rupem alligati. Quam secundam similitudinem imitatus est beatus CLEMENS Alexandrinus libro quarto stromatum sub finem. Quemadmodum, *inquit*, qui in mari ad anchoram firmantur, trahunt quidem anchoram, sed illam non pertrahunt; sed seipsos potiùs ad anchoram: sic in vita contemplatiua qui Deum ad se nituntur attrahere, seipsos potiùs (tametsi non aduertant) ad Deum perducunt.

Vbi CLEMENS habet, anchoram, *Dionysius habebat:* παράλιαν πέτραν, maritimum saxum: *& vbi ille* vitam contēplatiuam, *hic* precationes.

Sed

Sed Dionysij similitudines sunt robustiores ac certiores. Nam maritima saxa & rupes nunquam ad se pertrahunt nautæ aut vectores: at verò ancheras sæpissime ad se & in nauim attrahūt & pertrahunt nautæ. Quare melior est sancti Dionysij cōpositio, quàm Clementis imitatio. Sancti Dionysij similitudines posui in ipsius vita capite 22. suprà.

CAPVT IV.

De Bono, Luce, Pulchro, Amore, Ecstasi, Zelo: & quod Malum non sit ens, neque ex entibus, neque inter entia.

BONITAS, DEI NOMEN.

HOc demum capite aggreditur explicationem diuinorum nominum singillatim.

Deus, *inquit*, vocatur Bonitas, quia per se & suapte natura est bonus, & bonitatem suā in res omnes creatas diffundit. Nam vt sol non arbitratu suo & voluntate, sed vi naturæ suæ, & hoc ipso quòd existit, omnia illustrat, quæ lucem pro modo suo capere possunt: sic Bonum ipsum, quod incomparabiliter soli præstat, omnibus rebus pro earum captu bonitatis radios dispertit, siue Angelis, siue hominibus, siue inferioribus naturis: eorum itē conseruationi & actionibus vniuersis præstò est, ita vt omnia à diuina Bonitate & sint, & dependeāt, & eam appetant: ac si fas est dici, etiam id quod non est, appetit summum Bonum, & conatur in ipso Bono esse.

LVX, DEI NOMEN.

Lux quoque ex ipso Bono existit, & imago est bonitatis. Hinc & Bonum Lucis nomine laudatur tanquā exēplar expressum in imagine. Vt enim diuina Bonitas à supremis naturis ad vltimas vsque pertinet, omnibusq; pręstat, ita vt nec illæ ad eius præstantiā pertingant, nec hæ eius comprehensionem effugiant, sed omnia illūstrat, efficit, viuificat, continet, perficit: estque omnium mensura & æuum & numerus & ordo & cōplexio & caussa & finis: sic etiam sol hic magnus, totus lucens, & semper splendens, cùm expressa sit imago diuinæ bonitatis, lumen per omnia diffundit, totum ipsum, quātus quantus est, mundū radijs collustrans. Quòd si quippiam illorum radiorum expers maneat, id neque infirmitati, neque paruitati diffusi luminis, sed ei quod eius est incapax, tribuēdū est. Hinc fit, vt & talia, quæ luci recipiendæ non sunt idonea, solis radius prętereat, & alia quę post ipsa sunt, illuminet. Nec est quippiā aspectabilium, ad quod eius magnitudo splēdoris non penetret. Quin etiā ad ortū corporum sensibiliū conducit, eaque ad vitā excitat, nutrit, auget, perficit, purgat, renouat. Denique lux mēsura est ac numerus horarum, dierum, totiúsque nostri tēporis. Illa enim est, quā diuinus Moyses, quamuis tū adhuc informē, tres primos dies definisse ac distinxisse dicit. Atque vt Bonitas ad seipsam omnia cōuertit, & prima omnium dispersorū est collectrix, tanquā vna principalis, & vnifica diuinitas; quā vt principium, vt medium, vt finē omnia appetunt, & vnde tanquam à caussa perfecta omnia subsistūt & sunt, vt ait Scriptura, & in qua item cōsistunt omnia quasi in fundo capacissimo custodita & cōprehensa, & ad quā velut ad finem suum omnia conuertuntur, & quam omnia appetūt; & rationalia quidem per cognitionem, sensitiua verò per sensum: sensus verò expertia per insitum motū vitalis appetitus: inanima denique per solā aptitudinem ad essentiæ participationem: ita lux quoque colligit, conuertitque ad se omnia quæ sunt, quæ vident, quæ mouentur, quę illuminantur, quæ calefiūt, & vniuersim quæcumque eius radijs comprehenduntur. Quare & sol ἥλιος dictus est, ὅτι πάντα ἀολλῆ ποιεῖ ϗ συνάγει τὰ διεσκεδασμένα, quòd omnia congreget, & dispersa colligat. Omnia item solē appetunt, siue vt videant, siue vt moueantur, siue vt illuminentur, siue vt calefiant, siue vniuersim vt eius lumine perfruantur.

SOLIS EFFECTVS ET PROPRIETATES.

QVOMODO OMNIA BONVM APPETANT.

Iam verò Bonum ipsum Lux mentis dicitur, quòd omnem cælestem mētem spirituali luce impleat, omnémque ignorantiam & errorem dispellat: ita nimirum vt grauibus obsitos tenebris primùm lumine modico impertiat, deinde cùm degustauerint, ampliúsque sitierint, abūdantiùs quoque infundat, eóque magis illustret, quo ardentiùs amauerint. Atque vt ignorantia solet errātes diuidere, atque ab vna recta via aut sententia aliorsum distrahere: ita lux spiritalis vim colligendi habet, coniungendíque eos qui illustrantur, perficiēdi quoque, & à multis opinionibus ad id, quod verè est, conuertendi.

IGNORANTIA PROPRIVM EST IN MVLTA MENTEM DIVIDERE.

PVLCHRVM.

Deo item siue summo bono tribuitur Pulchrum & Pulchritudo, Amor, & Amabile, aliáque similia nomina. Pulchrum & Pulchritudo in Deo omnium caussa non distinguuntur: sed in effectis distinguuntur. Nam in his Pulchrum est, quod pulchritudine præditum est. Pulchritudo autem est participatio ipsa pulchritudinis pulchrorum omniū, siue caussæ efficientis & communicantis pulchritudinem.

PVLCHRVM CVR DEO TRIBVATVR.

Pulchrum Deo attribuitur propter pulchritudinem, quam creatis rebus pro captu cuiusque dispertit, quódque earum concinnitatis & splendoris caussa sit, ac lucis instar in omnia radios diffundat pulchritudinis, atque ad se omnia alliciat. Vnde & Κάλλος [*pulchritudo*] dicitur, ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν. *vt omnia ad seipsam vocans*. Deus autem pulcher appellatur, quia totus pulcher & eminenter pulcher est, & perpetuò idem in sua pulchritudine permanens, sine ortu pulchritudinis, sine interitu, sine augmento, sine decremento: non partim pulcher, partim turpis; nec iam pulcher, aliàs turpis; nec huius respectu pulcher, alterius respectu deformis; nec hoc loco pulcher, alibi alius; nec aliquibus pulcher, alijs secus: sed quòd per sese vna & vniusmodi atque æterna & longè omnibus præcellenti constet pulchritudine.

ne. A qua pulchritudine omnia habent, quòd pulchra sint: ex qua etiam oriuntur concordiæ, amicitiæ, societates, fiúntque omnia vnũ. Est item pulchritudo principium & caussa efficiens omnium, ea mouens & complectens amore suæ pulchritudinis: nec non & finis omnium, ideóque amabilis, tanquam caussa finalis. Pulchri enim caussa fiũt omnia. Caussa etiam est exemplaris, quòd secundùm illam determinentur omnia. Hinc idem sunt Pulchrum & Bonum, quòd vtrumque secundùm omnẽ caussam omnia expetunt: nec est quidquam boni & pulchri expers, immo & quod non est, boni pulchrique fit particeps. Tum enim est pulchrum & bonum, cùm in Deo per omnium ablationem modo supereminenti celebratur.

Denique ex Vno, Bono & pulchro sunt omnia, eorúmque omnes status atque motus, seu Angelorum, seu animorum, seu corporum. Nam id quod est supra statum omnem atque motum, est vnicuique illorum status & motus, dum proprium illis & naturæ accommodatum tribuit statum atque motum.

MOTVS ANGELORVM CIRCVLARIS. Et Angeli quidem seu diuinæ mentes circulariter moueri dicuntur, cùm Boni & Pulchri illustrationibus principio & fine carentibus adunantur. [*id est, cùm vniformiter & eodem tenore sine vllo ad alia respectu Deum contemplantur, qui principio & fine caret.*]

MOTVS ANGELORVM RECTVS. Directè autẽ moueri dicuntur Angeli, cùm ad inferiorum procedunt curam ac prouidẽtiam, rectà quidquid infra se est, penetrantes.

S. Thomas in cap. 4. de diuinis nom. lect. 7. *Eorum enim prouidentia, vt inquit sanctus Thomas, transit ad omnia inferiora ad modum cuiusdam lineæ rectæ. De ratione igitur motus recti est, tam quòd habeat principium & finem (principiũ enim est ab Angelo, qui prouidet: finis autẽ est in eo, cui vltimò prouidet) quã quòd difformitatẽ. Propinquioribus enim prius prouidet, quàm remotioribus.*

MOTVS ANGELORVM OBLIQVVS. Obliquè verò mouẽtur, cum & inferioribus prouident, & à Dei contemplatione nõ discedunt; sed semper circa illum vniformiter mouentur, & quasi choreas agunt.

Itaque obliquus motus est inter circularem & rectum medius, & ex vtroque participans; ex illo quidẽ vniformitatem in Dei contẽplatione; ex hoc autem difformitatem in prouidentia inferiorum.

Sic de Angelis: nunc de Animabus.

ANIMÆ MOTVS CIRCVLARIS. Animæ motus circularis est eius ab externis rebus in seipsam introitus, & facultatum seu potentiarum ipsius vniformis conuolutio, quę tanquam in circulo motum ei tribuit ab omni errore liberum, atque illam ab externis, primò ad se, deinde ad Angelos conuertit ac colligit, postremóque ad Deum velut manu ducit.

MOTVS OBLIQVVS. Obliquus verò dicitur, cùm conueniẽter suæ naturæ diuinis cognitionibus illustratur, & rerum notitiam percipit, non spiritali quidẽ & simplici modo, sed via discursus, & transgressionis ab vna re ad aliam.

MOTVS RECTVS. Rectus denique animæ motus est, cùm non ad seipsam (is enim est circularis) sed ad externa circa se progreditur, à quibus tanquam à signis quibusdam varijs ac multiplicibus ad simplicium atque vniformium contemplationem eleuatur.

Horum trium motuum, qui tam in Animabus, quàm in Angelis reperiuntur, & illorum item trium, qui in rebus sensibilibus existunt, adeóque omnium rerum caussa est Pulchrum & Bonum, siue Deus, non productiua tantùm caussa, sed etiam conseruatiua & finalis. Quin & in ipso præexistit omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, materiale, & si quod est aliud; ita vt omnia quæ sunt, & omnia quę non sunt, supereminenti quadam ratione in Bono & Pulchro sint. PRINCIPIA RERVM SVNT QVINQVE S. DIONYSIO. Rom. 11. verso vltimo. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & ad ipsum sunt omnia,* vt sacra Scriptura loquitur. Quare quod bonum est & pulchrum, id expetendum, amandum, diligendum est ab omnibus, & omnia propter illud.

Ipse quoque rerum omnium auctor Deus propter singularem & eximiam bonitatem suam omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia conseruat, omnia conuertit. Itaque amor diuinus est bonus, & boni, & propter bonum. AMORIS NATVRA. Nam ipse AMOR, bonus opifex eorum, quæ in rerum natura sunt, in ipso Bono excellenter præexistens non permisit eum in seipso sterilem manere, sed ad agendum eminenti modo & ad omnia creandum impulit.

Sed dicet aliquis fortasse Amoris nomen, cũ diuina tractantur, vsurpandum non esse.

VERBORVM CAPTATORES CARPVNTVR A S. DIONYSIO. Cui ego respondeo, primò quidem in ijs quæ tractantur, rem & scopum attendendum esse, non verba: deinde nõ esse eorum, qui diuina intelligere volunt, verbis attendere; sed eorum potius, qui nudos sonos captant, & aure tenus duntaxat & extrinsecùs illos admittunt; non autem altiùs in animum dimittunt, neque scire volunt verborum significata, aut quibus alijs verbis eadem aptè declarari possint; sed tantùm elementis ac litteris, syllabis ac dictionibus incognitis adhærent, quæ in mentem non penetrant, sed forinsecus circum labia & aures perstrepunt. Quasi verò nõ liceat quatuor per bis duo significare, & figuram rectam per figuram rectas lineas habentem; & terram maternam per nomen patriæ, aut aliquid aliud per voces idem illud significantes: quandoquidem litteris & syllabis & dictionibus propter sensus vtamur: ita vt dum anima nostra ipso intellectu res intellectuales percipit, frustra sint sensus, & ea quæ sub sensum cadunt: sicut & ipsæ mentis facultates tum superuacaneæ sunt, cùm ipsa anima Deo similis effecta modo incognito illi cõiungitur, & luminis inaccessi radios non oculatis notionibus assequitur. Quum verò mens ad contemplatiuas cognitiones per sensibilia peruenire nititur, ea prorsus magis probanda

sunt

sunt sensibilia siue obiecta sensuum, quæ sunt manifestissima: vt sunt verba planissima, vt sunt clarissima eorum, quæ aspectabilia sunt. Nam si obscura sint ea, quæ obijciuntur sensibus, ne ipsi quidem sensus rectè illa menti obijcere poterunt. Ac ne videamur hæc dicere quasi Scripturas sacras peruertentes, audiant illas ij qui AMORIS nomen calumniantur.

Deinceps quòd nomen Ἔρως *siue AMOR locum habeat in diuinis, probat e Scripturis sanctis, & è sacris Doctoribus, proferendo sequentia testimonia:* Ἐράσθητι αὐτῆς καὶ τηρήσει σε. *Ama eam* (sapientiam) *& seruabit te.* (Prouerb. 4. ver. 6.) Itē: Ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς. *Amator factus sum formæ illius.* (Sap. 8. ver. 2.)

ANNOTATIVNCVLÆ.

Nota 1. hic locum sancti Ignatij: Meus amor Crucifixus est, *è sancto Dionysio expunctum esse, tanquam adulterinum, propterea quod reperiretur medium inter duas illas sacræ Scripturæ auctoritates hic positas. Quod manifestum est argumentum non a sancto Dionysio fuisse vsurpatum, sed ab aliquo imprudenter & loco non suo insertū. Nam Dionysius quidem non inter auctoritates sacræ Scripturæ, sed post illas, imò & post auctoritatem sancti Paulli & sancti Hierothei magistrorum suorum vsurpasset. Deinde in illo loco Ignatij (prout quidem est in epistola eius ad Romanos) Amor non accipitur pro amore sancto, sed pro amore concupiscentiæ & dicitur sicut illud Paulli:* Mihi mundus Crucifixus est. (Ad Galat. 6. vers. 14.) *Sed vide plura hic infra, quæstione secunda, & in Notationibus meis ad vitam sancti Ignatij infrà.*

Nota 2. licet vulgata editio habeat latinè Dilige eam, & seruabit te; ἐράσθητι *propriè significare* Ama, *Latinis autem plus est,* Amare, *quam* Diligere. *Vnde ille princeps Oratorum:* Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. (Tullius Lib. epist. 14.) *Quod igitur Latinis* Amor, *hoc* Ἔρως *Græcis.*

Redeo ad Dionysium eiusque doctrinam.

NVLLVS VERVS AMOR NISI RERVM DIVINARVM. Adeò, *inquit*, Amor in diuinis locum habet, vt illis propriè & maximè conueniat, nec aliarum rerum amor quàm diuinarum sit verus amor, sed simulacrum amoris duntaxat, & à vero amore defectio. Nam diuini & vnius amoris coniunctio, seu, si ita loqui licet, vnitas à multitudine capi nō potest.

Denique nomina ἀγάπη καὶ ἔρως, *Caritas & Amor* à sanctis Theologis pro eodem vsurpantur.

AMORIS EFFECTVS. Amoris porrò effectus sunt, diuisa coniungere, & è multis vnum facere, & eximio quodam modo commiscere, ac paria quidem inter se communi vinculo colligare, superiora autem ad inferiorum curam propellere: inferiora verò ad superiora conuertere, & conuersa corroborare. Item amantes extra se ponere, & quasi de statu dimouere, nec sinere illos esse suos, sed eorum quos amant. (ECSTASIS EST EFFECTVS AMORIS.) Quemadmodum patet, dum superiora fiunt inferiorum illis consulendo, & paria parium inter se cohærendo, & inferiora superiorum diuiniore quadam conuersione ad illa aspirando, tendendóque. Hinc magnus ille Paullus diuino amore captus, & virtute eius exstatica correptus ore diuino dicebat: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* (Ad Galat. 2.) Nempe vt verus amator & extra se in Deum raptus, nec sua iam vita viuens, sed vita dilecti, vt admodum amabili.

Quin & Deus ipse, (audebo enim id dicere) pulchro & bono omnium amore tactus, eiusdem amoris vi eximia & insuperabili extra se fit per suam ad omnia prouidentiam; qui & bonitate, caritate, amore quasi delinitur, atque de suo statu, quo ab omnibus & supra omnia est eleuatus, virtute quadam præcellenti ipsum emouente, ad eum statum dimittitur, quo se miscet omnibus, & à se non discedit.

Propterea & Zelotem, siue Æmulatorem Deum appellant rerum diuinarum periti, vt qui magnum ac benignum in ea quæ sunt amorem exhibeat, & sui amatorium desiderium excitet, & quasi æmulatorem seipsum demonstret, tum ea quæ amat, ardentissimè amando, tum ijs quibus prospicit, cupidissimè prospiciendo. (DEVS ZELOTES.)

Postremò amor & amabile ad bonum & pulchrum spectant, & in eo sita sunt, & ex eo nata.

At enim quid est, quòd Deum Theologi, nunc amorem & dilectionem vocant: nunc autem amabilem & dilectum? Nam illius quidem auctor est, & quasi productor ac progenitor: hoc autem ille ipse est: & vno quidem mouetur, & altero mouet. An quòd ipse sui productor, & motor sibi sit?

Respondeo, *inquit*, ideo amabilem & dilectum dici, quia bonus & pulcher sit: vocari autem amorem & dilectionem, quia sit vis mouens simul atque ad seipsum attrahens ac subleuans tanquam ad eum, qui solus per sese sit bonum ipsum & pulchrum, & sui ipsius per seipsum manifestatio, & eximiæ coniunctionis bona progressio, & amatoria motio, & simplex, per se mouens, per se operans, in Bono ipso præexistens, & ex Bono ad eaque sunt emanans, & ab his rursus in Bonum remeans. (DEVS AMABILIS. DEVS IPSE AMOR.) In quo diuinus amor excellenter ostendit se principio & fine carere, & instar sempiterni circuli propter bonum, ex bono, in bono, ad bonum certa quadam miniméque erratica conuolutione circumferri, atque in eodem & secundùm idem & procedere semper & manere & reuerti.

Hæc etiam præclarus ille noster sacrorum initiator Hierotheus in hymnis suis amatorijs diuinè tradit. *Amorem, inquit, siue diuinum, siue Angelicum &c. Vide infra post vitam ipsius sancti Hierothei, vbi nonnulla eiusdem Hierothei fragmenta subieci.*

QVAESTIONES 12. DE MALO. *Post hæc aggreditur sanctus Dionysius disputationē de Malo, & has proponit & exponit quæstiones.*

1. Quum omnia bonū & pulchrum appetant, qui fit, quod dæmones illud non appetant, sed ab eo delapsi, malorum omnium, tam sibi, quam aliis caussa sint?

2. Quomodo dęmones, cùm boni creati sint, boni non sunt?

3. Quomodo naturaliter boni, siue naturali bonitate in prima sui creatione donati, potuerunt fieri mali?

4. Quidnam est, quod dæmones fecit malos?

5. Quid est malum generatim sumptum?

6. Vnde & ex quo principio malum?

7. Quibus in rebus reperitur malum?

8. Quomodo bonus malū producere voluit?

9. Quomodo, si voluit, potuit?

10. Sin malum est ex alia caussa, quænam est alia caussa quàm bonum?

11. Quomodo existente prouidentia, aut fit omnino malum, aut non tollitur?

12. Quomodo aliquid eorum quæ sunt, bono relicto potest appetere malum?

His quæstionibus respondet sanctus Dionysius ὕστερον πρότερον *siue inuerso ordine. Sed ego ad maiorem claritatem atque distinctionē, solutiones ex eodem Dionysio acceptas in eum aptabo ordinem, quo positæ sunt ab eo quæstiones.*

DAEMONES QVOMODO BONVM APPETANT? *Primæ igitur sic respondet:* Dæmones quidē bonū appetere & pulchrum, dum scilicet appetunt esse & viuere & intelligere, malum autē tantùm indirectè & interpretatiuè; quatenus nimirum appetunt bonū modo & ordine indebito; siue bonum, cui defectus talis modi & ordinis quasi concomitatur, qui defectus est malū quoddā. Hoc est enim quod volunt ista sancti Dionysij verba: Καὶ τοῦ μὴ ὄντος ἐφιέμενοι, τοῦ κακοῦ ἐφίενται: *Et id quod non est appetentes, malum appetunt.* (QVOMODO MALVM?)

QVOMODO DAEMONES FACTI SVNT MALI? 2. *Sic:* Dæmones, licet creati sint boni, tamen suapte voluntate facti sunt mali, nimirum sponte Deum & diuina bona deserendo.

3. *Sic:* Non sunt facti mali natura, quasi naturā priorem amiserint, & pro ea malā acceperint, sed bonorū suorum iactura, quia *nō seruauerunt*, vt loquitur Scriptura, *suū principatum.* (Iude epist. v. 6.)

Mali autem dicuntur, quia ad actiones sibi naturales inualidi sint.

QVID SIT MALVM IN DAEMONIBVS? Quare malū in dęmonibus nihil aliud est, quā eorum à Deo & à diuina regula auersio, atque ab ijs, quæ illis conueniunt, secessio, & concupitorū frustratio, & à fine defectio, & imbecillitas, & fuga, & prolapsio. Item ratione carens ira, amens cupiditas, proterua phantasia.

MALVM QVID SIT? 4. Malos dæmones fecit voluntaria auersio & alia vitia iam dicta.

5. Malum generatim sumptū nihil est aliud, quā boni priuatio. Itaque malū est præter viā, præter intentionē, pręter naturā, præter caussam, præter principiū, præter finē, præter definitionem, præter voluntatem, præter substantiā. Denique Malum est priuatio, est defectus, est imbecillitas, est incommensuratio, est peccatum: est sine intentione, sine pulchritudine, sine vita, sine mente, sine ratione, sine perfectione, sine stabilitate, sine caussa, sine definitione: est sterile, ignauū, imbecillum, inordinatū, sine similitudine, sine termino, sine luce, sine essentia, & vnò verbo, Malū est, quod nihil omnino & nusquam est. *Horū explicationē vide apud S. Thomam in hunc locum sancti Dionysij.*

MALI QVODNAM SIT PRINCIPIVM? 6. Malum non habet aliud principiū quam bonum, quod tamen bonum non est principium mali per se, sed tantùm per accidens. Omnium, *inquit*, etiam malorum, principium & finis est bonum. Nam boni caussa fiunt omnia, & quæ bona sunt, & quæ mala. Nam & hæc quoque boni desiderio agimus. Nemo enim ad malum respiciens facit, quę facit. Hinc non subsistit malum, sed quasi subsistit, cùm boni caussa, non sui fiat. Et malo dandum est, quòd sit per accidens & propter aliud, non autem ex proprio principio. Vnde cùm fit, rectum quidem videtur esse, propterea quòd boni caussa fiat, re autem verà rectum non est, quia quod bonum non est, bonùm putamus. Ostensum enim est aliud esse quod appetitur, & aliud quod fit.

Vide diuū Thomam in hunc locū: & rursus in prima parte, quæst. quadragesima nona, articulo primo.

QVOMODO MALVM SIT IN REBVS CREATIS. 7. Malum inuenitur in rebus creatis, sicuti & corruptio. Verba sancti Dionysij: ἔστιν ἄρα ἐν τοῖς οὖσι, καὶ ὄν ἐστι, καὶ ἀντιτίθεται καὶ ἐναντιοῦται τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν. *Est igitur malum in ijs quæ sunt & est ens, & opponitur atque aduersatur bono. Et subdit:* Καὶ εἰ φθορά ἐστι τῶν ὄντων, οὐκ ἐκβάλλει τοῦτο τοῦ εἶναι τὸ κακόν, ἀλλ' ἔστι καὶ αὐτὸ ὂν καὶ ὄντων γενεσιουργόν. Ac licet malum sit corruptio eorum quæ sunt, non tamen hoc facit, vt malum non sit, sed & ipsum est aliquid, atque etiam rerum generatiuum. *Ibi plura. Vide Diuum Thomam in caput quartum de diuinis nominibus, Lectione decima quinta & decima sexta. Item in prima parte, quæst. quadragesima octaua, articulo secundo, tertio, & quarto, & sanctum Augustinum in Enchiridio, capite vndecimo & sequentibus, & nominatim capite decimo quarto. Quapropter, inquit, in ijs contrarijs quæ bona & mala vocantur, illa Dialecticorum regula deficit, qua dicunt: Nulli rei duo simul inesse contraria.*

MALVM NON EST IN DEO. 8. Deus non produxit malum, nec producere voluit, nec est in Deo malum. Aut enim bonus non est, aut bona facit: & sic quidem facit, vt non tantùm aliqua vel interdum faciat, aliàs autem non, aut non omnia; sed omnia & semper. Alioqui caderet in eum mutatio. Itaque Deus non est auctor mali, nec malum in Deo est, neque simpliciter, neque certo tempore. Immo nec in Angelis est malum.

NEQVE IN ANGELIS. Nam bonus Angelus, diuinæ nuncius bonitatis, imago Dei est, lucis non apparentis manifestatio, speculum purum, nitidissimum, intaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens in se totam, si fas est dicere, diuinæ boni-

bonitatis pulchritudinem, & in seipso secretioris silentij (quale in adytis esse solet) bonitatem, quoad eius fieri potest, in lucem proferens. *Id est (vt postremum membrum paullo exponam clariùs) Et incomprehensæ bonitatis, ac velut in adytis quibusdã impenetrabilibus abstrusæ, magisque silentio dignæ, quàm eloquio, immensam bonitatem, quantum creaturæ fas est, in sese ad viuum exprimens.* Nec est quòd Angelos quispiam dicat esse malos, quia peccatores puniant. Nam ea ratione qui improbos castigant, essent mali: & Sacerdotes qui à diuinis mysterijs profanos arcent, essent mali. Verùm non pœnam aliquam subire est malum: sed aliquid pœna dignum patrare, id demum malum est. Nec à sacris pro suo merito arceri, sed scelestum esse & profanum & indignum sacris, hoc malum est. *Ita sanctus Dionysius. Vnde colligitur improborum punitiones posse etiam bonorum Angelorum fieri ministerijs.*

PVNIENTES NON SVNT MALA.

DAEMONES NON SVNT MALI NATVRA.

Ne Dæmones quidem naturâ sunt mali. Nam si mali naturâ essent, neque ex Bono essent, neque in rerum natura essent, neque ex bonis in malos mutati essent: quippe naturâ & semper mali. Deinde si naturaliter essent mali, aut essent naturaliter mali sibi ipsis, aut alijs. Si sibi ipsis, naturaliter seipsos corrumperent: *quod naturaliter fieri nequit: cùm nihil scilicet sui ipsius sit corruptiuum naturâ*. Si alijs, quomodo vel quidnam corrumpent? substantiamne, an virtutem, an actionem? Atqui horum nihil dici potest. Non primum: quia si malum corrumperet substantiam, primò hoc non fieret cõtra naturam. Corrumpere enim non potest incorruptibilia, sed tantùm ea quę sunt capacia corruptionis. Deinde quod esset naturaliter malum, semper & respectu cuiuscumque esset malum & corruptiuum: *Sicut natura calidum, ignis videlicet, respectu cuiuscumque & semper est calidum.* Denique nihil eorum quæ sunt, à malo corrumpitur secundùm substantiam vel naturam rei, quæ dicitur mala (*sicut in homine malo non corrumpitur hominis natura*) sed secundùm aliquid, quod cum natura coniunctum est; nempe secundùm proportionem & symmetriam, quæ semper eodem modo permanere non potest, sed infirmitatem patitur, non absolutam quidem, sed imperfectam. Nam si absoluta infirmitas esset, & seipsum & subiectum suum tolleret. Itaque imperfecta imbecillitas non est malum secundùm naturam, sed bonum cum aliquo defectu. Nam quod omnino expers est boni, non inuenitur inter res creatas.

Eadem est ratio de corruptione secundùm virtutem, eadem est secundùm actionem. Prętereà si dęmones natura essent mali, semper fuissent, & essent mali. Atqui malum non est stabile. Vnde si semper eodem modo se habeant, non sunt mali. Nam semper idem esse, boni est proprium. Quòd si semper mali non sunt, non sunt mali naturâ, sed Angelicorum bonorum defectu.

IN HOMINIBVS NON EST MALVM A NATVRA.

Nec in hominibus est malum à natura: sed mali sunt tantùm ex bonorum habituum & operum defectu: qui defectus ex hominis imbecillitate accidit. Sic aër est tenebrosus ex luminis absentia, quod lumen semper est lumen, & semper depellere tenebras aptum & natum est.

IN BRVTIS NON EST MALVM.

Neque etiam in animantibus rationis expertibus inest malum. Si enim iracundiam & cupiditatem, & alia quæ appellantur mala (non sunt autem mala ex natura sua) sustuleris, ipsam animalium naturam sustuleris. Vt si Leoni adimas ferociam ac superbiam, ne Leo quidem erit. Et canis si blandus sit omnibus, non erit canis. Est enim canis proprium allatrare, & familiarem quidem admittere, abigere verò alienum.

LOCVS IN S. DIONYSIO VITIOSVS NVNC PRIMVM CORRECTVS.

Nota in omnibus latinis exemplaribus pro allatrare, *legi* custodire: *propterea quòd in græcis legatur* φυλακτικὸν *aptum ad custodiendum: sed ego ablata vnica littera legendum prorsus existimo* ὑλακτικὸν, *vim latrandi habens; sine qua vi, vt sua proprietate, non erit canis, sicut innuit Dionysius: at sine aptitudine ad custodiendum potest esse canis. Nec enim illa aptitudo est propria cani, vt omni conueniens & soli. Adde quòd S. Dionysius loquatur de ijs, quæ videntur mala. Tale autem non est aptum esse ad custodiendum.*

IN NATVRA NON EST MALVM.

Sed neque in tota natura est malum. Nam si omnes naturales rationes siue proprietates ab vniuersa natura emanant, nihil est tali naturæ contrarium. Particulari autem naturæ aliquid est secundùm naturam, & aliquid est non secundùm naturam. Nam alij aliud est præter naturam: & vnum idémque huic secundùm naturam est, & alteri præter naturã. Porrò naturæ malum est id quod præter naturam est, siue priuatio eius quod secundùm naturam est. Quare natura ex se non est mala; sed eius malum est, ea quę illi propria sunt, exequi non posse.

IN CORPORIBVS NON EST MALVM.

Neque item in corporibus malum est. Nam deformitas & morbus, illa quidem pulchritudinis, hic autem bonæ constitutionis defectus est. Hic autem defectus non malum omnino est, sed minus bonum. Nam si pulchritudinis & formæ & constitutionis omnimoda esset dissolutio, etiam corpus ipsum interiret.

Quòd autem nec corpus sit ipsi animæ caussa mali, hinc manifestum est, quòd malum etiam absque corpore reperiatur, vt in dæmonibus.

Denique hoc mentibus & animis & corporibus malum est, infirmitas scilicet ad conuenientia sibi bona vel capessenda, vel retinenda.

IN MATERIA NON EST MALVM.

In materia quoque, vt materia est, malum non est. Nam ornatus & pulchritudinis, & formæ particeps est. Quòd si nuda & sine his consideretur, neque sic mala dici potest, ne-

dum primum malum: cùm primum malum vocent, quod mala omnia efficit: materia autem nihil efficiat, quippe quæ nec pati quidem possit.

Intellige cum Diuo Thoma tanquam à contrario. Nam alioqui formas recipere potest, & recipit, quod etiam pati est Philosophis, sed in alio significatu.

Deinde quomodo materia malum est? Si enim non est vllo modo; certè nec bonum, nec malum est: sin autem est, cùm omnia quæ sunt, ex bono sint, etiam materia ex bono erit, & consequenter bona.

Nam vel bonum est caussa mali: vel malum, vt à bono manans, est malum. Aut contrà; vel malum est caussa boni; vel bonum, vt è malo manans, est malum: vel certè duo erunt principia, & illa ab alio vno capite dependentia. Atqui horum omnium nihil stare potest.

Omisit Sanctus Dionysius horum probationem, vel quia per se constant, vel quia antè probata sunt. Sic autem probari possunt: Non potest dici bonum esse caussa mali, vel malum boni: Quia esset verum dicere, vnum oppositorum esse caussam alterius. Absurdum hoc. Nec item dici potest bonum esse malum, nec contrà. Quia esset dicere opposita esse simul. Absurdum & hoc. Neque etiam dici potest duo esse principia distincta: quia necesse esset illa esse ab vno, cùm ante omnem multitudinem sit vnitas. Illud autem vnum, vel erit bonum, vel malum, ac sic redibunt iam refutata absurda & inconuenientia. Absurdum quoque hoc.

Quòd si dicant materiam ad mundi complementum esse necessariam: quomodo materia est malum: Aliud enim est malum, & aliud est necessarium.

Deinde si materia est mala, quomodo Deus ex malo aliqua deducit ad generationem? aut quomodo malum requirit bonum? [*materia scilicet formam.*] Nam malum fugit naturam boni, eique aduersatur. Aut quomodo materia, si mala est, generat & alit naturam? cùm malum, quà malum est, nec generando, nec nutriendo, nec prorsus agendo, nec seruando sit idoneum.

Si dicatur materia non procreare malum in animis, sed illos duntaxat ad malum pertrahere: hoc ipsum qui fieri potest? Nam multi ad bonum spectant, & illud sequûtur: quod fieri haudquaquam posset, si eos materia omnino ad malum traheret. Quare non ex materia est malum in animis, sed ex inordinato & errante motu. Sin adferatur istum motum sequi materiæ ductum; & materiam ipsam, licet instabilem, necessariam esse ijs, quæ consistere per se non possunt: quomodo malum est necessarium? aut quod est necessarium, est malum?

In privatione non sit malum. Postremò nec in priuatione est malum, nec ipsa per se aduersatur bono. Nam si est omnimoda & absoluta priuatio, vim nullam habet: sin autem est particularis priuatio, seu quæ vnam tantùm formam excludat, non aliam; tum aliquam vim habet, sed non quatenus priuatio, verùm quatenus non est perfecta priuatio, seu quatenus est coniuncta formæ, quæ non est priuatio. Nam existente particulari priuatione boni, nondum est malum: recedente autem priuatione, & ipsa mali natura euanescit. Atque vt summatim dicam, Bonum ex vna & integra caussa existit: Malum autem ex multis & particularibus defectibus.

Vide hic Diuum Thomam lectione vigesima secunda explicantem id tam in naturalibus, quàm in moralibus.

Scit Deus malum & bonum: & beneficia & virtutes sunt apud eum caussæ malorum.

Dat rationem Diuus Thomas hic. Eadem enim virtus est, inquit, quæ facit bonum, in quantum est perfecta, & quæ facit malum, in quantum est deficiens: sicut patet de libero arbitrio, quod est caussa mali & boni. Et vniuersaliter omne quod est caussa mali, est etiam caussa alicuius boni.

Malum non sit ab æterno. Malum non est ab æterno, quasi primum aliquod principium, nec creat quidquam, nec vim vllam habet, nec existit, nec quidquam facit.

Vnde enim haberet hæc omnia? Nam necessarium est, vt aut malum hæc habeat à bono, aut bonum à malo, aut vtrumque aliunde, ex aliqua scilicet priore caussa. Quidquid enim est secundum naturam, ex certa & definita caussa nascitur. Malum autem, nec caussam habet, nec definitum est. Hinc non est secundùm naturam. Sed neque secundùm artem, cùm non habeat rationem aliquam in arte. An igitur anima est omnium malorum caussa, ita vt omnia quibus iungitur impleat malitia? sicut ignis caussa est caloris, & per se propinqua omnia calefacit: Dici hoc non potest. Anima enim in se bona est, sed tantummodò secundùm actiones suas iam bona fit, iam mala. Nam à Deo creata est bono omnium auctore atque caussa, cuius effecta omnia sunt bona: secundum actiones suas autem non sic est mala, vt necessariò, aut immutabiliter sit talis. Nam alioqui vnde illi virtutes, nisi aliquando bona esset? Relinquitur ergo malum nihil aliud esse, quàm imbecillitatem & boni priuationem. Bonorũ caussa est vna, malorum autem multæ: siquidem bono malum contrarium, & vni multitudo. Non ita verò accipiendum est malorum esse multas caussas, quasi illæ sint caussæ efficientes & per se: non ita, sed potiùs deficientes & caussæ per accidens tantum, quales sunt imbecillitas, infirmitas, & dissimilium mistio incomposita. Hinc fit, vt cùm mala emergant ex virtutis defectu, ac debilitate potentiæ, non sint firma atque immobilia, sempérque eodem modo se habentia, sed indeterminata, indefinita, & innumeras habentia varietates.

Vnde anima fiat mala. *Malorum quomodo multæ caussæ.*

Quia scilicet quod ex debilitate caussa prouenit, aliquan-

aliquando sic, aliquando aliter accidit, non valente caussa eundem in rebus suis ordinem ac tenorem diu conseruare.

DEVS NON POTEST PRODVCERE MALVM.

9. *Quæstioni sic respondet:* Deus producere malum non potuit. Quemadmodum enim ignis non est refrigerare; ita nec boni proferre in lucem non bona.

10. *Respondet:* Mali caussam esse bonum. Intellige caussam per accidens. *Vide responsionem ad 6. quæstionem. Vt enim quæstiones, sic concordant & responsiones.*

DEI PROVIDENTIA IN PERMITTENDIS MALIS.

11. Ad Dei prouidentiam spectat non impedire malum, nec tollere, sed ad vtilitatem, seu priuatam, seu communem ordinare & permittere: præsertim cùm malum nullum sit non admixtum bono.

Diuina igitur prouidentia bene vtitur malis, nunc ad ipsorum vtilitatem, [*Vt cùm infirmitates corporales vel spirituales, Deo id agente, in eorum commodum aut salutem cedunt*] nunc ad aliorum, seu priuatam, [*vt cùm vno punito emendatur alius;*] seu publicam, [*vt cùm improborum & sceleratorum pœna ordinatur ad pacem, & bonum ciuitatis.*]

Itaque temerarium eorum sermonem non recipimus, qui dicunt debere Prouidentiam etiam inuitos ad virtutem impellere. Non est enim Prouidentiæ naturam interimere, sed conseruare, & iuxta cuiusque conditionem & statum gubernare, bonisque afficere, quod Deus continuo facit.

12. *responsio ex prima colligenda est: nempe nihil appetere malum relicto bono, nisi interpretatiuè: quatenus scilicet appetit bonum; cui annexum est malum. Deinde si malum appetit, non nisi propter bonum illud appetit, iuxta illud eiusdem Dionysij, allatum in responsione ad sextam quæstionem:* Omnium etiam malorum principium & finis est bonum. *Græcè:* πάντων καὶ τῶν κακῶν ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶ τὸ ἀγαθόν.

Præterea solutio duodecimæ huius quæstionis potest videri contenta in illis verbis: Quonam pacto malum omnino aliquid potest? nempe sui cum bono mistione. *Quasi dicat: Qui fieri potest, vt malum vim aliquam habeat pelliciendi ad se instar finis? tum respondet:* id habet quatenus bono coniunctum est, siue quatenus habet adiunctum sibi bonum. Alioqui per se nihil est, & nihil potest. Nam si bonum est ipsum ens, & id quod voluntas appetit, & id quod potens est, & id quod efficax, necesse est eius contrarium nihil posse, quandoquidem & essentia careat & voluntate & potentia & efficacia. *Sic Dionysius. Et addit:* Mala nō sunt omnia omnibus, nec omnino eadem secundùm idem. Nam dæmoni malum est, quod non est conforme diuinæ bonitati: animæ malum est, quod est contra rationem: corpori, quod est contra naturam. [*siue contra naturalem constitutionem.*] Peccantes in scientia vocat Scriptura eos, qui in cognitione boni necessaria, aut in actione deficiunt, & eos qui

Luc. 12. ver. 47.

Domini voluntatem scientes non faciunt: qui audierunt quidem verbum Dei, sed ad credendum & agendum infirmi sunt: & eos qui nolunt intelligere, vt bene agant propter volūtatis vel deprauationē, vel imbecillitatē. Psalm. 35. vers. 4.

Denique vno verbo malum est infirmitas & defectus aut scientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bonæ. MALVM QVID SIT.

Sed dicet quispiam: infirmitati non pœna debetur, sed venia. Respondetur id verum esse, si desit facultas eius infirmitatis declinandæ, seu euitandi peccati: sed cùm Deus, vt Scriptura loquitur, *det omnibus affluenter*, gratiamque suppeditet vnicuique cōuenientem ad resistendum peccato, excusationem non habet, qui in illud ignauia sua prolabitur. Iacobi c. 1. ver. 5.

Hæc est summa documentorum capitis IV.

CAPVT V.

De ente, vbi & de exemplaribus.

ENTIS NOMEN, VT DEO CONVENIT, QVATENVS EXPLICARI POSSIT.

Dicēdum iam de alio nomine Dei, quod verè est eius. Illud autem est *ENS*, siue *Qui est*. Non dicetur quidem de illo nomine, prout significat Dei essentiam in se existentem (sic enim nec intelligi, nec explicari, nec capi potest) sed quatenus est principium omnis alterius entis, siue quatenus progreditur & se extendit ad dandum rebus omnibus, vt sint & existant.

Nomen Boni quidem extendit se ad omnia entia & non entia, & vtraque exuperat.

Entis autem nomen ad omnia entia se extendit, & est supra omnia entia. Vitæ verò nomen ad omnia viuentia, & est supra omnia viuentia.

Sapientiæ porrò ad omnia mentis, rationis, sensus capacia, & est supra hæc omnia.

Hæc ergo nomina exponentur, quatenus prouidentiam erga res ab eo creatas significant, & caussæ sunt rerum quæ essentiam, vitam, sapientiam participant, non autem vt in ipso Deo sunt modo quodam incomprehensibili.

Neque tamen dicimus aliud esse bonum, aliud ens, aliud vitam, aliud sapientiam: quasi plures sint caussæ, vel deitates aliarum productiuæ, quædam præcellentes, quædam subditæ. (*quemadmodum scilicet docuerunt Platonici, qui supremam caussam omnium ponebant Bonum: & sub ea caussa generali alias particulares, vnam nimirum quæ daret vitam, alteram quæ sapientiam &c.*) Sed quia sunt varia nomina vnius eiusdémque principij [*Dei scilicet*] quorum aliquod declaret totam illius prouidentiam generaliter, [*secundum omnes effectus, quale est nomen Boni*] alia verò minùs generaliter, siue secundùm certos tantùm & determinatos effectus, vt illa, ens, viuens, sapiens. Vide D. Thomam in cap. 5. lectione 1.

At enim, dicet aliquis, cùm essentia latiùs se extendat quàm vita, & vita item quàm sapientia,

pientia, qui fit vt existentibus viuentia, & viuentibus sensitiua, & sensitiuis ratiocinantia, & ratiocinantibus mentes Angelicæ antecellant, Deoque propiùs accedant? Oportebat enim ea quæ maioribus à Deo bonis cumulata sunt, etiam præstantiora esse, & ceteris antecellere.

Responsio. Bene hoc quidem diceretur, si ea quæ mente prædita sunt, existentia carerent & vita: sed quandoquidem mentes Angelicæ etiam illis prędite sunt, ac perfectiùs quidem, quàm ea quæ sunt tantùm, aut quæ viuunt tantùm, aut quæ sentiunt tantùm, aut quæ tantùm, ratiocinantur], & eædem prætetea pulchrum & bonum appetant & participent, certè eo propiores Deo sunt, quo magis illa participant, & plura atque ampliora munera diuinitus consequuntur: vti etiam ipsa ratiocinantia sentientibus præstant, & hæc viuentibus, & viuentia existentibus. Nam hoc quidem, vt ego sentio, verum est, ea quæ munificentissimum Deum magis participant, illi quoque propinquiora esse atque diuiniora, quàm illa quæ minùs.

DEVS VOCATVR ENS, SIVE, QVI EST.

Nunc de ENTE siue de nomine, *Qui est*, dicendum.

Deus vocatur *Ens*, siue *Qui est*, quia primò & eminenter & vnicè & semper est, & omniũ planè entium caussa est; ita vt non certo aliquo & definito modo, sed simpliciter & incircumscriptè omne ens in seipso comprehendat & præoccupet. Neque enim ea quæ sunt, tantùm ex Deo sunt; sed etiam in Deo, tam ipsum ens, quàm principia entium, & entia omnia: idque incomprehensè & coniunctè & singulariter. Neque hoc mirum. Nam & in vnitate præexistit vniformiter omnis numerus, & continet vnitas in seipsa omnem numerum singulari modo: estq; omnis numerus in vnitate vnitus: sed in quantum ab vnitate recedit, in tantum discernitur & multiplicatur. Sic & in centro omnes lineæ circuli secũdùm vnam coniunctionem cohærent: & centrum ipsum omnes rectas lineas habet in seipso vniformiter tam inter sese quàm ad vnũ principium, à quo prodierunt, coniunctas: & in ipso quidem centro perfectè coniunguntur, paullulum autem ab eo distantes paullulum disiunguntur, & ampliùs distantes, ampliùs disiunguntur: & simpliciter quanto sunt propiores centro, tanto magis tam cum illo quàm inter se coniunguntur: & quanto plus ab eo distant, tanto & inter se ampliùs disiunguntur. Sic & in alijs rebus, adeoque in tota rerum natura. Nam omnes cuiusuis naturæ rationes vna quadam inconfusa coniũctione copulantur. Sic in anima coniunctæ sunt vniformiter facultates eæ, quæ singulis totius corporis partibus prospiciunt. Quare possumus ab hisce rebus ad auctorem omnium ascendentes cęlestioribus oculis omnia in Deo omnium auctore, etiam quæ inter se contraria sunt, vniformiter, coniunctéque contemplari. Nam est ipse omnium principium, à quo est ipsum esse; & omnia quomodocumque existentia, & omne principium, & omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis harmonia, omnis vis, omnis custodia, omnis firmitas, omnis distributio, omnis intelligentia, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motio, omnis cõiunctio, omnis mistio, omnis amicitia, omnis conuenientia, omnis diuisio, omnis terminus, & alia quæcumque, quibus entia omnia figurantur.

Omnia in Deo præexistere probatur induſtione. (margin)

QVO RES PROPIVS AD DEVM ACCEDVNT EO MAGIS INTER SE CONIVNGVNTVR. (margin)

Ex eadem quoque omnium caussa sunt Angelorum substantiæ & animorum, ac totius mundi naturæ, & quæ quocumque modo, aut in alijs esse, aut secundùm cogitationem esse dicuntur. Nam sanctissimæ atque antiquissimæ virtutes, quæ verè existunt, & velut in diuinę Trinitatis vestibulis collocatæ sunt, & ab ea & in ea, tam esse, quàm & diuino quodam modo esse habent: & quę infra illas sunt, inferiore item modo; & postremæ, postremo quoque modo: postremo, inquam, quantum ad Angelos spectat: quantum autem ad nos, modo supramundano.

Sic & animæ & alia quælibet existentia eodem modo & esse, & bene esse habent. Neque est quicquam omnino, quod existendi dono careat. Denique Deus est omnia in omnibus. Nec enim, hoc quidem est, illud verò non est: neque aliquo modo quidem est, aliquo verò non est, sed est omnia, tanquam auctor omnium: & in seipso principia omnia, & omnes fines continet, & priùs habet, suprà que omnia est, tãquam ante omnia superemineti modo existẽs. Hinc simul & omnia est, & nihil est omnium: & omni forma, omnique figura præditus est; & omni forma, omnique figura vacuus: & principia, media, fines incõprehensibiliter & excellenter in seipso complectitur, & cunctis secundùm vnam & simplicem caussam, existendi munus illibatè impertitur. Nam si sol hic noster inferiorum rerum naturas & qualitates, tametsi multas & differentes, tamen vnus ipse & vniforme lumen emittens renouat, alit, conseruat, perficit, discernit, copulat, fouet, fecundat, auget, mutat, stabilit, producit, mouet, viuificat, & res vnaquæque conuenienter naturæ suæ vnũ eundémque solem participat, & sol ipse vnus multorum participantium caussas in se vniformiter præobtinet: quanto magis concedendum est in vna tam solis quàm omnium existentium caussa, omnia rerum exemplaria secundùm vnam præcellentem coniunctionem antè extitisse? quãdoquidem & substantias producat, vt excedens substantiam. Exẽplaria vocamus, rerum effectrices & singulariter in Deo præexistẽtes rationes: quas Theologia modò prædefinitiones appellat, modò diuinas,

DEVS EST OMNIA ET NIHIL. (margin)

SOL IS EFFECTVS. (margin)

EXEMPLARIA QVID SINT. (margin)

diuinas, bonasque voluntates rerum determinatiuas & effectiuas, secundùm quas Deus omnia prędefiniuit, & produxit. Quòd si Clemens Philosophus censet etiam exemplaria dici ea, quæ in rebus principaliora sunt, non procedit eius sermo verbis proprijs & perfectis & simplicibus. Verùm vt concedamus hoc etiam rectè dici, tamen meminisse nos oportet Theologiæ dicentis: *Non ostendi hæc tibi, vt ea sequaris*, sed vt per horum cognitionem ad omnium caussam pro nostra virili euehamur.

Deuteron. 4 vers. 19.

Omnia igitur Deo secundùm vnam simplicissimam vnitatem attribuenda sunt: qui quidem ab omnibus vno modo participatur, non secus atque vna eadémque vox à multis auribus eodem modo excipitur.

Itaque omnium principium & finis est Deus, principium quidem, vt auctor: finis verò, vt propter quem omnia. Qui & præsens est omnibus & vbique, & ad omnia progreditur, & in seipso manet, stans & motus, & neque stās, neque motus, nec principium habēs, nec medium, neque finem: nec est in quoquam existentium, nec est eorum quippiam.

ANNOTATIVNCVLA.

Ne tibi videatur Sanctus Dionysius docere contraria, sic eius doctrinam capere debes, vt velit ea omnia, quæ de Deo hic affirmauit, posse etiam negari, propterea quòd ei non conueniant vt in rebus creatis inueniuntur, & vti à nobis intelliguntur, aut significantur: sed modo incomparabiliter excellentiori, & nobis ob infinitam perfectionem non tantùm inexplicabili, sed etiam incogitabili. Vide Sanctum Thomā super hoc quinto capite, lectione 3.

CAPVT VI.

De vita.

Vita, Dei nomen.

ALiud Dei nomen est vita. Est enim vita æterna, ex qua omnis vita communis, & omnis vita particularis dependet, & ex qua ipsum viuendi munus in omnia vitam quomodocumque participantia conuenienter vnicuique disseminatur.

Hinc & immortalium Angelorum vita, & immortalitas ipsa, & perpetuorum motuum Angelicorum inocciduus status, ex illa & per illam & est & subsistit. Vnde & vocantur *semper viuentes, immortales*, atque etiam è contrario *non immortales*: quia nimirum non à seipsis habent, quòd immortales sint, & æternum viuant; sed à caussa viuifica, dante ipsis omnem vitam & conseruante. Ex eadem animæ habent immortalitatem: omnia item animantia & plantæ, quæ extremum inter viuentia locum tenent, inde vitam accipiunt: qua è medio sublata, vt diuina ferunt eloquia, etiam omnis vita deficit: ad quam verò rursus conuersa, quæ prius ad eam participandam pro infirmitate defecerant, iterum reuiuiscunt.

Psal 1. Auferes spiritum eorum, et deficiet.

Ac primò quidem communi vitæ dat viuendi munus, deinde omni vitæ particulari, conformiter cuiusque naturæ: & Angelis quidem dat immaterialem, & deiformem, & immutabilem, & immortalem, nec non constantem & indeclinabilem motus perpetuitatem: ex abundantia verò bonitatis ad vitam quoque dæmonum se extendit. Nec enim illa aliunde habet, neque vitam, neque vitæ conseruationem, quam ab eadem vita æterna.

Dat etiam hæc VITA hominibus, tanquam mixtis, [*è spirituali scilicet & corporea natura*] vitam Angelis similem, & pro summa sua humanitate aberrantes nos ad sese conuertit & reuocat: & (quod sanè est diuinius) nos totos, animas, inquam, & socia corpora ad perfectam atque immortalem vitam perducturum se promittit: rem quæ antiquitati fortasse præter naturam existimetur: mihi verò & tibi & veritati diuina sit & supra naturam: dico supra naturam nostram & eam quæ videtur: non autem supra illam omnipotentem & vitæ diuinæ. Illi enim (vt quæ sit natura omnium vitarum & præsertim diuiniorum) vita nulla est præter naturam, aut supra naturam. Quamobrem amentissimi Simonis super hac re contradicentes sermones procul à diuino choro atque à tua sancta anima dispellantur. Ignorauit nimirum, vt mihi videtur, (licet in his sapiens sibi videatur) haud oportere hominem sanæ mētis, ratione à sensibus ducta contra abditam omnium caussam vti adiutrice. Et hoc ei dicendum est: id esse præter naturam dicere. Nam caussæ vniuersali nihil est contra naturam: cùm ex ea omnia deriuentur. Inde enim viuificantur & confouentur tam animantia omnia, quàm plantæ. Et quamcumque nomines vitam, seu intellectualem, seu rationalem, seu sensitiuam, seu nutritiuam, & augmentatiuam, seu qualemcumque aliam, seu etiam vitæ principium, seu vitæ substantiam, hæ omnes vitæ & viuunt, & vitam dant ab ea vita, quæ est supra omnem vitam, & in ea sicut in caussa vniformiter præextiterunt. Nam superior illa & principalis vita, omnis vitę est caussa.

Resurrectio mortuorum.

Simon Magus refutatur.

CAPVT VII.

De sapientia, mente, ratione, veritate, fide.

DEus sapientia vocatur, quia est ipsamet prima sapiētia, & omnis sapientiæ caussa, & omnem sapientiam & prudentiam longissimè exsuperans.

Sapientia, Dei nomen.

Neque enim solùm Deus superabundat sapientia, *& prudentiæ eius non est numerus*: sed etiam omnem rationem & mentem & sapiētiam transcendit. Quod cùm eximiè intellexisset vir verè diuinus, communis meus & præceptoris mei sol [*sanctus Paullus*] *Quod stultum*

Psal 146. vers. 5.

1. ad Cor. 1. versu. 25.

stultum est Dei, inquit, *sapientius est hominibus*.

Non modò quòd omnis humana intelligentia ad diuinæ atque absolutissimæ sapientiæ firmitatem ac stabilitatem collata, error quidam sit, sed etiam quòd in more habeant Theologi, priuationes in Deo sensu contrario enunciare. Ita sacra eloquia eum qui est lucidissimum lumen, vocant inaspectabilem: & multo celebratissimum ac multis clarum nominibus, ineffabilem appellant & innominatum: & omnibus præsentem & ex omnibus inueniendum, incomprehensibilem & inscrutabilem nominant. Hoc igitur modo & nunc diuinus Apostolus laudare dicitur *stultitiam Dei*, dum id quod in ea rationi dissentaneum & absurdum videtur, ad ineffabilem & omni virtute altiorem eleuat veritatem. Verùm (quod alio loco dixi) in eo decipimur, quòd superna nostro modo concipiamus, & immersi sensibus, diuina cum humanis comparantes, rationem diuinam & ineffabilem iuxta id quod nobis apparet, perscrutemur: cùm scire oporteat duo in nobis esse, mentem scilicet (qua intelligimus ea, quę illi sunt proportionata) & coniunctionem cum Deo, [*per gratiam*] quæ coniunctio naturam mentis superat, & ea attingit, quæ supra illam sunt. Hac igitur & non ingenio nostro diuina intelligēda sunt: ita vt toti extra nos totos simus, & toti Dei simus. Melius est enim vt simus Dei, quàm vt nostri ipsorum. Sic enim diuina nobis conferentur, si cum Deo simus.

QVINAM AD DIVINA PERCIPIENDA SINT APTISSIMI.

Hanc ergo *stultam sapientiam* præcellenter laudantes dicamus eam esse omnis mentis & rationis & sapientiæ & intelligentiæ caussam, eiúsque esse omne consilium, & ab ea omnem scientiam & intelligentiam emanare: & in ea *omnes thesauros sapientiæ & scientiæ esse absconditos*.

Ad Coloss 2. ver. 3.

Nam consequenter ijs, quæ antè dicta sunt, caussa illa sapientissima, & quæ super omnem est sapientiam, procreatrix est ipsius per se sapientiæ, & omnis tam generalis, quàm particularis sapientiæ. Ab ea igitur æterna sapientia habent mentes Angelicæ (quibus & intelligere, & intelligi competit) suas simplices & beatas cognitiones, non in diuiduis, aut à diuiduis seu sensibus, seu rationibus discursiuis diuinam colligentes notitiam, neque sub aliquo communi ea quæ cognoscenda sunt, complectentes, sed ab omni materie & multitudine liberæ, mentaliter, vt sic loquar, & immaterialiter & vniformiter diuina percipiunt. Inest & illis spiritualis vis & efficacia, inmixta & intaminata puritate resplendens, & diuinarum cognitionum perspicax, simplicitate sua & immunitate à materia, & mente deiformiter vna, ad diuinam ac longè sapientissimam mētem atque rationem, quoad eius fieri potest, per diuinam sapientiam efformata. Animæ quoque ipsæ ratiocinandi vim indidem habent, discursu quodam & circulo rerum veritatem circumeuntes, & diuidua sua atque omnigena varietate Angelis quidem inferiores, sed quæ multorum ad vnum recollectione, etiam cognitionū Angelicis similium (quoad quidem animabus assequi datur) facultate dignatæ sunt.

INTELLIGENDI MODVS IN ANGELIS.

INTELLIGENDI MODVS IN HOMINIBVS.

Quin etiam sensus ipsos si quis sapientiæ extremum gradum appellauerit, à scopo haud aberrauerit. Et sanè dæmonum mens, quà mens est, ex eadem quoque est sapientia: qua verò à ratione descíscit, & assequi quod appetit, non potest, neque vult; magis propriè dilapsio à sapiētia appellabitur. At enim quo pacto Deus ipse, qui est supra sapientiam, laudatur vt sapientia, vt mens, vt ratio, vt cognitio? Quomodo enim ipse quippiam eorū, quę intelliguntur, intelliget intellectualibus carens actionibus? Aut quomodo sensibilia cognoscet supra omnem sensum constitutus? & tamen eum scire omnia profitentur Scripturæ, nihilque diuinam effugere scientiam. Verùm quod sæpe suprà dixi, diuina dignè Deo intelligenda sunt. Nam mentis & sensus orbitas in Deo, non secundùm defectum, sed secundùm excellentiam ponēda sunt: quemadmodum & rationis expertem dicimus, qui est supra rationem: & perfectionis exortem, qui supra & ante perfectionem est: vti quoque impalpabilem & inaspectabilem caliginem, de lumine inaccesso, nempe secundùm excellentiam luminis aspectabilis. Ita vt mēs diuina omnia contineat cognitione ab omnibus exempta, in quantum est omnium caussa, in seipsa omnium scientiam anticipans; & Angelos, priusquam sint Angeli, cognoscens & procreans: & alia item omnia intra se & ab ipso, vt sic dicam, principio cognita habens, & in lucem proferens. Et hoc esse arbitror, quod Scriptura tradit, cùm ait: *Qui nouit omnia, priusquam fiant*. Neque enim res ex rebus discit diuina mens, sed in seipsa & ex seipsa per caussam, omnium scientiam & cognitionem & substantiam priùs habet & comprehensam tenet, non per speciem in singula se immittens, sed per vnam caussæ comprehensionem omnia sciens & continens: sicut & lumen per caussam in seipso tenebrarum cognitionem anticipat, non aliunde cognoscens tenebras, quàm à lumine. Seipsam igitur cognoscens diuina sapientia, omnia cognoscit; & quidem materialia immaterialiter, & diuisa indiuisè, & multa vnicè, omnia per vnum idémque & noscens & condens. Si enim Deus secundùm vnam caussam omnibus rebus dedit vt essent: certè secundùm eandem vnicam cognoscet omnia tanquam ex seipso existentia, & in seipso pręconstituta: non autem ab ijs quę sunt, eorum accipiet notitiam, sed illis potius singulis suipsorum notitiam & alijs aliorum cognitionem suppeditabit. Non igitur Deus propriam habet sui notitiam, aliam verò aliorum, quæ scilicet communiter ea quæ sunt compre-

INTELLIGENDI MODVS IN DEO.

Ad Hebræos 4.

Ecclesiastici 23 versu 29.

QVOMODO DEVS OMNIA COGNOSCAT.

comprehendat. Ipsa enim omnium caussa se cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa sunt, & quorum est caussa, ignorabit.

Hac igitur Deus cognoscit ea quæ sunt, non scientia ipsorum, sed suiipsius. Nam & Angelos dicunt Scripturæ ea quæ in terra sunt cognoscere, non per sensus, licet sint sensibilia, sed per propriam mentis deiformis virtutem & naturam.

QVOMODO DEVS COGNOSCATVR AB HOMINIBVS. Iam quærendum est, quomodo nos Deum cognoscamus, quippe nec intellectu perceptibilem, nec sensu, nec vniuersim eorum, quę sunt, quidpiam existentem.

Num igitur verum erit dicere nos Deum cognoscere, non ex sua natura (ignotum enim illud & rationem omnem ac mentem transcendens) sed ex ordine vniuersi tanquam ab eo proficiscente & quasdam imagines ac similitudines diuinorum eius exemplarium continente, nos ad eum, qui supra omnia est, via & ordine per omnium detractionem & per excessum & per omnium caussam pro virili ascendere? Propterea & Deus in omnibus cognoscitur, & sine omnibus: & per scientiam & per ignorationem; éstque illius intelligentia & sermo & scientia & tactus & sensus & opinio & imaginatio & nomen & alia omnia: itémque è contrario nec cognoscitur, nec dicitur, nec nominatur, nec est quippiam eorũ quæ sunt, nec in vllo eorum cognoscitur: & in omnibus est omnia, & in nullo aliquid: & à cunctis cognoscitur in omnibus, & à nemine in vllo cognoscitur. Nam hæc de Deo rectè dicimus, & ex omnibus quæ sunt laudatur iuxta omnium, quorum caussa est, proportionem.

QVOD CONTRARIA DE DEO ENVNCIENTVR, ET QVOMODO.

DEI COGNOSCENDI DIVINISSIMA RATIO. Est rursus illa Dei diuinissima cognitio, quę per ignorantiam acquiritur, coniunctione scilicet cum Deo supra mentem, quando mens nimirum à rebus omnibus secedens, ac deinde & seipsam deserens, splendidissimis radijs coniungitur, atque illinc & inibi inscrutabili profunditate sapientiæ collustratur.

Cognoscenda est etiam diuina sapientia è rebus omnibus, vt dixi. *Ipsa enim*, (vt Scriptura tradit) *omnium est artifex*, & semper omnia concinnans, & indissolubilis omnium cohærentiæ & ordinis caussa, semper fines priorum cum initijs sequentium coniungens, & vnam vniuersi conspirationem & harmoniam egregiè efficiens. Deus etiam à sacris Scripturis laudatur vt Ratio, non solùm quòd & rationis & mentis & sapiẽtiæ largitor sit: sed etiam quòd omnium caussas in seipso vniformiter anticipet: & quòd per omnia vadat, *attingens*, vt aiunt Scripturæ, *vsque ad omnium fines*. Et potissimè quòd diuina ratio omnem simplicitatem sua simplicitate longè antecellat, atque supra omnia cetera secundùm suam eminentem essentiam libera sit & secreta ab omnibus. Hæc ratio est simplex, veréque existens veritas, circa quam, vt circa puram & inerrantem omnium cognitionem diuina fides versatur, quæ stabilis est credentium status, & in veritate eos constituens, & in illis veritatẽ, immutabili firmitate simplicem veritatis cognitionem habentibus ijs qui credũt. Si enim cognitio copulatiua est cognoscentium & cognitorum: & ignoratio, semper mutationis & diuisionis à seipso caussa est ignoranti, certè in veritate credentem, vt Scripturæ diuinę tradunt, nihil de veræ fidei statu dimouebit: in qua immobilis atque immutabilis constantiæ habebit firmitatẽ. Probè enim nouit, quisquis adhæret veritati, se bene animo constitutum, quamuis multi ipsum arguant, quasi mẽte deturbatum. Quippe qui ignorent illum ab errore ad veritatem per veram fidem trãsiisse. Ille autem verè seipsum cognoscit, nõ, vt aiunt isti, insanientem, sed ab instabili & inconstanti in varios errores iactatione, per simplicem & semper eodem modo se habentem veritatem, esse liberatum, ac velut manu missum.

Sapientia 7. v. 21. OMNIVM ENIM ARTIFEX DOCVIT ME SAPIENTIA.

Sap. 8. v. 1. ATTINGIT ERGO A FINE VSQVE AD FINEM FORTITER.

FIDEI CHRISTIANÆ COMMENDATIO.

CHRISTIANI DE SVA FIDE CERTI PRO EA MORIVNTVR.

Sic ergo nostræ diuinæ sapientiæ primi duces quotidie pro veritate moriuntur, testantes, vt æquum est, verbo & facto singularem Christianæ veritatis cognitionem, omnium esse simplicissimam ac diuinissimam, atque adeo solam hanc veram esse & vnam & simplicem Dei notitiam.

CAPVT VIII.

De virtute, iustitia, salute, redemptione, vbi etiam de inæqualitate.

ANtequam Dionysij documenta proponantur, sciendum est per virtutem hic intelligi vim, siue potentiam, siue robur. Græcè enim est περὶ δυνάμεως *non autem* περὶ ἀρετῆς.

VIRTVS SIVE ROBVR, DEI NOMEN. Deus appellatur etiam virtus, vtpote qui omnem virtutem in seipso priùs & excellentiùs habeat, sitque omnis virtutis auctor, & omnia virtute sua inuicta & infinita producat, sitque caussa per quam virtus existat, siue vniuersalis, siue particularis, & tanquam infinitè potens non modò virtutem omnem producat, sed etiam sit supra omnem virtutem per se existentem, & possit præter eas virtutes quæ existunt, alias infinities infinitas procreare: quódque infinitarum virtutum in infinitũ procreatio non queat virtutem eius infinitam virtutum procreatricem vllatenus imminuere: denique quòd nec verbis exprimi nec cognosci, nec intelligi possit eius omnia excellens virtus, quæ vi sua qua pollet singulari & infirmitatem corroborat, & ea quæ infimo in gradu virtutem eius participant, continet atque conseruat: ita videmus in ijs, quę sensibus percipiuntur; nempe lumina prælucida etiam ab oculis debilibus conspici: & magnos sonos ab auribus non facilè sonos admittentibus percipi. Quod enim prorsus non audit, ne auris

ris quidem est: & quod omnino non cernit, ne oculus quidem est.

Ita igitur Dei infinita virtus ad omnia,quę existunt,pertingit; nec est res vlla, quæ absolutè omni virtute careat:cùm vel virtutem aliquam mentis habeat, vel rationis, vel sensus,vel vitæ,vel essentiæ: atque etiam ipsum esse,si fas est dicere,vim suam ad hoc, vt sit, à superessentiali virtute accipit. Ex ea sunt deiformes Angelicorum ordinum virtutes, quæ & immutabilem existentiam & omnes suos motus & stabilitatem ipsam, & boni cupiditatem ab infinita virtute acceperunt:quæ ipsis & posse,& esse,& desiderare semper esse, itémque posse desiderare vt semper sint immisit. Emanant verò ista inexhaustæ virtutis dona etiam ad homines & animantia & plantas,& ad totam vniuersi naturam: roborántque tam ea quæ coniuncta sunt, ad mutuam amicitiam & communionem, quàm ea quæ disiuncta,vt singula secundùm propriam rationem & definitionem inconfusa & impermista maneant. Vniuersi quoque ordines & compositiones in bono suo Virtus eadem cōseruat,& immortales simplicium Angelorum vitas intaminatas custodit, insupérque cælestes & illuminatiuas & stellares substantias & ordines inuariabiles tuetur:facitque vt æuum esse possit:& temporis circumuolutiones partim progressionibus distinguit,partim regressionibus colligit. Eadem Virtus & vim ignis inextinctam,& aquæ fluxus indeficiētes reddit,& aëris diffusionem determinat, & terrā super nihilo fundat,eiúsque vitales partus incorruptos conseruat: & mutuam elementorum harmoniam & temperamentum à confusione & diuisione defendit: & animæ corporísque vinculum continet, & plantarum virtutes nutritiuas & augmentatiuas exsuscitat, & substantiales omnium virtutes sustinet,atque indissolubilem vniuersi māsionem firmat,atque ipsam deificationem largitur,vires ijs,qui Dij fiunt,ad hoc ipsum suppeditās. Atque vniuersim nihil est planè in rebus creatis,quod non omnipotentem Dei Virtutem participet. Nam quod omni prorsus virtute caret,id neque est, nec vllum in vniuerso locum habet.

ELYMÆ MAGI S. PAVLO CONVICIANTIS OBIECTIO 2 ad Tim 2 v 13.

At enim si omnipotens est Deus, inquit Elymas magus,quomodo à vestro Theologo dicitur aliquid non posse? Nempe sic diuino Paullo conuiciatur,qui dixit Deum non posse negare seipsum.

EIVSDEM REFVTATIO.

Equidem valdè pertimesco hoc proponēs, ne & ego amentiæ irridear, qui ludentiū puerorum ædificia in arena structa & infirma dissoluere aggrediar,studeámque super hoc loco mentem Theologi, tanquam aliquod signum,quod attingi non possit, coniectura assequi. Nam negatio suiipsius est dilapsio à veritate. Veritas enim est ens: & dilapsio à veritate est dilapsio ab ente. Si igitur veritas est ens,& negatio veritatis est dilapsio ab ente, manifestò liquet Deum ab ente dilabi non posse. Nam ipsum non esse, non est: perinde ac si diceret aliquis:non potest non posse: & non scit non scire, secundùm priuationem. Quod sapiens ille scilicet [Elymas] non intelligens,athletas vincendi imperitos imitatur,qui sæpe fingentes suos aduersarios (quēadmodum ipsis videtur) esse imbelles, cum ipsis absentibus fortiter quasi cum vmbris depugnant, & postquam plagis inanibus audacter aërem verberauerint, existimāt se aduersarios suos deuicisse,séque victores prædicāt, cùm ne vires quidem eorum norint. Nos autem ipsam Theologi mentem pro virili nostra coniectantes, Deum, qui virtutem ac potentiam omnem superat,laudamus, vt omnipotentem,vt beatum ac solum potentem,& in potentia sua æternitati dominantem, tanquā qui nullatenus ab ijs quæ sunt, possit excidere,aut potius qui virtute sua supersubstantiali entia omnia priùs & excellentius in se habeat, détque omnibus largitate amplissima, tam vt possint esse,quàm vt hoc aut illud sint, iuxta virtutis suæ supereminentis excellentiam.

IVSTITIA DEI NOMEN.

Deus quoque appellatur IVSTITIA, quòd sua omnibus pro dignitate distribuat, suam cuique mensuram,pulchritudinem, ordinem,ornatum; suum singulis determinatū ius & inconfusum; proprias vnicuique & distinctas actiones. Quam quidem diuinam iustitiam qui calumniantur,ipsi semetipsos manifestæ iniustitiæ condemnant. Aiunt enim inesse debere mortalibus immortalitatem, imperfectis perfectionem, liberis necessitatem,mutabilibus constantiam, imbecillibus potentiam:oportere item temporalia esse æterna;mobilia esse immobilia; voluptates tēporaneas esse perpetuas; vnóque verbo, quæ aliorum sunt,alijs tribui volunt,cùm scire debeant diuinam Iustitiam in hoc verè esse germanam Iustitiam,quòd sua omnibus pro cuiusque dignitate tribuat,& vniuscuiusque naturam in suo ordine & virtute custodiat.

IVSTITIA DIVINA CALVMNIATORES REDARGVTVR.

Sed dicet aliquis, minimè id esse iustum, homines sanctos, cùm ab improbis affligantur,absque auxilio derelinquere. Verùm ij, quos talis sanctos appellat,vel terrena amant, vel diuina; si terrena & ea quæ ab hominibus terrenis vehementer appetuntur, certè illi ab amore diuino penitus exciderunt; atque haud scio,quo pacto sancti appellari possint; qui verè amabilia & diuina iniuria afficiunt, dum illa scilicet futilibus atque inamabilibus impiè postponunt: sin diuina & ea quæ verè sunt,amant;lætari sanè eos oporteret, dum optatis & expetitis perfruuntur. Quid? An non propiùs ad diuinas tunc accedunt Virtutes,cùm præ diuinarum rerum desiderio à terrenarum affectione se remouent, atque in susceptis pro Deo laboribus atque ærumnis

ADVERSITATES HOMINIBVS PROBIS ESSE PERVTILES.

perquam generosè se exercent? Verissimè enim dici potest, hoc potius diuinæ Iustitiæ esse proprium, non demulcere atque dissoluere robur virile terrenorum bonorum largitionibus; neque, si quis in illos id attentet, sine auxilio eos relinquere, sed in bono & constanti statu ipsos corroborare, & quæ tales viros decent, ipsis tribuere. [*nempe labores, sudores, pericula, & eiusmodi alia virtutis ac fortitudinis exercitia.*]

SALVS DEI NOMEN. Vocatur etiam SALVS: quòd naturam cuiusque saluam, & ab alijs puram intactámque custodiat, ordinémque eius conseruet ac tueatur, & in omnibus quoque propriarum eius actionum sit caussa.

REDEMPTIO, DEI NOMEN. Quòd si quis propterea SALVTEM vocari velit, quòd à deterioribus omnia custodiat & eripiat, nihil quidem repugnabo; sed tamen rogabo, vt primam omnium Salutem definiat esse eam, quæ omnia in ipsis immutabilia & concordantia, &, ne in deteriora labantur, conseruat: quæ omnia pugnæ bellique immunia & suis ordinata rationibus custodit: quæ omnem inæqualitatem & alienam actionem ab omnibus exterminat: quæ vniuscuiusque proportiones ita firmat, vt nec decidere in contraria, nec transilire possint in aliena. Quare nec à scopo sacræ Theologiæ aberrarit, si quis eandem Salutem vocet, quòd bonitate sua omnium conseruatrice res vniuersas à suorum iactura bonorum, quantum fert ipsarum natura, redimat.

Vnde & Redemptionem eam appellarunt Theologi, quatenus non sinit ea quæ verè sunt, in nihilum recidere, & quatenus, si quid fortè in peccatum & in quippiam inordinatum deerrauerit, aut bonorum suorum imminutionem aliquam senserit; hoc ipsum & à damno & ab imbecillitate & à priuatione redimit, partim id quod deest supplens, partim imbecillitatem paternè consolidans, partim è malo exsuscitans, aut potiùs in bono statuens, & quod defluxit bonum replens, & quod inordinatum erat, aut inornatum, ordinans atque ornans, & integrè perficiens, atque de numero deprauatorum eximens. Verùm de his & de iustitia dictum est, secundùm quam æqualitas omnium rerum mensuratur ac definitur: & omnis inæqualitas (quæ ab æqualitatis in vnaquaque re priuatione sumitur) exterminatur.

Nam si quis inæqualitatem accipiat pro differentijs, quas res omnes inter sese habent, & quibus inuicem distinguuntur, etiam talis inæqualitatis conseruatrix est Iustitia; quæ non sinit omnia omnibus commista perturbari, sed vnumquodque in ea custodit specie, in qua esse natum est.

CAPVT IX.

De magno, paruo; eodem, alio; simili, dissimili; statu, motu; æqualitate.

QVandoquidem hæc nomina, magnum & paruum, idem & aliud, simile & dissimile, status & motus Deo tribuantur, age hæc contemplemur. Deus in scripturis appellatur *magnus*.

Appellatur etiam *paruus*, vt cùm dicitur apparuisse *in sibilo auræ tenuis*: quod diuinam declarat paruitatem. 3. Reg. 19. verſu 12.

Appellatur etiam *idem*, vt cùm dicit Scriptura: *Tu autem idem ipse es.* Psal. 101. ver. 28.

Appellatur & *alius*, vt cùm ab eadem Scriptura fingitur habere multas formas & figuras.

Appellatur & *similis*, tanquam similium & similitudinis effector.

Appellatur & *dissimilis*, vt qui nihil sit simile.

Appellatur etiam stans, & immobilis & in æternum sedens.

Item appellatur mobilis, tanquam omnia peruadens.

Et, si quæ sunt alia nomina huiusmodi, quæ eandem vim habeant, ijs laudatur in sacris litteris.

MAGNVS, DEI NOMEN. Magnus dicitur Deus, tam ex sua ipsius magnitudine (quæ cum magnis omnibus communicatur, & extra omnem magnitudinem longè diffunditur & protenditur, locum omnem complectēs, numerum omnem superans, omnem infirmitatem transcendens) quàm ex abundanti plenitudine, & magnificentia, & donorum fontana affluentia: quatenus ea videlicet ab omnibus per infinitam Dei profusionem participata nihil omnino diminuuntur, & eandem retinent plenitudinem: neque tantùm non diminuuntur ipsa participatione, sed potiùs superabundant.

Neque enim finem habet hæc magnitudo, neque quantitatem, neque numerum. Atque hic excessus est secundùm absolutam & superextensam incomprehensæ magnitudinis diffusionem.

DE PARVO.

PARVVM QVI DICATVR IN DEO? PARVVM siue SVBTILE in Deo dicitur, quod neque molem, neque distantiam habet, & quod omnia nullo resistente peruadit.

Et quidem paruum est omnium caussa elementaris. Nusquam enim inuenies parui formam non participatam. Sic igitur in Deo paruum accipiendum est, quòd ipse ad omnia & per omnia citra impedimentum peruadat, & quòd sit *efficax & pertingens vsque ad*

Hebr. 4. vers. 12. *diuisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis,* siue potius omnium quæcunque sunt. *Non est enim vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Nam paruum hoc quantitatis & qualitatis expers est, insuperabile, infinitum, interminatum, comprehendens omnia, & non valens comprehendi.

Ibid. v. 13.

DE EODEM.

IDEM IN DEO QVID SIGNIFICET. IDEM in Deo dicitur, id quod supersubstantialiter æternum est, immutabile, in seipso manens, semper secundum eadem & eodem modo se habens, omnibus eodem modo præsens, ab omni liberum mutatione, prolapsione, inclinatione, variatione, mistione, materie; simplicissimum, minimè indigum, nec incrementum suscipiens, nec patiens decrementum, ingenitum; non quasi nondum genitum, aut imperfectum, aut quasi nec ab hoc, nec ab isto genitum, aut vt nullo modo & núsquam existens, sed tanquam prorsus ingenitum, & absolutè non genitum, & semper existens ac per se perfectum existens, & idem secundùm seipsum & à seipso vniformiter & identicè determinatum, atque ipsam idẽtitatem omnibus participare valentibus cõmunicans, & alia alijs copulans, cum sit eminens essentia & caussa ipsius identitatis, in seipso etiam contraria identicè prius obtinens secundùm vnam & singularem totius identitatis præcellentem caussam.

DE ALIO.

ALIVD QVIA DICATVR DEVS. ALIVD de Deo dicitur, propterea quòd Deus per prouidentiam cunctis adsit, & omnia in omnibus pro omnium salute fiat, manens tamen in seipso, & in sua identitate secundùm vnam actionem, eámque perpetuam, sine vlla variatione, & seipsum indeclinabili potestate, ad conferendam ijs, qui ad ipsum conuersi fuerint, diuinitatem se exhibens.

Diuersitatem porrò variarum Dei figurarum, iuxta varias visiones, alia significare, quã ea quæ apparent, existimandum est. Quemadmodum enim si animam ipsam corporeo modo efformet oratio, eique quamuis indiuisibili membra corporea affingat, aliter ea intelligimus quàm sint, nẽpe conuenienter indiuisioni animæ: & caput quidem interpretamur mentem; ceruicem verò opinionem, tanquam rationalis & irrationalis potentiæ mediam: pectus autem iram; ventrem porro cupiditatem; crura denique & pedes naturam [*siue naturales vires animæ nutritiuæ*] membrorum nominibus vtentes pro vocibus facultatum & affectionum: multò magis in Deo, qui supra omnia est, formarum & figurarum diuersitatem sacris & Deo dignis interpretationibus conueniet explicari.

Ac si velis tres corporum figuras Deo figuræ tactúsque experti adaptare: latitudinem quidem diuinam vocabis, eius latissimam ad omnia progressionem: longitudinem verò, virtutem à summo ad imum omnia pertingentem: profunditatem denique, ipsius absconsionem, nec vllo modo assequibilem cognitionem, [*siue, id quod in Deo absconditum & prorsus ignotum est, & quod comprehendi non potest.*] Verùm ne ex diuersarum figurarum ac formarum interpretatione, incorporea Dei nomina cum ijs, quæ per signa sensibilia fiunt, imprudentes confundamus, idcirco de his in Symbolica Theologia dicturi sumus: nunc autem diuinam diuersitatem non aliquam immutabilis identitatis variationem esse suspicemur, sed singularem eius multiplicationem, & vniformes multæ fecunditatis ad omnia processiones.

DE LATITVDO, LONGITVDO, PROFVNDITAS.

THEOLOGIA SYMBOLICA LIBER.

DE SIMILI ET DISSIMILI.

Is non malè vsurpat in Deo nomen SIMILIS, qui eum vt eundem dicit, & tanquam totum sibi ipsi per totum constanter & indiuiduè similem. Theologi tamen Deũ, qui supra omnia est, quatenus in seipso est, asserunt nulli esse similem, sed eum diuinam omnibus tribuere similitudinem, qui ad ipsum omni definitione & ratione superiorem pro viribus suis per imitationem conuertuntur.

OMNIA DEO SIMILIA ET NIHIL DEO SIMILE. Et virtus diuinæ similitudinis est, quæ omnia in lucem producta ad auctorem conuertit. Hæc itaque dicenda sunt Deo similia, & ad diuinam imaginem ac similitudinem: non autem Deus illis similis; quia nec homo suæ imagini dicitur similis. Nam ea quidem quæ sunt eiusdem ordinis, fieri potest vt ipsa inter se sint similia, & vtrimque reciprocent similitudinem, & sint similia secundum principalem similis speciem: at in caussâ & effectis non admittimus reciprocationem. Neque enim his aut illis solis dat Deus, vt similia sint; sed omnibus, quæ similitudinem participant, caussa est, cur similia sint: neque horum duntaxat est caussa, sed ipsius quoque similitudinis fundator est (adeò vt quidquid in omnibus est simile, quodam diuinæ similitudinis vestigio sit simile) & ipsorum efficit complétque inter sese coniunctionem. Sed quid de hoc dicendum est, quòd Theologia Deum esse dissimilem prædicat, & qui cum nullo ordinari possit, tãquam diuersus ab omnibus, quódque est admirabilius, ait nihil esse illi simile?

IN CAVSIS ET EFFECTIBVS NON EST RECIPROCATIO SIMILITVDINIS.

DEO SIMILIA SVNT SIMILIA ET DISSIMILIA DIVERSIS RESPECTIBVS.

Verumtamen non est nostra oratio cõtraria similitudini, quâ res illi dicuntur similes. Siquidem Deo eadem similia sunt & dissimilia: similia quidẽ per susceptã inimitabilis imitationem:

tionem: dissimilia verò per effectorum à caussa sua distantiam, quodque si Deum spectes, illa infinitis atque incomparabilibus spacijs retrò relinquatur.

De statione, sessione, et motv.

Status et sessio Dei quid sint.

Quid verò de diuina sessione aut statione dicemus? Quid est hoc aliud, quàm Deum in seipso eundem permanere, & immobili identitate constanter fixum esse & firmiter collocatum, & secundùm eadem & circa idem & eodem modo operari, & ex seipso prorsus esse immutabilem ac planè immobilem, & hæc quidem supereminenter? Ipse enim est stationis omnium, atque sessionis caussa, qui est supra omnem stationem atque sessionem: & in ipso stabiliuntur omnia, ne de suo statu, déque proprijs bonis dimoueantur?

Motus Dei quid sit.

Quid autem, quòd rursus Theologi eum, qui est immobilis, ad omnia procedere & moueri dicunt? An non & hoc dignè Deo intelligendum? Piè sanè existimandum est eum non moueri, neque portatione, neque commutatione, neque variatione, neque conuersione, neque motu locali, siue circulari, siue recto, siue ex ambobus misto; neque etiam motu Angelico, neque animæ, neque naturali: sed rerum duntaxat productione; & quòd contineat omnia, & omnibus omnino prospiciat, & præsens sit, tam omnium complexu ineuitabili, quàm suis ad omnia per prouidentiam progressionibus & operationibus. Sed & Dei immobilis motiones dignè Deo explicandæ sunt. Ac recta quidem Dei motio, nihil est aliud, quàm actionum eius immutabilis processio, atque omnium ex ipso generatio.

Motus Dei rectus.

Obliquus Dei motus.

Circularis Dei motus.

Obliqua verò, stabilis progressus & fecundus status. Circularis denique, ipsa identitas, & mediorum atque extremorum, & cōtinentium atque contentorum complexus, & omnium ab ipso ad ipsum procedentium conuersiò. Quòd si quis in Scripturis nomina Idētitatis & iustitiæ pro æqualitate accipiat, dicendum est Deum esse æqualem, non modò vt indiuisibilem & nusquam deflectētem, sed etiam tanquam ipsius æqualitatis fundatorem, secundùm quam æqualiter efficit omnium inter se similem progressionem, & participantium æqualem participationem pro cuiusque captu, & æqualem pro cuiusque dignitate in omnia largitionem, ac secundùm hoc æqualitatem omnem, intelligibilem, intellectualem, rationalem, sensibilem, substantialem, naturalem, voluntariam, eximiè & singulariter in seipso præobtinet, iuxta supremam virtutem omnis æqualitatis effectricem.

Devs quomodo æqualis.

CAPVT X.

De omnitenente, & omnipotente, & antiquo dierum, vbi & de æternitate ac tempore.

NVnc tempus est Deum multis pollentem nominibus, vt omnitenentem atque omnipotentem, & vt antiquum dierum sermone celebremus.

Devs vocatur Omnitenens.

Vocatur Omnitenens, eò quòd sit sedes omnia continens & complectens & firmans & fundans & circumstringens, & in seipsa vniuersum hoc infractum reddens, & ex seipsa tanquam ex radice omnitenente cuncta producens, & ad seipsam, vti ad profundum omnium capax, omnia conuertens: & continens instar sedis omnia capientis; & cuncta, quæ continentur, vno supereminente complexu firmātis, neque sinentis ea excidere, ac motu quopiā, velut è plena domo, deperire.

Devs vocatur Omnipotens.

Vocatur autem Omnipotens, quòd & omnibus dominetur, & ijs quæ gubernantur, absolutè, & nō quasi vnus ex illis, præsit: & quòd tanquam omnibus desiderabilis atque amabilis iugum voluntarium cunctis imponat, & dulces partus diuini atque omnipotentis & indissolubilis amoris suæ bonitatis immittat.

ANNOTATIVNCVLA.

Notandum est vocem παντοκράτωρ, *qua hic vtitur Dionysius, duo habere diuersa significata: prius est,* Omnitenens, siue *omnia continens,* à κρατέω, teneo: *alterum est* omnipotens à κρατέω, dominor, potēs sum. *Ostendit porrò sanctus Dionysius vtrumque significatum Deo conuenire: & prius agit de priori, deinde de altero; vti ex verbis ipsis patet. Sanctus Thomas autem malam secutus versionem, quæ de omnitenente dicenda erant, dixit de omnipotente, & contrà. Nam in priori agi de omnitenente patet ex eo, quòd ibi comparet Deum sedi, domui, profundo omnium capaci; in posteriori autem agat de eius dominatu & gubernatione & iugi voluntarij impositione.*

Antiqvvs dierum, Dei nomen.

Antiquus autem dierum dicitur Deus, propterea quòd ipse sit dies & æuum & tempus: & quòd sit ante dies & ante æuum, & ante tempus. Oportet autem illum appellare tempus, diem, opportunitatem & æuum dignè Deo: nempe qui secundùm omnem motum sit immutabilis atque immobilis; & qui dum semper mouetur, in seipso permaneat, tanquam qui & temporis & dierum caussa. Itaque in sacris mysticarum visionum apparitionibus & canus & iuuenis fingitur: per prius significatur, quòd antiquus sit & ab initio: per posterius, quòd sit expers senectutis: aut per vtrumque, quòd ab initio ad finem per omnia progrediatur: aut (vt diuinus noster in sacris institutor

S. HIEROTHEI DOCTRINA.

Hierotheus] ait, vtrumque diuinam antiquitatem subindicat: Senioris quidem nomen, id quod est primum in tempore: Iunioris verò, id quod in numero est antiquius. Siquidem vnitas & vnitati viciniora, numeris longiùs progressis antiquiora sunt.

AETERNA QVANAM VOCENTVR.

Oportet autem, vt ego existimo, & temporis & æui naturam è sacris Scripturis discere. Non solùm enim ea, quæ omnino & absolutè sunt ingenita & verè sempiterna, appellant æterna; sed etiam incorruptibilia & immortalia & immutabilia & semper eodem modo se habentia sic appellant: Vt cum dicunt: *eleuamini portæ æternales*, & similia. Sæpe etiam antiquissima, æui seu æterni nomine designant. Interdum etiam totam temporis nostri extensionem æuum appellant, in quantum proprietas æui est, quòd antiquum sit & immutabile, & quòd vniuersè mensuret ipsum esse.

Psalmo 23. vers. 7. & 9.

Tempus autem appellant, quod in ortu & interitu atque in mutatione versatur, & aliàs aliter se habet. Hinc & nos, qui hic tempore circumscribimur, Theologi tunc æuum participaturos dicunt, cùm incorruptibile & semper eodem modo se habens æuum adepti fuerimus.

Interdum etiam in Scripturis, æuum temporale, & tempus æternum vsurpatur. Tametsi haud ignoremus crebriùs & magis propriè ea quæ sunt, nomine æui: & ea quæ generantur, nomine temporis appellari & significari. Itaque non debemus ea, quæ dicuntur æterna, simpliciter coæterna Deo, qui ante æuum est, existimare; sed sanctissimas Scripturas irretorto vestigio sequentes, sæcularia quidem & temporalia ijs modis, quos ipsæ Scripturæ sacræ agnoscunt, accipere: media verò inter ea quæ sunt & quæ generantur, appellare illa, quæ partim æuum, partim tempus participant: Deum autem & vt æuum, & vt tempus laudare, tanquam omnis æui & temporis caussam, & antiquum dierum, tanquam ante & supra tempus existentem & momenta mutantem & tempora, & rursus ante sæcula existentem: quatenus & ante sæculum est, & supra sæculum, & regnum eius, regnum omnium sæculorum, Amen.

ANNOTATIVNCVLA.

Quod hic suprà habemus, Itaque in sacris mysticarum visionum apparitionibus & canus & iuuenis fingitur, *alia interpretatio, quam secutus est sanctus Thomas, hoc loco habet:* canus & nouus fingitur. *Sed minùs rectè*. Græca habent καὶ πολιὸς καὶ νέος πλάττεται. *Et canus & iuuenis fingitur, seu figuratur. Ac licet* τὸ νέος *etiam significet aliàs nouus, tamen hic minùs accommodè. Meliùs enim opponitur cano iuuenis, quam nouus. Accedit quod Dionysius respiciat ad visiones & apparitiones sacræ Scripturæ, vt ex eius verbis patet, hoc est, ad visionem Danielis cap. 7. versu quarto, vbi vidit antiquum dierum*, cuius capilli capitis erant quasi lana munda: *per quos significatur canicies, & ad visionem Abraham, cui apparuit Deus, vt iuuenis. Ita tenent & scribunt sanctus Maximus & Pachymeras. Quod est probabilius, quàm quod habet S. Thomas, qui dicit respici ad illud Isaiæ 62.* Et vocabitur tibi nomen nouum. *Neque enim hoc dirigitur ad Deum, sed à Deo ad Sion, siue ad Ecclesiam: Deinde hic non de nouo nomine agitur, sed de ætate. Neque item valet locus ille, quem affert S. Thomas e psalmo septuagesimo, versu decimo octauo:* & vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me: *cùm illa verba non sint de Deo, neque de Christo: quippe qui sciebat se ad senectam & senium non peruenturum, sed de ipso Dauide.*

Daniel 7. vers. 4.

Psalmo 70. vers. 18.

CAPVT XI.

De pace, & quid sibi velit, ipsa per se existentia, ipsa per se vita, ipsa per se virtus, & alia quæ similiter efferuntur.

AGe nunc, diuinam & conciliationis principem Pacem pacificis ornemus laudibus.

PAX DEI NOMEN. Vide hic S. Thomam vbi pulchra.

Pax est, quæ in vnum cuncta coniungit, atque omnium concordiam atque consensum gignit ac perficit. Hinc & illam omnia expetunt. Quippe quę diuiduam ipsorum multitudinem ad perfectam conuertat vnitatem, & intestinum huius vniuersi bellum conformi iungat concordia. Huius diuinæ pacis participatione, præstantissimæ Virtutum conciliatricum tam secum ipsæ, atque inter sese, quàm cum vna principe omnium Pace coniunguntur: neque hoc solùm; sed eædem quoque supremæ Virtutes Angelicę alias quæ sub ipsis sunt, & secum ipsas & inter se & cum Deo, vno scilicet & perfecto pacis omnium principio & caussa, coniungunt: qui Deus ad omnia indiuiduè progrediens, quibusdam velut claustris res alioqui diuisas concludentibus, cuncta definit, terminat, munit: neque finit ea, quæ diuisa sunt, in infinitum & determinatum fundi: nec finit esse sine ordine, sine stabilitate, tanquam Deo destituta & à sua vnitate recedentia & promiscuè confusa.

S. IVSTVS PACEM DIVINAM APPELLAT SILENTIVM.

De hac igitur, quidquid demũ illa sit, diuina pace & quiete (quam sanctus Iustus appellat silentium & immobilitatem & quęuis processum cognoscibilẽ) quomodo quies & silentiũ

illi

illi conueniant, & quomodo in seipsa & intra seipsam sit, atque tota in se totã eminenti modo vnita sit, & quomodo in seipsam ingrediens, seque ipsam multiplicans, suam ipsius non deserat vnionem, sed intus tota manens per excellentiam suæ vnionis omnia exsuperantis, ad vniuersa procedat; nec dicere, nec intelligere fas sit cuiquam aut possibile. Sed istud, quod nec dici, nec intelligi potest, ipsi tanquam omnia transcendenti tribuentes, illas eius participationes, quæ dici & intelligi possunt, quatenus hominibus, & nobis ipsis datur, qui multis bonis viris inferiores sumus, consideremus.

Hvmilitas S. Dionysii.

Ac primò quidem hoc dicendum est, diuinam pacem, ipsius per se pacis, & omnis pacis, & cuiusque singularis pacis esse auctorem, atque omnia inter sese commiscere, inconfusa tamen ipsorum coniunctione, secundum quã absque diuisione coniuncta & absque distantia itidem perfecta in sua quæque specie consistunt; neque ob mistionem cum contrarijs perturbata, neque coniunctionis sinceritatem puritatemue vlla ex parte deperdentia.

Vnam igitur & simplicem pacificæ coniunctionis naturam contemplemur, quæ omnia sibi, & ipsismet, & inter se copulat, & omnia quadam inconfusa comprehensione impermista atque contemperata conseruat. Per quam pacem & Angeli tam cum suis notionibus, quàm cum rebus à se notis coniungũtur, & rursus ad ignotam conscendunt eorum, quæ mentem transcendunt, coniunctionem. Per quam & animę suas omnimodas rationes connectendo, & ad vnam colligendo mentis puritatem, modo sibi conueniente procedũt via & ordine per spiritalem & indiuiduam intelligentiam ad coniunctionem intelligentia superiorem. Per quam denique vna atque indissolubilis omnium connexio secundum diuinam ipsius harmoniam subsistit, & perfecto concentui atque cõcordiæ & consensioni adaptatur, inconfusè collecta, & indiuisè contenta. Penetrat enim perfectæ pacis integritas ad omnia quæ sunt, per simplicissimam suam atque impermistã vnificæ virtutis pręsentiam, consocians inter se omnia, & extrema extremis per media colligans, iuxta connaturalem amicitiam copulata, suique fruitionem etiam extremis vniuersi creaturis impertiens: & omnia vnitatibus, identitatibus, coniunctionibus, collectionibus cognata efficiens, indiuisè scilicet stante diuina pace, & in vno cuncta commonstrante & omnia peruadente, nec à propria identitate interim discedente. Procedit enim ad omnia, seque cum omnibus pro ipsorum captu communicat, ac nihilominus pacificæ fecunditatis copia exuberat: & supereminenti quadam coniunctione, tota sibi toti & secundùm se totam præcellenter coniuncta remanet.

At enim quomodo, inquiet aliquis, omnia pacem desiderant? multa enim mutatione & disiunctione gaudent, nec volunt vnquam sponte quiescere.

Quod si is, qui hæc obijcit, per mutationẽ & disiunctionem, vniuscuiusque proprietatem intelligat, quam nihil eorum quæ sunt (quidquid demum illud sit) velit amittere; ne nos quidem repugnabimus; sed potiùs hãc ipsam esse pacis appetitionem demonstrabimus. Nam amant omnia pacem habere secũ & sibi coniungi, atque à se & à suis nec dimoueri posse, nec dilabi. Quippe perfecta pax est cuiusque incommistæ proprietatis custos, & pacifica sua prouidentia cuncta à dissensione & confusione, tam erga se ipsa, quàm inter sese conseruat, eáque stabili & nusquam inclinante virtute ad suam ipsorum pacem & immobilitatem sistit.

Quod si omnia mobilia non quiescere, sed suo semper motu velint moueri; hoc quoque ipsum est appetitio diuinæ omniũ pacis, omnia in seipsis à prolapsione conseruantis, & omnium, quæ mouentur, proprietatem & vitam motiuam à motu & lapsu custodientis, & in eo scilicet, quòd ea, quæ mouentur, secum pacem seruantia & eodem modo se habentia, naturæ suæ munia peragant.

Sin aliquis dicendo mutationem esse amissionem pacis, confirmare conetur pacem non esse omnibus amabilem, sanè scire debet, nihil esse in rerum natura, quod omni prorsus coniunctione & pace careat. Quod enim est omnino instabile & interminatum, & nusquã situm, & indefinitum; id neque est, neque inter ea quæ sunt, locum vllum habet.

Si rursus quispiam eos paci, pacisque bonis aduersari dicat, qui contentionibus, furoribus, mutationibus, seditionibus gaudent: certè eiusmodi homines etiam tenuibus saltem quibusdam pacis simulacris detinentur; dum scilicet grauibus perturbationibus agitati, eas, quamuis inscienter, cohibere cupiunt, & se voluptatum, quibus victi sunt, frustratione perturbatos, semper fluentium rerum expletione pacem obtenturos arbitrantur.

Seditiosi quomodo appetant pacem?

ANNOTATIVNCVLA.

Bene hic denotatur hominum cupidorum, siue auaritia, ambitione, libidine obcæcatorum miserrima miseria, qui cùm auidè pacem expetant, tamen viam paci planè contrariam ineunt. Sperant enim se quieturos, pacémque habituros cùm concupita obtinuerint, & satis voluptatum, honorum, diuitiarum acquisierint: at illud satis nunquam erit, iuxta illud:

Crescit amor nummi, quantu m psa pecunia crescit:

Et vt nummi, sic aliorum. Quare quo plura obtinent, hoc magis magísque turbantur & sollicti sunt, & anguntur, & a pace seiunguntur, cùm via ad pacem recta esset, non augere, non accendere cupiditatem ea perquirendo, quæ satiare non possunt?

sed

sed sedare vel extinguere, aut supernacua resecando, aut omnia contemnendo.

Pax Christi.

Quid porrò quis eloquatur de Christi humanitate pacem diffundente? qua docemur non iam bellum agere, neque nobiscum, neque inter nos, neque cum Angelis? sed cum illis pro facultate nostra res diuinas peragere, secundùm Iesu prouidentiam omnia in omnibus efficientis, & pacem ineffabilem atque à sæculo prædefinitam procreantis, & nos sibi in Spiritu, & per seipsum, & in seipso Patri reconciliantis. De quibus eximijs muneribus in Theologicis Institutionibus satis dictum est, astipulantibus etiam Scripturis sacris.

Liber Theologicarum Institutionum, vulgo Hypotypo[illegible].

Verùm quandoquidem ex me aliquando per epistolam sciscitatus es, quid mihi per ista verba velim: τὸ αὐτὸ εἶναι, τὴν αὐτοζωὴν, τὴν αὐτοσοφίαν, id est, *ipsum esse, ipsam vitam, ipsam sapientiam*: & hęrere te dixisti, quomodo Deum modo ipsam vitam, modò ipsius vitæ auctorem appellem, necessarium duxi, sancte vir Dei, hac te hęsitatione, cui occasionem dedimus, exoluere.

Ac primò quidem (vt sępius dicta nunc resumam) non sunt inter se contraria, dicere Deum esse ipsam virtutem, aut ipsam vitam, & dicere eum ipsius Vitæ aut pacis aut virtutis auctorem.

Nam illa quidem esse dicitur, tanquam eorum omnium, quæ sunt, auctor: hæc verò, tanquam qui sit super omnia, etiam primò existentia, idque modo quodam eminenti. Quid verò, inquis, vniuersè dicis esse ipsam existentiam, aut vitam ipsam, aut cetera omnia, quæ absolutè & principaliter esse, & à Deo primũ constituta esse ponimus?

Respondeo minimè obliquum esse quod dicimus, sed rectam & simplicem habere explanationem. Non enim dicimus ipsam existentiam esse diuinam aliquam, aut Angelicam substantiam, quæ sit caussa cur sint omnia quæ existunt, (cùm Deus solus sit principium & essentia & caussa cur sint omnia) neque aliam diuinitatem viuificam, præter supremam illam vitam, quæ omnium quæ viuunt, adeóque ipsius vitæ caussa est, neque (vt summatim dicam) principales & productrices essentias & personas, quas quidam Deos eorum, quæ sunt, & conditores inconsideratè effutiuerunt: quos verè & propriè dicere neque ipsi, neque ipsorum patres potuerunt: quippe cùm non sint Dij. Verùm ipsam per se existentiam, aut ipsam per se vitam, & ipsam per se deitatem dicimus esse principaliter quidem & diuinè & caussaliter vnum omnium præcellens ac supereminens principium atque caussam [*hoc est, Deum:*] participatiuè autem virtutes seu perfectiones prouidentiæ à Deo, qui participari non potest, collatas, nempe ipsam donationem vitæ, ipsam donationem diuinitatis: quorum donorum participatione ea quæ sunt, vocantur & sunt entia, viuentia, diuina. Similiter & de alijs est ratiocinandum. Hinc & primorum illorum Deus dicitur esse auctor, hoc est, eorum quæ abstrahunt ab vniuersalitate & particularitate, vt essentię per se, vitæ per se &c. Deinde ipsorum vniuersalium, deinde ipsorum particularium: post hęc verò etiam eorum quę participant vniuersalia: [*vt ens totale, vitam totalem &c.*] & postremò eorum, quæ participãt particularia, [*vt hoc vel illud ens, hanc vel illam vitam, &c.*] Sed quid de his attinet dicere, cũ & nonnulli è diuinis nostris præceptoribus idem doceant, & dicant ipsius per se bonitatis & deitatis auctorem esse Deum, ipsam scilicet per se bonitatem & deitatem vocantes, profectum à Deo beneficum & deificum munus: & ipsam per se pulchritudinem appellãtes ipsam pulchritudinis effusionem: & tam vniuersalem, quàm particularem pulchritudinem, & ipsa tam vniuersaliter, quàm particulariter pulchra, & quæcumque alia eodem modo dicta sunt aut dicentur, significantes esse ipsius Dei dona perquam liberali manu profusa: ita vt ipse tanquam omnium auctor absolutè omnia exsuperet, & id quod superessentiale & supernaturale est [Deus scilicet] omnino quamcumque essentiam & naturam antecellat? *Nempe quia ipse neque quicquam participet, neque à quoquam participetur: sed in se simplex & indiuisus permaneat.*

CAPVT XII.

De sancto Sanctorum, Rege Regum, Domino Dominorum, Deo Deorum.

Deus appellatur etiam Sanctus Sanctorũ, & Rex Regum, & Regnans in sæculum & in æternum & vltra, & Dominus Dominorum, & Deus Deorum.

Ante omnia explicandum, quid sit ipsa Sãctitas, quid Regnum, quid Dominatus, quid Deitas, quidúe significare velit Scriptura sacra istis nominum congeminationibus?

Sanctitas est ab omni scelere libera & perfecta & prorsus intaminata puritas. Quid Sanctitas?

Regnum est, omnis termini & ornatus & iuris & ordinis distributio. Quid Regnum?

Dominatus est, non solùm supra inferiores excellentia, sed omnis etiam pulchrorum & bonorum perfecta possessio, & vera miniméque caduca firmitas. Quid Dominatus?

Deitas est prouidentia cũcta contemplans, & bonitate perfecta percurrẽs continénsque omnia, & seipsa implens, atque omnibus ipsius prouidentia fruentibus supereminens. Quid Deitas?

Ista igitur priora in hac Deitate absolutè laudanda sunt: hęcque appellanda est præcellens sanctitas & dominatus & regnum sublimissimum & simplicissima deitas.

Ex ea enim simul & semel enata est & distributa omnis impermista vniuersæ ac sinceræ

ræ puritatis perfectio, omnis rerum ordo & ornatus inconcinnitatem, & inæqualitatem, & disproportionem exterminans, bene ordinata identitate & rectitudine gaudens, & ea, quæ ipsum participare digna sunt, secum vnà circumagens: omnis perfecta pulchrorum & bonorum omnium possessio, omnis bona prouidentia contemplatrix & conseruatrix eorum, quibus prouidet, séque ipsam ad eos qui se illi tradunt, deificandos benignè exhibens. Quoniam autem ipse omnium auctor est omnium plenissimus, hinc ex vna omnibus præcellenti eminentia Sanctus Sanctorum prædicatur, & reliqua (*superiùs dicta, vt Rex Dominus Dominorum &c.*) velut à caussa superabundante & eximia excellentia. Quod perinde est, ac si dicat: quanto ijs quæ non existũt; prçstant existentia, & sancta, & diuina & dominantia & regia; & rursus quanto ipsæ per se participationes præstant ijs quæ illas participant (*verbi gratiâ sanctitas sancto*) tanto omnia quæ sunt exsuperat is qui est super omnia, & qui cunctorum tam participantium, quàm participationum auctor est, ipse autem participari non potest.

Sanctos porrò & Reges & Dominos & Deos vocant etiam sacræ Scripturæ eos qui singulis in ordinibus primas obtinent [*vt sunt inter Angelos primi Angeli, inter homines primi homines*] per quos secundi diuina recipientes dona, tertijs distribuunt, & illi alijs iuxta recipientium gradus & diuersitatem ea dona multiplicantes: quorum rursus varietatem & multitudinem primi prouidè & quadam Dei imitatione ad suipsorum recolligunt vnitatem.

CAPVT XIII.

De perfecto & vno.

DEI PERFECTIO IN QVO CONSISTAT.

DEnique Theologi Deum laudant vt perfectum, & vt vnum.

Perfectus dicitur Deus, non modò quia in se perfectus est & secundùm seipsum vi sua vniformiter ab omnibus segregatus, & totus per totum perfectissimus, sed etiam vt perfectionem superans, in quantum omnia transcendit, atque omnem infinitatem determinat, & omnem excedit terminum, & à nullo capitur, nec comprehenditur, sed simul ad omnia & supra omnia indeficiẽtibus suis progressionibus, & interminatis actionibus pertingit.

Perfectus rursum dicitur, vt augmenti incapax, & semper perfectus, & diminutionem non admittens, tanquam omnia in seipso prçcontinens & redundans secundùm vnã perpetuam & eandem & multò plenissimam ac diminutionis exortem erogationem, per quã perfecta omnia perficit, & sua perfectione complet.

QVOMODO DEVS DICATVR VNVM.

Deus dicitur Vnum, quòd vnicè & singulariter sit omnia, per vnitatis excellentiam; & ab vno nequaquam discedendo, auctor sit omnium. Nihil est enim omnium, quod vnius non sit particeps: sed quemadmodum numerus omnis vnitatem participat, dicitúrque vna dualitas, vna decas, vna dimidia pars, vna tertia, vna decima: sic omnia & quæuis particula vnum participant, & per vnum sunt omnia: & illud vnum, quod est caussa omnium, non est vnum è multis, sed ante omne vnum & ante multitudinem, & omnis vnius atque multitudinis determinatiuum. Nec est enim multitudo, quæ non sit vnius particeps: sed id quidem quod multa est partibus, toto vnum est: & quod multa est accidentibus, vnum est subiecto: & quod multa est numero vel virtute, vnum est specie: & quod multa est speciebus, vnum est genere: denique quod multa est progressionibus, vnũ est principio. Nec quidquam est, quod non aliqua ex parte sit vnius particeps: quandoquidem vnũ hoc ipso quòd secundùm omnia singulare est, omnia & quidem tota, adeóque contraria singulariter anticipet. Ac sine vno quidem non erit multitudo: sed sine multitudine erit vnum, sicut & vnitas est ante omnem numerum multiplicatum. Quòd si quis omnia omnibus coniuncta supponat: omnia in toto erunt vnum.

Atque hoc prætereà sciendum est, omnia quæ vnita sint, ea secundùm vniuscuiusque præconceptam animo speciem dici vnita [*sicut partes domus in mente architecti*] & vnum esse omnibus elementi instar: quod vnum si sustuleris, nec vnum erit, nec pars, nec quicquam aliud. Vnum enim omnia in se ipso vniformiter obtinet & comprehendit.

Hac igitur ratione Theologi totam principalem diuinitatem, vt omnium caussam, sub vnius appellatione concelebrant: & *Vnus est Deus Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, & vnus etiam idémque Spiritus*, per præcellentem totius diuinæ vnitatis indiuisionem, in qua vnicè omnia collecta & mirificè coniũcta sunt, & eximiè adsunt. Quare ad eam vnitatem iure omnia referuntur ac remittuntur, à qua & ex qua & per quam & in qua & ad quam omnia sunt, & ordinata sunt, & manent, & continentur, & complentur, & conuertuntur: nec quidquam prorsus inuenias, quod non per vnum (à quo omnis Deitas modo præcellenti nominatur) & sit id quod est, & perficiatur, & conseruetur. 1 Cor. 8. verso 6.

Debemus proinde à multis ad Vnum virtute diuinæ vnitatis conuersi vnicè dilaudare vnam & totam deitatem, & Vnũ illud quod est omnium caussa, & quod ante omne vnum est, & ante omnem multitudinem & partem & totum & terminum & indeterminationem & finem & infinitatẽ: quod omnia adeóque ipsum esse determinat, & omnium, ac totorum omnium, simúlque ante omnia & super

per omnia & vnicè caussa est, quódque supra ipsum vnum est, & ipsum vnum determinat: siquidem quod vnum est, inter ea quæ sunt, est numerabile: numerus autem essentiam participat.

Illud autem Vnum supremum, definit tam vnum existens quàm omnem numerum, & est vnius & numeri & cuiuscumque existentis principium & caussa & numerus & ordo.

Quare omnia superans Deitas (quæ vt vnitas laudatur, & vt trinitas) non est neque vnitas, neque Trinitas, quæ vel à nobis vel à quoquam alio existente sit cognita: sed vt singularem eius vnionem diuinamque fecunditatem verè laudemus, diuinitatem quæ supra omne nomen & supra omnem substantiam est, Trinitatis & vnitatis appellatione laudamus. Nulla enim nec monas, nec trias, nec numerus, nec vnitas, nec fecunditas, nec aliud quiduis existentium, aut existenti cuipiam cognitum, illam occultam ac supremam Deitatem omni ratione & mente superiorem perfectè enunciat: neque eius extat nomen, neque sermo, sed inter inaccessa eminet.

Quin adeò ne ipsum quidem nomen bonitatis, tanquam illi adaptantes, proferimus, sed prę desiderio intelligendi quippiam & dicendi de natura illa ineffabili, nomen illi augustissimum primò consecramus: quo quidem licet cum Theologis concordauerimus, tamen ab ipsa rerum veritate longè aberimus. Quare etiam ipsi ascensum, qui per negationes fit, prætulerunt, vt qui animam à cognatis sibi rebus abducat, & per omnes diuinas notiones (à quibus id quod est supra omne nomen, & supra omnem rationem & cognitionem, longè exemptum est) peruadat, atque ad extremum illi ipsi coniungat, quatenus nos ei quidem coniungi possumus.

Hactenus S. Dionysij doctrina De diuinis nominibus. Nam eiusdem libri clausulam, quæ sola restabat, inter virtutes eius suprà præmisimus, & modestiæ ipsius commendandæ adhibuimus.

Superest libellus De mystica Theologia quinque duntaxat eáque breuissima capita complectens: quem proinde, ne vllus liber nobis intactus relinquatur, totum vt olim à me in latinum versus fuit, hic cum aliqua rerum verborúmque claritate exhibebo.

SANCTI DIONYSII DE MYSTICA THEOLOGIA.

CAPVT I.

Quæ sit diuina caligo.

VIDE EIVSDEM S. DIONYSII EPISTOLAM V AD DOROTHEVM, VBI EXPLICATVR, QVID SIT DIVINA CALIGO.

O Trinitas omni essentia, Deitate, bonitate superior, diuinæ Christianorum dux sapientiæ, tu nos ad illud mysticorum eloquiorum culmē ignotissimum simul & lucidissimum atque excelsissimum dirige: [*nempe ad supremum diuinæ contemplationis apicem*] vbi simplicia & absoluta & immutabilia Theologiæ mysteria in præfulgente silentij abdita enuntiantis caligine occultantur, & caligine quidem quæ in tenebris obscurissimis splendorem effert longè clarissimum, & in rebus à tactu & ab aspectu remotissimis mentes non oculatas [*siue, nihil alioqui intuentes*] incomparabilibus implet fulgoribus. Atque hæc ego quidem optauerim. Tu autem, ô care Timothee contento circa mysticas contemplationes studio sensus desere, ipsasque adeò mentis actiones & cuncta simul seu sensu seu mente comprehendi solita: quin & omnia quæ sunt & quæ non sunt, derelinque; atque ad te ei coniungendum (quoad quidem potes) qui omnem essentiam & cognitionem superat, quodam ignorantiæ modo te extende. Per liberum enim, omninóque expeditum tam à te ipso quàm à rebus omnibus excessum, ad superessentialem diuinæ caliginis radium dimissis omnibus & ab omnibus liber eueheris. Vide porrò ne quis eorum qui mysterijs necdum initiati sunt, hæc audiat: eorum, inquam, qui rebus creatis inhærent, & qui supra ea quę sunt, nihil excellentiori modo esse imaginantur, sed sua ipsorum cognitione eū se cognoscere arbitrantur, qui *posuit tenebras latibulum suum*. Psal. 17. ver. 12. Quòd si supra hos est diuinorum mystica disciplina, quid de illis dicetur, qui his longè minùs instructi sunt, & qui primam illam caussam super omnia eminentem è postremis rerum (*ære, lapide, ligno, luto*) effingūt, nihilque

nihilque effictis à se impijs & multiformibus
simulacris aiunt antecellere.

Atqui debemus nos omnia, quæ quibuscumque rebus tribuuntur, Deo tãquam omnium caussæ attribuere: itémque eadem omnia de eodem, vt longè super omnia eminenti, etiam magis propriè negare: neque interim arbitrari, has negationes istis attributionibus esse oppositas: sed Deum, qui supra omnem tam negationem quàm affirmationem est, longè omnes priuationes antecedere.

S. BARTHOLOMAEI APOST. DICTUM. THEOLOGIA MAXIMA ET MINIMA. EVANGELIUM AMPLUM ET CONCISUM.

Sic igitur sanctus Bartholomæus Theologiam dicit esse maximam & minimam, & euangelium amplum magnúmque, & contrà, concisum. Quibus quidem verbis illud mihi videtur eximie intellexisse, bonam omnium caussam & multis verbis exprimi posse & paucis & nullis. Quippe nec sermoni nec intelligentiæ locum relinquit ob suam super omnia sublimitatem atque præstantiam: qua fit, vt illis solis incomprehensè ac verè appareat, qui omnia & munda & immunda transiliunt, atque omnẽ omnium sanctarum summitatum ascensum transcendunt, & cuncta diuina lumina & sonos & sermones cælestes retro relinquunt, atque in caliginem penetrant, vbi re vera est (vt Scripturę loquuntur) is qui est super omnia.

Exodi 19. & 20.

Nec enim absque caussa iubetur diuinus Moyses primò expiari, deinde ab immundis separari, ac demum post omnem expiationem multisonas audit buccinas, & multa cernit lumina puros ac diffusos radios vibrantia: post quę à multitudine segregatur, & cum selectis Sacerdotibus ad diuinarum ascensionum fastigia peruadit: vbi non cum ipso quidem Deo congreditur, nec ipsum aspicit (est enim inaspectabilis) sed locum duntaxat, vbi est.

MOYSES NON VIDIT IN TERRIS DEUM.

(Qua quidem re aliud nihil significari existimo, quàm diuinissima atque altissima eorum quæ oculis aut mẽte percipiuntur, rationes quasdam esse appositas ad ostendendam è rebus creatis Dei præsentiam omni cogitatione sublimiorem quæ intelligibilibus sanctissimorũ eius locorum summitatibus insidet.) Ac tum demum ab ijs, quæ cernuntur & cernunt, expeditus in verè mysticam ignorationis caliginem ingreditur: vbi seclusis omnibus scientiarum perceptionibus, in eo qui penitus nec tangi nec cerni potest, iam consistens totus eius euadit, qui omnia supereminet: nullius tam existens, non suiipsius, non alterius: sed Deo prorsus incognito per omnis cognitionis cessationem præstantiore modo coniunctus, & hoc ipso, quo nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

NOTATIONES.

Nota 1. S. Dionysium initio huius capitis, vbi inuocat SS. Trinitatem, eamque vocat essentia, deitate, bonitate superiorem, de creata & participata essentia, deitate, bonitate loqui, vt sæpius alibi.

Nota 2. eum videri ad mysticam Dei contemplationem requirere, vt anima ab omnibus sensuum mentisque ipsius actionibus soluta ac libera Deo intime ac sine medio copuletur. Quod qui fiat, Scholastici disputant, contemplatiui experiuntur, mundani nec sapiunt nec capiũt. Vide Caroli Hersenty, viri longe doctissimi commentarium in hoc caput. Item Ludouici Blosij, Abbatis Lætiensis, viri egregia doctrina & singulari sanctitate, Institutionem Spiritualem *cap. 1. vbi inter alia,* Profectò, *inquit,* qui Deo absque medio vniũtur, & illi locum in se operandi præbent, eidem Domino carissimi sunt, & plus vtilitatis vna horula Ecclesiæ afferunt, quàm multis annis afferre valeant alij, qui tales non sunt. *Vide & alia ibidem longè pulcherrima.*

Nota 3. verissimè dici à S. Dionysio, quæcumque Deo, vt omnium caussæ attribuuntur è rebus creatis, ea magis propriè de eodem negari: addo & longè veriùs. Nam si Deo verbi gratia, attribuatur, quòd sit sol; quanto veriùs & magis propriè, quod non sit sol? Et si aliquæ solis proprietates conueniant Deo, quanto plures sunt, quæ non conueniunt? immo illæ ipsæ quæ conueniunt, quanto pluribus rationibus disconueniunt.

Atque vt clarissimè cognoscatur, quæ sint affirmationes de Deo, & quæ negationes, simulque aliquid Theologiæ mysticæ degustetur, locum proferam è S. Augustino pulcherrimum, in quo quid è contemplationis sacra caligine detulerit, & quo modo Deum primò per negationes, deinde per affirmationes, & tertiò per affirmationes mistas negationibus expresserit, ipsis quodammodo cernetur oculis. Sic igitur libro 10. Confessionum cap. 6. cum Deo suo amabiliter ratiocinatur:

NEGATIONES DE DEO.

Quid autem amo, cùm te amo? Non speciem corporis, nec decus tẽporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum & vnguentorum & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus.

AFFIRMATIONES DE DEO.

Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucẽ, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexũ, cùm amo Deum meum: lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei:

MISTA AFFIRMATIONIBUS NEGATIONES.

vbi fulget animæ meæ quod nõ capit locus, & vbi sonat quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram & dixit: Non sum: & quæcunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare & abyssos, & reptilia animarum viuarum & responderunt: Non sumus Deus tuus: quære super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis: fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cælum, solem, lunam, stellas: neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi
omnibus

omnibus ijs quæ circumstāt fores carnis meę: Dixistis mihi de Deo meo,quod vos nō estis: Dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerūt voce magna:Ipse fecit nos. *Vide & alium similem locum in ipsius Soliloquijs, cap. 31. valde insignem,vbi,docet non inueniri Deum nec per sensus exteriores,nec per interiores.*

CAPVT II.

Quomodo debeamus Deo coniungi, & hymnos ei offerre.

IN hanc nos præfulgidam subire caliginem exoptamus,& per visus cognitionisque vacationem videre & cognoscere eum,qui omnem visum & cognitionem vincit, hoc ipso quòd minimè videamus & cognoscamus (hoc enim re vera est videre & cognoscere) & per omnium rerum negationem, eum qui super omnia eximius est, eximiè dilaudare: eorum scilicet more, qui natiuum efformantes simulacrum,omnia detrahunt quæ obstāt quo minus clarè aspiciatur delitescens forma, ipsamque in seipsa,alioqui absconditam, pulchritudinem sola detractione commonstrāt.

Oportet autem,vt arbitror, in negationibus contraria via quam in affirmationibus procedere. Nam in affirmationibus quidem à primis exorsi per media ad extrema descendentes,omnia ponimus: in negationibus autem ab infimis ad principalia gradum facientes cuncta tollimus, vt remoto omni integumento ignorationem illam [Deum scilicet qui ignoratur] ab omnibus, quæ in tota rerū natura cognosci possunt,remotam atque absconditam cognoscamus, & caliginem illam diuinam,ab omni,quod in existentibus est,lumine abstrusam videamus.

NOTATIO.

Nota è similitudine,quæ hic vsurpatur à S.Dionysio,rectè colligi viam declarandi Deum per affirmationes similem esse pingendi artificio; sicut per negationes,sculpendi opificio. Nam pictor super nuda leuique tabula,opus suum,addendo, perficit, & iam vnum colorem,iam alium atque alium adijcit: ad quem modum in affirmationibus de Deo dicimus,Deus est vita,est sol,est luna &c. Sculptor autem suam statuam aut simulacrum detrahendo exequitur. Nam proposita rudi informique materia,seu lignea,seu lapidea,eo vsque detrahit,exscinditque materiem,donec aut virum, aut feminam, aut quod voluerit,exhibeat:cùm (*vt ait M.Tullius*) in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita. Illa enim ipsa efficiuntur detractione: nec quicquam illuc affertur à Praxitele: sed cùm multa sunt detracta,& ad lineamenta oris peruentum est, tum intelligas illud,quod iam expolitum sit, intus fuisse. *Ita Tullius. Vnde apparet optimè dixisse S. Dionysium,delitescentem formam, & absconditam in seipsa pulchritudinem sola detractione commonstrari.*

M. Tullius l. de diuinatione.

CAPVT III.

Quæ affirmantes de Deo orationes, quæ negantes.

IN Theologicis quidem institutionibus,ea quæ affirmantis Theologiæ sunt maximè propria,diximus:quomodo scilicet diuina & bona natura dicatur vna,quomodo trina:quę in ipsa dicatur paternitas,quę filiatio: quid significare velit nomen Spiritus sancti:quomodo ex incorporeo & indiuiduo bono emanarint intima Bonitatis lumina [*personæ SS. Trinitatis*] quomodo in eo & in seipsis atque inuicem alia in alijs,mansione emanationi coæterna permanserint foras non prodeuntia: quomodo IESVS naturis superior veram naturam humanam susceperit, & alia omnia quæ à diuinis Scripturis enuntiata in Theologicis Institutionibus tractata sunt.

Libri Theologicarum Institutionum argumentum.

In libro autem De Diuinis nominibus:quomodo Deus bonus appelletur,quomodo ens, quomodo vita,quomodo sapientia,potentia, & alia quæcunque Deo attribuūtur nomina.

Libri de diuinis nominibus argumentum.

In Symbolica vero Theologia, quænam appellationes à rebus sub sensum cadentibus ad res diuinas sint translatæ: quænam sint diuinæ formæ,quæ diuinæ figuræ,membra, instrumenta:quæ diuina loca & ornatus:qui furores,quę tristitię,quæ irę,quę ebrietates,quę crapulæ,quæ iuramenta, quæ maledictiones, qui somni,quæ vigiliæ,& quæcumque sunt aliæ formæ sacræ Deum symbolicè repræsentantes.

Te etiam arbitror animaduertisse extrema pluribus verbis quàm prima exprimi. Nam oportebat Theologicas institutiones & Diuinorum nominum explanationem breuiori sermone quàm Theologiam symbolicam pertractari. Quo enim magis ad superiora contendimus, hoc etiam magis sermones de rebus intelligibilibus contrahuntur: quemadmodum & nunc in caliginem ingredientes mente sublimiorem, non sermonis breuitatem,sed mirum silentium & intelligentiæ vacationem reperiemus. Atque ibi quidem à summo ad extrema descendens oratio pro modo descensionis ad respondentem ei multitudinem dilatabatur:nunc autem ab infimis ad summum ascendens pro ratione ascensus contrahitur, & post omnem ascensum tota obmutescet & cum ineffabili coniungetur.

Sed quamobrem,inquies,cùm à primo diuinas affirmationes inceperimus, diuinas negationes incipimus ab extremis?

Quia scilicet cùm de Deo affirmauerimus id quod potissimum erat, fuit ab eo,quod illi est propinquissimum inchoanda subsequens affirmatio:cùm autē de Deo negamus, quod omnem

omnem aliam negationem superat [*siue quod ab eo alienissimum est*] ab ijs negationibus inchoandum est, quæ de illo negant, quæ ab eo maximè distant. An enim Deus non magis est vita & bonitas, quàm aër & lapis? Aut non magis non crapulatur & non irascitur, quàm non dicitur & non intelligitur.

NOTATIO.

Docet tacitè S. Dionysius in hoc capite, piè & reuerenter de Deo loquendum; ac propterea, quemadmodum fit à nobis erga homines, dum recensemus eorum titulos, vt incipiamus à dignioribus & excellentioribus, verbi gratia, Imperator, Rex, Dux &c. dum autem negamus quæ illis non conueniunt, inchoamus à postremis & pessimis, vt non est hæreticus, non est sacrilegus, non est expilator, non est libidinosus, nō est auarus &c. Sic nobis circa Deum esse procedendum, nempe vt in attribuendis illi nominibus ordiamur à præstantioribus dicendo Deus est ipsa bonitas, ipsa sapientia, ipsa potentia &c. Deinde ad minora descendentes dicamus: est sol, luna, aër, terra, lapis &c. In negandis autem ijs, quæ sunt ab eo aliena, incipiamus ab alienissimis & infimis & indignissimis, vt non libidinatur, non crapulatur, non stomachatur, non turbatur. &c. Deinde ad neganda ea, quæ magis ei conuenire videantur ascendamus, vt dicendo: Sermone non exprimitur, ratione non comprehenditur. scilicet, vt in se est.

CAPVT IIII.

Deus qui per excellentiam caussa est omnium sensibilium, nihil est ipse sensibilium.

DIcimus ergo Deum, qui est omnium caussa, & qui est super omnia, nec essentia carere, nec vita, nec ratione, nec mente: nec tamen corpus esse, nec figuram, nec formam; item nec qualitatem habere, nec quantitatem, nec molem: nec in loco esse, nec cerni, nec tangi: nec sentire, nec sensibilem esse: nec inordinationem habere, nec perturbationem motibus corporeis agitatam: nec imbecillum esse, quasi sensibilibus commodis obnoxium, neque lucis indigum: nec denique mutationem aut corruptionem, aut diuisionem, aut priuationem, aut defluxionem, aut quicquam aliud sensibilium esse aut habere.

CAPVT V.

Deus, qui caussa est omnium intelligibilium, nihil est ipse intelligibilium.

RVrsus autem ascendentes dicimus Deum non esse animam, neque mentem: neque imaginationem habere, neque opinionem, neque rationem, neque intelligentiam: neque ratione esse, neque intelligentiam: neque dici, neque intelligi: neque numerum esse, neque ordinem, neque magnitunem, neque paruitatem; neque æqualitatem, neque inæqualitatem: neque similitudinem, neque dissimilitudinem: neque stare, neque moueri, neque quietem agere: neque potentiam habere, neque potentiam esse, neque lumen: neque viuere, neque vitam esse: neque essentiam esse, nec æternitatem, nec tempus: nec tactum esse ipsius intelligibilem: neque scientiam esse, neque veritatem, neque regnum, neque sapientiā: neque vnum, neque vnitatem: neque deitatem, neque bonitatem: neque Spiritum quem possimus cognoscere, neque filiationem, neque paternitatē; neque aliquid eorum quæ aut nobis aut cuiuis alteri cognita sint: neque item aliquid esse eorum quæ non sunt, vel eorū quæ sunt: nec ea quæ sunt agnoscere illum, quo modo ipse est; nec ipsum vicissim illa eo modo quo sunt: nec ipsius sermonem esse, nec nomen, nec cognitionem: neque ipsum esse tenebras, neque lucem, nec errorem, nec veritatem: nec ipsius omnino esse positionem, nec ablationem; immo nec ea quæ post ipsum sunt ponētes vel auferentes eum ponimus vel auferimus: quippe cùm supra omnem positionem sit illa perfecta & singularis omnium caussa: & supra omnem ablationem sit excellentia eius, qui ab omnibus simpliciter absolutus est & extat super vniuersa.

Finis libri de mystica Theologia.

Illustrarunt hunc librum, commentariis quidem Dionysius Carthusianus, Marsilius Ficinus, & Carolus Hersentius: paraphrasi autem idem Hersentius, & ante illum Ambrosius Camaldulensis. Sed Hersenty prorsus excellit tam paraphrasis, quam commētarius: immo omnis labor eius circa hunc librum ita mihi arridet, vt peroptem in alios quoque omnes S. Dionysij libros ipsum æquè versari. Animum & neruos det illi Deus.

DE EPISTOLIS S. DIONYSII.

Nonnullas epistolas S. Dionysij in eius vitam locis opportunis inserui: aliæ, (quæ similia quædam habent ijs, quæ in libris prius positis continentur) non visæ sunt huc inferendæ. Breuitatem enim quæro & emolumentum. Quare ad nonnullas quæstiones, quas scio à multis expectari (sunt enim de rebus circa eiusdem B. Dionysij vitam & eius scripta valde controuersis) iam festino.

QVÆSTIO-

QVÆSTIONES IIII.

AD S. DIONYSII VITAM SPECTANTES.

CIRCA hanc S. Dionysij vitam, quam modò in lucem dedimus, quatuor occurrunt nobilissimę & varijs doctorum virorum distractæ sententijs quæstiones.

1°. est: An idem sit, Dionysius Areopagita Paulli discipulus, qui & Episcopus Parisiensis Francorum Patronus?

2°. An opera quæ nunc extant sub nomine Dionysij Areopagitæ edita, sint re vera ipsius, an verò posterioris cuiuspiam?

3°. An Timotheus, cui hi libri inscripti sunt, sit Timothæus ille Paulli discipulus & socius, an alius aliquis seu à Lucio Dextro, seu à Baronio, seu à quopiam alio propositus?

4°. Vtri hodie S. Dionysij corpus teneant? Parisiensésne, an Ratisponenses?

Hasce quæstiones quatuor, quibus velut totidem columnis structura vitæ S. Dionysij à nobis erecta sustinetur, tametsi à nonnullis antehac, & quidem haud indiligenter, tractatæ sint; visum est mihi tamen in præsentia aliquanto diligentiùs retractare. Nam & aduersarum partium veterana arma siue antiqua argumenta studiosiùs expendi, & contra nouitios insultus noua meliori parti auxilia conduxi. Eo scilicet consilio, vt si qui vitam hanc alienis imbuti opinionibus fortè despiciant aut minoris iusto faciant, ij consultis, quas in vicino habeant, sententiæ nostræ rationibus, simúlque argumentorum momentis vtramque in partem allatorum æqua lance perpensis, faciliùs à deuijs erroribus in rationis gyrum reducantur.

QVÆSTIO I.

An idem sit Dionysius Areopagita Paulli discipulus, qui & Episcopus Parisiensis Francorum Apostolus?

VNum eundémque esse Dionysium, qui primò Athenarum, deinde Parisiorum fuerit Episcopus, his probatur argumentis: 1°. quidem, quòd cùm primùm ea moueri cœpta est quæstio, & res inter Græcos & Francos diligentiùs examinari, communi vtrorũque iudicio decisum sit nõ esse duos, sed vnicum: qui more tum Apostolis vsitato post fundatam Athenis ecclesiam, & datum illis Episcopum aliò demigrarit, tandémque in Galliam deuenerit. Ac de Græcorum quidem iudicio confirmari potest è præstantissimis illius æui tam sanctitate quàm eruditione viris, nempe S. Methodio & S. Michaële Syncello: qui ambo, Cedreno teste, sub Theophilo Imp. Iconoclasta martyrium religionis caussa subiere. Isti igitur, quo tempore Ludouicus Pius Imp. res & acta patroni sui perquirebat, vnus S. Dionysij martyrium, alter vitam omnem, egregia panegyri est complexus. Ac prioris quidem, hoc est, S. Methodij Patriarchæ Constantinopolitani, quæ huc spectant verba, sunt eiusmodi: Τότε καὶ ὁ μακάριος οὗτος Διονύσιος τῷ τοῦ σταυροῦ ἀρότρῳ τὴν θάλασσαν διατεμὼν ἀπὸ Ἀθηνῶν τὴν Ῥώμην κατέλαβεν οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος. *Tum & beatus hic Dionysius Crucis aratro mare sulcans, Athenis Romam cælesti ac diuina ductus volũtate, tanquã Deo dilectus transmeauit.*

Sic ille de profectione Romam: de transitu verò in Franciam, ita ibidem paullo inferiùs: Ἀκυιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Ἀντωνῖνον ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστικῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη. *Misso in Aquitaniæ partes S. Antonino, ipse cum S. Luciano & S. Rustico & S. Eleutherio ad vrbem Parisios profectus est.*

Syncelli autem Presbyteri Hierosolymitani & magna eruditione præditi sunt hæc, vbi de martyrio eius Parisijs obito agit: Καὶ δὴ καταμηνυθέντος αὐτοῦ τοῖς διώκταις ὑπάρχειν ἐν Παρησίᾳ πολίχνῃ οὕτω καλουμένῃ, δρομαίως εἰσελάσαντες ἐκεῖσε κατέλαβον αὐτόν. *Et cùm iam annuntiatum esset persecutoribus in vrbecula Parisijs appellata eum esse, cursim insecuti eum inibi comprehenderunt.*

De Francis porrò idem fuisse eadem tempestate iudicium liquet è Scriptoribus ætatis illius, Hilduino Abbate & Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi: quorum prior non tantũ

probat

probat eundem esse Dionysium Areopagitã & Parisiensem, sed etiam alia sentientes aut quomodolibet innuentes fortiter refutat. Alter verò in epistola, quam ad Carolum Caluũ Imp. & Francorum Regem scripsit, non modò Græcos & Francos in hac fuisse de vno eodémque Dionysio sententia asserit, sed etiã Romanos, ipsúmque adeò Pontificem. Nam dicit se quorũdam hac de re Scriptorum exemplar Imperatori mittere, *vt si quæ sint*, inquit, *illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & patrem nostrum, patronum vestrum, Dionysium esse Areopagitam à Beato Paullo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio & sanctæ sedis Romanæ attestatio, & Gallicana intimat contestatio; ratum esse in hac caussa, quod longè ante nos dictum est, recognoscant. Quia veritas sæpius exagitata magis splendescit in lucem.* Ita Hincmarus.

Citat eadem Baronius tomo 2. Annal. ad Christi annum 109. sed nonnihil viciosè. Nec enim valet. *Gallicana intima contestatio*, legendum *intimat* quæ vox illo sæculo fuit frequentissima. Nec item quod ista inclusit parenthesi (*quod longè ante nos dictum est*) Nam Hincmari hic est sensus: *vt recognoscant id quod longè ante nos dictum est* [de vno eodémque Dionysio scilicet] *ratum esse in hac caussa.*

Scripsit his conformia sub idem tempus ad eundem Imp. Carolum Anastasius, Romanus bibliothecarius: vbi post alia, in quibus se græcam S. Dionysij vitam in Latinum eloquiũ vertisse dicit, *Cesset ergo iam*, inquit, *quorundam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium, cum qui propè Parisium corpore ac virtutibus redolet: cùm hoc & Græcorũ quoque stilus cum latina lingua concordans testetur & prædicet.*

Nec parui sanè faciendum hoc argumentum est, quod à Græcorum consensu, (qui satis aliàs & se & sua amare solent) ductum est. Neque enim est dubium, quin tanti viri, quales Patriarcha Constantinopolitanus Methodius, & Presbyter Hierosolymitanus Michaël Syncellus, eruditionis scilicet & grauitatis & sanctimoniæ gloria clari, antequam ea scriberent, quæ de S. Dionysio scripserunt, aliquam diligentiam perquirendæ veritati, tanto præsertim in negotio, insumpserint. Nam dicere aut suspicari in fauorem Imperatoris ea scripsisse, quæ aliter ipsi sentirent, est viris qui ad martyrium prompti fortésque fuerũt, nimis leuem, immo & læuam attribuere conscientiam.

2. Quod tanti viri, quantus fuit Dionysius, tam exigua olim in oriẽte (vbi cum Paullo floruit) memoria & mentio reperta sit, seu de tẽpore excessus, seu de genere mortis, seu de loco sepulturæ, magno sanè id argumento est, eum (quod ferè tunc omnes Apostolorũ faciebant discipuli) alias in terras demigrasse, proculque à patrijs finibus vitam cõmutasse.

3. Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, & alij Græcorum, qui memorias Sanctorum studiosiùs sunt è veteribus monimentis perscrutati, eadem de Dionysij in Italiam & Franciam migratione docuerunt. Prioris verba sunt hæc: Τὴν βασιλίδα Ῥώμην καταλαμβάνει, καὶ πρόσεισι Κλήμεντι τὸν ἀποστολικὸν τηνικαῦτα θρόνον διέποντι. *Regiam vrbem Romam adit, atque ad Clementem apostolicam sedem tunc tenentem accedit.*

Et paullo inferius: ὑπὸ τούτου προτρέπεται καὶ πρὸς ἑσπέρια μεταβῆναι μέρη. *Ab illo incitatur, vt etiam ad partes transeat occidentales.*

Et rursus haud multo pòst. Καὶ τοὺς ἑσπερίους καταλαβὼν Γαλάτας οὐ διδαχῆς μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Et ad occidentales Gallos profectus, non modò doctrinæ verbis, sed & factis prodigiosis, suo munere Apostolatus fungebatur.*

Verba Nicephori lib. 2. histor. eccl. cap. 20. Διονύσιος δὲ τὸν λόγον εὐσεβείας λαμπρῶς παῤῥησιασμένως ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσι κατὰ τὴν ἑσπέραν δοξάσας χριστὸν, εἰς βαθὺ γῆρας ἥκων καὶ τῷ ὑπὲρ αὐτοῦ μαρτυρίῳ κατεκοσμήθη. *Dionysius porrò, cùm pietatis doctrinam præclarè & liberè prædicasset, multósque annos in occidente Christi gloriam extulisset, ad multam vsque progressus senectutem, denique pro eodem corona martyrij decoratus est.*

4. Latini historici & chronographi & annalistæ eandem de Dionysio sententiam tutati sunt: Vincentius Bellouacensis in speculo historiali, lib. 1. cap. 1. S. Antoninus in prima parte historiali, titulo 6. capitulo 18. & 19. Petrus Equilinus l. 9. cap. 41. Genebrardus, Mariana, Baronius, & passim omnes. Qui si dicantur recentiores esse auctores, dicendum est eos, qui contra sentiunt, multo etiam ijs esse recẽtiores, adeóque heri & nudiustertius, vt aiunt, natos.

5. Probatur hæc sententia ex multis aliorum Sanctorum vitis, quorum Sanctorum aliqui Athenis Romam, alij Roma in Galliam beatum Dionysium narrãtur comitati. Graue est autem, & parum Christianæ pietati atque modestiæ consonum, tot vitis Sanctorum & narrationibus ex variarum archiuis ecclesiarum depromptis fidem abrogare. Habent igitur S. Iönem (quem alij Ionam, alij Iönium, sed vtrumque minus rectè, appellant) venisse cum B. Dionysio Athenis Romam, & hinc in Gallias vnà migrasse. Cuius quidem martyriũ nomẽ fecit loco, qui *mons Sancti Iönis* dicitur apud pagũ Castresium, dictũ gallicè, *Chastres sous Montleheri*. Habent & B. Regulum, S. Ioãnis Apostoli olim discipulum, à Magistri in Patmon relegatione Athenas ad Dionysium se contulisse, eique deinceps adhæsisse, & Romam vnà profectum esse, indeque in terram Galliam. De quo Regulo ita Petrus Galesinius in martyrologio ad III. Kalẽdas Apriles: *Apud Siluanectenses, inquit, sancti Reguli Episcopi. Is ciuis Nicænus beati Ioannis Euangelistæ discipulus, Dionysij Areopagitæ in peregrinatione Gallica socius & comes post Trophimum Arelatensium*

factus Episcopus, sanctimonia laude clarus exaedificata Apostolorum basilica quieuit in Domino. Ita ibi. Vide plura de socijs eiusdem Dionysij cap. 10. & 21. vitæ ipsius, suprà.

6. E meneis Græcorum, quæ ad diem tertiam Octobris referunt eum, post explanatam ecclesiasticæ dispositionis formam, ad partes occidentales profectum esse, & martyrium apud Parisios obijsse. Ipsa Menæi verba extant suprà, capite 31. vitæ.

7. Libellus Passionis S. Dionysij longè antiquior omnibus iam citatis Scriptoribus Græcis, & missionis eius à Clemente in Galliam, & suppliciorum mortisque ordinem cōtinens: itémque multò antiquissima Visbij de ijsdem rebus conscriptio (fuit enim Visbius Lisbij à S. Dionysio conuersi filius) ab Hilduino talium scriptorum diligenti perquisitore, annis abhinc octingentis circiter inuenta, idem docent atque conuincunt.

8. Denique confirmatur ex antiquissimis martyrologijs, breuiarijs, missalibus: vbi Dionysius ille Parisiorū Episcopus dicitur à Clemente Pont. Rom. in Gallias missus. Vidi Parisijs (eò enim me harum rerum exploranda-rum gratia contuleram) vidi inquam in bibliotheca Clarissimi viri Thuani; & vidit mecum Andreas à Quercu insignis nostri æui scriptor duo perantiqua Martyrologia manu scripta, in quorum altero erat S. Dionysium à Pontifice Romano in Gallias missum; in altero autem (quod è duobus erat antiquius) expressè habebatur à Clemente Pont. Rom. missum. De diuersis porrò cūctarum ferè ecclesiarum, & nonnullis quoque extra Galliā, Breuiarijs ac missalibus remitto cupidos lectores ad historiam Abbatiæ S. Dionysij nuper à Iacobo Dublæo (qui cum etiam aliquando Parisijs contuli) in lucem editam. Is vir, si quis alius, omnium quæ S. Dionysij res contingunt, diligentissimus fuit inuestigator. Adde autem pro corollario Martyrologium & Breuiarium, quibus nunc Romana vtitur ecclesia, quę disertissimè protestantur Dionysium Areopagitam à Clemente Pōtifice missum esse in Galliā, prædicandi euangelij caussa. Atqui non potest alius assignari CLEMENS Pōtifex, quàm ille Petri & Paulli discipulus, qui primo vixit sæculo. Nam CLEMENS II. Pont. demum vndecimo sæculo vixit. Igitur vnus idémque est Athenarum & Parisiorum Episcopus, non duo.

Sed quid his opponant ij, qui contraria sentiunt, nunc est videndum. Tria igitur præcipuè opponunt.

1. quidem, & quod alijs præstat est: quòd in veteribus Latinis martyrologijs repererint bis positum S. Dionysium, semel scilicet 3. Octobris, sub his verbis: *Athenis, Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diuersis tormentis passi: vt Aristides testis est in opere, quod de Christiana religione cōposuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur.* semel 9. eiusdē mēsis, sub hac forma: *Parisijs Dionysij Episcopi cū socijs suis à Fescennino gladio animaduersi.* Ita vetus martyrologium Romanum, cui consentiunt martyrologia venerabilis Bedæ, & Adonis Viennensis, quod quidē attinet ad diuersos dies: verbis alioqui nobis fauent, vt pòst declarabitur, cùm ad secundum argumentum respondebitur.

2. Argumētū est ab auctoritate Gregorij Turonensis, lib. 1. cap. 30. dicentis Dionysiū missū in Gallias sub Decio Imp. Vnde sequeretur non potuisse esse Areopagitam. Nam Decius vixit tertio sæculo, Areòpagita primo.

3. ab auctoritate Seueri Sulpitij lib. 2. sacrę historiæ, scribentis sub M. Aurelio Antonini Pij filio primum intra Gallias visa martyria. Ex quo colligunt Areopagitam non potuisse dici passum Parisijs sub Hadriano, qui ante Antoninum Pium regnauit.

Hęc argumenta primo aspectu satis probabilia apparent: sed propiùs inspecta & discussa manifestæ falsitatis arguuntur. Itaque singula examinemus.

Ad 1. ergo quod attinet, talis est responsio: Non sequi ex eo quòd quis ponatur bis in martyrologio diuersis diebus & sub diuersis verbis, esse duos eiusdem nominis diuersos.

Nam vt idē quispiam bis ponatur in martyrologio varijs modis accidit: primò quidē, cū is diuersis in locis Episcopus fuit. Multi enim gesto alicubi Episcopatu, & relicta illic sui memoria, aliò demigrarūt, sedémque aliā statuerunt: vt Petrus Apostolus primò Antiochiæ, deinde Romæ: vt S. Alexander (cuius etiā, vtpote Scriptoris, vitam infrà scripsimus) priùs in Cappadocia, deinde Hierosolymis, quē duobus diebus in menologio reperies, nēpe 16. Maij, & 12. Decēbris: vt magnus Eustathius primò Berrhoeæ, pòst Antiochiæ, qui & bis in Menologio diuersis diebus ponitur, semel 21. Februarij, semel 5. Iunij, in Romano autem tam vetere quàm nouo, Iulij 16.

Secundò, cū dies suscepti Episcopatus vno tempore celebratur, & alio dies excessus, seu martyrio, seu vitę sanctimonia nobilitati, vt in SS. Basilio magno, Ambrosio Mediolanensi & alijs accidit. Nam Basilij quidē depositio siue excessus celebratur Kalendis Ianuarij: Ordinatio autē decimo octauo Kalendas Iulij: vt videre est in Romano Martyrologio. Ambrosij verò natalis pridie nonas Aprilis assignatur: ordinatio autem septimo idus Decembris in hæc verba: *Mediolani ordinatio S. Ambrosij Episcopi, cuius sanctitate & doctrina vniuersalis ecclesia decoratur.*

Tertiò, cū semel alicuius natalis siue obitus dies celebratur, & semel aut sæpius eiusdem dies translationis corporis, aut certarū Reliquiarum, vt in S. Ignatio martyre ostēdimus: & quemadmodum in sanctis Andrea Apostolo, Luca Euangelista, Timotheo Paulli discipulo, è beati Hieronymi aduersus Vigilantium discitur lucubrationibus: vti etiam in

in ipso S. Hieronymo & S. Nicolao Myræ Episcopo,& in alijs quàm plurimis cerni potest:quorum non modo dies natalitij, sed etiã dies translationis Reliquiarum reperiuntur distinctis diebus annotati. Quartò & sępius ex errore eorum,qui conflarunt martyrologia,& è varijs libris sacris sanctos ijs inserẽdos collegerũt,partim è gręca,partim è latina ecclesia. Quod eo facilius accidit, quòd martyrologia non ab vno homine,nec in vno sæculo, sed ab hominibus multis,alijs post alios,& in omnib⁹ sæculis vel cõdita sint,vel aucta. Nã qui primus primo sæculo,aut secundi sæculi initio condidit martyrologium , is tantùm Sanctos primi sæculi comprehendit:quo mortuo, prout aliqui secundo sæculo extiterunt,qui digni martyrologio viderẽtur:sic ab alijs atque alijs additi sunt,tam à Græcis in Græca, quam à Latinis in Latina ecclesia. Habuerũt enim & hi & illi distinctos fastos. Itaque vetus Romanũ, exempli gratia , quod initio minimum erat, crescente paullatim Sanctorum numero, pari etiam passu creuit; itémque Græcorum Menæum:post aliquot deinde sæcula, cùm multi Latinorum in Græcis deessent Menæis, & multi Græcorũ in Latinis desiderarẽtur martyrologiis,fuerunt quidam , (præsertim post tempora S.Hieronymi) qui primo illi Romano martyrologio, (quod iam *Vetus Romanum* appellatur)multos sanctos addiderint,eósque de Græcorum Menæis magna ex parte desumpserint. Hi autem fuerunt,primò quidem Venerabilis Beda, cum suo suppletore Floro monacho (reliquerat enim ille dies aliquot, martyrũ nominibus vacuos) deinde Vsuardus Caroli Magni Imp.iussu: post hunc Ado, qui Bedam,licet Flori additamentis aliquatenus pleniorẽ,haud tamen numeris omnibus absolutum,ita perfecit, vt non modò dies vacuos replerit;sed etiã breuibus ipsorum martyrũ actis adornarit : vti ex eiusmet Adonis liquet epistola, quã noster Heribertus Rosuueydus veteri præfixit Romano martyrologio. Dico igitur S. Dionysium ab initio tantùm semel fuisse tam in Græcorum Menologio,quàm in Latinorũ martyrologio:& in Menologio quidẽ,die tertia Octobris,breuissimè hoc modo:

Certamen sancti Patris Dionysij Areopagitæ Episcopi Athenarum.

Vbi obserua sileri, vbinam fuerit illud certamen siue martyrium , quòd longè scilicet à patria peregrinati & defuncti locũ haud satis Græci nossent. In Menęo autẽ,quod menologio posterius est,& multo auctius , quãuis sub hoc tantum titulo dies eius natalis proponatur:

Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου

Sancti Dionysij Areopagitæ Martyris; tamen in subiecto eius vitæ & martyrij compendio scribitur passus Parisijs.

Non habent autem etiãnum nec Menæũ, nec Menologiũ Græcorum, nisi vno eodémque die, Dionysij Areopagitæ & Parisiorũ Episcopi natalẽ,hoc est, tertio Octobris. Conflator igitur aut amplificator potiùs Romani martyrologij,id quod reperit in menologio 3. die Octobris,in martyrologiũ suum eodẽ die intulit:atque ita factũ est,vt qui erat 9. Octobris sub nomine Parisiorum Episcopi , fuerit etiam tertio die sub nomine Areopagitæ seu Episcopi Athenarum . Nam cùm vtrobique fuerit Episcopus & Athenis & Parisijs, Athenienses sub nomine Areopagitæ aut Episcopi Athenarum, Parisiẽses autem sub nomine Episcopi Parisiorum inscripserunt & coluerũt.

Nota hic quoque per transennam in Vetere Romano martyrologio primitus nihil fuisse 3. Octobris, nisi hoc:

Athenis, Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diuersis tormentis passi:

Totum autem hoc quod sequitur: *Vt Aristides testis est in opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur,* esse additamentum alicuius posterioris. Quod patet ex toto reliquo corpore eiusdem martyrologij; vbi tantùm nomina martyrum & locus ac dies passionis recensentur) & ex testificatione Adonis in epistola superiùs citata. Videtur autem ex ipso Adone sumptum , qui in suo martyrologio idem,& pluribus quidem verbis,habet hoc modo:

Vt Aristides Atheniensis, vir fide sapientiáque mirabilis testis est in eo opere, quod de Christiana religione cõposuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimũ tenetur, vt peritiores Græcorũ affirmant.

Hinc ergò ineptè & indecorè intrusum est in vetus Romanum. Nam in augendo aliquo opere,forma primi operis retinẽda est; & imitanda vel breuitas vel prolixitas ipsius auctoris & fontis. Quo in genere qui peccant, non praui quidem, sed parui se iudicij profitentur. Sic peccauit qui in eodem martyrologio ad octauam Nouembris sic addidit:

Et ipso die, IV. Coronatorum, Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini: quorum festiuitatem statuit Melchiades Papa sub nominibus quinque Martyrũ celebrari: quia nomina eorũ nõ reperiebãtur: sed intercurrentibus annis cuidam sancto viro reuelata sunt.

Debebat enim finire in *Victorini.* & ista foras proijcere: *quorũ festiuitatẽ* &c. Hisce enim forma martyrologij deformatur. Quomodo autẽ Melchiades statuit celebrari sub nominibus quinque martyrũ, si fuerint tantùm quatuor? Tolle igitur *quinque.* est enim viciosum: & repone *quatuor.* Itaque vt ad propositum argumentum redeamus, errore posteriorũ martyrologorũ factũ est, vt bis in martyrologio poneretur S. Dionysius. Nã cùm inuenissent in Menæo Gręcorũ & menologio ad tertiã Octobris scriptũ natalẽ siue certamẽ Dionysij Areopagitæ Episcopi Athenarum, rati esse diuersum à Dionysio Episcopo Parisiorum, quẽ in suis Martyrologijs habebant nono die eius-

dem mensis, inscripserũt etiam ipsi tertio die Octobris natalem Dionysij Areopagitæ, sicut ibi inuenerunt; atque ita ex vno Dionysio fecerunt duos. Vnde Molanus in Notis ad Vsuardum indicauit 3. Octobris nõ necessariò legendũ esse, quod habetur de S. Dionysio. Nã apposuit istã notulam ¶. quam in epistola ad Lectorem numero XII. dicit significare, eousque in omnibus ecclesijs legi posse: *Illa enim*, inquit, *quæ sequuntur notam ¶ vel sunt festa trãslationum, fere ex proprijs ecclesijs sumpta, quæ non est necesse passim per ecclesias legi, vel sunt minimis typis, de non canonizatis* &c. Vnde Molanus vir sanè in huiuscemodi rebus diligens & attẽtus iudicauit Dionysium hunc Areopagitam notatum 3. Octobris eundẽ esse cum Dionysio Parisiorum Episcopo. Cur enim alioqui censeret non legendum Areopagitã in omnibus ecclesijs? Adde nec in Martyrologio Venerabilis Bedę quicquã primitus fuisse 3. Octobris, sed tantùm 9. vt nũc in martyrologio Romano nouo & correcto. Testatur enim Baronius tomo 2. annaliũ anno Christi 109. antiquissimum Bedę martyrologium manu scriptũ acceptum olim ex reliquijs monasterij S. Cyriaci, vnum tantùm habere Dionysium, Parisiẽsem scilicet, septimo idus Octobris. *Vnde non à Beda*, inquit, *sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagita addita esse oportuit, ex Græcorum videlicet Menologio. Nam ea die 3. Octobris ijdem agunt de Dionysio Areopagita*. Ita Baronius, & bene.

Indicarat & Molanus loco suprà citato, addita G. littera ad vocem *Areopagitæ*, sumptam illã esse è Græco Menologio. Sed petunt nostri aduersarij exempla eorum, qui bis similiter in martyrologio ponantur, quasi sint diuersi, & tamen sint vnus idémque.

Respondeo quidem id quod petunt nõ esse necessarium, cùm aliundè alia sufficiant argumenta: sed tamen etiam in hoc nos ipsis facturos satis; quò & ipsi libentius nobis dent manus, cùm quod petunt, acceperint.

1. Igitur S. Crescẽs Paulli Apostoli discipulus, qui perinde ac Dionysius & in Oriẽte & pòst in Gallijs apostolus fuit, bis similiter in martyrologijs ponitur, semel 27. Iunij hoc modo:

In Galatia S. Crescentis discipuli Paulli Apostoli, qui in Gallias transitũ faciens verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit: rediens vero ad gẽtẽ cui specialiter datus erat Episcopus, cũ Galatas ipsos vsque ad finẽ vitæ suæ in opere Domini cõfirmasset, demum sub Traiano martyriũ cõsummauit.

Semel rursus 29. Decembris hoc pacto:

Viennæ in Gallia sancti Crescẽtis discipuli beati Paulli Apostoli & primi eiusdem ciuitatis Episcopi.

Ita in Romano martyrologio.

Vbi vides semel Viennę poni eius natalem, vbi fuit Episcopus, nulla facta Galatarum mẽtione: eodẽ prorsus modo, quo S. Dionysij Parisiorum Episcopi, 9. Octobris sine vlla mentione Athenarum, in antiquis Bedæ & Vsuardi & Adonis martyrologijs: semel itẽ in Galatia, 27. Iulij. Quo die apud Bedã nulla mentio Viennæ aut Galliarũ. Hoc enim tantũ habet:

Apud Galatiam beati Crescentis Episcopi, discipuli S. Paulli Apostoli.

Die autem Decembris 29. sic:

Eodem die S. Crescentis, Apostoli Paulli discipuli, Viennensis ecclesiæ primi doctoris.

Vsuardus porrò cùm eundẽ esse agnouisset, & bis positum animaduertisset, semel sustulit. De Crescente enim, 29. Decembris nihil habet. Sic noui Romani martyrologij assertores cùm eundẽ Dionysiũ Areopagitã & Parisiorũ Episcopum bis positũ deprehendissent, semel expunxerunt, & tantũ 9. Octobris reliquerũt.

2. S. Philippus Gortynæ in Creta Episcopus, bis in vetere Romano martyrologio reperitur, semel XI. Aprilis in hunc modum:

Gortynæ Philippi Episcopi, qui claruit Antonini Veri & Lucij temporibus.

Et semel VIII. Octobris in hanc formam:

Gortynæ Philippi Episcopi.

Bis habet eum ipsum etiam Beda ijsdẽ diebus, semel sic III. idus April. *Apud Cretã vrbem Gortynæ, beati Philippi Episcopi*. Vbi adhibenda est talis correctio: *Apud Cretam in vrbe Gortynæ* Nec enim Creta est vrbs Gortynę, sed cõtra. *Apud Cretam* autem idem est, quod *in Creta*. Quod frequens est in martyrologijs vt *Apud* ponatur pro *In*. Nec est quod quisquã diuersos fingat. Nullum enim vsquam alterius Philippi, Episcopi Gortynæ vestigium, quã vnius Scriptoris ecclesiastici, (cuius & ego vitã seorsum scripsi) reperitur. Et eũdẽ vtrobiq; denotari patet ex Adone, qui XI. Aprilis sic habet.

Apud Cretam, vrbe Gortynæ, B. Philippi Episcopi, qui vita & doctrina claruit temporibus Antonini Veri & Lucij Aurelij Commodi Impp.

Et VIII. Octobris sic:

Apud Cretã vrbe Gortynæ, beati Philippi Episcopi magnis virtutibus & optimis studijs præditi viri.

Quis autem dubitat, quin eadem sint *vita & doctrina clarere*: & *magnis virtutibus & optimis præditũ esse*? Quis itẽ ambigat, quin ista de eodẽ dicantur, cũ viri nomen & dignitas, atque ipsa quoque insula & vrbs eius insulæ consentiãt?

Hinc noui Romani martyrologij censores, & ante illos Vsuardus cũ duobus diuersis diebus B. Philippum legerent, in posteriore loco sustulerunt. Vsuardus enim XI. Aprilis ita eius refert memoriam, & alibi nusquam:

Apud Cretam, vrbe Gortynæ, sancti Philippi Episcopi, qui magnis virtutibus & optimis studijs præditus fuit. Floruit autem temporibus Antonini Veri & Lucij Aurelij Imperatorum.

Vbi vides omnia quę in duos dies Ado discreuerat, vno eodémq; à doctissimo Vsuardo cõprehendi. Sic factum & in nouo Romano martyrologio eadem die, vbi sic:

Gortynæ in Creta, S. Philippi Episcopi Vita & doctrina clarissimi, qui temporibus M. Antonini & L. Aurelij Commodi ecclesiam sibi creditam regens à furore Gentilium & hæreticorum insidijs eandem tutatus est.

Nihil autem de illo alibi.

3. S. Ale-

3. S. Alexander Hierosolymorum Episcopus, qui sub Decio passus est, bis legitur in menologio, semel 16. Maij, & semel 12. Decembris: bis item in Venerabilis Bedę martyrologio, semel 30. Ianuarij, semel 18. Martij reperitur: similiterque in Adone & in vetere Romano martyrologio; sed in nouo Romano semel sublatus est, & iam tantum semel reperitur, itémque in Vsuardo. Viderunt enim eundem esse, quem alij duos putauerunt.

Duplicis autem situs in eodem martyrologio eadem videtur caussa, quę dicta est in S. Dionysio. Nam bis quoque Episcopus fuit, semel in Cappadociâ, semel Hierosolymis. Longum esset alios requirere, qui sæpius in diuersis martyrologijs positi reperiuntur. Nam & S. Euphrosyne bis ab Vsuardo diuersis & diebus & mensibus annotatur: semel 1. Ianuarij, vbi & Beda & Ado & nouum Romanum martyrologiũ & alia: & semel rursus XI. Februarij. Similiter & Basilius Magnus semel 1. Ianuarij, semel 14. Iunij. Sic & alij.

Sed hæc possunt & debent sufficere ad declarandum non sequi necessariò, diuersos esse eiusdem nominis eos, qui bis ponãtur in martyrologio, tametsi eius caussa ibidem deprehendi non possit, cùm aliqua ferè semper earum subsit, quas suprà posui.

Nec valet eorum argumentatio, qui ex eo quòd 3. Octobris, dicatur: *Athenis, Dionysij Areopagitæ &c.* colligunt Athenis passum: & ex eo, quòd 9. Octobris dicatur, *Parisijs, Dionysij Episcopi*, &c. volunt intelligi Parisijs passum. Non hoc significant illa nomina vrbium, neque hoc intelligi volunt: sed istud: *celebratur natalis*, aut, *celebratur memoria*. Siue ibi passi aut mortui sint, siue alibi. Nam alioqui, si intelligerentur ibi passi, multa esset in martyrologijs hallucinatio, erroresque multi: atque imprimis ille inexcusabilis primo Februaij, vbi dicitur in vetere Romano martyrologio: *Antiochiæ, Ignatij Episcopi & martyris:* cùm luce clarius sit Romæ passum.

& apud Bedam vbi sic:

Apud Antiochiam, passio S. Ignatij Episcopi & martyris.

& apud Adonem:

Eodem die, apud Antiochiam B. Ignatij Episcopi & martyris. Quibus omnibus in locis ad vrbium aut locorum nomina intelligi debet, vt diximus, *natalis celebratur*, aut, *memoria recolitur.* Sic in Romano martyrologio ad 31. Augusti: *Treuiris, natalis S. Paullini Episcopi* &c. scilicet, *celebratur*: & tamen ibi non est mortuus, sed in Phrygia aut apud Phrygiam in exilio:

Sic in eodem martyrologio ad diem IV. Septembris: *Arimini, S. Marini Diaconi:* qui non Arimini, sed apud montem Titanum obijt, vt in eius vita extat. Itaque subaudiendum: *dies natalis colitur.*

Sic in vetere Romano Martyrologio ad vicesimam septimam Ianuarij cùm dicitur:

Constantinopoli, Ioannis Chrysostomi: non debet, nec potest intelligi, *obyt*, sed *celebratur festiuitas.* Nec enim Constantinopoli obijt, sed in Ponto. De primo argumento satis: nunc ad secundum veniamus: quod est eiusmodi.

Scribit Gregorius Turonensis lib. 1. historiæ Francorum, cap. 30. tempore Decij Imp. missos in Galliam septem Episcopos, inter quos recenset S. Dionysium Parisiorum Episcopũ: ergo alius est ab Areopagita, qui multo antè sub Hadriano mortuus est. *2. Argum. aduersariorum.*

Verba eiusdem Gregorij sunt hæc. *Hi ergo missi sunt: Turonicis Gratianus Episcopus; Arelatensibus Trophimus Episcopus; Narbonæ Paullus Episcopus; Tholosæ Saturninus Episcopus; Parisiacis Dionysius Episcopus; Aruernis Stremonius Episcopus; Lemouicinis Martialis est destinatus Episcopus.* Agit autẽ ibi de temporibus Decij.

Respondeo hanc auctoritatem sua sponte corruere. Continet enim apertè & euidenter res falsas. Nam S. Trophimus primus Arelatensis Episcopus, de quo hîc agitur (nec enim alius in eâ ecclesiâ legitur) fuit S. Paulli discipulus, idque omnia testantur & vetera & noua martyrologia.

Nam vetus Romanum 29. Decembris sic habet:

Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorum.

Nouum autem siue ordinarium Romanum sic:

Arelate natalis S. Trophimi, cuius meminit S. Paullus ad Timotheum scribens, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus præfatæ vrbi primus ad Christi Euangelium prædicandum directus est. Ex cuius prædicationis fonte (vt S. Zosimus Papa scribit) tota Gallia fidei riuulos accepit.

Venerabilis Bedæ martyrologium ita de eodem:

Apud Arelaten natale S. Trophimi Episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Paulli.

Vide eadem apud Adonem in libello de festiuitatibus, & apud alios tam martyrologos quàm historicos sacros: & tamen in illis Gregorij verbis ponitur sub Decio. De S. Martiale Apostolorũ item discipulo perinde aberrauit idem Gregorius, cùm nemo præter illum senserit S. Martialem sub Decio venisse in Gallias, primúsque sit eius opinionis auctor. Nam omnes ferè antea eum fuisse vnum è Christi 72. discipulis consenserunt. De quo Vide Galliam Christianam Claudij Roberti, vbi Lemouicense martyrologium ita de illo:

Apud Aquitaniam prouinciam Galliæ, ciuitate Lemouicis, natalis sanctissimi Martialis, qui vnus ex 72. discipulis electus magnum meritum ad prædicationis officium cum Petro Apostolorum principe compleuit, postea verò iubente Domino Aquitaniam conuertit. Qui virgo electus ab ipso, & plenus sancto Spiritu assumptus est cum magna gloria & indicibili ad cælos, LIX. ætatis suæ anno, Episcopatus

passus autem 28. olympiadis vero 212. & imperij Vespasiani Cæsaris tertio anno, & post Resurrectionem Domini. 40. Omnes eius vitæ anni ita supputantur: Annos impleuerat. 15. ante baptismum: tribus permansit cum Domino: & quinque cum Petro Hierosolymis, septem verò in Antiochia, Romæ verò vno anno mansit, in Aquitania per 28. annos in episcopali ministerio ad finem vsque gloriosissime perseuerauit: vbi ecclesiam S. Stephani Leuitæ protomartyris consecrauit temporibus Neronis Imp. & Stephani Ducis. Ita ibi.

In S. Paullo Narbonensi primo Episcopo similiter hallucinatus est idem Gregorius. De quo ita venerabilis Bedæ martyrologium. 22. Martij.

In Gallijs, ciuitate Narbone, sancti Paulli Episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum Christi: quem tradunt eundem ipsum fuisse Sergium Paullum Proconsulem, virum prudentem, à quo ipse Paullus sortitus est nomen &c.

Consentiunt alia martyrologia, tam Romanum illud vetus ab Heriberto editum (vbi sic: *Narbone S. Paulli Episcopi, discipuli Apostolorum*) quàm vsitatum & ordinarium: itéque Adonis & aliorum hac die. Sed Vsuardi 12. Decembris.

Qui ergo in his tribus manifestò errauit, dùm dixit venisse eos in Gallias sub Decio, hoc est, integro sæculo, postquam essent mortui; quomodo idem testimonium valebit contra Dionysium Areopagitam, quod contra illos nihil valuit?

Itaque quod Gregorius Turonensis dicit de Dionysio, *tam verum est* (vt meritò scribit Baronius) *quam quod ibi asserit eiusdem Decij tépore Trophimum Arelaten, Paullum Narbonam, & Martialem item in Gallias amandatos: quos constat fuisse Apostolorum discipulos & Apostolorum temporibus ad prædicandum euangelium in Gallias esse missos. Sed hæc, sicut alia multa, auctoris simplicitati multa tam facilè admittentis donanda sunt, prout etiam Hilduinus excusat ita dicens: Ceterum parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorij Turonensis Episcopi, qui multa aliter quàm veritas se habet, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis & simplicitatis voto litteris commendauit.* Sic illi.

Ego verò ad firmandam eorum de Gregorio opinionem, sed præcipuè ad corroborandam nostram de S. Dionysio Areopagita sententiam, dico eidem Gregorio Turonensi nõ magnoperè cordi fuisse, præsertim in primis Imperatoribus distinguere accuratè tempora, sed adeò illa confudisse, vt miscuerit & conturbarit ea quæ facta sunt sub Antonino Pio cùm ijs, quæ sub M. Aurelio Antonino Philosopho, & L. Vero eius filijs, & cum ijs quæ sub horum successore Commodo, & quę sub alijs vsque ad Decium acciderunt. Nam inter Antoninum Pium & Decium nulla tot Imperatorum, qui intercesserunt, ab eo fit mentio. Nihil de M. Aurelio Antonino, qui imperauit annos 19. nihil de Commodo qui 12. nihil (vt Pertinacem & Didium tanquam breui extinctos omittam) de Seuero, qui annos 17. nihil de Antonino Caracalla, qui annos 6. nihil de Macrino, de Heliogabalo, de Alexandro Seuero qui annos 13. nihil de Maximino, nihil de Maximo & Balbino, nihil de Gordiano, nihil de Philippo, qui annos 6.

Si quis igitur aliunde ignarus historiæ legat hic Gregorium Turonensem, credet sanè omnia quæ sub tot Imperatoribus medijs facta sunt, esse facta sub Antonino Pio, adeóque Irenæum sub eodem esse passum, etiámque Iustinum Philosophum & Pothinum: quæ tamen ipsorum aduersariorum confessione sunt falsissima. Ita enim scribit lib. 1. cap. 28.

Nam sub Antonini imperio Marcionitana & Valentiniana hæresis insana surrexit: & Iustinus Philosophus post scriptos catholicæ ecclesiæ libros Martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem orta persecutione beatissimus Polycarpus &c. *Sed & in Gallijs multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cælestibus coronati* &c. *Ex quibus & ille primus Lugdunensis ecclesiæ Pothinus Episcopus fuit* &c. *Beatissimus verò Irenæus huius successor martyris* &c.

Quis ita legens non diceret omnia sub Antonino Pio accidisse, eodem nimirum tempore quo Marcionis & Valentini hæreses surrexerunt? At verò longè aliter res habet. Nam Iustinus quidem, Polycarpus & Pothinus non sub Antonino Pio, sed illo pridem defuncto sub eius filijs interempti sunt: Irenæus autem multo etiam posteà sub Seuero Imp. de quibus in ipsorum vitis aut martyrijs ago fusius. Et tamen Gregorius Turonensis in eadem ipsa pagina, vbi de septem illis Episcopis sub Decio in Galliam missis hallucinatur, rursus errore lapsus scribit quadraginta octo martyres, (ex quibus primus fuerit Vetius Epagatus) passos esse post Irenæum: cum constet ex ipsorum Lugdunensium Epistola tum scripta de ipsorum martyrijs, longè antè illos esse passos cum Pothino, Irenæum autem multo, vt dixi, posteà, sub Seuero.

Verba Gregorij, ne mihi gratis credatur, sunt hæc: *Beatum Irenæum diuersis in sua carnifex præsentia pœnis affectum Christo Domino per Martyrium dedicauit. Post hunc & quadraginta octo martyres passi sunt ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagatum.* Ita ille.

Atqui triginta annis post istos martyres adhuc superstes erat Irenæus, vt in eius vita à me scripta videre est.

Vnde miror eos qui auctoritatẽ Gregorij pro se allegant, dum eius errata chronographica tam multa & tam crassa & tam vicina attendunt, si tamen attendant, non vehementi pudore suffundi.

Et verò quomodo potuit sub Decio missus esse Dionysius in Galliã, cum veterrima martyrologia, vt superiùs ostẽdi, ferant eò missum à Cle-

à Clemente Romano Pontifice, nullus autem talis Clemens fuerit sub Decio?

Et ipse Beda (quem pro se citāt, quia diuersis diebus duos videtur adferre Dionysios) in hoc pro nobis plurimū facit, quòd illū Parisiorum Episcopum dicat missum à Clemente Pontifice. Inde enim sequitur quod primo sæculo, & nullo modo sub Decio, qui tertio vixit sæculo. Nullus enim tum Clemens Pōtifex; aut si est, proferant.

Venerabilis Bedę verba 9. Octobris sunt hęc: *Apud Parisium natale sanctorum martyrum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pōtifice Clemente Romano in Gallias directus, vt prædicationis operā populis à fide Christi alienis exhiberet, tandem ad Parisiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus à Præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus est, & cum eo sanctus Presbyter Eleutherius & Rusticus Diaconus gladio animaduersi martyrium compleuerūt.*

Et quia non rarò dum suum Gregorium frustra iactant, æquè antiquum à nobis auctorem postulant, qui à nobis sit, ecce æqualem Gregorio, & fortè etiam natu grandiorem, doctrinâ certè vel parem vel superiorem eis reponimus Venantium Fortunatum, qui insignē de nostro Dionysio hymnum composuit, in quo de missione eius à Clemente Pontifice Romano expresśè meminit. Citauerat olim eum hymnum Hilduinus Abbas, sed non ediderat, eum nunc luci dedit Iacobus Dubletius libro j. antiquitatum suarum extremo, éstque talis.

HYMNVS VENANTII FORTVNATI DE BEATO DIONYSIO.

Fortem, fidelem militem
Cæli secutum principem,
Dionysium martyrem
Plebs corde, voce personet.
Clemente Roma Præsule
Ab vrbe missus adfuit:
Verbi superni seminis
Vt fructus esset Galliæ.
Opus sacratum construit:
Fidem docet baptismatis:
Sed audientum cæcitas
Munus repellit seminis.
Instante sacro Antistite
Errore plebem soluere;
Dum spem salutis ingerit,
Tormenta mortis incidit.
Tenetur à Gentilibus
Christi placens altaribus:
Amore tantæ gloriæ
Pœnas libenter excipit.
Vnum quod illi defuit,
Pro Rege colla tradidit:
Dilectionem pectoris
Ceruice cæsa prodidit.
Magnus Sacerdos, qui dabat
Templi sacrata munera,
Fuso beato sanguine
Est factus ipse victima.
Felix pio de vulnere,
Quæ pœna palmam præbuit!
Qui morte mortem conterit,
Nunc regna cæli possidet.
Gloria sit Deo Patri:
Gloria Vnigenito:
Vnà cum sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Sic ille: cui profectò nusquam in scriptis suis titubāti, multo maior adhibenda fides, quàm Gregorio toties & tam apertè offensanti.

Denique adstruit Hilduinus protestatos Athenienses, se tam ex antiquissimis quorundam scriptorum monumentis, quàm ex maiorum suorum continuatis traditionibus accepisse, *Dionysium subrogato sibi Episcopo Romam adisse, & (vt compererunt) apud Gallorum gentem glorioso martyrio cōsummatum fuisse. Quod & Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus*, inquit, *per legatos suos sollicitè inquisiuit, & ita se eam rem habere certus, eandem Atheniensium ciuitatē pallio Archiepiscopali, (quod iam ex ea tam diuturno tempore orta quadam contentione subtractum fuerat) redonauit; & synodali consensu, Metropolis auctoritate, quâ antè functa fuerat, honorauit.*

Vixit Tarasius octauo sæculo, tempore Hadriani Papæ primi, & Patriarchatum (quem antè recusauerat) ea tandem lege admisit, vt cogeretur concilium, & de cultu imaginum (qui sublatus fuerat à Græcis Imp.) restituēdo ageretur. Declaratus est Patriarcha anno V. Imperij Irenes & Constantini filij. Vide Cedrenum ad eum annum.

Ad 3. argumentum ex auctoritate Sulpitij Seueri ductum iam respondendum est, nec difficilis est negocij responsio.

Verba Sulpitij sunt:

Post Hadrianum Antonino Pio Imperante pax ecclesijs fuit. Sub Aurelio deinde Antonini Filio persecutio quinta agitata. Ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.

Sic igitur inde argumentantur:

Si regnante M. Aurelio Antonino Philosopho primùm visa sunt martyria in Gallia, ergo Dionysius Areopagita non fuit martyr Parisijs sub Hadriano, hoc est, quadraginta, eóque ampliùs annis ante M. Aurelium.

Respondetur Sulpitium eo loco breuiter omnes ecclesiæ grauiores persecutiones, quæ ante ipsum fuerunt perstringere; vt patebit cuiuis eum locum attendenti, ac propterea eum agere de martyrijs, quę magno simul numero (vt in grauibus persecutionibus solet) edita sunt: non verò negare, quin aliqui interdum varijs temporibus (quod etiam extra generales illas persecutiones sæpenumero accidit)

dit) martyrio affecti sint. Respexit enim proculdubio Sulpitius ad illa Eusebij verba in Chronico ad annum M. Aurelij & L. Veri septimum: *Plurimi in Gallia gloriose ob Christi nomen interfecti: quorum vsque in præsentem diem condita libris certamina perseuerant.*

Sicut ergo talis persecutio per Gallias antehac non fuit, ita Sulpitius eam primam nominat, & meritò. Nam sicut vna hirundo, vt aiunt, non facit ver: ita paucorum in vna integra gente martyria, non faciunt, vt debeat historicus (& is præsertim qui res tātum grauiores se breuiter persequi profitetur) eorum meminisse. Nam Sulpitius quidem totam historiam sacram ab orbe condito ad sua vsque tempora duobus libellis complexus est. Quos sic incepit:

Res à mundi exordio sacris litteris editas breuiter constringere, & cum distinctione temporum vsque ad nostram memoriam carptim dicere aggressus sum: multis id à me studiosè efflagitātibus, qui diuina, compendiosa lectione, cognoscere properabant.

Vnde non mirum, si particularium quorundam martyrum mentionem neglexerit. Immo nec Pothini, nec Irenæi (quamuis prior cum illustrissimis martyribus 40. posterior cum omni ferè Lugdunensi ciuitate sublatus sit) nominatim meminit.

Itaque quod dicit, *ante illud tempus martyria non esse visa intra Gallias*, sic capiendum & intelligendum est, quo modo & illud quod subdit: *Seriùs trans Alpes Dei religione suscepta*: scilicet palàm & à totis populis. Quis enim dicat à nullis omnino susceptam religionem Catholicam in Gallijs, ante M. Aureliū Antoninum Philosophum, hoc est, ante annum à Christo circiter centesimum sexagesimum? Ergóne Petrus & Paullus, quorum alter tam diu Romæ, alter etiam satis fuit, & qui omnia per se, vel per suos, vt fulgura peruolabant, cæcos ad Galliam habebant oculos? ad Galliam tam vicinam, tam nominatam? Res est creditu non modò difficilis, sed etiam indigna auditu.

Nam ex antè dictis constat varios varijs tēporibus & in Gallia fuisse, & martyrium in Gallia obijsse.

Et de S. Vrsino primo Bituricensium Episcopo fatetur ipsemet Gregorius Turonensis, à discipulis Apostolorum in Gallias missum. Nam libro de Gloria Confessorum, cap. 80. sic scribit: *Biturigа verò vrbs primùm à S. Vrsino (qui à discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus in Gallias destinatus est) verbum salutis accepit, atque ecclesiam Biturigensem primùm instituit, rexitque, qui migrans à sæculo in campo inter reliqua sepulchra populorum sepulturæ locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat Sacerdotes Domini venerari, eísque debitam reuerentiam exhibere.* Consentiunt omnia Martyrologia ad diem IX. Nouembris. *Eutropius quoque Martyr Sanctonicæ vrbis* (verba sunt eiusdem Gregorij Turonēsis lib. 1. miraculorum, cap. 56.) *qui à B. Clemēte Episcopo fertur directus in Gallias; ab eodem Pontificalis ordinis gratia cōsecratus est.* &c. His consentit Romanū Martyrologium ad tricesimam Aprilis. Si quis autem dicat à Dionysio Areopagita vsque ad Episcopos Parisienses qui nunc sunt, computatis singulorum annis non reperiri iustum numerum, si quidem eum asseramus primo fuisse sæculo, aut secundi initio; respondere ex vero possumus, post Dionysium ob persecutionis flammas diu vacasse episcopatum. Nam si à tempore Decij, (qui tertio demum sæculo imperauit) vsque ad primum Constātis Imp. annum, Turonensis Episcopatus cessauit triginta septem annis, vt ipse auctor est Gregorius Turonensis lib. X. historiarum cap. 31. quanto magis vel tanto vel ampliori etiam interuallo vacauerit sedes Parisiensis secūdo sæculo? cūm scilicet & Episcoporū ac Doctorū minor esset copia, & Gallia numero Christianorum desertior. Nec hoc sanè nouum aut Parisiensi ecclesiæ proprium, quòd Episcoporum continenti successione illo æuo caruerit. Hoc enim & multis alijs accidit. Ac de Rhemensi quidem ecclesia Flodoardus Presbyter, scriptor grauis (quem haud ita pridem ediderunt & egregiè illustrarunt Sirmondus noster & Georgius Coluenerius) disertè scribit post illos primos eiusdem ecclesiæ Pontifices, beatos, inquam, Sixtum ac Sinicium S. Petri Apostoli discipulos, vsque ad imperium Cōstantini Magni, per tria scilicet sæcula vnicum memorari Præsulem Amansium. Et ne verba eius auctoris desiderentur, subiicio. Itaque libro 1. historiæ Rhemensis ecclesiæ, postquam superiùs de primis à Petro in eam vineam missis egit, ita capite quinto subdit: *Frequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus ecclesiæ puppis nostræ iactata, diuersisq; oppressa fluctibus, quoniam vix caput attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore Rectore vacua digno resederit, haud facilè panditur: adeò, vt post tot præmissos nostra fides patres, beatum Sixtum atque Sinicium, vnum duntaxat Præsulem inueniamus Amansium ad imperium vsque Constantini: sub quo Betausius reperitur, qui cum primogenito Diacono suo primus ex hac Belgica prouincia legitur Arelatensi primæ interfuisse synodo, relatæ per Marinum Episcopum beatissimo Papæ Siluestro, Volusiano, & Amano Coss. Post quem Aper, inde Maternianus* &c.

2. Responderi potest, seposita etiam throni Episcopalis vacatione, mediorum Episcoporum nullam esse mentionem, non quòd ij defuerint, sed quòd aut obscuri fuerint, deficientibus qui scriberēt; aut si scripti olim fuerint, tamen iniurijs temporum deleti sint.

Ita ferè simili in negocio respondet Ioannes Dadræus in Chronologia Archiepiscoporum Rothomagensium, vbi de S. Nicasij

&

& S. Mellonis agit distantiâ.

Quarè, vt huic finem disputationi tandem ponamus, firmum fixúmque habeatur vnum eundémque esse, qui olim Athenarum, & postea Parisiorum princeps fuerit Episcopus. Qua de re quàm mihi arridet Iacobi fabri Stapulensis, viri docti iuxtà & pij sententia, tam hîc minimè est prætermittenda. *Insuper,* inquit, *non sine diuinâ ordinatione & summâ prouidentiâ id effectum esse mihi visum est, vt hic sacratißimus & longè diuinâ sapientiâ illustrißimus pater, primùm Atheniensium Antistes Atticam rexerit ecclesiam, & ciuitatem primariam, omnium parentem litterarum illuminauerit. Quâ illuminatâ mox in Gallias à beatißimo Clemente Apostolus missus sedem apud Parisiorum insignem vrbem (seu Parrhisium seu Lutetiam appellarent) delegerit. Quæ meliùs Dionysia à Dionysio primo suo Antistite & Apostolo, primo susceptore ac regeneratore, quàm ab Iside aut luto, vt volunt nonnulli, potuisset appellari. Primus enim eam ad vitæ fontes erexit in Christo paruulam: (solent enim primi susceptores indere nomina) primus mortem ab eâ effugauit, & induxit vitam: quam in Christiano cultu, suo sanguine & omnium tormentorum molitionibus libenter susceptis tandem confirmauit. Vnde & victor mundo triumphato ad Deum, qui ipsum miserat, conscendit. Tunc Deus illum locum, piorum studiorum fontem præordinauit: vt ad quem, in certum euentus rei argumentum, ex Athenis virum suprà omnem humanam sapientiam doctum direxerit. Vos igitur Dionysia bonarum litterarum omnium academia, eadem & Parisiensis, quam vnus idémque pater sociam fecit Athenis & sororem, vestro applaudite Apostolo, vestro primo Antistiti & parenti, primo ad vitam susceptori & illuminatori, & eius sacras disciplinas in honore suscipite, atque in eis ipsis dies noctésque proficite.* Sic ille.

Et hoc sanè melius quàm inquirendis contra hanc tam longo receptam interuallo sententiam inutilibus argumentis frustrà tempus insumere. Et quæso, ne locus detur isti querelæ: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

QVÆSTIO II.

De scriptis S. Dionysij.

FVit hæc semper atque etiamnum est celeberrima inter doctos viros quæstio: Cuiusnam sint ea scripta, quæ sub Dionysij Areopagitæ nomine in lucem prodiêre, ipsiúsne re vera Areopagitæ, an alterius?

Tractarunt eam complures partim Græci, partim Latini; partim Catholici, partim hæretici. Et quidem qui affirmatiuam partem tenuerunt, ea scilicet Scripta verè esse Dionysij Areopagitæ, è cætu catholico penè omnes fuerunt: qui verò negatiuam, maximâ ex parte hæretici, quantumuis aliquo etiam numero Catholici.

Ac ne cui in mentem veniat, me post tot huius quæstionis tractatores videri actũ agere, discent ex hoc nostro tractatu quicunque animum adiecerint, meliorem nos in nõ paucis tenuisse refutandi viam, quam qui nos antegressi sunt: itémque certorum argumentorum hinc inde allatorum vel vitia detexisse, vel momenta adauxisse.

Prima igitur Sententia, eáque vera est hęc: Opera quæ Dionysij Areopagitæ nomine inscripta sunt, verè illius sunt, & pro talibus haberi debent.

Primum argumentum: Quia si in re dubia & incerta, qualem esse hanc nonnulli volunt, melior est conditio possidentis: quanto magis ex tanto tempore, & à tot sæculis, defenso semper iure suo, bona fide possidentis? Nam ab immemorabili tempore habita sunt hæc opera pro rebus Areopagitæ, cũ nõ queat assignari spacium, quo ipsa alterius & nõ illius habita sint. A mille enim retrò annis eóque ampliùs laudatus nominatim reperitur Dionysius Aropagita, vt horum auctor operum: & fuit nemo hactenus tam imprudens aut impudens, tam audax aut temerarius, qui alieno sub nomine ea opera euulgarit. Fuerunt quidẽ qui vel ad Apollinarem, vel ad alium à nostro Dionysium, seu Corinthium, seu Alexandrinum, suas tenues & vix refutatu dignas applicarent coniecturas: sed qui seriò tueri ac propugnare intenderent, aut qui nomen alicuius illorum præfigere hisce scriptis auderent, nulli fuerunt.

Qui verò ante mille annos hunc Areopagitam citarunt, in promptu habeo Leontium Byzantinum, & S. Anastasium Sinaitam, viros magna doctrina & auctoritate, ambos imperante Iustiniano (is suscepit imperiũ anno Christi Domini 527.) scriptis illustres, & plurima SS. Patrum lectione instructos. Quorum prior, libro 2. contra Nestorium & Eutychetẽ producturus veterum testimonia sic præfatur: *Quoniam gratia Christi, quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viribus soluimus; polliciti verò sumus testimonijs veterum confirmare quæ diximus, accipe in fidem multitudinem testimoniorum æquabilem, & modulatum veritatis concentum edentem.* Deinde post quædam alia eiusdem præfationis, dum profert testimonia, primo prorsus loco ponit Dionysium Areopagitam hoc modo:

Dionysij Areopagitæ ætatis Apostolorum ex libro de diuinis nominibus:

Corruptio verò, infirmitas naturæ, & defectus naturalium habituum, & operationum ac potentiarum &c.

Sic latinus Leontij interpres. Græcum enim nancisci exemplar non potui.

Sed idem in libro *De sectis* (quem ad manum tam græcè, quàm latinè habemus) eundem Areopagitam apertè inter SS. Patres, qui à Christo ad Constantinum magnum medio

dio ſpacio comprehenduntur, enumerat. Nam Actione tertia ſub medium ita ſcribit: Ἐγένοντο δὲ ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς ἀπὸ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου διδάσκαλοι καὶ πατέρες οἵδε· Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος, Εἰρηναῖος, Ἰουστῖνος φιλόσοφος καὶ μάρτυς, Κλήμης καὶ Ἱππόλυτος Ἐπίσκοποι Ῥώμης, Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, Μεθόδιος Ἐπίσκοπος Πατάρων, Γρηγόριος ὁ θαυματουργὸς, Πέτρος ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς: *Fuerunt autem in temporibus à Chriſti natiuitate vſque ad imperium Conſtantini, Doctores hi & Patres: Ignatius Theophorus, Irenæus, Iuſtinus Philoſophus & martyr, Clemens & Hippolytus Romæ Epiſcopi, Dionyſius Areopagita, Methodius Patarenſis Epiſcopus, Gregorius Thaumaturgus, Petrus Alexandriæ Epiſcopus & Martyr &c.*

E Leontio iſta. Vbi notandum eſt S. Hippolytum ab eo (vti & à quibuſdam alijs Scriptoribus Græcis, quod in eius vita admonitum voluj) Romæ Epiſcopum vocari, quòd in Portu Romano, vrbe Italiæ, fuerit Epiſcopus; non autem quòd ipſius vrbis Romæ ſedem tenuerit principalem.

Eundem S. Dionyſium laudat nominatim S. Anaſtaſius Sinaita, Epiſcopus Antiochenus libro 7. anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron initio: *Celeberrimus ergo*, inquit, *& rerum diuinarum myſta Apoſtolicus Dionyſius doctor in ſapientiſſima ſua theologia, quòd Deus dicitur* θεὸς, *ex eo quòd omnia* θεωρεῖ *&c. contemplatur &c.*

Ante iſtos igitur auctores opera iſta, de quibus eſt nunc controuerſia, cenſebantur Dionyſij Areopagitę. Quin & antiqui Patres, quamuis nominatim ea non citauerint, legiſſe tamen, & imitati eſſe, non obſcuris veſtigijs deprehenduntur. Nazianzenus certè in non paucis ſecutus hunc auctorem manifeſtis indicijs à doctiſſimo Billio oſtenditur. Integrum enim caput in ſuo obſeruationum ſacrarum libro primo, ea de re confecit, eſtque illud numero XXIII. quod ſic orditur. *Nonnulla*, inquit, *apud Gregorium loca ſunt, Dionyſij Areopagitæ verbis vſqueadeò ſimilia, vt ea ille ab ipſo mutuatus eſſe non immeritò cuipiã videri poſſit. Quod ne me fingere quiſquam putet, loca ipſa proferre minimè pigebit.*

Oratione 2. de paſcha, de Deo loquens Gregorius, ὅλον, inquit, ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι. *Dionyſius autem cap. 5. libri de diuinis nominibus:* ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς.

Eodem loco Gregorius Deum eſſe dicit πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον *Quæ verba non longè remota ſunt ab his Dionyſij, libro de cæleſti hierarchia, cap. 9.* θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος. Hactenus è Billio. Vide ibi longè plura.

Et ſanè admodum credibile eſt S. Gregorium Nazianzenum, cùm Athenis ſtudiorum cauſſa degeret, & præcipuorum inibi Philoſophorum ac Theologorum (quod ex eius vita à me ſcripta cognoſci poterit) familiaritate vteretur, in eos libros tanquam altiſſimæ Philoſophiæ plenos incidiſſe, eóſque peruolutaſſe.

Idem & de S. Ioanne Chryſoſtomo dici poteſt: qui non minore ibidem, quàm Nazianzenus gloria floruit: nẽpe eum eiuſdem Dionyſij ſcripta perlegiſſe, & ſublimitatem ſcientiæ & Spiritus, qui in eo loquebatur, & mirabilia de Deo & cæleſtibus virtutibus referebat, demiratum appellaſſe eum τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ. *Volucrem cæli.*

Diu requiſitum illum Chryſoſtomi locum tandem in ſermone *De pſeudoprophetis & falſis Doctoribus* reperi. Illic enim paullo poſt medium ita ſcribit: Ποῦ Εὐόδιος, ἡ εὐωδία τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διάδοχος; ποῦ Ἰγνάτιος τὸ τοῦ θεοῦ οἰκητήριον; ποῦ ὁ Διονύσιος τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, ποῦ Ἱππόλυτος ὁ γλυκύτατος καὶ εὐνούστατος; ποῦ Βασίλειος ὁ μέγας καὶ μικροῦ δεῖ τῶν Ἀποστόλων ἰσόρροπος; ποῦ Ἀθανάσιος ὁ ἅγιος καὶ πλεονέκτης τῶν ἀρετῶν; ποῦ Γρηγόριος ὁ θεολόγος, καὶ ἀήττητος στρατιώτης, καὶ ὁ δεύτερος τούτου συνώνυμος; ποῦ Ἐφραὶμ ὁ πολὺς, ἡ παραμυθία τῶν ἀθυμούντων. *Vbi Euodius ille, bonus odor eccleſiæ, & ſanctorum Apoſtolorum ſucceſſor? Vbi Ignatius Dei domicilium? Vbi Dionyſius Areopagita volucris cæli? Vbi Hippolytus ſuauiſſimus & beneuolentiſſimus? Vbi Baſilius Magnus & par fermè Apoſtolis? Vbi Athanaſius ille ſanctus & virtutibus diues? Vbi Gregorius Theologus & inuictus miles, & alter illi cognominis? Vbi Ephræm ille celebris, obtorpeſcentium excitator, afflictorum conſolator? &c.*

Ac ne quis illam orationem D. Chryſoſtomo abiudicet; ſexcenti iam anni ſunt, cùm Anaſtaſius Bibliothecarius eam ſub eius nomine citauerit: vt videre licet in ipſius ad Carolum Caluum Imp. epiſtola.

Quin & Perronius Ebroicenſis Epiſcopus dixit ſe Venetijs cùm eſſet, vidiſſe illã Chryſoſtomi græcam orationem, in qua elogium illud de Dionyſio recitatur, eiúſque homiliæ titulum eſſe, *Cygnæa vox Chryſoſtomi*, quam ſcilicet Conſtantinopoli, priuſquam in exilium pelleretur, habuerit. Quod autem ad titulum illum attinet, ſatis clarum eſt non à Chryſoſtomo illi orationi inditum, ſed ab aliquo deſcriptore, qui dicentis tempus & materiam ſpectauerit.

Auctoritati porrò noſtri Frontonis Ducæi (qui ob ſtili, vt quidem cenſet, differentiam, inter eas illam reiecit, quas credit non eſſe Chryſoſtomi) oppono primò, non tantam eſſe ſtili differentiam, quantam facit: deinde, vt ſit aliqua, nihil videri debere mirum. Alius eſt enim ſtilus ſenis, alius iuuenis: alius dolentis & anxij & pro grege ſuo derelinquendo ſollíciti, atque ab eo diſceſſuri; & alius ſedati & in epiſcopali ſede cum omni quiete & ſecuritate reſidentis. Hæc autem ſcripta eſt non longè ante ipſius è vita exceſſum, vti declarat & expreſsè

expreſsè denunciat exordium Itaque hîc ea inculcat, quæ tali in tempore à bonis ſolent paſtoribus inculcari: 1. fugiendos hæreticos & pſeudoprophetas. 2. vacandum lectioni ſacrarum litterarum. 3. recogitandum & reformidandum Dei iudicium. 4. Bonis operibus inſiſtendum ac præſertim compunctioni & pœnitentiæ, nec hanc in longum differendam. Quæ ſunt igitur orationum S. Chryſoſtomi germana lineamenta, ſi hęc non ſunt?

Vel ille profectò ſolus locus, quem hîc proferam, conuinceret auctorem huius orationis eſſe Chryſoſtomũ. Nam poſt varia Scripturæ loca, & poſt iſtum Paulli: *Videte canes. Mihi verò lachrymæ*, inquit, *oboriũtur, dum quaſdam ex noſtra eccleſia dicentes audio: non dici hæc in diuinis Scripturis: idque non ſolum à laicis, verùm etiam ab illis qui videntur eſſe paſtores, & locum Apoſtolorum obtinent & Prophetarum, ſed non mores. Ad quos opportunum eſt dicere: Væ vobis Duces cæci & indocti & inconſtantes, qui veſtium ornatu delectamini & non lectione ſacrorum librorum* &c.

Ille enim Chyſoſtomi zelus pro libris ſacris paſſim notus eſt.

Probari prętereа poteſt eſſe Chryſoſtomi hanc orationem, quod in loco ſuprà citato ipſe Chryſoſtomus tanquam Antiochiæ natus, proferens verorum paſtorum & imitandorum Epiſcoporum nomina, primo loco patronos ſuos vrbiſque ſuæ Antiochiæ ſecundùm Petrum Apoſtolum Antiſtites inducat Euodium & Ignatium, deinde Dionyſium Areopagitam illis æqualem, poſtea reliquos, vt ſuprà.

Accedit tertiò: quòd ſi hæc oratio non fuiſſet Chryſoſtomi, ſed alterius ipſo poſterioris, certè ille quiſquis fuiſſet, non minus Chryſoſtomi meminiſſet quàm Baſilij & duorum Gregoriorum. Nec enim minus quàm illi celebris fuit, ſeu vita, ſeu dignitate, ſeu ſcriptis.

Adde quartò, ſi lubet, hunc auctorem, vti nullius Catholici ſcriptoris meminit, qui non ante Chryſoſtomum fuerit, ita nec vllius hæreſiarchæ mentionem facere, qui poſt vixerit. Eunomium enim, contra quem ſcripſerunt Baſilius & Gregorius Nyſſenus, vltimum recenſet nominatim. Sic enim ſcribit: *Vbi Simon Magus in hæreſi primus, diſcipulus & præcurſor antichriſti? vbi malus eius fetus & inſaniæ ac laſciuiæ ſucceſſor Montanus? Vbi Marcion; Vbi Valentinus? Vbi Manes? Vbi Baſilides? Vbi iam Nero? Vbi Valens? Vbi alij Reges atque potentes? Vbi Iulianus transgreſſor? Vbi porro Arius: Vbi Eunomius, & reliqui hæreſiarchæ?*

Ita Chryſoſtomus ex interpretatione Gerardi Voſſij, qui melius & integrius exemplar græcum nactus eſt, quàm ſit illud quod Fronto noſter indidit tomo 6. operum Chryſoſtomi græcolatinorum. Nam in Frontonis exemplari lacunæ quatuor viſũtur ſatis magnæ, in Voſſij nulla. Notandum etiam in græco Frontonis malè haberi, πῦ Νεςόριος; vbi Neſtorius? Pro quo reſtituendum πῦ Εὐνόμιος. Liquet tum ex ipſa Voſſij interpretatione, quã produxit idem Fronto; tum maximè, quòd in citatione SS. Patrum ſuperiùs poſita, vbi hæreſiarcharum aduerſarij laudantur, nequaquam auctor huius orationis reticuiſſet S. Cyrillum Alexandrinum Neſtorij principem aduerſarium & debellatorem; ſi quidem inter hæreſiarchas nominaſſet Neſtorium, vti aliorum hæreſiarcharum oppugnatores non reticuit. Sed pro adſtruendo Chryſoſtomi teſtimonio & vindicãda illi ſua oratione hactenus ſatis.

Iam autem non modò ij, quos dixi, ſcripta Dionyſij Areopagitæ videntur agnouiſſe, ſed & antiquiores: in quibus nonulla videor deprehendiſſe Dionyſij imitamenta. Nam & Clemens Alexandrinus, vir longè doctiſſimus cùm Athenis eſſet natus & educatus, & quidem proximo poſt Dionyſium noſtrum ſæculo, legiſſe illum & imitatus eſſe, de ſignis non minimis creditur.

Habet ſanctus Dionyſius libro *De Diuinis nominibus*, *cap.* 3. tres egregias ſimilitudines, quibus oſtendit nos noſtris ad Deum precationibus non trahere illum ad nos, ſed potiùs nos ad illum. Notaui illas ſimilitudines ſuprà cap. 22. vitæ. Secundam igitur illarum, quæ ducta eſt à naui ad ſaxum funibus alligatâ ſic imitatus eſt Clemens lib. 4. Stromatum ſub finem.

Καθάπερ οὖν ἐν θαλάττῃ ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι ἕλκουσι μὲν τὴν ἄγκυραν, οὐκ ἐκείνην δὲ ἐπισπῶνται, ἀλλ' ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν ἄγκυραν, οὕτως οἱ κατὰ τὸν γνωστικὸν βίον ἐπισπώμενοι τὸν θεὸν, ἑαυτοὺς ἔλαθον προσαγόμενοι πρὸς τὸν θεόν. Θεὸν γὰρ ὁ θεραπεύων ἑαυτὸν θεραπεύει. *Quemadmodum igitur, qui in mari ab anchora funibus firmantur, trahunt quidem anchoram, ſed illam ad ſe non attrahunt, verùm ſeipſos potiùs ad anchoram: ita qui in vita gnoſtica* [ſcientiæ donum obtinente] *Deum trahunt, ſeipſos non aduertentes ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, ſeipſum colit.*

Verba autem græca S. Dionyſij, loco dicto, ſunt hæc:

Ἢ ὥσπερ εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες καὶ ἀντεχόμενοι τῶν ἔκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων, καὶ οἷον ἡμῖν εἰς ἀντίληψιν ἐκδιδομένων οὐκ ἐφ' ἡμᾶς τὴν πέτραν, ἀλλ' ἡμᾶς αὐτοὺς τῷ ἀληθεῖ καὶ τὴν ναῦν ἐπὶ τὴν πέτραν προσήγομεν. Latina poſſunt videri ſuprà, cap. 22. vitę, pag. 87.

Quod igitur Dionyſius hic habet: εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες. dixit Clemens: οἱ ἐν θαλάττῃ. Et quod ille ἀντεχόμενοι τῶν ἔκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων. Dixit Clemens breuiùs: ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι Sic vbi Dionyſius dixit ἐπὶ τὴν πέτραν, *ad ſaxum*, Clemens vſurpauit ἐπὶ τὴν ἄγκυραν *ad anchoram*. Et quod Dionyſius applicauit ad precantes Deum, Clemens accomodauit ad piè viuentes & Deo

per

per contemplationem vacantes.

Habet idē Dionysius tam in libro De cęlesti hierarchia cap. 2. quā in libro De Diuinis nominibus, doctrinā de cognitione Dei per negationem. Quam imitatus videtur Clemens lib. V. Stromatum sub medium, vbi sic scribit: *Si igitur post ablata omnia, quæ insunt corporibus, & ijs quæ dicuntur incorporea, nos ipsos in Christi magnitudinem proiecerimus, atque inde in immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis vtcumque perueniemus, non id quod est, sed id quod non est, cognoscentes. Figura autem & motus vel status vel thronus vel locus vel dextera vel sinistra de patre vniuersorum nequaquam sunt cogitanda. Atqui & hæc scripta sunt. Verùm, quid vnūquodque istorum significet, suo dicetur loco. Quare prima caussa non est in loco, sed suprà & locum & tempus & nomen & intelligentiam*. Omisi græca, ne in his essem longior.

Habet & quędam alia his similia eodem libro inferiùs de Deo, quem dicit ineffabilem, propterea quòd non sit genus, nec differētia, nec species &c. Vide in Clemente Græcolatino, pag. 428.

Secundum argumentum pro Dionysij operibus sumi potest ex ipsorum materie, & ex tempore scriptionis: hæc autem sunt eiusmodi, vt auctorem æquæuum Apostolis, vt magnum Philosophum, vt ardentē Theologum, vt virum denique in sublimissimo argumento rebus & verbis haud imparem, ac verè Paulli discipulum ostendant. Materies enim siue argumentum est, Deus, Trinitas, Angeli, Ecclesia, Pontifices, Sacramenta: seu graduum & officiorū ecclesiaticorū descriptio Episcopis scitu necessaria: sermo autem & locutio, hominis est in contemplando, & verba contemplationi, quoad eius fieri potest, adæquando eximij, atque, vt Dionysius Rickelius Areopagitā appellat, *viri profundissimi ac feruētissimi cordis*. Ita scilicet in sublime assurgit, ita in voces nouas ac singulares, nempe ad rerum ceteroqui inexplicabilium aliquam adumbrationem ebullit: ita sursum cogitationibus & sensibus in immensū attollitur: vt nō immeritò magnus ille Hugo à S Victore (qui alter Augustinus ex mentis & sermonis acumine vocari obtinuit) ea quæ de Seraphinis à beato Dionysio scripta sunt, Angeli potius verba esse putet, quàm hominis. Eadem fuit de illo mens Suidæ, eadem sententia: *Si quis enim*, inquit, *eius spectet elegantiam orationis & profunditatem sententiarum, ea nequaquam humanæ naturæ fetus, sed immortalis cuiusdam ac diuinæ esse facultatis existimabit*. Si Gręca quis malit, ea sic habent: Εἰ γάρ τις ἐπιδοι πρὸς τὰ κάλλη τῶν αὐτȣ̃ λόγων, καὶ τὰ βάθη τῶν νοημάτων, ȣ̓κ ἀνθρωπίνης φύσεως ταῦτα νομίσοι γεννήματα· ἀλλά τινος ἀκηράτȣ καὶ θείας δυνάμεως Idem fuit & Leonardi Lessij præceptoris nostri sensus, idem iudicium. *Quod ad elocutionem*, inquit, *attinet, eam quoque Angelicam potiùs dixeris, quàm humanam: adeo sublimis est nimirum, vt conceptionum sublimitatem, orationis sublimitas exæquet. Quis post Apostolos vnquam de diuinis ita locutus est?*

τριὰς ὑπερȣ́σιε καὶ ὑπέρθεε καὶ ὑπεράγαθε &c. quæ vide in eius Epistola operibus S. Dionysij Areop. à Petro Lansselio præfixa. Noster item Nicolaus Caussinus, in Eloquentiæ parallelis, ita de eodem inter alia: *Num videtur hic de Deo & pulcherrimo eius opificio verba faciens, quasi aquila ex hominum conspectu subductus contentissimo volatu se in altas nubes induere, & illic inter fulminum iactus, inter niues & grandines ludere, mox inter stellas spatiari? Verùm vbi Triadem illam speculatur, vbi de verbo diuino disserit, & mysteriorum diuinorum maiestatem depingit, non tam est aquila, sed Angelus quispiam loquens è turbine, aut vt Elias igneo curru deuectus supra nubes & pluuias & ventos & quicquid mortale est, audacissimo nisu consurgit*. Ita ille & bene.

Iam de tempore scriptionis certissimum ex ipsis operibus argumentum ducitur, ea scripta esse primo sæculo: cùm illorum auctor nullius Scriptoris aut alterius illustris viri meminerit, qui non Apostolorum temporibus vixerit: &, quod caput est, se Paulli Apostoli discipulum vocet, atque ad Titum, atque ad Timotheū, aliósque æui illius scribat.

Cùm ergo illa scripta sub nomine Dionysij Areopagitæ semper prodierint, & idem Dionysius in omni eruditionis genere apprimè versatus, insignísque in paucis Philosophus fuerit (solos enim fere eiusmodi viros admittebat Areopagus, vt alibi probatum est) & Paulli insuper Apostoli discipulus, à quo & virtutem eximiam & altissima mysteria, vtpote capacissimus, addiscere & imbibere potuerit, quis dubitare possit, quin hæc ipsius vera & germana scripta sint?

At enim stilus horum librorum, inquit Abrahamus Scultetus Caluinista, *non est simplex & sincerus, sed argutus nimis & inflatus & affectatus & parum Apostolicus*. Verùm improbus scriptor improbè fallitur. Nam quem negat esse simplicem ac sincerum, meliora sectantes aiūt esse simplicissimum ac sincerissimum, nō simplicitate quidem sermonis humi repentis (tali enim stilo vtendum est in rebus paruis & humi repentibus) sed simplicitate, qua res magnæ verbis magnis & proprijs, sibique accommodatis potius, quàm longis ambagibus, & translatitijs vocibus explicantur. Diuina enim & cælestia cùm miro & eleuato mentis acumine penetraret vir ille, & sensus suos in rebus altissimis conaretur explicare, nec verba reperiret paria, nouis verbis, Atticè tamen efformatis, in rebus nouis & communem captum transcendentibus est vsus. Sincerissimū item aiunt, sed sinceritate, quæ res ita conatur repræsentare, vt sunt, non autem ea, quæ fucum admittit, & quò res paruæ ac turpes, magnæ

gnæ & pulchræ videantur, aut è contrario.

Quòd porrò argutum nimis asserit & inflatum & affectatū & parum Apostolicum: hoc totum nego; & aio Sculterum in prioribus quidem valdè hallucinari, in postremo autem, vbi vocat parum Apostolicum, ipsummet non parum, sed multum hariolari.

Nam si res paruas aut mediocres eo stilo & istis verbis, quibus hic vtitur, exponeret Dionysius, tū sanè inflatus & affectatus quin diceretur, nihil repugnarem: verùm si verba hic sunt grandia, & res quoque ipsa multo grandior, quid est, quod argui possit? Nec verò alius in Dionysij libris spiritus & eloquentia apparet, quàm in Paulli Præceptoris sui nonnullis epistolis, vbi talis nonnunquam est oratio & tam elata verbis & tam figuris ornata, vt si verba Sculteti in Dionysio haberent locum, etiam & in Paullum ipsum viderentur posse grassari. Nam certè Paulli stilus ex omnium confessione longè est & ab euangelio & ab aliorum Apostolorum scriptis differens. Quare si Paulli stilus cùm alibi, cùm in 2. ad Corinthios epistola est Apostolicus, etiam Dionysij cùm in rebus sublimibus est sublimis, & in cælestibus cælestis, potest & debet dici Apostolicus: præsertim vbi sub illis, quibus vtitur, verbis tanta rerum diuinarum æstimatio & pietas animi interlucet.

Tertium argumentum est: quòd cùm olim, hoc est, sub annum Christi quadringentesimum, orta esset de operibus S. Dionysij Areopagitæ quæstio, nōnullique certis de caussis, an eius essent legitimus fetus dubitarent, scripserit Theodorus Presbyter librum vnum, quo docuit illa opera esse S. Dionysij Areopagitæ germana atque legitima, & rationes quatuor, quæ contrà potissimè obijciebantur, dissoluit. Hoc testatur Photius in Bibliotheca, codice primo hisce verbis: Ἀνεγνώσθη Θεοδώρου πρεσβυτέρου, ὅτι γνησία τοῦ ἁγίου Διονυσίου βίβλος. Διελύοντο δὲ ἐν τῷ λόγῳ ἀπορήσεις τέσσαρες. *Lectus est Theodori Presbyteri liber, quo docet germanum esse sancti Dionysij opus. Dissoluta sunt autem eo in libro argumenta quatuor.*

Subiungit deinde Photius ea argumenta, sed absque solutionibus, propterea quòd liber Theodori Presbyteri, in quo eæ solutiones continebantur, satis esset vulgatus. Ego inferiùs tam ipsa argumenta quàm solutiones (quæ quidem adferri potuerunt aut debuerunt, quandoquidem illæ Theodori non extant) in contrariæ sententiæ refutatione proferam.

Postremò addit idem Photius hæc verba: ταύτας οὖν τὰς τέσσαρας ἀπορίας διαλύσαι ἐπαγωνισάμενος βεβαιοῖ τόγε ἐπ' αὐτῷ, γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. *Hæc igitur quatuor difficilia argumenta dissoluere connisus, confirmat, quantum quidem in se est, legitimum esse magni Dionysij librum.*

Ac ne quis arbitretur ea verba contrariæ fauere sententiæ, sciat eundem ipsum Photium (de cuius insigni eruditione atque exacto in censendis libris iudicio Catholici æquè & Hæretici consentiunt) expensis vtriusque opinionis rationibus ac momentis tandem istos libros, de quibus hic agitur, S. Dionysio Areopagitæ, vt proprios adiudicasse. Quod liquet ex eadem ipsius bibliotheca, codice CCXXXI. vbi in variorum recensione Auctorum, quos citauerat Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, ita de nostro Areopagita: Καὶ Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶτταν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν, ὁ μαθητὴς Παύλου καὶ τοῦ χριστοῦ μάρτυρ, καὶ τῶν Ἀθηναίων Ἐπίσκοπος. *Et Dionysius ille sermone quidem magnus, sed maior contemplatione, Pauli discipulus & Christi martyr & Athenensium Episcopus.*

Ita ille. Quæ certè non diceret, nisi opera quæ Areopagitæ nomine inscripta sunt, Areopagitæ adiudicaret. Nam vnde sciret illum sermone magnum, si nihil eius operum vidisset? vnde & maiorem contemplatione quàm sermone nosset, si contemplationem eius nullam legisset? Sub huius enim Dionysij nomine aliud nihil extat præter illa opera, de quibus nunc agitamus. Aut ergo illa vidit & legit & expendit, aut certè ijs, qui viderunt & legerunt & expenderunt, assensit. Atque etiam obserua secundum argumentum suprà positum, vbi de Dionysij elocutione & contemplatione agebatur, confirmari; cùm illa nimirum Photij verba directè in aduersarios tendant, & tam sermonem quàm contemplationem commendent.

Quartum argumentum ex magnorum virorum auctoritate ducitur, & eorum quidem non minus doctrina quàm pietate illustrium, quorum integras turmas in Martini Delrij Vindicijs spectare licet: præ quorum multitudine, qui stant ex aduerso, perpauci sanè numerantur.

Nam è Theologis Scholasticis, si Hæreticos omittamus, vnicum ferè aut certè præcipuum habent Caietanum. Nos verò Alexandrum de Ales, Albertum magnum, S. Thomam Aquinatem, S. Bonauenturam, Durandum, Scotum, Richardum, Gabrielem, & reliquos. Ex alijs varia eruditione præditis habent Theodorum Gazam, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmum, Iosephum Scaligerum, Desiderium Heraldum, paucos alicuius notæ alios.

Sed his opponuntur Ioannes Picus Mirandula, vir ab ingenio & memoria, naturæ miraculum appellatus, Marsilius Ficinus & Lilius Gyraldus viri tam magni ingenio, quàm

varij ſcientia, quorum ille quidem ipſius Dionyſij librorum interpres fuit & admirator: hic autem eundem Dionyſium in diuinorum explicatione nominum cunctis antepoſuit. Budæus & Billius duo litterarum Græcarum in Gallijs prælustria lumina, Gilbertus Genebrardus, & Arnaldus Pontacus pari ſtudio litterarum & ſinceræ amicitiæ cultu nobiles. Item Cælius Rhodiginus plurimæ lectionis varietate vix ſciens parem, (cuius verba vt pietatis pleniſſima infrà ponam) & innumeri alij, quos partim ex ipſorum operibus, partim ex citatis Delrij Vindicijs cognoſci facile eſt. Nam tot Romanis Pontificibus, tot concilijs vniuerſalibus, tot Patriarchis, tot Epiſcopis, tot Doctoribus, quos idem laudat noſter Delrius, quid habent aduerſarij quod opponant? Solidas fortè inquirent rationes omni humana auctoritate fortiores. Itaque illas infrà videbimus & examinabimus: & ſic quidem, vt cùm fortiſſimas earum, nulla earum quæ ponderis alicuius ſit diſſimulata, protulerimus, aliquas etiam à nobis nouas addamus ab illis prætermiſſas, & tamen ijs quas attulerint euictu difficiliores.

Quintum argumentum. Non eſt diuini moris, nec æternæ illius prouidentiæ, opera vana & fictis mendacijs plena veris ornare & cohoneſtare miraculis. Atqui Areopagitæ opera, cùm varijs infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis diuinitus honeſtata ſunt miraculis, vt capite 30. vitæ attigi. Quare ſignum eſt ſatis euidens & luculentum eius eſſe illa opera, cuius in honorem ea patrata ſunt.

Sextum denique & contra aduerſarios longè validiſſimum argumentum eſt eiuſmodi: Si opera illa non ſint Dionyſij Areopagitæ, qui fuit Paulli diſcipulus, ſed alterius Dionyſij, ſiue Corinthij, ſiue Alexandrini, ſiue alterius cuiuſcumque poſterioris: fateri neceſſe eſt illorum auctorem operum, quiſquis demum fuerit, plenum mendacij, fallacię, & ſacrilegæ ſimulationis extitiſſe.

Atqui hoc minimè dici poteſt, minimè gentium. Nam ſcripta illa meram ſapiunt & ſpirant pietatem, modeſtiam, grauitatem, ſanctimoniam, neque vllum prorſus vel minimum aut leuitatis aut vanitatis (quæ abeſſe à fallacibus haud poſſunt) ſeu fumum, ſeu fimum redolent. Ita ſanè reperiet quiſquis illa compoſito ſedatóque animo perlegere voluerit; aut ſi hoc longum eſt, ſaltem ea quæ in caput 22. & 23. vitæ eius ſuprà immiſi, non inuitus percurrerit. Plenum autem alioqui futurum mendacij & fallaciæ & ſimulationis, ſi alius ſit, quàm dicimus, & quàm ſcripta repræſentant, inde clarum eſt, quòd ſe conuixiſſe Apoſtolis, quòd Pauli Apoſtoli diſcipulum fuiſſe dicat, quòd ſe Deiparæ Virginis funeri adfuiſſe, quòd hymnos in eius honorem audijſſe, quòd Timotheo eoſdem memoranti aures dediſſe ſcribat, quòd alia plura denique ijſdem in libris afferat, quæ alioqui prodigioſam mentiendi & decipiendi continerent audaciam.

At verò quis credat virum adeò doctum & pium & illuminatum, qualem ſe hic auctor in ſcribendo præſtat, tam impia finxiſſe ſomnia, tam inuſitata excogitaſſe mendacia, idque vt nomini alieno famam daret, detraheret ſuo? Talis certè non fuit, neque S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ſecundi ſæculi ſcriptor (horret id animus cogitare) neque doctiſſimus ille & illuſtriſſimus Chriſti Confeſſor Dionyſius Alexandrinus æuo tertio clarus (nimis temerarium eſt vel ſuſpicari) neque alius denique vir bonus & timēs Deum. Læui nimis ingenij fuerit, hoc de tali exiſtimare.

Tractant hoc idem argumentum fuſiùs partim græcè S. Maximus operum huiuſce beati Dionyſij interpres in Prologo; partim Pręceptor noſter Leonardus Leſſius in epiſtola cenſoria ſuper ijſdem operibus; quam noſter Petrus Lanſſelius in lucēm protulit. Nec ſane vllum argumentum eſt aliud iſto fortius & inexpugnabilius: ita vt nihil videam, quod ſaltem probabiliter ad eius refutationem afferri poſſit. Nam aduerſariorum argumentis oſtendam, Deo duce, probabiles omnino rationes & quę locum ſæpè in ſcriptis diiudicandis habeant, non paucas opponi, & eas moderatis quidem ingenijs facere ſatis poſſe & debere.

ARGVMENTA PARTIS ADVERSÆ cum eorum ſolutionibus.

In hiſce argumentis ſeu referendis ſeu refellendis ordinem ſequar temporum, & antiquiſſima (quę & præcipua ſunt) in prima acie conſtituā. Ea ſunt quæ Theodorus Preſbyter, cuius facta ante mentio, ſibi propoſuit, aut ab alijs propoſita diſſoluit. Et quia diſſolutiones illæ iā non extant, conabor ego alias (tametſi re ipſa fortaſſis eaſdem) tamen ſermone & tractatu diuerſas, in medio ponere.

1. igitur argumentum eſt: Si ſcripta illa ſint Areopagitæ, cur Patres eo poſteriores illorū non meminerunt?

2. Euſebius Pamphili, qui libros à ſanctis Patribus conſcriptos recenſuit, nullam eius operis à Dionyſio Areopagita conſcripti mentionem facit.

3. Quomodo traditionum, quę in eccleſia progreſſu quodam & temporis lōginquitate increuerunt, particularis tenuiſque deſcriptio in ijs operibus continetur? Magnus enim Dionyſius, vt ex Actis patet, Apoſtolorum æqualis fuit. Quæ autem hic liber complectitur, deſcriptio ſunt traditionum, quæ ſenſim in eccleſia poſt id tempus inualuerunt. Incredibile

credibile est igitur, immo malè confictum, eas quæ diu post magni Dionysij mortem successerunt Traditiones, existimare à Dionysio conscriptas.

4. Quomodo hic liber mentionem facit epistolæ S. Ignatij? Nam Dionysius Apostolorum effloruit temporibus; Ignatius autē sub Traiano martyrij certamen decertauit. Qui & paullo ante mortem epistolam illam, cuius hic liber meminit, cōscripsit. Hæc sunt 4. antiquissima contra libros Dionysij argumenta. Quibus ita respondeo.

Ad 1. dico Patres Dionysio posteriores nominatim eius scriptorum nō meminisse, quia illis vel non libuit vel non licuit. Nam quibus ignoti fuerunt, nō licuit (nec enim in omniū venire manus potuerunt) quibus noti, non libuit. Quid autem caussæ? Primò quia libros illos (quemadmodum Auctor ipse optauerat & postulauerat) noluerunt vulgo esse notos, sed tantùm penes Pontifices reperiri. Secundò, quia Scriptores antiqui præter Scripturā sacram vix vllos citabant nominatim Auctores: aut si faciebant, id ferè necessariò, & ad reuincendos hęreticos faciebant. Ac proinde, cùm eæ, quas Dionysius tractauit, materiæ, vt De cęlesti, De ecclesiastica hierarchia, De diuinis nominibus &c. nihil ferè aut parum aduersus regnantes tum hæreses facerent, ac tota ferè certamina circa Scripturas sacras versarentur, & eæ vtrimque in aduersarios densissimæ intorquerentur, nihil loci inferioribus Auctoribus relinquebatur. Quin & S. Athanasius quarto sęculo Scriptor Arianos reprehendit; quod præter auctoritatem Scripturarum ad alios quoque Auctores præsidij caussa cōuerterentur. Nec ipse quidē vsus fuisse reperitur, nisi fortè si ipsi aduersarij aliquos magnæ auctoritatis viros pro se vsurpassent. Ita enim Origenem & Dionysium Alexādrinum ab illis, vt suæ opinionis, vindicatos eripuit, docuitque non Arianis illos fauere, sed Catholicis.

Ad 2. (quod ferè est prioris corroboratio) respondetur, libros illos latuisse Eusebiū, aut noluisse propter dictam superiùs caussam euulgare. Nam quòd aliqui dicant eum fraude id fecisse, conuicium puto. Neque enim, quā-uis eos habuissent, vti illis Catholici voluissent. Quid enim ibi tam clarum pro Christi æterna diuinitate, quod non multò clariùs in Scripturis sacris contentum sit? Certè in tāta diuinarum Scripturarum vtramque in partē copia nimis putidum visum est, etiam ipsi Athanasio, vt iam dixi, debiliora tela perquirere. Nam nec B. Irenęum, Filij cum Patre ęternam coëxistētiam clarissimè professum, libro aduersus hæreses 2. cap. 55. & alibi, citauerunt.

Quod autem respondent quidam, quāuis Eusebius non meminerit, tamen Originē & Dionysium Alexandrinū meminisse, haud mihi placere potest ea responsio. Nam quòd citatur homilia 1. Origenis in Ioannem, nullius est ponderis: cùm istæ in Ioannem homiliæ non Origenis, sed incerti sint auctoris. Quippe in quibus Manichæorum & Arianorum, qui post Originem exorti fuerunt, fiat mentio. Quin & in ipsa eadem homilia, vbi citatur Dionysius Areopagita, hoc est, in caput primum Ioannis, vno in loco Ariani refutantur, in altero Manichæi. Vnde liquet 1. istam homiliam non esse Origenis. 2. ex auctoritate inde sumpta nihil solidum effici, cùm nec cuius sint auctoris, nec quantæ antiquitatis facilè sciri possit.

Quod vero etiam dicitur S. Dionysius Alexādrinus Origenis discipulus scholia in Dionysium Areopagitam scripsisse, & auctoritate probatur S. Maximi, vana est probatio. Nec enim dicit S. Maximus eum scripsisse scholia in Dionysium Areopagitam, sed in Dionysiū sibi cognominē. Tales autem fuerunt multi. Nam & fuit Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Dionysius Papa Romanus, ambo insignes Scriptores, & quidam fortasse alij: ita vt non possit certò dici S. Maximus de Areopagita loqui, & ego contra possim ex eodem S. Maximo probare planissimè, ipsum de alio quàm de Areopagita ibi scribere.

Nam verba S. maximi in Scholijs ad cap. V. de cælesti hierarchia, vbi explicat illa verba: *Cælestes substantias*, sunt hæc. Τὰς οὐρανίας οὐσίας τί δήποτε μιᾶς οὐσίας εἶναι πάντας ἁγίους τοὺς ἀγγέλους λεγούσης τῆς ἐκκλησίας, ὁ θεῖος Διονύσιος πολλὰς ὀνομάζει δυνάμεις; ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων ἐν τοῖς σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει. ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας, τὰς ὑποστάσεις. κἀκ τούτου φησὶν, ὅτι κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς.

Cælestes substantias] Cur porrò cùm ecclesia omnes sanctos Angelos dicat eiusdem esse essentiæ, diuinus Dionysius multas nominat Virtutes? Magnus Dionysius igitur Alexandriæ Episcopus, ille orator, in notis quas fecit in beatum Dionysium sibi cognominem, ita dicit: solitam esse profanam sapiētiam, ingenitam appellare omnem naturam inuisibilem: & similiter essentias, subsistentias. Atque ex hoc dicit S. Dionysio tales voces ex more Scriptorum profanorum abusiuè vsurpatas esse.

Cur autem S. Maximus in his verbis per *B. Dionysium sibi cognominem* non videatur intelligere S. Dionysium Areopagitam, hæ sunt præcipuæ rationes:

1. Si Areopagitam intellexisset, potiùs, vt fert Scriptorum consuetudo, sic locutus fuisset: *in Notis quas scripsit in hunc ipsum Dionysium*. Agebat enim tum de Dionysio Areopagita.

2. Quia S. Maximus in sua apologia pro scriptis Areopagitæ, siue in Præfatione ad sua in

in Dionysium Scholia, cùm respondet ad illam aduersariorum obiectionem : *Quod nec Eusebius Pamphili, nec Origenes Scriptorum Dionysij meminerunt*: sine dubio, si sciuisset Dionysium Alexandrinum Origeni æqualem, & Eusebio superiorem, conscripsisse Scholia in Areopagitam, nullo modo reticuisset, sed dixisset : Quamuis Origenes & Eusebius non meminerint Areopagitæ, tamen S. Dionysius Alexandrinus, qui vno propè sæculo vincit Eusebium, & ætate vixit Origenis, non tantùm eius meminit, sed etiam in eum Scholia conscripsit. Quâ responsione procul dubio cunctis aduersantibus ora conclusisset. Atqui nihil talè dixit, sed fassus est neque Origenem, neque Eusebium, neque vllum antiquiorum Patrum fecisse librorum Areopagitæ mentionem : tantúmque pro excusatione attulit, Origenem vix Auctorum quatuor meminisse: Eusebium autem nõ tãtùm præterijsse Areopagitam, qui Athenarum Episcopus fuit; sed etiam Hymenæum & Narcissum suæ regionis Scriptores, qui Hierosolymis Sacerdotes fuerunt. Verba S. Maximi contra obijcientes nullam librorum Areopagitæ nec ab Origene nec ab Eusebio factam mentionem sunt hæc : Πρὸς οὖς λεκτέον, ὡς πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα περὶ χεῖρας οἰκείας. Καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι· μᾶλλον γοῦν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθιστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα. Καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας, ὡς Ὑμεναίου καὶ Ναρκίσσου τῶν ἱερασαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγὼ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ὑμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν, ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων· Ὁ γὰρ Ὠριγένης οὐκ οἶδα εἰ πάντων, μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη. Διάκονος δέ τις Ῥωμαῖος Πέτρος ὄνομα διηγήσατό μοι πάντα τὰ τοῦ θείου Διονυσίου σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα. *Aduersus quos dicendum, Eusebium quidem quamplurima omisisse, quæ ad manus eius non peruenerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait : quin potiùs profitetur libros qui ad se non peruenerunt, numero esse superiores. Et sanè multos memorare possem, quos minimè habuit, & hos quidem suæ regionis, vt Hymenæi & Narcissi, qui Hierosolymis Sacerdotes fuerunt. Ego quidem sanè in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum duntaxat epistolarum, sed nec aliorum plurimorum. Nam Origenes, nescio an omnium, vix sanè quatuor mentionem facit. Verùm Diaconus quidam Romanus nomine Petrus mihi narrauit omnia diuini Dionysij opera Romæ in Scriptorum sacrorum bibliotheca asseruari.*

Ex his etiam patet auctoritatem, quæ affertur quasi ex scriptis Origenis (de qua suprà dixi) esse inutilem : siquidem non fuisset eam præteriturus S. Maximus, cùm & occasio esset, & vrgeret necessitas, atque vt, dicitur, *Hic Rhodus, hic saltus.*

3. Si Dionysius Alexandrinus tantæ eruditionis vir & sanctitatis commentarios in Areopagitam fecisset, sanè S. Maximus eos subinde citasset: nisi fortè dicantur ij commentarij in aures tantùm eius venisse, non in manus.

At enim, si is in quem Dionysius Alexandrinus perscripsit Scholia, non est Dionysius Areopagita, quis est ergo ille, inquies, vocatus à Maximo beatus & sanctus Dionysius? Respondeo videri esse S. Dionysium Corinthiorum Episcopum, illustrem secundi sæculi scriptorem, qui, vt Eusebius & Hieronymus testantur, *tantæ eloquentiæ & industriæ fuit, vt non solùm suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarum vrbium & prouinciarum, epistolis erudiret.* Hæc enim sunt ipsissima verba S. Hieronymi, in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, cap. XX. vbi & scripta eius recenset.

Confirmat porrò hanc responsionem, quòd idem S. Maximus in eadem Præfatione apologetica scribat hunc Dionysium Corinthiorum Episcopum fecisse in scriptis suis mentionem Areopagitæ. Verba Maximi sunt hæc:

Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Meminit vero Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in sua ad Athenienses epistola.*

Nota autem hîc nec Dionysium, nec Polycarpum dici meminisse Scriptorum, seu librorum Areopagitæ, sed tantùm, Areopagitæ: vt ne quis in errorem ducatur pro eodem illa accipiendo, cùm distent longissimè. Aliud est enim meminisse Areopagitæ, aliud meminisse Scriptorum eius.

Quæ est igitur mentio Areopagitæ, quam fecit Dionysius Corinthius? nempe illa quam refert Eusebius libro 3. historiæ, cap. 4. in fine: *Dionysium Corinthiorum Episcopum memorasse Dionysium Areopagitam fuisse primum Episcopum Athenarum.*

Cur autem Dionysius Alexandrinus Scholia scriberet in S. Dionysium Corinthiorum Episcopum sibi cognominem, permagna caussa fuit. Nam hæretici illius scripta corruperant, ijsque ad suos errores abutebantur. Quod ne dicere gratis videar, vide ipsa eiusdem Dionysij Corinthij verba id conquerentis apud Eusebium libro quarto historiæ ecclesiasticæ capite vigesimo secundo. Quare Alexandrinus vt eum partim explicaret, partim defenderet (plurimi enim fiebat eius auctoritas) necesse habuit in eum Scholia conscribere.

Itaq; nec Origenes, nec Dionysius Alexãdrin⁹,

quòd

quod quidem certò asseri possit, meminerunt librorum Areopagitę, nec aliquid inde citàrunt. Sed neque S. Gregorius Nazianzenus. Is est enim tertius, quem nonnulli proferunt: cuius & locum istum producunt ex oratione eius Εἰς τὰ γενέθλια, ante medium: Οὕτω μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτεται καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα καὶ θεότητα· ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. *Sic nimirum Sancta sanctorũ* [indicãt mysteriũ Trinitatis scilicet] *quæ à Seraphinis conteguntur & glorificantur tribus sanctificationibus in vnam dominationem & deitatem coëuntibus. Quod & alius quidam eorum, qui ante nos fuerunt, pulcherrimè & sublimissimè philosophatus est.*

Vbi per ista verba: *Quod & alius quidã* &c. existimant indicari Dionysium Areopagitã, capite VII. De cælesti hierarchia sub finem, ita de Seraphinis scribentem:
οἱ δὲ τὴν πολυύμνητον ἐκείνην καὶ σεβασμιωτάτην ἀνακράζουσι θεολογίαν· Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος σαβαώθ. πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. *Hi autem* [Seraphini] *celebratissimam illam & augustissimam Dei laudem magna voce clamãt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus sabaoth: plena est omnis terra gloria eius.*

In quibus quidem verbis non potest dici Dionysius pulcherrimè & sublimissimè philosophatus, cùm nudè tantùm referat ex Isaiæ VI. quid Seraphini in cælo faciant, seu quomodo laudent Deum: sed bene quod proximè subiungit idem Dionysius se illas Seraphinorũ voces atque laudes explicuisse in libro de diuinis hymnis, & quantum satis esset, pro virili sua de ijs dixisse. Vnde perquã est probabile Nazianzenum incidisse in librum illũ de diuinis hymnis, & pulcherrimã atque sublimissimam de Seraphinis, eorũque vocibus Dionysij philosophiam demiratum esse.

Quamuis autem hoc sit, vt dixi, perquam probabile, tamen haud est penitus certũ: præsertim cũ Nazianzenus in verbis suprà positis videri possit, non ad Dionysium Areopogitã, sed ad magnum Athanasium, qui etiam ante ipsum fuit, respexisse: atque eo magis, quòd ipsius verba verbis Athanasij in orat. super ista verba: *Omnia mihi tradita sunt*, Matthæi XI. cernantur quàm simillima.

VERBA S. ATHANASII:

Τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα προσφέρειν τὴν δοξολογίαν, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνύντα ἐστίν. ὡς καὶ ἐν τῷ λέγειν, Κύριος, τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσιν. *Quòd enim tertiò ista excellentia animalia proferant glorificationem dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, in hoc tres perfectas personas demõstrant: sicut & in voce, Dominus, vnam essentiam declarant.* Quid est autem, inquiet aliquis, in quo Athanasius super hac re pulcherrimè & sublimissimè philophatus dicitur?

Respondeo in eo, quòd ibidem ex hac triplici sanctificatione, seu voce, *Sanctus, Sãctus, Sanctus*, vniformiter & eodem tono siue pari virium cõtentione à Seraphinis pronuntiata, collegerit S. Athanasius trium personarum æqualitatem. Eius verba sunt:

Καὶ οὐδαμοῦ τις τῶν θεσπεσίων προφητῶν, τῶν μάλιστα καταξιωθέντων, τῆς τοιαύτης θέας ἀπήγγειλεν ἡμῖν, ὅπερ μὲν τῷ ἅπαξ εἰπεῖν τὸ Ἅγιος, μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ἐν δὲ τῷ δευτερῶσαι ἥσσονι, ἐν δὲ τῷ τριττεῦσαι ὑποβεβηκότως· καὶ μετὰ τοῦτο τὸν πρῶτον ἁγιασμὸν κυριολογοῦντα· τὸν δὲ δεύτερον ὑποτάσσοντα, καὶ τὸν τρίτον κατώτερον τιθέντα.

Nec quisquam omnino sanctorum Prophetarũ, eorum maximè qui tali viso dignati sunt, nobis annuntiauit Angelos, dicendo semel Sanctus, magnâ voce vsos: iterando autem, minori; triplicando denique, submissa. Neque item dixit quisquam sanctificationem primam Dominum celebrasse: deinde secundam subiecisse, tertiam verò inferius posuisse. scilicet personas, quæ sanctificantur. id est, nemo dixit per primam vocem Sanctus, significari & laudari Dominum: per secundam autem celebrari ei subditum: per tertiam verò, inferiùs positum. Quod scilicet dicebãt Ariani: nempe Patrem esse Dominum: filium esse inæqualem Patri: Spiritum esse Creaturam quod est, *inferiùs positum esse.*

Hęc itaque pulcherrima & sublimissima Athanasij contra Arianos Philosophia & argumentandi solertia fuit, quòd è loco Isaiæ, cap. VI. & Ioãnis in Apocal. cap. IV. vbi dicuntur Seraphini clamasse, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum*, vt apud Isaiam. vel, *Dominus Deus omnipotens*, vt apud Ioannem, quòd, inquam, viderit 1. clamorem illum nihil esse aliud, quàm laudem & honorem Dei. 2. eum clamorem ter repetitum, tres designare S.S. Trinitatis personas. 3. istius clamoris triplicis æqualitatem (nec enim Prophetæ vllius meminerunt distinctionis, aut in voce aut in tono) significare honoris & laudis æqualitatem: & postremò ex hac honoris & laudis æqualitate tribus attributâ personis, earundem quoque personarum inter sese æqualitatem designari: ac proinde nec filium dicendum minorem Patre (quod volebant Ariani) nec Spiritum Sanctum infrà ponendum, siuè inter creaturas relegandum. Athanasij porrò acumen imitata & æmulata est B. Ruperti subtilis acrimonia: qui libro 3. *De Trinitate* cap. 15. ita ex eodem, vnde Athanasius, Isaiæ loco raciocinatur: *Quàm pulcher*, inquit *quàm æqualis tenor in verbis? quam certus? quàm stabilis! Nulli hic sunt gradus: nullum momentum incrementi aut decrementi in vocibus istis: Sanctus, Sãctus, Sãctus, Dominus Deus exercituũ: plena est omnis terra gloriâ eius. Isaiæ 6. Vnde ergo gradus suos accepit inimica hæresis? Nam ac si concentus ille cecinisset: Sanctus, Sanctior, Sanctissimus, & pluraliter addidisset, Domini & Dij, nõ singulariter*

Dominus

Dominus & Deus; ita sibi gradus fecit, maximè per os Arij, vt diceret Spiritum sanctum magnũ quidem, sed filium Spiritu Sancto maiorem, & Deo Patre minorem. Vnde, inquam, gradus istos accepit impia & serpentina hæresis, nisi ab ipso colubro patre mendacij, quem de concentu illo manus Domini propter dissonantiam ipsius eduxit & foras misit? Hæc Rupertus. qui ex eodem Spiritus Sancti fonte, ex quo Athanasius antè biberat, sibi hausit, & nobis tradidit.

Propter laudatam igitur Athanasij doctrinam dici posset Nazianzenus non ad Dionysium sed ad Athanasium potiùs respexisse. Verùm sunt, qui vim faciant in illis Nazianzeni verbis: ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται. *Ab alio quopiam è maioribus sapienter dictum est:* Athanasium autem non posse dici vnũ è maioribus respectu Nazianzeni; qui viuente adhuc Athanasio fuit Episcopus.

Quibus responderi potest illud, οἱ πρὸ ἡμῶν, quãuis vulgo & sæpissimè idẽ sit, quòd *maiores*, tamẽ strictè ac rigidè capiẽdo nihil sonare aliud quã, *qui ante nos*, scilicet fuerũt aut scripserũt. Fuit autem Athanasius multos annos ante Nazianzenum, & multis annis ante illũ scripsit & defunctus est.

Quare Iacobus Billius interpretũ princeps, ita Nazianzeni verba latinè reddit: *quemadmodum & alius quidam ante nos philosophatus est.* Nicetas quoque Græcus interpres verba illa intellexit de S. Athanasio, non de S. Dionysio Areopagita.

Haud tamen infitior, videri subinde nõ modò Nazianzenum, sed & ipsum Athanasium scriptis B. Dionysij Areopagitæ vsum esse atque adiutũ, adeóque ambos ex eodem illius bibisse fõte. Loca Nazianzeni cõplura collegit modò laudatus Billius, vt antè indicaui, quæ retulit in caput 23. libri primi suarum *Obseruationum Sacrarum.* Vide illum post S. Isidori Pelusiotæ epistolas.

Ex Athanasio autem vnicum gratia exempli proferam, tùm, vt ne sim longior, tum vt aliorum industriæ materiem relinquam. Est autem è libro, De communi essentiâ Patris, Filij & Sp. S. in fine, vbi decantatam ab Areopagitâ Angelicorum ordinum subordinationem his verbis repræsentat.

Ὥσπερ δὲ καὶ τάξεως διαφορὰν ἐν ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἔγνωμεν, οὕτω καὶ στάσεως καὶ γνώσεως· οἱ μὲν Θρόνοι καὶ τὰ Χερουβὶμ καὶ τὰ Σεραφὶμ ἀμέσως παρὰ θεοῦ μανθάνουσιν ὡς πάντων ἀνώτερα καὶ θεῷ πλησιάζοντα· ταῦτα δὲ διδάσκει τὰ κατώτερα τάγματα, καὶ οὕτως ἐφεξῆς τὰ ἀνώτερα διδάσκει τὰ κατώτερα. τὸ δὲ κατώτερον τάγμα εἰσὶν οἱ Ἄγγελοι, οἱ καὶ τῶν ἀνθρώπων ὄντες διδάσκαλοι.

Quemadmodum autem & ordinis discrimen in supernis virtutibus cognouimus: sic & stationis atque cognitionis. Throni quidem & Cherubin & Seraphim nullo medio discunt à Deo tanquam omniũ supremi & Deo vicini. Hi verò docent inferiores ordines. Atque ita deinceps superiores doctrinam cum inferioribus communicant. Infimus autem ordo sunt Angeli, qui & hominum sunt magistri.

Hæc desumpta existimo è libro Dionysij de cælesti hierachiâ cap. VII. hoc est ex eodem, vnde & sua Nazianzenus desumpsisse dictus est.

At enim cur neuter vel minimam Areopagitæ mentionem fecit?

Respondeo 1. quia nec S. Ignatij martyris, nec Clementis Romani, nec Polycarpi, nec Athenagoræ, nec Irenęi, nec Theophili, nec Iustini, nec Gregorij Thaumaturgi, quorũ tamẽ extabãt, & nunc extant opera, mẽtionem fecerunt: hoc est; quia non fuit illis in more alios auctores citare nominatim; neque in scribẽdo eam pati morã, quę ad citandas aliorum auctoritates necessariò adhibenda foret: sed si quid è veteribus fortè legerant Scriptoribus, id sibi acquisitum, suis efferebant verbis, Nisi fortè, vt ante dixi, ipsi aduersarij essent refutandi. Tum enim & nominandi erant, & tam ipsorum, quàm aliorum, quos ipsi pro se allegabant, verba nonnunquam producenda: vt Origenis, Dionysij Alexandrini, Theognosti ab Athanasio. Secum enim facere Origenem & Dionysum Alexandrinum contendebant Ariani, & nullum antiquorum ijs vocabulis vsum esse, quibus concilij Nicæni Patres vterẽtur. Quare Athanasius pro se Theognostum produxit: & Originem ac Dionysium Alexandrinum, quos aduersarij produxerant, in suas partes traxit.

Respondeo 2. vt antè insinuaui, improbasse Athanasium in Arianis, quòd præter sacras Scripturas, & pias rationes humanas, alia firmamenta è veteribus scriptis conquirerent. Ita enim scribit in epistolâ, de sententia Dionysij contra Arianos, sub initium: *Si igitur cõfidunt,* inquit, *ijs, quæ sentiunt & dicunt: nudam hæresim proferãt, ac si quid pro eius defensione, vel è Scripturis, vel ex aliqua ratione humana, quæ quidem pia sit, demonstrare possunt, demonstrent: sin eiusmodi habent nihil, taceant.* Ita ille.

Nihil ergo mirum si ab eo abstinuerit S. Athanasius, quod reprehendebat in alijs.

Itaque *ad 2. argumentum* suprà positũ, sic videtur respondendum: Quamuis demum sexto sæculo maximè celebrata fuerint Scripta Dionysij & citata nominatim, tamen non inde sequi antea non fuisse, cùm paullo antè ostensum sit præcipuos Patres à citandis nominatim antiquioribus Patribus abstinuisse: & quidem, nisi Eusebius ex cõposito catalogum confecisset Scriptorum Ecclesiasticorũ, valdè multorum extincta prorsus fuisset memoria: & tamen eo etiam confecto, non paucorum interijt: partim quod eum latuerint (nec enim nãcisci omnes potuit) partim quòd sciens volens, vt ipsemet fatetur lib. 4. hist. c. 24. prætererit: partim denique, quod interdũ Auctores nomina sua suppresserint: de quibus Argumenti 2. refutatio.

ita

ita idem Eusebius libro V. histor. cap. 26. *Atque aliorum plurimorum, quorum nec nomina recensere nobis possibile est, libri ad nos peruenerunt, orthodoxorum quidem & ecclesiasticorum, vt cuiusque declarat in Sacram Scripturam interpretatio, sed tamen nobis ignotorum: propterea quòd nō adscripta sint eorum, qui conscripserunt, nomina.* Ita ille. Reddidi enim Græca de verbo.

Præterea duæ aliæ rationes pro latebris Scriptorū Dionysij, præ Scriptis aliorum, afferri possunt: Vna quòd ipse Auctor latere illa voluerit, & tantùm inter Episcoporum Sacerdotumue manus versari. Altera quòd materiem continerent sublimiorem atque obscuriorem quàm à plerisque capi posset.

Argumenti tertij refutatio.

Ad 3. argumentum, quod de traditionibus, allatum est, quæ videtur post S. Dionysij tempora sensim in ecclesiam inductæ, non autem eius æuo fuisse vsitatę, respondetur ita videri quidem aduersę parti, nobis autem non sic. Restat ergo vt pars aduersa bonis rationibus probet meritò sic videri, & insuper ostendat, quænam ex ijs traditionibus aut cærimonijs tempore S. Dionysij non fuerint. Nam de omnibus quidem, nemo, vt opinor, tam inuerecundus reperietur, qui dicere ausit. Quia verò in suprà posito apud Photium argumēto nulla vel traditio vel cærimonia speciatim producta est, liberi à responso speciali sumus. Nā ad ea quæ recentiores quidā obiecerunt, seorsum respondebimus: nunc ijs tantùm, quæ Theodoro Presbytero obiecta sunt, coniunctim respondemus.

Argumenti quarti refutatio.

Ad 4. igitur suprà allatum, de citato in Dionysij operibus loco S. Ignatij, ex epistola eius ad Romanos, quę fuit scripta sub Traiano, cùm tamen Dionysius Apostolorum effloruerit temporibus, responderi potest non minus Ignatium Apostolorum effloruisse temporibus, quàm Dionysium, & quidem Ignatium vitā excessisse priùs Dionysio, cū ille sub Traiano, hic autem sub Hadriano Traiani successore excesserit, aut certè & hic & ille sub eodem Traiano, sed Ignatius vndecimo Traiani Imp. anno, Dionysius autem vltimo, hoc est, imperij eius vicesimo, & Hadriani primo. Verum pressiùs & dilutiùs aliter respondebo. Quærebat igitur quartum argumentum: *Quomodo hic liber Dionysij mentionem fecit epistolæ S. Ignatij?* Respondeo non fecisse mentionem.

Atqui, inquies, in libro *De diuinis nominibus*, cap. 4. reperiuntur ista verba: Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Scribit autem & Diuus Ignatius: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST.* Hæc autem sententia reperitur in epistola eius ad Romanos paullo ante mortem scripta.

Respōdeo in epistola quidem Ignatij reperiri, sed in Dionysio non reperiri. Dico enim & contendo, & mecū non pauci, ista verba in illo Dionysij loco nequaquam à Dionysio ipso scripta esse, sed ab aliquo insciente & rerum ignaro imprudenter & ineptè in ipsum Dionysium intrusa. Quod ego quidem probabo, vt opinor, tam euidenter, vt nullus deinceps (æquus sit modo huisce disceptationis & eorum, quæ proferam, iudex & ęstimator) dissentire vllatenus aut in dubio remanere possit. Laborarunt quidem & alij in hoc nodo dissoluendo, sed conabor in præsentia Deo adiuuante clarius aliquanto & explicatiùs, quàm adhuc quisquam fecerit, nodum hunc enodare.

Verba igitur illa sanctissimi Ignatij intrusa esse in illum beati Dionysij locum, non autem ab auctore ipso primitus ibi collocata, sic probatur:

1. Quia sine illis Ignatij verbis multo meliùs cohęret S. Dionysij oratio quàm cum illis. Nā cùm intendat probare tam ex vetere testamento, quàm ex nouo, atque etiam ex alijs auctoritatibus nomen Ἔρωτος, seu, *Amoris*, locum habere & vsurpari in rebus diuinis; si verborum Ignatij citationem sustuleris, tum videbis vniformiter & coniunctim currere primò testimonia veteris testamenti, deinde noui, postremò aliorum. Probat enim primò ex Prouerbijs, & è libro Sapientię; tū ex loco Paulli ad Galathas, si non expressè & nominatim, saltem virtute, rei ipsius, quę per amorem fit, repræsentatione; postremò ex Hierothei Pręceptoris sui auctoritate.

Et quidem, quod primò ac præcipuè intēdat è Scripturæ sacræ locis id probare, patet ex ijs, quæ ante ibidem, velut præmunitionis loco posuit, vt cùm dixit: Καὶ μήτις ἡμᾶς οἰέσθω παρὰ τὰ λόγια τὴν τοῦ ἔρωτος ἐπωνυμίαν πρεσβεύειν. *Et nemo nos putet contra sacras Scripturas Amoris nomen allegare.*

Et rursum paullo inferiùs, dum ad Scripturarum allegationes se accingit, ita habet: Πλὴν ἵνα μὴ ταῦτα εἰπεῖν δοκῶμεν, ὡς τὰ θεῖα λόγια παρακινοῦντες, ἀκουέτωσαν αὐτῶν οἱ τὴν ἔρωτος ἐπωνυμίαν διαβάλλοντες. *Verùm vt ne hæc dicere videamur, velut diuinas Scripturas peruertentes, audiant illas ij, qui Amoris appellationem cauillantur.*

Mox ergo & cōtinenter subdit illas Scripturas, quæ *Amoris* nomen vsurparunt, hisce verbis: (ponā enim in medio eius verba sine testimonio Ignatij, vt oculis ipsis cernatur melior & sapientior connexio orationis sine illo, quàm cùm illo) hisce, inquam verbis sequentibus ita subdit Scripturarum testimonia:

Ἐράσθητι αὐτῆς, φησι, καὶ τηρήσει σε.
Περιχαράκωσον αὐτὴν, καὶ ὑψώσει σε.
Τίμησον αὐτὴν, ἵνα σε περιλάβῃ.

Καὶ ὅσα ἄλλα κατὰ τὰς ἐρωτικὰς θεολογίας ὑμνεῖται. Καὶ ἐν ταῖς προεισαγωγαῖς τῶν λογίων εὑρήσεις τινὰ λέγοντα περὶ τῆς θείας σοφίας· Ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς, ὥστε τοῦτο δὴ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα μὴ φοβηθῶμεν· μηδὲ τις ὑμᾶς θορυβείτω Sap. 8. v. 2.

λόγος

λόγος περὶ τούτου διεξιόμενος. Ἐμοὶ γὰρ δοκοῦσιν οἱ Θεολόγοι κοινὸν μὲν ἡγεῖσθαι τὸ τῆς ἀγάπης καὶ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα. *Ama illam*, inquit Scriptura,
Prou.4. vers.6. *& conseruabit te.*
Ibid. v.8. *Aggeribus circunda illam, & exaltabit te.*
Honora eam, vt te amplectatur.

Et quæcumque alia amatorijs in scriptura sermonibus celebrantur. Atque in primis Scripturæ institutionibus aliquem inuenies de diuina sapientia dicentem:
Sap 8.v.2. *Amator factus sum pulchritudinis illius. ita vt hoc ipsum amoris nomen non reformidemus. Mihi enim videntur Theologi commune existimare Caritatis & Amoris nomen:* Hactenus verba Dionysij. Quæ quis non videt optimè inter se cohærere: ac multo meliùs, quàm si inter citationes duarum Scripturarum siue duorũ testimoniorum diuinorum, vna interseratur citatio humani testimonij, ex Ignatio scilicet decerpti? Nam prudens quidem sanè & alicuius ingenij & iudicij scriptor, volens aliquid probare è Scripturis & è Patribus, nunquam sic sua disponet argumenta, vt primum argumentum è Scriptura proferat, secundum ex aliquo SS. Patrum, tertium rursus & quartũ è Scriptura, deinde rursũ è Patribus: sed omnes Scripturas simul, & primò cõgeret, deinde SS. Patrum, aliorúmue Scriptorum auctoritates inducet: præsertim si cũ in scopũ tẽdat, ac verbis id præ se ferat (quemadmodũ hoc loco facit Dionysius) se ostensurum è Scripturis vocẽ aliquam rectè in sermone de rebus diuinis vsurpari. Iam autem idiota quispiam cùm hæc Dionysij legeret, ac meminisset etiam Ignatium in epistola ad Romanos vsum eadem voce (licet in alia significatione) ipse ad marginem illius loci annotauit ipsa verba Ignatij, quæ postea in textum intrusa sũt, inter duo Scripturarũ testimonia, & proximè ante locum è libro Sapientiæ: Καί τοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Et quidem visum est quibusdam nostris sacris Scriptoribus etiam diuinius esse Amoris nomen quàm Caritatis. Scribit porrò & S. Ignatius: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST.*

Nota hic porrò S. Dionysium in superioribus Scripturæ citationibus vsum editione Septuaginta Interpretum, ac proinde nos quoque veterem interpretationem in latinis secutos, non autem Hieronymi siue vsitatã, eò quòd Græcis non respondeat in omnibus. Nam in loco è Prouerbijs editio vsitata habet sic, versu 8. *Arripe illam, & exaltabit te. Glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus.* Et Sap. 8. Versu 2. sic: *Amator factus sum formæ illius*

Nota 2. per Theologos S. Dionysium intelligere Scriptores sacrarum litterarum, cum dicit superius: *Videntur enim mihi Theologi commune existimare Caritatis & Amoris nomen;* siue Ἀγάπης καὶ Ἔρωτος. propterea quod Auctores Scripturarũ indiscriminatim iã vno vtantur, iam altero; nec vnum altero diuinius existiment. Ac proinde illa verba, quæ iam dixi intrusa, non possunt esse Dionysij, cũ in illis dicatur Theologos aut Scriptores sacros diuinius putasse nomen Ἔρωτος *Amoris*, quàm Ἀγάπης *Caritatis*. Est enim hoc falsum. Nam si diuinius putassent, sæpius in sacris litteris vsurpassent, seu in vetere, seu in nouo testamento. Atqui fecerunt contrarium, & sæpissimè voce Ἀγάπης vsi sunt, rariùs voce Ἔρωτος. Vnde in nouo testamento ne semel quidem reperitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη ex numerato plusquam nonagies. In vetere autem ἀγάπη & ἀγαπάω creberrimè & quidem in Cantico Canticorum, (vbi maximè locus) semper, ne semel autem vox ἔρως aut ἐράω.

Atque hæc, opinor, caussa est, quamobrem aliqui Dionysio obiecerint, vti eum in rebus diuinis voce non diuina, sed profana: ipse autem valdè operosè se defẽderit, & testimonia è sacris Scripturis collegerit: in quibus tamen nec vocem ipsam Ἔρως inuenerit, sed tantùm nomen appellatiuum ἐραστὴς & verbum ἐράσθητι in imperatiuo: vbi quidem sanctus amor significetur. Nam pro amore profano & carnali bis inuenio nomen Ἔρως in vetere testamento vsurpatum: semel Prouerb. 7. Versu 18. Ἐλθὲ καὶ ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρου. δεῦρο καὶ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι. *Veni & fruamur amicitia vsque ad auroram: veni & inuoluamur amore.* Prou.7. v.18.
Vulgata editio habet: *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.* & semel Prouerb. 30. Versu 16. ᾅδης καὶ ἔρως γυναικὸς καὶ γῆ οὐκ ἐμπιμπλαμένη ὕδατος καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ οὐ μὴ εἴπωσιν· ἀρκεῖ. *Infernus & amor mulierum, & terra non repleta aquâ, & aqua & ignis non dicent: sufficit.* Hæc omnia de amore impuro & insatiabili proferuntur. Prou.30. v.16.

2. probatur testimonium Ignatij intrusum in Dionysium, & non ab illo conscriptum. Quia si Dionysius illud vsurpare voluisset, non modò in medio testimoniorum è Scripturâ non posuisset, sed nec auctoritati S. Hierothei præceptoris sui, quẽ pluris omnibus secundùm Apostolos faciebat, præposuisset, aut saltem post illa verba posuisset: τί δ' ὅλως οἱ Θεολόγοι βουλόμενοι, ποτὲ μὲν ἔρωτα καὶ ἀγάπην αὐτόν φασι· ποτὲ δὲ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν; *Quid autem vno verbo sibi volunt Theologi, qui eum* [Deum scilicet] *modò Amorem & Caritatem appellant, modò amabilem & dilectum?*

Vbi per Theologos intelligit Dionysius Apostolos & alios Scriptores sacros, & respicit quidem ad epistolam S. Ioannis primam, cap. 4. versu 8. Ὁ μὴ ἀγαπῶν οὐκ ἔγνω τὸν θεόν. ὅτι ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν. *Qui non diligit, non nouit Deũ: quoniam Deus caritas est.* Et rursum versu 16. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. *Deus caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Cùm igitur is, qui ea verba Ignatij, *AMOR*

MEVS

MEVS CRVCIFIXVS EST, intrusit in Dionysium, existimarit ibi sub nomine Amoris intelligi Christum, hic potius ea debebat ponere, quàm vbi prius posuit, scilicet inter loca S. Scripturæ, & extra locum suum. Quòd autem malè id existimarit, è proxima ratione planum fiet.

3. Illa B. Ignatij verba, nullo modo ad id probandum, quod intendebat Dionysius, accõmodata sunt. Intendebat enim ostendere nomen Ἔρως à sacris Scriptoribus in bonam partẽ accipi pro caritate seu dilectione spirituali. At vero in epistola Ignatij nequaquã sic accipitur, sed pro concupiscẽtia & amore terrestri, quem dicit in se esse crucifixum, hoc est mortuũ, nec se amare iam aliud, quàm Deum, extincto penitus omni igne concupiscentiæ, & rerum terrenarum desiderio. Quod ex integra patebit Ignatij sententia quæ sic habet: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται· καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον· ὕδωρ δὲ ζῶν ἁλλόμενον ἐν ἐμοὶ ἔσωθέν μοι λέγει. Δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. *AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST; nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans, sed aqua viua in me saliens interiùs mihi dicit: Huc ad Patrem.*

Vbi secundum membrum explicatio est prioris: ita vt idem verbis diuersis bis dicatur, semel per affirmationẽ, semel per negationẽ. Qualibus sententijs plenus est in sacra Scriptura liber Prouerbiorum. Verbi gratia, cap. 4. Versu 13. & sequentibus: *Tene disciplinam: ne dimittas eam. Custodi illam: quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam. Declina & desere eam.*

Et ibidem, cap. V. Versu 8. *Longè fac ab eã viam tuam: & ne appropinques foribus domus eius.*

4. Ignatij sententia similis est illi sententię Paulli ad Galathas 6. versu 14. Ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται. *Mihi mũdus crucifixus est.* id est, nihil mihi cũ mundo. Ad illã igitur respexisse videtur Ignatius, & pro κόσμος posuisse ἔρως, alio quidem verbo, sed eodem sensu. Sunt enim vnum idemque: *Nihil mihi cum mundo, & Nihil mihi cum amore mundi.*

5. Si S. Dionysius legisset epistolam beati Ignatij ad Romanos, & laudare eius testimonium voluisset, fecisset procul dubio quod in Hierotheo fecit, atque integrum Ignatij locũ laudasset, non verò eã partem omisisset, quæ pro eo maximè faciebat: & vbi verbum ἔρως sine controuersia in bonam partem capitur, atque ad Deum refertur. Nã totus locus sic habet: Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ χριστὸν ἀποθανεῖν. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον &c. vt prius citaui.

Quæ verba Ioannes Brunnerus in sua epistolarum Ignatij pia & accurata paraphrasi hoc modo, & eodem, quo nos, sensu reddidit, his verbis: *Viuus enim prudensque hæc scribo, meos esse amores, meas delicias, mori propter Christũ. Quid enim præter hunc vsquã fuit amabile aut gratum, mihi crucifixum est, & morte Christi deletũ: neque alius in me superest ignis, qui aliud quicquã vel amet, vel desideret. Aqua autem in me viuida eructans sic monet, & sic alloquitur: Age, ad Patrẽ, age.* Ita Brunnerus vir pius & æterna sapiens, qui ab hæreticorum castris, vbi annos multos clarus in paucis militauerat, ad Christiana signa conuersus, meliora sub Christo stipendiã meruit, & Græcas litteras, sanctámque linguã Friburgi Brisgoiæ in principe gymnasio professus est. Itaque Amor in illa Ignatij sentẽtia non Christum significat, non amorem sanctũ, sed amorem concupiscentiæ; & terrenorum, non autem æternorum, desiderium, quod ipse quidem martyrij iam candidatus, & totus ad cælum adspirans in se extinctum prædicabat. Nam & multa his conformia in ijsdẽ ad Romanos litteris ex spiritus feruore est elocutus: vt sunt illa: *Iam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere.* Et paullo inferiùs; *Ignoscite, amabo: quid mihi expediat, noui. Nunc incipio Christi esse discipulus, cùm eorum, quæ videntur & quæ non videntur, nihil æmulor, vt Iesu Christo potiar.* Et alia multa ibidem eius generis.

Iam satis, vt opinor, factum est argumẽtis illis 4. antiquissimis Theodoro Presbytero apud Photiũ obiectis: nunc aliquot præcipuis recentiorũ Scriptorum oppugnationibus pro virili repugnandum.

Oppugnat Abrahamus Scultetus S. Dionysij scripta rationibus duodecim, quarũ ego vanitatẽ (ne nimis se amet, neu Caluinistarũ plausus, veritatem putet) statui palam prodere.

1. eius ratio est: *Stilus horum librorum non est simplex & sincerus, sed argutus nimis & inflatus & affectatus & parum Apostolicus.*

Ad eam respondi supra in secũdo argumẽto pro altera sententia: vbi ostendi stilum respondere materiæ, & sublimem esse in re sublimi. Audiat hic porrò nostrum & suum Augustinum simili in re, simillimo vtentem stilo, & obmutescat. Igitur in lib. Soliloquiorum cap. 31. sic inter alia: *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis & supérinenarrabilis & superinscrutabilis & superinaccessibilis, & superincomprehensibilis, superinintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnẽ essentiam supercælestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiã oculis Angelorum.* Vide ibi plura, quæ diceres aut è Dionysio, aut ex eodem certè Spiritu hausta & scripta.

2. *Eusebius & Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec vllus alius admodum antiquus auctor.*

Et huic respondi superiùs, cùm argumenta Theo-

Theodoro Presbytero obiecta refellerem. Vide ibi ad 1.

3. *Laurentius Valla indicat fuisse suæ ætatis doctissimos viros, qui indicauerint eos libros esse Apollinarij.*

Respondeo Scultetum hæc verba sumpsisse ex Erasmo in caput 17. Actorum Apostolorũ, & reticuisse subsequentia eiusdem Erasmi verba, vbi eam sententiam improbat. Subdit enim Erasmus: *Tametsi duos eius nominis cõmemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanũ Episcopum, qui floruit sub M. Antonino secundo: alterum Laodicenum in Syria Episcopum; neutri tamen huiusce modi quicquam tribuit operum. Neque enim, opinor, hæc Apollinari hæretico tribuenda.* Sic ille

Quod si hæretico non sunt tribuenda, multo minus alteri Apollinari Catholico & sancto: nec enim esset talis viri fingere se Paulli discipulum, comminisci facta esse, quæ nunquã facta sint, nimirum se interfuisse Apostolorum cœtui ad funus Deiparæ, & alia similia.

Atque vt ipsamet tela aduersariorum in ipsos conuertamus, 2°. ipsorum ratio cõtra tertiam militat hoc modo: Eusebius & Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores nullam faciunt mentionem horum librorum ab Apollinari scriptorum, nec vllus admodũ antiquus auctor, ergo non sunt ipsius. Videsne Sculte te tuis te retibus irretiri? Deinde ipse Erasmus ad Catalogũ S. Hieronymi de Scriptoribus ecclesiasticis abiudicat illos Apollinari, & cũ multi fuerint Dionysij inter Scriptores Ecclesiasticos, probabilius censet ab vno illorũ scriptos. Quid iam valet tua ratio, Sculte te, ex Erasmo fallaciter prompta? Possem pluribus: sed frustrà lux maior ad tantam hominis cæcitatem.

4. *Guilielmus Crocinus, memoriâ Erasmi, Londini hunc auctorem explicans, ingenuè coram auditoribus professus est sibi non videri id opus esse Dionysij Areopagitæ.*

Quàm putida ratio! & quàm arũdineo innixa baculo auctoritas! Albusne, an ater fuerit iste Crocinus, qui ista crocitauit, quis nouit? Tẽpus perdam, si plus respondeam.

5. *Materies scripti*, inquit, *idem demonstrat. Nam in Hierarchia cælesti, cæli supellectilem, & Angelorum subsellia non modò vanè, sed etiam falsò enumerauit, & de ijs penè inuentarium confecit.*

Quid hîc magis miremur? hominisne stupidã insciciam, an effrontem meretricis impudẽtiã? quippe qui nec voces, quibus vtitur, intelligat, & de rebus, quas non capit, velut censor aut iudex decidat. Quis vnquã Regis filios in aulæ regiæ numerauit supellectili? Quis de illis inuentarium aliquando confecit? quis inuẽtarij nomine comprehendit? Atqui Dionysius tãtum Angelos, eorũmque ordines & officia descripsit, quorum nihil nec in supellectili cõtinetur, nec in inuẽtario scribitur. Et quàm humilia ista de sublimissimis! quàm vilia de nobilissimis! Nescio an iste homo, dum illa scriberet, de mouenda fortè supellectili domestica, aut scribendo rerum suarum inuentario, (in quo & vxorem & vtriusque sexus liberos comprehenderat) cogitaret. Docendus est videlicet Minister Silesius, quid supellectilis, quid inuentarij nomine veniat. *Supellectilis nomine* (vt inquit Paullus) *continentur mensæ, trapezophori, delphica, subsellia, scamna, lecti inargentati, culcitræ, toralia, mappæ villosæ, vasa aquaria, pelues, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, vasa ænea, vulgaria, id est, quæ non proprio sunt loco attributa: præterea capsæ, armaria, vitrea, escaria, potoria.* Hæc Sipõtinus ex XXXIII. digest. de supellectile legata. Nulla ibi personarum, nulla liberorum mẽtio. De inuentario item sic vetus Glossarium: *Inuentarium dicitur quidam libellus, in quo omnia bona, quæ apud aliquem inueniuntur, conscribũtur.* Repertorium appellat Vlpianus aliquanto latiniùs; vbi de administratione & periculo tutorum, L. *Tutor*, sic scribit: *Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inuentarium appellatur, dolo fecisse videtur, nisi forte aliqua necessaria & iustissima caussa allegari possit, cur id factum non sit.* Aliqua ergo debuisset Scultetus proferre à Dionysio enumerata, quæ aliquam saltem cum his quæ dicta sunt, similitudinem repræsentarent. Atque ista quidem insciciã & stupore non contentus addit multo maiorẽ impudentiam, dum dicit: *Et Angelorum subsellia non modo vanè, sed etiam falsò enumerauit.* Itane vero? Heus tu, ostende alterutrum: vel quod vanè, vel quòd falsò. Enumera, si potes, aliquid vel solidius vel verius.

Probat igitur in hunc modum: *Apostolus 2. Cor. 12. ver. 4. ista & huiusmodi reliqua omnino ἄῤῥητα esse dicit. Irenæus lib. 2. cap. 55. istos Hierarchiarum Scriptores delirare scribit. Augustinus in enchiridio ad Laur. cap. 58. affirmat se nescire ordines Angelorũ & eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in Angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus & alij. Franciscus quoque Patritius, qui Panarchiæ suæ lib. 1. multa ex veterum scriptis ad stabiliendas hierarchias Dionysiacas emendicat, dubitanter volens nolens de auctore hierarchiarum pronunciat.* Ita ille.

Videamus nunc membratim eius vanitatem & impudentiam. Citauit Paullum, Irenæum, Augustinum, Franciscum Patritium. Ibimus per singulos. Paulli locus 2. ad Corinthios 12. versu 4. est: *Quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Quid ibi, amabo, contra Dionysium? Atqui ista sunt, inquies, & reliqua huiusmodi, quæ scripsit Dionysius. Qui probas? quis tibi dixit esse ista? Nihil probat, & sibi vult credi, homini nempè vanissimo & ex mendacijs (vt passim in notis meis illi ostendo) impudentissimis conflato. Quid hoc vanius? Adde Paullum

lum loqui de verbis quę audiuerit, & quæ loqui non liceat: Dionysius autem non de verbis loquitur, sed de rebus scribit, & ordinum Angelorum nomina, quæ in sacris Scripturis omnia continentur, enumerat. An verò tantũ fuit mysterium, scire illorum ordinem & significationẽ, vt neque Dionysio, neque Paullo, neque Ioanni, neque vlli Apostolorum aut discipulorum inspiratum fuerit? Atqui Dominus Deus dedit Apostolis intelligentiã Scripturarum. Quid ergo magni, si Dionysius à Magistro suo Paullo petierit, quid sibi vellent ista Angelorum nomina, quorum & ipsemet in suis epistolis, & alij sacri Scriptores in diuinis litteris meminerunt? si & quis esset inter eos ordo, & quæ singulorum officia, poposcerit & didicerit? Et sanè si ista Sculteti ratio vel hilum valeret, plus contra S. Ioãnis Apocalypsim, quàm contra Dionysij scripta faceret. Multo enim ibi alia & maiora & captu difficiliora, quã in Dionysio memorantur: quæ si dixisset Dionysius, fuisset fortè Sculteto locus maior recordandi suæ supellectilis: nempe cùm audiret: *Et conuersus vidi septẽ candelabra, & in medio septem candelabrorum aureorum* &c. cùm inquàm, audiret *7. candelabra*, Apoc. 1. & *clauem Dauid*, cap. 3. & *sedem positam in cælo, & in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & coronas aureas cap. 4. & librum & citharas & phialas aureas*, cap. 5. & *arcum & gladium & coronã & stolas*, cap. 6. & *palmam & thronum & templum* cap. 7. & *tubas & thuribula & incensa multa*, cap. octauo, & alia in alijs: cũ hęc, inquam, vel similia in Dionysio audiret, tum maiori iure sua illa de cæli supellectile & inuẽtario deblateraret. Nunc autem cum illa in Apostoli scriptis legantur, quid dicet? Licuit B. Ioanni tam multa & tam recondita de cęlo & cælestibus referre & mundo patefacere: sancto Paullo autem non licuerit pauca quædam, ęáque ad Scripturarum intelligentiam spectantia Dionysio Areopagitæ à se conuerso & discipulo suo enarrare? Quid ita? *Quia audiuit arcana verba, inquit Scultetus, quæ nõ licet homini loqui.* Egregiè verò. Applica Scultete. Nec facis, nec potes. Quis enim risum teneat, si ea ipsa esse dicas quæ Dionysius enarrauit? Quî enim probes? Sin alia esse dicas, nihil facis. Potuisse autẽ Dionysium è Scripturis nouem colligere Angelorũ ordines, vel ex ipso Gregorio Magno patet, qui id ipsum fecit homil. 34. in euangelia. *Nouẽ verò* inquit, *Angelorũ ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos & Archãgelos penè omnes sacri eloquij paginæ testãtur. Cherubim verò atque Seraphim sæpe, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paullus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnẽ Principatũ & Potestatem & Virtutẽ & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens ait: Siue Throni, siue Potestates, siue Principatus, siue Dominationes.*

Deinde colligit numerum hoc modo: *Dominationes, inquit, & Principatus ac Potestates iam ad Ephesios loquens descripserat: sed ea quoque Colossensibus dicturus præmisit Thronos, de quibus nec dum quicquam fuerat Ephesijs locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus atque Dominationibus coniunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli atque Archangeli, Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio nouem esse Angelorum ordines inueniuntur.*

Ex his omnibus è Gregorio magno allatis patet eum nihil aliud voluisse, quàm probare nouem esse ordines, non verò inter illos describere & distinguere Hierarchias, ac proinde nihil esse mirum, si aut ipse, aut S. Bernardus eum secutus, & quidam forte alij, qui Angelos per Hierarchias non distinxerunt, alium sint ordinem re minus accuratè examinata amplexati. Nam in confesso est omnibus longè res tractari exactius ab ijs qui methodicè & per præcepta materiam aliquã tractant; definiũt, diuidũt, (quod fecit Dionysius Areopagita) quàm ab ijs, qui populariter & oratorio more ad virtutem alios exhortantur: quemadmodum fecisse constat Gregorium Homilia 34. in euangelia, & S. Bernardum sermone 19. in Canticum Canticorum.

Aliud est enim sermones & homilias, aliud libros διδακτικοὺς scribere. Quare qui hos scripserunt, vt illi Scholasticorum principes, Ioãnes Damascenus apud Græcos, Thomas Aquinas apud Latinos, non alium statuerunt ordinem, quàm eum, quem in Dionysio nostro inuenerunt: Damascenus quidẽ in libro de fide orthodoxa, cap. 8. Thomas autem 1. p. q. 108. art. 5. & 6. & post illos cuncti ad vnum Doctores Scholastici. Hæc autem tacuit Scultetus vel ex inscitia, vel ex malicia: nec dubium, quin etiam ex impudentia. Iam verò S. Dionysij Areopagitę ordinem omni alio meliorem, ac propterea meritò & à Damasceno, & ab Aquinate, & ab omnibus Scholasticis vsurpatum ex eodem probabo doctore, à quo illum primus accepit Dionysius, nempe à Doctore Gentium Paullo, Dionysij olim Gentilis magistro. Et sic probo: De 4. primis ordinibus, hoc est de Seraphim, de Cherubim, de Thronis & de Dominationibus inter omnes omnino liquet. Nam cum Dionysio Areopagita etiam Gregorius & Bernadus & alij consentiunt, nempe illos esse omnium primos: de duobus etiam postremis ordinibus, hoc est, de Archangelis & Angelis perinde constat. Restat igitur de tribus tantum ordinibus controuersia, hoc est, de Virtutibus, Potestatibus, & Principatibus sintne in cælo hoc ordine, quemadmodum Dionysius constituit, siuè, an supra Archangelos proxi-

proximi sint Principatus, & supra hos sint Potestates, & suprà Potestates emineant Virtutes, deinde Dominationes, sicut in cœlesti hierarchia. Ecce igitur locus Paulli ad Ephesios cap. 1. versu 19. & sequentibus, vbi tali vtitur gradatione de Christo ad summam in cælo gloriam eleuato: *Qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnē Principatum & Potestatem & Virtutem & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

Quo in loco cùm agat Paullus de Christi ascensu in cælum, non potest quispiam, nisi extremè stolidus, quin ab inferioribus incipiat & gradatim ad superiores ordines ascendat, dubitare. Et tamen audet Scultetus, (qua est impudentia) ore improbo effutire, Dionysium Angelorum subsellia (sic ille vocat Angelorum ordines) non modò vanè, sed etiam falsò enumerasse?

Aliam eius impudentiam (de illa enim satis) videamus. Ea in illis verbis renidet: *Irenæus*, inquit, *libro 2. cap. 55. istos hierarchiarum scriptores delirare scribit*. Quid ad hanc impudentiam addi potest? Mentitur enim Sculte-tus & insanè delirat. Nam ne verbo quidem, nec ibi, nec alibi de Hierarchijs Angelorum Irenæus, tanquam illas improbas agit: immo directè eos impugnat, qui relictis Angelis, Archangelis, & alijs Angelorum ordinibus, triginta Æonas in cælo ponebant, & quasi nouos Deos. Quin & expresè admittit & memorat ibi aliquot ordines Angelorum, nempè Principatus, Dominationes, Virtutes, Angelos, Archangelos. Proferam ipsa Irenæi verba, quò erubescat, si potest, canina Sculteti impudentia. Agens igitur Irenæus contra Marcionem & Valentinum in illo ipso capite iam citato, & asserens vnum esse verum Deū, non duos, non plures, sic ait inter alia: *Ipse Dominus omnium, & neque præter ipsum neque super ipsum, neque mater, quam illi admentiuntur; nec Deus alter quem Marcion affinxit; nec Pleroma triginta Æonum, quod vanum ostensum est; neque Bythus, neque Proarchè, neque Cæli, nec Lumē virginale, nec Æon innominabilis, nec in totum quicquam eorum, quæ ab his, & ab omnibus hæreticis delirantur: sed solus vnus Deus fabricator, qui est super omnem Principalitatem & Dominationem & Virtutem.*

Ecce igitur eos qui vanitatis Irenæus arguit & dicit delirare, nimirum Marcionem duos fingentem Deos, Valentinum triginta constituentem Æonas, & reliquos omnes hæreticos, nulla vel minima Dionysij, aut hierarchiarum eius facta mentione, nisi quòd ordines aliquos nominauit, in quibus per Principalitatem intelligit Principatus, non tamen vt reprobans, sed vt maximè approbans: sicut ibidem paullo inferiùs cùm dicit: *Hic Pater Domini nostri Iesu Christi per verbum suum (qui est filius eius) reuelatur & manifestatur omnibus, quibus reuelatur. Cognoscunt enim eum hi, quibus reuelauerit Filius. Semper autem coëxistens Filius Patri olim & ab initio semper reuelat Patrem & Angelis & Archāgelis & Potestatibus & Virtutibus & omnibus, quibus vult reuelare Deus.* Ita ibi.

Sed idem Irenæus priori capite eiusdem libri, siue cap. 54. eosdem refutans Valentinianos, insinuat varios Angelorum ordines & inter ordines singulos discrimina, his verbis: *Præterea, si per ipsos ea, quæ sunt super cælos, facta sunt; dicant nobis, quæ sit inuisibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacramenta, & doceant diuersitates Dominationum, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum. Sed non habent dicere. Non ego per eos facta sunt.* De hoc satis.

Aliud argumentum Sculteti est hoc: *Augustinus in Enchiridio ad Laurētium cap. 58. affirmat se nescire ordines Angelorum & eorum differentias.* Quid tum? an omnia sciuit Augustinus? an quod ille nesciuit, nullus sciuit? Magni fuit ingenij, fateor, rarique iudicij, immo & eius quoque sanctitatis, vt multa eorum quæ nesciret, illi crediderim reuelata. Sed an Deus vni omnia? *Nunquid alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu?* &c. *An non vnus atque idem Spiritus diuidit singulis, prout vult?* Quid ergo mirum, si dederit Dionysio Paulli discipulo & fonti aquarum viuentium tam vicino, quod Augustino multis post sæculis exorto non dederit? Quin & hoc ipso loco, qui citatus est, ostendit se nescire Augustinus, an sol & luna & cūcta sidera vitam non habeant beatitudinis & societatis Sāctorum capacem, & ignorare insuper, an plures sint in cælo Angelorum ordines, quàm quatuor, cùm tamen suprà è Scripturis sacris ostensi sint nouem. Et quia fortè hæc audientes desiderent ipsa Augustini verba in medio poni, (nam sanè mira sunt, & de sideribus alia nobis nunc certa fides est) illa ponam. Sic ergo habet in Enchiridio ad Laurentium cap. 58. *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus dicendo: Siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt; ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrū ad eandem societatem pertineant Sol & Luna & cuncta Sidera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.* Ita Augustinus.

Quemadmodum ergo non propterea quòd dicat Augustinus se certum non habere, an sidera viuant & intelligant & beatitudinis capacia sint, reprehendi quispiam potest, si doceat ea nec viuere, nec intelligere, nec beatitudinis

tudinis capacia esse: sic neque propterea quòd de Angelicorum ordinum numero dubitet, imprudenter facere dicendi sunt, qui eorum numerum & distinctionem docent; multo minus autem, qui tam diu ante Augustinum docuerunt, & vel ex diuinâ reuelatione, vel ex Apostolorum relatione acceperunt. Et si temerarium esset de cælesti hierarchia & Angelorum ordinibus librum vnum conscribere, vt de rebus reconditis: quanto magis temerarium esset de ipso sanctissimæ & abstrusissimæ Trinitatis mysterio vel duodecim libros componere, quod S. Hilarius fecit, vel etiam quindecim, quod S. Augustinus? Addit Scultetus Franciscum Patritium libro 1. suæ Panarchias dubitanter volentem nolentem de auctore Hierarchiarum pronunciasse: quid autem pronunciauerit, non explicat: sed satis intelligitur eum secundùm nos pronunciasse. Vnde quantus hominis stupor ea proferre in medium, quæ contra se faciant. Nam licet dubitanter, tamen cōtra Scultetum pronunciauit.

6. ratio Sculteti est hæc: *In libro de ecclesiastica hierarchia multa scribit de templis, de altaribus, de locis sacris, de choro, de consecratione monachorum, de tonsura & rasione capitum: cùm re vera nihil horum fuerit temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum historicè reperiet lector apud Rodolphum Hospinianum Tigurinum*. Ita ille suo more, nihil in particulari probans, & nequiter ad alios remittens.

Contra simile argumenti genus, talis erit propria & maximè conueniens, vt equidem arbitror, responsio: Ista omnia, quæ Scultetus è Dionysio protulit, re vera fuerunt temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum veridicè reperiet lector apud Cæsarem Baronium Soranum & apud Robertum Bellarminum Cardinales.

De hac solutione, sat scio, non conqueretur: cum pro vno reponam duos, & quidem tales contra talem, & eodem, quo ipse, vtar argumenti genere. De templis tamen & altaribus, & locis sacris (non quòd opus sit ad Sculteti refutationem, sed quòd ad rudium atque infirmorum instructionem & confirmationem non parum habeat roboris ac pōderis) locum peregregium S. Petri Cluniacensis aduersus Petrobrusianos hæreticos idē olim, quod nunc Scultetus, delirantes validè intortum, hic lubet ipsismet eius verbis repræsentare (is autem ante Scultetum quingentis annis vixit) *Quid enim? (ait vir ille sanctus) nunquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo vel ecclesia, id est, orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nonne, vt gestorum veracium series narrat (si tamen præter diuinum Canonem gestis aliquibus assensum datis) primus ipse Princeps Apostolorum Petrus in vrbe orbis capite templum Christo inter innumera Gētilium templa construxit & iuxta quod beatus & magnus Papa Leo nobili sermone pronunciat, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inuexit? nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant quæ ab eodē Apostolo constructa & sanctificata (sicut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur) in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissimè ac deuotissimè deosculantur? Nunquid apud Arelatem (quam necdum per Dei gratiam vester sordidus error infecit) Paulli Apostoli discipulus Trophimus, (de cuius fonte, vt Papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt) semper in campo aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit? nunquam domum orationis vel ipse habuit, vel alios habere instituit? Et vnde tot sancti successores eius hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, à quo fidei riuulos acceperūt? Sed vt de primis Galliæ nostræ Apostolis, quos vestra impia fatuitas, & fatua impietas hactenus scire non meruit, aliquid plenius dicam (sicut ipsa testatur antiquitas, & à sanctis viris nobis relictæ tradūt historiæ) non solum nos, verùm etiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum iunioribus vestram insaniam irridentes certissimè tenent, quòd Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Vrsinus Biturigis, Paullus Narbonæ; Saturninus Tolosæ; Austremonius Aruernis; Martialis Lemonicis, Burdegalæ, & Pictauis; Fronto Petragoris; Eutropius Xanctonis; Gratianus Turonis; Iulianus Genomannis; Parisijs Dionysius; Senonis Potentianus & Sauinianus; Bellouaci Lucianus; Æduæ Andochius; Lingonis Benignus, (Et quis omnes gloriosissimos fidei nostræ Patres & Apostolos enumerare sufficiat?) isti certè, isti vbicumque nomen Domini annunciauerunt statim idolorum delubra, prout fas fuit euertētes, aut nouas ecclesias fundauerunt, aut ipsa templa in ecclesias conuerterunt: adeo vt hodieque in plerisque locis, sicut ipsi nostris oculis inspeximus) ecclesiæ vel basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata & cōsecrata in memoriam antiquitatis & sanctitatis eorum, à fidelibus populis reseruata monstrentur: quámque ridendi & detestandi sitis omnibus hominibus, quadam viua voce loquantur. Et vt ad orientem & ceteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricū, Græciam, Scythiam, nisi Paullus & Andreas? quis Asiæ maximas partes, nisi Ioannes & Philippus? quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon & Iudas? quis Indicas partes & solis ortui contiguas terras, nisi Thomas & Bartholomæus? quis totam Æthiopiam, nisi Matthæus, primi & nouissimi Apostoli Christi vetustæ superstitionis templa destruentes, nouæ gratiæ ecclesijs impleuerunt? Ita vniuersi veteris & nouæ legis auctores vnanimi studio vobis aduersantur: vt necesse vobis sit, aut tantis testibus acquiescere, aut sine Christo, Prophetis, & Apostolis Christianos fallaciter permanere.* Hactenus vir sanctus, & cuius non est dignus soluere calceamēta Scultetus.

7. Ratio: *Timotheum vocat filium, qui tamen illo si non maior certè par fuit pietate, auctoritate, doctrina.*

Addendum fuisset, *& ætate*, vt efficax fieret argumentum. Nam luce est clarius solitos esse senes, appellare ætate iuniores, nomine filiorum. Sic in sacris litteris, sic in profanis Auctoribus, sic in communi vsu videmus. Timotheum porrò longè Dionysio iuniorem fuisse ex eo liquet, quòd Paullus ad eum iam Episcopum Neronis temporibus scribens insinuet eum etiam tum fuisse adolescentem, cùm dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Atqui Dionysius iam satis magno natu erat, & (quod ad rem haud parum facit) permagna quoque auctoritate, siue quòd fuisset ex Areopagitis, & Christi caussa eos dereliquisset, siue quod ab ipso Paullo conuersus, baptizatus & ordinatus fuisset. Itaque Dionysius Timotheum vocauit filium, ἅτε προβεβηκὼς αὐτὸν τοῖς ἔτεσι καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ προέχων. *tanquam annis eum antegressus & philosophiá præcellens*, vt loquitur sanctus Maximus in Scholijs ad cap. secundum de cælesti hierarchia, super illis verbis: Σὺ δὲ ὦ παῖ. *Tu verò fili*: idemque sentit ad eundem locum Georgius Pachymeras. Deinde παῖς non tantùm significat *filium*, sed etiam *puerum*, & quidem prima & principali significatione, sicut υἱὸς principaliter *filium*. Hinc Christus Dominus Apostolos suos & discipulos, quos moribus similes pueris esse cupiebat, *pueros* appellabat Ioannis 21. *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Vnde etiam factum in primitiua ecclesia, vt Christiani omnes vocarentur *pueri*, ob Christianam scilicet morum simplicitatem & suauitatem; Episcopi vero alijque sacris officijs destinati, παῖδες ἱεροί, *pueri sacri*. Ita beatus Clemens Alexandrinus libro 1. Pædagogi, cap. 2. Christianos omnes puerorum nomine compellat his verbis: Ἔοικεν δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν, ὦ παῖδες ὑμεῖς, τῷ πατρὶ αὐτῷ τῷ Θεῷ. *Similis est noster Pædagogus, ô vos pueri, Patri suo Deo*. Et tamen ij ad quos scribit, nec ætate, nec iudicio pueri erant (quibus tam alta non congruissent documenta) sed morum probitate & innocentia. Hanc significationem & responsionem ad dictum Dionysij locum admittit quoque & probat S. Maximus hisce verbis: Ἢ ἐπειδὴ τοὺς κατὰ Θεὸν ἀκακίαν ἀσκήσαντας, παῖδας ἐκάλουν, ὡς καὶ Παπίας δηλοῖ βιβλίῳ πρώτῳ τῶν κυριακῶν ἐξηγήσεων, καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ παιδαγωγῷ. *Aut quoniam pueros vocabant eos, qui piam simplicitatem & innocentiam sectabantur (quemadmodum & Papias indicat libro primo Dominicarum explanationum, & Clemens Alexandrinus in Pædagogo)* hoc est, *simplices, sinceros, minimè malos*. Qualem fuisse Timotheum antiqui, vt ait Pachymeras, tradiderunt. Sic enim in sua Paraphrasi Dionysiana, ἢ τοὺς τὴν ἀκακίαν ἀσκοῦντας παῖδας ἐκάλουν, καθώς τινες παλαιοὶ ἱστοροῦσι περὶ τούτου, ὅτι τῇ ἀκακίᾳ ἐσεμνύνετο. *Aut simplicitatem exercentes, pueros appellabant, vt quidam veterum de hoc* [Timotheo] *retulerunt simplicitate ornatum fuisse*. Legi equidem sæpius & attentiùs vtramque D. Paulli ad Timotheum epistolam, si qua fortè vestigia reperire indagando possem, quibus ad ingenij indolisque eius notitiam, eadémque via ad illius nodi, quem strinxerunt aduersarij, solutionem peruenirem; inueni tandem Timotheum in sacris quidem litteris à puero versatum, sed ingenio atque animo satis pusillum ac perquam timidum, & qui onus Pontificium, si per Paullum licuisset, perlibenter deposuisset. Quare & à Paullo identidem animari atque excitari debuit, & pueri more quo modo cùm vnoquoque hominum genere conuersandum sibi esset, edoceri. Et quia profanæ Philosophiæ & extranearum litterarum rudis esset, ideóque à sæculi litteratis multum negocij ac molestiæ pateretur (quod Maximus & Pachymeras testantur) propterea & Paulli dum viueret, & eo mortuo Dionysij auxilijs indigebat. Cùm ergo Paullus sub Nerone obierit, credibile est Dionysium suos ad Timotheum libros sub consequentibus Impp. ac præsertim sub Vespasiano, Tito, & Domitiano, quorum primus annos decem, secundus duos, tertius quindecim regnauit, exarasse. Nam Galba, Otho, Vitellius, qui hos antecesserunt, non integros singuli annos exegerunt.

De timore & pusillanimitate Timothei, nonnulla in Notationibus ad vitam S. Polycarpi, cap. 7. ad finem annotaui.

Ex his denique facilè colligi potest, quàm sit probabile Timotheum à Paulli obitu ad Dionysium Areopagitam, quem & ingenio maximum, & vtraque scientia, tam sacra quàm profana eximium nosset, subsidij atque solatij caussa se conuertisse, ac pro ingenita simplicitate & modestia animi (quod etiamnū facimus, dum ad seniores atque doctiores scribimus, aut quippiam petimus) eius se filiū aut puerum appellitasse: qua proinde voce referibens ad eum Dionysius etiam vsus sit: quamuis ad eam vocem interdum nomen *sancti* aut *sanctissimi* addiderit, vt qui sciret se ad Episcopum & ad virum sanctum, tametsi iuniorem & simpliciorem scribere. Hinc & librum de ecclesiastica hierarchia sic ad eum exorditur: Ὅτι μὲν ἡ καθ᾽ ἡμᾶς ἱεραρχία παίδων ἱερῶν ἱερώτατε κ. τ. λοιπά. *Quòd nostra quidem hierarchia, ô sanctorum puerorum sanctissime. &c.* Quia verò (vt est apud Iob, *deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum*) siue quia procliue est, vt iusti & simplices facile à vanis hominibus derideantur atque contemnantur, cauit sedulò

ſedulò Paullus, vt ne in Timotheum illa caderent, partim eum laudando, partim ex ſuo & illius nomine litteras ſcribendo, partim expreſſè eius deſpectum prohibendo. Itaque epiſtolæ Paulli ad Philemonem inſcriptio cõiunctum habet Timothei nomen, hoc modo: *Paullus vinctus Christi Ieſu & Timotheus frater Philemoni dilecto &c.* In priore verò ad Corinthios cap. 16. laudat ſimul & commendat & à deſpectu tutum facit: *Si autem venerit Timotheus*, inquit, *videte, vt ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.*

Quibus in locis non poſſum, quin mirer & amem & amplectar iſtam Apoſtoli benignitatem & parandæ diſcipulo ſuo auctoritatis atque fiduciæ paternam curam ac ſollicitudinem. Quod & S. Ioãnes Chryſoſtomus in ſuis ad Paulli epiſtolas commentarijs olim eſt admiratus. Vt autem cognoſcatur quãti S. Dionyſius Timotheum (quamuis filium ob ætatẽ appellauerit) tamen propter eruditionis opinionem æſtimauerit, legantur, quæſo, quæ ſuperiùs in Dionyſij vita perſcripſi cap. XXIII. vbi eiuſdẽ S. Dionyſij modeſtia in medio ponitur. Nam ibi ea de Timotheo dicit, quæ verè digna ſunt eo, qui fuit Paulli comes & diſcipulus. Eum enim eſſe facit, qui mereatur à Deo per Angelos edoceri & quidem veriora & clariora, quàm ipſe docuerit.

8. Ratio Sculteti eſt: *Multos maiores Præceptores hinc inde nominat: cùm tempore veri Dionyſij, præter Apoſtolos, vix vnus & alter eſſet Scriptor eccleſiaſticus.*

Valde tenuis eſt hæc ratio, & telæ, quæ muſcas vix teneat, ſimilis. *Multos*, inquit: Peto, quos? aut quo modo nominet? Niſi enim *ego* (vt Ennij verbis vtar) *adiuro curámuleuaſſo*, hęrebit illi aqua. Duos ergo nominatim Præceptores ſuos laudat Dionyſius, Paullũ & Hierotheũ, alios autẽ generatim ſimilibus vtendo vocibus: *Theologi noſtri: Patres noſtri* &c. intelligit autem per Theologos, (vt in ipſius ſcriptis videre eſt) omnes qui de Deo & rebus diuinis ſcripſerunt, hoc eſt, Prophetas, Apoſtolos, & alios Scripturæ ſacræ auctores. Illi enim verè Theologi, verè Magiſtri & Præceptores noſtri: quo modo & S. Iuſtinus Philoſophus eos appellat in Apologia ad Antoninum Piũ poſt medium hic verbis: ἵνα δὲ καὶ παρὰ τῶν ἡμετέρων διδασκάλων (λέγομεν δὲ τοῦ λόγου τοῦ διὰ τῶν προφητῶν) λαβόντα τὸν Πλάτωνα μάθητε &c. *Vt autem & à noſtris magiſtris (de doctrina Prophetarum loquimur) accepiſſe Platonem intelligatis.* &c. Probat ibi Iuſtinus Moyſen antiquiorem eſſe Platone, & hunc è libris eius aliqua deſumpſiſſe, dicitque ſe per *noſtros magiſtros* intelligere *Prophetas*. Idem Iuſtinus in Apologia ad Senatum ſub medium vocat Ieſum, Magiſtrum noſtrum. Καὶ Ἰησοῦς ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος ἐδίδαξε &c. *Et Ieſus Magiſter noſter docuit.* &c. Sic Dionyſius libro de cæleſti hierarchia cap. 2. Theologos vocat Malachiam, Ioannem euãgeliſtam, Moyſen, Salomonem, Iſaiam, Oſee, Dauidem. Nam docens quomodo Theologi diuinitatem exprimant, ex iis omnibus exempla ſubijcit, & nulla ex alijs Scriptoribus inferioribus. Et cap 3. poſtquàm dixit: Ταύτας δὲ τὰς θείας ὁράσεις οἱ κλεινοὶ πατέρες ἡμῶν ἐμυήθησαν διὰ μέσων τῶν οὐρανίων δυνάμεων. *Has autem diuinas viſiones clari illi Patres noſtri à cæleſtibus virtutibus edocti ſunt*, ne Sculterus dicat nullos fuiſſe tum claros Patres; qui ſint illi quos intelligat, è ſubiectis exemplis oſtẽdit, nempè dum Moyſen, Lucam, Matthæum, Iſaiam, probationis cauſſa producit. Vide Dionyſium ibidem cap. 5. initio, & cap. 7. poſt medium, vbi in Theologorum numero Dauidem, Iſaiam, Ezechielem recenſet, itemque cap. 8. Et quia tam effrons eſt Sculterus, vt ea negare poſſit, niſi expreſsè dicat Auctor: *Ezechiel Theologus, Zacharias Theologus*, & ita de alijs; age, & illum ſic conuincamus. Igitur cap. 8. cæleſtis hierarchiæ, ita Dionyſius: Ὁρᾷ τῶν θεολόγων εἷς ὁ Ζαχαρίας ἕνα τῶν πρώτων, ὡς οἶμαι, καὶ περὶ θεὸν ἀγγέλων. *Videt Zacharias Theologorum vnus vnum è primis, vt puto, & Deum circumſtantibus Angelis.* Et paullo pòſt: Ἕτερος δὲ τῶν θεολόγων Ἰεζεκιὴλ *Ezechiel verò alius Theologorum* &c. Vide ibi & ſequentibus capitibus plura. Sic *Theologia* ab eodem Dionyſio paſſim vſurpatur pro *ſacra Scriptura*: vt cap. 2. De diuinis nominibus, initio: Καὶ τί γὰρ ἄλλο μαθεῖν ἐστὶν ἐκ τῆς ἱερᾶς θεολογίας, ὁπότ' ἄν φησὶ τὴν θεαρχίαν αὐτὴν ὑφηγημένην εἰπεῖν· τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ μόνος ὁ θεός. *Ecquid enim è ſacra Theologia diſcere licet aliud, cùm ait diuinitatem ipſam docentem dixiſſe: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Quamuis igitur Dionyſius alios nullos habuiſſet Præceptores, niſi Hierotheum & Paullum Apoſtolum; tamen de ceteris Scriptoribus ſacris ſeu veteris ſeu noui teſtamenti dicere optimo iure poterat: *Præceptores noſtri, Patres noſtri, maiores noſtri, Theologi noſtri* &c. Ex quo vaniſſima oſtenditur octaua Sculteti obiectio. Ad alias procedamus.

9. Eſt talis: *Citat ſententiam Ignatij moriturì ſub Traiano*, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *At Methodius Dionyſium regnante Domitiano occiſum eſſe ſcribit.*

Sic ille: cui ſufficere poſſet hæc reſponſio: *Ait Ado Viennenſis Archiepiſcopus Hadriani temporibus Dionyſium martyrio affectum ſcribit.*

Vt enim ille vno teſte probat, ſic ego vno teſte reprobo. Iam ſumus ergo pares.

Verùm pleniſſimè huic de Ignatij ſententia obiectioni iam reſpondimus in hac ipſa quæſtione ſuprà.

10. Ratio, siue decumana impudētia Sculteti est eiusmodi: *Errat* (inquit de S. Dionysio) *manifestè, quòd docet oleo defunctos perfundendos & vngendos: monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem: Vnguentum baptismo* ὁμοταγὲς *esse, inuentum scilicet hominis, sacramento Christi.* Ita ille Pythagoræo more dicens & non probans. Cui ego eodem more si respondero, & tria illa quæ intulit, sola negatione reiecero, quid indignum tali argumentatore fecero? Sed in aliorum gratiam plus dicemus, & ibimus per puncta singula. Primò igitur pro eo, quod dicit de sanctissimo & doctissimo viro, & quidem de scribente certissima: *Errat manifestè.* reponendum censeo. *Errat Scultetus & delirat manifestissimè*. Liceat enim Sanctorum amatori in conuitiatores Sanctorum sic loqui. Nam scripsit S. Dionysius, quod suo tempore circa defunctos tā à se, quàm ab alijs fieri videbat: & quidē cur id fieret, hāc attulit optimam & bonis omnibus acceptissimā rationem: *nimirum significari eum, qui vngitur, legitimè certasse & certando excessisse*. Scultetus autem pro audaci sua & impudenti contradictione quid adfert? ne id quidem, *quod pueri clamitant se in faba reperisse.* Legant autem, velim, Christiani cærimonias à Dionysio de exequijs mortuorum productas libro de ecclesiastica hierarchia, cap. 7. & earum mirabuntur antiquitatem iuxtà & sanctitatem sapientiæ plenissimam. Secundum reprehensionis Sculteti pnnctum est, Dionysium docere *monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem*. Contra quam doctrinam nihil rursus aliud adfert, quàm illa duo verba: *Errat manifestè.* cùm ipsemet interim mentiatur multò manifestissimè. Nam in primis non docet Dionysius monachatum vllo ministerio esse excellentiorem, nec est in eo verbum vllum, quod hoc sonet: immo ponit monachatum extra ordinem omnium ministrorum & omnium sacrorum ordinum. Tres enim ponit sacros ordines Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum, qui & initiantes seu sacra tractantes appellantur: inter quos nulla monachorum mentio: quippe qui nihil sacris in rebus officij habeant, ac proinde earum ministris seu administratoribus omnibus inferiores sunt. Deinde eos qui initiantur tantùm, nec initiant, hoc est, laicos omnes ad ecclesiam pertinentes in tres classes partitur:

In eos, qui à sacrificijs excluduntur.

In eos qui illorum sunt participes & communem vitam degunt.

In eos qui maiorem perfectionem profitentur, hoc est, Monachos.

Quæ partitio reperietur in libro de ecclesiastica hierarchia, cap. 6. vbi etiam docet Dionysius primam classem, (quæ est rudiorum & imperfectiorum) spectare ad curam Diaconorum seu Ministrorum, qui λειτουργοὶ appellantur: quorum est illos erudire & purgare: secundam verò, quæ est mediorum; & tertiam quæ est Monachorum, siue Cultorum, ad Sacerdotis munus pertinere. Eius enim est & communē plebem seu fideles iam baptizatos & viam coniugij iam currentes docere & illuminare: & monachos vitam singularem & exactam castimoniam profitentes Deo consecrare. Quid igitur sibi Scultetus voluit, cū mentitus est Dionysiū docuisse monachatum esse ministerio excellentiorem? an fortè Caluini minister ad suum ministerium respexit, atque ad conciliandam Dionysio inuidiam, finxit eum præferre Monachos Ministris? Atqui tales Ministros Areopagita penitus nesciuit; atque etiam, si tales fortassis mille & quadringentis post se annis venturos præuidisset, haud grande tamen peccatum admisisset, si Monachis, non dico ijs, qui nunc sunt, sed illis etiam qui tunc erant & nihil sacri ordinis gerebant, postposuisset. Verùm nihil tale de Ministris locutus est Dionysius: apud quem Ministri appellantur, qui nunc vulgò Diaconi, sed illis Monachos postponit: quos, vt antè notaui, in solis laicis velut classem præcipuam docet excellere. Et hęc, opinor, sufficiunt ad detegendam hominis effrontis meretriciam impudentiā. Nam de monachis agam infrà fusiùs, & ostendam, quantum sit inter illos de quibus egit Dionysius, & eos qui posterioribus sæculis fuerunt & nunc sunt, discrimen; simulque ex eo discrimine argumentum sumam fortissimum pro libris Dionysij. Nunc enim certum est confundendo insistere Sculteto. Tertiūm igitur decimæ rationis ab eo allatæ membrum erat, *manifestè errare Dionysium, quod doceret vnguentum baptismo* ὁμοταγὲς *esse, inuentum scilicet hominis sacramento Christi.* Quid hîc respondeam? Non dicit ipse, vbinam hoc Dionysius doceat? non profert verba: non vrget illa: non conatur certam aut saltem aliquo modo probabilem deducere ex illis sequelam: ita vt inuerecundè abutatur & suorum simplicitate, quos sibi, vt Pythagorę, vult credere, & doctorum virorum, quibus ad loca perquirenda non est ocium, nimia patientiā. Perquisiui ego si fortè reperirem Dionysium alicubi dicentem τὸ μύρον τῷ βαπτίσματος ὁμοταγὲς *vnguentum eiusdem esse aut similis cum baptismate ordinis aut dignitatis,* nusquam reperi, nec illa vox ὁμοταγὲς, in comparatione vnguenti cum baptismo, vsquam à Dionysio est vsurpata: sed bene cùm de Eucharistia egit, & ab illa ad vnguenti confectionem transit (quod facit capite 4. de ecclesiastica hierarchia initio) ita scribit: Ἀλλ' ἔστι ταύτης ὁμοταγὴς ἱερὰ τελεσιουργία· μύρου τελετὴν αὐτὴν οἱ

καθη-

καθηγεμόνες ἡμῶν ὀνομάζουσι. Sed illi [sanctissimę synaxi] *eiusdem ordinis finitima est altera sacra operatio: Vnguenti sacramentum eam vocant Duces nostri.*

Dicit autem esse eiusdem ordinis, nō quòd sit idem sacramentum (apertè enim distinguit, & ab vno se dicit transire ad aliud) sed quod hæc vnguenti confectio etiam spectet ad Pontificem seu Episcopum: & quòd eius confectioni non intersint, nisi ij, quibus etiā confectioni synaxeos licet interesse: ac proptereà excludantur Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes. Quæ duo expressè docet in eodem ipso cap. 4. partim in ipsa ritus vnguēti descriptione, partim in subiecta contēplatione. Verba Dionysij sunt hęc: *Κατὰ τὸν αὐτὸν τῆς συνάξεως τρόπον αἱ τῶν ἀτελειωτέρων ἀπολύονται τάξεις. Ad eundem modum, quo in Synaxi, ordines imperfectorum dimittuntur* [in cōfectione vnguenti scilicet] Deinde paullo inferiùs de Pontificis munere ita subdit: *Εἶτα τὸ μύρον ὁ ἱεράρχης λαβὼν ἐπιτίθησι τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ.* &c. *Deinde Pontifex sumptum oleum sancto imponit altari.* Similia rursus habet in Contemplationis progressu, vbi & rursus vocem *ὁμοταγὴς* vsurpat, ita de eadem vnguenti confectione scribens: *Διὸ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν, ὡς ὁμοταγῆ καὶ ταὐτουργὸν τῇ τῆς συνάξεως ἱερᾷ τελεστηρίῳ ταῖς αὐταῖς εἰκόσιν, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ μυστικαῖς διακοσμήσεσι καὶ ἱερολογίαις διετάξαντο. Atque illam diuini Duces nostri velut eiusdem ordinis & efficacitatis cum sancto synaxeos sacramento, ijsdem, vt plurimum, imaginibus & mysticis descriptionibus & sacris locutionibus ordinauerunt.* id est, fieri constituerunt. Quæ verba Sculteus, si non tam socors & vęcors fuisset, longè plus contra nos facere vidisset, quàm ea quæ attulit. Vt enim apud nos pluris est Eucharistia, quàm Baptismus: ita pluris erat Vnguentum conferre cum Eucharistia (quod facit Dionysius) quàm cum Baptismo. Verùm peruersę fidei homo & à veritate alienissimus nec illam veritatem vidit, & familiare sibi mendacium sine labore inuenit. Alioqui clamare & vociferari poterat: Ecce qui Iesum Christum in Eucharistia præsentissimū dicunt, quò deuenerint? Vnguentum opus hominis, *ὁμοταγὲς* Christo faciunt. Ecce hic ipsorum Auctor non *ὁμοταγὲς* modò, sed etiā *ταὐτουργὸν* sacræ synaxi vnguentū facit. Quòd si *ταὐτουργὸν*, id est, eiusdē efficacitatis, seu idē efficiens, ergo vnguentum perinde ac synaxis Christum efficit. Potuisset, inquam, homo ille & secundum sectam suam debuisset vocem illam *ταὐτουργὸν* contra Catholicos pro suis Caluinistis allegare, vrgere, inculcare potiùs quàm suū *ὁμοταγὲς*, quod ideò fortè neglexit interpretari, vt plus in ea latere mysterij homines putarent, quàm re vera sit. Nam si tantùm hoc voluit, quod in baptismi sacramento inter alias cærimonias etiam vnguentum adhibetur, quid hoc magni est? Nec enim vel Dionysius vel Catholici propterea iniuriam baptismo inferunt, sed honorem potiùs ac venerationem afferunt. Nam eò spectant cærimoniæ rebus additę, vt res ipsæ pluris fiant, magisque honorentur. Nec enim dicimus aut sine illis baptismum inefficacem esse, aut illas eandem cum baptismo vim habere (Absit hęc à nobis cogitatio. Inuentum enim hominis, Dei constitutioni par nō est) sed dicimus propter mysticas significationes tam vnguentum quàm alias quasdam cærimonias rectè ac meritò quibusdam sacramentis adhiberi. Quas quidem significationes non existimo vllum bene compositæ mentis ac firmi cōstantisque iudicij (si illas aut in ipso Dionysio, aut hic suprà in Documentis, quæ ex illo ad maiorem claritatem eduximus, legerit) posse vllo modo improbare: immo & admiraturum potiùs atque permagni facturum mihi prorsus persuadeo. Sed ne vox illa *ταὐτουργὸν* non explicata, erroris cuipiam ansa sit, non eam vim habet, vt dicat id omne ab vnguenti sacramento effici, quod ab Eucharistia (sic enim non diuersum, sed idē esset sacramentum) verùm quòd similes gratias conferat, quòd animum illuminet, roboret, ad cęlestium cogitationem, amorem, desiderium exsuscitet.

II. ratio Sculteti: *Libro ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. precepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta. Non sunt igitur Apostolica.* Sic ille.

Atqui hoc iam non quæritur, An illa Scripta sint Apostolica néc ne, sed vtrum illa Scripta (qualiacunque sint) Dionysij sint, an cuiuslibet alterius? nam & tu, ô homo plene fallacia & dolo, hanc quæstionē post recensitos Dionysij libros sic proposuisti: *An libri recensiti sint Dionysij Areopagitæ?* non verò illam: *An Scripta eius sint Apostolica?* Cur ergo aliud infers, quàm quæris? Deinde quin aliquid concludis quod clarum sit & ambigui expers? Nam vox *Apostolica* ibi est ambigua: & quidem si in prima & propria significatione capis, vt scilicet scripta Apostolica appellentur, quę ab aliquo Apostolorum scripta sunt, nugas agis, dum refutas, quod nemo dicit. Hactenus enim fuit nullus, qui illa scripta Apostolorum cuipiam tribueret. Sin ea vocas scripta Apostolica, quæ Apostolorum scripta sint ætate, iniuriam facis Apostolis, cùm & ipsorum ætate nōnulla scripta sint ab hæreticis (contra quos suum Ioannes scripsit Euangelium) quæ sic dici possent & deberēt Apostolica. Quid igitur tandem vocas Apostolica? An scripta stilo Apostolico? non audebis hoc dicere, ne videare bis cramben eandem obtrudere. Nam si de stilo hic agis, prorsus actū agis, & quod prima ratione proposuisti, reponis vndecima. Prima enim tua ratio fuit de stilo partim Apostolico, quam & nos refutauimus. Sin hoc fortè vis dicere (es enim adiuuandus) non esse scripta spiritu Apostolico, hoc est, fidei & salutis animarum & perfectionis ecclesiæ

clesiæ cupido (hoc enimipsum est, opinor, quod intendis, si quid nouũ intendis) at neque sic aliud quicquam, nisi crassum & impudens mendacium effutis. Spirant enim certè ea scripta meram fidei & salutis animarum, & perfectionis ecclesiæ ambrosiam. Id quod viri doctissimi iuxtà & sanctissimi, & qui incorruptum virtutis gustum habebant, amplissimè sunt contestati. Veruntamen quomodo probas non esse in ijs scriptis spiritum Apostolicum? *Quia*, inquis, *præcepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta.*

Immo verò spiritus ibi Apostolicus elucet, dum sic Timotheum admonet, vt ne cum Gentilibus & alijs nullo adhuc sacramento initiatis, fidei nostræ altissima mysteria communicet, sed cũ solis Christianis, & quidẽ illustratis, hoc est, baptizatis. Quia scilicet vt rectè S. Maximus, οὐ δεῖ τὰ ἅγια τοῖς βεβήλοις ἐκφαίνειν, οὐδὲ τοὺς μαργαρίτας τοῖς χοίροις ῥίπτειν: *Non oportet sancta profanis ostendere, neque margaritas porcis proijcere.* Quid? an hoc euangelio & spiritui Apostolico non est conforme? Atqui ipse Christus Dominus Matthęi 7. versu 6. dicit: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Et sanè ita futurum credebat Dionysius, vt si Gẽtiles aut parum in fide fundati abdita ecclesiæ nostræ mysteria legerent, ipsi ea tanquam vilia & despicabilia pedibus conculcarent, hoc est, contemnerent & irriderent, & in Scriptores ipsos atque in talium doctores insurgerent, ac, si possent, etiam dirumperent. Quare haud vna præmonitione contentus, quam initio libri de ecclesiastica hierarchia adhibuerat, etiam capite secundo aggressurus sacri baptismatis cærimonias, productis in medium argumentis & exemplis, ab earum conspectu profanos arcet. Sic enim scribit: Ἑξῆς δὲ τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύσωμεν σύμβολα. Καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω. Καὶ γὰρ οὐδὲ ταῖς ἡλιοτεύκτοις αὐγαῖς ἐν ἀσθενέσι κόραις ἀντωπεῖν ἀκίνδυνον. οὐδὲ τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐγχειρεῖν ἀβλαβές. *Deinceps verò diuina ex-Deo-generationis symbola inspiciamus. Et nemo mihi ad spectandum non initiatus accedat. Nam vt imbecillibus oculis radios solis ex aduerso intueri non caret periculo: sic altiora nobis aggredi non vacat damno.* Quod etiam exemplis è Scriptura sacra prolatis probat, quæ videri illic possunt.

Eadem porrò, qua Dionysius, cautione vsus est beatus Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum, qui in hoc quoque Dionysium est imitatus, quòd libros suos sponte & de industria obscuriùs scripserit, & celare semina cognitionis, vt idem ipse loquitur, voluerit, & nouis interdum vocibus vsus sit: quo nimirum & laboriosiùs (vt in venatione) inuenta veritas esset dulcior & gratior: & ab hominum petulantium, qui sancta non capiunt, ludibrio & cauillis remotior atque securior. Nec pigebit paucula Clementis verba indidem laudare, & quasi digitum, quod aiũt, ad fontem intendere. Ea sic habent: Σιωπῶ γὰρ, ὅτι οἱ Στρωματεῖς τῇ πολυμαθείᾳ σωματοποιούμενοι κρύπτειν ἐντέχνως τὰ τῆς γνώσεως βούλονται σπέρματα. *Taceo enim, quòd hi Stromatum libri è doctrina multiplice vnum in corpus coagmẽtati celare artificiosè velint cognitionis semina.* Et paullo inferiùs: τί δήποτ' οὖν ὧδε διατετάχθαι φίλον ἔδοξεν εἶναι τοῖς ὑπομνήμασιν; ὅτι μέγας ὁ κίνδυνος τὸν ἀπόρρητον ὡς ἀληθῶς τῆς ὄντως φιλοσοφίας λόγον ἐξορχήσασθαι τοῖς ἀφειδῶς πάντα μὲν ἀντιλέγειν ἐθέλουσιν, οὐκ ἐν δίκῃ, πάντα δὲ ὀνόματα καὶ ῥήματα ἀπορρίπτουσιν οὐδαμῶς κοσμίως, αὐτούς τε ἀπατῶντες, καὶ τοῖς ἐχομένοις αὐτῶν γοητεύοντες. &c. *Qua de caussa igitur istos ita visum est componere commentarios? Quia magnum periculum est, hunc sanè quàm arcanum veræ philosophiæ sermonem ijs enunciare, qui imparcè quidem volunt omnibus contradicere, idq; immeritò; cuncta verò & nomina & verba haudquaquam decenter proijcere, & fallentes semetipsos, & sectatoribus suis illudentes:* Vide ibi plura.

Vocat ibi *veram philosophiam*, (sicut & alij SS. Patres Græci) *doctrinam Christianam*: & *arcanam veræ philosophiæ sermonem appellat fidei nostræ mysteria*: quæ Dionysius appellauit τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, *sancta sanctorum*, initio libri de ecclesi. hier. ca. 1. vbi sic ad S. Timotheum: ἀλλ' ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. &c. *Sed vide, vt ne enuncies sancta sanctorum.* Vbi notandum ambos eadem voce ἐξορχεῖσθαι, id est, *tacenda enunciare*, vsos esse Dionysium & Clem entem, vt hic videre est.

Idem porrò ipsum, quod in Dionysio reprehendit Scultetus, approbarũt mille & ducentis, priusquam ipse natus esset, annis, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Basilius, S. Ambrosius, & alij. Nam eorum primus ante suas Catecheses non modò eandem præmisit de libris suis cautionem, sed etiam, si fortè quipiam illos exscriberent, ipsam quoque vt exscriberent cautionem, seriò commonuit. Hæc sunt eius verba: Τὰς τῶν φωτιζομένων κατηχήσεις τοῖς μὲν τῷ βαπτίσματι προσερχομένοις, καὶ τοῖς τὸ λουτρὸν ἔχουσιν ἤδη πιστοῖς, εἰς ἀνάγνωσιν παρεχόμενος, μὴ δὸς τὸ σύνολον μήτε κατηχουμένοις, μήτε ἄλλοις ποὶ τοῖς μὴ οὖσι χριστιανοῖς. Ἐπεὶ τῷ κυρίῳ λόγον δώσεις. Καὶ ἐὰν ποιῇς ἀντίγραφον, ὡς ἐπὶ κυρίου ταῦτα πρόγραφον. *Catecheses istas eorum qui illuminantur, accedentibus quidem ad baptismum, & ijs qui iam baptizati sunt fidelibus, legendas exhibens, nullo modo communices cum Catechumenis, neque cum vllis alijs nondum Christianis. Nam alioqui rationem Domino reddes. Et quidem si transcribas, hæc ipsa, vt in autographo, præpones.*

Locus autem Basilij libro de Spiritu sancto cap. 27. est longè pulcherrimus: quem, quòd & alia nonnulla de baptismi cęrimonijs attingat, integrum apponam, sed breuitatis caussa latinè tantùm, tametsi & græca habeam ad manum,

manum, quæ sic verti: *Benedicimus autem & aquam baptismatis, & oleum vnctionis, & eum præterea qui baptizatur: e quibus scriptis? Nonne à tacita & occulta traditione? Ipsam porrò olei vnctionem quis sermo scriptus edocuit? Et hominem ter immergi, vnde sumptum? Alia item omnia, quæ circa baptismum fiunt, vt abrenunciare Satanæ & angelis eius, è qua Scriptura sunt? Nonne ex illa minimè euulgata & arcana doctrina, quam in quieto & nequaquam curioso silentio illi Patres nostri veneranda mysteria conseruare edocti custodierunt? Aut quid magnus ille Moyses sibi volebat, cùm profanos quidem extra sacros cancellos statueret, prima verò atria purioribus permittens, solos Leuitas dignos Dei cultores indicaret; mactationes porrò & holocautomata & reliquum ministerium Sacerdotibus assignaret; vnum è cunctis electum in adyta admitteret, ac ne id quidem semper, sed vnico tantum die quotannis, & illius quoque diei statam horam, qua illi fas ingredi esset, præscriberet? nempe vt propter nouitatem & insuetudinem admiratione tactus Sancta sanctorum inspiceret. Probè enim sciebat, pro ea qua pollebat sapientia, id quod tritum & captu facile est, promptum item esse contemni: id autem quod reductum est & rarum, naturaliter quodammodo, magni fieri & studiosè perquiri. Eodem igitur modo, qui certos ecclesiarum ritus ab initio perscripserunt Apostoli & Patres, occultatione & silentio suam mysterijs dignitatem seruauerunt. Neque enim omnino est mysterium, id quod in populi & vulgi aures effertur. Atque hæc est ratio traditionis illorum, quæ scripto non sunt prodita: vt ne scilicet dogmatum exercita cognitio propter consuetudinem vulgo fieret despicabilis. Nam aliud est dogma, aliud prædicatio. Dogmata enim silentur, prædicationes publicantur. Est autem & quædam silentij species ipsa Scripturæ obscuritas, sententiam dogmatum intellectu difficilem reddens, idque ad legentium vtilitatem.* Hactenus ille magnus Basilius, longè sanè aliter, quàm vilis Scultetus, ratiocinās, longè profectò meliùs quàm Minister Caluinista, sapiens. Nam duo probat, quæ Dionysius in suis libris obseruauit: Vnum, ne mysteria euulgaret: alterum, vt stili obscuritate illa communiret. Non opus est quidem in re tam clara, tā testata, pluribus testimonijs: aliquod tamen è Latinis, ne fortè desideretur, hic subijcio: nempe S. Ambrosij, è libro *De ijs qui mysterijs initiantur*, cap. 1. *Nunc de mysterijs*, inquit, *tempus dicere admonet, atque ipsorum sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandum nondum initiatis, prodidisse potius, quàm edidisse æstimaremur.*

Huc etiam facit (quod penè præterieram) Septuaginta interpretum in vertendis ex Hebræo Prophetis affectata, Hieronymo teste, obscuritas. Nam epistola CXVII. *Vnde coniicio*, inquit, *noluisse tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei suæ sacramenta perspicue Ethnicis prodere, ne sanctum canibus & margaritas porcis darent. Quæ, cùm hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita.* Ita Hieronymus.

Et ante hos omnes egregiè Origenes homilia 1. In Ezechielem, *Confiteor*, inquit, *libenter à sapiente fideli viro dictam sententiam, quam sæpè suspicio:* DE DEO ETIAM VERA DICERE PERICVLVM EST. *Neque enim ea tantùm periculosa sunt, quæ falsa de eo dicuntur, sed etiam quæ vera sunt, & non opportunè proferuntur, dicenti periculum creāt. Margarita vera est.* &c. Et quia ratio ipsa naturalis docet, quemadmodum non omnes omnium sunt capaces, ita nec omnibus ingenijs omnia scriptorum genera esse committenda aut permittenda (futura alioqui non paucis fraudi, non emolumento) hinc & Profani Philosophi, intérque illos Plato & Porphyrius & alij dogmata veritatis abstrusiora, vel mysteria magis recondita in vulgus efferri haud imprudenter vetuerūt. Quare Scultetus in eo, quod Dionysium reprehēdit, manifestè & contra rationem, & contra omnem philosophiam, & contra sacram Scripturam facere conuincitur. Ac si argumentū quidē eius valeret, sequeretur nonnulla quoque S. Paulli dicta; ea nimirum, quę eidem Timotheo cum solis doctis communicanda tradidit, non esse, aut parum certè esse Apostolica, *Quæ audisti*, inquit, *à me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* 2. ad Timot. 2. ver. 2.

12. Et postrema Sculteti ratio est ista: *Postremò*, inquit, *prodit se satis manifestè in fine hierarchiæ ecclesiasticæ, vbi inquit: Sancti Præceptores nostri ex pristina traditione edocti ad nos deriuarūt.*

Et hæc quoque ratio valde oscitanter ab eo producta est. Debuisset enim Scultetus, & qua de re ibi sermo esset, aperire, & quo modo verba Dionysij aliter explicari nō possent, ostendere: ac denique quàm certò, id quod vellet, concluderetur, commonstrare. Quorū homo socors nihil fecit. Agit ergo ibi Dionysius de baptismo paruulorum, docétque traditione Apostolorum licere paruulos baptizare. Nec enim dubium, quin circumcisione iam ablata & abolita quæsitum fuerit ab Apostolis, quid pueris atque infantibus (vt solent multi in tenella illa & rudi ætate intermori) ad salutem facto opus esset? baptismúsne illis adhibendus, & quo modo? respondisse autem Apostolos & tradidisse, (vti docet Dionysius) illos esse baptizandos, maximè in mortis periculo. Ista autem traditio vocata est ab Auctore nostro ἀρχαῖα παράδοσις, hoc est, *prima seu primigenia traditio*. Nam cùm ἀρχαῖος plura significet; eius significationes pro subiecta materia capiendæ sunt. Inter alia verò (quod vel è lexicis addisci potest) sicut ἀρχὴ *principium* ita ἀρχαῖον *primum* significat, nō modo vetus aut antiquum. Potest enim aliquid esse primum, nec tamen vetus aut antiquum: & item antiquum & non esse primum. Verba igitur Dionysij de baptismo paruulorum

lorum loquentis sunt ista: Περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς προήγαγον. *De illo hæc dicimus, quæ diuini initiatores nostri à prima edocti traditione ad nos prouexerunt.*

Ista porrò verba θεοειδεῖς ἱεροτελεσταὶ *Deiformes seu diuini initiatores*: & quæ paullo inferiùs θεῖοι καθηγεμόνες *diuini duces* nullis meliùs competunt quàm Apostolis, ac propterea de illis interpretatus est S. Maximus in Scholijs ad hunc locum. Possent tamen etiam intelligi de S. Hierotheo (qui etiam Dionysij præceptor fuit) & de alijs Hierothei æqualibus, seu etiam de euangelistis Luca & Marco, aut de aliquibus è numero 72. discipulorum, è quibus citat Dionysius S. Iustum cap. XI. *De Diuinis nominibus*. Vnde & S. Maximus B. Dionysij colligit antiquitatem.

Si igitur per illos diuinos duces & initiatores intelligantur Hierotheus, Iustus, Antipas, & similes, rectissimè dicentur illi à prima traditione edocti, hoc est, à traditione Apostolorum, nec opus erit ad Christum vsque recurrere. Sin ipsi intelligantur Apostoli, tum edocti dicētur à prima traditione, hoc est, à Christo, qui ipsos post resurrectionem suam, vt de multis alijs, sic & de baptismo plenè edocuerit. Nam traditio non de rebus tantùm antiquis dicitur, sed etiam de nouis: ita vt noua Christi præcepta & documenta Apostolis tradita, illo etiam ipso tempore quo tradebantur, rectè vocarentur traditiones. Vnde & Paullus 2. ad Thessalonicenses 2. versu 14. *Itaque fratres*, inquit, *state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Quæ quidem traditiones non poterant esse tam antiquæ, quàm illæ, de quibus loquebatur Dionysius.

Hactenus de Sculteti obiectionibus. Nunc ad alia quædam quæ ab alijs opponuntur aut opponi possunt, nonnihil attendamus.

Dicunt ergo nonnulli parum probabile videri, tempore S. Dionysij Areopagitæ, qui conuixit Apostolis, tantam fuisse cærimoniarum in ecclesia multitudinem, quanta ab auctore horum librorum adducitur.

Quibus ego respondeo, non satis videri ab illis examinatum esse atque perpensum, neque numerum earum cærimoniarum, neque qualitatem: immo nec Apostolorum circa illas officij debitum atque curam. Nam ad eos certè spectauit abolitis veteribus sacrificijs atque ritibus & cærimonijs, alia sacrificia, ritus & cærimonias vel à Christo instituta procurare vt fierent, vel suæ relicta dispositioni, præsertim quòd ad ritus cærimoniasque attinet, instituere. Nec enim tam bene constare, tantique fieri res sacras absque cærimonijs quàm cum illis tam ex ipso vetere testamento quàm ex Spiritus sancti vnctione, (qui ipsos omnia docuit) probè didicerant. Et de earum multitudine quid frustra & immeritò arguimur? cùm numero ferè innumero plures in veteri lege per vnum Moysen, quàm in noua per duodecim quatuordecimue Apostolos constitutæ sint. Neque tamen illum tam familiariter cum Angelo versatum esse crediderim, quàm hos cum Christo: neque tanta itenr Spiritus sancti gratia, quàm eosdem, fuisse perfusum.

Adde porrò eas cærimonias, quæ à Dionysio descriptæ sunt, esse numero perpaucas, & aliquorum duntaxat sacramentorum, nō omnium, & eas quidem vt illis initijs, perbreues & perfaciles: vt Venerabilis Eucharistiæ & sacrorum ordinum: quibus non paucæ postmodum à varijs Pontificibus seu Episcopis diuersorum locorum additæ sunt: quemadmodum in pluribus SS. Antistitum Liturgijs & Ritualibus libris videre est.

Denique omnes à Dionysio recensitos ritus (nam contemplationes siue eorum explicationes ab ijs secernendæ sunt) facilè vel vno foliolo comprehenderis. Quod suprà in documentis nostris promptum est cernere. Nam baptismi quidem ritus duas duntaxat pagellas implent; Eucharistiæ verò, vnicam: Vnctionis autem, vix ac ne vix quidem mediam: Trium porrò ordinum Episcopi, Sacerdotis, & Diaconi, mediam tantum. Consecrationis Monachi, nihilo plus. Ritus exequiarum tantundem: ita vt quinque pagellis omnes à Dionysio prolatas cærimonias, de quarum interim multitudine tot passim iactantur conuicia, nullo negocio concluseris. Nec enim alias aut cærimonias aut ritus, præter ea quæ cōmemoraui, liber ille Dionysij continet. Atque vt ad ipsarum qualitatem cærimoniarum veniamus, atque à baptismo ordiamur; earum quidem sanè, quæ præ alijs recentes videri possent, antiquissimi Patres meminerunt: nempè abrenunciationis, exorcizationis, exsufflationis, vnctionis, & pro infantibus etiam sponsionis. Hæc enim ferè sunt, quæ hæretici contemnunt, irrident, cauillantur: & quibus probatis, velint, nolint, caussa cadunt. Audiatur ergo Tertullianus, quid de abrenūciatione & de quibusdam alijs baptismi referat cærimonijs. Libro De corona militis, cap. 3. *Denique*, inquit, *vt à baptismate ingrediar: Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto priùs, in ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quàm Dominus in euangelio determinauit: inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus* &c. Audiatur & Origenes homilia 12. in Numeros: *Recordetur*, inquit, *vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid renunciauerit diabolo, non se vsurum pompis eius, neque operibus eius, &c.*

Si plures libet audire, adeantur isti, Cyrillus

lus Hierosolymitanus catechesi mystagogica prima, Basilius magnus libro de Spiritu sancto, cap.27. Ambrosius, libro 1. de sacramentis, cap.2.& l.2.c.7. Chrysostomus, homil. 21. ad populum Antiochenũ. Hieronymus in cap. 6. Amos. Augustinus lib.1. de symbolo ad Catechumenos c.1.& alij.

Quia verò B. Cyrilli verba doctrinæ & verbis S. Dionysij Areopagitæ admodum sunt conformia, non pigebit illa hic referre. Sic igitur habent: Εἰσήειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε τῷ Σατανᾷ. *Primò ingressi estis in porticum domus baptistery, & stantes versus occidentem audistis & iussi estis manum extendere, & tanquam præsenti abrenunciare Satanæ.* Vide ibi plura de verbis abrenunciationis, & de conuersione ad ortum, & pronunciatione symboli, & alijs, quæ omnia doctrinam S. Dionysij veram & Apostolicam confirmant.

De exorcizatione & exsufflatione, quæ pariter & iunctim procedunt, eadem est ratio, idem SS. Patrum sensus, idem iudicium. Vide eundem Cyrillum in Procatechesi siue Præfatione ante Catecheses, & priorem illo S. Cyprianum epist. 76. ad Magnum, de baptizandis Nouatianis, sub finem, & Nazianzenum oratione, *In sanctum lauacrum*, & pro multis vide S. Augustinum libro 6. contra Iulianum, cap.5. *Ecclesia*, inquit, *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mũdi & à paruulis eycitur foras, contradicere voluisses.* Qua sententia etiam Scultetus sanè iudicatur exsufflandus.

Vide eundem Augustinum libro 2. ad Valerium cap.17. sed præcipuè cap.29. vbi exorcizandi & exsufflandi cærimonias docet esse in ecclesia antiquissimas: *Neque enim*, inquit, *ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in ecclesia Dei, paruuli baptizandi exorcisari & exsufflari.* quasi dicat, sed multis retrò sęculis, cùm prima origo nisi ex Apostolica traditione ostendi possit. Et paullo inferiùs ibidem post citatum Cyprianum & Ambrosium sic ait: *Hos iste audeat dicere Manichæos, & antiquissimam ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, & vt dixi, exsufflantur paruuli, vt in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & Angelorum eius eruti transferantur.*

Iam de vnctione in baptismo multi quoque veterum Patrum meminerunt: è Græcis quidem S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 2. & 3. Chrysostomus homil.6. in epist ad Colossenses & alij. E latinis autem Tertullianus lib. de baptismo cap. 7. Ambrosius lib.1. de Sacramentis cap. 2. Augustinus serm.206. De tempore, & alij.

Verba Cyrilli: Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. *Deinde exuti, oleo peruncti estis exorcizato, à summis capitis capillis, vsque ad ima.*

Verba Chrysostomi: Ἀλείφεται, ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ εἰς στάδιον ἐμβησόμενοι. *Vngitur, vt athletæ stadium ingressuri.* Et paullo pòst addit baptizandum, aliter quàm olim Sacerdotes, vngi: eò quod baptizandus vngatur per totum corpus; illi autem tantùm in capite, & aure dextera, & manu.

Tertulliani verba: *Exinde digressi de lauacro perungimur benedicta vnctione de pristina disciplina, qua vngui oleo de cornu in Sacerdotium solebant.*

Alia testimonia omitto, vt quæ cunctis in promptu. De Sponsoribus autem idem Tertull. libro iam citato cap.18. *Itaque*, inquit, *pro cuiusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi vtilior est: præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli.* id est, cùm tanta non sit necessitas accelerandi paruulorum baptismum, & is differri possit, nullo scilicet vrgente mortis periculo, quid necesse est eorum sponsores seu susceptores periculo obijci, ne cùm pro illis spoponderint, fidem non seruent nec eos, vt promiserunt, instituant, curámque salutis ipsorum gerant?

Post baptismi ritus in medio positos & mysticè declaratos aggreditur Dionysius cap. 3. ad ritus Eucharistię seu sacrificij. Quos ego totos superiùs in Documentis proposui. Sunt autem nec multi, nec ab illo æuo alieni: cùm & ab alijs antiquissimis Patribus eorum fiat mentio, vt iam antea vsitatorum, non autem vt recentissimè vsurpatorum. Vixit S. Iustinus Philosophus & martyr secundo Christi sæculo, & istorum rituum in Apologia ad Antoninum Pium Imp. & filios commeminit. Edidi illos græcè & latinè ad eius vitam inter documenta. Quare hic omitto. Sed Scultetum verbis Dionysij contra ipsum Dionysium & matrem ecclesiam improbè abutentem, quin suismet ipsum armis confodiam, omittere nõ possum. Certat enim ille ex eodem cap. 3. libri. *De ecclesiastica hierarchia* deducere, Christum non esse verè præsentem in venerabili Eucharistia, sed tantùm figuratè & symbolicè, & his vtitur verbis: *Quiscumque autem Dionysius iste fuerit, antiquus fuerit, necesse est: quod ipsa ecclesiasticæ ordinationis forma docet: in qua illud obseruatione dignum, quam ecclesiæ orthodoxæ* [sic honorat suam Caluini synagogam minister Caluinisticus] *de Eucharistia sententiam tuentur hodie, etiam Dionysij huius ætate citra cõtrouersiam, Apostolicam fuisse iudicatam.*

Dicit ergo Sculetus Dionysium esse antiquum auctorem: nec hoc tantùm, sed etiam id,

id, quod de Eucharistia docet, citra controuersiam esse traditionem Apostolicam. Concedo illi vtrumque & perlibenter. Verùm quod eandem vult esse suam & Dionysij doctrinam, id sine pugna non conceditur: immo & stat occumbere potiùs, quàm concedere. Quamuis autem nullum hic à tam leuibus & plumeis (non enim dicam plumbeis, licet sint absque acumine) telis ac sagittis velut puerili emissis manu, vel minimi vulneris sit periculum, nedum grauis plagæ aut mortis: tamen ne aliquid sibi effecisse videatur, eorũ propalabo vanitatem. Igitur telum eius primum sic argumentum est hoc: *Totam actionem cenæ sacræ nominat* (Dionysius) ἱερουργίαν συμβολικὴν, *sacram actionem symbolicam*: ergo non est ibi præsens Christus.

Respondeo Dionysium in ipso initio capitis tertij, *De ecclesiastica hierarchia* agere de appellatione huius sacramenti & totius actionis, & dicere vocari illam κοινωνίαν τε καὶ σύναξιν. *Communionem & Synaxin*, & quidem eius appellationis rationem reddere, ac nullis frequentiùs quàm istis in hac materia vti vocabulis: semel duntaxat, idque extremo illo capite appellare ἱερουργίαν συμβολικὴν, *sacram actionem symbolicam*. Quo pacto vocatur omnis actio, quæ non est clara & euidens, sed tecta signis aliquibus, ita vt videri & intelligi absque fide aut signorum explicatione non possit. Quarum actionum aliquæ sunt purè symbolicæ, aliæ mixtæ. Purè symbolicæ sunt, quæ in se non continent, id quod significant. Mixtæ autem sunt, quæ continent id quod significant. Itaque confectio huius sacramenti est symbolica mixta, continens scilicet id quod significat, siue, constans symbolis & signis sed veritati coniunctis: veritati inquam, hoc est, Christo. Hinc & signa ipsa, quæ integrùm vnà cum Christo subtus delitescente sacramẽtum constant, vocat Dionysius, ipso fatente Scultero, τὰ ἀμφιέσματα συμβολικῶς τῷ Χριστῷ περικείμενα. *Vestimenta symbolicè Christo circumposita*. Cedo igitur iam Scultete: Ista vestimẽta in illa sacra actione, præsentiáne sunt, an nõ? præsentia, inquis. Et Christo etiam circumiecta, an non? iam, inquis, cõfessus sum. Bene habet. Igitur & Christus est præsens. Nec enim si præsentia vestimenta cuipiam circumiecta coram spectentur aut circumposita, alteri quã præsenti circumiecta esse possunt. Fateri, inquis, necesse est. Quare ergo huic nostræ doctrinæ tuis in scriptis contradicis? cur non relicta cenula tua è solo pane & vino, ad magnam cenam inuitatus accedis? *Homo enim quidam fecit cenam magnam & inuitauit multos*. Verum illud quidem, ais, sed ego vxorem duxi, & propterea non possum venire. Quomodo venire non potes? Ad siccum panem venire potes, ad agnum non potes? Nescis, quòd repletio panis pessima: esus autem agni optimus? & illius agni, qui tollit peccata mundi? & illius Agni, qui dicit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Sed ad Dionysium redeamus, qui non modò per verba superiùs posita indicat in illo sacramento præsentem esse Christum, sed etiam per inuocationem illius, tanquam ibi præsentis, certum id & exploratum facit. Verba enim eius sunt hæc: *Sed ô tu diuinissimum atque sacrosanctum sacramentum circumiacentia tibi symbolicè ænigmatum velamenta detegens perspicuè nobis ostenditor, & mentis nostræ oculos singulari atque inoperta luce perfundito.* Quæ inuocatio, si solus ibi esset panis, sine vita, sine sensu, sine intelligentia, (vt Sculterus & Caluinistæ volunt) sanè perquam aliena & inconueniens foret: secundùm nos autem, qui Christi in eo mysterio præsentiam agnoscimus & docemus, aptissima est & conuenientissima. Quæ Christi præsentia etiam sub eiusdem capitis tertij finem confirmatur, vbi Dionysius postquam egit de diuisione ac distributione sacramenti, quæ fit à Pontifice, tum ita subdit: Διαγράφει γὰρ ἐν τούτοις, αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὴν νοητὴν ἡμῶν, ὡς ἐν εἰκόσι, ζωήν. *Describit enim in his, modo quodam sensibili sub aspectum adducens IESVM Christum, spiritualem nostram velut in imaginibus vitam.* &c. Sic superiùs in descriptione ipsius consecrationis dixerat. Καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. *Et postquam sacras Dei actiones laudauit Pontifex, conficit diuinissima, & sub aspectum ducit iam laudata, per sanctè proposita symbola. id est*, postquam memorauit, quod dominus in vltima cena gessit, siue postquam hæc aut similia verba, Christi actionem referentia pronunciauit: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, tum conficit diuinissima*: id est, consecrat, siue, verba ista consecrationis pronunciat: HOC EST ENIM CORPVS MEVM. *Et sub aspectum ducit iam laudata.* id est, hostiam consecratam ostendit populo: siue Christum, seu Christi corpus, *per sanctè proposita symbola*, id est, per apparentes & externas sacramenti species (nec enim Christus nisi media hostiæ consecratæ albedine conspicitur) spectandum populo exhibet. Et hunc esse sensum patet ex eo, quòd ista subobscuriùs dicta ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, postmodum in ipsa contemplatione seu expositione clariùs & breuiùs explicat istis verbis iam suprà positis: αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστόν. *Sensibiliter sub aspectum ponens*

Iesum

Iesum Christum Sensibiliter, id est, per signa sensibus obiecta: sub quibus signis, vti velamentis aut vestimentis, subsistit Christus.

Vrget denique Scultetus panem & vinum vocari à Dionysio σύμβολα, εἰκόνας, & alia eiusdem sortis, sicque nihil aliud, quàm aerem verberat. Cùm autem vult intelligi nihil in sacramēto esse aliud, quam panem & vinū, ac pro sua peruersa opinione Maximum & Pachymerā citat, improbè profectò ac perfidè se gerit, vt clarè ostensum venio. Dicit igitur: *Et consentiunt hoc loco, fidelissimi interpretes Dionysij* (vtinam autē eorum sequeretur fidē, quos appellat fidelissimos!) *Pachymeras paraphrastes & Maximus scholiastes, græcus vterque. Sic enim Maximus cap. 3. eccl. s. hierar.* σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια. Sic ille.

Respondeo verum esse illa verba habere S. Maximum, sed longè alio sensu, quàm velit Scultetus. Nam dicit illa signa, quæ tantùm extrinsecus parent, signa esse & non veritatem: quod & nos dicimus. illa enim quæ extrinsecus parent, signa tantùm sunt & non veritas: sed quod sub signis est, veritas est, & non signum: Christi caro est, & non panis; Christi sanguis est, & non vinum.

Et quia Scultetus canina inuerecundia Pachymeræ ausus est mentionem facere, proferam ipsa viri verè Catholici verba, quæ habet in mysterio Synaxeos proximè ante Θεωρίαν siue *contemplationem*. Sunt igitur hæc: Καὶ πολλοὶ μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα παρακύπτουσι σύμβολα· ἅτε μὴ δυνάμενοι ὑψηλότερόν τι ἐννοῆσαι· αὐτὸς δὲ ὁ ἱεράρχης πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα, αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, πιστεύων ὅτι καὶ τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μετεβλήθησαν, τῷ ἁγίῳ καὶ παντουργῷ πνεύματι. *Et multi quidem ad sola diuina respiciunt signa, tanquam nihil valentes intelligere sublimius: at verò Pontifex ad ipsa prototypa, ipsum Domini pretiosum Corpus & Sanguinem erigitur, credens ea, quæ proposita sunt, in illa esse transmutata, virtute sancti & omnium opificis Spiritus.* Ecce igitur Pachymeras diligentissimus, ipso teste Sculteto Dionysij interpres clarè & apertè dicit *proposita*, hoc est, panem & vinum, in preciosum Domini corpus & sanguinem esse transmutata. Quare horum alterutrum fuisse in Sculteto necesse est, aut cæcitatem mentis admirabilem, si ista non vidit: aut impudentiam intolerabilem, si vidit. Quippe qui tam manifestè Auctorem contra se facientem pro se citauerit.

Quanta porro illi homini fides habenda sit, vel hinc eius addiscant discipuli.

Ex eadem cæcitate & furore in Romanam ecclesiam, post illa S. Maximi verba: Σημείωσαι, ὅτι οὐ μόνον ὁ ἅγιος ἄρτος κεκαλυμμένος προετίθετο, ἀλλὰ καὶ τὸ θεῖον ποτήριον, ὅπερ νῦν οὐ γίνεται. *Nota, quod non solùm sanctus panis obtectus proponebatur, sed & diuinum poculum, quod iam non fit*: hæc subiūxit Scultetus: *Cur verò*, inquit, *Maximi tēpore idem non fiebat? Nimirum quia βδέλυγμα Antichristi iam sedem Romanam occupauerat.* Sic ille. Quasi verò res Catholicæ in eo consistant, vt vel hoc vel illo modo calix in altari proponatur obtectus aut non tectus. Quid hoc ad substantiam facit Sacramenti? Cærimonias enim, quæ sunt præter substantiam & necessitatem, quis nescit, (nisi valdè stupidus sit & excors) sine vllo salutis & fidei incommodo non tantùm mutari & variari, sed etiam omitti ex Pontificum & Episcoporum dispositione & prudentia posse? Sed nimirum Sculteto nimis malè affecto bilis egerenda erat. Vtinam tota egesta sit & viuat!

Nunc pro corollario in gratiam Theologorum ponam in medio, quàm varijs modis hoc venerabilis & sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum efferatur à S. Dionysio Areopagita, cap. 3. ecclesiasticæ hierarchiæ.

NOMINA VENERABILIS EVCHARISTIÆ APVD DIONYSIVM Areopagitam.

Τελετῶν τελετή.	*Sacramētū sacramentorū.*
Ἁγιωτάτη τελετή.	*Sanctissimū sacramentū.*
Θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή.	*Diuinissimum & sanctum sacramentum.*
Θεία τῆς συνάξεως τελετή.	*Diuinum synaxeos sacramentum.*
Σύναξις.	*Synaxis.*
Κοινωνία.	*Communio.*
Τῶν ἱερῶν κοινωνία.	*Sacrorum communio.*
Θεαρχικὴ κοινωνία.	*Diuinissima communio.*
Θεαρχικὰ μυστήρια.	*Diuinissima mysteria.*
Θειοτάτη Εὐχαριστία	*Diuinissima Eucharistia.*
Τὰ θειότατα.	*Diuinissima*, absolutè.

Ipsa autem actio sacra seu consecratio vocatur ibidem ἡ τῶν θείων ὑπερκόσμιος ἱερουργία. *Diuinorum supermundana operatio* seu *Res diuinæ caleste sacrificium. Et* παναγεστάτη ἱερουργία *longè sanctissimum sacrificium*. Et ἱερουργία συμβολική. *sacra actio symbolica.* vt suprà exposui. Atque ista de hoc sacramento, eiusque ritibus satis.

Proximum illi apud Dionysium iungitur mysterium ritus vnguenti, quod media pagella continetur & meram sapit antiquitatem. Vide illud suprà, inter *Documenta*, & dignare eo esse contentus. Nihil enim peculiare video contrà obijci, præter id quod decima ratione ab Abrahamo Sculteto obiectum, atque in eius caput directè retortum est, vt suprà videri potest. Transeo igitur ad caput V. Dionysij, De sacris ordinibus. Ritus ergo, qui de illis à Dionysio traduntur, tam breues, tam simplices & tam concinni sunt, vt apertè clament atque etiam conuincant ab Apostolorum se esse temporibus. Episcoporum ibi duntaxat & Sacerdotum & Diaconorum fit mentio, & horum quidem singulorum Ordinūm succincta ordinationis forma traditur, quæ hodieque à Græcis Catholicis obseruatur,

tur, & in ipsa vrbe Roma ac primæ sedis conspectu etiamnum (vt mihi testes oculati narrarunt) vsurpatur. Hinc nihil contra productos ibi ritus neque à Catholicis, neque ab hæreticis immurmuratur. Itaque nulla hic mora. Progredimur vlteriùs.

Duo nunc tantùm restant capita, quorum prius est de Monachis, alterum de exequijs. Et contra has & contra illos armantur hæretici. Pro vtrisque igitur pugnandum singillatim.

DE MONACHIS TEMPORE S. DIONYSII AREOPAGITÆ, QVI, qualésue fuerint.

VNde nonnulli Scripta S. Dionysij infirmare se posse arbitrati sunt, inde ego illa confirmare, & propria suo auctori facere quàm maximè spero. Nam illi errore sanè abrepti sunt, rati tales ibi monachos memorari, quales vel olim in siluis & montibus, vel nũc in cœnobijs & monasterijs cerni solent. Non ità res se habet. Magnum inter vtrosque est discrimen. Et valdè à vero deerrauit Iosephus Scaliger, cùm existimauit Dionysium de eremitis aut cœnobitis, quales Paulli, Antonijúe sæculo fuerunt, sermonem facere. Vnde & aërem verberat, cùm hæc scribit in Elencho: *Ante Paullum nullus eremita fuit: nulli κοινόβιοι μονάζοντες in Christianismo. Eos sanè non tacuissent, quotquot à Iustino Martyre viri ecclesiastici ad Cyprianum vsque scripserunt. Neque tot examina monachorum potuerunt esse, quin, (vt Tertullianus loquitur) aliquam contesserationem cùm ecclesijs atque episcopis haberent. Denique multa de illis apud Scriptores ecclesiasticos testimonia extarent. At nulla extant. Et vetustissimus Scriptor Tertullianus satis aperit suo æuo nullos eremicolas fuisse. Non sumus, inquit, siluicolæ & exules vitæ. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo*, Ita ille. Quibus ex verbis satis intelligitur eum confundere eremitas & cœnobitas Antonianos aut similes cùm Monachis & Therapeutis S. Dionysij, ac proinde valdè oscitanter legisse Dionysium, nec discrimen vllum expendisse. Dionysius enim de eremitis & cœnobitis ne μῦ quidem. De monachorum item examinibus nullam cum Episcopis contesserationem habentibus ne verbum. Immo verò docet monachos populi vrbani partem fuisse: docet à Sacerdotibus erudiri & consecrari solitos: docet perfectioris vitæ Episcoporum, sua pietate ac sanctimonia, æmulatores extitisse: docet monachos dictos, non quòd soli habitarent, sed quòd vitam singularem & curarum terrenarum expertem (quà quidem fieri posset) vnique Deo intentam agitarent: docet dictos etiam θεραπευτὰς ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, *Therapeutas à puro Dei famulatu & cultu appellatos*. Atqui tales monachi, qui pars populi essent, & inter laicos recenserentur & degerent, qui non tantùm Episcopis, sed etiã Sacerdotibus subessent, qui vel priuatim in ædibus suis, vel communiter in collegijs vitam puram & castam ducerent, quibus denique in templo primus inter laicos locus & ordini ecclesiastico proximus esset assignatus (vti ex epistola ad Demophilum liquet) tales, inquam, monachi, neque Antonij tempore, neque pòst leguntur extitisse: itaque priùs. Atque ex hoc ego fortissimum duco argumẽtum pro libris Dionysij: quòd scilicet illorum meminerit Monachorum, de quibus tertio sæculo & post illud nulla deinceps facta sit mentio: nempè quia primo tantùm & secundo istud viguerit institutum. Vnde autem sumptum? certè ex euangelio & ex Apostolorum epistolis: vbi vitæ Christianæ perfectio continetur & commendatur: siue, cùm Christus quærenti de vita æterna adolescenti respondit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Matth. 19. v. 21. Et cùm discipulis dixit: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Siue cùm Paullus ad castimoniam adhortans ait: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori & diuisus est.* 1. ad Cor. 7. vers. 32. Ex illo enim tempore, velut audito perfectioris vitæ classico, & Apostolica castitatis tuba cunctorum auribus insonante, plurimi ad castimoniam & vitæ puritatem à sæcularium negociorum tumultu secretam adspirauere. Quam qui externo habitu & professione certam faciebant, Monachi vel cultores appellabantur: alij autem tãtùm cælibes. Et horum quidem cælibum in vtroque sexu non paucorum meminerunt secundi sæculi Scriptores, vt notaui ad vitam S. Iustini Philosophi. Priorum autem, siue Monachorum (quia scilicet nihil Gentilium intererat, contra quos scribebant, eos nosse vel tales ritus scire) non meminerunt. Nam satis habebant ostendere Christianos non esse impuros & incestos, quemadmodum ipsi eos criminabantur. Ritus autem consecrandi Monachum, vt illo tempore, hic est: Sacerdos ante altare certas precationes pro consecrãdo, qui post illum rectus stat, ad Deum spargit: quibus finitis ad eum, qui consecrandus est, conuersus petit, an rebus & curis sæcularibus nuncium remittat? oportere enim ipsum vitam reliquo populo perfectiorem instituere: quod professum formâ crucis signat, tondetque inuocata sanctissima Trinitate, & veteri exutum veste, noua induit, salutat, & cum illo alij viri sacri, ac postremò sacra communione donat.

En omnis ritus, propter quem, quasi illo sæculo recentiorem, tantæ scilicet aduersus scripta Dionysij turbæ concitãdæ sunt. Quid verò vnum in his, quæ dicta sunt, assignari potest,

teſt, quod ab initio non fuerit, aut eſſe nõ debuerit? An non oportuit eos, quibus inter cõgeneres laicos virtute excellendi ſtudiũ fuit, quo & alijs prælucerent, ac velut faces ad ſui imitationẽ accẽderent, aliquo extrinſecus habitu & inſtituti ſui demonſtratione diſtingui? Nam & propterea variorum tẽporum ad hãc vſque ætatẽ ſucceſſu, tot ac tã varij & habitu, & moribus & regulis diſtincti hominũ religioſorũ ordines, non modò ad eccleſiæ ſplendorẽ atque ornamentum, ſed ad eiuſdẽ permagnã quoque vtilitatem ſuſcitati ſunt. Quòd ſi bonũ fuit aliqua in populo velut luminaria collucere atque ab alijs diſtingui, vbi melius magiſque in prõptu formari ea diſtinctio potuit, quã & in attõſione comarum, (in quibus præſertim apud Athenienſes, apud quos primæ & antiquiſſimę nobilitatis per implexas crinibus aureas cicadas arrogatæ ſigna futilia eminebant) & in põpę luxuſque veſtiũ depoſitione, vbi ferè hominũ terrena & caduca ſectãtium vana ſe iactat inſolentia? Ritus autem & cærimoniæ, quas Dionyſius Athenis natus, & Athenis datus Epiſcopus refert, ibi potiſſimum aut natæ aut corroboratæ mea quidẽ ſententia videntur. Accepiſſe enim à Paullo & Hierotheo, qui ibi prædicauerũt, & quos καθηγεμόνας, id eſt, duces ſuos & præceptores appellat, crediderim. Adde cærimoniã tonſionis ſiue raſionis è vetere teſtamento, ſicut alias nõnullas, videri deriuatam: ſed cauſſam & ſignificationẽ eſſe eam, quam hîc profert in contẽplatione Dionyſius hiſce verbis: Ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀπόκαρσις ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωὴν, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι τὸ κατὰ νοῦν δυσειδὲς ἐπιθετικῶς καλλωπίζουσαν· ἀλλ᾽ αὐτὴν ἐφ᾽ ἑαυτῆς οὐκ ἀνθρωπικοῖς κάλλεσιν, ἀλλ᾽ ἑνιαίοις καὶ μοναχοῖς εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀναγομένην. *Capillorum autẽ detonſio puram nec fucatam vitam declarat, non fictitiarum figurarum adiectione deformitatem mẽtis adornantem, ſed ipſam in ſeipſa, nõ humana, ſed ſingulari & vnica pulchritudine, ad id quod diuiniſſimum eſt, adducentem.*

Numero. cap. 6.

Nota item de ſimplici tonſione loqui hic Dionyſiũ, non de tonſura, vt iã loquũtur, clericali aut monachali in coronæ modũ, tametſi illa etiã antiqua (vnde & antiquitas horũmce ſcriptorũ intelligitur) & per verba illa ἐπιπλάστοις σχήμασι *fictitijs figuris*, & ἐπιθετικῶς *adiectitiè* prorſus videri reſpicere ad comas Atheniẽſium, quas adiectis, vt dixi, aureis cicadis adornabãt. De quibus cicadis ago pluribus in Notationibus ad vitã S Hierothei. Ad veſtis porrò mutationẽ quod attinet, ex imitatione deſcendit cærimoniarum baptiſmatis, vti eodẽ loco inſinuat S. Dionyſius, dũ ſic ſcribit: Ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς ἐπὶ τὴν τελεωτέραν μετάταξιν ἐμφαίνει. καθάπερ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀπὸ καθαιρομένης ζωῆς εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν. *Prioris autem veſtis abiectio & alterius aſſumptio traductionẽ ſignificat à media ſacra vita ad perfectiorẽ. Quemadmodum in ſacra regeneratione veſtis mutatio, vitæ, quæ expiabatur, ſubuectionẽ ad ſtatum contemplationis & illuminationis demonſtrabat.* De tonſione denique monachorum, ſiue eorum, qui perfectius ac ſanctius viuendi genus profiterentur, quod dixi è vetere teſtamento deriuatum, habeo mihi patrocinantem Iſidorũ Hiſpalenſem Epiſcopũ, libro de diuinis officijs, vbi hæc ſcribit: *Tõſuræ eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis, ni fallor, exortus eſt, qui priùs crine ſeruato, denuo poſt magnam vitæ continentiam deuotione completa caput radebant, & capillos in ignẽ ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt: vt qui diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, ſancti Dei crine præciſo innouentur.* Vide ibi plura. Neque viris tantùm fuit ille reſecandorum crinium mos vſitatus, ſed etiam feminis, ijs nimirum, quæ rebus ſæculi nuncium remittẽtes ſeſe Deo deuouerent, idque primis ſæculis & ante beati Hieronymi tẽpora. Cuius moris in Syria & in Ægypto vſurpati meminit idẽ Hieronymus epiſtola 48. ad Sabinianum. *Moris eſt*, inquit, *in Ægypti & Syriæ Monaſterijs, vt tam virgo, quã vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſæculo renunciantes omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum.*

Atque vt oſtendamus Magiſtri & diſcipuli, hoc eſt, Paulli & Dionyſij documenta tam inter ſe, quàm cum Chriſti ipſius, vt ſupremi omniũ Magiſtri, doctrina concordare, obſeruandum eſt ex illorum dictis duplicem colligi iuſtorum, etiam laicorum, vitam: vnam indiuiſam & vni Deo adhærentem: alterã diuiſam & in varia diſtractam: & vtriuſque quandam velut imaginem in illis Chriſti verbis repræſentatam: *Martha, Martha ſollicita es & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſariũ. Maria optimam partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea.* ita vt in Martha deſignetur vita diuiſa & ſollicita curiſque externis diſtracta, quæ & actiua ſolet appellari: in Maria autem ſimplex & indiuiſa, & vni illi, quod eſt neceſſarium, intẽta: & hæc eſt, quæ caret ſollicitudine, & contemplatiua dicitur. Ad hanc poſteriorẽ hortatur Paullus, cùm dicit: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.* Quibus in verbis illam denunciat vitam, quam Dionyſius eius diſcipulus vocat ἀμέριστον καὶ ἑνιαίαν ζωὴν *indiuiſam & ſingularem vitam*, eò quòd ſcilicet ad diuinam vnitatem & Deo gratam perfectionem deducat (vt ibidem declarat) & quaſi vnum cum Deo faciat. Cùm autem ſubdit idem Paullus: *Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*, vitam ſignificat diuiſam & imperfectiorem, tanquam in multa diſtractã. Poſteaquam igitur plures Paulli conſilium

ſecuti ſunt viri, feminæq́; tum diſtingui eorũ ordo, tanquam perfectior, à ceteris laicis, & vtrorũmque paullatim inſtitui collegia, tam Monachorum, quàm Virginum cœpta ſunt. Vnde & initio ſecundi ſæculi (quo tempore ſuperſtes adhuc erat Dionyſius) Virginum, (quod Philippis in Macedonia erat) collegiũ ſalutat beatus Martyr Ignatius. In epiſtola enim ad eos miſſa ſic ſcribit: *Ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων. Saluto collegium Virginum.* Et in epiſtola ad Heronem Diaconum, dum ſalutari iubet Mariam, pudiciſſimam feminam, &, quæ in domo illius eſt, eccleſiam, probabile eſt eum intelligere cœtum virginum, cuius illa fuerit moderatrix. De illa Maria pluribus ago in Notationibus ad epiſtolã, quæ ab Ignatio ad illam miſſa eſt. Sicut ergo Virginum, ita & Monachorum fuiſſe cœtus ſeu collegia, minimè à vero alienum eſt, ſed in vrbibus primum, & quæ ab Epiſcopis & Presbyteris dependerent, vt è Dionyſio patet. Quare quod Scaliger è Tertulliano contrà afferebat dicente: *Non ſumus ſiluicolæ & exules vitæ*, nihil aduerſum nos, nihil aduerſus Dionyſium facit: cum is de monachis intra vrbes habitantibus agat. Et tamen, quamuis etiam de Monachis in eremo degentibus egiſſet Dionyſius, nihil contra nos propterea Tertulliani locus faceret. Agit enim ille de tota natione Chriſtiana, quam dicit non vitare vrbes, non forum, non publicum, non commercia, &c. quod etiam nunc verum eſt, licet non pauci in eremo & ſolitudine degant. Sic S. Baſilius magnus, licet ſua ætate permultos ſciret eſſe Monachos, ſeque adeo ex ipſorum aliquando fuiſſe numero, negat tamen hominem eſſe animal monaſticũ, hoc eſt, ex genere & natura ſua ſolitariũ, ſed ciuile & ſociale: quemadmodũ de Chriſtianis Tertullianus ante dixerat. Baſilij verba in regulis fuſiùs diſputatis, reſpõſione ad interrogationem tertiã, ſunt hęc: Τίς οὖν οὐκ οἶδεν, ὅτι ἥμερον καὶ κοινωνικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ οὐχὶ μοναστικὸν, οὐδὲ ἄγριον; *Quis igitur neſcit hominẽ eſſe animal mite & ſociale, ac minimè ſoliuagũ, minimeq́ agreſte?* Ex quo loco ſi quis vellet contendere non fuiſſe S. Baſilij temporibus Monachos, an nõ meritò ridiculus cẽſeretur? ita & qui è loco Tertulliani. Eius enim ibi ſcopus nõ erat alius, quã vt homines Chriſtianos non eſſe reip. inutiles comprobaret. Quod vt pateat, verba eius, vel quod elegãtia ſint, apponam. Sic igitur in Apologetico cap. 42. *Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotijs dicimur. Quo pacto homines vobiſcũ degentes, eiuſdem victus, habitus, inſtructus, eiuſdem ad vitam neceſſitatis? Neque enim Brachmanæ aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, ſiluicolæ, & exules vitæ. Meminimus nos gratiã debere Domino Deo creatori. Nullũ fructũ operũ eius repudiamus; plane tẽperamus, ne vltra modũ aut perperam vtamur. Itaque non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nũdinis veſtris, ceteriſque cõmercijs cohabitamus in hoc ſæculo. Nauigamus & nos vobiſcum & militamus & ruſticamur & mercamur: proinde miſcemus artes, opera noſtra publicamus vſui veſtro. Quomodo infructuoſi videamur negocijs veſtris, cũ quibus & de quibus viuimus, non ſcio.* Ita ille.

Quæ omnia non modo tũc vera erant, cùm longe pauciores, quã poſtea, eſſent monachi eremicolæ, ſed etiã nunc, cùm plurima in ſiluis & montibus examina ſunt Monachorũ, veriſſima cenſeri poſſunt. Quota enim eſt iſta portio, quę in ſiluis eſt, ad ceteros Chriſtianos? De talibus tamen, vt dixi, nõ loquitur Monachis Dionyſius, ſed de vrbanis & eandem cum reliquo populo Chriſtiano eccleſiam ſiue cœtũ celebrantibus. Verùm de his abundè: nunc ad exequias defunctorũ, quæ poſtremo loco inter cærimonias à Dionyſio proferuntur.

DE CÆRIMONIIS CIRCA DEFVNCTOS.

Non video autẽ in omnibus, qui circa defunctos fiunt, ritibus, quid vel reprehendi, vel non fuiſſe Dionyſij Areopagitæ temporibus comprobari poſſit. Cũ enim duo ſint præcipuè in ijs ritibus, quæ parum fortaſſe placeant hæreticis, vnctio ſcilicet, quam corporibus defunctorum adhibere perhibetur Pontifex, & pro eorundem animabus ad Deum deprecatio; facile eſt oſtendere vtrumque ſuã à temporibus Apoſtolorũ antiquitatem verè meritòque arceſſere. Nam vnctio quidẽ Iudæis & Chriſtianis in veteri & nouo teſtamẽto quã vſitata & pietatis plena fuerit, declarat S. Marię Magdalenæ diligentia in comparandis & primo mane afferendis ad vngẽdum Chriſti corpus, quod reſurrexiſſe neſciebat, vnguentis. Hoc igitur pietatis officiũ, quo eſſet ſanctius & myſterij ſignificantius (denotat enim, eodẽ teſte Dionyſio, eũ, qui vngitur, legitimè certaſſe, & certãdo excelluiſſe) ad Epiſcopos aut Sacerdotes tranſlatũ eſt. Iam verò precationũ pro defunctis antiquiſſimam traditionem veterum Patrum, tam Latinorum, quàm Græcorũ clamant & aſſeuerant teſtimonia. Tertulliani, libro *de corona militis*, cap. 3. vbi inter conſuetudines à traditione deriuatas etiam hanc ponit: *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Cypriani epiſt. 66. vbi dicit Epiſcopos anteceſſores ſuos cenſuiſſe, *ne quis frater excedens ad tutelã vel curam Clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Vnde & ſubdit pro Victore non offerẽdum, qui hoc fecerat. S. Cyrilli Hieroſolymitani, catecheſi V. Myſtagogica, ante mediũ, vbi refert quorum fiat memoria in ſancto ſacrificio, & pro quibus offeratur, cuius hæc ſunt verba inter alia: Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων Πατέρων καὶ Ἐπισκόπων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων [προσφέρομεν θυσίαν δηλαδὴ] μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. *Deinde pro defunctis SS. Pat. & Epiſc. & pro*

omni-

omnibus simpliciter, qui inter nos antè dormiuerūt, maximum aduenire credentes animabus ijs auxilium, pro quibus hæc offertur sancti & maximè horrendi sacrificij propositi deprecatio.

Vnde autem profluxerit & quàm antiqua sit hæc pro defunctis precandi in oblatione sacrificij consuetudo, arbitror equidem non credendū huius æui aut proximi sæculi hæreticis, seu Sculteto, seu Kemnitio, seu istius farinę cuilibet; sed ei potiùs, qui mille ducentis ante ipsos annis vixit, eóque amplius, sancto, inquā, Ioanni Chrysostomo tantæ sanctitatis & eruditionis viro, vt isti vix digni sint eius lingere vestigia. Illi, inquam, in Paulli epistolā ad Philippenses ita scribenti credendum est: Οὐκ εἰκῇ ταῦτα ἐνομοθετήθη ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. Ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ κέρδος γινόμενον, πολλὴν τὴν ὠφέλειαν. *Non temerè hæc ab Apostolis constituta sunt, vt in horrendis mysterijs memoria fieret eorum, qui vita excesserunt. Quippe qui scirent magnam illis lucrum accedere, magnam vtilitatem.* Et rationē ibidem affert, quā illic vide.

Hactenus de cærimonijs à S. Dionysio Areopagita productis (nec enim ille plures habet) satis dictum videtur: & clarè quidem ostensum est nullam esse, quæ non vel ad primum sæculum, quo floruit Dionysius, vel ad secundū, quo vitā sub Hadriano terminauit, referri possit, nec refelli possit. Nō vidi porrò, nec visurū spero, qui tam clarè, tā distinctè argumēta nostræ partis, quæ pro Dionysij Areopagitę scriptis attulimus, soluere possit, quā nos ea soluimus, quæ illi contra proiecerunt.

Nam certè sextum argumentum nostræ partis deductum ex ipsius Auctoris, quo de agimus, scriptis, prorsus est insolubile. Produxit autem illud (iam mille ferè anni sunt) S. Maximus Martyr in suo ad opera Dionysij prologo, nec adhuc repertus est factionis aduersæ quispiam, qui illi (quod quidem scire potuerim) responderit. Nam aduersarij nostri instar militum imbellium, ac de viribus suis diffidentiū, hac relicta arce præcipuá, & quam pro inexpugnabili meritò iudicarunt, ad alia quędam minus valida munimenta se conuerterunt, quæ tamen ipsi nec quatefacere, nedum euertere potuerunt.

Hic ego finiuissem, neque de germanis S. Dionysij scriptis verbū ampliùs addidissem: nisi nuper, Insulis Flandriæ cùm essem, vir clarissimus Dominus Desprets mihi suam inspicienti bibliothecam, librum inter alios vnum ostendisset à Theologis VVirtembergensibus anno Domini M. D. LXXXIIII. VVittembergæ editum, cuius hæc erat inscriptio:

Acta & scripta Theologorum VVirtembergensium & Patriarchæ Constantinopolitani D. Hieremiæ, quæ vtrique ab anno M. D. LXXVI. vsque ad annū M. D. LXXXI. de Augustana cōfessione inter se miserūt, græcè & latinè ab ijsdē Theologis edita.

In quo libro cùm indicasset nonnulla de S. Dionysij scriptis inter partes esse agitata, cepit me cupido eius libri, qui non valdè spissus esset, percurrendi; ac si quid pro nobis aut cōtra nos faceret, disquirendi. Igitur deprehendi Magistros illos VVirtembergēses, aliorum hæreticorum more, auctoritatem Scriptorum S. Dionysij eleuare, sed argumētis vulgaribus & sæpe refutatis; Patriarcham verò Constantinopolitanum permagni eosdem libros facere, & suam de Sacramentis doctrinam viriliter inde propugnare. Sic enim ipse in primo suo respōso ad Augustanā confessionem cap. VII. scribit: Τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, παραδέδοταί γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ λόγου· καθὼς ὑπὸ τοῦ θείου Παύλου διδαχθεὶς ὁ ἱερώτατος Διονύσιος ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παραδέδωκεν· ὃν δὴ ἄνδρα μετὰ τοὺς Ἀποστόλους ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησία γεραίρει. *Quod ad sacri vnguēti mysterium attinet*, inquit, *in diuinis quidem litteris id non extat: traditū tamen est à discipulis Verbi: sicut qui à Diuo Paullo institutus est sanctissimus Dionysius in sacris scriptis suis tradidit. Quem quidem virū proximo secundū Apostolos loco Dei ecclesia veneratur.* Sic ibi.

Idem porrò Patriarcha pluribus alijs in locis honorificam eiusdem S. Dionysij & rectæ eius doctrinę mentionem facit: sed animaduertens tandem se surdis canere, volénsque etiam ipse, dum spem profectus nullam videt, receptui canere, sic illos, VVirtembergenses Theologos, siue è Caluini schola hæreticos affatur: *Vnde igitur vos*, inquit, *rectiùs & meliùs vetere nouáque Roma sapuistis, vt veterum Theologorum scriptis relictis vestra ista meliora potioráque duceretis?* Per nouam Romam intelligit Constantinopolim, cuius erat ipse Patriarcha. Sic enim à temporibus Constantini Magni Imp. vocata est.

Denique ipsos rogat, vt desinant in posterum super ijsdem de religione controuersijs sibi negotium facessere: alijs verò in rebus, si velint, amicitiam colere ipsis per se licere. Ita ergo ij qui sperabant Græcos huius ætatis pro se suáque secta esse facturos, & aduersus S. Dionysij Areopagitę scripta ipsis fauturos, adeo spe sua exciderunt, vt ipsimet vel de sua decedere sententia coacti sint, vel deinceps silentium tenere iussi. Postremò tam læua & infausta illis fuit hæc complurium annorum disputatio, atque etiam ipsius disputationis in lucē editio, vt eā ipsam postea in tenebras abdere, & quantū in ipsis fuit, omnia exemplaria supprimere sint conati. Sed quemadmodū in talibus vsu venit, nulla tāta potuit adhiberi diligentia, quin aliqua in manus Catholicorum emanarint. Nā amicus ille noster & familiaris vnum sibi ex illis precij magnitudine eliciut, nobisque perlibenter commodauit. Verùm de S. Dionysij scriptis, (quæ tam à veteribus quàm ab hodiernis Græcis approbata, illique adiudicata habemus) in præsenti satis: nūc ad tertiam quæstionem accedamus.

QVÆSTIO III.

DE TIMOTHEO, AD QVEM SCRIPSIT S. DIONYSIVS.

TERTIA, quæ ad hanc S. Dionysij vitam pertinet, quæstio est: *An TIMOTHEVS, cui hi libri, de quibus superiori quæstione egimus, inscripti sunt, sit celeberrimus ille Timotheus Paulli comes & discipulus, an verò alius quispiam à Baronio aut ab alio quolibet propositus?*

Hunc autem esse ipsum beati Paulli discipulum tenuerunt Græci omnes, itémque Latini ferè communiter vsque ad Baroniū. Qui quidem Baronius vi vnius argumenti, cuius non facilè solutionem reperiebat, eo diuertēdum sibi putauit, vt alium requireret Timotheum, quem in his libris affaretur, & cui ipsos dedicaret Dionysius. *Ceterum quis nos compellit*, inquit, *vt affirmemus Auctorem ea scripsisse ad Timotheū Paulli discipulum, Episcopum Ephesiorū? Nam germana & ab Auctore illa operi De ecclesiastica hierarchia proposita est inscriptio: Cōpresbytero Timotheo Dionysius Presbyter* &c. Sic ipse.

Ratio autem, quæ negociū illi facessiuit est ista: *In libris illis, qui dicati leguntur Timotheo, reperitur vna sententia ex epistola S. Ignatij ad Romanos paullò antè Martyrium scripta. Atqui cùm illa scriberetur epistola (nempe Traiani Imp. anno decimo aut vndecimo) iam mortuus erat Timotheus Ephesiorū Episcopus, vt patet ex epistola eiusdem Ignatij ad Philadelphiēses sub idē tempus exarata, vbi illius meminit tanquā è vita egressi. Ergo stare hæc simul non possunt, scriptos esse hos libros à Dionysio Areopagita post mortē Ignatij Martyris, (quemadmodum citata eius sententia tendētis ad mortem indicat) & dicatos esse Timotheo, qui iam ante Ignatium excesserat.* Rectè igitur vidit Baronius oportere horum esse alterutrū: nempè vel alium requirēdum esse Timotheū, qui vixisset post Ignatiū, vel certè illam Ignatij sententiam nō fuisse in Dionysij operibus, cùm ea dedicarentur Timotheo, sed pòst esse additam: verùm quod ab ipsomet Auctore additam dicit, in hoc quidem sanè fallitur. Nā ab alio quopiam imprudenter & imperitè iniectam esse vel intrusam clarè & fusè suprà ostensum est quæstione 2. in responsione ad argumentum è Photio. Aliud porrò Baronij argumentum pro altero Timotheo est: Quod Auctor ipse in exordio commentarij *De ecclesiastica hierarchia* dicat: *Sacerdotij quidem nostri functionem sanctissime fili Timothee* &c. Ac proinde alium quempiam iuniorem Timotheum signare videatur.

Quia nimirum Dionysius magnum illum Timotheum, Paulli antiquum comitem & discipulum non appellaret filium.

Sed huius argumenti solutio, vt hic repetēda non sit, videri potest suprà, quæstione secūda in responsione ad 7. rationem Sculteti.

Denique prorsus tenendum est eundem esse Timotheum hunc, cui libros inscripsit Dionysius, & illum Paulli discipulum: non autem duos diuersos. Quod sic probari potest:

1. Nomen aliquod pluribus conueniens si absolutè ponatur, pro principali significato accipiendū est. Sic apud profanos auctores *Cæsar* pro Iulio Cæsare, *Cicero* pro M. Tullio oratore, *Virgilius* pro principe Latinorum Poëtarum. Sic apud sacros, *S. Petrus* pro Apostolorū coryphæo, *S. Paullus* pro doctore Gentium, *S. Ignatius* pro Ignatio Theophoro, Episcopo & Martyre, & de alijs similiter. Quare & *Timotheus* pro pręcipuo Timotheo, Paulli scilicet discipulo. Nec refert, quòd Presbyter appelletur, & non Episcopus. Nā pro eodē tunc accipiebantur Presbyter & Episcopus. Sic se quoque appellat ipse Dionysius Athenarum tunc Episcopus in illa ipsa inscriptione, qua librum illi dedicauit: Τῷ Συμπρεσβυτέρῳ Τιμοθέῳ Διονύσιος ὁ Πρεσβύτερος. *Timotheo Sympresbytero Dionysius Presbyter.*

Et ipse S. Ioannes Euangelista scribens ad *Electam*, tacito Episcopi & Apostoli nomine, Presbyterum se appellat.

2. Ille Timotheus, ad quē scribit Dionysius, interfuit vnà cum Apostolis & S. Hierotheo & ipso Dionysio exequijs sanctissimæ Virginis Deip. vt ipsemet auctor scribit libro *De diuinis nominibus*, cap. 3. Quis autem Timotheus illis, dignior exequijs, quàm Apostoli discipulus & comes, magnus ille Timotheus?

3. Tanti hunc, ad quem scribit, Timotheum Dionysius æstimat, vt illi de scriptis suis iudicium committat, & secum ab illo, siqua occurrerint meliora, communicari petat, immo etiam si in aliquo quidē à veritate aberrauerit, ab eodem Timotheo corrigi postulet. Vide suprà, cap. XXIII. vitæ. Vbi Dionysij modestiā siue animi demissio palam proponitur.

Quare non est credibile Dionysium alij quàm huic S. Timotheo tantum honoris atque laudis tribuisse.

4. Cùm

4. Cùm Christiani omnes primo æuo pueri vocarentur, & qui sacra tractarent non tantùm pueri, sed *παῖδες ἱεροὶ, pueri sancti* appellarentur, Dionysius Timotheum compellans capite 1. de ecclesiastica hierarchia, *παίδων ἱερῶν ἱερώτατε*, inquit, hoc est, *sanctorum puerorum sanctissime*. Quod Episcopo conuenit.

5. Indicat pluribus locis Dionysius se non aliquem affari inferiorem sacerdotem aut presbyterum, sed Episcopum siue Pōtificem: vt libro de cælesti hierarchia, cap. 9. cùm ita eum affatur; Καὶ τοῦτο δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν ὑπομνήσομεν, ὅτι καὶ τῷ Φαραὼ &c. *Et hoc etiã, inquit, tuæ Pōtificiæ sapientiæ commemorabo, quòd & Pharaoni*. &c. Et libro de ecclesiastica hierarchia, cap. 7. sub finem contemplationis: Δεῖ δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν μὴ χαλεπαίνειν ἐπὶ τοῖς πεπλανημένοις. *Decet autem tuam Pontificiam sapientiam non ijs succensere, qui in errorem abducti sunt*. Quibus in locis ἱεραρχικὴ σύνεσις, *Pontificia sapientia* nihil sonat aliud quàm ἱεράρχην, *Pontificem* siue *principem sacrorum*. Est enim loquendi modus à respectu & veneratione magnorum virorum inuentus. Quem SS. Patres tam Latini quàm Græci haud sanè infrequenter cernuntur vsurpare.

6. Item Dionysius epistolam suam quandam (ea est numero nona) ad Titum Pontificem misit, in cuius principio mentionem Timothei facit, indicatque se librum *De diuinis nominibus* ad eum scripsisse? iam autem cùm nemo dubitet, quin Titus ille Pontifex siue Episcopus, idem ipse sit qui Paulli comes & socius & adiutor fuerit: quis etiam dubitare ausit, quin ille Timotheus, cuius ea in epistola meminit, & cui se explanasse diuina nomina & Theologiam symbolicam significat, sit ille alter Paulli sodalis & discipulus? Atque adeo, si illi duo Paulli sodales & discipuli vna in epistola coniunguntur, eccui dubium relinqui potest, quin & ipse scriptor epistolæ Dionysius, ille sit Dionysius Paulli Apostoli tertius discipulus, qui in Areopago conuersus est, qui Athenarum creatus Episcopus, qui postea Francorum Apostolus & fuit, & semper est habitus? Illius porrò epistolæ initium est eiusmodi: Ὁ μὲν ἱερὸς Τιμόθεος, ὦ καλὲ Τίτε, οὐκ οἶδα, εἴ τινος τῶν διηγγελμένων μοι θεολογικῶν συμβόλων ἀπελήλυθεν ἀνήκοος· ἀλλ' ἐν τῇ συμβολικῇ Θεολογίᾳ διηυκρινησάμεθα πάσας αὐτῷ τὰς τῶν λογίων περὶ θεοῦ δοκούσας εἶναι τοῖς πολλοῖς τερατολογίας? *Sanctus quidem Timotheus, ô bone Tite, haud scio an cuiusquam Theologicorum symbolorum à me expositorum ignarus abscesserit. Nam in symbolica Theologia cunctas illi sacrarum litterarum de Deo voces, quæ prodigiosæ plerisque videntur esse, enucleauimus*. &c. Cuius epistolæ & stilus & materies eundem clamant esse auctorem tam superiorum librorum, quàm harumce epistolarum.

Denique maneat & certum sit Timotheũ, de quo his in libris agitur, non esse alium quã Paulli discipulum. Nec sententia illa Ignatij: AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST, quæ videtur ex eius ad Romanos epistola desumpta, quicquam obstare potest, cùm clarè suprà ostensum sit, nunquam à S. Dionysio in suis libris scriptam esse, (quippe quæ neutiquam ibi quadret) sed ab aliquo imprudenter ad marginem libri adscriptam, & imprudentiùs à nescio quo in ipsum textum immissam esse. Sed maior aliunde exoritur difficultas, nempè ex locis Euangelij S. Ioannis, quæ passim in Scriptis S. Dionysij reperiuntur. Quod Euangelium dicitur scripsisse iam reuersus ab exilio sub Nerua aut Traiano; tunc autem obierat Timotheus: nempe sub Domitiano aut Nerua. Quonam igitur modo ad illum scribens Dionysius verba vsurpat illius Euangelij, quod necdum scriptum erat? Loca enim ex Euãgelio Ioannis sunt, partim libro, *De cælesti hierarchia*, cap. 15. vbi hæc leguntur verba: *Nescis enim*, inquit, *vnde veniat & quò vadat*, quæ verba reperiuntur Ioannis 3. partim libro, *De ecclesiast. hierar.* cap. 2. vbi hæc habentur: *Si quis enim diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Quæ inueniuntur Ioannis 14. versu. 23. Et rursus eodem cap. 2. eccles. hier. paullo inferiùs, hæc verba extãt: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. Quę Ioannis primo capite, versu 12. & 13. totidem ferè cernuntur verbis, nisi quod ibi etiam legatur: *neque ex voluntate viri*, quod à Dionysio omissum est.

Præterea cap. 3. eiusdem libri de eccles. hier. post medium citatur locus è Ioannis 13. versu 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet*.

Et in libro *De diuinis nominibus* multa sunt è S. Ioannis Euangelio. Denique idem Dionysius eodem 3. cap. in recensione librorum sacræ Scripturæ, tam Euangelij, quàm Apocalypseos S. Ioannis meminit hisce verbis: ἢ τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ θεσπεσίου, ἢ τὴν ὑπερκόσμιον Ἰησοῦ θεολογίαν τοῖς πρὸς θέωσιν ἐπιτηδείοις ὑφηγήσατο. *Aut occultam & mysticam visionem dilecti ac diuini discipuli*, [.1. Apocalypsin] *aut supramundanam Iesu Theologiam idoneis ad diuinitatem adipiscendam exposuit*, id est, Euangelium, quod explicat Christi Iesu cælestem diuinitatem, & ab ea incipit, dicens: *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum*.

Respondeo verum quidem esse S. Dionysium libris suis de cælesti hierarchia, atque etiam de ecclesiastica, extremam manum imposuisse post scriptum ab Ioanne Euangeliũ, vt prolata iam modò loca conuincunt: at non perinde constare (quod tamen ad argumenti victoriam est necessarium) priùs quàm illud

primò conſcriberetur, mortuum fuiſſe S. Timotheum: cùm de eius obitu variæ ſint ſententiæ, & certa ex omnibus nulla. Nam quidam ſub Domitiano, alij ſub Nerua, quidam ſub Traiano mortuum ferunt. Quare ex incerto id quod longè eſt certius, confutari non debet. Eſt autem longè certius libros Dionyſij, viuente adhuc Timotheo ſcriptos eſſe, cùm in ijs ipſum alloquatur Timotheum libro *De diuinis nominibus*, cap. 3. & in memoriam reducat, quæ facta ſint in ſanctiſſimæ Deiparæ exequijs, quódque ipſe Timotheus illis præſens aliquas hymnorum partes in eiuſdem virginis laudem decantatorũ retinuerit.

Cùm autem, vt probabiliſſimum, nobis teneatur, S. Timotheum ſub Nerua occiſum (quod fuſiùs probatum eſt in vita S. Polycarpi, cap. 7. Notationum) diu autem poſt vſque ad Hadriani tempora ſuperſtes fuerit Dionyſius, dicendum eſt eum libros ſuos rudiùs & imperfectiùs ab initio ſcriptos viuente adhuc Timotheo, pòſt autem eo mortuo perfectos & correctos nonnullis additis ac mutatis ediſſe. Quod adeo neque mirum, neque nouũ videri debet, vt ſæpe & ab alijs antiquis Patribus olim ſit factum, & hodie à nouis Scriptoribus non rarò fieri animaduertamus. Nam S. Iuſtinus Philoſophus, cùm in primordio ſuæ conuerſionis breuem tractatum ad Græcos (quem elenchum vocauerat) edidiſſet; poſtea eandem retractans materiam, abſolutum opus ſub nomine παραίνεσις πρὸς Ἕλληνας. *Cohortatio ad Gentiles*, emiſit, vt in eius vita notauimus. Tertullianus item aliquod breue opuſculum aduerſus Marcionem iuuenis effuderat: poſtea verò aliud copioſius elaborauit: quod ipſum cùm quidam ſubreptum in lucẽ mendoſiſſimè emiſiſſet, idem Tertullianus à ſe repertum emendauit atque auxit. Sic enim de illo ſuo opere ſcribit libro I. aduerſus Marcionem initio: *Si quid retro*, inquit, *geſtum eſt nobis aduerſus Marcionem, iam hinc viderit. Nouam rem aggredimur ex vetere. Primum opuſculum quaſi properatum pleniore poſtea compoſitione reſcideram: hanc quoque nondum exemplarijs ſuffectam, furto tunc fratris, dehinc apoſtata, amiſi; qui fortè deſcripſerat quædam mendoſiſſimè, & exhibuit frequentiæ. Emendationis neceſſitas facta eſt: innouationis eius occaſio aliquid perſuaſit.* Origenes quoque ea, quæ iunior in Canticum canticorum ſcripſerat, ita fusè & accuratè natu grandior pertractauit, vt nihil à quoquam eo in genere ſcriptum ſit, quod cum illis in comparationem venire poſſit. Apollinaris itẽ Laodicenus ſuum adoleſcentis, in Oſee Prophetam, breuem commentariolum pleniore ac ſucculentiore commentario ætate prouectior commutauit. Idem ſe feciſſe in illum ipſum Prophetam ſua in præfatione conteſtatur Hieronymus, nimirum quæ leuia & ieiuna iuuenis ſcripſerat, hæc triginta pòſt annis maturiora exactioráque ediidiſſe. Quid de S. Auguſtino loquar? qui complures è libris ſuis rudiores & inabſolutos longo poſt tempore in manus reſumpſit, auxit, expoliuit. Quos ne mihi neceſſe ſit omnes commemorare, eo libro comprehenſos inuenies, quem *Retractationum* in ſera ætate compoſuit.

Ita igitur & S. Dionyſium ſua poſtremis annis retractaſſe & aliunde nonnulla, præſertimque è B. Ioannis Apocalypſi & Euangelio adieciſſe nobis non ſine cauſſa perſuademus. Quippe qui Apoſtolum illum & Chriſto in paucis dilectum diſcipulum plurimi faceret, & diuina eius ſcripta, (quę in lucem proditura Deo prædicente cognouerat) auidiſſimè expectaret. Ex alijs verò, quę primę compoſitioni eum adiециſſe partim rogatu amicorum, partim aduerſariorum obiectu crediderim, duo ſunt potiſſimè. Vnum quidem capite 3. *De eccleſiaſtica hierarchia* in Contemplatione ſeu expoſitione ſacramenti Synaxeos, nempe recenſio illa librorum ſacræ Scripturæ, tam veteris quàm noui teſtamenti per circumlocutionem fusè explicata, quæ incipit ab illis verbis: Πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ καὶ ἁγιόγραφος δέλτος, *Omnis quidem ſacræ Scripturæ liber.* Quam recenſionem induxit ex occaſione modulationis Pſalmorum, quæ adhibetur in ſancto ſacrificio, ſed præcipuè eorum rogatu, qui libros ſacræ Scripturæ ab alijs internoſcere cupiebant. Nam ea quoque de cauſſa S. Melito ſecundi ſæculi Scriptor catalogum eorũdem librorum contexuit, vt nos infrà in vita eius oſtendemus. Alterum, quod ob quorundam obiectiones ſcriptis ſuis poſteriùs inſeruiſſe illum opinamur, eſt illa de baptiſmo puerorum atque infantium aduerſus Gentilium irriſiones reſponſio, quæ ad calcem libri *De eccleſiaſtica hierarchia* reperitur, planè extra locum ſuum, hoc eſt, in capite ſeptimo & vltimo; vbi de myſterio exequiarum agitur, cùm proprius ei locus eſſet in capite ſecundo: vbi ſcilicet ex profeſſo tractatur de ſacramento illuſtrationis ſiue de baptiſmo. Sed quod liber ille iã totus antè deſcriptus eſſet, quàm vel baptiſmus ille puerorum in frequenti vſu eſſet, vel quàm ea obiectio menti occurreret, propterea eius quæſtionis tractatio ad extremum illum librũ adiecta eſt. Quin ex eiuſdem loci verbis, ſi quis attendere voluerit, clarè cognoſcet Dionyſium ea non priùs ſcripſiſſe, quàm Timotheus recepto eodem libro quæſtionem illam mouerit.

His ſuper hac tertia quęſtione iam pertractatis venit in manus meas Flauij Lucij Dextri Chronicon, & vnà Franciſci Biuarij viri doctiſſimi in eum Commentarius. Hi prorſus nouam inducũt de Timotheo, cui libros ſuos dedicarit S. Dionyſius, opinionem. Tenent enim illum Timotheum non eſſe eum, ad quẽ S. Paullus duas ſcripſerit epiſtolas, ſed eſſe Eugenium Marcellum S. Dionyſij Areopagitę diſcipulum, (ſiue illum, de quo ſcripſimus

in vita S. Dionysij cap. 21.) qui agnominatus fuerit Timotheus. Quam opinionem priusquam refuto, videtur aliquid de illius auctoribus breuissimè præmittendum. Itaque ille FLAVIVS LVCIVS DEXTER est auctor sanè antiquus & S. Hieronymo æqualis, qui etiam ipsum aliquando hortatus est, vt Scriptores ecclesiasticos in ordinem digereret, quod & Hieronymus fecit, librúmque *De viris illustribus* ipsi Dextro dedicauit, vt testatur procemium: *Hortaris DEXTER* &c. Ipse item DEXTER, *Chronicon omnimoda historia* conscripsit, quod paucis ante annis in lucem edidit FRANCISCVS BIVARIVS, aut potiùs aliquam eius partem, eam scilicet quæ Hispaniæ ecclesias attingit. Nam ferè eò omnia referuntur. Cùm autem fuerint ambo Hispani tam Dexter, quàm Biuarius ipsi res Hispaniæ ecclesiasticas summa diligentia perquisiuerũt & illustrarunt. Quod vtinam plures alijs in nationibus fecissent, ac res suarum nationum in publicam vtilitatem euulgassent? Tum & pulcher veritatis candor & insignis ecclesiarum sanctimonia & veræ animarum diuitiæ multo clariùs mundo innotescerent. Fatebor equidem nonnulla in eo Chronico ex amore patriæ, vt fit, siue ab auctore ipso, siue postea ab alijs, terræ Hispaniæ attributa esse, quæ videantur alijs nationibus vel æquè vel æquiùs attribui posse & debere; tamen quin opus ipsum sit Dextri (esto, aliqua aliunde adiecta sint, aut aliquantulum variata) non video quî possit prudenter à quoquam negari. Quare hoc nobis in Dextro faciendum erit, quod in Hieronymo, Augustino, alijsque Patribus fieri concessum est, nempe vt si quid sit improbabile, refutetur; si quid intrusum, denotetur: alioqui maneant auctoribus opera sua: nec ob paucas alienas opiniones omnia abiudicẽtur. Facit ergo contra nos apud Dextrũ in Chronico ille locus ad annum Christi centesimum & Romæ octingẽtesimum quinquagesimum primum, vbi legitur:

DIONYSIVS AREOPAGITA dicat Eugenio Marcello, dicto propter ingenij excellentiã Timotheo, libros De diuinis nominibus. Quæ verba, vti iacent, difficulter admitto esse Dextri, propter absurda, quæ in illis continentur, magisque existimo ita fuisse à Dextro conscripta: *DIONYSIVS AREOPAGITA dicat Timotheo libros De diuinis nominibus.* Nam certè illa intermedia: *Eugenio Marcello dicto propter ingenij excellentiam Timotheo,* putidè & ad vindicandam Eugenio Toletano Episcopo inscriptionis illorum librorum gloriam videtur iniecta. Et quamuis daremus verba illa esse Dextri, tamen minimè concederemus dextrè idcirco esse dicta. Quid enim minus dextrè dici potest, quàm illud? *Dicto propter ingenij excellentiam Timotheo.* Nec enim Timotheus *ingenij excellentiam* sonat, sed *honorem Dei.* Est enim *τιμὴ honor*, non autem *ingenium.*

Deinde cur alia atque alia M. Marcello agnona? si primò *Eugenius*, cur deinde *Timotheus* appellatur? Nam *Timothei* quidem iam dixi non conuenire, magisque pòst ostendetur. *Eugenius* autem vbi aut à quo est appellatus? Si Romæ & à patre suo, vtpote Romæ Præfecto, certè potiùs *Nobilis* vocatus esset Romano nomine, quàm *Eugenius* Greco. Nec dici videtur posse id familiæ Marcellorum fuisse gentilitiũ nomen, nullis videlicet apparentibus, vbicumque demum quæsieris, eius rei vestigijs, & (quod plus est) more Romano cõntra stante. Ac proinde magis credibile fuerit Auctorem illum tres euangelij in Hispania præcones in vnum confudisse, *Marcellum, Eugenium, Timotheum.* Cunctos enim in Hispania fuisse habemus partim in ipso Dextro, partim in alijs Scriptoribus. In dextro quidẽ ad annum Christi sexagesimum quartum his verbis: *S. Paullus ad Hispanias veniens secum fert Philemonem, Timotheum, aliósque Discipulos.* Vbi quis dubitare possit, quin Timotheum Ephesiorum Episcopum intelligat, vti & Philemonem illum, ad quem vna extat Paulli epistola? De Marcello item constat, non tantùm è Dextro (qui ad annum Christi quinquagesimum scribit Petrum Christi Vicarium Hispanias adiisse, *multis eum comitantibus M. Marcello, Eugenio, Apollinari Rauennate* &c. sed etiam è Methodio in Martyrio S. Dionysij Areopagitæ. *Tunc*, inquit, *S. Dionysius Marcellum in Hispaniam misit.* Denique & de Eugenio liquet, tam è veteribus monumentis Dionysiani cœnobij apud Parisios, quàm ex Actis eiusdem martyris à Stephano Leodiensi Episcopo ante multa sæcula, vt in vita scriptum est, recognitis. Vide ibi cap. 21. Quòd verò is Eugenius sit idem, qui M. Marcellus, nec in illis Actis, nec in monumentis Dionysianis, nec in ipso Eugenij tumulo (cùm tamen in tumulis nunquam fere propria omittantur nomina) nec alibi denique, quàm in Dextro vllum apparet vestigium. Nam Ioannes Mariana rerum Hispanicarum diligentissimus explorator, libro 4. de rebus Hispaniæ, cap. 4. cùm ad Eugenij Toletani peruenit tempora, fatetur Hispanos nullo alio niti argumento, cur putent Eugenium esse eundem cum Marcello, aut cum Philippi Marcelli socio, quàm quòd in antiquis Scriptoribus nulla reperiatur Eugenij mentio: & de Philippo & Marcello nesciatur quid gesserint. *Sunt qui putent*, inquit, *Philippum quendam à Clemente in Hispaniam, Episcopum amandatum, aut certè Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adiũxit ex Gallia (vt Michael Syncellus est auctor) Eugenium ipsum fuisse, atque hoc quidem nomen ab ingenita nobilitate manasse, alterum autem à parẽtibus accepisse. Quod cùm affirmant, nulla meliori coniectura nituntur, quàm quod Eugenij nulla mentio extet in antiquorũ scriptis: Philippus & Marcellus quid rerum in Hispania gesserint, penitùs lateat.* Sic ille.

Credi-

Credibile est igitur Dextrum, vbi recensitos reperisset multos Sanctorum, qui temporibus Apostolorum peragrassent Hispaniam, interque alios M. Marcellum, & Eugenium, & Timotheum, credibile est, inquam, ex caussa omissæ distinctionis eum existimasse vnicum esse qui tres erant. Alioqui enim si à fidelibus (vt vult Biuarius pag. 30.) est appellatus *Eugenius*, idque ob generis sui splendorem, quòd esset ex familia & domo Neronis; quomodo Christiani ad eum scribentes non eo nomine illum appellarunt, quod ipsi dederant? Nam sancti Nereus & Achilleus ad eum scribentes, nulla *Eugenij* mentione, sic tantùm inscripserunt: *Nereus & Achilleus serui Christi IESV, fratri & condiscipulo Marcello æternam salutem.*

Quibus ille respondens hanc vsurpauit inscriptionem: *Marcellus seruus Christi sanctis Confessoribus Nereo & Achilleo.*

Ipsas eorum litteras si quis requirat, inueniet tomo 3. Surij in actis eorundem Martyrum.

Ad eundem Marcellum scripserunt & alij, sed hoc modo: *Eutyches, Victorinus & Maro serui Domini nostri IESV Christi Marcello.*

Ita nimirum in Actis Nerei & Achillei & aliorum perpetuò *Marcellus*, nunquam *Eugenius*, nunquam *Nobilis* appellatur, neque in Græcis, neque in latinis exemplaribus.

Præterea peruetustus Auctor, qui sancti Petri Apostoli martyrium & sepulturam descripsit (cuius verba referuntur apud Vincentium Bellouacensem in Speculo historiali, lib. 9. cap. 25.) non aliter quàm *Marcellum* appellat. *Marcellus quidam frater*, inquit, *statim corpus sanctum proprijs manibus de cruce deposuit & lacte ac vino optimo lotum & aromatibus conditũ diligentissimè sepeliuit, In ipsa autem nocte cùm ad sepulchrum eius vigilaret, & ardenti ipsius desiderio fleret (statuerat enim in vita suâ non separari à Doctoris sui sepultura) stetit antè eum beatus Petrus & ait: Frater Marcelle, non audisti vocem Domini dicentis: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos? Ne ergo quasi mortuum videaris sepelire & flere, sed quasi viuus viuenti & gaudẽti congaudere, relinque mortuos sepelire mortuos suos; tu autem, vt per me didicisti, vade & annuncia regnum Dei.* Sic ibi. Quæ non est dubium, quin de S. Marcello Petri discipulo dicta sint: præsertim cũ ipse Dexter ad annum Christi centesimum notet illum peregrinationum S. Petri indiuiduum comitem extitisse, & ex familia domóque Neronis fuisse: ita vt facile illi fuerit talem magistro suo curare sepulturam.

Deinde nomen *Eugenius* esse proprium, sicut & *Timotheus*, ex eo patet, quod ab omnibus, vno excepto Dextro, semper solitaria ponantur S. Eugenius, S. Timotheus: quod non fieret, si essent appellatiua. Quemadmodũ S. Ignatius martyr agnominatus est quidẽ Theophorus, sed quod absolutè appelletur Theophorus, vix reperitur. Et tamẽ non legimus nomen Theophori alteri cuipiam, vel vt nomen vel vt agnomen, adhæsisse: sicut Eugenij & Timothei multis fuerunt nomina propria.

Sed esto. S. Marcellus fuerit agnominatus *Eugenius* (de quo tantùm elucidandæ veritatis caussa nunc disputo) id ipsum pro nobis facit, qui dicimus non agnominatum esse *Timotheum*. Facilius enim esset credere M. Marcellum fuisse agnominatum *Timotheum*, si non fuisset agnominatus antea *Eugenius*. Quid enim attinebat post datum illi agnomen *Eugenij*, dare etiam postea agnomen *Timothei*? præsertim cùm alij plures sub ea tẽpora nomine isto vocarentur aut vocati essent *Timothei*. Deinde si S. Dionysius in libri sui inscriptione alium voluisset designare Timotheum, quàm illum Paulli notissimum comitem & discipulum, sanè addidisset vel nomẽ ipsum eius proprium, vel aliquid aliud, quod ambiguitatẽ appellationis tolleret: vocando autem absolutè Timotheũ, nullum sanè aliũ voluit designare, quàm eum, qui inter Timotheos appellatos præcipuus fuit, & in ore omnium.

Est & alius locus in eodem Flauio Dextro ad annum Christi 220. & Romæ 971. his verbis:

Extat quædam epistola, quæ circumfertur ad M. Marcellum Toletanum Præsulem, quem vocat: filium & Timotheum, id est, Deo honoratum. Nam alter Timotheus, cùm epistola hæc est scripta, iam in viuis esse desierat.

Quę verba mihi persuadere non possum esse Dextri, sed potiùs hominis plani & ignari, qui volens omni modo persuadere eundem esse M. Marcellum & Timotheum illum, ad quẽ scribit Dionysius, putidissimè hæc coagmẽtauit. Aduerte autem aliam hic dari interpretationem nominis Timotheus, quàm priùs. Dicebat enim prius dictum Timotheum *propter ingenij præstantiam*, cùm dicere debuisset, *ob pietatis præstantiam*: nunc Timotheum interpretatur *Deo honoratum*, cùm interpretari deberet, *honorantem Deum*. Differunt enim Τιμόθεος & Θεότιμος, cùm prius actiuè, posterius passiuè capiatur. Est enim Θεότιμος *Deo honoratus, valde honorandus*, sicut τρίτιμος, πολύτιμος, μεγαλότιμος, ἰσότιμος, & alia eiusdem sortis, siue quotiescunque pars τιμος est finis cõpositi. Tum enim tales voces sunt passiuæ significationis. Aliter autem & è contrario res habet, cùm est initium compositi. Tunc enim actiuam, vt dixi, habẽt significationem. Vnde τιμόπολις Euripidi, est is qui honorat ciuitatem, seu, qui ornamento est ciuitati, non autem qui ab ea honoratur. Sic σωσίπολις Aristophani, *seruator ciuitatis*. Sic φιλόπολις, *amator ciuitatis*. Et ita de alijs. Itaque alterutrum dicendum est, vel addita hæc esse ad Dextrũ, vel

vel Dextrum nescisse litteras: posterius dicere non ausim: igitur prius. Alia, quæ in suprà dictis verbis insunt absurda prætereo. Hoc autem passim toto libro cōstat eum Chronici auctorē seu è libris Hispaniæ ecclesiasticis compilatorem, plus nimio genti suæ addictū, aliena multa in ius suū (si ius dici potest) & in propositas suæ celebrandæ patriæ laudes pertraxisse. Hactenus de Dextro: iam ad soluenda argumenta Francisci Biuarij eius commentatoris (quem agnosco virum doctum & proposito suo defendendi Dextri ingenuè sollertérque insistentem) accingamur.

Primum erat de S. Timotheo, quem dicit sub Domitiano Imp. mortuum. Id nego verū esse. Probaui enim in Notationibus ad vitam S. Polycarpi, cap. 7. sub Nerua Imp. esse mortuum: nempe id attestante beato Polycrate secundi sæculi Scriptore, & eiusdem Ephesinæ Ecclesiæ, cuius fuit ipse Timotheus, Pontifice: qui haut dubiè ea quæ de Timothei excessu scripsit, ex ipsis illius ecclesiæ tabulis exscripsit. Nā moris tum fuit ecclesijs, (qui mos hodieque perseuerat) Episcoporum suorum notare tempora & successiones, singulorumque ingressus & obitus, nec annos tantùm, sed etiam dies interdum ipsos sacris mandare tabulis. Miror proinde Biuarium trahere Polycratē in suas partes, immo & illud quoque magis demiror ipsum vocare Polycratem discipulum S. Ioannis Apostoli, cùm inter eos vnum ferè interfuerit sæculum.

Neque item in eo assētiri Biuario possum, quòd Timothei vitam, quæ extat apud Metaphrastē putet esse eam, quę scripta sit à Polycrate, cum valde inter se differant: & ista quidem nonnulla contineat, quæ multis post Polycratem sæculis contigerunt: ac præterea de tempore generéque mortis non prorsus consentiat. Itaque nego S. Timotheum tunc fuisse mortuum, cū beatus Dionysius libros suos primò composuit: sed tunc tantùm, quādo illos post S. Ioannis ab exilio reditum, & post scriptum ab eodem Euangelium & Apocalypsin (quæ ipse ardenter desiderabat, vt eius data ad ipsum epistola declarat) accuratiùs relegit, & locis illius Apostoli & noui Euangelistæ, partim velut gemmis quibusdā ornauit, partim velut fortissimis argumentis corroborauit. Nam & hoc frequentissimè fieri scimus, vt si post editionem alicuius operis, quippiam noui vel à Pontifice maximo, vel ab aliquo alio præcipuæ auctoritatis viro constituatur, aut in lucem edatur, quo nostra firmari possint, ea perquam auidè arripiamus, atque in alteram editionem inmittamus.

Neque magnopere nobis curæ est, superstitne adhuc is, cui liber primò dicatus fuerit an iam obierit. Si quis igitur argumentari velit ex eo, verbi gratia, quod in illo citetur statutum aliquod Pontificium abhinc tribus dūtaxat, quatuórue annis editum, non potuisse eum librum vel Baronio vel Toleto, exempli caussa, dedicari, qui aliquanto antè fuerint mortui, certè infirmum ac vanum fuerit argumentum. Nam prima libri dedicatio, quæ fuit multò ante illud statutum, illo adueniente nihil mutata est. Ita in Dionysij operibus accidit. Illis enim aliqua postmodum adiecta sunt, & fortasse etiam variata, sed libri dedicatio eadem mansit & non variata. Quis porrò, si ætate vixisset Dionysij, & libros ante euulgatum Ioannis euangelium edidisset, aliud faceret, quàm fecit Dionysius? quis, inquam, post euangelium iam euulgatum impetrare à se ipso posset, vt opus suum non retractaret, nec illud aduocatis è nouo tanti Apostoli euangelio auxilijs melius faceret? Alioqui insipiens sanè esset & haberetur, si id negligeret. Talis igitur fuisset & haberi debuisset sanctus Dionysius, si aliter, quam fecit, fecisset. Quòd verò & vsitata fuerit antiquitus librorum retractatio, sit etiam illa M. Tullij in epistolis ad Atticum testificatio. Is enim cùm aliquando librum quendam suum placere eidē Attico intellexisset, eum illi postea misit retractatiorem, & dixit: *Quod te Erotem non sine munusculo expectare dicis, gaudeo eam rem non fefellisse expectationem tuam. Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum & refectum.* Sic ille libro 16. ad Atticum, epistola tertia. Ita omnino & Dionysius noster fecit. Opuscula sua crebris locis Euangelij & Apocalypseos Ioannis inculcata & refecta emisit. Erat enim ante inuentam typographiam ea librorum retractatio, vt longè facilior, ita multò frequentior. Quin ego ipse, nisi typographiæ mea committere statuissem, aut potiùs, si nulla fuisset typographia, multis iam annis vitam hanc S. Dionysij & quasdam alias in lucem exire permisissem, quas nunc edo longè retractatiores. Denique ipse Flauius Lucius Dexter omnimodam historiam suam (vt ipsemet est auctor) primò emisit & sancto Hieronymo dedicauit non admodum locupletem, postea autem *multis locis, vt ipsemet scribit, auctam locupletatámque* rursum edidit, atque in ea tēpus mortis ipsius Hieronymi descripsit, & quædam alia, quæ post eius mortem acciderunt. Sic autem locupletatam dedicauit alteri, nēpe Paullo Orosio, Presbytero Tarraconensi. Faciamus igitur, (quod fieri potuit & fortè debuit) Dextrum non mutasse epistolam dedicatoriam; an ex eo, quòd in isto opere fieret mortis sancti Hieronymi, & aliorum qui post eum fuerunt, mentio, benè sequeretur illum Hieronymum, cui liber ille dedicatus legeretur; non esse sanctum Hieronymum Presbyterum, sed aliquem alium eo nomine esse requirendum? minimè gentium. Cur ergo idem in Dionysio non dicimus, quod in Dextro dici potest? Ecquis est enim aut fuit, aut erit (seposita

posita Dextri auctoritate) qui audita inscriptione: *Ad Timotheum*, non statim illum intelligat Timotheum, qui absolutè, & non aliter quàm Timotheus appellatus sit? presertim si argumenta omnia, quæ contrà obijci possunt, commodè diluantur? Atqui & ab alijs ante nos, saltem ex parte, atque à nobis etiam aliquoties & quidem pleniùs id est factū. Et, quæso, iudicet sincerè sincerus lector, vtrum sit probabilius? Dionysiumne Areopagitam librum suum *De diuinis nominibus* scripsisse anno vitæ suæ centesimo primo aut secundo, an verò aliquanto antè tempore composuisse, seu prima, quod aiunt, manu corpus ipsum libri exarasse (nempe anno ætatis circiter septuagesimo, quo integriores illi vires erant, & quo ipse viuebat & vigebat Timotheus) sed demum anno ætatis plus minus centesimo, id tantùm, quod facilius erat, perfecisse? hoc est, accepta iam & perfecta vtriusque tā Apocalypseos, quam Euangelij S. Ioannis historia, locis inde assumptis adauxisse & locupletasse? præsertim cùm ipsi fere libros nostros non minus, quàm parentes liberos, adamemus: & cùm eorum profectum & perfectionem magis subinde quàm illi, tam diurno, quàm nocturno studio procuremus. Neque verò omnis ætas, vt liberis gignendis, sic libris edendis est idonea. Hinc rectè M. Varro, cùm de quiete à scribendo cogitaret, *Annus me*, inquiebat, *octogesimus admonet, vt vasa colligam. Si enim homo bulla, quanto magis senex?* Quod autem dixi Franciscum Biuarium in ea esse sententia, vt teneat Dionysium libros suos scripsisse anno ętatis suæ centesimo primo, id probatur ex istis eius verbis in commentario ad Dextrum, anno Christi 100. pagina 202. *Ad calcem*, inquit, *monere necessum est, non ideo hoc anno 100. egisse Dextrum de libris Dionysij, quasi eo anno scripti sint. Constat enim post centesimum decimum martyrio S. Ignatij celebrem scriptos fuisse: sed quia semel de Dionysio & Marcello Eugenio sermonem inierat, placuit hoc de illis inserere: præsertim quia non dixit hoc anno id accidisse, sed per hoc tempus, nimirum principio secundi centenarij annorum Christi Domini.* Ex quibus verbis necessariò colligitur Dionysium illos libros scripsisse anno ætatis suæ centesimo primo aut secundo. Nam Dionysius viginti quinque annorum erat tempore passionis Christi, (vt ipsemet de se scribit Dionysius in epistola ad Apollophanem) ita vt Christus Dionysium ætate, vt summum, annis nouem antecederet. Tot enim ferè & non plures intersunt inter vicesimum quintum Dionysij & tricesimum tertium aut tricesimum quartum Christi.

Si ergo Dionysius scripsit libros *De diuinis nominibus* post annum Christi 110. vt vult Biuarius, certè scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo. Nam annus centesimus vndecimus Christi est Dionysij centesimus secundus. Iam verò cui potest videri probabile Dionysium libros illos scripsisse anno ætatis suæ centesimo secundo? Ætas illi scilicet librorum fecunda est. Et si librum *De diuinis nominibus* scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo, librum *De mystica Theologia* quoto? nā hunc scripsisse post illum prorsus liquet: cùm capite tertio libri *De mystica Theologia* ita scribat: *In libro autem De diuinis nominibus, quomodo bonus appelletur* [Deus scilicet] *quomodo ens, quomodo vita, sapientia, virtus, & alia, quæ ad diuinorum nominum pertinent intelligentiam, diximus.* In hasce videlicet salebras se induunt, qui vnam beati Ignatij martyris sententiam alio, quàm oporteat, sensu capiunt, & qui malè intrusam esse in Dionysium, non autem à Dionysio scriptam, non intelligunt. Et hæc est, quam idem Biuarius pro secundo aduersum nos argumēnto, velut inexpugnabilem machinam admouet. De qua mox dicam. Priùs enim mihi ab illo quiddam concedi volo, quod iustè recusare non potest. Nam cùm Dexter ad annum Christi centesimum notet Dionysium *per hoc tempus* dicasse librum, *De diuinis nominibus* Timotheo, ipse Biuarius illud *per hoc tempus* vult non significare illo restrictè anno, sed posse ad vndecim annos in tempus posterum protrahi, ita vt idem sit atque si diceret, anno Christi centesimo vndecimo: igitur ab illo vicissim peto, vt sicut ipse protrahit ad vndecim annos in tempus posterius, ita mihi liceat ad vndecim annos in prius retrahere: nimirum, vt *per hoc tempus* significet vndecim annis ante Christi centesimum, qui erit Christi octogesimus nonus & Domitiani sextus, atque ita nihil prorsus obstabit, quin & liber ille *De diuinis nominibus* potuerit esse dicatus Timotheo Paulli discipulo, prima scilicet compositione & dedicatione: cū satis constet longè pòst (etiam ipsius confessione Biuarij) mortuum esse Timotheum. Nā loca Euangelij Ioannis & Apocalypseos post libri retractationem esse addita iam ostendi: nec obstare locum Ignatij iam ostendam, aut digitum saltem, quod dicitur, ad fontē intēdā. Secundū igitur argumentum Francisci Biuarij est: quòd S. Dionysius cap. 4. *de diuinis nominibus*, citet Ignatium ex epistola ad Romanos scripta vndecimo Traiani anno, Christi autem 110. vel 111. Cui argumento hîc nō respondebo, quia priùs responsum est. Vide suprà quæstionem secundam in respōnsione ad quartum, & in commentario nostro ad Ignatij epistolam, atque etiam in notationibus ad vitam. Illis enim locis clarè ostendimus, ex illo Ignatij loco nullum desumi posse contra libros Dionysij argumentum: quandoquidem illam sententiam AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST, non scriptam esse à Dionysio (cui nihil profuisset) sed intrusam in Dionysium ab homine sensus illius ignaro monstratum est. Quod autem à Biuario adfertur

fertur de periculo, quod sanctorum libris immineat, si liceat aliquid proprio marte ex illis sine alicuius antiqui codicis testimonio abradere; respondemus nos proprio marte nõ abradere, sed omnino abradendum ratione conuincere. Eam, si dignetur ipse legendis nostris, sicut nos suis legendis libenter dedimus, aliquid vacui temporis tribuere, locis iam citatis inueniet.

Alia rursus bina argumenta ex ipsis Dionysij petita libris profert in medium. Primum est, quòd cùm Dionysius sexcenties, vt ipse ait, alloquens Timotheum referat ex vtraque Paulli ad eum epistola sententias, nunquam dicat, *vt rectè tibi Paullus scripsit*, aut simile quippiam. Respondeo aliam librorum qui ad multos spectant, aliam epistolarũ quæ singulos tangunt esse rationem. In libris qui ad omnes diriguntur, non est moris eum cui librũ dedicamus crebrò alloqui; immo à plerisque omnibus, etsi bona se offerat occasio, tantùm in præfatione seu dedicatoria epistola fit: in epistolis autem, quæ ad vnum exarantur, id liberalius fit. Quæ igitur Dionysius ad Timotheum scripsit, libri sunt, non epistolæ. Respondeo secundò, salua Francisci Biuarij pace, rarò aut nunquam Dionysium citare sententias Paulli ex epistolis ad Timotheum, tunc scilicet cùm alloquitur Timotheum, lõgè abest, vt sexcenties. Et quod dicit citari locum ex 1. ad Timotheum 1. *Regi autem sæculorum immortali, inuisibili &c.* valde audacter dicit, cùm id non possit in Dionysio ostendere. Sed cùm *Rex sæculorum* sit vnum è diuinis nominibus, illud quoque explicat S. Dionysius cap. 5. sed nec citato Paullo, nec allatis eius verbis. Tantùm enim sic dicit: Διὸ καὶ βασιλεὺς λέγεται τῶν αἰώνων, ὡς ἐν αὐτῷ, καὶ περὶ αὐτὸν παντὸς τοῦ εἶναι, καὶ ὄντος καὶ ὑφεστηκότος, καὶ οὔτε ἦν οὔτε ἔσται, οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται. *Hinc & REX SAECVLORVM dicitur*, inquit, *quòd omnibus in eo & circa eum existentibus & subsistentibus ipse neque fuit, neque erit, neque genitus fuit, neque gignitur, neque gignetur*, &c. Sed vnde habetur, inquies, vocatum esse *Regem sæculorum*, nisi ex Paullo? Respondeo haberi ex libro Tobiæ cap. 13. versu 6. vbi Tobias senior sic loquitur: *Aspicite ergo quæ fecit nobiscum. & cum timore & tremore confitemini illi: REGEMQVE SAECVLORVM exaltate in operibus vestris.* Et ex Ioannis Apocalypsi cap. 15. versu 3. *Iustæ & veræ sunt viæ tuæ REX SAECVLORVM.* Neque item magis citatur Paullus ad Timotheum in libro de cælesti Hierarchia cap. 2. quod tamen dicebat Biuarius. Denique si quis attentè Dionysium legat, (quem ego ad eius vitam conscribendam & trahenda inde documenta, non solùm terque quaterque, quod aiunt, volui & reuolui, sed eo etiam sæpius) nunquam inueniet in iis locis, quę profert Biuarius, debuisse Dionysium Timotheo dicere, *vt rectè tibi Paullus scripsit.* Nec enim ibi vllatenus congrueret: quandoquidem in illis locis totus sit vel in doctrina vel in disputatione; & nulla ibi fiat mentio Timothei. Quomodo igitur induceret, vt rectè tibi scripsit? Tales enim allocutiones tum haberẽt locum, si Dionysius allato Paulli ad Timotheum loco, cum moneret, hortaretúrue ad quippiam præstandum; vt fieri solet in epistolis, aut cohortationibus, quemadmodum & fecisse reperitur beatus Martyr Ignatius in epistola sua ad Ephesios, cùm citaret Paulli ad eosdem verba. *Et sitis*, inquiebat, *quemadmodum Paullus vobis scripsit, vnum corpus & vnus spiritus: quoniam & vocati estis in vna spe fidei.* Si autem Dionysius in epistola ad Demophilum aut ad alios citet Paulli verba ad Timotheum, sanè hoc nihil ad rem. Nec enim potest dicere scribens Demophilo, vt tibi Timothee rectè scripsit Paullus. Esset enim inepta apostrophe. Sin scriberet, *vt rectè ad Timotheum scripsit Paullus*, tum id pro nobis faceret, non pro Dextro, neque pro Biuario.

Secundum argumentum est: quod Dionysius Timotheum semper vocet *filium*, libro *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 1. *Sanctissime fili Timothee*, Et ad calcem eiusdem libri, *Ista fili tam multa.* Et libro de cælesti hier. cap. 2. *Tu autem ô fili* &c. & libro secundo *De diuinis nominibus*, capite 2. parte prima. *Nemo autem*, inquit Biuarius, *sanæ mentis sibi persuadebit Dionysium filij nomine vnquam illum Timotheum vocasse, qui ipso Dionysio antiquior discipulus & Ephesinus Episcopus erat: quem ita nimirum Paullus honorauerat, vt sex epistolas sub suo & ipsius simul nomine inscripserit.* &c. Ita Biuarius. Quem quidem hoc loco miror modestiæ, (quam alias satis videtur adamare) fines excessisse. Itane vero? tam multi & tanta doctrina viri, qui sanè, vt plus non dicam, Biuario in litteris seu sacris seu profanis nihil aut non multum cedunt, tam multi, inquam, & tanti viri qui sibi persuaserunt & comprobarunt Timotheum in illis locis vocari filium, sanæ mentis non fuerunt? immo vero valde metuendum est, ne id dictum (tametsi à docto & probo viro dictum) tamen, quia non omnibus horis, vt vulgo dicitur, sapimus, non videatur à sana mente dictum. Ecquomodo autem non vidit vir prudens a multis viris sapientibus & sanctis isti argumento esse responsum? quomodo etiã morem illum vsitatissimum præ oculis nõ habuit, qui hodiéque perseuerat, vt admodum senes (talis enim erat iudicio Biuarij Dionysius, dum scriberet *de diuinis nominibus*, hoc est centum & duorum annorum) iuniores ætate appellent *filios*. & hi similiter illos appellent *patres*. Iam autem Timotheus respectu Dionysij erat admodum iuuenis: quippe qui Neronis tempore vocetur adolescens, & ad ad quem scribens Paullus dicat: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*: tum autem Dionysius duplam circiter illius ætatem exegerat.

Secundò

Secundò filiorum appellatione censentur discipuli, & patrum nomine, magistri. Ita sanctus Dionysius Alexandrinus, cùm libros *De natura* inscriptos, Timotheo cuidam dedicaret, eum *filij* nomine compellauit. Vti apud Eusebium Cæsariensem cerni licet libro 7. historiæ ecclesiasticæ, cap. 26. editionis græcę. Timotheus igitur in philosophia & sæculi disciplina, cuius rudior erat, atque etiam in subtiliore Theologia, (his enim aduersus philosophos fidem nostram oppugnantes opus erat) Dionysium habebat pro magistro: & illum absens per epistolas cōsulebat. Nec enim parum periculi à philosophis & sæculi sophistis ecclesiæ imminebat. Hinc & Paullus cautum Colossensibus volens, *Videte*, inquiebat, *ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Tertiò, cùm Timotheus satis esset natura timidus & pusillanimis, (quod in notationibus ad cap. 7. vitę sancti Polycarpi ex ipsomet Paullo probauimus) non tantùm doctore sciētiæ, sed etiam magistro virtutis & constantiæ indigebat. Miror autem Biuarium non didicisse ex Paulli epistolis & è sancti Ioannis Apocalypsi, qualis fuerit sanctus Timotheus; vt à pueritia quidem pro ingenij modo in sacris versatus litteris (quippe matre Christiana natus), atque etiam insigni pietate & sanctimonia præditus: ita ad res magnas animi interdum nimis pusilli, & duce atque incitatore indigentis. Nam quòd vtriusque nomine tot epistolas scripsit Paullus, quódque eum sæpius & impensè commendauit, hoc non erat, quod magna valeret præ alijs auctoritate Timotheus, sed vt valeret. Nam & S. Chrysostomus in Paulli epistolis longè omnium oculatissimus ideo illum coniunxisse sibi in inscriptionibus Timotheum scribit, vt ei auctoritatem conciliaret: quemadmodum videre est in secundæ epistolæ ad Corinthios commentarijs.

Tertium argumentum Biuarij contra nos, (quod tamen in aduersarios validè repulsum integram nobis pariet victoriam) est illud: Nempe maioris semper fuisse auctoritatis apud discipulos Timotheū quàm Titū: vt poteque Paullus plus honorauerit. Atqui Dionysius scribens ad Titum nō vocat eū *filium*: multo igitur minus sic debuit vocare Timotheū.

Respondeo auctoritatem tribus rebus potissimè & vsitatissimè comparari: primò ab ætate; & hoc modo senes maioris sunt auctoritatis, quàm iuuenes: secundò, rerum in nobis sitarum excellentia, vt scientiæ & virtutis & egregiorum facinorum: tertiò ex honore & dignitate extrinsecus adueniente. Hic autem honos vel expenditur rerum magnarum commissione, vt gubernatione vrbium, administratione prouinciarum, eiusque modi alijs: vel familiaritate alicuius & gratia apud magnos. Ego autem censeo & assero hisce tribus primis modis fuisse Titum maioris auctoritatis, quàm Timotheum: plusque illum præsertim intrinsecus momenti ad auctoritatem habuisse, quàm hunc. Primò igitur plus Tito auctoritatis erat ab ætate: quod satis potest è Paulli epistolis & ex infrà dicendis colligi.

Secundò à scientia, prudentia, alijsque virtutibus ad ecclesiæ gubernationem spectantibus: vt non magnopere eguerit magistri commendatione, Paullus autem frequenter eius auxilio. *Cùm venissem autem Troadem*, inquit Paullus, *propter euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.* Ecce igitur quanto Titi absentia impedimento fuerit Paullo, quo minùs Troade annunciaret euangelium: quia videlicet Titus Paulli erat interpres, vt quę vna lingua Paullus, ille loqueretur altera: & si qua Paullus obscuriora & diuiniora effatus esset, hic vt talium intelligens mysteriorum clarè & euidenter efferret. Atque vt Apostolo Titi absentia magno mœrori, sic præsentia magnæ consolationi fuit. *Nam & cùm venissemus*, inquit, *in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ: intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.* Et paullò inferiùs: *In consolatione autem nostra abundātiùs magis gauisi sumus super gaudio Titi: quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis.* Et cap. 8. versu 2. *Ita, vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Et quidem quòd pluris Titum Apostolus fecerit, quàm ipsum Lucam Euangelistam, inde etiam probatur, quòd eodem ipso capite dicat se mittere cum illo Lucam. Igitur rogat Titum, mittit autem Lucam. *Gratias autem Deo*, inquit, *qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cùm sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ &c.* Et rursus capite 12. versu 17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne ijsdem vestigijs?* An etiam ex his nō patet quanti Paullus Titum fecerit? Veritus est enim dicere se illum misisse: sed tantùm rogasse, aut, vt suprà innuit, exhortatum esse vt iret, Corinthum scilicet: Lucam verò nō se rogasse dicit, vt iret, sed simpliciter misisse. Deinde si pluris eos facimus, magisque illis confidimus, quibus plura & maiora committimus: commissa est Timotheo Ephesus: sed Creta Tito. Nēpe illi vrbs vna: huic autē integra & multis plena vrbibus insula. Et ille quidem

2. ad Corint. cap. 2.

2. ad Cor. cap. 7.

Ibid. cap. 8.

Ibidem.

Ibid ca. 12.

dem Ephesi futuris erat sub Ioannis Euangelistæ vmbrâ: hic verò alijs insulæ Episcopis instar vmbraculi.

Adde multo duriores ad fidem recipiendam fuisse Cretenses, quàm Ephesios. Hinc Paullus amborum magister diuersos sciens illorum populorum mores, huic quidem scribens tantùm dicit. *Increpa in omni patientia & doctrina.* Tito autem: *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* His igitur omnibus superior fuit Titus. Fateor proinde plus elaborasse Paullū, vt conciliaret Timotheo auctoritatem, siue scribendo litteras suo & illius nomine, siue aliàs impensè commendando (magis enim indigebat) verùm plus est habere à se auctoritatem, quàm ab alio accipere. Nec quòd duas ad Timotheum litteras scripserit, vnicas ad Titum, idcirco pluris illum, quàm hūc fecit. Nam cùm eæ litterę sint ad instructionē scriptæ, potius indicant (& re vera sic fuit) maiori eguisse instructione Timotheū, quàm Titū. Alioqui enim Siluanus, qui extra Paulli litteras ferè est ignotus, & ad quem nihil à Paullo est scriptum, semper tamen Timotheo prælatus ab ipso Paullo legitur: Vt 2. ad Corinth. 1. versu 19. *Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Siluanum & Timotheum, non fuit EST & NON, sed EST in illo fuit.* Et 1. ad Thessolonicenses 1. sic habet Paulli inscriptio: *Paullus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium* &c. Itaque ruit Biuarij fundamentum de maiori auctoritate Timothei quàm Titi.

Atque ex dictis etiam colligi potest, cur Dionysius Timotheum potius vocauerit filiū quàm Titum. Nec enim Titus tàm iuuenis tàmque egens consilij atque disciplinę fuit, quàm Timotheus. Denique vnicam ad Titū seu epistolam seu libellum scripsit Dionysius: qui si vnicum etiam librum scripsisset ad Timotheum, nempe illum *De mystica Theologia*, nihilo magis inueniremus Timotheum ibi appellatum filium, quàm in libro ad Titum. Quare vti in dicto libro *De mystica Theologia* Timotheum non vocauit filium, ita nec Titū in alio. Quod si tam multos ad Titum scripsisset, quam ad Timotheum, forsitan & illū peræquè filium appellasset, quàm Timotheū. Iam audienda sunt alia Biuarij verba & fortiter refutanda: ne forte homines nostræ sentētiæ suis terrificis deterreat dictis, dū rursus repetit: *Nemo autem sanæ mentis credet Timotheū illum Apostolorum comparem, qui Paulli ad vbera nutritus, & lacte doctrinæ perpetuo, dum ille vixit, edoctus, eo de medio sublato, disciplinæ Dionysij deditum fuisse, eiusque factum discipulum, & viuente quoque Apostolo Hierotheum Athenis primùm, deinde in Hispania docentem sedulo audiuisse.* Sic ille. Age igitur; demus hoc gratis, nemo sanæ mentis credat Timotheum Paulli socium & discipulum illo mortuo deditum fuisse disciplinæ sancti Dionysij Areopagitæ: cedo nunc cuius mentis ille futurus sit, aut amētiæ potius, qui credat Titum sancti Paulli interpretem, & Græcæ insulæ Episcopum ab eodem Apostolo constitutum, mortuo illo, se dedisse in sequelam, non dico Dionysij (quod ne quidem de Timotheo dicimus, sed tantùm à Dionysio nonnulla edoctum esse) sed eius qui Dionysij fuit discipulus, nempe Eugenij? Igitúrne Titus mortuo Paullo (iuxta Dextri & Biuarij sententiam) secutus est Eugenium Dionysij discipulum: & Timotheus non potuit sequi ipsum magistrum Dionysium? Fac verò æquales fuisse Titum & Timotheum (non fuerunt tamen, vt ostendimus) sed fac fuisse. Vtrum iam est minus credibile? Timotheúmne secutum esse Dionysium? an Titum secutum esse Dionysij discipulum? Hoc tamen posterius audet Dexter scribere, nec reformidat Biuarius defendere.

Quæ cum faciant, absit tamen à me, vt eos dicam non sanæ mentis, hoc tantum dicam, non satis prudentis & consideratæ fuisse. Verba Dextri ad annum Christi 220. sunt ista: *Titus cognomento Iustus, Episcopus factus, secutus primo sanctum Paullum, mox Eugenium, prædicat in Carpetanis, vbi eius memoria magnitudoq. miraculorum celebratur.* Atqui ille est Eugenius Dionysij discipulus, à Dionysio creatus Episcopus, & ab eo in Hispaniam missus. Illum ergo secutus est Titus scilicet. Quando autem? fortasse nobis ex Equilino suggeret aliquid Biuarius, vnde colligi possit. Sic ergo Biuarius ad dictum Christi annum 220. commentario tertio: *Petrus, Equilinus Episcopus,* inquit, *in cuius opere, velut in totius vetustatis apotheca, immensum mihi thesaurum semper inuenio, libro septimo catalogi, capite 118. dum vitam S. Titi, Paulli Apostoli discipuli scribit, illud inter alia narrat: Quod Paullus Titum Cretensem Episcopum ordinauerit, ipsúmque Creta dimittens abyt: post duos autem annos Titus ad Paullum Romam accessit: cum quo & fuit vsque ad interfectionem eius a Nerone, corpúsque ipsius vnà cum Luca Euangelista sepeliuit.* Quando igitur, inquam, Titus Eugenium secutus est? an statim sepulto Paulli corpore? Hoc dici non potest. Quia Episcopus fuisset secutus simplicem sacerdotem & needum Episcopum. Nam Eugenius demum sub Clemente à sancto Dionysio in vrbe Arelatensi factus est Episcopus, cùm Titus multis antè annis ab ipso Paullo, vt dictum est, creatus esset insulæ Cretæ Episcopus. An tum igitur Titus iam senex in Episcopatu, & totius Cretæ moderator nouum secutus est Episcopum? Nemo credet (audeo hic dicere) sanæ mentis. Quando igitur tandem? vno verbo, nunquam. Ita enim planè sentiendum est, nec Timotheum vnquam secutum esse Dionysium: nec Titum item, Eugenium. Indecens enim vtrumque, sed tamen hoc posterius, magis indecens. Quid igitur de sancto Timotheo dicimus? nihil scilicet aliud,

in rebus difficilioribus, magísque arduis consuluisse Dionysium, virum maximo ingenio, prudentiâ, scientiâ, ac præsertim philosophica & Theologica, atque etiam ob ætatem & Areopagi nomen, præcipuâ auctoritate præditum: hunc autem illius & aliorum gratia libros eos, quos habemus in manibus, exarasse. Aliud est enim aliquid ab altero per epistolas aut libros scriptos discere, aliud eum sequi tanquam discipulum. Prius de Timotheo, & de Tito dicimus (ad vtrumque enim scripsit Dionysius) posterius de vtroque pernegamus. De Tito tamen secuto Eugenium tanquam discipulum videntur Dextri verba necessariò esse accipienda: quandoquidem eodem modo de vtriusque tam Paulli quàm Eugenij sequela sonent & procedant. Dicit enim: *sequutus primò Paullum, mox Eugenium.*

Atqui Paullum, vt discipulus & inferior, sequebatur: sic ergo & Eugenium. Quòd si forte tantum virum fuisse velit aliquis Eugeniū, vt sequi potuerit eum Titus; eo etiam modo sequetur illud absurdum, quod cadere posse in hominem sanæ mentis non credit Biuarius. Nam si Eugenius fuerit maior Tito, fuerit etiam procul dubio saltē æqualis Timotheo. Quod si Eugenius æqualis fuerit Timotheo, non poterit sanè Dionysius Eugeniū Timotheo æqualem magis filium appellare, quā ipsummet Timotheū. Addā & illud, quod mihi in præsentia succurrit, pro nostrâ sententiâ argumētum: Timotheum & Titum fuisse Discipulos sancti Paulli, cuius fuit & Dionysius; Eugenium autem non sancti Paulli, sed Petri fuisse discipulum & sectatorem, ipsius autē Dionysij exiguo tantùm tempore: quare cùm certum sit, ipso confitente Biuario, Dionysiū scripsisse ad Titum Paulli discipulum, credi quoque pronissimū est, eundem Dionysiū ad alterum eiusdem Paulli discipulū, Timotheū illos scripsisse libros qui extant, præsertim cū in epistola ad Titum Timothei faciat mentionem. Græcè item scripsit Dionysius non latinè: ex quo longè probabilius fit ad Græcos scripsisse, quàm ad Eugenium hominem Romanum, qui & an græcè sciuerit, incertum est. Nā totam ætatem suam, vel in Italia triuit (vt pote Romanus, quod Dexter & Biuarius docent) vel in Gallia, vel in Hispania. De his enim liquet, Græciam autem si aliquādo viderit, non liquet. Quamuis enim negare nolim græcè eum scire potuisse, tamen an sciuerit, & ita sciuerit, vt libri græcè scripti potuerint ei dedicari, haud equidem scio. Iam autem si quis fortè cuipiam restet in re tam cōprobata scrupulus, & stans à Biuario maiorē adhuc Tito reputet Timotheum, atque idcirco non magis hunc debuisse filium appellari, quàm Titum; auctor ego illi sum, vt illam totius vetustatis apothecam, de qua superiùs actum est, *& in qua immensum sibi thesaurum sēper se inuenire profitetur* Biuarius, ingrediatur, videatque an non talem, tantúmque ibi faciat Titum Equilinus Episcopus, vt vix ei cōparari possit Timotheus. Nam eum quidem sanè scribit clarissimis ortum esse parentibus, & retrò vsque ad Minoa regem Cretæ, ipsius refert genus, itémque admirabili prorsus ac diuina vocatione ad Christi agnitionem accessisse memorat, cuius etiam passioni, resurrectioni, ascensioni in cælum adfuerit, vnáque cum discipulis Spiritum sanctum in se corporaliter descendentem receperit.

Quæ si vera sunt, vt credere videtur Biuarius, certè in dubio relinqui non potest, quin Titus & longè senior sit Timotheo, & aliquot item annis grandior ipso Dionysio, (cū enim Dionysius tempore passionis fuerit tātùm viginti quinque annorum, Titus minimum 29. ex eodem Equilino fuisse colligitur) vt proinde à Dionysio non perinde vocari filius potuerit, quàm Timotheus. Qua de re vide Equilinum libro septimo catalogi, capite centesimo octauo, vbi dicit Titum viginti annos natum, & Homeri carminibus, philosophorúmque libris apprimè deditum, excepisse de cęlo vocem, quæ commonebat ista profana studia ipsi deinceps esse relinquenda, & animæ saluti prouidendum: nouē verò pôst annis eundem, lecto Isaiæ libro, tā suæ quàm aliorum salutis iam cupidiorem, missum ab auunculo suo Cretæ Proconsule Hierosolymam, ibique in Christi venisse notitiā. En igitur annos viginti nouem Titi, ante Christi passionem: quos nec Dionysius æquauit, nedum Timotheus.

Ex his, vt opinor, satis fuisse caussæ apparet, quamobrem S. Timotheus vocari à B. Dionysio *puer* aut *filius* potuerit, & non item Titus: quippe qui vtroque fuerit natu maior, tā ipso Dionysio, quàm Timotheo. Quare cùm iam argumentis contra nostram communémque sententiam obiectis abunde responsum sit, & hæc tertia quæstio sufficienter, vt mihi quidem videtur, explicata; nunc transibo ad quartam & postremam.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

DE CORPORE SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ.

Vtrum illud sit in vrbe S. Dionysij prope LVTETIAM, an Ratisponæ in Baioaria?

HAud parum facit ad nomen & gloriam alicuius Sancti, inter claros nobilésque populos de eius olim decertatum esse hodiéque decertari corpore. A pietate enim populorũ, & ab æstimatione sanctarum Reliquiarum, eiusmodi inter Christianos exoriri solent certamina. Sic igitur inter Francos & Germanos, siue potiùs, inter duorum celeberrimorum cœnobiorum, viros Religiosos, vnius in vrbe S. Dionysij haud procul Parisijs, alterius Ratisponæ in Baioaria, olim viguit, & nunc viget de S. Dionysij Areopagitæ sacro corpore non mediocris contentio. Nam illi se semper possedisse & possidere: hi verò istos olim quidem possedisse, sed nunc se possidere totis viribus pugnant. Ratisponenses enim translatum ad se dicunt, tempúsque & modum & commoditatem ostẽdunt, aut certè conãtur, quoad possunt, ostendere.

Nam aiunt tempore Arnulphi Imp. hoc est, sub annum Christi 890. à Gisalberto, vno ex Imperatoris proceribus, (qui specie admissi sacrilegij in cœnobium S. Dionysij ex composito relegatus fuerit) deuinctis ibi ex amica & liberali consuetudine Monachis ac semel hilari conuiuio exceptis, vinóque & somno sepultis, sanctum illud corpus clandestinò subreptum esse, atque ad Imperatorem deportatum: qui Imperator illud Ratisponæ in cœnobio beati Emmerami (quod esse ornatissimum cupiebat) deposuerit. Quin & quadrata quædam saxa ibidem seruari ferunt, in quibus hoc epigramma litteris Romanis maiusculis inscriptum sit:

DIONYSIVS AREOPAGITA HIC REQVIESCIT, SVB ARNVLPHO IMP. ET OTTONE REGE, SVB EVBVLONE ABBATE MONASTERII SANCTI DIONYSII GISALBERTVS FVRATVS EST QVINTO NONAS IVLII. FVRTO SVBLATVS HVC VENIT PRIDIE NONAS DECEMBRIS, TEMPORE TVTONIS EPISCOPI.

Post quæ verba sic subdit Ioannes Auentinus lib. 4. suorum annalium: *Is Gisalbertus procerum locupletissimus fuit: ex composito sacrilegij condemnatur: de industria monasterium D. Dionysij deportatus libenter à monachis recipitur: cum quibus frequenter bene victitans (nam & habebat quod dabat, & dabat nemo largiùs) lõge gratior factus est. Vbi satis fidei sibi haberi videt, sumptus affatim suppeditans, dubiam cenam, vinum studiosè optimum monachis & contubernalibus omnibus monasterij, regio luxu apparat: in noctem protrahit conuiuium: illisque omnibus vino somnóque sepultis, tum Gisalbertum sacrilegium perpetrasse litteris proditum est. Quin etiam ostenditur diploma datum D. Haimerami mystis à Leone IX. Pont. Max. qui coram Oratoribus Galliæ Reginoburgij, in æde D. Haimerami, in re præsenti scrinia & monumenta vniuersi eiusdem sani perscrutatus litem diremit, sententiam dixit, tantum cælitem è Gallia furto sublatum, Imp. Arnulpho traditum, in Baioaria Reginoburgij situm esse pronunciauit. Gallos, nisi mentiri desinant, deuouet. Et quid satis est, cui hæc parum sunt? Ego cum pertinacibus digladiari nolim. Nam istis testimonijs non credere, comploratæ perditáque est impudentia.* Sic ille.

Itaque præcipuum, & quo, vt validissimo nituntur, argumentum est; quòd exardescẽte sub annum Christi 1052. eâ controuersiâ, tãdem ad Leonem IX. Pontificem huius litis decisio delata sit, is verò secundùm Ratisponenses (apud quos tum ipse erat) iudicârit. Nam & diploma eiusdem Pontificis proferunt, in quo disertis verbis corpus S. Dionysij illis adiudicatur. Quod cum extet etiamnum, & à pluribus recitetur (nã & Baronius in suum tomum vndecimum annalium & Seuerinus Binius in tomum tertium conciliorũ,

vbi de Leone IX. Pontifice illis sermo est, retulerunt) operæ precium videtur etiam huc inducere: tum vt videatur, quid virium pro Ratisponensibus habeat, tum vt quid contrà à Francis opponatur, aut opponi possit, innotescat. Sic igitur habet:

IN SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI NOMINE AMEN.

LEO Episcopus seruus seruorum Dei clarissimo filio, inclyto Regi Francorum ac Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis in Christo filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & Decanis, vniuersisque tam subditis, quàm Prælatis eiusdem regni Salutem & Apostolicam benedictionem.

*DEVS omnipotens, qui non immeritò per Prophetam in Sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quadam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit, quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa sumet infirmitate deficiens, in quendam sui excessum rapi cogitur & stuporem. Quod ipsi nos nuper experti, & vobis in Christo carissimis, & vniuersitati fidelium promulgare compellimur: vt & Dei opera pariter admiremur. Nam cùm per instantiam serenissimi Imp. Henrici III. ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipuè ad vrbem, quæ dicitur Ratispona, vel Regensburg euocati essemus ad Venerabile corpus beati VVolffgangi eiusdem vrbis Episcopi transferendum, hoc ea, qua decuit, reuerentia & deuotione peracto, tui, Francorum Rex, in Christo fili carissime, nos Legati, tua tuorumque omnium vice sollicitè rogauerunt, quatenus litem, quæ inter vos & vrbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitæ fuerat diutissimè ventilata, veritate discussa dirimere curaremus: vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus; ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ astruentibus è conuerso, ea per inuictissimum Arnulphum quondam Imperatorem ad ecclesiam beati Martyris Emmerami esse translata, ibidémque deinceps contineri. Quæ quidem ecclesia inibi sita est, atque ab omni aliorum subiectione ac iurisdictione libera & exempta, ad ius atque proprietatem Beati Petri, Apostolicaq; Sedis immediate pertinere dignoscitur, oblatione videlicet excellentissimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni ac posterorum ipsius, qui eidem hactenus successerunt, seu in imperio, seu in regno. Id ipsum nihilominus Venerabilis Abbas Reginuuardus ac Fratres eiusdem ecclesiæ cum vniuersa Ratispona instantissimè petierunt fieri. Nos ergo vtriusque partis precibus inclinati, nec volentes vlterius corda fidelium huius dubii ambiguo caligare, in confratrum nostrorum ac plurium Episcoporum ac Prælatorum præsentia & conspectu, scripta Arnulphi Augusti, ordinémque rei diligentissimè perlegentes, nec eo contenti, capsas, thecas, & scrinia, in quibus sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos & epigrammata eorundem oculo tenus solerti examinatione discutiendo, nihilque omittendo, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus, quàm Papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietum multiplicibus & sculpturis vetustissimis exprimentibus indicia veritatis & notas, indubitata fide comperimus dicti doctoris & martyris ossa venerabilia, excepta particula vnica simul & minima manus dextræ, apud memoratum beati Emmerami cœnobium integraliter contineri. Etenim ne testimonia hominum, quæ iam diximus, non sufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt, quæ nos quoque conscribi iussimus diligenter, vobísque transmitti per vestros nuntios ac legatos; necnon apud ecclesiam prædictam perpetuo conseruari: vt & ad posteros rei gestæ notitia deducatur, & vlteriùs litigandi materia penitus conquiescat. Insuper etiam districtè præcipimus statuentes, vt translationis ipsius veneranda solemnitas tam à fratribus eiusdem ecclesiæ, quàm ab vniuersis vrbis iam dicta, annis singulis cum omni iucunditate & gaudio celebretur, totáque tripudiet regio Germanorum tanti patris atque patroni aduentui non ingrata. Vos autem in Domino dilectissimi filii Rex Francorum, tuique fideles, quamuis inuidendi Teutonicæ genti videamini iustam quidem habere materiam, ita, vt putatis, merito de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum; considerantes tamen & Dei omnipotentis & inuicti Martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentiùs, quod nec vobis totus ablatus est: quippe qui carissimos prædicationis suæ & passionis consortes Rusticum & Eleutherium in dilectionis adhuc & tutela pignus & certitudinem dereliquit. Nec dolete, si Germanos iam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc viuens prædicauit, & apud vos bonum certamen certando, cursum consummando, fidem seruando, triumphum peregit victoriosissimæ passionis, Apostolatus sui super vos signa, tam in vita perficiens, quam in morte. Cur igitur Alemanniam ipsius ossa fouere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Christo lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo transmittere permiserunt? Accedet nihilominus consolationis & alia ratio, & auctoritas scilicet & excellentia subtractoris. Preciosum quidem thesaurum vos perdidisse fatemur, sed ablatoris attendite dignitatem, simulque patris & apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cùm vos meritorum atque doctrinæ sua gaza ditauerit, vt Reliquiarum saltem suarum acossium preciositate locupletaret Theutonicas etiam apothecas, tam deuotum furem sui corporis habuit, quam insignem, auro vtique & topazio meliorē: qui sui valore ad ossa sua sãctissima

ma subtrahēda Cæsareum etiam verticem inclinauit. Nec maiestas imperialis, nec regia celsitudo pij furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulpho, dūmodo beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel sacrilegij modo satiari atque ditescere mereretur, qui fures atque sacrilegos erat solitus condēnare. Dummodo Macarij Dionysij pretioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri & sacrilegus non contempsit. Cùm insuper fides atque deuotio dubium etiam omne per hoc penitus amputauit, quod non in ipsa Roma, non in quacumque metropoli, non in vrbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed vbi suum se Dionysium condidisse & sciuit & lætabatur, suo se sperans patrocinio defendendum & conresuscitandum in die nouissimo cum Beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentiùs, & hortamur in Domino, districtè præcipientes, quatenus Rustico & Eleutherio piè contenti, non fallentes vosmetipsos & alios, beatissimi Dionysij ossa in vrbe Ratisponensium apud ecclesiam beati Emmerami Martyris & noscatis & fateamini coruscare. Datū & actum Ratisponæ per manus Friderici Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ, Anno Domini MLII. anno Pontificatus Domini Leonis noni Papæ IV. Indict. V. non. Octob.

Hactenus diploma, seu constitutio, vt vocat Baronius, Leonis IX. Papæ, quam se in veteribus Pontificum Romanorum scriptis Antonij Augustini aliquantum mendosam reperisse scribit. Fuit ille Antonius Augustinus, scriptor Hispanus & Ilerdensis Episcopus vita & doctrina insignis, sed auctor admodum recens, qui vndiquaque Pontificum Scripta & Constitutiones corrasit. Baronius porrò post adductam illam Papæ constitutionem vicissim adfert, quæ contra adferant Frāci, ac præsertim Rigordus, antiquus Scriptor natione Gothus, Regis Francorum Chronographus, qui sub Philippo Augusto Francorū Rege, & sub eius filio Ludouico floruit, & de gestis eiusdem Philippi librum edidit. Nō dirimit tamen, nec discutit litem Baronius, sed tanquam longo in opere fessus, atque ad extrema anhelans tantùm hanc de S. Dionysij corpore altercationem ei comparat, quæ inter Cassinenses & Floriacenses de beati Benedicti sacro pignore multa intercessit sęcula. Ego verò, qui labores meos, vt in longè minori itinere exercitus, ad enucleandas penitus antiquissimorum Sanctorum vitas proferre longiùs possum, statui hanc ita controuersiam elucidare, vt qui honorare ac venerari tam sanctum ac tam salutiferum pignus velit, cognoscere ex scriptis nostris possit, vbi illud potissimùm sibi requirere debeat.

Ac pro Ratisponēsibus quidem, prætet ea quæ superiùs in medio sunt posita, & vnius fortè atque alterius noui Scriptoris auctoritatem, nihil admodum reperio, quod adijcere possim. At pro Francorum caussa permulta occurrunt, quæ aperiendæ & asserendæ veritatis gratia depromere habeam. Cùm enim isti fortius pro se nihil attulerint, quàm litteras, quas prætendunt Pontificias; valerent eæ profectò permultum, si tales esse constaret, ac non potiùs fictitiæ aut subreptitiæ à magnis viris haberentur: valerent si ex archiuo Romano emanassent, ibique à Baronio eius accuratissimo perscrutatore inuentæ essent, non autem ab eo desumptæ, quem sit probabile de Ratisponensi officina mutuatum. Nam qui primus omnium illas epistolas in lucem protulit (quod quidem ego post diligentem inquisitionem scire potuerim) fuit Ioannes Auentinus Scriptor hæreticus, qui centum circiter antè annis scripsit: post illum autem (haud scio tamen an ex illo) Antonius Augustinus de quo suprà; certè ex Antonio Augustino Baronius, vt ipsemet fatetur: è Baronio autem, vt pleraque alia sine alio iudicio, Seuerinus Binius, qui & in tomos conciliorum, vt indicaui suprà, immisit. Contra illas porrò epistolas primò facit, quod narrat Rigordus in libro de gestis Philippi Augusti ad annum eius quintū, & recitatur quoque à Baronio, tomo XI. annalium, Christi anno 1052. nempè iussam ab Henrico I. Francorum Rege inspici & aperiri capsam S. Dionysij præsentibus regni Proceribus, & hoc esse factum anno Domini 1050. inuentúmque eiusdem sancti corpus præter ossa duo è collo, quæ data fuerant ecclesiæ Vergiacensi, & vnum è brachio, quod Stephanus tertius Pōtifex Romam olim asportauerat. Verba Rigordi sunt hæc: *Iste Henricus Rex auditis rumoribus, quod in Alemannia, in ciuitate Ratispona, in Abbatia S. Emmerami martyris inuentum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysij Areopagitæ, misit nuntios suos ad Henricum Imp: cum litteris suis, vt diem eleuationis illius protelaret, quousque per certos nuntios, vtrum corpus hieromartyris Dionysij Areopagitæ Athenarum Archiepiscopi, discipuli Apostoli Pauli in Francia, in ecclesia, quam Dagobertus fundauerat, esset, vel non, plenissimè certificarentur. Quo audito Imperator misit magnos viros & sapientes in Franciam, vt plenè rei veritatem agnoscerent. Visis nuntijs Imperatoris Henricus Rex conuocauit Archiepiscopos, Episcopos & Barones totius regni, & cum Odone carissimo fratre suo ad ecclesiam beatissimi Martyris Dionysij misit. Facta autem oratione allata sunt tria vasa argentea Dionysij, Rustici, & Eleutherij coram omni populo diligentissimè sigillata: & aperto vase beati Martyris Dionysij totum corpus ipsius cum capite inuentum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in ecclesia Vergiacensi, & osse quodam de brachio, quod Stephanus Papa tertius secum ad Romanam portauit ecclesiam, & posuit in ecclesia, quæ hodie SCHOLA GRAECORVM vocatur. Hoc videntes vniuersi populi, cum lachrymis & suspirijs puras manus leuantes ad Dominum,*

Deo & beatæ Mariæ Virgini & sanctis Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc nuntij, qui missi fuerant, ad Imperatorem citissimè reuertentes, super his quæ viderant & audierant, Imperatorem plenissimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX. anno Domini M. L.

Sciebant igitur cœnobitæ Dionysiani, quid & quantum, & quibus datum à se esset è Reliquijs S. Dionysij, antequam id diploma Pōtificium à Ratisponensibus ederetur: nempè minimum ossa tria, vnum Pontifici, duo ecclesiæ Vergiacensi, & quidem ante annum millesimum quinquagesimum, quomodo igitur fieri potest, vt fuerit integrum, excepta vnica minima particula manus dextræ, duobus annis pòst, hoc est, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, vt litteræ Ratisponenses præferunt?

Præterea cum ab iisdem cœnobitis Dionysianis ex anno illo Domini M. L. quo visitatæ fuerunt Sancti Martyris reliquiæ, & aperta coram omni populo sacra theca sartæ tectæ inuentæ, cùm, inquam, cœperit illius diei solemnitas quotannis deinceps celebrari, & DETECTIO CORPORIS BEATI DIONYSII appellari (quemadmodum & in hodiernum diem appellatur & celebratur) quomodo Pontifex Stephanus (si quidem diploma illud contra illos fecit) non illis eadem opera efficaciter istius festiuitatem solemnitatis interdixit? Quomodo nec vllus posteriorum Pontificum prohibuit? Nam hodiéque ad nonam Iulij eam solemnitatem, nullo vetante, nullo repugnante celebrant. Quin & Nicolaus II. Pontifex, Stephani noni iā laudati successor, in bulla, quam tertio Pontificatus sui anno edidit, manifestè indicat S. Dionysij corpus, in illo sæpius nominato eiusdem martyris cœnobio requiescere. Extat illa Bulla apud Iacobum Dublęum libro 2. antiquitatum Abbatiæ S. Dionysij, cap. 9. Quin & Nicolai II. successor Alexander II. in sua item bulla data anno 4. sui Pontificatus, Indictione 4. idem prorsus indicat hisce verbis: *Quapropter notum facimus præsentibus & futuris omnibus, videlicet Regibus & Ducibus, Principibus & Dominatoribus, seu cunctis Apostolicæ sedis fidelibus, quòd Venerabilis Abbas Rainerius & Monachi monasterij beati Dionysij Martyris, vbi ipse sanctus in corpore requiescit, nostram præsentiam adierunt, suppliciter postulantes, quatenus priuilegia eidem monasterio à Domino Dagoberto Francorum Rege ipsius loci fundatore concessa* &c. Vide Dublæum ibidem, cap. X. Si igitur Stephanus IX. sancti Dionysij corpus cœnobitis Dionysianis abiudicasset: qua ratione, amabo, proximi eius duo successores adiudicarēt? Denique nullo vnquam tempore cessarunt Reges Galliæ, ne quidem post illas, vt quidem appellant, Stephani litteras, ad S. Dionysij Reliquias tanquam in illo Dionysiano cœnobio præsentes adire, & opem à regni sui patrono & tutore exposcere. Hinc anno millesimo centesimo nonagesimo Philippus Augustus Rex Francorum ad terrę sanctæ recuperationem profecturus, priùs ad S. Dionysium, opis impetrandæ gratia, profectus est. De quo, is qui tum viuebat, Rigordus sic scribit: *Ideo Christianissimus Rex ante corpora sanctorum Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij humiliter super pauimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo & beatæ Virgini Mariæ & sanctis Martyribus & omnibus Sanctis se commendauit. Tandem cum lachrymis ab oratione surgens sportam & baculum peregrinationis de manu Guilielmi Rhemensis Archiepiscopi, auunculi sui Apostolicæ sedis Legati, deuotissimè accepit.* Deinde anno millesimo centesimo nonagesimo primo, Regina ipsa de mariti profectione & profectu sollicita, pari pietate ad eadem sacra pignora oratum vnà cum regni proceribus accedit, & dum hîc Regina orat, tum ibi Rex Acconē, vrbem Palæstinæ munitissimam obsidet, & se dedere coactam capit. Rem ita narrat idem Rigordus: *Eodem anno,* inquit, *octauo Kal. Septembris, consilio Domini G. Rhemēsis Archiepiscopi, & Adelæ Reginæ, & omnium Episcoporum, corpora beatissimorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissimè sigillata continebantur, sunt extracta; & super altare posita, adiunctis ibi alijs corporibus Sanctorum in eadem ecclesia quiescentium, vt ibi fideles ad tam sanctū spectaculum conuenientes, cum gemitu & suspirijs, pro sancta terra liberanda, & pro Rege Francorū & vniuerso comitatu suo, puras manus cum Moyse leuantes, ad Dominum preces funderent: quia nō in armorum potentia, sed in Christi virtute & miseratione Christiani confidunt; nec in se, sed in Deo virtutem faciunt, superantes populos infideles & ad nihilum redigentes inimicos crucis Christi. Sequenti vero festo beati Dionysij, aperto vase argēteo, in quo corpus sacratissimi Dionysij Martyris continebatur, assistentibus venerabilibus Episcopis Siluanectensi & Meldensi, & Adela Francorum Regina, & multis Abbatibus & viris religiosis, totum corpus ipsius cum capite, vt prædiximus, est inuentum, & vniuersis Dei fidelibus, qui de lōginquis partibus, orandi caussa, cōuenerant, deuotissime demonstratum.* vide ibi plura.

Præterea anno Domini millesimo ducētesimo quadragesimo quarto, cū Innocētius IIII. Pōtifex ob Friderici Imp. violentiā, ad S. Ludouicum in Franciā cōfugisset, idemque Ludouicus eo tēpore grauissimum in morbū deposita valetudine incidisset, ipse & Serenissima eius mater Blancha Regina ab Odone, S. Dionysij Abbate poposcerūt vti sacratissima corpora Dionysij Rustici, & Eleutherij, *quorū patrocinijs* (vt verbis vtar Nangij) *tota gaudet regio, regni stat potentia, de crypta, in qua quiescebant,* (quo suis precibus Regi sanitatē à Domino impetrarent) sine cunctatione educe-

rent,

rent, propalámque collocarent. *Rex siquidem post Dominum & sacratissimam Virginem matrem* (vt idem loquitur Nangius) *in ipsis, vtpote in suis & regni sui aduocatis & protectoribus confidentius sperabat: nec immeritò. Quid enim posset Dominus beato Dionysio denegare, qui eidē in carcere propter fidē Catholicā roganti dixerat:* DILECTIO ET BENIGNITAS QVAM HABES, SEMPER PRO QVIBVSCVMQVE PETIERIS, IMPETRABIT. Denique, vt breuiter comprehendam, quæ pluribus idē Auctor persequitur, educta sunt in lucem præsentibus Carolo Nouiomensi, & Petro Meldensi Episcopis, ac propalam venerationi exposita sanctorum Martyrū Dionysij & Sociorum corpora; quæ cum solemni in processione & supplicatione populi deportarentur, ex ea statim hora reualescere Rex sanctus cœpit, & breui tam ad incolumitatem & prosperitatem regni, quàm ad terræ sanctæ subsidium, (in quod & opes omnes & vitam ipsam ardenter posthac impendit) penitus conualescere. Quis nunc igitur dubitare potest, quin etiam tunc ipsum re vera S. Dionysij sacrum corpus in Francia & in dicto cœnobio esset, atque idem ipsum & non aliud à beato Ludouico & sanctissima eius matre coleretur?

2. Litterarum Ratisponensium auctoritatem valdè infringit Otho Frisingensis Episcopus bonus & antiquus, & fidei veritatisque studiosissimus Scriptor, quem meritò Bellarminus *insignem nobilitate, pietate & doctrina* prædicat, quippe Henrici quarti Imp. nepotem, Henrici quinti sororium, Conradi Regis fratrem vterinum, Friderici primi Imp. patruum, qui totam hanc nobilitatem, vt Monachus fieret Cistertiensis, volens lubens Deo submisit. Christus verò eum primo Abbatem, dein Episcopū esse voluit. Is ergo, licet caussæ illi non deessent, quamobrem Ratisponensibus magis faueret, quàm Francis (si fauori quidem contra veritatem locus esset) nam & Germanus erat & Leopoldi Ducis Baioariæ, vbi Ratispona est, frater; tamen hanc Ratisponensium fabulam ita perstrinxit, vt irridere eos, non ipsis credere videretur. Ita enim scripsit libro 6. Chronici, cap. XI. *Dilexit vero* [Arnulphus] *præ ceteris regni sui locis metropolim Baioariæ Ratisponam. Vnde & muros eius ampliauit, monasteriumque S. Emmerami pluribus ornamentis adornauit, ac largis possessionibus locupletauit. Tradunt ibi, scriptumque monstrant, quod prædictus Rex S. Dionysium a Gallijs ad præfatum monasterium transtulerit. Quod vtrum ita sit, ipsi viderint.* Ita ille. Quasi dicat: *ego autem non credo.* Nam si credidisset, eodem quo superiùs sermone vtens dixisset: *præcipuè S. Dionysij corpore e Gallijs traducto honorauit*, aut certè simili quopiam sermonis genere vsus esset. Is autem Otho longè est fide dignior quam aut Auentinus, aut Crantzius, quos quadringentis saltem annis antecessit.

3. VVitichindus, qui annis minimum sexcentis eosdem Auentinum & Crantziū scribendo anteiuit, & illis litteris Ratisponensibus integro sæculo antiquior fuit, is inquam, VVitichindus libro 1. Gestorum Saxonicorum scribit Carolum Simplicem Francorum Regem, aduersus quem sui Principes tum rebellauerant, misisse manum S. Dionysij ad Henricum Saxonicorum Regem, nempe āno Domini 920.) amicitiæ eius sibi conciliandæ gratia. Verba eius sunt hęc: *Quando verò Rex rhenum transierat ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei Legatus Caroli, & salutato eo verbis humillimis, Dominus meus,* inquit, *Carolus regia quondam potestate præditus, modo priuatus, misit me ad te, demandans quia nihil ei ab inimicis circumuento iocundius, nihil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit: protulitque de sinu manum pretiosi martyris Dionysij auro gemmisque inclusam. Hoc,* inquit, *habeto pignus fœderis perpetui & amoris vicarij* &c. Vide supra, ca. 29. vitæ ipsius S. Dionysij.

Iam si verum est, quod Ratisponenses asseuerant, totum se corpus S. Dionysij accepisse ab Arnulpho Rege Baioariorum, sub annum Domini circiter 890. (Nam sub id tempus regnabat) vnde habere potuit Carolus Simplex annis triginta pòst manum illam, quam ad Henricum Imp. misit? Si è Francia (inde enim se mittere indicat) ergo non totum corpus excepta minima manus particula iā Ratisponæ erat: sin Ratisponâ habuit, & in Saxoniam transmisit, quomodo centum pòst annis eóque amplius, hoc est, anno M. LII. (vt ipsi aiunt Ratisponenses) decerni potuit, integrum apud eos corpus esse? cuius multæ partes in varia loca transportatæ iam erant, manus in Saxoniam, os brachij Romam, alia ossa in Burgundiam, & aliæ aliò eiusdem sacri corporis reliquiæ? De quibus vide Antiquitates Abbatiæ S. Dionysij in Francia, libro 1. cap. XXX.

4. In iisdem Ratisponensium litteris furtū illud, siue potiùs nefarium sacrilegium, quo ad se translatum Dionysij corpus ferunt (si quidem res vera esset) verbis mollibus & vanis, molestamque consolationem afferētibus, & Imperatoris pietate excusatur; cùm tamen satis constet eum longè impijssimum fuisse: quem & impij Herodis morbo ob sua flagitia perijsse cuncti ferè scribunt historici. Luithprandus certè vir *ob eruditionem & prudentiam multæ, vt* ait Bellarminus, *auctoritatis* (is est quem Berengarius Imperator legatum misit ad Constantinum Imp. Græcum) libro 1. rerū ab Europæ Imperatoribus ac Regibus gestarum, Ita de Arnulpho per letale poculum à sensibus alienato scribit: *Credo autem Arnulphum Regem iusta seueri iudicis censura huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dū imperium*

huius

huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotēti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur: Sacræ virgines vi opprimebantur: coniugatæ violabantur. Neque enim ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros & debacchationes. Sed & mulieres in eodem publicè prostituebātur. Et paullo inferiùs de morte eius turpissima sic subijcit: *Profectusque in propria, turpissima valetudine expirauit. Minutis quippe vermibus, quos pedunculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quòd præfati vermes adeo scaturirent, vt nullis medicorum curis minui possent.* Sic ibi. Et nihilominus illę suprà positæ litterę volunt, vt Rex Franciæ congaudeat Apostoli sui gloriæ, *qui tam deuotum furem sui corporis habuit, auro vtique & topazio meliorem.* Hem absurditatem! Et quidem post tanta flagitia & sacrilegia litteris ad posteritatem exarata non erubuit scriptum illud Ratisponense de illo hæc enunciare: *Qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare.* Baptista item Egnatius libro 3. Romanorum Principum, eiusdem Arnulphi scelera & scelerum pœnas ita quàm breuissimè perstrinxit: *Qui aduersus Nortmannos res egregias primò gessit: mox in rapinas, templorúmque spoliationes conuersus iusta numinum ira plectitur. Nam & prior illum felicitas deseruit, & breui pediculari morbo confectus obijt.* Simillima reperies apud Iacobum VVymphelengium in epitome rerum Germanicarum cap. XV. Sic enim scribit: *Arnulphus septimus à Carolo Magno Imperator, primò quidem strenuè sumptis armis Nortmannos rebelles perdomuit: verùm mox in ecclesiasticos sauiens, Dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν vocant, breui consumptus est, relicto filio Ludouico successore. Non inuenimus quempiam filios filiorum suorum vidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui Clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus damno vel contumelijs eos affecisset.* Ita ille. Quibus omnibus succinit Iacobus Pino in Serie Romanorum Imperatorum, his versibus:

ARNVLPHVS subit, egregias qui gessit in ipso
Auspicio imperij res strennuus: inde rapinas
Sectatus spoliat templa & donaria Diuum.
Vnde luit pœnas consumptus Numinis irâ
Vermiculis, nonum interea dum clauditur æuum.

id est, expirauit exeunte nono Christi sæculo, siue sub annum Domini nongentesimum.

5. Quomodo potuit tanti Francorum Apostoli corpus tanta semper cura custoditum, tanta populorum veneratione cultum, tanti à cunctis Francorum Regibus æstimatum, aut inscijs aut dissimulantibus S. Dionysij cœnobitis è crypta sua erui, è monasterio educi, è regno efferri, vt nullus omnino ad quenquam Francorum rapti sui Apostoli rumor aut murmur emanaret? nullus verbum vnum faceret? Nam fingere omnes prorsus Religiosos illius cœnobij ita vino somnóque fuisse obrutos, sepultosque, vt quid domi gereretur, nescirēt: vt claues ad tanti subreptionem thesauri vel vltro offerrent, vel à se tolli non persentiscerent, nimis vanum, nimis ridiculum est. Adde verò, quod caput est, extremæ id nequitiæ & improbitatis videri, audere aliquem tantum & tam horrendum sacrilegium attentare: nimirum id quod aliquo in regno tam sacrum, tam religiosum sit, id quod tanto cultu & veneratione celebretur, id quo nihil preciosius, nihil sanctius inter cunctas eius gentis reliquias habeatur, iustis tam longi temporis successoribus sine caussa suffurari.

Quin & hoc fortassis minimè contemnendum aliquis iudicauerit, totam Ratisponensium de hac ad se translatione fabulam ortum habere & principium ab hominis nequam & sacrilegi dicto & iureiurando: cui potiùs creditum sit dicenti illud corpus, quod Ratisponam afferret (si quid tamen attulit) esse corpus S. Dionysij, quàm omnibus simul religiosis Dionysiani cœnobij id sanctè perneganti-bus, atque apud se esse palam monstrantibus, immo & externis Regibus ac Principibus id profitentibus. Vide suprà, caput XXVII. vitę, vbi verba S. Eduardi Regis Anglorum scripta anno Domini millesimo quinquagesimo nono laudaui, in quibus dicit S. Dionysium apud Anglos quidem celebris memoriæ nominari, apud Francos autem coli & haberi. Si ergo apud Francos erat anno M.L.IX. quomodo decerni potuit anno M.LII. fuisse olim in Germaniam translatum, atque etiamnum esse Ratisponæ? Maneat proinde, vt longè probabilius, dictum S. Dionysij corpus in Francia potiùs esse, quàm vspiam alibi: & hic sit quæstionum finis. Iam ad Notationes in Vitæ confirmationem transeamus.

NOTATIONES IN VITAM S. DIONYSII AREOPAGITÆ.

CAPVT PRIMVM.

NATVS EST DIONYSIVS] Dionysij inter Scriptores sacros doctrina & sanctimonia clarissimi tres fuerunt, (nam de Patribus Græcis tantùm sermo est in præsentia) Dionysius Areopagita, Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Dionysius Alexandrinus: qui omnes scripta vtilissima posteris reliquere. Areopagita primo sęculo floruit, Corinthius secũdo, Alexandrinus tertio. Ac proinde hi duo posteriores mentionem Areopagitæ facere potuerunt, & Corinthius quidem testibus Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo & Maximo martyre fecit: sed an Alexandrinus etiam fecerit, haud perinde constat. Multi quidem id asserunt & eiusdem Maximi Scholiastę auctoritatem ad hoc confirmandum proferunt: vbi scilicet scribit S. Dionysium Alexandrinum composuisse scholia in beatum Dionysium sibi cognominem. Verùm per Dionysium sibi cognominem non intelligi Areopagitam suprà fusè docui, quæstione secunda, in solutione argumẽtorum aduersæ partis. Verba autem Eusebij libro quarto historiæ ecclesiasticæ, capite vigesimo secundo, de Dionysio Corinthio sunt hæc: Δηλοῖ δὲ ἐπὶ τούτοις, ὡς καὶ Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου Παύλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίστιν, κατὰ τὰ ἐν ταῖς πράξεσι δεδηλωμένα πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριστο. *Significat præterea* [Dionysius Corinthius] *Dionysium Areopagitam ab Apostolo Paullo ad fidem conuersum, vt produnt Acta, primum Athenarum Antistitem creatum esse.*

De eodem Dionysio Corinthiorum Episcopo, ita Maximus in præfatione scholiorum suorum ad libros Areopagitæ: Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτη καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Mentionem facit Areopagitæ etiam Dionysius, antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in sua ad Athenienses epistola.* Ita ille. Hæc autem propter eos, qui eundem Areopagitam existimarunt etiam Athenarum & Corinthiorum fuisse episcopum dicta sint. Nam ex his patet esse diuersos: cùm alter alterius mentionem faciat.

De his duobus Dionysijs, Corinthio, inquã, & Alexandrino, amplius σὺν θεῷ in ipsorum vitis & sæculis dicetur: nunc solùm de Areopagita, qui secundùm Apostolos primus mihi ponitur in suo sæculo, idque suasu antiquitatis: cùm ætate vix nouẽ annis minor Christo fuerit, vt iam nunc ostendam.

b ANNO CIRCITER CHRISTI NONO] Hic annus ex ipsius Dionysij ad Apollophanem epistola colligitur: vbi tempore passionis Christi Domini, siue eclipseos quæ tum accidit, se viginti quinque annorum fuisse scribit. Quæ epistola, licet nunc græcè non extet, tamen extabat tempore Caroli Calui Imperatoris sub annum Christi 876. quo tẽpore vnà cum alijs S. Dionysij operibus eam latinè vertit Erigena Scotus. Nam hodiéque ea versio superest, & eodem planè stilo, quo ceteræ epistolæ, vt dubio nullus relictus sit locus. Accedit de viginti quinque annis auctoritas S. Maximi ad epistolam decimã S. Dionysij, quæ est ad S. Ioannem euangelistam his verbis: Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτι τὰ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν ΚΕ, ἅπερ οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus verò & diuinum Dionysium, cùm eiusmodi prodigia Christo cruci affixo vidit, annorum fuisse viginti quinque, quod & me adhuc legisse puto.* Itaque existimauerim Maximum aliquando incidisse in illam B. Dionysij græcam epistolam, sed ab alijs, vt sæpe fit, auulsam. Si igitur Dionysius fuit viginti quinque annorũ in vltimo Christi anno, hoc est, ætatis Christi tricesimo tertio, vt plurimi tenent, vel tricesimo quarto inchoato, vt alij volunt, sequitur eum natum anno Christi nono circiter. Addo *circiter* ob varian-

variantes sententias. Iam nonus Christi & quinquagesimus Augusti, iuxta Eusebiū (quo in ecclesiastica chronologia nemo certior) inter se concurrunt, & sequitur approbátque Baronius.

c IMPERANTE TIBERIO] Suidas in Dionysio ita de eo in editione Morellij: *Κατὰ γοῦν τὴν ἀρχὴν Τιβερίου Καίσαρος, ὅτε δὴ καὶ τὴν ἡλικίαν ἤκμαζεν, ἀπῆρεν εἰς Αἴγυπτον τοῖς ἐκεῖσε σοφοῖς ὁμιλῆσαι γλιχόμενος. Imperante Tiberio Cæsare, cùm iam ætate floreret, soluit in Ægyptum, cum philosophis, qui inibi agebant, versari desiderans.* Pachymeras in paraphrasi epistolæ septimæ Dionysij sub finem: *Ἔθος γὰρ ἦν τότε τοῖς ὁπηδήποτε Ἕλλησιν ἀποδημεῖν εἰς Αἴγυπτον μαθήσεως ἕνεκα. Erat enim tum Græcis consuetudo, vndique in Ægyptum studio Matheseos peregrinandi.*

d QVOD DE PYTHAGORA &c.] De his multa sunt veterum testimonia. Breue est illud M. Tullij libro quinto, *De finibus bonorū & malorum* extremo. *Cur Plato*, inquit, *Ægyptum peragrauit, vt a Sacerdotibus barbaris numeros & cælestia acciperet?* & paullo post: *Cur Pythagoras & Ægyptum lustrauit, & Persarum Magos adijt? cur tantas regiones barbarorum pedibus obijt? tot maria transiuit? cur hæc eadem Democritus?* &c. Vide Diogenem Laërtium in eorundem vitis, & Strabonem in libris Geographiæ 14. & 17. & Valerium Maximum libro octauo, capite septimo, & de alijs Philostratum in vitis Sophistarum, præsertim in Aristide, & S. Iustinum Martyrem in cohortatione 1. ad Græcos, ante medium, vbi dicit constare ex Theodoro, & ex alijs historicis Orpheum Homerum, Solonem, Pythagorā, Platonem & alios Ægyptum adijsse, & libris Moysis adiutos meliùs de Deo sapuisse. Vide & Clementem Alexand. libro 1. Stromatum ante medium, vbi sic inter alia: *Θαλῆς δὲ Φοῖνιξ ὢν τὸ γένος, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται, καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς γε τούτοις, δι' οὓς καὶ περιετέμνετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν, Χαλδαίων τε καὶ Μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν τὴν νῦν οὕτω καλουμένην ὁμακοεῖον αἰνίσσεται. Thales autem, cū esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum Prophetis communicasse dicitur, sicut & Pythagoras cum ijsdem versatus est, propter quos etiam fuit circumcisus, vt adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam addisceret philosophiam, & cum Chaldæorum, & Magorum præstantissimis egit familiariter, & quæ nunc ecclesia appellatur, ab illo ὁμακοεῖον dicta est.* Vox ὁμακοεῖον *coauditorium* (si fas sit ita loqui) significat nempe locum, quò multi ad audiēdum vna conueniunt: ex ὁμοῦ & ἀκούω, *simul audio.*

e QVIN ETIAM IPSO DIONYSII TEMPORE] Strabo enim, qui eodem quo Dionysius, tempore floruit, hoc est, imperante Tiberio, ita de se lib. 17. Geographiæ scribit: *Ἐν δὲ τῇ Ἡλίου πόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον οἱ ἱερεῖς. Μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιὸν φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν. Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes degebant. Immo dicunt hanc olim Sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum.* Et paucis interiectis: *Ἐκεῖ οὖν ἐδείκνυντο οἵ τε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος, καὶ Εὐδόξου διατριβαί. Συνανέβη γὰρ δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψαν τοῖς ἱερεῦσιν ἐκείνοις ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἴρηταί τισι. Ibi ergo ostendebantur Sacerdotum domicilia, & Platonis atque Eudoxi schola. Isto enim ascendit cum Platone Eudoxus, ibique cum Sacerdotibus tredecim annos versati sunt, vt dictum ab aliquibus est.* Vide ibidem plura huc spectantia. De Platone ita S. Augustinus libro 8. *De ciuitate Dei*, capite 4. *Quàm longè, latéque potuit, peregrinatus est. Quaquauersum enim alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Ægypto didicit, quæcumque illic magna habebantur atque docebantur.* Ægyptios autē accepisse ab Abrahamo Patriarcha sciētiam astrorum, aliásque complures artes testatur Alexander Polyhistor, *vir magni ingenij multæque eruditionis* (vt appellat Eusebius libro nono de præpar. euangel. capite decimo septimo) scriptor perantiquus, de quo sic ibidem: *Συζήσαντα δὲ τὸν Ἀβραὰμ ἐν Ἡλιουπόλει, τοῖς Αἰγυπτίων ἱερεῦσι πολλὰ μεταδιδάξαι αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦτον αὐτοῖς εἰσηγήσασθαι.* &c. *Ceterùm cùm apud Heliopolim Abraham Sacerdotum consuetudine plurimùm vteretur, multa ipsos, nec non astrologiam, & reliqua eo pertinentia edocuisse tradit.* Eius sententiæ accedit Iosephus libro primo Antiquit. cap. 9. his verbis: *Τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς. Arithmeticam quoque & astrologiam cum illis communicauit. Nam ante Abrahami aduentum in Ægyptum, Ægyptij horum rudes erant.*

f VNA CVM APOLLOPHANE SOPHISTA] Hic Apollophanes præceptor fuit Polemonis Laodicensis: Polemon autem Aristidis philosophi eloquentissimi, qui apologeticum pro Christianis obtulit Hadriano Imperatori: de quo Aristide vide Eusebium libro 4. historiæ, c. 3. & Hieronymum in Catalogo. De Apollophane ita Suidas in Dionysio: *Συνῆν δὲ αὐτῷ Ἀπολλοφάνης ἐκεῖνος ὁ σοφιστὴς, οὗ Πολέμων ὁ Λαοδικεὺς ἐν Σμύρνῃ ἀκήκοεν ὁ διδάσκαλος Ἀριστείδου. Vnà cum Dionysio erat Apollophanes Orator ille, quem Polemon Laodicenus, magister Aristidis Smyrnæ audiuit.* Hunc ergo Apollophanem S. Polycarpus Smyrnę Episcopus ad manum habuit, & ad Christi fidem conuertit. Super qua conuersione duæ extant Dionysij epistolæ: vna ad S. Polycarpum hortatoria, vt eum ad FIDEM conuertat: altera ad ipsum Apollophanem iam cōuersum gratulatoria.

tulatoria. Fuisse Apollophanem S. Dionysio non solùm veterem sodalem, sed & cognatũ, videntur ista Syncelli verba in eius encomio indicare: ἑταίρῳ ἤδη ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ. *Veteri sodali amicissimo & cognato.*

g EXVRGENTE ILLA ECLIPSI] Tota huius eclipseos ab ijs animaduersæ historia partim ex duabus S. Dionysij epistolis, vna ad S. Polycarpum, altera ad Apollophanem collecta est: partim ex Maximo, Syncello, & Metaphraste. Quibus adde Suidam, Nicephorũ, Pachymeram & alios. Eclipseos quidem, siue tenebrarum toti orbi obtensarum, quod ad substantiam spectat, Euangelistæ tres, Matthæus, Lucas, & Marcus meminerũt, sed quod ad modum attinet, præter hunc Dionysiũ, nemo. Vtrobique autem multa admodum mira extiterunt. Ad prius enim quod attinet, 1. facta est in plenilunio, quod aliàs nunquam. Cùm enim Solis defectio fiat ex coniunctione Solis cum Luna (idquod accidit in nouilunio) tum facta est in eius maxima disiunctione, siue, in plenilunio. Nec enim Iudæi alio tẽpore pascha celebrabãt, quàm in plenilunio. 2. obumbrauit hæc eclipsis totam terram: quod naturaliter fieri non potest, cùm Luna minor sit Sole, nec eum proinde totũ possit toti terræ, nisi maximo miraculo, occultare. 3. Durauit tres ipsas horas, cùm alioqui ob contrariũ Solis & Lunæ concursum breuissima esse debeat & soleat: præsertim, quòd corpus solare ingentis sit magnitudinis; lunare autem, eius respectu, perexiguum. Sic enim videmus re quapiam minima ob oculos posita etiam prægrandem montem nobis abscondi, sed ita, vt si rem illam minimam vel minimum remoueris, extemplo illum eundem montem conspicias. Ita de Sole accidisset, si Luna inter oculos nostros & illum opposita vel tantillũ promouisset, neque prodigium interuenisset.

Hæc tria miracula è tribus Euãgelistis cõstant: è quibus sic Matthæus, capite vigesimo septimo, versu 45. *A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Et Lucas capite vigesimo tertio: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam: & obscuratus est Sol.* Et Marcus capite decimo quinto: *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam.* Agunt autem ibi de tempore paschatis, in plenilunio Martij. Ex quibus verbis, licet colligi necessariò non possit, vllam fuisse eclipsim propriè dictam (cùm potuerit Deus Optimus Maximus istas tenebras inducere Sole & Luna ordinarium cursum tenentibus, vt in Ægypto factum legitur antiquitus) tamen cùm veram fuisse eclipsin grauissimi Auctores etiã Ethnici tradant, & ipse S. Dionysius non modò illã, sed eius quoque modum vnà cum æquali suo Apollophane, maximo philosopho, adhibita regula astronomica curiosè obseruarit, litterisque mandarit, par est idem cũ ijsdem sentire homines non præfractos. Ex Auctoribus Ethnicis, qui eclipseos tẽpore Passionis Domini nostri Iesu Christi animaduersæ meminerũt, citatur nominatim Phlegon libertus Hadriani Imperatoris, egregius historicus, cuius verba græca è chronico Eusebij, itémque ex Alexandrino, siue, vt alij vocant, è Fastis Siculis, hic propono. Ita igitur Phlegon libro decimo tertio: Τῷ δ' τετάρτῳ ἔτει τῆς σβ. ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ϛ'. τῆς ἡμέρας ἐγένετο. ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. id est, (ex interpretatione S. Hieronymi) *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebras versus, vt stellæ in cælo visæ sint: terræque motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuertit.* Ita Phlegon apud Eusebium ad annũ Domini trigesimum tertium. Idẽ quoque Eusebius eodem loco, in alijs Ethnicorum commentarijs se hæc ad verbum reperisse scribit: Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. Βιθυνία ἐσείσθη. Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. *Sol defecit: Bithynia concussa est: Niceæ ædificia multa corruerunt.* Thallus quoque Historicus, teste Iulio Africano secundi sæculi Scriptore, idẽ ipsum in suam historiam retulit. Ita enim de illo: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Hasce tenebras defectum Solis appellat Thallus libro 3 historiarum, vt mihi quidem videtur, inconsideratè.* In quibus quidem verbis indicat Africanus in altera se esse sententia: nimirum vt tenebræ tantùm fuerint miraculo quodam Ægyptiarum tenebrarum simili per vniuersam terram obductæ. In qua opinione fuit etiam Origenes & Tertullianus, & quidam alij: inter quos & Sedulius Presbyter lib. 5. Pascalis operis, dum ita cecinit:

Interea horrendæ subitò venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mæstísque nigrantem
Exequijs texere diem. Sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, tristémque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum
Auxilijs orbata patris, lætata per ortum,
Mæsta per occasum. Nam lux vt tempore fulsit
Nascentis Domini, sic hoc moriente recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum: quippe vt tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cæli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchri.

Quibus in versibus nulla fit mentio eclipseos, sed tantùm Solis, occursu nubium, obscurati. Nunc tamen communior videtur sententia veram, sed prodigijs plenam fuisse eclipsin, de qua sic S. Augustinus epist. LXXX. ad Hesychium, tomo 2. *Quando nos vidimus Solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cùm tamen mundi penderet in ligno? Nisi forte*

defe-

defectus Solis & Lunæ, quos consueuerunt computatores siderum annotare atque prædicere, inter cælestia prodigia numerabimus, quia Lunam sæpius in sua plenitudine, Solem vero rarius, sed tamē vidimus in fine Lunæ secundùm eorum computū defecisse. Non erat talis Solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, & ideo vere mirabilis erat & prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudæorū, quod non nisi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundum Astrologorum autem numeros certum est Solē, quādo Luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est Lunæ, non quidem semper, sed aliter nunquam, cùm secundùm illos numeros deficit. Quid ergo tale vnquam quisquam meminit apparuisse de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est? Ita S. Augustinus.

Sed quæret nunc aliquis, quonā pacto tantum miraculum patratum sit? nempe vt Luna tam exigua Solem tam immensum orbi toti absconderit?

Respondeo inter plures sententias hāc videri probabilissimam, quæ dicit Angeli ministerio vel subtractos orbi radios illos, qui à Luna comprehendi non potuerūt, atque occultatos; vel certè (quod nostro Salmeroni magis placet) cōpressos, coactósque, vt in Lunā cuncti inciderent. Equidem magis credo verum huius prodigij modum nos latere.

Iam autē circa eiusdem eclipseos, aut duorū potiùs luminariū processiones, ista extiterunt haud minora prioribus miracula:

Primò, quòd Luna ab Orientali tractu Solē subiuerit res prorsus insolens & inaudita.

Secūdò, quòd ita progressa sit vsque ad partem Solis occiduam, vt tres horas partim progrediendo, partim regrediēdo sub Sole fuerit.

Tertiò, quod licet ad extremam vsque Solis partem occiduam processerit, ita vt eiusdem Solis pars Orientalis primò apparere detecta & detersa deberet: tamen Lunâ retro versus Orientem resiliente contrarium acciderit, nempe vt pars occidenti obuersa primò apparuerit, luménque, vt antè, refuderit.

Ecce hîc descriptam claritatis gratia conspicuam imaginem:



Sit ergo in figura præsenti, *A* terra: *B* Luna; *C* Sol: *D* Oriens: *E* occidens: *F G* diame-

ter

ter ab ipso Sole ad Solis oppositū: *H* pars Solis orientem respiciens, *I* pars Solis occidentem spectans: linea verò ad *H* ad *I*, diameter disci seu corporis solaris. Iam tempore passionis luna erat in *G*, siue ex diametro Soli opposita, proptereáque plena & radijs solaribus tota collucens, vt in plenilunio assolet. Hora igitur sexta, qua Christus in Cruce pendebat, subitò transijt Luna ab *G*, siue à loco Soli ex diametro opposito ad *H*, siue ad partem Solis orientalem, ibique Solem subiens ex ea parte inchoauit eclipsim, indéque ad *I* progressa totum Solem caligine sua, velut pulla veste, obduxit: deinde ab *I* siue parte Solis occidua ad *H* resilijt, ita vt pars Solis vltimò obtenebrata primò inclaruerit, mundóque radios suos diffuderit, contrà quàm aliàs semper factum fuerit, aut fieri solitum sit. Progressio itaque ab *H*. ad *I*. & regressio ab *I*. ad *H*. tres ipsas horas tenuit: à sexta scilicet vsque ad nonam, hoc est, in plagis orientalibus à meridie ad tertiam pomeridianam. Deinde ab *H*. ad *G*. hoc est, ad locum suum naturalem citissimè redijt, ita vt vesperi in sua essent statione, Sol in occasu, Luna ex opposito; & hæc quidem plena ac lucida, perinde quasi loco mota non fuisset. Quarum rerum tam admirabili spectaculo perculsi Dionysius & Apollophanes philosophi, quid sibi ista vellent, inter se quæritarunt, vt in vita exposuimus. Denique de ambobus illis Philosophis, S. Dionysio, inquam, & Apollophane, déque tota huius eclipseos ratione, mihi patrocinantem habeo Clarissimum Godefridū Vuendelinum, virum (vt scribit in Athenis suis Belgicis eruditissimus Franciscus Svveertius) *in omni litteratura, & præsertim in Mathematicis disciplinis ad miraculum vsque versatum*. Cuius ego epistolium quoddam διδακτικὸν ad nostrum Andream Schottū piæ mem. super Dionysio Areopagita, eiúsque Scriptis, (quæ fortiter tuetur) felici sorte nactus sum. Vtinam citiùs! Sed, vt spero & opto, videbunt aliquando lucem tanti viri tractatus perutiles.

h RERVM DIVINARVM MVTATIONES.] Sic græcè in epistola S. Dionysij ad Polycarpum: Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. *Hæ sunt, ô bone Dionysi, diuinarum mutationes rerum*. Quidam istud ἀμοιβαὶ πραγμάτων verterunt *vices rerum*, aliqui *vicissitudines*, nonnulli *retributiones*, alij *vicarias mutationes*: quia scilicet vox ἀμοιβαὶ seorsum accepta has omnes admittat significationes. Verùm non satis est interpreti attēdere, quid vox aliqua significet, sed quid hoc vel illo loco significet: hoc autē loco nec *vices*, nec *vicissitudines*, nec *vicarias mutationes*, nec *retributiones* significat, sed simpliciter *mutationes*. Nā ista alia vocabula capiūtur pro ijs, quæ sæpe & vicissim fiūt: hic autem agitur de mutationibus planè insolitis, & quales nunquam aliàs fuerunt, nec erunt. Quæ porro illæ? nempe Dei mors, diuinarum antiquæ legis cærimoniarum interitus, noui testamēti, nouæque legis introductio, hisque similia verè diuina. Dionysius Rickelius in expositione epistolæ ad Apollophanē, *diuinarum retributiones sunt rerum* sic exponebat. I. *quidam iusti effectus contingentes ob iniuriam, & irreuerentiam illatā Deo, seu diuinis substantijs*. Et optimè quidē, si bona fuisset græcæ vocis ab interprete, (quisquis ille fuerit) versio; verùm, vt dixi, & vt doctioribus placuit interpretibus, nihil aliud hic latinè reddendum fuit, quàm *diuinarum mutationes rerum*. Vnde Pachymeras in paraphrasi eiusdem ad Polycarpum epistolæ, pro ἀμοιβαὶ vsurpat μεταβολαὶ, quod vocabulum *mutationes* præcipuè significat. Vide etiā hac ipsa de re Michaëlem Glycam, parte tertia Annaliū, vbi eandem S. Dionysij Areopagitæ ad Polycarpum epistolam citat, simúlque & totidem fere verbis ea, quæ ex eadē epistola in cōtextu vitæ produximus. Ipse tamē & laudatus ab eo Chrysostomus existimant nō fuisse propriè dictam eclipsin, sed tenebras tantū ex diuina aduersus Christicidas indignatione mūdo inductas. Sed alia sententia melior & communior.

i IGNOTVS IN CARNE PATITVR DEVS] Ille scilicet Deus, cui erat ara hoc titulo: *IGNOTO DEO*. de quo titulo inferiùs. Ista porrò verba: *Ignotus in carne &c.* attribuūtur Dionysio à Michaële Syncello, qui sic habet: Ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονὸς, ὁ ἄγνωστος, ἔφη, ἐν σαρκὶ πάσχει Θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται. *Præ re inopinata admodum stupefactus* (Dionysius) *& humanam cognitionem supergressus, eo quod factū fuerat perpenso, Ignotus, inquit, in carne patitur Deus, propter quod vniuersum hoc concussum & obtenebratum est*. In Romano autem breuiario est, exclamasse illum: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur*. Apud Suidam quoque, vt in vita notaui, aliter est verbis, sed sēsu conformiter. Dici ergo potest S. Dionysium varijs in occursibus, repetita istius eclipseos memoria, aliter atque aliter, vt sæpe fit, dixisse. Nam & in ipsis Euangelijs aliter atque aliter à diuersis euangelistis Christi dicta referuntur, vt patet cùm alibi sæpius, tum in muliere sanguinis profluuio laborante, Matthæi nono, & Marci quinto & Lucæ octauo.

k CVMQVE PERILLVSTREM SIBI FEMINAM NOMINE DAMARIM COPVLASSET] Damarim S. Dionysij Areopagitæ vxorem fuisse probatur his sequētibus argumentis.

Primo, quòd ipsa S. Lucæ verba, Actorum 17. versu vltimo id innuant. Ea sic habent. Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευσαν. ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι

Δάμα-

Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alÿ cum eis. Ita verſio vſitata. Vbi vox græca γυνὴ & latina *mulier*, cùm alias æquè *quamuis mulierem* ſignificent, quàm *vxorem*: inde factum, vt nonnulli dubitarint, an hic pro *vxore* caperentur. Verùm, ſi Euangeliſtæ verba diligẽter attendantur, ſatis & mens eius & verborum ſignificatio inclareſcet. Nam mihi quidem ſatis euidens eſt voluiſſe Euangeliſtam primò aperire generatim nonnullos Paullo adhæſiſſe, atque (vt vis græcæ vocis κολληθέντες retineatur) conglutinatos fuiſſe, & in Chriſtum credidiſſe: deinde ſpeciatim deſignare Dionyſÿ Areopagitæ domum, hoc eſt, ipſum & vxorem & domeſticos, cum dixit: ἐν οἷς καὶ Διονύσιος &c. quæ clariùs ſic verſa eſſent: *inter quos & Dionyſius Areopagita & vxor nomine Damaris, & ceteri cum eis*: hoc eſt, domeſtici, exemplum patris & matris familias ſecuti. Nam vox ἕτεροι propriè eſt *ceteri*: cùm hæc ex illa facta ſit. Quare illę voces *ET ALII CVM EIS*, non ſignificant alios omnes præter Dionyſium & Damarim. (ſic enim bis idem diceretur, quandoquidem de alÿs ſuprà dictũ ſit: *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt)* ſed tantùm ſignificant eos, qui coniunctim cum Dionyſio & Damari crediderunt, atque eorum exemplo & incitamento, ſiue totam familiam.

Verum quidem eſt, quòd ſenſus clarior extitiſſet, ſi vox αὐτοῦ *eius* addita fuiſſet, & dictũ καὶ γυνὴ αὐτοῦ, *ET MVLIER EIVS*. Verũ id non ſolet, aut certè non eſt neceſſariũ. Quod multis exẽplis firmari poteſt. Neque enim ipſe S. Chryſoſtomus (quẽ à nobis eſſe, qui contraria ſentiunt, confitentur) cum γυναῖκα pro *vxore* vſurpauit, neque ipſe, inquam, addidit vocem αὐτοῦ *eius*; quo clariorẽ ſuam ſententiã redderet, ſed ſimpliciter ita dixit libro quarto *De Sacerdotio*: Ὁ δὲ Ἀρεοπαγίτης ἐκεῖνος, ὁ τῆς δεισιδαιμονεστάτης πόλεως ἐκείνης, οὐκ ἀπὸ δημηγορίας μόνης ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τῆς γυναικός; Quæ interpretes ſic verterunt, & bene: *Areopagita verò ille vrbis iſtius ſuperſtitioſiſsimæ ciuis, nonne ad ſolam orationem* [Paulli ſcilicet] *vnà cum vxore illum ſecutus eſt?* Vbi tamen non dixit μετὰ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, *cum vxore ſua*, ſed ſolùm μετὰ τῆς γυναικός, *cum vxore*. Satis enim intelligitur. Ita & in ſacris litteris illud αὐτοῦ frequenter omittitur, vt in priori ad Corinthios, capite 7. verſu 3. *Vxori vir debitum reddat*, græcè eſt: τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω. Vbi non eſt dictum τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. *Vxori ſuæ.* Sic in eodem ipſo capite ſæpius. Neque fauet contrariæ ſententiæ, quòd in latino apud Lucã ſit *mulier*. Idem enim ibi eſt atque *vxor*. Sicut & in iſto Paulli, eodem capite 7. verſu 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Vbi vox *mulier* bis ponitur pro *vxor*. & græcè vtrobique eſt γυνή. Nec aliter fere in Scriptura *vxor* effertur, quàm per vocem γυνή. Quo in ſignificato reperies vſurpatam vocem γυνή apud Paullum in vnico capite iam citato, ſaltem decies ſexies, & frequenter quidem ſine pronominis additione. Sic verſu vigeſimo ſeptimo: Δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; μὴ ζήτει γυναῖκα. *Alligatus es vxori: noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Sic verſu 11. dixerat: καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι. *Et vir vxorem non dimittat.*

Secundò ſi S. Lucas voluiſſet ſignificare quampiam aliam feminam, & non vxorem Dionyſÿ, addidiſſet, vt fieri ſolet, particulam τις *quædam*, dixiſſetque: καὶ γυνή τις ὀνόματι Δάμαρις, *& mulier quædam nomine Damaris*. Sed neque in græco eſt τις, neque in latino *quædam*. Putauit tamen eſſe in græco Ioannes Lorinus noſter, ideóque in alteram magis inclinauit ſententiam, cùm dixit: *Si vxor Dionyſÿ erat, non vocaſſet* γυναῖκά τινα: *mulierem quandam, ſed breuiſsimè dixiſſet*, καὶ γυνὴ αὐτοῦ. Sic Lorinus. Atqui non dixit S. Lucas γυναῖκά τινα. *Mulierem quandam*, ſed breuiſſimè dixit καὶ γυνὴ, *& vxor*, omiſſo αὐτοῦ, eius: ſicut ſolitum eſſe omitti iam è S. Paullo oſtendimus. Itaque Lorinus à nobis eſt, aut certè eſſe debet. Neque ſi textus Syriacus habeat *quædam*, præualere græco debet, cùm Acta primitus ſcripta græcè fuerint, non Syriacè: neque item præferri poteſt latino; cum latina verſio è græco fonte deriuata ſit & eodem pronomine *quædam*, careat, & magis ſuo fonti reſpondeat.

Tertiò, cùm alterius ſententiæ Auctores fateantur pro nobis facere antiquiſſimos & doctiſſimos & ſanctiſſimos Patres, Chryſoſtomum & Ambroſium, & nonnulli etiam S. Auguſtinum (ſed huius locum nondum reperi) ipſi autem ne vnum quidem è SS. Patribus, quò ſe tueantur, habeant; & argumentis (vt ea, quæ iam diximus, monſtrant) nitantur imbecillibus, certè non obſcurè oſtenditur, vtra ſit præferenda ſententia. Nam ſanè Ambroſÿ verba non inclinantis tantùm in noſtram ſententiam, ſed etiam prorſus incumbentis, & eam omnino amplexantis, extant in epiſtola eius octogeſima ſecunda ad Vercellenſem eccleſiam, ante medium: vbi poſtquam de Philoſophis cum Paullo diſputantibus verba S. Lucæ protulit, ita ſubdit: *Ex hoc tamen numero* (Philoſophorum ſcilicet) *non immunis gratiæ abÿt Apoſtolus. Siquidem etiam Dionyſius Areopagites cum Damari vxore ſua, alÿſque multis credidit. Itaque illi doctiſsimorum atque eloquentium cœtus ſimplici diſputatione victos ſe eſſe, credentium exemplo manifeſtarunt.* Hæc S. Ambroſius.

Quartò, Scriptores vitæ S. Dionyſÿ Areopagitæ idem de vxore eius Damari tenent

&

& ſcribunt. Teſtes Hilduinus, Vincentius Bellouacenſis, Petrus Equilinus Epiſcopus, & alij. *Qui protinus ſurgens*, inquit Hilduinus, *cum omni domo & vxore ſuâ Damari, quam vt ſumeret, more terrenæ nobilitatis, propter amorem ſuſcipiendæ caræ ſobolis, eum ſui coegere parentes, ad mandata properat ſancti Paulli.*

Vide & Baptiſtam Mantuanum libro I. de conuerſione, vitâ, & paſſione ſancti martyris Dionyſij.

Et vero eſt ſimillimum antiquiſſimos vitæ ſancti Dionyſij Scriptores, vel ex ipſis Athenarum archiuis, vel ex maiorum traditione de ſancti Dionyſij coniugio cognouiſſe. Item S. Ioannem Chryſoſtomum diu Athenis verſatum non potuiſſe de primo vrbis eius Epiſcopo id ignorare. Accedit auctoritas S. Maximi, cuius extât in Dionyſium græca σχόλια breuia illa quidem, ſed docta. Hic igitur in præfatione ſuâ non obſcurè indicat in Actis Apoſtolorum, non modò Dionyſij Areopagitę factam eſſe mentionē, ſed & domus ipſius, ſiue familiæ.

Atqui non poteſt dici alibi facta eſſe mentio familię, quàm in nomine DAMARIS, & eorum qui crediderunt cum eis, id eſt, cum heris ſuis Dionyſio & Damari. Verba autem S. Maximi (poſtquam dixit dignitatem Dionyſij à S. Luca ſignificatam voce illa AREOPAGITA, ſunt hæc: Ἐπιβάλλω δὲ μᾶλλον, ὅτι διά τε τὸ τῆς σοφίας περιττὸν, καὶ διὰ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἀνεπίληπτον πολιτείας ἔξοχον, μνημονευθῆναι μετὰ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Adijcio autem amplius*, inquit, *propter eximiam eius ſapientiam, & inter Athenienſes inculpatæ vitæ præſtantiam, mentionem ipſius factam eſſe cum domo ſuâ* id eſt, non tantùm ipſius, ſed etiam domus ſuæ. Qua ſcilicet tùm vera & plena eſt laus & gloria alicuius patrisfamilias, cùm non ipſe tantùm, ſed eius domus tota, frugi eſt & bene morata, vxor ſcilicet liberi, famuli, ancillæ, & ſi qua alia neceſſitudo cohabitat,

l IGITVR INTER ARCHONIAS] Hi fuerunt magiſtratus nouē virorum. Nomina erant, *Rex*, *Archon*, *Polemarchus*, & *Theſmothetæ* ſex. Quorū qui rectè fuiſſent fūcti magiſtratu, in Areopagum aſcendebāt, non qui ſecus. De his ita Maximus in præfatione ad S. Dionyſium: Ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων Ἀρχόντων Ἀθήνησι τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἔδει συνεστάναι δικαστὰς, ὥς φησιν Ἀνδροτίων, ἐν δευτέρᾳ τῶν Ἀτθίδων. ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, τουτέστιν, ἡ ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστέρων πεντήκοντα καὶ ἑνὸς, πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν, ὡς ἔφημεν, καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος διὰ τῆς τρίτης τῶν αὐτῶν Ἀτθίδων. *E nouem viris enim, qui Athenis Archontes conſtituti erant, Iudices Areopagitas, (vt inquit* ANDROTION *in ſecunda Atticarum) conſtare oportebat: poſtea verò è pluribus conſtituit Areopagi ſenatus, id eſt, è viris illuſtrioribus quinquaginta vno, ſed nobilibus tamen, vti diximus, & diuitiarum copia vitæque modeſtia excellentibus, quemadmodum Philochorus in tertia earundem Atticarum memorat.* Vide etiam Plutarchum in Solone. Tractat autem fusè de Archontibus & Areopagitis Carolus Sigonius libro ſecundo *De rep. Athenienſium*, ſub finem. De Archōtibus meminit & Demoſthenes in oratione aduerſus Leptinem, vbi ſub initium hanc citat legem: Ἀτελῆ δὲ μηδένα εἶναι τριηραρχίας, πλὴν τῶν ἐννέα Ἀρχόντων. *Triremis inſtruendæ nemo ſit immunis præter nouem Archontas.* Meminit & Plutarchus in Pericle, vbi de eo ſic ſcribit: Καὶ ταχὺ θεωρικοῖς καὶ δικαστικοῖς λήμμασιν ἄλλαις τε μισθοφοραῖς καὶ χορηγίαις συνδεκάσας τὸ πλῆθος, ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ᾽ Ἄρχων, μήτε Θεσμοθέτης, μήτε Βασιλεὺς, μήτε Πολέμαρχος λαχεῖν, αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι᾽ αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. *Et breui theatralibus & iudicialibus ſportulis atque alijs mercenarijs donis ac largitionibus corrupta plebe vſus eſt aduerſus Areopagi curiam, cuius ipſe pars non erat, quod nec Archon, nec Theſmothetes, nec Rex, nec Polemarchus ſortito cooptatus eſſet. Hi enim magiſtratus ſortitò antiquitus creabantur, & per hos poſtquam probati fuiſſent, in Areopagum aſcendebant.* Ita Plutarchus.

Omnium Archontum munia atque officia tam in communi, quàm in particulari ſcribit accuratè & diſtinctè Pollux in Onomaſtico, libro octauo. Vbi nota in græcis vertendis non prorſus felicem fuiſſe iſto loco interpretem; vt cùm ſtatim initio iſta: καὶ ὅσα κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πράττεται ἕκαστος αὐτῶν, ſic vertit: *Et quæcumque tam publicè, quàm priuatim ſinguli faciunt*, cùm vertendum fuerit: *& quæcumque tam communiter quàm ſpeciatim eorum vnuſquiſque facit.* Nam differunt *communiter* & *publicè*, ſicuti etiam *priuatim* & *ſpeciatim* vt omnibus notum. Siquidem multa poſſunt fieri *communiter*, à tribus verbi gratiâ, in ſecreto & occulto, quæ non poſſunt dici fieri *publicè*: & contrà quod *publicè* fit ab vnico è magiſtratu, non poteſt dici fieri *communiter*. Ita quoque de vocibus *priuatim* & *ſpeciatim* ratiocinandum. Adde ex ipſo Polluce hæc dileceſcere: quippe qui primò exponit ea, quæ omnibus Archontibus ſunt communia: deinde deſcendit ad ea, quæ ſingulis ſunt propria & ſpecialia: videlicet quæ Theſmothetis, quæ Archonti, quæ Regi, quæ Polemarcho. Nam vocabulum *Archon* ſemel generatim accipitur, ſemel ſpeciatim Sicut in Angelorum nominibus nomen *Angeli* nūc commune eſt omnibus ſanctorum ſpirituum hierarchijs, nunc ſpeciale infimæ hierarchiæ extremis ſpiritibus.

m IN IVDICIO, QVOD ILLI ΔΟΚΙΜΑΣΙ´ΑΝ &c.) Extat Lyſiæ oratoris antiquiſſimi oratio ſic inſcripta: Περὶ τῆς Εὐάνδρου δοκιμασίας. *De Euandri probatione. In qua oratione*

tione (inquit Carolus Sigonius libro secundo de repub. Atheniensium) *Euandrum defendit.*

Verùm salua Sigonij pace non defendit Lysias Euandrum, sed accusat, vt patet legenti orationem, adeóque ex his ibidem ipsius Lysiæ verbis: Καὶ μηδεὶς ὑμῶν ἡγείσθω με Λαοδάμαντι χαριζόμενον κατηγορεῖν Εὐάνδρου, ὅτι φίλος ὢν τυγχάνει, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῆς πόλεως προνοούμενον. *Ac nemo vestrum arbitretur me in gratiam Laodamantis, quòd mihi amicus sit, accusare Euandrum, sed vt vobis atque vrbi prospiciam.* Falsus est Sigonius in significatis vtriusque vocis δοκιμασίας & *Probationis*, quæ hic non significant *approbationem*, sed *iudicium* sic appellatum, in quo scilicet probabatur quispiam rectène suo functus magistratu esset, an secus? Eadem voce δοκιμασίας tali in significatu vtitur & Isocrates in sua Areopagitica, vt paullò inferiùs citabitur. Non licuisse autem omnibus Archontibus in Areopagitarum ordinem ascendere, liquet ex secunda oratione Demosthenis contra Aristogitonem sub initium: vbi innuit non semper omnes Thesmothetas (idem verò est iudicium de ceteris Archontibus) admitti in Areopagum, his verbis: τοῦτο δὲ ὅσοις τῶν θεσμοθετῶν εἰς Ἄρειον πάγον οὐχ οἷόν τ' ἐστὶν ἀνελθεῖν, παρέντες τὸ βιάζεσθαι στέργουσιν ἐμμένοντες ταῖς ὑμετέραις γνώσεσι. *Hoc autem, quotquot è Thesmothetis in Areopagum non datur ascendere, omissa violentia, boni consulunt, vestris cognitionibus acquiescentes.* Quibus verbis insinuatur Athenienses de moribus Thesmothetarum cognoscere solitos, antequam in Areopagum ascendere permitterent; & aliquos nonnunquam, qui non satis se probassent, fuisse ab ijs præclusos, nec vi aduersus iudicia vsos. Tulit enim Solon legem, vt non priùs ascenderent in Areopagum, quã bis probati essent, semel in populi iudicio, vt auctor est Demosthenes aduersus Leptinem: vbi dicit eos δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν, ἔν τε τῇ βουλῇ, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Ad quem locum ita Vlpianus: Οἱ θεσμοθέται ἕνα τὸν ἐνιαυτὸν ἦρχον. δεύτερον δὲ ἐδοκιμάζοντο, διὰ τὸ ἐκεῖθεν εἰς τὸν Ἄρειον πάγον ἔρχεσθαι, εἰ μή τις μεταξὺ διεβέβλητο, ἕως δὲ θανάτου ἔμενον οἱ Ἀρεοπαγῖται. *Thesmothetæ annuum gerebãt magistratum: secundo autem probabantur, eò quòd inde ad Areopagum tenderent, nisi quis interea crimen aliquod intendisset: manebant verò Areopagitæ vsque ad obitum.* Libanius verò clarissimè in argumento ad orationem Demosthenis contra Androtionem: Οἱ θεσμοθέται ἐνιαυτὸν μόνον ἦρχον πρὸ τῆς ἀρχῆς κρινόμενοι περὶ τοῦ προλαβόντος παντὸς βίου, καὶ εἰ μὲν εὑρέθησαν ἐν πᾶσι δίκαιοι, ἦρχον τὸν ἐνιαυτόν. εἶτα πάλιν μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκρίνοντο, εἰ καλῶς ἐν αὐτῷ ἦρξαν, καὶ εἰ δικαίως ὤφθησαν ἄρξαντες, προσετίθεντο τῇ βουλῇ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν. *Thesmothetæ annum duntaxat magistratu fungebantur, ante, quem in totam anteactam vitam inquirebatur: quod si in omnibus iusti comperiebantur, eum annum imperabant; quo finito rursus fiebat de illis iudicium, rectène imperassent; atque si iustè imperasse constaret, adscribebantur senatui Areopagitarum.*

n IN SANCTISSIMVM AREOPAGI CONSILIVM] Sic vocat Valerius Maximus libro secundo, capite sexto, vbi de Athenis scribens: *Est & eiusdem vrbis*, inquit, *sanctissimum consilium Areopagus, vbi quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquiri solebat: vt homines honestatem (vitæ rationem memores reddendam esse) sequerentur.* Idem libro quinto, capite quinto vocat Areopagum, *diuini atque humani certaminis venerabile domicilium:* Diuini quidem, eò quòd Mars ibi iudicatus sit, cùm homicidium admisisset, vnde & nomen sumptum. Nam Ἄρειος πάγος, id est, Martis curia, vti & Iuuenalis appellat Satyra vndecima, vbi de occultandis Areopagitarum exemplo arcanis atque consilijs hunc dedit versum:

Ergo occulta teges: vt CVRIA MARTIS Athenis.

Qui versus prouerbij loco vsurpatur, dum amico commendatur consilij cuiuspiam aut rei tacendæ occultatio. Optimè enim reticebant Areopagitæ sui arcana consilij. Vnde & illud adagium: AREOPAGITA TACITVRNIOR. De quo nomine videri etiam potest S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 91. & 92. Nullum vnquam consilium Areopago creditur fuisse iustius, seuerius, cõstantius, de quo inter alia Demosthenes aduersus Aristocratem, *Hoc autem*, inquit, *ad Areopagi laudem accedit, quòd nemo hic vnquam vel reus damnatus, vel actor superatus, ostendere potuerit sententiam perperam fuisse latam.* Græca sic habent: Πρὸς δὲ τούτοις τοιούτοις οὖσιν ἐνταυθοῖ μόνον οὐδεὶς πώποτε, οὔτε φεύγων ἁλοὺς, οὔτε διώκων ἡττηθεὶς, ἐξήλεγξεν, ὡς ἀδίκως ἐδικάσθη τὰ κριθέντα. Marcus Tullius libro primo ad Atticum, epistola decima tertia, senatum Romanum pro testimonio maximæ laudis cum Areopago comparat his verbis: *Romana autem res sic se habent: senatus* Ἄρειος πάγος, *Nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius.* De Areopagitis vide plura apud Isocratem in oratione Areopagitica, & apud Lucianum in Anacharside, siue, De gymnasijs.

Ne autem fallaris, memento apud Baronium, ad annum Christi quinquagesimum secundum, nonnulla de Areopagitis ex Budæo in Pandectas, vt apparet, sumpta reperiri, sed quædam malè & aliter quàm à Budæo citata, & quædam item malè intellecta: è quorum numero est illud, quod ibi habet his verbis: *Accedebat & illud, quòd qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præ se ferebat aspectus, inuentus esset, nullis meritis, sed tantùm*

genio

genio (vt aiunt) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur. Primo igitur, quod illa attribuit Luciano in Hermotimo, nihil sanè illic apud Lucianū est eiusmodi. Secundo, cùm accepisset illa Budæus ex Isocratis oratione Areopagitica, & paullò ante citatum Isocratem citasset alia in re Lucianū in Hermotimo, eorum excerptor, non animaduersa posteriore citatione, existimauit omnia ad Lucianum in Hermotimo referri. Tertio Budæi verba malè sunt intellecta. Nec enim dicit Budæus, (vti nec Isocrates, cuius ipsissima verba mox proferam) *aliquem nullis meritis, sed tantum genio impellente ab Areopagitarum numero sponte cogi discedere*: sed dicit sic: *obseruatum esse eos, qui moribus alioquin intolerandis antea fuisse videbantur, si quouis modo forte ad Areopagiticum consilium irrepsissent, tum demum temperare sibi solitos esse; & tamquam loci genio afflatos ex ingenio suo migrare (vt Plauti verbis vtar) malleque institutis tanti consilij, quàm insitis sibi vitijs, aut etiam ingenijs insistere*. Sic Budæus. Quod ergo dixit Budæus, *ex ingenio suo migrare*, interpretatus videtur Baronius: *Ab Areopagitarum numero sponte discedere*. Atqui alius planè sensus Budæi verborum est, nempe hic: *pristinos prauos mores deserere, & viuere cum Areopagitis, moribus Areopagitarum*, siue, (vt Carolus Sigonius libro secundo de republica Atheniensium sub finem, eundem Isocratis locum interpretans ait) *ex instituto potius Senatus, quam ex suo vitam egisse*. Iam verba Isocratis, tam à Budæo, quàm à Sigonio citatis locis latinè reddita, sic græcè habent: Σημεῖον δ' ἄν τις χρήσαιτο περὶ τῶν τότε καθεστώτων, καὶ τοῖς ἐν τῷ παρόντι γιγνομένοις. Ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἁπάντων τῶν περὶ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν δοκιμασίαν ταύτην καταμελουμένων, ἴδοιμεν ἂν τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις πράγμασιν οὐκ ἀνεκτοὺς ὄντας, ἐπειδὰν εἰς Ἄρειον πάγον ἀναβῶσιν, ὀκνοῦντας τῇ φύσει χρῆσθαι, καὶ μᾶλλον τοῖς ἐκεῖ νομίμοις ἢ ταῖς αὑτῶν κακίαις ἐμμένοντας. Τοσοῦτον ἐκεῖνοι φόβον τοῖς πονηροῖς ἐνειργάσαντο, καὶ τοσοῦτον μνημεῖον ἐν τῷ τόπῳ τῆς αὑτῶν ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης ἐγκατέλιπον. Τὴν δὴ τοιαύτην, ὥσπερ εἶπον, κυρίαν ἐποίησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐταξίας. Quæ sic reddo: *Qualia tum fuerint Areopagi instituta, potest ex ijs, quæ hodiéque fiunt, capi coniectura. Nam & nunc quoque cunctis, quæ ad electionem & probationem spectant, relaxatis, nonnullos intuemur, tametsi alijs in rebus sint intolerabiles, tamen postea quam in Areopagum ascenderint, vereri naturæ suæ ductum sequi, potiúsque illius loci institutis, quam vitijs suis acquiescere. Tantum illi metum improbis incusserunt, tantúmque in eo loco virtutis suæ ac temperantiæ monumentum reliquerunt. Hanc igitur curiam, vt dixi, censuræ morum præfecerunt*. Ita Isocrates. Ex quo patet, quam diuersus sit eius sensus ab eo, qui extat apud Baronium. Quod vero ibidem additur: *Lucianus etiam in Hermotimo sua quoque ætate Areopagitarum iudicio caussas definiri consueuisse tradit*: nusquam hoc tradit in Hermotimo Lucianus, qui in toto dialogo nihil habet aliud, nisi hæc per transennam: nimirum in eligendo Philosophiæ magistro *neque ætatem audientis spectandam esse, neque habitum, neque in Philosophia æstimationem, sed Areopagitas imitandos, qui noctu & in tenebris iudicant, vt non ad dicentes, sed ad dicta ipsi respiciant*. quæ ita græce: μήτε ἡλικίαν τῶν λεγόντων ἐξετάζειν, μήτε σχῆμα, ἢ δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ αἰδουμένον, ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας αὐτὸ ποιεῖν, οἳ ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. Ita Lucianus. Idem verò in Anacharside sub medium describit Areopagitarum morem in audiendis, aut cohibendis in iudicio oratoribus. *Ingressi*, inquit, *in Areopagum, considunt cædis aut vulneris ex destinato inflicti, aut incendij caussam cognituri: deinde vtrique de iure contendentium dicendi copia permittitur: dicunt vero alternis vicibus, & qui litem intendit & qui reus est, aut ipsi per se, aut Rhetorum sibi conducunt operam, quibus caussa oranda est. Illi ergo quidiu ea, quæ ad rē sunt, dixerint, perferuntur à Senatu auscultante cum silentio: ceterum, si quis meditato proœmio orationem exorsus fuerit, vt iudicum animos aliqua beneuolentia sibi propensiores faciat, aut miserationem, aut præcipuam aliquam orationis vim atque potentiam caussæ adduxerit (qualia permulta Rhetorum filij machinantur, vt hisce verborum præstigijs Iudicū perstringant oculos) progressus actutum præco illi indicit silentium, non permittens Rhetori ad Senatum nugandi libertatem, ac verbis caussæ inuoluendæ potestatem, quo minùs Areopagitæ ea, quæ facta sunt, nude queant perspicere*. Ita ibi ex versione interpretis. Nam græca prolixitatis vitandæ studio præterij.

Sed de Areopagitis nemo meliùs & exactius scripsit, quàm Isocrates in sua Areopagitica: vbi præter ea, quæ ex eo laudauimus, scribit Areopagitas cùm aliarum ætatum, tum potissime adolescentiæ rationem habuisse, his verbis, & his de caussis: Ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν· μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. ἑώρων γὰρ τοὺς τηλικούτους ταραχωδέστατα διακειμένους, καὶ πλείστων γέμοντας ἐπιθυμιῶν, καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι δεομένας ἐν ἐπιθυμίαις καλῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ πόνοις ἡδονὰς ἔχουσιν. ἐν μόνοις γὰρ ἂν τούτοις ἐμμένειν αὐτοὺς ἐλευθέρως τεθραμμένους καὶ μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους. *Curam igitur gerebant, cùm omnium, tum vero adolescentium in primis. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis fluctibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus, maximéque necessarium esse sic institui, vt honestis studijs & laboribus voluptate temperatis delectari assuescerent. Eos enim, qui liberaliter edocti & magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseueraturos*. Vide ibidem plura & pulchra.

o NISI QVEM SAPIENTIA] Græca Syncelli sic habent: Οὐ γὰρ ἂν παρ' Ἀθηναίοις ἀγερώχοις εἰς ἀρχὴν προῆκτο τοσαύτην, εἰ μὴ τῇ τε σοφίᾳ καὶ τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, σωφροσύνῃ τε, καὶ δικαιο-

Deo & beatæ Mariæ Virgini & sanctis Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc nuntij, qui missi fuerant, ad Imperatorem citissime reuertentes, super his quæ viderant & audierant, Imperatorem plenissimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX. anno Domini M. L.

Sciebant igitur cœnobitæ Dionysiani, quid & quantum, & quibus datum à se esset è Reliquijs S. Dionysij, antequam id diploma Pōtificium à Ratisponensibus ederetur: nempè minimum ossa tria, vnum Pontifici, duo ecclesiæ Vergiacensi, & quidem ante annum millesimum quinquagesimum, quomodo igitur fieri potest, vt fuerit integrum, excepta vnica minima particula manus dextræ, duobus annis pòst, hoc est, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, vt litteræ Ratisponenses præferunt?

Præterea cum ab ijsdem cœnobitis Dionysianis ex anno illo Domini M. L. quo visitatæ fuerunt Sancti Martyris reliquiæ, & aperta coram omni populo sacra theca sartæ tectæ inuentæ, cùm, inquam, cœperit illius diei solemnitas quotannis deinceps celebrari, & DETECTIO CORPORIS BEATI DIONYSII appellari (quemadmodum & in hodiernum diem appellatur & celebratur) quomodo Pontifex Stephanus (si quidem diploma illud contra illos fecit) non illis eadem opera efficaciter istius festiuitatem solemnitatis interdixit? Quomodo nec vllus posteriorum Pontificum prohibuit? Nam hodiéque ad nonam Iulij eam solemnitatem, nullo vetante, nullo repugnante celebrant. Quin & Nicolaus II. Pontifex, Stephani noni ij laudati successor, in bulla, quam tertio Pontificatus sui anno edidit, manifestè indicat S. Dionysij corpus, in illo sæpius nominato eiusdem martyris cœnobio requiescere. Extat illa Bulla apud Iacobum Dublæum libro 2. antiquitatum Abbatiæ S. Dionysij, cap. 9. Quin & Nicolai II. successor Alexander II. in sua item bulla data anno 4. sui Pontificatus, Indictione 4. idem prorsus indicat hisce verbis: *Quapropter notum facimus præsentibus & futuris omnibus, videlicet Regibus & Ducibus, Principibus & Dominatoribus, seu cunctis Apostolicæ sedis fidelibus, quod Venerabilis Abbas Rainerius & Monachi monasterij beati Dionysij Martyris, vbi ipse sanctus in corpore requiescit, nostram præsentiam adierunt, suppliciter postulantes, quatenus priuilegia eidem monasterio à Domino Dagoberto Francorum Rege ipsius loci fundatore concessa* &c. Vide Dublæum ibidem, cap. X. Si igitur Stephanus IX. sancti Dionysij corpus cœnobitis Dionysianis abiudicasset; qua ratione, amabo, proximi eius duo successores adiudicarēt? Denique nullo vnquam tempore cessarunt Reges Galliæ, ne quidem post illas, vt quidem appellant, Stephani litteras, ad S. Dionysij Reliquias tanquam in illo Dionysiano cœnobio præsentes adire, & opem à regni sui patrono & tutore exposcere. Hinc anno millesimo centesimo nonagesimo Philippus Augustus Rex Francorum ad terræ sanctæ recuperationem profecturus, priùs ad S. Dionysium, opis impetrandæ gratia, profectus est. De quo, is qui tum viuebat, Rigordus sic scribit: *Ideo Christianissimus Rex ante corpora sanctorum Martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij humiliter super pauimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo & beatæ Virgini Mariæ & sanctis Martyribus & omnibus Sanctis se commendauit. Tandem cum lachrymis ab oratione surgens sportam & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Rhemensis Archiepiscopi, auunculi sui Apostolicæ sedis Legati, deuotissimè accepit.* Deinde anno millesimo centesimo nonagesimo primo, Regina ipsa de mariti profectione & profectu sollicita, pari pietate ad eadem sacra pignora oratum vnà cum regni proceribus accedit, & dum hic Regina orat, tum ibi Rex Acconē, vrbem Palæstinæ munitissimam obsidet, & se dedere coactam capit. Rem ita narrat idem Rigordus: *Eodem anno,* inquit, *octauo Kal. Septembris, consilio Domini G. Rhemēsis Archiepiscopi, & Adelæ Reginæ, & omnium Episcoporum, corpora beatissimorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissimè sigillata continebantur, sunt extracta; & super altare posita, adiunctis ibi alijs corporibus Sanctorum in eadem ecclesia quiescentium, vt ibi fideles ad tam sanctū spectaculum conuenientes, cum gemitu & suspirijs, pro sancta terra liberanda, & pro Rege Francorū & vniuerso comitatu suo, puras manus cum Moyse leuantes, ad Dominum preces funderent: quia nō in armorum potentia, sed in Christi virtute & miseratione Christiani confidunt; nec in se, sed in Deo virtutem faciunt, superantes populos infideles & ad nihilum redigentes inimicos crucis Christi. Sequenti vero festo beati Dionysij, aperto vase argēteo, in quo corpus sacratissimi Dionysij Martyris continebatur, assistentibus venerabilibus Episcopis Siluanectensi & Meldensi, & Adela Francorum Regina, & multis Abbatibus & viris religiosis, totum corpus ipsius cum capite, vt prædiximus, est inuentum, & vniuersis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus, orandi causa, cōuenerant, deuotissime demonstratum.* Vide ibi plura.

Præterea anno Domini millesimo ducētesimo quadragesimo quarto, cū Innocētius IIII. Pōtifex ob Friderici Imp. violentiā, ad S. Ludouicum in Franciā cōfugisset, idemque Ludouicus eo tēpore grauissimum in morbū depositæ valetudine incidisset, ipse & Serenissima eius mater Blancha Regina ab Odone, S. Dionysij Abbate poposcerūt vti sacratissima corpora Dionysij Rustici, & Eleutherij, *quorū patrocinijs* (vt verbis vtar Nangij) *tota gaudet regio, regni stat potentia, de crypta, in qua quiescebant,* (quo suis precibus Regi sanitatē à Domino impetrarent) sine cunctatione educerent,

rent, propalámque collocarent. *Rex siquidem post Dominum & sacratam eius Virginem matrem* (vt idem loquitur Nangius) *in ipsis, vtpote in suis & regni sui aduocatis & protectoribus confidentius sperabat: nec immeritò. Quid enim posset Dominus beato Dionysio denegare, qui eidē in carcere propter fidē Catholicā reuiso dixerat:* DILECTIO ET BENIGNITAS QVAM HABES, SEMPER PRO QVIBVSCVMQVE PETIERIS, IMPETRABIT. Denique, vt breuiter comprehendam, quæ pluribus idē Auctor persequitur, educta sunt in lucem præsentibus Carolo Nouiomensi, & Petro Meldensi Episcopis, ac propalam venerationi exposita sanctorum Martyrū Dionysij & Sociorum corpora: quæ cum solemni in processione & supplicatione populi deportarentur, ex ea statim hora reualescere Rex sanctus cœpit, & breui tam ad incolumitatem & prosperitatem regni, quam ad terræ sanctæ subsidium, (in quod & opes omnes & vitam ipsam ardenter posthac impendit) penitus conualescere. Quis nunc igitur dubitare potest, quin etiam tunc ipsum re vera S. Dionysij sacrum corpus in Francia & in dicto cœnobio esset, atque idem ipsum & non aliud à beato Ludouico & sanctissima eius matre coleretur?

2. Litterarum Ratisponensium auctoritatem valdè infringit Otho Frisingensis Episcopus bonus & antiquus, & fidei veritatisque studiosissimus Scriptor, quem meritò Bellarminus *insignem nobilitate, pietate & doctrina* prædicat, quippe Henrici quarti Imp. nepotem, Henrici quinti sororium, Conradi Regis fratrem vterinum, Friderici primi Imp. patruum, qui totam hanc nobilitatem, vt Monachus fieret Cisterciensis, volens lubens Deo submisit. Christus verò eum primo Abbatem, dein Episcopū esse voluit. Is ergo, licet caussæ illi non deessent, quamobrem Ratisponensibus magis faueret, quam Francis (si fauori quidem contra veritatem locus esset) nam & Germanus erat & Leopoldi Ducis Baioariæ, vbi Ratispona est, frater; tamen hanc Ratisponensium fabulam ita perstrinxit, vt irridere eos, non ipsis credere videretur. Ita enim scripsit libro 6. Chronici, cap. XI. *Dilexit verò* [Arnulphus] *præ ceteris regni sui locis metropolim Baioariæ Ratisponam. Vnde & muros eius ampliauit, monasteriumque S. Emmerami pluribus ornamentis adornauit, ac largis possessionibus locupletauit. Tradunt ibi, scriptumque monstrant, quod prædictus Rex S. Dionysium à Gallys ad præfatum monasterium transtulerit. Quod vtrum ita sit, ipsi viderint.* Ita ille. Quasi diceret: *ego autem non credo.* Nam si credidisset, eodem quo superiùs sermone vtens dixisset: *præcipuè S. Dionysij corpore è Gallys traducto honorauit*, aut certè simili quopiam sermonis genere vsus esset. Is autem Otho longè est fide dignior quam aut Auentinus, aut Crantzius, quos quadringentis saltem annis antecessit.

3. VVitichindus, qui annis minimum sexcentis eosdem Auentinum & Crantziu scribendo anteiuit, & illis litteris Ratisponensibus integro sæculo antiquior fuit, is inquam, VVitichindus libro I. Gestorum Saxonicorum scribit Carolum Simplicem Francorum Regem, aduersus quem sui Principes tum rebellauerant, misisse manum S. Dionysij ad Henricum Saxonicorum Regem nempe āno Domini 920.) amicitiæ eius sibi conciliandæ gratia. Verba eius sunt hęc: *Quando verò Rex rhenum transiuerat ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei Legatus Caroli, & salutato eo verbis humillimis, Dominus meus,* inquit, *Carolus regia quondam potestate præditus, modo priuatus, misit me ad te, demandans quia nihil ei ab inimicis circumuento iocundius, nihil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit: protulitque de sinu manum pretiosi martyris Dionysij auro gemmisque inclusam. Hoc,* inquit, *habeto pignus fœderis perpetui & amoris vicary* &c. Vide supra, ca. 29. vitæ ipsius S. Dionysij.

Iam si verum est, quod Ratisponenses asseuerant, totum se corpus S. Dionysij accepisse ab Arnulpho Rege Baioariorum, sub annum Domini circiter 890. (Nam sub id tempus regnabat) vnde habere potuit Carolus Simplex annis triginta pòst manum illam, quam ad Henricum Imp. misit? Si è Francia (inde enim se mittere indicat) ergo non totum corpus excepta minima manus particula iā Ratisponæ erat: sin Ratisponâ habuit, & in Saxoniam transmisit, quomodo centum post annis eóque amplius, hoc est, anno M. LII. (vt ipsi aiunt Ratisponenses) decerni potuit, integrum apud eos corpus esse? cuius multæ partes in varia loca transportatæ iam erant, manus in Saxoniam, os brachij Romam, alia ossa in Burgundiam, & aliæ aliò eiusdem sacri corporis reliquię? De quibus vide Antiquitates Abbatiæ S. Dionysij in Francia, libro I. cap. XXX.

4 In ijsdem Ratisponensium litteris furtū illud, siue potiùs nefarium sacrilegium, quo ad se translatum Dionysij corpus ferunt (si quidem res vera esset) verbis mollibus & vanis, molestamque consolationem afferētibus, & Imperatoris pietate excusatur: cùm tamen satis constet eum longè impijssimum fuisse: quem & impij Herodis morbo ob sua flagitia perijsse cuncti ferè scribunt historici. Luithprandus certè vir *ob eruditionem & prudentiam multæ*, vt ait Bellarminus, *auctoritatis* (is est quem Berengarius Imperator legatum misit ad Constantinum Imp. Græcum) libro I. rerū ab Europæ Imperatoribus ac Regibus gestarum, ita de Arnulpho per letale poculum à sensibus alienato scribit: *Credo autem Arnulphum Regem iusta seueri iudicis censura huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dū imperium*

huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotēti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur: Sacræ virgines vi opprimebantur: coniugatæ violabantur. Neque enim ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros & debacchationes. Sed & mulieres in eodem publicè prostituebātur. Et paullo inferiùs de morte eius turpissima sic subijcit: *Profectusque in propria, turpissima valetudine expirauit. Minutis quippe vermibus, quos pedunculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem quòd præfati vermes adeo scaturirent, vt nullis medicorum curis minui possent.* Sic ibi. Et nihilominus illę suprà positæ litterę volunt, vt Rex Franciæ congaudeat Apostoli sui gloriæ, *qui tam deuotum furem sui corporis habuit, auro vtique & topazio meliorem.* Hem absurditatem! Et quidem post tanta flagitia & sacrilegia litteris ad posteritatem exarata non erubuit scriptum illud Ratisponense de illo hæc enunciare: *Qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare.* Baptista item Egnatius libro 3. Romanorum Principum, eiusdem Arnulphi scelera & scelerum pœnas ita quàm breuissimè perstrinxit: *Qui aduersus Nortmannos res egregias primò gessit: mox in rapinas, templorúmque spoliationes conuersus iusta numinum ira plectitur. Nam & prior illum felicitas deseruit, & breui pediculari morbo confectus obijt.* Simillima reperies apud Iacobum VVymphelengium in epitome rerum Germanicarum cap. XV. Sic enim scribit: *Arnulphus septimus à Carolo Magno Imperator, primò quidem strenuè sumptis armis Nortmannos rebelles perdomuit: verùm mox in ecclesiasticos sæuiens, Dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν vocant, breui consumptus est, relicto filio Ludouico successore. Non inuenimus quempiam filios filiorum suorum vidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui Clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus damno vel contumelijs eos affecisset.* Ita ille. Quibus omnibus succinit Iacobus Pino in Serie Romanorum Imperatorum, his versibus:

ARNVLPHVS subit, egregias qui gessit in ipso
Auspicio imperij res strennuus: inde rapinas
Sectatus spoliat templa & donaria Diuum.
Vnde luit pœnas consumptus Numinis irâ
Vermiculis, nonum interea dum clauditur æuum.

id est; expirauit exeunte nono Christi sæculo, siue sub annum Domini nongentesimum.

5. Quomodo potuit tanti Francorum Apostoli corpus tanta semper cura custoditum, tanta populorum veneratione cultum, tanti à cunctis Francorum Regibus æstimatum, aut inscijs aut dissimulantibus S. Dionysij cœnobitis è crypta sua erui, è monasterio educi, è regno efferri, vt nullus omnino ad quenquam Francorum rapti sui Apostoli rumor aut murmur emanaret? nullus verbum vnum faceret? Nam fingere omnes prorsus Religiosos illius cœnobij ita vino somnóque fuisse obrutos, sepultosque, vt quid domi gereretur, nescirēt: vt claues ad tanti subreptionem thesauri vel vltro offerrent, vel à se tolli non persentiscerent, nimis vanum, nimis ridiculum est. Adde verò, quod caput est, extremæ id nequitiæ & improbitatis videri, audere aliquem tantum & tam horrendum sacrilegium attentare: nimirum id quod aliquo in regno tam sacrum, tam religiosum sit, id quod tanto cultu & veneratione celebretur, id quo nihil preciosius, nihil sanctius inter cunctas eius gentis reliquias habeatur, iustis tam longi temporis successoribus sine caussa suffurari.

Quin & hoc fortassis minimè contemnendum aliquis iudicauerit, totam Ratisponensium de hac ad se translatione fabulam ortum habere & principium ab hominis nequam & sacrilegi dicto & iureiurando: cui potiùs creditum sit dicenti illud corpus, quod Ratisponam afferret (si quid tamen attulit) esse corpus S. Dionysij, quàm omnibus simul religiosis Dionysiani cœnobij id sanctè pernegantibus, atque apud se esse palam monstrantibus, immo & externis Regibus ac Principibus id profitentibus. Vide suprà, caput XXVII. vitę, vbi verba S. Eduardi Regis Anglorum scripta anno Domini millesimo quinquagesimo nono laudaui, in quibus dicit S. Dionysium apud Anglos quidem celebris memoriæ nominari, apud Francos autem coli & haberi. Si ergo apud Francos erat anno M.L.IX. quomodo decerni potuit anno M.LII. fuisse olim in Germaniam translatum, atque etiamnum esse Ratisponæ? Maneat proinde, vt longè probabilius, dictum S. Dionysij corpus in Francia potiùs esse, quàm vspiam alibi: & hic sit quæstionum finis. Iam ad Notationes in Vitæ confirmationem transeamus.

NOTATIONES
IN VITAM S. DIONYSII AREOPAGITÆ.

CAPVT PRIMVM.

NATVS EST DIONYSIVS] Dionysij inter Scriptores sacros doctrina & sanctimonia clarissimi tres fuerunt, (nam de Patribus Græcis tantùm sermo est in præsentia) Dionysius Areopagita, Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Dionysius Alexandrinus: qui omnes scripta vtilissima posteris reliquere. Areopagita primo sęculo floruit, Corinthius secũdo, Alexandrinus tertio. Ac proinde hi duo posteriores mentionem Areopagitæ facere potuerunt, & Corinthius quidem testibus Eusebio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo & Maximo martyre fecit: sed an Alexandrinus etiam fecerit, haud perinde constat. Multi quidem id asserunt & eiusdem Maximi Scholiastę auctoritatem ad hoc confirmandum proferunt: vbi scilicet scribit S. Dionysium Alexandrinum composuisse scholia in beatum Dionysium sibi cognominem. Verùm per Dionysium sibi cognominem non intelligi Areopagitam suprà fusè docui, quæstione secunda, in solutione argumẽtorum aduersæ partis. Verba autem Eusebij libro quarto historiæ ecclesiasticæ, capite vigesimo secundo, de Dionysio Corinthio sunt hæc: Δηλοῖ δ' ἐπὶ τούτοις, ὡς καὶ Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου Παύλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίστιν, κατὰ τὰ ἐν ταῖς πράξεσι δεδηλωμένα πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριστο. *Significat preterea* [Dionysius Corinthius] *Dionysium Areopagitam ab Apostolo Paullo ad fidem conuersum, vt produnt Acta, primum Athenarum Antistitem creatum esse.*

De eodem Dionysio Corinthiorum Episcopo, ita Maximus in præfatione scholiorum suorum ad libros Areopagitæ: Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Mentionem facit Areopagitæ etiam Dionysius, antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in sua ad Athenienses epistola.* Ita ille. Hæc autem propter eos, qui eundem Areopagitam existimarunt etiam Athenarum & Corinthiorum fuisse episcopum dicta sint. Nam ex his patet esse diuersos: cùm alter alterius mentionem faciat.

De his duobus Dionysijs, Corinthio, inquã, & Alexandrino, amplius σὺν θεῷ in ipsorum vitis & sæculis dicetur: nunc solùm de Areopagita, qui secundùm Apostolos primus mihi ponitur in suo sæculo, idque suasu antiquitatis: cùm ætate vix nouẽ annis minor Christo fuerit, vt iam nunc ostendam.

b ANNO CIRCITER CHRISTI NONO] Hic annus ex ipsius Dionysij ad Apollophanem epistola colligitur: vbi tempore passionis Christi Domini, siue eclipseos quæ tum accidit, se viginti quinque annorum fuisse scribit. Quæ epistola, licet nunc græcè non extet, tamen extabat tempore Caroli Calui Imperatoris sub annum Christi 876. quo tẽpore vnà cum alijs S. Dionysij operibus eam latinè vertit Erigena Scotus. Nam hodièque ea versio superest, & eodem planè stilo, quo ceteræ epistolæ, vt dubio nullus relictus sit locus. Accedit de viginti quinque annis auctoritas S. Maximi ad epistolam decimã S. Dionysij, quæ est ad S. Ioannem euangelistam his verbis: Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν ΚΕ, ἅπερ οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus verò & diuinum Dionysium, cùm eiusmodi prodigia Christo cruci affixo vidit, annorum fuisse viginti quinque, quod & me adhuc legisse puto.* Itaque existimauerim Maximum aliquando incidisse in illam B. Dionysij græcam epistolam, sed ab alijs, vt sæpe fit, auulsam. Si igitur Dionysius fuit viginti quinque annorũ in vltimo Christi anno, hoc est, ætatis Christi tricesimo tertio, vt plurimi tenent, vel tricesimo quarto inchoato, vt alij volunt, sequitur eum natum anno Christi nono circiter. Addo *circiter* ob varian-

variantes sententias. Iam nonus Christi & quinquagesimus Augusti, iuxta Eusebiũ (quo in ecclesiastica chronologia nemo certior) inter se concurrunt, & sequitur approbátque Baronius.

c IMPERANTE TIBERIO] Suidas in Dionysio ita de eo in editione Morellij: *Κατὰ γὰρ τὴν ἀρχὴν Τιβερίου Καίσαρος, ὅτε δὴ καὶ τὴν ἡλικίαν ἤκμαζεν, ἀπῆρεν εἰς Αἴγυπτον τοῖς ἐκεῖσε σοφοῖς ὁμιλῆσαι γλιχόμενος. Imperante Tiberio Cæsare, cùm iam ætate floreret, soluit in Ægyptum, cum philosophis, qui inibi agebant, versari desiderans.* Pachymeras in paraphrasi epistolæ septimæ Dionysij sub finem: *Ἔθος γὰρ ἦν τότε τοῖς ὁπουδήποτε Ἕλλησιν ἀποδημεῖν εἰς Αἴγυπτον μαθήσεως ἕνεκα. Erat enim tum Græcis consuetudo, vndique in Ægyptum studio Matheseos peregrinandi.*

d QVOD DE PYTHAGORA &c.] De his multa sunt veterum testimonia. Breue est illud M. Tulij libro quinto, *De finibus bonorũ & malorum* extremo. *Cur Plato*, inquit, *Ægyptum peragrauit, vt à Sacerdotibus barbaris numeros & cælestia acciperet?* & paullo post: *Cur Pythagoras & Ægyptum lustrauit, & Persarum Magos adijt? cur tantas regiones barbarorum pedibus obijt? tot maria transiuit? cur hæc eadem Democritus?* &c. Vide Diogenem Laërtium in eorundem vitis, & Strabonem in libris Geographiæ 14. & 17. & Valerium Maximum libro octauo, capite septimo, & de alijs Philostratum in vitis Sophistarum, præsertim in Aristide, & S. Iustinum Martyrem in cohortatione 1. ad Græcos, ante medium, vbi dicit constare ex Theodoro, & ex alijs historicis Orpheum Homerum, Solonem, Pythagorã, Platonem & alios Ægyptum adijsse, & libris Moysis adiutos meliùs de Deo sapuisse. Vide & Clementem Alexand. libro 1. Stromatum ante medium, vbi sic inter alia: *Θαλῆς δὲ Φοῖνιξ ὢν τὸ γένος, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται· καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς γε τούτοις, δι' οὓς καὶ περιετέμετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν, Χαλδαίων τε καὶ Μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν τὴν νῦν οὕτω χρηματίζουσαν ὁμακοεῖον αἰνίττεται. Thales autem, cùm esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum Prophetis congressus esse dicitur, sicut & Pythagoras cum ijsdem versatus est: propter quos etiam fuit circumcisus, vt & adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam, & cum Chaldæorum, & Magorum præstantissimis egit familiariter, & quæ nunc ecclesia appellatur, ab illo ὁμακοεῖον dicta est.* Vox *ὁμακοεῖον coauditorium* (si fas sit ita loqui) significat nempe locum, quò multi ad audiẽdum vna conueniunt: ex *ὁμοῦ* & *ἀκούω, simul audio*.

e QVIN ETIAM IPSO DIONYSII TEMPORE] Strabo enim, qui eodem quo Dionysius, tempore floruit, hoc est, imperante Tiberio, ita de se lib. 17. Geographiæ scribit: *Ἐν δὲ τῇ Ἡλίου πόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον ἱερεῖς. Μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιὸν φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν. Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes degebant. Immo dicunt hanc olim Sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum.* Et paucis interiectis: *Ἐκεῖ οὖν ἐδείκνυντο οἵ τε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος, καὶ Εὐδόξου διατριβαί. Συνανέβη γὰρ δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψαν τοῖς ἱερεῦσιν ἐκεῖνοι ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἴρηταί τισι. Ibi ergo ostendebantur Sacerdotum domicilia, & Platonis atque Eudoxi schola. Isto enim ascendit cum Platone Eudoxus, ibique cum Sacerdotibus tredecim annos versati sunt, vt dictum ab aliquibus est.* Vide ibidem plura huc spectantia. De Platone ita S. Augustinus libro 8. *De ciuitate Dei*, capite 4. *Quam longè, latéque potuit, peregrinatus est. Quaquauersum enim alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Ægypto didicit, quæcumque illic magna habebantur atque docebantur.* Ægyptios autẽ accepisse ab Abrahamo Patriarcha sciẽtiam astrorum, aliásque complures artes testatur Alexander Polyhistor, *vir magni ingenij multæque eruditionis* (vt appellat Eusebius libro nono de præpar. euangel. capite decimo septimo) scriptor perantiquus, de quo sic ibidem: *Συζήσαντα δὲ τὸν Ἀβραὰμ ἐν Ἡλιουπόλει τοῖς Αἰγυπτίων ἱερεῦσι πολλὰ μεταδιδάξαι αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦτον αὐτοῖς εἰσηγήσασθαι.* &c. *Ceterùm cùm apud Heliopolim Abraham Sacerdotum consuetudine plurimùm vteretur, multa ipsos, nec non astrologiam, & reliqua eo pertinentia edocuisse tradit.* Eius sententiæ accedit Iosephus libro primo Antiquit. cap. 9. his verbis: *Τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. πρὸ γὰρ τῆς Ἀβράμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς. Arithmeticam quoque & astrologiam cum illis communicauit. Nam ante Abrahami aduentum in Ægyptum, Ægyptij horum rudes erant.*

f VNA CVM APOLLOPHANE SOPHISTA] Hic Apollophanes præceptor fuit Polemonis Laodicensis: Polemon autem Aristidis philosophi eloquentissimi, qui apologeticum pro Christianis obtulit Hadriano Imperatori: de quo Aristide vide Eusebium libro 4. historiæ, c. 3. & Hieronymum in Catalogo. De Apollophane ita Suidas in Dionysio: *Συνῆν δὲ αὐτῷ Ἀπολλοφάνης ἐκεῖνος ὁ σοφιστής, οὗ Πολέμων ὁ Λαοδικεὺς ἐν Σμύρνῃ ἤκουσεν ὁ διδάσκαλος Ἀριστείδου. Vnà cum Dionysio erat Apollophanes Orator ille, quem Polemon Laudicenus, magister Aristidis Smyrnæ audiuit.* Hunc ergo Apollophanem S. Polycarpus Smyrnę Episcopus ad manum habuit, & ad Christi fidem conuertit. Super qua conuersione duæ extant Dionysij epistolæ: vna ad S. Polycarpum hortatoria, vt eum ad FIDEM conuertat: altera ad ipsum Apollophanem iam cõuersum gratulatoria.

tulatoria. Fuisse Apollophanem S. Dionysio non solùm veterem sodalem, sed & cognatũ, videntur ista Syncelli verba in eius encomio indicare: ἑταίρῳ δ' ἤδη ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ. *Veteri sodali amicissimo & cognato.*

g EXVRGENTE ILLA ECLIPSI] Tota huius eclipseos ab ijs animaduersæ historia partim ex duabus S. Dionysij epistolis, vna ad S. Polycarpum, altera ad Apollophanem collecta est: partim ex Maximo, Syncello, & Metaphraste. Quibus adde Suidam, Nicephorũ, Pachymeram & alios. Eclipseos quidem, siue tenebrarum toti orbi obtensarum, quod ad substantiam spectat, Euangelistæ tres, Matthæus, Lucas, & Marcus meminerũt, sed quod ad modum attinet, præter hunc Dionysiũ, nemo. Vtrobique autem multa admodum mira extiterunt. Ad prius enim quod attinet, 1. facta est in plenilunio, quod aliàs nunquam. Cùm enim Solis defectio fiat ex coniunctione Solis cum Luna (idquod accidit in nouilunio) tum facta est in eius maxima disiunctione, siue, in plenilunio. Nec enim Iudæi alio tẽpore pascha celebrabãt, quàm in plenilunio. 2. obumbrauit hæc eclipsis totam terram: quod naturaliter fieri non potest, cùm Luna minor sit Sole, nec eum proinde totũ possit toti terræ, nisi maximo miraculo, occultare. 3. Durauit tres ipsas horas, cùm alioqui ob contrariũ Solis & Lunæ concursum breuissima esse debeat & soleat: præsertim, quòd corpus solare ingentis sit magnitudinis; lunare autem, eius respectu, perexiguum. Sic enim videmus re quapiam minima ob oculos posita etiam prægrandem montem nobis abscondi, sed ita, vt si rem illam minimam vel minimum remoueris, extemplo illum eundem montem conspicias. Ita de Sole accidisset, si Luna inter oculos nostros & illum opposita vel tantillũ promouisset, neque prodigium interuenisset.

Hæc tria miracula è tribus Euãgelistis cõstant: è quibus sic Matthæus, capite vigesimo septimo, versu 45. *A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Et Lucas capite vigesimo tertio: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam: & obscuratus est Sol.* Et Marcus capite decimo quinto: *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam.* Agunt autem ibi de tempore paschatis, in plenilunio Martij. Ex quibus verbis, licet colligi necessariò non possit, vllam fuisse eclipsim propriè dictam (cùm potuerit Deus Optimus Maximus istas tenebras inducere Sole & Luna ordinarium cursum tenentibus, vt in Ægypto factum legitur antiquitus) tamen cùm veram fuisse eclipsin grauissimi Auctores etiã Ethnici tradant, & ipse S. Dionysius non modò illã, sed eius quoque modum vnà cum æquali suo Apollophane, maximo philosopho, adhibita regula astronomica curiosè obseruarit, littérisque mandarit, par est idem cũ ijsdem sentire homines non præfractos. Ex Auctoribus Ethnicis, qui eclipseos tẽpore Passionis Domini nostri Iesu Christi animaduersæ meminerũt, citatur nominatim Phlegon libertus Hadriani Imperatoris, egregius historicus, cuius verba græca è chronico Eusebij, itémque ex Alexandrino, siue, vt alij vocant, è Fastis Siculis, hic propono. Ita igitur Phlegon libro decimo tertio: Τῷ δ' τετάρτῳ ἔτει τῆς σβ. ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ϛ'. τῆς ἡμέρας ἐγένετο. ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. id est, (ex interpretatione S. Hieronymi) *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebras versus, vt stellæ in cælo visæ sint: terræque motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuertit.* Ita Phlegon apud Eusebium ad annũ Domini trigesimum tertium. Idẽ quoque Eusebius eodem loco, in alijs Ethnicorum commentarijs se hæc ad verbum reperisse scribit: Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. Βιθυνία ἐσείσθη. Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. *Sol defecit: Bithynia concussa est: Niceæ ædificia multa corruerunt.* Thallus quoque Historicus, teste Iulio Africano secundi sæculi Scriptore, idẽ ipsum in suam historiam retulit. Ita enim de illo: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Hasce tenebras defectum Solis appellat Thallus libro 3 historiarum, vt mihi quidem videtur, inconsideratè.* In quibus quidem verbis indicat Africanus in altera se esse sententia: nimirum vt tenebræ tantùm fuerint miraculo quodam Ægyptiarum tenebrarum simili per vniuersam terram obductæ. In qua opinione fuit etiam Origenes & Tertullianus, & quidam alij: inter quos & Sedulius Presbyter lib. 5. Pascalis operis, dum ita cecinit:

Interea horrendæ subitò venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mæstisque nigrantem
Exequys texere diem. Sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, tristémque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum
Auxilys orbata patris, lætata per ortum,
Mæsta per occasum. Nam lux vt tempore fulsit
Nascentis Domini, sic hoc moriente recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum: quippe vt tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cæli,
Sic Dominus clausit triduo tulit antra sepulchri.

Quibus in versibus nulla fit mentio eclipseos, sed tantùm Solis, occursu nubium, obscurati. Nunc tamen communior videtur sententia veram, sed prodigijs plenam fuisse eclipsin, de qua sic S. Augustinus epist. LXXX. ad Hesychium, tomo 2. *Quando nos vidimus Solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cùm lumen mundi penderet in ligno? Nisi forte defe-*

defectus Solis & Lunæ, quos consueuerunt computatores siderum annotare atque prædicere, inter cælestia prodigia numerabimus, quia Lunam sæpius in sua plenitudine, Solem verò rariùs, sed tamē vidimus in fine Lunæ secundùm eorum computū defecisse. Non erat talis Solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, & ideo verè mirabilis erat & prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudæorū, quod non nisi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundum Astrologorum autem numeros certum est Solē, quādo Luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est Lunæ, non quidem semper, sed aliter nunquam, cùm secundùm illos numeros deficit. Quid ergo tale vnquam quisquam meminit apparuisse de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est? Ita S. Augustinus.

Sed quæret nunc aliquis, quonā pacto tantum miraculum patratum sit? nempe vt Luna tam exigua Solem tam immensum orbi toti absconderit?

Respondeo inter plures sententias hāc videri probabilissimam, quæ dicit Angeli ministerio vel subtractos orbi radios illos, qui à Luna comprehendi non potuerūt, atque occultatos: vel certè (quod nostro Salmeroni magis placet) cōpressos, coactósque, vt in Lunā cuncti inciderent. Equidem magis credo verum huius prodigij modum nos latere.

Iam autē circa eiusdem eclipseos, aut duorū potiùs luminariū processiones, ista extiterunt haud minora prioribus miracula:

Primò, quòd Luna ab Orientali tractu Solē subiuerit res prorsus insolens & inaudita.

Secūdò, quòd ita progressa sit vsque ad partem Solis occiduam, vt tres horas partim progrediendo, partim regrediēdo sub Sole fuerit.

Tertiò, quod licet ad extremam vsque Solis partem occiduam processerit, ita vt eiusdem Solis pars Orientalis primò apparere detecta & detersa deberet: tamen Lunâ retro versus Orientem resiliente contrarium acciderit, nempe vt pars occidenti obuersa primò apparuerit, luménque, vt antè, refuderit.

Ecce hîc descriptam claritatis gratia conspicuam imaginem:



Sit ergo in figura præsenti, *A* terra: *B* Luna: *C* Sol: *D* Oriens: *E* occidens: *F G* diame-

ter

ter ab ipso Sole ad Solis oppositū: *H* pars Solis orientem respiciens, *I* pars Solis occidentem spectans: linea verò ad *H* ad *I*, diameter disci seu corporis solaris. Iam tempore passionis luna erat in *G*, siue ex diametro Soli opposita, proptereáque plena & radijs solaribus tota collucens, vt in plenilunio assolet. Hora igitur sexta, qua Christus in Cruce pendebat, subitò transijt Luna ab *G*, siue à loco Soli ex diametro opposito ad *H*, siue ad partem Solis orientalem, ibique Solem subiens ex ea parte inchoauit eclipsim, indéque ad *I* progressa totum Solem caligine sua, velut pulla veste, obduxit: deinde ab *I* siue parte Solis occidua ad *H* resilijt, ita vt pars Solis vltimò obtenebrata primò inclaruerit, mundóque radios suos diffuderit, contrà quàm aliàs semper factum fuerit, aut fieri solitum sit. Progressio itaque ab *H*. ad *I*. & regressio ab *I*. ad *H*. tres ipsas horas tenuit: à sexta scilicet vsque ad nonam, hoc est, in plagis orientalibus à meridie ad tertiam pomeridianam. Deinde ab *H*. ad *G*. hoc est, ad locum suum naturalem citissimè redijt, ita vt vesperi in sua essent statione, Sol in occasu, Luna ex opposito; & hæc quidem plena ac lucida, perinde quasi loco mota non fuisset. Quarum rerum tam admirabili spectaculo perculsi Dionysius & Apollophanes philosophi, quid sibi ista vellent, inter se quæritarunt, vt in vita exposuimus. Denique de ambobus illis Philosophis, S. Dionysio, inquam, & Apollophane, padéque tota huius eclipseos ratione, mihi patrocinantem habeo Clarissimum Godefridū Vuendelinum, virum (vt scribit in Athenis suis Belgicis eruditissimus Franciscus Svveertius) *in omni litteratura, & præsertim in Mathematicis disciplinis ad miraculum vsque versatum*. Cuius ego epistolium quoddam διδακτικὸν ad nostrum Andream Schottū pię mem. super Dionysio Areopagita, eiúsque Scriptis, (quæ fortiter tuetur) felici sorte nactus sum. Vtinam citiùs! Sed, vt spero & opto, videbunt aliquando lucem tanti viri tractatus perutiles.

h RERVM DIVINARVM MVTATIONES.] Sic græcè in epistola S. Dionysij ad Polycarpum: Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. *Hæ sunt, ô bone Dionysi, diuinarum mutationes rerum*. Quidam istud ἀμοιβαὶ πραγμάτων verterunt *vices rerum*, aliqui *vicissitudines*, nonnulli *retributiones*, alij *vicarias mutationes*: quia scilicet vox ἀμοιβαὶ seorsum accepta has omnes admittat significationes. Verùm non satis est interpreti attēdere, quid vox aliqua significet, sed quid hoc vel illo loco significet: hoc autē loco nec *vices*, nec *vicissitudines*, nec *vicarias mutationes*, nec *retributiones* significat, sed simpliciter *mutationes*. Nā ista alia vocabula capiūtur pro ijs, quæ sæpe & vicissim fiūt: hic autem agitur de mutationibus planè insolitis, & quales nunquam aliàs fuerunt, nec erunt. Quę porro illæ? nempe Dei mors, diuinarum antiquæ legis cærimoniarum interitus, noui testamēti, nouęque legis introductio, hisque similia verè diuina. Dionysius Rickelius in expositione epistolæ ad Apollophanē, *diuinarum retributiones sunt rerum* sic exponebat. 1. *quidam iusti effectus contingentes ob iniuriam, & irreuerentiam illatā Deo, seu diuinis substantijs*. Et optimè quidē, si bona fuisset græcæ vocis ab interprete, (quisquis ille fuerit) versio; verùm, vt dixi, & vt doctioribus placuit interpretibus, nihil aliud hic latinè reddendum fuit, quàm *diuinarum mutationes rerum*. Vnde Pachymeras in paraphrasi eiusdem ad Polycarpum epistolę, pro ἀμοιβαὶ vsurpat μεταβολαὶ, quod vocabulum *mutationes* præcipuè significat. Vide etiā hac ipsa de re Michaëlem Glycam, parte tertia Annaliū, vbi eandem S. Dionysij Areogagitæ ad Polycarpum epistolam citat, simúlque & totidem fere verbis ea, quæ ex eadē epistola in cōtextu vitæ produximus. Ipse tamē & laudatus ab eo Chrysostomus existimant nō fuisse propriè dictam eclipsin, sed tenebras tantū ex diuina aduersus Christicidas indignatione mūdo inductas. Sed alia sententia melior & communior.

i IGNOTVS IN CARNE PATITVR DEVS] Ille scilicet Deus, cui erat ara hoc titulo: *IGNOTO DEO*. de quo titulo inferiùs. Ista porrò verba: *Ignotus in carne &c.* attribuūtur Dionysio à Michaële Syncello, qui sic habet: Ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονὸς, ὁ ἄγνωστος, ἔφη, ἐν σαρκὶ πάσχει θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται. *Præ re inopinata admodum stupefactus* (Dionysius) *& humanam cognitionem supergressus, eo quod factū fuerat perpenso, Ignotus, inquit, in carne patitur Deus, propter quod vniuersum hoc concussum & obtenebratum est.* In Romano autem breuiario est, exclamasse illum: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur*. Apud Suidam quoque, vt in vita notaui, aliter est verbis, sed sēsu conformiter. Dici ergo potest S. Dionysium varijs in occursibus, repetita istius eclipseos memoria, aliter atque aliter, vt sæpe fit, dixisse. Nam & in ipsis Euangelijs aliter atque aliter à diuersis euangelistis Christi dicta referuntur, vt patet cùm alibi sæpius, tum in muliere sanguinis profluuio laborante, Matthæi nono, & Marci quinto & Lucæ octauo.

k CVMQVE PERILLVSTREM SIBI FEMINAM NOMINE DAMARIM COPVLASSET] Damarim S. Dionysij Areopagitæ vxorem fuisse probatur his sequētibus argumentis.

Primò, quòd ipsa S. Lucæ verba, Actorum 17. versu vltimo id innuant. Ea sic habent. Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευσαν. ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι

Δάμα-

Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς. *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Ita versio vsitata. Vbi vox græca γυνὴ & latina *mulier*, cùm alias æquè *quamuis mulierem* significent, quàm *vxorem*: inde factum, vt nonnulli dubitarint, an hic pro *vxore* caperentur. Verùm, si Euangelistæ verba diligēter attendantur, satis & mens eius & verborum significatio inclarescet. Nam mihi quidem satis euidens est voluisse Euangelistam primò aperire generatim nonnullos Paullo adhæsisse, atque (vt vis græcæ vocis κολληθέντες retineatur) conglutinatos fuisse, & in Christum credidisse: deinde speciatim designare Dionysij Areopagitæ domum, hoc estj, ipsum & vxorem & domesticos, cum dixit: ἐν οἷς καὶ Διονύσιος &c. quæ clariùs sic versa essent: *inter quos & Dionysius Areopagita & vxor nomine Damaris, & ceteri cum eis*: hoc est, domestici, exemplum patris & matris familias secuti. Nam vox ἕτεροι propriè est *ceteri*: cùm hæc ex illa facta sit. Quare illę voces *ET ALII CVM EIS*, non significant alios omnes præter Dionysium & Damarim, (sic enim bis idem diceretur, quandoquidem de alijs suprà dictũ sit: *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt*) sed tantùm significant eos, qui coniunctim cum Dionysio & Damari crediderunt, atque eorum exemplo & incitamento, siue totam familiam.

Verum quidem est, quòd sensus clarior extitisset, si vox αὐτοῦ *eius* addita fuisset, & dictũ καὶ γυνὴ αὐτοῦ, *ET MVLIER EIVS*. Verũ id non solet, aut certè non est necessariũ. Quod multis exẽplis firmari potest. Neque enim ipse S. Chrysostomus (quẽ à nobis esse, qui contraria sentiunt, confitentur) cum γυναῖκα pro *vxore* vsurpauit, neque ipse, inquam, addidit vocem αὐτοῦ *eius*; quo clariore suam sententiã redderet, sed simpliciter ita dixit libro quarto *De Sacerdotio*: Ὁ δὲ Ἀρεοπαγίτης ἐκεῖνος, ὁ τῆς δεισιδαιμονεστάτης πόλεως ἐκείνης, οὐκ ἀπὸ δημηγορίας μόνης ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τῆς γυναικός; Quæ interpretes sic verterunt, & bene: *Areopagita verò ille vrbis istius superstitiosissimæ ciuis, nonne ad solam orationem* [Paulli scilicet] *vnà cum vxore illum secutus est?* Vbi tamen non dixit μετὰ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, *cum vxore sua*, sed solùm μετὰ τῆς γυναικός, *cum vxore*. Satis enim intelligitur. Ita & in sacris litteris illud αὐτοῦ frequenter omittitur, vt in priori ad Corinthios, capite 7. versu 3. *Vxori vir debitum reddat*, græcè est: τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω. Vbi non est dictum τῇ γυναικὶ αὐτοῦ. *Vxori suæ*. Sic in eodem ipso capite sæpius. Neque fauet contrariæ sententiæ, quod in latino apud Lucã sit *mulier*. Idem enim ibi est atque *vxor*. Sicut & in isto Paulli, eodem capite 7. versu 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Vbi vox *mulier* bis ponitur pro *vxor*. & græcè vtrobique est γυνή. Nec aliter fere in Scriptura *vxor* effertur, quàm per vocem γυνή. Quo in significato reperies vsurpatam vocem γυνὴ apud Paullum in vnico capite iam citato, saltem decies sexies, & frequenter quidem sine pronominis additione. Sic versu vigesimo septimo: Δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; μὴ ζήτει γυναῖκα. *Alligatus es vxori: noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*. Sic versu 11. dixerat: καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι. *Et vir vxorem non dimittat*.

Secundò si S. Lucas voluisset significare quampiam aliam feminam, & non vxorem Dionysij, addidisset, vt fieri solet, particulam τις *quædam*, dixissetque: καὶ γυνή τις ὀνόματι Δάμαρις, *& mulier quædam nomine Damaris*. Sed neque in græco est τις, neque in latino *quædam*. Putauit tamen esse in græco Ioannes Lorinus noster, ideóque in alteram magis inclinauit sententiam, cùm dixit: *Si vxor Dionysij erat, non vocasset* γυναῖκα τινα: *mulierem quandam, sed breuissimè dixisset*, καὶ γυνὴ αὐτοῦ. Sic Lorinus. Atqui non dixit S. Lucas γυναῖκά τινα. *Mulierem quandam*, sed breuissimè dixit καὶ γυνὴ, *& vxor*, omisso αὐτοῦ, eius: sicut solitum esse omitti iam è S. Paullo ostendimus. Itaque Lorinus à nobis est, aut certè esse debet. Neque si textus Syriacus habeat *quædam*, præualere græco debet, cùm Acta primitus scripta græcè fuerint, non Syriacè: neque item præferri potest latino; cum latina versio è græco fonte deriuata sit & eodem pronomine *quadam*, careat, & magis suo fonti respondeat.

Tertiò, cùm alterius sententiæ Auctores fateantur pro nobis facere antiquissimos & doctissimos & sanctissimos Patres, Chrysostomum & Ambrosium, & nonnulli etiam S. Augustinum (sed huius locum nondum reperi) ipsi autem ne vnum quidem è SS. Patribus, quò se tueantur, habeant; & argumentis (vt ea, quæ iam diximus, monstrant) nitantur imbecillibus, certè non obscurè ostenditur, vtra sit præferenda sententia. Nam sanè Ambrosij verba non inclinantis tantùm in nostram sententiam, sed etiam prorsus incumbentis, & eam omnino amplexantis, extant in epistola eius octogesima secunda ad Vercellensem ecclesiam, ante medium: vbi postquam de Philosophis cum Paullo disputantibus verba S. Lucæ protulit, ita subdit: *Ex hoc tamen numero* (Philosophorum scilicet) *non immunis gratiæ abyt Apostolus. Siquidem etiam Dionysius Areopagites cum Damari vxore sua, alysque multis credidit. Itaque illi doctissimorum atque eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse, credentium exemplo manifestarunt*. Hæc S. Ambrosius.

Quartò, Scriptores vitæ S. Dionysij Areopagitæ idem de vxore eius Damari tenent &

& ſcribunt. Teſtes Hilduinus, Vincentius Bellouacenſis, Petrus Equilinus Epiſcopus, & alij. *Qui protinus ſurgens*, inquit Hilduinus, *cum omni domo & vxore ſuâ Damari, quam vt ſumeret, more terrenæ nobilitatis, propter amorem ſuſcipiendæ caræ ſobolis, eum ſui coegere parentes, ad mandata properat ſancti Paulli.*

Vide & Baptiſtam Mantuanum libro 1. de conuerſione, vitâ, & paſſione ſancti martyris Dionyſij.

Et vero eſt ſimillimum antiquiſſimos vitæ ſancti Dionyſij Scriptores, vel ex ipſis Athenarum archiuis, vel ex maiorum traditione de ſancti Dionyſij coniugio cognouiſſe. Item S. Ioannem Chryſoſtomum diu Athenis verſatum non potuiſſe de primo vrbis eius Epiſcopo id ignorare. Accedit auctoritas S. Maximi, cuius extât in Dionyſium græca σχόλια breuia illa quidem, ſed docta. Hic igitur in præfatione ſuâ non obſcurè indicat in Actis Apoſtolorum, non modò Dionyſij Areopagitę factam eſſe mentionē, ſed & domus ipſius, ſiue familiæ.

Atqui non poteſt dici alibi facta eſſe mentio familię, quàm in nomine DAMARIS, & eorum qui crediderunt cum eis, id eſt, cum heris ſuis Dionyſio & Damari. Verba autem S. Maximi (poſtquam dixit dignitatem Dionyſij à S. Luca ſignificatam voce illa AREOPAGITA, ſunt hæc: Ἐπιβάλλω δὲ μᾶλλον, ὅτι διά τε τὸ κατὰ σοφίαν περιττὸν, καὶ διὰ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἀνεπίληπτον πολιτείας ἔκκριτον, μνημονευθῆναι μετὰ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Adijcio autem amplius*, inquit, *propter eximiam eius ſapientiam, & inter Athenienſes inculpatæ vitæ præſtantiam, mentionem ipſius factam eſſe cum domo ſuâ* id eſt, non tantùm ipſius, ſed etiam domus ſuæ. Qua ſcilicet tùm vera & plena eſt laus & gloria alicuius patrisfamilias, cùm non ipſe tantùm, ſed eius domus tota, frugi eſt & bene morata, vxor ſcilicet liberi, famuli, ancillæ, & ſi qua alia neceſſitudo cohabitat.

l IGITVR INTER ARCHONTAS] Hi fuerunt magiſtratus nouē virorum. Nomina erant, *Rex*, *Archon*, *Polemarchus*, & *Theſmothetæ* ſex. Quorū qui rectè fuiſſent fūcti magiſtratu, in Areopagum aſcendebāt, non qui ſecus. De his ita Maximus in præfatione ad S. Dionyſium: Ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων Ἀρχόντων Ἀθήνησιν τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἔδει συνεστάναι δικαστὰς, ὥς φησιν Ἀνδροτίων, ἐν δευτέρα τῶν Ἀτθίδων. ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, τουτέστιν, ἡ ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστέρων πεντήκοντα καὶ ἑνὸς, πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν, ὡς ἔφημεν, καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος διὰ τῆς τρίτης τῶν αὐτῶν Ἀτθίδων. *E nouem viris enim, qui Athenis Archontes constituti erant, Iudices Areopagitas, (vt inquit ANDROTION in ſecunda Atticarum) conſtare oportebat: poſtea verò è pluribus constituit Areopagi ſenatus, id eſt, è viris illuſtrioribus quinquaginta vno, ſed nobilibus tamen, vti diximus, & diuitiarum copia vitaque modeſtia excellentibus, quemadmodum Philochorus in tertia earundem Atticarum memorat.* Vide etiam Plutarchum in Solone. Tractat autem fusè de Archontibus & Areopagitis Carolus Sigonius libro ſecundo *De rep. Athenienſium*, ſub finem. De Archōtibus meminit & Demoſthenes in oratione aduerſus Leptinem, vbi ſub initium hanc citat legem: Ἀτελῆ δὲ μηδένα εἶναι τριηραρχίας, πλὴν τῶν ἐννέα Ἀρχόντων. *Triremis inſtruendæ nemo ſit immunis præter nouem Archontas.* Meminit & Plutarchus in Pericle, vbi de eo ſic ſcribit: Καὶ ταχὺ θεωρικοῖς καὶ δικαστικοῖς λήμμασιν ἄλλαις τε μισθοφοραῖς καὶ χορηγίαις συνδεκάσας τὸ πλῆθος, ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ' Ἄρχων, μήτε Θεσμοθέτης, μήτε Βασιλεὺς, μήτε Πολέμαρχος λαχεῖν, αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. *Et breui theatralibus & iudicialibus ſportulis atque alijs mercenarijs donis ac largitionibus corrupta plebe vſus eſt aduerſus Areopagi curiam, cuius ipſe pars non erat, quod nec Archon, nec Theſmothetes, nec Rex, nec Polemarchus ſortito cooptatus eſſet. Hi enim magiſtratus ſortitò antiquitus creabantur, & per hos poſtquam probati fuiſſent, in Areopagum aſcendebant.* Ita Plutarchus.

Omnium Archontum munia atque officia tam in communi, quàm in particulari ſcribit accuratè & diſtinctè Pollux in Onomaſtico, libro octauo. Vbi nota in græcis vertendis non prorſus felicem fuiſſe iſto loco interpretem; vt cùm ſtatim initio iſta: καὶ ὅσα κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πράττουσιν ἕκαστος αὐτῶν, ſic vertit: *Et quacumque tam publicè, quàm priuatim ſinguli faciunt*, cùm vertendum fuerit: *& quæcumque tam communiter quàm ſpeciatim eorum vnuſquiſque facit.* Nam differunt *communiter* & *publicè*, ſicuti etiam *priuatim* & *ſpeciatim* vt omnibus notum. Siquidem multa poſſunt fieri *communiter*, à tribus verbi gratiâ, in ſecreto & occulto, quæ non poſſunt dici fieri *publicè*: & contrà quod *publicè* fit ab vnico è magiſtratu, non poteſt dici fieri *communiter*. Ita quoque de vocibus *priuatim* & *ſpeciatim* ratiocinandum. Adde ex ipſo Polluce hæc dilucеſcere: quippe qui primò exponit ea, quæ omnibus Archontibus ſunt communia: deinde deſcendit ad ea, quæ ſingulis ſunt propria & ſpecialia: videlicet quæ Theſmothetis, quæ Archonti, quæ Regi, quæ Polemarcho. Nam vocabulum *Archon* ſemel generatim accipitur, ſemel ſpeciatim. Sicut in Angelorum nominibus nomen *Angeli* nūc commune eſt omnibus ſanctorum ſpirituum hierarchijs, nunc ſpeciale infimæ hierarchiæ extremis ſpiritibus.

m IN IVDICIO, QVOD ILLI ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΝ &c.) Extat Lyſiæ oratoris antiquiſſimi oratio ſic inſcripta: Περὶ τῆς Εὐάνδρου δοκιμασίας. *De Euandri probatione. In qua oratione*

genio (vt aiunt) impellẽte ab Areopagitarum numero ſpote diſcedere cogeretur. Primo igitur, quod illa attribuit Luciano in Hermotimo, nihil ſanè illic apud Lucianũ eſt eiuſmodi. Secundo, cùm accepiſſet iſta Budæus ex Iſocratis oratione Areopagitica, & paullò ante citatum Iſocratem citaſſet alia in re Lucianũ in Hermotimo, eorum excerptor, non animaduerſa poſteriore citatione, exiſtimauit omnia ad Lucianum in Hermotimo referri. Tertio Budæi verba malè ſunt intellecta. Nec enim dicit Budæus, (vti nec Iſocrates, cuius ipſiſſima verba mox proferam) *aliquem nullis meritis, ſed tantum genio impellente ab Areopagitarum numero ſponte cogi diſcedere:* ſed dicit ſic: *obſeruatum eſſe eos, qui moribus alioquin intolerandis antea fuiſſe videbantur, ſi quouis modo forte ad Areopagiticum conſilium irrepſiſſent, tum demum temperare ſibi ſolitos eſſe; & tamquam loci genio afflatos ex ingenio ſuo migrare (vt Plauti verbis vtar) maliſque inſtitutis tanti conſilij, quàm inſitis ſibi vitijs, aut etiam ingenijs inſiſtere.* Sic Budæus. Quod ergo dixit Budæus, *ex ingenio ſuo migrare*, interpretatus videtur Baronius: *Ab Areopagitarum numero ſponte diſcedere.* Atqui alius planè ſenſus Budæi verborum eſt, nempe hic: *priſtinos prauos mores deſerere, & viuere cum Areopagitis, moribus Areopagitarum*, ſiue, (vt Carolus Sigonius libro ſecundo de republica Athenienſium ſub finem, eundem Iſocratis locum interpretans ait) *ex inſtituto potius Senatus, quam ex ſuo vitam egiſſe.* Iam verba Iſocratis, tam à Budæo, quàm à Sigonio citatis locis latinè reddita, ſic græcè habent: Σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο περὶ τῶν τότε καθεστώτων, καὶ τοῖς ἐν τῷ παρόντι γιγνομένοις. Ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἁπάντων τῶν περὶ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν δοκιμασίαν ταύτην καθημελημένων, ἴδοιμεν ἂν τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις πράγμασιν οὐκ ἀνεκτοὺς ὄντας, ἐπειδὰν εἰς Ἄρειον πάγον ἀναβῶσιν, ὀκνοῦντας τῇ φύσει χρῆσθαι, καὶ μᾶλλον τοῖς ἐκεῖ νομίμοις ἢ ταῖς αὑτῶν κακίαις ἐμμένοντας. Τοσοῦτον ἐκεῖνοι φόβον τοῖς πονηροῖς ἐνειργάσαντο, καὶ τοσοῦτον μνημεῖον ἐν τῷ ἑαυτῶν ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης ἐγκατέλιπον. Τὴν δὴ τοιαύτην, ὥσπερ εἶπον, κυρίαν ἐποίησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐταξίας. Quæ ſic reddo: *Qualia tum fuerint Areopagi inſtituta, poteſt ex ijs, quæ hodieque fiunt, capi coniectura. Nam & nunc quoque cunctis, quæ ad electionem & probationem ſpectant, relaxatis, nonnullos intuemur, tametſi alijs in rebus ſint intolerabiles, tamen poſteaquam in Areopagum aſcenderint, vereri naturæ ſuæ ductum ſequi, potiuſque illius loci inſtitutis, quàm vitijs ſuis acquieſcere. Tantum illi metum improbis incuſſerunt, tantumque in eo loco virtutis ſuæ ac temperantiæ monumentum reliquerunt. Hanc igitur curiam, vt dixi, cenſuræ morum præfecerunt.* Ita Iſocrates. Ex quo patet, quàm diuerſus ſit eius ſenſus ab eo, qui extat apud Baronium. Quod vero ibidem additur: *Lucianus etiam in Hermotimo ſua quoq; ætate Areopagitarum iudicio cauſſas definiri conſueuiſſe tradit:* nuſquam hoc tradit in Hermotimo Lucianus, qui in toto dialogo nihil habet aliud, niſi hæc per tranſennam: nimirum in eligendo Philoſophiæ magiſtro *neque ætatem dicentis ſpectandam eſſe, neque habitum, neque in Philoſophia æſtimationem, ſed Areopagitas imitandos, qui noctu & in tenebris iudicant, vt non ad dicentes, ſed ad dicta ipſa reſpiciant.* quæ ita græce: μήτε ἡλικίαν τοῦ λέγοντος ἑκάστου, μήτε σχῆμα, ἢ δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ αἰδουμένους, ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας αὐτὸ ποιοῦντα, οἳ ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. Ita Lucianus. Idem verò in Anacharſide ſub medium deſcribit Areopagitarum morem in audiendis, aut cohibendis in iudicio oratoribus. *Ingreſſi*, inquit, *in Areopagum, conſidunt cædis aut vulneris ex deſtinato inflicti, aut incendij cauſſam cognituri: deinde vtrique de iure contendentium dicendi copia permittitur: dicunt vero alternis vicibus, & qui litem intendit & qui reus eſt, aut ipſi per ſe, aut Rhetorum ſibi conducunt operam, quibus cauſſa oranda eſt. Illi ergo quãdiu ea, quæ ad rẽ ſunt, dixerint, perferuntur a Senatu auſcultante cum ſilentio: ceterum ſi quis meditato proœmio orationem exorſus fuerit, vt iudicum animos aliqua beneuolentia ſibi propenſiores faciat, aut miſerationem, aut præcipuam aliquam orationis vim atque potentiam cauſſæ adduxerit (qualia permulta Rhetorum filij machinantur, vt hiſce verborum præſtigijs Iudicũ perſtringant oculos) progreſſus actutum præco illi indicit ſilentium, non permittens Rhetori ad Senatum nugandi libertatem, ac verbis cauſſæ inuoluendæ poteſtatem; quo minùs Areopagitæ ea, quæ facta ſunt, nude queant perſpicere.* Ita ibi ex verſione interpretis. Nam græca prolixitatis vitandæ ſtudio præterij.

Sed de Areopagitis nemo meliùs & exactius ſcripſit, quàm Iſocrates in ſua Areopagitica: vbi præter ea, quæ ex eo laudauimus, ſcribit Areopagitas cum aliarum ætatum, tum potiſſime adoleſcentiæ rationem habuiſſe, his verbis, & his de cauſſis: Ἁπάντων μὲν οὖν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν· μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. ἑώρων γὰρ τοὺς τηλικούτους ταραχωδέστατα διακειμένους, καὶ πλείστων γέμοντας ἐπιθυμιῶν, καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι δεομένους ἐν ἐπιθυμίαις καλῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ πόνοις ἡδονὰς ἔχουσιν. ἐν μόνοις γὰρ ἂν τούτοις ἐμμένειν αὐτοὺς ἐλευθέρως τεθραμμένους καὶ μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους. *Curam igitur gerebant, cùm omnium, tum vero adoleſcentium in primis. Videbant enim eam ætatem turbulentiſſimis fluctibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus, maximeque neceſſarium eſſe ſic inſtitui, vt honeſtis ſtudijs & laboribus voluptate temperatis delectari aſſueſcerent. Eos enim, qui liberaliter edocti & magnitudini animorum aſſuefacti eſſent, in ſolis illis rebus perſeueraturos.* Vide ibidem plura & pulchra.

o NISI QVEM SAPIENTIA] Græca Syncelli ſic habent: Οὐ γὰρ ἂν παρ' Ἀθηναίοις ἀγερώχοις εἰς ἀρχὴν προῆκτο τοσαύτην, εἰ μὴ πρὸς τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, σωφροσύνῃ τε, καὶ δικαιο-

δικαιοσύνη, καὶ ἀνδρία καὶ τῇ περιβλέπτῳ τοῦ γένους ὑπεροχῇ κατηγλαϊσμένος. Vbi procul dubio per illud: *τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ* intelligit *prudētiam.* Quod liquet ex eo, quod reliquas tres virtutes morales subiungat, nempe temperantiam, iustitiam, fortitudinem: præmittit autem prudentiam, & coniungit cum sapientia: quòd vti sapientia res diuinas, sic prudentia res humanas respiciat, cognoscátque. Quare Basilius Millanius Syncelli interpres, haud ita cōmodè videtur hoc loco reddidisse *τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ*, *animi ornamenta*: (tametsi etiam id alias significet) nec *σωφροσύνη prudentiam*, cùm potiùs *temperantiam* hic reddere debuisset. Tum enim omnes virtutes viro Areopagitæ necessariæ indicatæ fuissent: nempe sapientia, iustitia, fortitudo, temperantia. Et sanè temperantia Platoni, Aristoteli, & alijs *σωφροσύνη* semper appellatur. Videtur porrò Syncellus ad locum Isocratis in oratione Areopagitica respexisse, vbi sic scribit: *Οὕτω γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας, ἧς οὐχ οἷόν τε ἦν μετασχεῖν, πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι, καὶ πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐνδεδειγμένοις. ὥστε πάντων αὐτὴν εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων.* Quæ Budęus in Pandectas sic reddidit: *Maiores autem nostri vsque eò studiosi temperantiæ fuerunt, vt consilium illud Areopagiticum moribus hominum componendis publicè præfecerint. In cuius numerum cooptari solis illis sperare licuit, qui claris natalibus orti virtutis ac modestiæ documenta permulta honestate vitæ dederant. Ex quo tandem factum, vt consessus ille totius Græciæ haud immeritò longè sit præstantissimus.*

p ATQVE ADEO AB IPSIS ROMANIS] Valerius Maximus rei huius testis est, qui libro 8. cap. 1. sic scribit: *Materfamilias Smyrnæa virum & filium interemit, cùm ab ipsis iuuenem optimæ indolis, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam iusto dolore impulsam sustinebat. Consideranter & mansuetè populi Rom. magistratus; sed Areopagitæ quoque non minùs sapienter, qui inspecta causa & accusatorem & ream post centum annos adesse iusserunt eodem affectu moti, quo Dolabella.* Idem alijs verbis refert Gellius lib. 12. noctium Atticarum cap. 7. vide ibi.

CAPVT SECVNDVM.

a MVLTIS DEMVM POST ANNIS] Anno nimirum Christi 52. aut circiter: quandoquidem à pluribus recipiatur illa sententia, quæ S. Dionysij ad Christum conuersionem ad annum à Christi passione vndecimum refert.

b PAVLLVM ID TEMPORIS] Patent hæc è capite 17. Actorum Apostolorum, vbi de eo his verbis: *Disputabat igitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos qui aderant. Quidam autem Epicuræi & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alij verò nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis: & apprehensum eum duxerunt ad Areopagum dicentes: Possumus scire, quæ est hæc noua, quæ a te dicitur, doctrina. Noua enim quædam infers auribus nostris. Volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse.* Ita ibi.

c NAM LICET ROMANIS OMNIA TVM SVBESSENT] Auctor est Maximus in prologo ad opera S. Dionysij his verbis: *Κἂν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τότε ἐκράτουν, ἀλλ' οὖν αὐτονόμους ἀφῆκαν Ἀθήνας, καὶ Λακεδαιμονίαν. ὅθεν ἔτι παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἐπολιτεύετο. Tametsi enim Romani tum dominarentur, tamen Athenas & Lacedæmonem suis vti legibus permiserant. Vnde etiam tum apud Athenienses Areopagitæ suo munere fungebantur.* Eadem refert Simeon Metaphrastes in vita eiusdem S. Dionysij. *Εἰ γὰρ καὶ Ῥωμαῖοι πάντων τότε ἐκράτουν, ἀλλ' Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους αὐτονόμους ἀφῆκαν.* Idem planè sensus, qui verborum Maximi. Adferunt autem hęc per occupationem rhetoricam: quia nimirum obijci potuisset S. Paullum non Areopago, sed potestati Romanæ omnia tunc regenti fuisse sistendum, sicut in Bithynia Plinio Prætori sistebantur Christiani, vt patebit infrà ad vitam S. Ignatij.

d STANS IGITVR PAVLLVS IN MEDIO AREOPAGI] In Actis Apostolorum capite decimo septimo: *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt dicentes: Possumus scire, quæ est hæc noua, quæ a te dicitur, doctrina.* Ductus similiter ad Areopagum fuerat olim Socrates, & quidem (quod S. Iustinus testatur) eiusdem, cuius Paullus, criminis accusatus. Sic enim de eo in Apologia ad Senatū, post medium: *Σωκράτης τὰ αὐτὰ ἡμῖν ἐνεκλήθη. Καὶ γὰρ ἔφασαν αὐτὸν καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν, καὶ οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, μὴ ἡγεῖσθαι αὐτόν. Socrates eorundem criminum est insimulatus, quorum nos. Etenim illum dixerunt noua introducere dæmonia: & quos vrbs Deos esse censet, eum non putare.* Et paullo pòst dicit eundem Socratem cohortatum fuisse populares ad cognitionem Dei ignoti sic scribens: *Πρὸς θεοῦ τοῦ ἀγνώστου αὐτοῖς διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προὐτρέπετο εἰπών. τὸν δὲ πατέρα καὶ δημιουργὸν πάντων οὔθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔθ' εὑρόντα εἰς πάντας εἰπεῖν ἀσφαλές. Ad Dei autem ipsis ignoti cognitionem, per rationis inuestigationem cohortatus est dicens: Patrem verò & omnium opificem, nec inuenire facile, nec inuentum ad omnes diuulgare securum est.* Et mox subijcit Christum ex parte cognitum à Socrate in illis verbis; *Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι.* Quod ideo

ideo fortè dicit quòd saltem confusè videatur Socrates Deum vnum agnouisse, & ita Christum, qui Deus est.

Et in Apologia ad Antoninum Pium Imp. sub initium, dicit mortem eiusdem Socratis à dæmonibus per homines improbos procuratam. Καὶ αὐτοὶ οἱ δαίμονες διὰ τῶν χαιρόντων τῇ κακίᾳ ἀνθρώπων ἐνήργησαν, ὡς ἄθεον καὶ ἀσεβῆ ἀποκτεῖναι, λέγοντες καινὰ εἰσφέρειν αὐτὸν δαιμόνια. *Et ipsi dæmones effecerunt per homines malitia gaudentes, vt tanquam atheus & impius occideretur, dicentes noua illum inducere dæmonia.* Quæ autem Socratis ad mortem proficiscētis vltima fuerint in Areopago verba, recitat idem Iustinus in Parænesi ad Græcos sub finem: ἔφη γὰρ οὕτως. ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι. ἐμοὶ μὲν τεθνηξομένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντί, πλὴν ἢ τῷ θεῷ. Hæc è Platone desumpta in apologia Socratis prorsus in fine, ita latinè vertit Cicero l. 1. Tuscul. quæst. sub finem: *Sed tempus est*, inquit, *vt moriar: vos vt vitam agatis, vtrum autem sit melius, Dij immortales sciūt, hominem quidem scire arbitror neminem.* Iustinus quidem ipsa verba Platonis vsurpauit excepta voce vna τεθνηξομένῳ, pro qua in Platone est ἀποθανουμένῳ eiusdem significati. Sed Cicero in sua Latina versione multùm in vna voce aberrauit, cùm pro *Deus scit*, vti habet Plato, reddidit: *Dij immortales sciunt.* Negabat enim Socrates Deos immortales & vnum solum Deum asserebat, pro quo & moriebatur. Itaque non conueniebat, vt diceret, *Dij immortales sciunt*, quod neque dixit: sed, *Deus scit*. Propterea que imprudenter à Tullio est latinè redditum: *Dij immortales sciunt*: Subiecit Iustinus post Socratis verba iam laudata: Ἀλλὰ Σωκράτης μὲν ταύτην ὑστάτην ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ φωνὴν ἀφεὶς, ἐπὶ τὸ δεσμωτήριον ὥρμησε, τῷ θεῷ μόνῳ τὴν τῶν παρ' ὑμῖν ἀδήλων πραγμάτων ἀναθέμενος γνῶσιν. *Verùm Socrates hac extrema in Areopago edita voce in carcerem properauit, soli Deo incertarum nobis rerum notitiam tribuens.* In cohortatione porrò ad Græcos sub medium, ait Platonem non ausum fateri veram de Deo doctrinam, ne idem sibi accideret, quod Socrati. *Plato autem*, inquit, *accepta, vt videtur, Moysis & aliorū Prophetarum de vno & solo Deo doctrina, quam in Ægypto didicerat, propter ea quæ Socrati acciderāt, veritus ne ipse quoque Anytum quempiam, aut Melitum contra se apud Athenienses suscitaret, accusantem & dicentem: Plato iniustè agit & curiosa tractat, Deos, quos ciuitas recipit, non recipiens, cicutæ metu variam quandam & fucatam de Dijs instituit orationem.* Et paullo post in eadem apologia: *Hæc ergo cùm Plato in Ægypto didicisset, & ijs, quæ de vno Deo dicta erant, admodum delectatus esset, nominis quidem Moysis, (quòd vnum, & solum Deum esse doceret) mentionem apud Athenienses inferre non tutum putabat, Areopagum veritus.* Euripides quoque eodem, quo Plato, perculsus metu, vnū Deum aperta fronte profiteri non est ausus, de quo vide Plutarchum libro V. *De placitis Philosophorum*, cap. VII. Quod igitur non ausus Plato, non ausus Euripides, hoc ausus est Paullus, & multo amplius: & contemptu mortis nō modò euasit ipse mortem, sed alios quoque à morte ad vitam traduxit.

c IGNOTO DEO] Hieronymus in caput primum epistolę ad Titum ita scribit: *Inscriptio autem aræ non ita erat, vt Paullus asseruit: IGNOTO DEO, sed ita: DIIS ASIAE, EVROPAE, & LIBYAE: DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. Verùm quia Paullus non pluribus Dijs indigebat ignotis, sed vno tantùm, IGNOTO DEO, singulari verbo vsus est, vt doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotauissent, & eum rectè scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.*

Ita ille. Cui consentit Ioannes Hessels Doctor Louaniensis in sua censura historiarum, capite decimo. Verùm hæc sententia nullo modo recipienda est, cùm aduersetur verbis Paulli, & modo loquendi, cùm de inscriptionibus agitur, vsitato. Tum enim semper ipsissima verba citari solent, & ita citasse Paullum ex eius loquendi forma manifestò liquet: *Inueni & aram*, inquit, *in qua scriptum erat: IGNOTO DEO.* Nam si non fuisset scriptum *IGNOTO DEO*. Sed *IGNOTIS DIIS*, refelli Paullus potuisset, nec vim vllam eius argumentum, aut certè haud magnam habuisset. Quare standum potiùs sententiæ S. Chrysostomi, & aliorum antiquorum Patrum, vno ferè excepto Hieronymo, & tenendum est plures fuisse aras similibus ferè notis inscriptas, nempe alias *Ignotis Dijs*, alias *Ignoto Deo.* De prioribus meminit etiam Tertullianus libro primo contra Marcionem, capite nono. *Inuenio*, inquit, *IGNOTIS DIIS aras prostitutas: sed Attica idololatria est. Item INCERTIS DIIS, sed superstitio Romana est.* Iam verò aram Athenis IGNOTO DEO constitutam fuisse ob eclipsim tempore Passionis tenet Petrus Comestor in historia scholastica super Actis Apostol. nec improbabilem credunt Salmeron & Gaspar Sanctius in eadem Acta Apost. c. 17. Motos enim fuisse illos arbitrantur ad id faciendum ex inspecta miraculosa eclipsi in morte Christi. Quod quamuis sit probabile, tamen probabilius est, iam olim ab alijs id factum fuisse ex obscura cognitione Dei Iudęorum, cuius nomen dicebatur ineffabile, ac proinde ipse ignotus & incertus. De quo & Pompeius domitis Iudæis apud Lucanum libro secundo de bello ciuili sic ait:

Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
INCERTI Iudæa DEI. ———

Caussa porrò erectæ talis aræ IGNOTIS DIIS, aut IGNOTO DEO, hæc à nonnullis affertur, quòd pestilitatis tempore, cùm facta ceteris Dijs, quos norant, sacrificia nihil profuissent,

fuissent, veriti ne quem Deum inhonoratum relinquissent, qui proinde tanti mali caussa esset, aram erexerunt: IGNOTO DEO, reque diuina ei facta mox sanati sunt. Exinde remanserunt ara & aræ inscriptio: quæ occasionem Paullo præbuerunt IGNOTI DEI, verè Dei, ipsis annunciandi. Huius ignoti Dei mentionem inducit & Lucianus in dialogo qui inscribitur Φιλόπατρις ἢ Διδασκόμενος. *Philopatris*, seu *Qui docetur*, vbi ita Critias: Νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις· παρθένος διέμεινε μέχρι τῆς ἀποτομῆς. *Per ignotum Athenis: virgo permansit vsque ad decollationem*. Loquitur autem de Gorgone, cui Perseus caput amputauit. Et in fine eiusdem dialogi: ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες τούτῳ εὐχαριστήσωμεν. *Nos autem cum ignotum Athenis inuenerimus, & adorauerimus, sublatis in cælum manibus ei gratias agemus.* Ita ibi Lucianus.

f EX ANTIQVISSIMORVM PHILOSOPHORVM] Acmonis scilicet, Mercurij, Philemonis, Sophoclis, Orphei, Pythagoræ, & aliorum, teste S. Iustino martyre, tam in Cohortatione ad Gentes, quàm in libro *De Monarchia*. Nam in illa quidem extrema sic scribit. Εἰ δέ τις οἴοιτο παρὰ τῶν πρεσβυτάτων παρ' αὐτοῖς ὀνομασθέντων φιλοσόφων τὸν περὶ θεοῦ μεμαθηκέναι λόγον, Ἄκμωνός τε καὶ Ἑρμοῦ ἀκουέτω. Ἄκμωνος μὲν ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις πάγκρυφον τὸν θεὸν ὀνομάζοντος. Ἑρμοῦ δὲ σαφῶς καὶ φανερῶς λέγοντος. Θεὸν νοῆσαι μέν ἐστι χαλεπόν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατόν. *Sin quis opinetur ab antiquissimis apud eos nominatis Philosophis de Deo addiscendam esse doctrinam, is Acmonem & Mercurium audiat, illum quidem in suis de eo libris Deum* παγκρυφον. *i. prorsus occultum, appellantem. Mercurium verò clarè ac manifestè dicentem: Deum intelligentia assequi difficile est; eloqui autem haud possibile, ne illi quidem, cui possibile sit mente assequi.* In libro autem *De monarchia Dei* hos citat versus inter alios:

Sophoclis:
Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν θεός.
Vnus profectò numen, vnus est Deus.

Citat eundem versum Athenagoras in legatione pro Christianis, sub initium.

Philemonis:
Θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νομιστέον;
Τὸν πάνθ' ὁρῶντα, καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον.
Dic, quæso, qualis æstimandus est Deus?
Qui cuncta spectet, nemini aspectabilis?

g E SIBYLLINIS ORACVLIS] De his vide librum secundum S. Theophili Patriarchæ Antiocheni sub initiũ, vbi hæc interalia:
Εἷς θεός, ὃς μόνος ἄρχει ὑπερμεγέθης, ἀγένητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα.
Vnus, qui solus regnat, Deus, atque supremus,
Ingenitus, cunctis dominans, qui cernere cuncta
Eualeat, quamuis non aspectabilis vlli.

Hieronymusquoque in caput decimum sextum Ezechielis ad illud: *Et coronam decoris in capite suo*, docet Dei maiestatem, cuius nomen est ineffabile, non penitus ignotam fuisse Gentilibus. *Cuius, inquit, maiestatem etiam gentilitas non ignorat, & Atheniensium testatur ara: IGNOTO DEO.*

IPSORVMQVE ADEO POETARVM] Nam illa quæ in Paulli oratione afferuntur: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*: & rursus illa: *Ipsius enim & genus sumus*, cùm in Arato Poëta antiquissimo ac laudatissimo, partim sensu, partim verbis reperiantur; tum etiã in alijs, quibus Apostolus citandis supersedit. Aratus quidem sua sic orsus est Phænomena:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον. μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες. πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ——
Ab Ioue ducamus primordia: néue sinamus
Hunc indictũ homines: Iouis omnia cõpita plena,
Plenaq; sunt hominũ fora: plena Ioue æquor & ipsi
Portus. Nam fruimur cuncti Ioue, & illius omnes
Audimus genus. ——

Vbi dum omnia Ioue plena, & omnes Ioue frui, eiusque genus esse dicit, hoc sanè indicat, quòd *in Deo viuamus, moueamur & simus*. Postremum verò hemistichium verbo tenus significat, quod dixit Paullus: *Ipsius enim & genus sumus*. Omnia Deorum plena dixit etiã Thales, vnus è septem Græciæ sapientibus, teste Cicerone libro secundo *De legibus* ante medium. *Siquidem*, inquit, *& illud bene dictum est à Pythagora, doctissimo viro, tum maximè & pietatem & religionem versari in animis, cùm rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, homines existimare oportere Deos omnia cernere: Deorum omnia esse plena: fore enim omnes castiores, & velut in fanis essent, maximè religiosos.* Vide etiam Aristidem oratione prima, siue, hymno in Iouem sub finem. Καὶ πάντα δὲ πανταχοῦ Διὸς μεστά. *Et omnia vbique Iouis plena* &c.

h NEC OPVS MIRACVLIS ATQVE PRODIGIIS VIRO DOCTO] Auctor est sanctus Chrysostomus credidisse Dionysium dictis Apostoli absque ope miraculorũ. Cuius verba è libro quarto, *De sacerdotio* sub finem, posui suprà ad caput primum, littera K. Quæ idem confirmat homilia VII. de laudibus Paulli sub finem, his verbis: Ἐκάλεσαν αὐτὸν ὡς μέλλοντες κρίνειν, ποτὲ μὲν Ἰουδαῖοι, ποτὲ δὲ Ἀθηναῖοι. οἱ δικασταὶ μαθηταί, οἱ ἀντίδικοι ὑπήκοοι. *Citarant illum tanquam iudicaturi, modo Iudæi, modo Athenienses: & Iudices facti sunt discipuli; & aduersarij facti sunt obedientes.* Quasi dicat: Audito Paullo tantum abfuerunt Iudices, vt eum condemnarent, vt potiùs quidam ei statim adhæserint atque crediderint.

Deinde Paulli linguam igni cõparat: quòd vt hic admotam materiam, ita illa suos auditores statim in se trãsferret. Quo sanè significatur vis verborum Paulli, non autem miraculorum. Auctor est & S. Ambrosius libro decimo, epistola octogesima secunda, quem vi-

de citatum suprà, vti & Chrysostomum.

Sententiæ porrò SS. Ambrosij & Chrysostomi accedit Syncellus in Encomio Dionysij, vbi in eius ad credendum facilitatem ac promptitudinem sic exclamat: Παβαὶ τῆς καρδίας τῆς εὐπειθοῦς καὶ ἀνεπιστρόφως πάσης σαρκικῆς προσπαθείας ἀπορραγείσης παντοίαν ὑλικὴν ἔμφασιν ἀποσεισαμένης, καὶ τῷ σωτηριώδει θᾶττον πιστευσάσης κηρύγματι. *Papa*, inquit, *cor facilè, & constanter cunctam affectionem carnalem abrumpens, atque omnimodam corpoream demonstrationem excutiens, & salutari præconio actutum credens.*

i ANNO SCILICET ÆTATIS SVÆ &c.] Conuersum esse Dionysium ad fidem anno ætatis suæ quadragesimo tertio sic colligi potest: Dionysius nouem annis, vt suprà ostensum est, natu minor erat Christo: quando autem cõuersus est, erat Christi quinquagesimus secundus, & Claudij Imperatoris decimus (hi enim apud Eusebium in chronico concurrunt) si ergo tollas de Christi quinquaginta duobus annis nouenos, remanebunt quadraginta tres Dionysij.

Restat ergo nunc duntaxat probandum, Dionysij conuersionem incidisse in annum Claudij decimum. Nam idẽ est Christi quinquagesimus secundus. Sic autem probatur ex Actis Apostolorum capite decimo septimo & decimo octauo. Paullus post Dionysij conuersionem Athenis rectà petijt Corinthum, ibique offendit Aquilam Ponticum Iudæum, & Priscillam vxorem eius, qui nuper ab Italia ob edictum Claudij, (qui præceperat omnes Iudæos Roma discedere) Corinthum appulerant. Atqui edictum illud euulgatum est anno eiusdem Claudij nono, cùm Paullus Orosius S. Augustini æqualis, libro septimo historiarum, capite sexto ita scribat, allegétque auctorem Iosephum: *Anno*, inquit, *eiusdem nono expulsos per Claudium vrbe Iudæos Iosephus refert.* Quare si anno Claudij nono egressi sunt ex Italia & Corinthum venerunt Aquila Põticus & Priscilla, ad eósque paullò pòst Athenis venit Paullus recenter conuerso à se Dionysio, quid probabilius, quàm vno anno post edictum, aut circiter saltem (ne quis prærigidè agere velit) eam accidisse conuersionem? nam certò quidem ac necessario id ex dictis effici non assero: cùm potuerint hæc omnia eodem anno nono Claudij accidere, Dionysij conuersio, edictum Claudij, Paulli Athenis emigratio, & Aquilæ Pontici Roma discessus, & occursus amborum Corinthi: sed quia hoc difficilius sit (siquidem initio anni assignandum esset edictum, vel certè vix vlla mora ab edicto prolato permittenda emigrantibus) ideo meliùs ad sequentem annum eorum in vrbe Corintho occursus, & Dionysij conuersio transferuntur. Accedit quod pro nobis ij faciunt, qui conuersum esse Dionysium anno à Christi passione vndeuicesimo (qui ipse noster annus est) adstruunt: quod & doctissimus Baronius ad Christi quinquagesimum secundum annotauit.

k ATQVE AB EODEM APOSTOLO BAPTIZATVS &c.] Testis Menæum 4. Octobris in vitæ compendio, vbi sic de S. Dionysio: Καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου καὶ βαπτισθεὶς χειροτονεῖται ἐπίσκοπος. *Captus à magno Paullo & baptizatus, creatur episcopus.* Quæ non sic intelligenda sunt, quasi statim à baptismo creatus sit episcopus, sed conuenienti tempore: postquam scilicet ab Hierotheo Atheniensi Pontifice instructus, ad tanti muneris functionem à S. Paullo iudicatus est idoneus. Methodius in martyrio S. Dionysij ita de S. Paullo: Διονύσιον ἐθνικοῖς ἔθεσι πρώην ἐμπεπλεγμένον εἰς ὁδὸν σωτηρίας ὁδηγήσας ἐπέστρεψε καὶ τῷ ἱερῷ βαπτίσματι ἀναγεννήσας θείᾳ ἁγιωσύνῃ αὖθις ἐστερέωσε. *Dionysium moribus gentilitijs nuper implicatum in viam salutis perducẽs conuertit, & sacro baptismate à se regeneratum diuina rursus sanctitate confirmauit.*

l ERAT ENIM PLATONICVS] Solebant viri docti examinatis varijs Philosophorum sectis vnam deligere, quam potissimè sequerentur. Grauissimi autem quique Platonem Philosophis omnibus, etiam Aristoteli, anteponebant; ac modò diuinum appellabãt, modò sapientissimum, modò sanctissimum, modò Homerum Philosophorum, modò Deum. Alia ex his Panætius, postremum Cicero ipse detulit. Nam de Panætio, qui ceteras Platonis sententias, excepta vna approbabat, ita libro primo Tusculanarum quæstionum post medium: *Quem enim omnibus locis diuinum, quem sapientissimum, quem sanctissimũ, quem Homerum Philosophorum appellat, huius hanc vnam sententiam de immortalitate animorum non probat.* Ita Cicero. Atqui nihil verius, nihil certius, quàm animorum immortalitas. Vnde si alia omnia probabat, certè & hoc postremum maximè probare debuerat. Idem ad Atticum libro quarto, epistola decima quinta: *Quòd in ijs libris, quos laudas, personam desiderat Scæuola, non eam temere demoui, sed feci idem, quod in* πολιτείᾳ *Deus ille noster Plato &c.* Et libro secundo de natura Deorum: *Audiamus Platonem, quasi quendam Deum Philosophorum.* Alibi quoque semper Aristoteli præfert Platonẽ, quod profitetur libro primo Tusculanarum, ante medium: *Aristoteles*, inquit, *longè omnibus (Platonem semper excipio) præstans ingenio & diligentia, cùm quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens.* Eundem Platonem omnibus Philosophis prætulerunt omnes Sancti Patres. Arnobius libro primo aduersus Gentes. *Plato*, inquit, *ille sublimis apex Philosophorum & columen sana illa diluuia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum suis esse in commentarijs prodidit.* Et libro secundo: *PLATO ille diuinis*

diuinus multa de Deo digna, nec communia sentiēs multitudini &c.

Notaui plura ad vitam S. Iustini Philosophi. Denique Platonici fuerunt S. Hierotheus, Dionysius, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Augustinus & ceteri fere omnes Patres, græci & latini, antequam fidei illustrarentur lumine. Nec mirum. Adeo enim Plato Mosen secutus est, vt de illo dixerit Numenius, Philosophus Pythagoricus: τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; *Quid est enim Plato, nisi Moses Atticè loquens?* Quare si Nicolaus Cusanus Cardinalis, vir longè doctissimus, si Marsilius Ficinus, si alij post illos, si nosmet ipsi Dionysium dicamus fuisse Platonicum, nō est, quod nobis Iacobus Faber Stapulensis (quē ego ab eruditione & pietate, & Dionysij defendendi studio maximi facio) nobis succenseat. A Dionysio enim magis stamus, quā contra Dionysium: quando omnium optimo Philosophorum choro eum inserimus: immo & ipsi Platoni præferimus. Nā Marsilius quidem, cui ego adstipulor, in argumento ad librum De diuinis nominibus, ita de illo: *Etsi Dionysium Platonis tanquam pij Philosophi sectatorem alicubi declaramus, ipsum tamen non solùm ceteris Platonicis propter doctrinæ Platonicæ culmen, verùm etiam Platoni propter nouum veritatis Christianæ lumen anteponendum censemus.* Fatetur alioqui etiam Diuus Thomas ad caput quintum De diuinis nominibus, lectione prima, Dionysium imitari multū Platonicos.

At enim non desunt, qui putent ac doceāt fuisse potiùs secta Stoicum, quàm Academicum. Quibus ego respondeo minimè aptos fuisse iudicijs Areopagiticis homines Stoicos. Quid enim iustè iudicare possint, qui peccata omnia censent paria? De quibus Stoicis quid existimet Marcus Tullius, vide in eius oratione *pro L. Murena*. Ibi enim aduersus Catonem disputans docet eos, qui à Platone sūt & Aristotele, iudicijs & tribunalibus esse aptiores, quàm qui à Zenone Stoicorum principe. Fateor tamen Dionysium morum grauitate, virtutum constantia, iudiciorum seueritate appellari potuisse Stoicum: sic nimirum, vt nemini parceret nocenti, neminem condemnaret innocentem: nullius aduersus æquitatem gratia moueretur, nullius miseria ad veniendum contra statuta à legibus supplicia molliretur.

m NAM EPICVREI QVIDEM ET CYNICI] Abfuisse hos longissimè ab institutis Christianæ legis, arguit morum circa castitatem atque modestiam dissimilitudo. Nam Epicurei summum bonum in voluptate ponebant, à qua euangelium dehortatur. Cynici autem canina pleni impudentia (vnde & inditum ipsis nomen) honesti & inhonesti, decori & indecori discrimen nullum faciebant: At verò Christiani vel sola modestia, cultúque honestatis tam ab vtrisque, quàm ab omni diuerso genere dignoscebantur.

De vtrisque & Epicureis & Cynicis, vide Diogenem Laërtium De vitis Philosophorum, in Epicuro & in Diogene Cynico.

n NON PAVCA DIVINÆ LEGI DOCEBANT CONSIMILIA. Hæc sunt videlicet quæ Iudæis & Christianis eadem sensit Plato:

Primo Deum esse, qui semper esset, & ortum non haberet.

2. Esse ineffabilem.
3. Esse vnum.
4. Esse principium, medium, & finem.
5. Esse semper iustum, vt præmia bonis, supplicia malis statuat.
6. Trinitatis mysterium quadam tenus attigisse visus est.
7. Esse bonos Genios, esse & malos.
8. Animam esse immortalem.
9. Mundum non esse ab æterno, sed creatū.
10. Mundum esse corruptibilem.
11. Mortuorum resurrectionem.
12. Terram cęlestem, quam nos vocamus terram viuentium.
13 Iudicium extremum, & cunctorum meritis dignam retributionem.

De quibus & de pluribus vide Eusebium de præparatione Euangelica, lib. XI.

CAPVT TERTIVM.

a AGitur in hoc capite de varijs aduersus Dionysium tentamentis. Quæ in vitis Sanctorum annotare apprimè vtile est: quòd virtus in ijs maximè elucescat, & imitationi stimulos indat. Solet autē summus inter suos magistratus & princeps dignitatis gradus vel fortiter detinere possidentem, vel vehementer inuitare aspirantem. Rupit hos laqueos Dionysius. Neque etiam magis aut amicorū blanditias, aut obtrectatorum verba, aut territantium minas curæ habuit.

Vide Syncellum extremo fere Dionysij encomio. Apollophanem quoque veterem & intimum sodalem non tam Christi caussa deseruit, quàm patientia & longanimitate deuicit.

Viderant simul stupuerántque insolitam solis defectionem, sed aliter atque aliter interpretati erant. Dionysius altiori quodam modo & planè diuinitus de Deo in corpore grauia patiente intellexerat: Apollophanes autem de sole ipso, quem pro Deo habebat, aliquid naturæ contrarium sufferente acceperat. Quod indicare videtur Dionysius in ea, quam ad eum dedit, epistola, vbi de illa loquens defectione solis, hanc adiecit, quasi per occupationem, parenthesin (*non quòd Deus, sed quòd Dei opus in vera ipsius LVCIS occubitu lucere non quiuerit*) tanquam si diceret, nō quòd sol Deus sit, vti arbitraris, atque ita Deus lucere

cere non quiuerit, sed quòd sol Dei opus in Christi, qui vera lux est, occubitu obscuratus sit. Simili occupatione visus est idem Dionysius libro *De diuinis nominibus*, capite quarto, vbi post relatam solis multiplicem efficientiã ita subiunxit: Καὶ οὐ δήπου φημὶ κατὰ τὸν τῆς παλαιότητος λόγον, ὅτι θεὸς ὢν ὁ ἥλιος, καὶ δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντὸς ἰδίως ἐπιτροπεύει τὸν ἐμφανῆ κόσμον· ἀλλ᾽ ὅτι τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *Nec hoc dico*, inquit, *antiquitatis fabulam secutus, quod Sol Deus sit & vniuersi effector, sicque propriè mundum hunc aspectabilem gubernet: sed quòd inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciũtur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ita scilicet Apollophanes in Aegypto iã versans Ægyptiorum imbutus erat antiquo errore, quo Solem & Lunam Deos esse arbitrabantur & venerabantur. De quibus ita Eusebius libro primo De præparatione Euangelica, capite nono: *Priscos AEgyptios ferunt, cum oculos in mundi huius contemplatione defixissent, cúmque rerum omnium naturam vehemẽti admiratione obstupescerent, SOLEM ac LVNAM sempiternos esse Deos, omniúmque principes censuisse.* Quibus ista Arnobij consonant, libro primo aduersus Gentes: *Solem Deum cùm credatis esse, conditorem eius, opificémque non quæritis. Luna cùm apud vos Dea sit, non similiter scire curatis, genitor eius & fabricator quis sit.* Licet etiam multas intueri veteres inscriptiones SOLEM Deum testantes, quarum plures sunt apud Ianum Gruterum, & hæc inter alias:

DEO. SOLI. INVICTO.
ARAM.
C. IVLIVS. CÆSAR.
D. D.

b INTER LATRONES PATIBVLATVM] Frequentissima hæc erat Gentilium in Christianos obiectio, quòd ipsi hominem patibulatum & cruci affixum, & seruili morte damnatum colerent. Sic ex illis vnum inducit loquentem Arnobius libro primo aduersus Gentes: *Sed non*, inquit, *idcirco Dy vobis infesti sunt, quòd omnipotentem colatis Deum, sed quòd hominem natum, & (quod personis infame est vilibus) CRVCIS supplicio interemptum, & Deum fuisse creditis, & superesse adhuc creditis, & quotidianis supplicationibus adoratis.* Sic & aliũ inducit Minutius Felix in OCTAVIO. *Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitũ, & CRVCIS ligna feralia eorum cærimonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisq. tribuunt altaria: vt id colant, quod merentur.* Neque tacuit Lactantius Firmianus, qui libro quarto *De vera sapientia*, capite decimo sexto, *Venio nunc*, inquit, *ad Passionem, quæ velut opprobrium nobis obiectari solet, quod & hominem & ab hominibus insigni supplicio affectum, & excruciatũ colamus.* Et capite decimo sexto ibidem: *Dicat enim fortassis aliquis: Cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimùm Cruce? cur infami genere supplicy? quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum.* Vide ibi insignem responsionem. Neque siluit Augustinus, qui sermone octauo de verbis Apostoli, *DE CRVCE Christi*, inquit, *nobis insultant sapientes huius mundi & dicunt: QVALE COR HABETIS, QVI DEVM COLITIS CRVCIFIXVM!* Vide etiam S. Isidorum Pelusiotam libro quarto, epistola trigesima prima, vbi Gentilem quendam sophistam irridentem Christi crucem & passionem egregiè & cum applausu audientium conuicit. Nam cùm ille de Deo Crucifixo in effusum risum solueretur; quæsiuit Isidorus: *Sed vnde potes demõstrare Christum Crucifixum?* Mirantibus autem cunctis, quorsum talis interrogatio tenderet, Gentilis velut certus de victoria respondit: *In vestris euangelys id scriptum est*: tum Isidorus: *Atqui & in ysdem*, inquit, *scriptum est, quòd resurrexerit & in cælos redierit. Si ergo vnum credis euangelio, crede & alterum.* Post quæ tantus est exortus astantium risus & applausus, vt vterque erubesceret, Isidorus de gloria, Gentilis de ignominia.

c INGENS PRODIGIORVM EAM OB REM PATRATORVM COPIA EVIDENTER COMPROBARIT.] Via probandi diuinitatem Christi per prodigia, ab ipsomet Christo ostensa est, Matthæi quinto, vbi missis à Ioanne ad interrogandum, num ipse Messias & Saluator esset, respondit: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Hanc viam & Apostoli tenuerunt, & eorum sectatores ac posteri: nec vnquam ad FIDEM probandam defuit in Ecclesia Dei potestas miraculorum. Hanc fidei & ecclesiæ notam bene pertractauit S. Iustinus martyr. Ad cuius vitam, vbi nos de illa fusiùs, remitto lectorem.

d IN POLYCARPI.] Is est S. Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, cuius vitam in hoc ipso tomo edimus, éstque ordine tertia. Nam secunda post hanc est S. Ignatij Theophori Martyris.

e AB APOLLOPHANE SOPHISTA] Nomen *Sophista* est vnum ex ancipitibus, & quæ vtramque in partem capi possunt, bonã & malam. Hic autem in bonam capitur pro multarum rerum & artium perito. Alibi appellat eum Dionysius *doctrinæ speculum*: alibi *virum Sapientem*. De primis significationibus vocis huius σοφιστής *Sophista*, videndus est Plutarchus in Themistocle, sub initium.

f QVI VT DOCENT SACRÆ LITTERÆ, FACIT, MVTATQVE OMNIA] Locus hic est in Septuaginta Interp. Amos capite 5. versu 8. his verbis: ὁ ποιῶν πάντα καὶ με-

μεταμιάζων. *Faciens omnia & mutãs*. Alioqui vulgata editio latina habet: *Facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem*. Loquitur autem de Deo, cuius solius est talis actio, conuersio, mutatio.

g QVIS ENIM FECIT, VT OLIM SOL & LVNA &c.] Desumpsit S. Dionysius è libro Iosue, capite decimo, versu duodecimo & sequentibus, vbi sic loquitur: *Tunc locutus est Iosue Domino in die, qua tradidit Amorrhæũ in conspectu filiorum Israel, dixitq́; coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna cõtra vallem Aialon. Steterúntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Iustorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei. Non fuit antea, nec postea, tam longa dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israel.* Ecclesiastici autem capite quadragesimo sexto, ita de Iosue. *An non in iracundia eius impeditus est sol, & vna dies facta est quasi duo?*

Assignat porrò Dionysius duos modos, quibus fieri potuit, vt Sol & Luna starent immoti. Vnus quidem, quo omnes cæli vnà cum illis consisterent, nullámque in partem mouerentur. Alter, quo cęli omnes, etiam illi in quibus Sol & Luna fixi sunt, solito motu voluerentur, solique Sol & Luna quieti eodem in loco starent, nec cum suis cælis mouerentur. Quod posterius prodigium meritò Dionysius priori admirabilius futurum fuisse censet. Turbam enim ingentium contineret miraculorum: quæ Astrologis relinquo expendenda.

Super hac duorum luminarium insolita & prodigiosa statione atque mora nonnullas pertractat quæstiunculas Serrarius noster in caput decimum Iosue, quas operum vacuis non sit inutile contueri. Vide & Gasparẽ Sanctium in trigesimum octauum caput Isaiæ.

h QVIS AVCTOR ALIAS FVIT, VT DIES VNVS FERE TRIBVS ÆQVARETVR?] Aliud hoc loco proponit S. Dionysius Apollophani prodigium, de Solis regressu tempore Ezechiæ Regis Iuda. Cui signum futuræ curationis suæ postulanti ait Isaias, libro quarto Regum, capite vigesimo: *Hoc erit signum à Domino, quòd facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? & ait Ezechias: facile est vmbram crescere decem lineis: nec hoc volo, vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Sic ibi. Quod miraculum reponitur Isaiæ capite trigesimo octauo, his verbis. *Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearũ, & per quas descenderat in horologio Achaz in Sole, retrorsum decem lineis. Et reuersus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderat.*

Sensus historiæ huius est talis: Ezechias Rex Iuda ex graui infirmitate lecto affixus tenebatur: Deum pro valetudine recuperanda exorauit: Deus per Isaiam Prophetam ei non modò se valetudinem redditurum, sed etiam quindecim annos vitæ additurum promisit: Ezechias signum petijt in eius rei testimoniũ: indulsit Deus, & facturum se dixit, vt sol, qui iam decem diei horas confecerat, totidem retro reflecteret, atque in Orientem regrederetur. Quod & factum est. Ac propterea ille vnus dies, quo ista fiebant, rectè dicitur à Dionysio fuisse fere par tribus. Nã si quatuor adderentur horæ, essent triginta octo, ac consequenter tres dies. Nam cùm dies sit horarum duodecim, Sol iam decem cõfecerat, atque ita fere vnum diem absoluerat, exceptis scilicet duabus horis, antequam regrederetur: in regressu autem cùm totidem horas impenderit, nempe decem; secundi diei spacium fuit, exceptis rursum duabus horis: quo decem horarum spacio peruenit Sol ad locum ortus sui: ex quo deinde loco ad occidentem vsque cõfecit duodecim horas integras: ita vt vltimus cursus Solis fuerit [illegible]es integer horarum duodecim: duo autem [illegible]riores fuerint singuli horarum decem. Atque ita dies ille supra Iudææ horizontem fuit triginta duarum horarum.

Ex his facile est verborum S. Dionysij sensum colligere. *Quis*, inquit, *vni SOLI dedit, vt in cursu proprio*, (qui est scilicet horarum duodecim ab oriente in occidentem) *quincuplici sua motione in decem horas contracta*, (cùm nimirum, nisi contraheretur cursus ad occidentem, motio illa deberet esse horarum duodecim) *eandem rursus totam alijs duodecim horis remensus* (quando videlicet pro eo, quòd debuisset reliquas duas diei horas ad occidendentem vsque perficere, ijs relictis eadem, qua venerat via, retro flexit per meridiem ad locum, vnde exortus erat) *nouam terendo viam remearet*. Est enim planè noua via, cùm Sol sit prope occasum, retro ad meridiem reuerti, & per eum ad meridiem regredi. De quincuplici autem Solis motione vide Maximum & Pachymeram ad hanc Dionysij epistolam. Porrò scopus sancti viri in his exemplis fuit, peritum Astrologiæ Apollophanem docere, illas in cælis atque astris mutationes à solo Deo vnico & vero factas esse: vti & illas quoque, quas tempore Passionis Christi, cùm ipsi vnà essent in Aegypto, viderint: ac proinde illum vnicum Deum sequendum & colendum, qui Solem & Lunam & omnes cælos condiderit: non verò existimãdum Soli aut Lunæ aliquid inesse diuinitatis: quemadmodum nec illis omnibus, quos Gentiles vt Deos colunt, Ioui, Marti, Mineruæ, Neptuno, ceteris.

i NAM ET HOC BABYLONIOS MERITO OBSTVPEFECIT] Dicit Dionysius

ſius Babylonios tanti conſpectu miraculi obſtupefactos citra pugnam ſe ſubdidiſſe Ezechiæ. Quæ in hoc ſenſu capienda ſunt, miſiſſe ſcilicet Regem Babyloniorum (is tum erat Berodach Baladan, filius Baladan) legatos cũ muneribus ad Ezechiam Regem, & ſocietatem atque amicitiam ab eo petijſſe. Quod & Ioſephus libro decimo Antiquitatum Iudaicarum capite tertio teſtatur his verbis: Ὁ δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλεὺς, Βαλάδας ὄνομα, πέμψας πρὸς τὸν Ἐζεκίαν πρέσβεις δῶρα κομίσαντας, σύμμαχόν τε αὐτὸν εἶναι παρεκάλει καὶ φίλον. *Rex autem Babyloniorum Baladas nomine, miſsis ad Ezechiam legatis cum muneribus, rogauit eum, vti ſocius & amicus eſſe vellet.* Nõ habetur quidem in ſacris litteris veniſſe legatos petitum ſocietatem & amicitiam, neque libro quarto Regum capite vigeſimo, neque libro ſecundo Paralipomenon capite trigeſimo ſecũdo, neque Iſaiæ capite trigeſimo nono (in illis enim omnibus locis, & ſolis, huius hiſtoriæ eſt memoria) ſed tantùm veniſſe gratulatum de recuperata valetudine (vt in quarto Regum & in Iſaia indicatur) vel interrogatum *de portento, quod acciderat ſuper terram,* (vt Paralipomenon ſecundo) nihilominus tanta eſt apud me Ioſephi & Dionyſij Areopagitæ auctoritas, vt facilè illis aſſentiar. Neque vlla ratione eos probo, qui hunc vel illum aliquid quod in Scripturis non ſit proferentem, audacter, ne dicam temerè & impudenter, ſugillant. Quaſi verò non perinde Iudæis præter Scripturam, ſuæ traditiones fuerint (quas ipſas non ſemel citat S. Hieronymus) ſicut modò ſunt Chriſtianis: aut quaſi aliæ hiſtoriæ ſacrę non illis peræquè ac nobis in vſu & auctoritate illis extiterint temporibus. Quare ea ſola, quæ ita rationi aut Scripturę aduerſantur, vt cum ea conciliari non poſſint, prorſus improbanda ſunt. Eſt enim Scriptura ſacra DOMINA VERITATIS. Sed ſi quis aliqua vera nõ putet, propterea quòd in illa deſint, næ illi mens & ſenſus magis deeſt. Eſt tamen diſcrimen inter fidem, quam Scripturæ tribuimus, & fidem, quam alijs hiſtorijs, aut humanis traditionibus accõmodamus. Illa enim diuina; hæc humana eſt: illa certa & falli neſcia; hęc nõ ita certa, quin falli poſſit. Quod igitur Ioſephus (quem SS. Patres laudauerunt, & magni fecerunt) & Dionyſius Areopagita (quem ſchola ſuſpicit Theologorum) afferunt ſacris Scripturis non aduerſum, ſed omiſſum tantũ, hoc meo iudicio magni faciendum eſt; neque vllo modo audiendi ſunt, qui quauis leui occaſione in illos irruunt.

k *TRIPLICIS MITHRÆ.*] Quod hic affert Dionyſius de triplicis MITHRÆ ſeu dici portento, & Babyloniorum ſubmiſſione, id in ipſis quoque Perſarum ſacris ac ritualibus libris contineri aſſerit, nempe contra Gentilem Apollophanem gentilitio pugnans gladio. Μάλιστα μὲν οὖν τοῦτο ταῖς Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις· καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσι. *Maximè igitur hæc,* inquit, *in Sacerdotalibus Perſarum monumentis continentur: atque MAGI etiamnum memoriam triplicis MITHRÆ celebrant.* Vbi triplicis MITHRÆ, id eſt, triplicis SOLIS. Eſt enim MITHRAS Perſis idem, quod SOL; colitúrque ab ijſdem diuinis honoribus, quippe ipſorum Deus. Hinc Artabazus Perſa, apud Xenophontem libro ſeptimo, de inſtitutione Cyri, per illum iurat: μὰ τὸν Μίθρην. *Per MITHRAM.* Strabo item libro Geographiæ decimo quinto: Τιμῶσι τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. *Colunt SOLEM, quem MITHRAM appellant.* Veteres quoque extant inſcriptiones, vbi iunctim ponuntur SOL & MITHRAS, vt videre eſt in hic appoſitis.

Romæ. EX ONVFRIO ET FVLVIO.
SOLI. INVICTO.
MITHRÆ.
T. ANTISTIVS.
T. F. STELLATINA.
SEVERIANVS.
DEDICAVIT.

Mediolani in ianua S. Ambroſij,
porta Vercellenſi.
S. D. I. M.
P. ACIL. PISONIANVS. EX APPIANO.
PATER. PATRATVS.
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL.
IGNIS. ABSVMPTVM.
COMPARATA. AREA. A. REPVBL.
MEDIOL. PECVNIA. SVA.
RESTITVIT.

Vbi quatuor primi characteres D. S. I. M. ſignificant: DEO. SOLI. INVICTO. MITHRÆ. Vide plures eiuſmodi inſcriptiones apud Ianum Gruterum. In quibus SOLI MITHRÆ, nihil eſt aliud, quàm SOLI, quẽ Perſæ MITHRAM appellant. Vnde apud Curtium libro quarto hiſtoriarum, de ijſdem Perſis ſic prorſus legendum: *SOLEM MITHRAM, ſacrúmque & æternum inuocant ignẽ.* Non verò, quod aliqui voluerunt, *SOLEM, MARTEM* &c. Nec enim illis MARS, DEVS in cultum. Romani porrò non ſtatuas modò, ſed & templa SOLI MITHRÆ erexerunt. De Aureliano Imperatore conditore & conſecratore templi SOLIS teſtatur Flauius Vopiſcus in eius vita. *Templum SOLIS,* inquit, *magnificentiſsimum conſtituit.* Et priùs dixerat: *Quum ad templum SOLIS veniſſemus ab Aureliano Principe conſecratum.* De Mithra & eius ſacris in ſpecu fieri ſolitis meminerunt S. Iuſtinus martyr, Tertullianus, Gregorius Naziãzenus, & alij complures.

k *IAM IAM AD TE CORDIS MEI AMOR* &c.] Illa S. Dionyſij epiſtola ad Apollophanem iam Chriſtianum rudiore ſtilo primitus è græco in latinum cõuerſa fuit: vt quidem repræſentatur ab Hilduino Abbate, in vita S. Dionyſij, octingentis antè annis ſcripta.

ptâ. Et stilus vix latinus, ac ne vix quidem arguit è græco esse versam.

Exemplum autem græcum venisse videtur in manus S. Maximi, sed postea amissum, cùm ad epistolam Dionysij decimam, quæ est ad Ioãnem, ita scribat: Υ῾ποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι κέ ἐτῶν. ἅτε οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus autem*, inquit, *sanctum Dionysium, quando ista propter Domini Crucem prodigia conspexit, fuisse viginti quinque annorum, quemadmodum me adhuc legisse arbitror.* Sic ille. Cùm autem id disertè in hac ad Apollophanem epistola expressum reperiatur & alibi nusquam, credibile est Maximum in eam epistolam aliquando incidisse, sed nunc eandem intercidisse. Accedit, quòd tam argumentũ ipsius epistolæ, quã stili græci vestigia (quæ magis in rudi versione notari possunt & solent quam in politiore) spiritum & orationem spirent S. Dionysij.

l *SÆPE ENIM TIBI ET QVIDEM ACCVRATE EXPOSVI* &c.) Hæc indicant frequentes Dionysij cum Apollophane congressiones & disputationes: vti & illa quæ pòst subdit: *Quibus mihi non semel, sed sæpius respondisti.* &c.

m *NON QVOD DEVS, SED QVOD DEI OPVS* &c.] Est Dionysij ad Apollophanem Occupatio, qua occurrit tacitæ obiectioni, quam mouere potuisset Apollophanes, dicẽs extraordinarium Solis & Lunæ occursum cũ densis tenebris, vocari diuinarum rerum mutationes; quia scilicet Sol & Luna Dij sint & habeantur; ideóque eorum prodigiosas mutationes, rerum esse diuinarum conuersiones. De quo iam egi initio capitis fusiùs.

n *ATHENIENSES ENIM A SOCRATIS MORTE, CVIVS ITA EOS PVDVIT.*] Rem narrat Diogenes Laërtius in SOCRATE, vbi sub extremam eius vitam hęc refert: Α᾿θηναῖοι δ᾿ εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια. Καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτίμησαν τε, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ πομπίῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου. Α῎νυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθήμερον ἐξεκήρυξαν Η῾ρακλεῶται. *Athenienses ita mox pœnituit, vt palastras & gymnasia clauserint: & alios quidem exilio, Melitum verò morte condemnarint Socratem porro aerea statua honorarint à Lysippo facta, quam in Pompeo* [celeberrimo vrbis loco] *posuerunt. Anytum denique peregrè profectum Heracleotæ ipsa die edicto exterminarunt.*

CAPVT IV.

a EX *QVO TEMPORE NOVVS HIC CHRISTI MILES* &c.] Agitur in hoc cap. de S. Dionysij Præceptoribus in doctrina fidei, & sub illis profectu eximio.

b *SED PRÆ OMNIBVS ET DIVTIVS OMNIBVS PAVLLVM.*] Quin Paullus Apostolus & Doctor Gentium, præceptor S. Dionysij Areopagitæ fuerit, nefas est dubitare. Vide superiùs in productis è Græcorum Menæo elogijs. Verùm quod quidam hæretici improbè effutire ausi sint, Dionysium ne semel præceptoris sui Paulli meminisse, iuuat breuiter ad refrenãdam impudentium mendaciorum audaciam aliquot loca colligere, in quibus perhonorificam magistri sui facit mentionem.

1. Igitur in libro *De diuinis nominibus*, cap. 2. sic ait: Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἐπὶ τὴν θείαν φωτοδοσίαν χειραγωγὸς, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τάδε φησὶν ἐνθεαστικῶς ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ γράμμασι. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε ἐπὶ γῆς. ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί. ἀλλ᾿ ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, καὶ εἷς Κύριος Ι᾿ησοῦς Χριστὸς, δι᾿ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι᾿ αὐτοῦ. &c. *Et hoc cùm præcellenter intellexisset cõmunis meus & præceptoris mei ad diuinã illustrationem manuductor, qui magnus in diuinis est, & lux mundi, hæc in sacris epistolis suis diuino instinctu dicit: Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* Qui locus totidem verbis est in Paullo 1. ad Cor. cap. 8. Itaque meminit magistri sui, & cum honore. 1. ad Cor. 8.

2. In eodem lib. cap. 3. vtriusque simul magistri, hoc est, Paulli & Hierothei laudem intulit his verbis: Καὶ ἡμᾶς τοὺς μετὰ Παῦλον τὸν θεῖον, ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντας. &c. *Ac nos, qui post Paullum illum diuinum, eius* [HIEROTHEI] *documentis instituti sumus,* &c.

3. Ibidem cap. 4. Διὸ καὶ Παῦλος ὁ μέγας ἐν κατοχῇ τοῦ θείου γεγονὼς ἔρωτος, καὶ τῆς ἐκστατικῆς αὐτοῦ δυνάμεως μετειληφὼς, ἐνθέῳ στόματι, ζῶ ἐγώ φησιν, οὐκ ἔτι. &c. *Quocirca & Paullus ille magnus diuino amore correptus, atque à se ipse dimotus, diuino ore*, Viuo, *inquit*, iam non ego; viuit verò in me Christus &c. Ad Gal. 2.

4 Ibidem, cap. 7. Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ θεῖος ὄντως ἀνὴρ, ὁ κοινὸς ἡμῶν τε καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἥλιος, τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων φησὶν &c. *Quod cùm eximiè cognouisset verè diuinus vir, communis meus & Præceptoris sol dixit:* QVOD STVLTVM EST DEI, SAPIENTIVS EST HOMINIBVS. Eant nunc cum mendacijs suis & calumnijs homines improbi & impudentes, & dicant non meminisse Præceptoris sui eum, qui toties & sæpius, tantáque cum laude meminit. 1. Cor 1. versu 25.

c NAM PAVLLO GRÆCIAM ET ASIAM PERAGRANTI TRES IPSOS ANNOS ADHÆSISSE DIONYSIVM] Quin Paulli comes fuerit Dionysius ambigi nõ debet. Primi ac præcipui historici id asserũt. Eusebius l. 3. hist. eccl. cap. 4. inter Paulli comites & adiutores illum recenset. Item Nicephorus Callistus & alij. Verba Michaëlis Syncelli idem testantis vide suprà capite 2. Adhæsisse autem ei tres ipsos annos, ex antiquis monumentis & ab Hilduino accepimus.

d SECVNDVM HVNC AVTEM S. HIEROTHEO.] Auctor est ipse Dionysius paullo antè citatus numero 2. & in illis locis quę ex illo excerpsimus, atque in vita posuimus cap. 23. vbi non tantùm fatetur se Hierothei discipulum, sed etiam prædicat.

e CREBRIS IEIVNIIS, VIGILIIS, LABORIBVS] De his vide Syncellum in encomio, vbi inter alia: *Καὶ τῆς πρὸς θεὸν ἀνατάσεως ὅλος ἐραστὴς καὶ ἀγωνιστὴς καθίσταται, προσευχαῖς συντόνοις διημερεύων τε καὶ διανυκτερεύων, καὶ παννυχίσιν ἀΰπνοις ἐγκαρτερῶν, καὶ νηστείαις τὸ σαρκίον δαμάζων, καὶ τὴν χείρονα μοῖραν καθυποτάσσων τῇ κρείττονι, τὸν χοῦν τῷ νοΐ, καὶ τὴν γεώδη καὶ ἀλεπτύνων παχύτητα, ἣ ταῖς διανοίαις οἷά τις ὀμίχλη ζοφώδης ταῖς ἡλιακαῖς ἀκτῖσιν ἐπιπροσθεῖν εἴωθεν. Et totus ad Deum assurgere amat contenditq́; continuis precibus diu noctúque insistens, atque insomnibus peruigilijs obdurans, & ieiunijs corpus perdomans, ac partem deteriorem præstantiori subijciens, nempe puluerem menti, & rationi terrestrem crassitiem, quæ intelligentiæ non secus ac tenebrosa nebula soles obstruere.*

Vide ibi plura de eius virtutibus & miraculis.

f SIVE PRIMVM, VT ALIVS DIONYSIVS &c.] Huius testem habemus Eusebium libro 3. hist. eccl. cap. 4. Sic enim de Areopagita scribit: *Ὃν τῆς ἐν Ἀθήναις ἐκκλησίας πρῶτον Ἐπίσκοπον ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν γεγονέναι ἱστορεῖ. Quem* (Areopogitam) *Athenienſis eccleſiæ primum Episcopum alius ex antiquis Dionysius Corinthiorũ Episcopus fuiſſe narrat.* Idem repetit Eusebius lib. 4. cap. 22. Nicephorus Callistus lib. 2. hist. eccl. scribit ipsius Paulli manibus consecratum. *Ἐπὶ τόσον δ' αὐτῷ τὰ τῆς πίστεως, ὡς μὴ μόνον τοῦ θείου καταξιωθῆναι λουτροῦ, ἀλλὰ καὶ διὰ χειρῶν Παύλου Ἀθηνῶν προχειρισθῆναι Ἐπίσκοπον. Tanta erat,* inquit, *in Christum fide, vt non solùm diuino dignus lauacro esset: verùm etiam ipsius Paulli manibus Athenarum crearetur Episcopus.*

Sunt qui dicant huius consecrationis manu Paulli factæ memoriam extare etiamnum in ditione Luxemburgensi, in pago AQVILA. Abest hic pagus ab vrbe Treuiris horæ circiter itinere. Ibi exiguum est templum S. Dionysio Areopagitæ sacrum, & in eo eiusdẽ sancti cranium, aut potius cranij vertex, cuius in exteriori parte cernitur crux alba, cùm cranij reliquum subnigrum sit. Hanc crucem Dionysio impressisse Paullum, dum eum cõsecraret, communior sermo est: quorundam tamen nõ tunc, sed dum aqua salutifera illum ablueret. Nam vtroque in sacramento signũ vsurpari CRVCIS in confesso est, & docet ipse Dionysius libro de ecclesiastica hierarchia cap. 2. & 5. Verumtamen illa Crux quæcumque demum sit, siue in Ordinibus, siue in Baptismo efformata, crux est transiens & extrinsecus tantùm signans, non verò intus & vsque ad ossa penetrans, iisque inhærens. Vnde consequitur aut miraculo factum, vt crux illa cutem perualeret, cranióque insisteret: aut certè, vt modo nobis incognito sic impressa adhæreret. Nam qui dicitur CHARACTER SACRAMENTI, ab eiusmodi cruce planè diuersus est. Ille enim non corpori, sed animæ imprimitur, eique indelebiliter adhæreſcit, ac tribus tantùm in sacramentis confertur iuxta illum Tridentini concilij canonem IX. sessione septima: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile (vnde & iterari non possunt) anathema sit.* At vero Crux illa, quæ extrinsecus ab Episcopo aut à Sacerdote efformatur, corporale signum est & delebile & omnibus sacramentis commune. Tertia vero sententia de tempore impressæ Crucis est Ioãnis Bertelij Abbatis Epternacensis, qui in sua Lutzemburgensi historia, summo cranio impressum Crucis signũ à D. Paullo Apostolo refert, cum ab eo iam Episcopus in Gallias cùm benedictione ablegaretur.

Verùm hæc sententia teneri nõ potest, nisi si dicatur Dionysius bis in Galliam esse missus, semel à Paullo, semel à Clemente post Paulli mortem. Missum autem à Paullo nullæ antiquæ litterę vel minimum vestigium ostẽdunt: à Clemente autem, vt pòst liquebit, plurimæ. Meminit huius cranij Arnoldus Rayssius in suo Hierogazophylacio, siue Thesauro sacrarum Reliquiarum Belgij, pag. 349. De eodem cranio & impressa cruce mecũ communicarunt oculati testes P. Ioannes Roberti S. Theologiæ Doctor, & hic Duaci sacrarum litterarum tunc Professor, & P. Ioannes Sebastianus Philosophiæ eodem tempore in Treuirensi Academia magister: quorum hic quidem ea ipsa de caussa AQVILAM profectus rem diligentissimè examinauit, atque ad me perscripsit: inter alia verò, eam crucem læuem esse ac minimè porosam, tametsi, quod reliquum est cranij, porosum sit: deinde ex eo cranio, quod argento circumductum scutellam efficit, vinũ à peregrinis aduersus dolores capitis sumi solitum. Vnde tam ob miraculorũ copiam, quàm ob gratias à Põtificibus concessas magno inibi esse in honore. Quòd autem id cranium siue potius cranij suprema pars sit ipsius Areopagitæ, hoc indigenæ ex

maiorũ ſuorum priſca traditione habere ſe aſſeuerant. Vnde verò aut quando acceperint, memoriæ proditum non habent.

g SIVE SECVNDVM, VT E GRÆCORVM MENÆO &c.] Diſertè Menæum ad diem IV. Octobris Hierotheũ Dionyſij magiſtrum, vocat Athenarũ Epiſcopum, cùm ſic de illo: Πρωκατηχηθεὶς δὲ παρὰ τοῦ Ἀποστόλου Παύλου Ἐπίσκοπος χειροτονεῖται Ἀθηνῶν. &c. *Primũ ab Apoſtolo Paullo eruditus Athenarum conſtituitur Epiſcopus.* Quod ſi Hierotheus Athenis Epiſcopus fuit, certè primus fuit, Dionyſius autem ſecundus. Nam Dionyſio ſucceſſit Publius, Publio Quadratus.

h NAM IN HISPANIAM CONCESSISSE &c.] Quum S. Paullus magno teneretur deſiderio in Hiſpaniam proficiſcendi, (quod inſinuauit in epiſtola ad Romanos cap. 15. verſu 24. his verbis: *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos.* &c.) diu autem eius impediretur iter, credibile eſt tum miſiſſe Hierotheum in Hiſpaniam, & Athenis in Hierothei locum conſtituiſſe Dionyſium. Conſtat autem communi Hiſpanorum Scriptorum conſenſu Hierotheum in Hiſpania fuiſſe Epiſcopum. De quo plura in ipſius Hierothei vita inferiùs.

i IDQVE ANNO CIRCITER A CHRISTI ORTV 55.] Hic annus erat ætatis Dionyſij 46. quandoquidẽ iunior Chriſto fuit annis 9. Cũ autẽ Dionyſius ad Chriſti FIDEM cõuerſus ſit anno ætatis ſuæ 43. vt antè declaratum eſt, atque inter hanc conuerſionem & Epiſcopatũ, tempus duntaxat triennij interceſſerit, vt tenetur cõmuniter, rectè colligitur tã anno ſuo 46. quã Chriſti 55. habenas ſuſcepiſſe Athenienſis eccleſiæ. Quã ſententiam & illi præcipuè amplectentur, qui Dionyſiũ primũ omnino Athenarum Antiſtitem eſſe volunt. Nec enim vllã habere poteſt veri ſpeciẽ, eam vrbẽ multis iam ad FIDEM traductis, Epiſcopatu caruiſſe plus triennio. Qui autem tantummodo ſecundum fuiſſe dicent, tamen cùm prioris tam exigua extiterit memoria, vt à plurimis in ſerie prætereatur Epiſcoporum, ſaltem hãc opinionẽ admittent vt probabilẽ,

CAPVT V.

TRactatur in hoc capite de adminiſtratione Epiſcopatus Athenienſis, & ordinum in eccleſia diſtributione.

a NAM PAVLLVS OBITER TANTVM &c.] S. Paullum non diu Athenis cõmoratum eſſe, licet ex Actis Apoſtolorũ colligi, cap. 17. & 18. Vide etiam Cornelij à lapide Chronotaxin Actuũ Apoſtolorũ, pag. 4. Cauſſa verò cur tãtiſper ibi hæſerit, fuit quòd Silam & Timotheũ expectaret: ante quorum tamen aduentum, quia diutius morabantur, ipſo anno, quo Athenas aduenerat, exceſſit & Corinthũ petijt, vbi cum Sila & Timotheo biennium exegit.

b ADVERSA QVORVNDAM LEVIVM ET NOVAM FIDEM IRRIDENTIVM PHILOSOPHORVM.] Id teſtatur S. Lucas Act. 17. vbi ſcribit Epicureos & Stoicos Philoſophos cũ Paullo diſputaſſe, eũq; deſpicatui habuiſſe. Erant enim Epicurei leues & & voluptuoſi, ideóque Chriſtianã religionem ſobrietatis & caſtimoniæ ſtudioſam, & futura præſentibus anteponentẽ contemnebãt. Stoici autem ſuis mordicus inhærentes decretis, & de Deo, de iuſtitia, de miſericordia, de alijs virtutibus à nobis diuerſiſſima ſentientes, & nimio plus omnibus ſe ſapere arbitrantes, noſtra præ ſuis aſpernabantur.

c *CVM IGITVR OMNIS POP. CHRISTIANVS DVAS IN CLASSES* &c.] Antiquiſſima & generaliſſima eſt hæc Chriſtiani gregis diuiſio, in addictos ſacris miniſterijs, & in horũ expertes; ſiue in CLERICOS & in LAICOS, quæ breuiſſima & commodiſſima eſt diuiſio. De quibus nominibus, ne alio properãs detinear, vide doctiſſimũ Bellarminũ lib. de CLERICIS, & Baron. tomo 1. annal. Chriſti 44.

d *VT QVI VEL IN SACERDOTES VEL IN DIACONOS.*] Dionyſius in ſuis qui nunc extant libris, nullorum ordinum, infra Epiſcopos meminit, niſi Sacerdotum & Diaconorum. Quorum etiam ſolorum in ſacris litteris eſt mentio. Ex quo Scriptoris antiquitas immo & ſcriptorum ipſius colligi poteſt. Neque enim, cùm diutiſſimè vixerit, extrema ætate ſua ſcripſit, ſiue ſecũdo ſeculo, (quo plures erant in eccleſia diſtincti Ordines) ſed primo. Quamuis initio ſecundi nonnulla retractantis more addiderit, vt ſuperiùs quæſtione 2. diſputauimus. Nec malè etiam dici poſſet nomine *Diaconorum* (quod capi generatim poteſt, vti & nomen *Miniſtrorum*) omnes ordines Epiſcopo & Sacerdoti miniſtrantes comprehendiſſe.

e *IN TRES GRADVS DISTINGVERE.*] Populi ſeu Laicorum in tres gradus diſtinctionem tractat Dionyſius libro de eccleſiaſtica hierarchia cap. 6. vide ſuprà in DOCVMENTIS. Vocat autem illos gradus τάξεις καθαιρομένας *ORDINES qui purgantur*, hoc eſt, qui à peccato & ignorantia mundantur: cuiuſmodi ſunt omnes, qui non recenſentur inter ſacros Eccleſiæ Miniſtros. Talis illorum diſtinctionis ſeries à S. Maximo diſponitur:

Αἱ καθαιρόμεναι τάξεις διαιροῦνται.

Εἰς τοὺς ἐκβαλλομένους τῶν ἱερῶν.	Εἰς τὸν πιστὸν λαόν.	Εἰς μοναχοὺς ἤτοι θεραπευτάς.

Ordines qui purgantur, diuiduntur

In eos qui è templis emittuntur.	In fidelem populum.	In Monachos ſiue CVLTORES.

Quid

Quid sit porrò purgare & purgari; illustrare & illustrari: perficere & perfici, petendum ex DOCVMENTIS suprà.

Addo & aliam seriem à S. Maximo omissam; quò intelligatur, qui sint qui è templo emittantur, & quam ob caussam.

Οἱ ἐκβαλλόμενοι τῶν ἱερῶν διαιροῦνται

Εἰς κατηχουμένους. { Εἰς μετανοοῦντας. { Εἰς ἐνεργουμένους.

Qui templis emittuntur, diuiduntur.

In cathecumenos. { In pœnitentes. { In energumenos.

Catechumeni sunt, qui ante baptismum erudiuntur FIDEI elementis.

Pœnitentes, qui ob hæresim aut alia grauia peccata pœnæ sunt obnoxij.

Energumeni, qui à dæmonibus vexantur, aut turbantur, aut obsidentur.

Hi omnes egebant purgatione, primi quidem à peccato originali & ignorantia rerum fidei: Secundi à peccatis post baptismum commissis: Tertij à contaminatione diaboli. Idcirco propter suam impuritatem, antequam ad consecrationem veniretur sanctissimi sacramēti, auditis tantùm ijs, quæ prodesse ipsis poterant, dimittebantur è templo, sicque solis præsentibus, quorum vitæ puritas & innocentia tanto sacramento, & ipsius veri Dei & hominis IESV CHRISTI præsentia atquè maiestate non indigna erat, perficiebatur veneranda hominibus & Angelis Eucharistia.

Sic quidem primis omnino temporibus. Nam postea soli Catechumeni à sacris mysterijs, vt in SS. Basilij & Chrysostomi liturgijs obseruare est, absistere iubebantur: idque Diacono post Euangelium & recitatam pro Catechumenis ab Episcopo precationem aliquoties proclamante, vt egrederentur. Voces Diaconi erant hæ: Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. οἱ κατηχούμενοι προέλθετε. ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. μή τις τῶν κατηχουμένων. *Quicumque estis catechumeni, exite. Catechumeni exite. Quicumque estis catechumeni, exite. Ne quis catechumenorum.* Deinde ijs egressis subdebat ad sanctum populum: Ὅσοι πιστοί, ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. *Quicumque FIDELES etiam atque etiam in pace Dominum oremus.*

f AD SACRORVM RITVVM AC CÆRIMONIARVM CVRAM &c.] In cultu diuino semper imperatæ obseruatæque sunt ab auctoribus vel promulgatoribus sacrorum certæ cærimoniæ, ad hoc videlicet institutæ, vt maiore cum reuerēntia & horrore ea quæ ad Deum spectant, agerentur & tractarentur. Tales in lege veteri sunt plurimæ, & Deo quidem ipso auctore commendatæ. Tales & in noua non paucæ partim ab Apostolis, partim ab Apostolorum successoribus abundantioris pietatis ac religionis caussa constitutæ. Eas autem non tantùm describit, sed & explicat S. Dionysius. Cui eam ob rem de ecclesia optimè meritò si quis obstrepat ingratus, næ is pessimus homo est, & pro tanta inhumanitate vix homo. Plura vis de cærimonijs? tibi vidēdi sunt Baronius & Bellarminus.

g QVALIS IPSE, DVM SACRIS OPERARETVR, FVERIT.] Si vnquam aliàs, tunc totus Dei erat Dionysius, cùm ad aram faceret, & quasi in Deum transformatus. Ignes pietatis & eius thura deuotionis duo in primis testantur: vnum quòd ita se in sacrificij tempore componeret, ita gereret, quasi ipsis in cælis Deo pręsens esset. Alterū, quòd diuina in carcere, diuino spiritu & feruore, celebranti Christus ipse aspectabili forma occurrerit, & acceptam ex altari hostiam sua manu obtulerit. Quæ duo ex veteribus martyrij eius Actis desumpta sunt.

CAPVT VI.

a QVæ hoc capite continetur de sanctissimæ Virginis excessu historia, partim ex antiqua traditione, partim è S. Dionysij libro, *De diuinis nominibus* desumpta est. De traditione testatus est ante mille & centum, eoque amplius annos B. Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus, de quo paullo inferiùs. Verba S. Dionysij cap. 3. sunt hæc: Ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτός, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. Παρῆν δὲ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. &c. *Quando & nos, vt scis, & ipse* (Hierotheus scilicet) *& multi ex sanctis fratribus nostris ad intuendum corpus, quod principium vitæ & Dei conceptaculum fuit, conuenissemus. Aderat autem & Iacobus frater Domini & Petrus supremum & venerabilissimū Theologorū columen.*

Quæ verba cùm à diuersis diuersè capiantur, singulorum proferendę sunt sententiæ, vt pateat ex eorum commissione, quænam vera censenda sit.

Prima igitur & antiquissima & communissima sententia (quam & nos amplectimur) est, illa Dionysij verba, de corpore sacrosancto beatissimæ Virginis Mariæ, (ad quod intuendum & tumulandum conuenerint Apostoli) esse intelligenda. Sic enim intellexit Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus, qui abhinc mille ducentis retro annis vixit & scripsit. Sic & Andreas Cretensis, Hierosolymorum etiā ipse Patriarcha. Sic & S. Maximus martyr, S. Dionysij scholiastes pręcipuus in suis Scholijs. Sic & S. Ioannes Damascenus in oratione de dormitione Deiparæ. Sic & Michael Syncellus, Presbyter Hierosolymitanus, & Simeon Metaphrastes, & Nicephoras Callistus, & Georgius Pachymeras & alij è Græcis: ipsorumque item Menæum, & vno verbo Greci omnes. E latinis autem S. Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria martyrum, S. Ildefonsus sermone 4. de assumptione B. Mariæ, Albertus

Magnus in dictum librum, & locum S. Dionysij, aliique quã plurimi, antiqui & noui. Et probatur hæc sententia ratione.

1. Quia corpus sanctissimæ Virginis aptissimè vocatur ζωαρχικὸν κ̀ θεοδόχον σῶμα. Nam ζωαρχικὸν sonat *quod est principium vitæ*. Atqui si Christus est vita (vt se ipse appellauit Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*) & si Deipara est illi principium generationis, certè etiam dici potest *principium vitæ*. Rectè etiam dicitur corpus B. Virginis θεοδόχον id est, *Dei susceptiuum, siue Dei conceptaculum*, quòd scilicet Deum in vtero conceperit & gestauerit.

2. Quia B. Virginis excessus, & sepultura caussam præbuit iustissimam, Apostolos & ex Apostolicis viris præcipuos eò trahendi, tam vt eius aspectu & benedictione fruerentur, quàm vt eius sepulturam, velut matris & reginę curarent & cohonestarent.

3. Quia eiusdem Virginis pietati atque caritati valdè consentaneum fuit, vt priusquã terras relinqueret, Apostolos & primores discipulos videre, extremùmque salutare, ac potissimùm solando, docendo, hortando aliquid eis gratiæ spiritualis impertiri vellet. Poterat enim multo iustiùs, quàm Paullus, illa verba sacra vsurpare, quæ ille ad Romanos: *Desidero enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.* His igitur impellor rationibus, vt primæ huic sententiæ reiectis alijs adhærescam: quæ verò contra obijciuntur, tùm refellam, cùm alias opiniones produxero.

Secunda igitur opinio est Ioannis Scoti in epistola ad Carolum Magnum, per ea scilicet verba, Ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ κ̀ θεοδόχου σώματος, intelligi conspectum Christi corporalem. Ex hoc enim loco probat Dionysium vnà cum Hierotheo & multis alijs Christum vidisse. *Cum quo*, inquit, *multisque alijs sanctis in vnum conuenientibus Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus: aderántque, vt ipse ait, Iacobus frater Domini &c.* Quæ si ita intelligantur, vt dicantur Dionysius & Hierotheus vidisse Christum in carne ante suam ascensionem, prorsus falsa sunt. Tum enim neque ipsi, neque ipsorum magister Paullus ad fidem adhuc erant conuersi: sin de alia Christi apparitione corporali post ascensionem facta sit sermo, quamuis græca verba cũ quoque admittere sensum possint, tamen etiam sic videtur esse falsus. Nam talis apparitio tam multis simul, & tanto tempore post ascensionem facta nullo modo, neque ab Apostolis, neque ab eorum discipulis, (cùm ad resurrectionis probationem faceret plurimũ) neque ab vllo prorsus alio, qui spectator tam præclari visi fuisset, tacita esset. Accedit quòd hæc opinio ab alio hactenus recepta sit nemine.

Tertia sententia est Matthæi Galeni Vestcappellij in præfatione ad Areopagitica Hilduini, qui de ædibus Ioannis Euangelistę verba illa S. Dionysij accipit. *Porro licet*, inquit, *aly non incommode fortassis sint ista intellecturi de conuentu ad sepulchrum ipsum subdiali, ibidémque consessu Apostolico; attamen rectiùs existimo de ædibus Ioannis Euangelistæ accipi posse, in quas recepisse dicitur B. Virginem statim a commendatione filij sui morituri.* Verùm neque hæc magnam habet probabilitatem. Nec enim tanti ædes illæ erant, vt earum visendarum gratia è multis & dissitis locis, & è magnis occupationibus euocandi essent tot Apostoli, & viri Apostolici. Quid, quod valdè insolens est sermo, ædes vocari corpus? immo nullus vnquã sic locutus legitur.

Quarta proinde est Hilduini Abbatis, qui in S. Dionysij vita, capit verba suprà posita, de sepulchro Christi. Nam agens de libro S. Dionysij *De diuinis nominibus*, vbi verba ista extant controuersa, sic scribit: *In quo ostendit, se apud sanctam ciuitatem, penes sepulchrum Iesu vitæ principis, à Iacobo fratre Domini & Petro Apostolorum principe, necnon & à Theologo Ioanne vnà cum præfato Hierotheo, & S. Timotheo, alijsque sanctis compluribus audisse disputationem & fidei sacramentum &c.* vbi τὸ *sepulchrum Iesu vitæ principis* positum est pro eo, quod græcè habetur τοῦ ζωαρχικοῦ κ̀ θεοδόχου σώματος. Pro hac opinione, tanquam pro aris & focis, depugnat Franciscus Biuarius in commentario suo ad Dextri chronicon, in anno Christi 48. & quod pro ea quidem adferri potest, enixè adfert; sed tamen ad expugnandam sententiam, quæ à tot sæculis, & à tot bonis Auctoribus recepta sit, vt mihi quidem videtur, inualidè.

Primum Biuarij argumentum est, quòd auctores nostræ sententiæ, (vt quidem ipse sumit Biuarius pag. 98.) *manifestè defecerint (vno dempto Baronio) in eodem Dionysij textu explicando: dum ex eo credunt haberi, inibi quoque adfuisse Timotheum Paulli dilectum discipulum, & Ephesiorum Episcopum, ad ipsumque libros suos Dionysium nuncupasse: quod tamen verum non esse ad annum domini 100. comment.* 11. *Deo duce* inquit *monstrabimus*. Hæc ille.

Duo igitur dicit: vnum quidem, quòd omnes, qui verba Dionysij de corpore Virginis accipiunt, ijdem, excepto Baronio, ibi adfuisse Timotheum Ephesiorum Episcopum dicant: alterum autem, quòd ijdem teneant, adeóque ex Dionysij verbis colligant, libros S. Dionysij ad eundem B. Timotheum scriptos esse. Ipse porrò vtrumque horum falsum esse dicit, atque se ostensurum, nec interfuisse Timotheum illum funeri Virginis, nec ad eum scriptos esse libros; nos autem vtrumque pro vero tenemus, & pro certo probabimus.

Ac prius quidem de Timothei præsentia confirmatur ex Auctoribus Gręcis, & nominatim

natim ex illorum antiquissimo Iuuenale, Patriarcha Hierosolymitano, cuius antè memini. Is igitur coram Marciano Imp. & Pulcheria coniuge, cùm de ortu ac funere Deiparæ ageret, addidit inter alia etiam Timotheum & Dionysium Areopagitam & Hierotheum interfuisse. De quo vide Nicephorum Callistum lib. 15. histor. eccl. capite 14. Idem Menæa Græcorum expressè testantur, vt suprà in elogijs notauimus.

Quod autem dicit Biuarius Dionysij verba nihil pro nobis facere, si ad vnguem perpendantur; & quòd pro hoc confirmando Marsilij profert interpretationem; nihil sanè illa contra nos facit, atque etiam si aliquid faceret, responderemus ipsorum Patrum Græcorum explicationem, vnius auctoris latini interpretationi longè præferendam esse & græcos ipsos meliùs græca intelligere, quàm latinos. Quamuis & plures latinorum interpretationes à nobis sint, & nouissima quoque nostri Petri Lanssel., qui græca illa ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν, sic vertit: *Cùm & nos, vt scis, & tu, & multi ex sanctis Fratribus nostris corporis, quod auctorem vitæ, Deúmque recepit, videndi caussa conuenissemus*: vbi καὶ αὐτὸς, vertit, *& tu*. Quomodo & Michaëlis Glycæ interpres accepit 3. parte annalium, vbi eadē verba vertit: *Nos quidem vna tecum*. &c. Quod idem est, atque *nos quidem & tu*. Nam αὐτὸς non tantùm significat *ille* sed etiam, *tu*. Quin & hoc modo accepit idem Dionysius paullo antè, in eodem ipso capite, & eadem pagina, cùm dixit alloquens S. Timotheum: Καὶ πολλάκις ἡμᾶς καὶ αὐτὸς εἰς τοῦτο προὐτρέψας. *Et sæpe nos etiam tu ad hoc hortatus es*. Quia tamē ambigua est hic Dionysij intentio, non ea nos tantùm particula nitimur, vt probemus Timotheum decessui Virginis adfuisse, neque item verbis illis *conuenimus nos*, quasi ibi cōprehendat secum vnà Hierotheum, aut, si mauis, Timotheum, sed potiùs illis, ὡς οἶσθα, *vt nosti*, quæ bis illic vsurpat, quasi velit dicere, *vt ipse optimè nosti, qui illic adfueris*: deinde etiam illis verbis, quæ pòst sequuntur, vbi dicit Dionysius se ab ipso Timotheo memori illorum hymnorum, qui tum decantati sunt, partes aliquas inaudisse. Quibus verbis quid indicare velit aliud, quàm S. Timotheum memoria retinuisse, quæ illic ad funus D. Virginis, cùm præsens adesset, audiuerat?

Quin & Hilduinus ipse, licet aliter, quàm nos, in alijs senserit, tamen adfuisse Timotheum vnà cum SS. Dionysio & Hierotheo nobiscum sentit. Cuius verba licet videre in eius Areopagiticis. Idem & S. Thomas in expositione super librum De diuinis nominibus, cap. 3. ad hunc ipsum locum.

Secundùm eiusdem Biuarij argumentum est: quòd, si Dionysius de transitu ageret, non diceret conuenisse ipsos Hierosolymis *visuros corpus eius, quod vitæ principem Deumque suscepit*, sed sic, *interfuturos migrationi eius* &c.

Respondeo diuersos diuersè loqui, Biuarium more suo, & Dionysium suo; latinos aliter, aliter græcos; Dionysium autem Græcis ita locutum, vt omnes Græci, ne vno quidem excepto, intellexerint ibi sermonem esse de corpore Virgineo, non autem de sepulchro. Et quod addit Biuarius dicturum fuisse Dionysium: *non quidem ad videndum tantùm, sed ad recipiendam eius benedictionem postremam: nec ad videndum corpus duntaxat, sed ad videndam eam viuam, priusquam migraret ad filium*.

Respōdeo nos quidē hodie ita locuturos esse; sed Dionysium in suis libris aliud loquendi genus sectatum, nempe grandiloquum, & subobscurum: existimasse autem facilè hæc intellectum iri ab eo, qui ijsdem interfuisset exequijs. Intelligenti enim, pauca. Nec volebat Dionysius sua ab omnibus intelligi, cùm nec omnibus scriberet, sed solis ecclesiæ sacris Ordinibus. Addit idem Biuarius: *Quod si velit quis, vt Virginem vita præditam Dionysius nuncupet corpus, inusitatum inducet loquendi modum, quo nullus doctorum vsus reperiatur*.

Respondeo non tam inusitatum esse, vt *corpus* ponatur pro *persona*, quàm vt *corpus* ponatur pro *sepulchro*, quod tamen ipse vult. Quis enim ab orbe condito vnquam sic locutus est, aut loquetur infinitis post sæculis? *visamus corpus, quod suscepit Ioannem*, pro, *visamus sepulchrum Ioannis*. *visamus corpus, quod suscepit Christum*, pro, *visamus sepulchrum Christi*. Certè illa longè tolerabilior est locutio: *visamus corpus, quod suscepit Christum*, id est, *visamus Virginem*, seu, *corpus virginis*. vti & S. Thomas loco antè citato approbat ita scribens: *Potest etiam*, inquit, *intelligi, quòd conuenerunt ad videndum corpus beatæ virginis MARIAE in eius morte, quod etiam suscepit Deum in incarnatione*.

Nam vt *caro* in sacris litteris percrebrò pro toto homine ponitur, sic & *corpus*, (quod idē est quod caro) peræquè pro toto homine poni potest. De carne quidem obuia sunt exempla. vt Genesis 6. versu 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, id est, *omnis homo*. & psal. 55. versu 5. *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro*. Et Ioannis 1. versu 14. *Et Verbum caro factum est*. Et Lucę 3. versu 6. *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Non minus autem *corpus* sic accipi potest; cùm à carne non differat: immo verò ita accipitur Sapientiæ 1. versu 4. *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis*, id est, in homine prauo, & peruerso: alioqui in anima potiùs habitat sapientia, quā in corpore. Quin & Matthæi 24. versu 28. & Lucæ 17. versu vltimo, *vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, id est, vbicūque fuerit Christus, vt multi SS. PP. interpretantur.

tantur. Accedit, quòd propriè & proximè corpus videatur, ac propterea rectè dici eos conuenisse visuros corpus; sicut frequentissimè in scripturis, pro eo quod diceretur, *non videbitis me*, reperimus vsurpatum, *non videbitis faciem meam*. Sic Geneseos 43. ver. 44. aliquoties. *Nō videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo*. & similia. Sic & actorum 20. versu 25. *Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei*.

Adde propter corpus maximè conuocatos videri Apostolos, nempe vt illud (cuius præcipuè honos id temporis à Spiritu Sancto intendebatur) honestè ac religiosè sepelirent, atque etiam vt essent, qui & viderent mortuū & testarentur assumptum. Alioqui vnde nobis illa eius in cælos assumpti tam festa dies? Vnde tanta, quanta nunc est, solemnitas prouenisset?

At enim vrget etiam atque etiam vir admodum diligens & doctus (talem enim certè agnosco) atque Dionysij verbis nos impugnat, istis nimirum: *Illic ergo post contuitum placuit, vt Pontifices omnes* &c. *nihil igitur*, inquit, *aliud Apostoli, & Discipuli fecerunt, nisi videre, & contueri, quod sepulchro Domini valde congruit: corpori autem Virginis minimè: quod nimirum non solum viderunt, sed & sepulturæ mandarunt*. Sic ille. Cui nos dicimus, neque verum esse, quod assumit, neque bene inferri, quod colligit. Multa enim ibi præter contuitum corporis alia esse facta indicat eodem loco ipse S. Dionysius: sed omittit ea speciatim exponere, quòd & Timotheo nota essent (nempe testi aurito & oculato) & verbis facilè exprimi non possent; neque, si possent, deberent. Verba Dionysij sunt: Α᾽λλὰ ἵνα τα ἐκεῖ μυστικα καὶ ὡς τοῖς πολλοῖς ἄῤῥητα, καὶ ὡς ἐγνωσμένα σοι παραλείψωμεν. *Sed vt mystica, quæ illic facta sunt, tanquam multis ineffabilia, & tibi cognita prætermittamus*.

Postremò reprehendit Biuarius, quòd à nonnullis dicitur *omnes Apostolos funeri B. Virginis adfuisse*. Qua de reprehensione id solùm habeo dicere, si ab illis hoc dicatur, quasi ex Dionysij verbis; meritò eos reprehēdi (neque enim id eius verba sonant) sin ex vetusta traditione, quam Iuuenalis Patriarcha coram Augustis Principibus Martiano & Pulcheria testificatus est, immeritò: nempe accipiendo *omnes* distributione accommoda; qui scilicet in viuis erant, & adesse poterant. Nam quòd duo tantùm nominentur Iacobus, & Petrus his verbis: Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. *Aderat autem & Iacobus Christi frater, & Petrus supremum, & venerabilissimum Theologorum columen*. Quòd hi, inquam, soli nominentur, non obstat, quin & alij adfuerint (non enim excluduntur) sed hi tantùm à Dionysio, tanquam qui tunc præcipui inter Apostolos essent nominis & auctoritatis, nominantur. Nam Petrus erat omnium caput, Iacobus autem vrbis Hierosolymorū (quæ vrbibus omnibus antistabat, & Iudaicæ gentis princeps domicilium erat) Antistes à collegis suis cōstitutus, qui etiam abstinentiæ & austerioris vitæ caussa, ipsis fidei nostræ hostibus erat reuerendus. Quòd verò Ioānes euangelista nominatus non fuerit, caussa in prōptu est, quòd de eius præsentia, vtpote Virgini semper assistentis, nulla suboriri posset dubitatio. Immo S. Mariæ cathedralis ecclesia Tornacēsis gloriatur se habere *de palma, quam sanctus Euangelista, & Apostolus Ioannes deferebat præeundo in exequijs S. Mariæ Deiparæ*. Sic enim est in Hierogazophylacio Belgico Arnoldi de Raisse. Quin & Messanenses in Sicilia frustum aliquod eiusdem palmæ in principe templo asseruant. Vide post Francisci Maurolyci Abbatis Messanensis Martyrologium, adiuncta *Reliquiarum loca*. Ad Paullum autem quod attinet, siue adfuerit, siue abfuerit, nihil fraudi est verbis Dionysij, qui mentionem eius non facit: sed neque assertioni illorum, qui dicunt omnes adfuisse: quandoquidem more vulgari loquantur, vt dicant omnes pro parte maxima, & pro ijs, qui commodè adesse potuerint, & quos Deus ei consessui destinauerit.

Nam ijdem ipsi, qui dicunt omnes adfuisse, postea subijciunt defuisse Thomam, ac triduo pòst tantùm aduenisse: nec sine diuino quidem id factum consilio dicunt, nempe vt idē matris probaret assumptionem, qui filij comprobarat resurrectionem. Sed Franciscus Biuarius, dum nimis insistit, vt defuisse isti Apostolorum cœtui Paullum probet, ostendátque non potuisse esse Hierosolymis anno Christi quinquagesimo octauo, in multis errat. Nam ita scribit: *Adhuc autem mihi difficile id videtur: quoniam anno quinquagesimo septimo (qui fuit Neronis secundus, teste Hieronymo lib. de Scrip. eccle. in Paullo) Paullus peruenit vinctus Romam, vbi mansit biennio toto in suo conducto. Act. vltimo. Vnde anno quinquagesimo octauo nō potuit Hierosolymis adesse*. Sic ille. Quòd ergo existimat annum Christi quinquagesimum septimum esse secundum Neronis, apertè fallitur. Non enim quinquagesimus septimus, sed quinquagesimus octauus est secūdus Neronis, vt liquet ex Eusebij chronico, & demōstratione Pontaci. Deinde, quòd ad probandum peruenisse Paullum Romam anno secundo Neronis testem adducit Hieronymū, rursus fallitur. Non enim dicit Hieronymus *peruenisse*, sed tantùm *missum esse*. *Romam*, inquit, *vinctus mittitur*. Itaque illo anno erat Hierosolymis. Deinde paullo post in accommodanda eiusdem Paulli prophetia non parum aberrauit. Sic enim de illo scribit: *Quia postquam semel Romam venit, nunquam in orientem reuersus est, vt ipse de se prophetauerat Actorum vigesimo. Ecce ego scio*, inquiens, *quia non amplius videbitis faciem meam vos omnes, per*

quos

quos transiui prædicans regnum Dei. Sic ille. Atqui Paullus non prophetabat se nunquam in Orientem reuersurum; immo tunc, cum illa prophetabat, rectà tendebat in Orientem, nēpe Hierosolymam, vbi & captus, & vinctus, ac deinde ductus Romam fuit. Erat autem Mileti Paullus, cùm illa prophetauit (est porrò Miletus vrbs Asiæ) eòque vocauerat Epheso maiores natu Ecclesiæ. His ergo Ephesijs, & Milesijs potissimùm, sed & alijs ecclesijs Asiæ, quæ ab illis non longè distabant, se posthac per eorum terras non transiturum prædicebat. Neque enim eius verba sic restrictè capienda sunt, quasi nulli omnino eorum, per quos transiuerat prædicans verbum Dei, essent in posterum eius visuri faciem. Id enim fere fieri non poterat. Nam etiam in Iudæa prædicauerat, quò tamen iam properabat, & sine dubio alijs quoque in locis inter Iudæā & Asiam medijs. Deinde rursus ex Iudęa Romam vsque erat profecturus: an in toto illo & tam longo itinere nulla vrbs erat, vbi antè prædicasset? neque hoc satis. Roma etiam liber dimissus à Nerone, ad prædicandum vbicumque voluit Euangelium, annos complures abijt, & quidem, ipso teste Biuario atque defensore, etiam in Hispaniam profectus est: quod ego illi assentior. An nullus igitur interea, non dicam è Iudæis, aut Græcis, sed ex Asianis, quibus tum valedicebat, eius faciem vidit? nullus ad eum, seu in Syriam, seu in Hispaniam, seu in Italiam, seu alio, vbi erat, eius visendi aut conueniendi caussa se contulit? nullus quacumque ex occasione in ea loca profectus, vbi Paullus erat, in eum incidit? res est sanè creditu perdifficilis. Quid igitur, inquies, istis verbis voluit Paullus? Aliud certè nihil, quàm se in terram Asiam, præcipuéque Miletum & Ephesum ampliùs non rediturū. Postremò non posse verba de Christi Domini sepulchro intelligi, probat etiam doctissimus Baronius anno Christi quadragesimo octauo. Quia scilicet sepulchrum illud Apostoli iam sæpe viderant, nec erat caussa, cur id temporis tam multi vnà conuenirent, tam ad videndum illud, quàm ad hymnos ibi concinendos. Cui argumento mirum est nihil responsum esse à Biuario. Maneat igitur firmum (quod & Græci omnes docuerunt, & plurimi Latinorum approbarūt) verba sancti Dionysij de conuentu Apostolorum ad corpus Virginis intuendum, & honore sepulturæ adornandum intelligenda esse,

Sed quæret aliquis, quamobrem Apostolorum nullus mentionem vllam vel mortis sanctissimæ Virginis, vel conuentus ad exequias eius fecerit? Hoc enim quidam Michaëli Glycę olim proposuit. Illius proinde interrogationem, & huius responsionem hic lubet apponere. Sic itaque Glycas parte tertia Annalium: *Memini quoque, dilecte fili,* inquit, *te inter cetera, huiusmodi dubitationem aliquando mihi proposuisse. Quamobrem, aiebas, discipuli Christi & Apostoli, rebus alys in commentarios & historias relatis, prorsus de obdormitione perpetuæ Virginis illius obticuerunt? Hac de re satis est respondere, auctores euangeliorum Christi administrationem in carne commemorantes, ad eius à terris in cælum assumptionem peruenisse. At illa expers maculæ Domini nostri Iesu Christi mater prouectam ætatem attigisse perhibetur, vt diuinus ille vir Andreas Cretensis Antistes auctor est. Quapropter fieri non potuit, vt Virginis illius perpetuæ obdormitio euangelicæ historiæ insereretur, vti quæ longo deinceps tempore, sicut diximus, acciderit. Præterea seorsum peculiari quodam libro de ipsa nihil Christi discipuli memoriæ prodiderunt, propterea quod in explicanda eius administratione occupati, magnopereq. de vna illa re solliciti, (quo nimirum pacto incredulos fideles efficerent, ac omnes ad puram, sincerámque in Christum fidem perducerent) cetera negligebant, præsertim ea, quæ ad diuinam illam prædicationem nihil facerent.* Sic ille ad propositam quæstionem. Tum subdit consequenter non omnino neglectam fuisse à discipulis Apostolorū hanc de somno Virginis historiam, quandoquidem S. Dionysius in scriptis suis eius meminerit. *Non tamen omnino,* inquit, *diuina isthæc obdormitio silentio præterita fuit. Nam rerum ille diuinarum interpres, magnus DIONYSIVS de hac admiranda quædam in perscriptis ad Timotheum epistolis tradere deprehenditur. Ac vide mihi, obsecro, quæ dicturi simus ex illius narrationibus decerpta. Nos quidem, ait, vna tecum, multísque sacris fratribus, vt meministi, ad spectandum corpus illud, quod vitæ principium & ipsum Deum aliquando cōtinuerat, conueneramus.* &c. Ita ille.

b *VT SYNCELLI VERBIS VTAR.*] Græca Michaelis Syncelli verba in encomio S. Dionysij sub initium, sunt hęc: Καὶ ὅλος ὅλῃ τῇ ψυχῇ καὶ διανοίᾳ καὶ καρδίᾳ τῷ διδασκάλῳ προσκεκόλληται. *Et totus tota anima & mente & corde Magistro agglutinatus fuit.* Loquitur autem ibi de S. Paullo magistro suo. Nam & alium magistrum habuit sanctum Hierotheum, cuius alibi meminit.

c *MVLTIQVE ALII VITAE SANCTIMONIA PRAESTANTES.*] Glycas etiam LXX. Christi discipulos vnà cum Apostolis adfuisse existimauit, idque ex ipsius Dionysij verbis colligi. *Ostendit,* inquit, *in hac narratione sacer ille Dionysius vniuersum prope cœtum Apostolorum, & ipsorum LXX. Discipulorum, ad venerandum hoc spectaculum congregatum fuisse: tam quòd eodem tempore Discipuli omnes per vniuersum dispersi conuenerint: quorum in numero & ipse fuerit vnà cum Timotheo & Hierotheo.*

d *SIVE AB ANGELIS, VT QVONDAM HABACVC AVT PHILIPPVS, RAPTI.*] De raptu Habacuc Prophetæ ad lacum Danielis, vide librum Danielis capite decimo quarto, versu trigesimo quinto, vbi inter alia: *Et apprehendit eum Angelus Domini*

in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone suprà lacum, in impetu spiritus sui. Et clamauit Habacuc dicens: Daniel serue Dei tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgénsque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. Itaque bis raptus est Habacuc ab Angelo in aëra. S. Philippus autem semel, Actorum octauo, versu trigesimo nono, cùm baptizasset Eunuchum Candacis Reginæ. *Cùm autem ascendisset de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus.*

e *SIVE LEVIBVS NEBVLIS, QVOD QVIDAM ARBITRATI SVNT* &c.) *Inter alios Syncellus his verbis:* Μάλιστα δὲ ἡ νεφέλη μετάρσιον αὐτὸν τῆς ἑσπερείας λήξεως ἀφαρπάσασα καὶ μετεωρίσασα, καὶ ἀεροπορεῖν, ὡς καὶ τοὺς ἀκροτάτους θεόπτας καὶ θεολόγους Ἀποστόλους. &c. *Sed in primis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus abreptum sublimè ipsum abstulit, perque aërem euntem abduxit, vti etiam summos Dei inspectores & Theologos Apostolos, alium aliunde repente à finibus terræ in celeberrimam communem omnium matrem Hierusalem asportauit.* &c. Paria fere Symeon Metaphrastes in vita S. Dionysij: διὰ πνεύματος καὶ νεφέλης, *per Spiritum & nubem*, inquit.

f *SIVE ETIAM, QVOD MVLTI FACTVM CREDVNT* &c.) Tertia sententia est, admonitos maturè Apostolos ac Discipulos de instãte Deiparæ Virginis excessu, conatos ante mortem illi adesse. Quam ego cũ Baronio & alijs amplector.

g *DE VTROQVE TAM MATRIS, QVAM FILII INCORRVPTO CORPORE.*] De virginei corporis incorruptione testis est, præter alios, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in oratione *De obdormitione Virginis.* Vide Glycam parte tertia annalium, pagina trecentesima, vigesima sexta. De filij autem incorruptione nefas dubitare.

h *ANNOS SCILICET CIRCITER SEPTVAGINTA DVOS NATA.*) Diuam Virginem peruenisse ad annum ætatis circiter septuagesimum secundum, tenent hi Auctores.

1. Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in vita Virginis, *Ætas Virginis*, inquit, *ad 72. annos processit.*

2. Cedrenus in compendio historiarum, vbi de imperio Tiberij Cæsaris agit, sub quo Christus Dominus passus est, ita de B. Virginis Deiparæ excessu scribit: Παρέδωκε δὲ τὴν ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν τῷ κυρίῳ καὶ υἱῷ τῷ θεῷ αὐτῆς ἐτῶν οὖσα οβʹ. οἱ δὲ φασὶ νηʹ· ὥστε μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Χριστοῦ εἴκοσι τέσσαρας χρόνους ἐπεβίωσεν. *Tradidit suam sanctam animam Domino & filio Deo suo annos nata septuaginta duos. Quidam tradunt quinquaginta octo. Vixit ergo viginti quatuor annos post Christi in cælum ascensionem.* Ita ibi.

3. Auctor opusculi *De forma & moribus B. Mariæ* apud Anselmum, dicit eam, cùm assumpta fuit in cælum, septuaginta duorũ fuisse annorum.

4. Fauent eidem sententiæ S. Andreas Cretensis, & Symeon Metaphrastes, qui Diuam Virginem vsque ad multam senectutem peruenisse scribunt.

i *VTI ENIM A NOVIS QVIDEM HOMINIBVS*) Primus, quem repererim in eã fuisse sententiã, vt Dionysius præ admiratione gloriæ ac maiestatis Diuæ Virginis dixerit, se eam adoraturum fuisse tanquam Deum, nî fides obstitisset, est Hubertinus de Casali, qui libro quarto ARBORIS VITÆ, capite trigesimo octauo sic scribit: *Vnde Dionysius, cùm ad eam videndam introductus fuisset, vidit tantũ splendorem, & Angelorum multitudinem innumerabilem circa eam, & propriam Virginem tantâ luce fulgere, vt dixisse referatur, quòd eam, vt Deum, adorasset præ magnitudine gloriæ, quam videbat, nisi euangelicâ fuisset FIDE coactus.* Sic ille. Nota idiotismos gallicos, *propriam Virginem*, pro *ipsam Virginem*, & *coactus* pro *impeditus*. Claruit hic Auctor, teste Tritthemio *De scriptoribus ecclesiasticis*, sub Alberto Imperatore, anno Domini millesimo trecentisimo. Hubertini opinionem secuti sunt Dionysius Rickelius in caput tertiũ, *De diuinis nominibus*, articulo decimo sexto, Petrus Canisius libro tertio *De Deipara*, capite vigesimo primo, Petrus Ribadenira in vita S. Dionysij Areopagitæ, & alij illos secuti.

CAPVT VII.

a CONtinet reuersionem S. Dionysij à conuẽtu Hierosolymitano, & disciplinæ ecclesiasticæ præclaram in Atheniensi Episcopatu constitutionem. Cuius disciplinæ obseruandæ quàm studiosus exactor fuerit, & violatæ seuerus castigator, exemplo Demophili Monachi, seu Cultoris, ibidem ostenditur.

b *DEMOPHILVS ILLE CVLTOR*) Qui in populo, siue inter laicos præcipuæ pietatis ac deuotionis statum profitebantur, CVLTORES ab eximio virtutum cultu appellabantur, græcè θεραπευταὶ à verbo θεραπεύω, *colo*. Iidem & MONACHI appellabantur, quòd μόνῳ θεῷ, *soli Deo* vacarent, pietatemque vnicè colerent. Vide plura de Monachis, seu Cultoribus hisce, & de eorum à posterioribus Monachis differentiâ, superiùs quæstione secunda sub finem, vbi fusiùs de ipsis disputaui.

CAPVT VIII.

EXhibetur in hoc capite S. Dionysij epistola ad Demophilum Monachum, siue, vt tunc etiam vocabant, CVLTOREM, vt paullò antè indicauimus. Vnde inscriptio est; ΔΗΜΟΦΙΛΩι ΘΕΡΑΠΕΥΤΗι, DEMOPHILO CVLTORI.

Scri-

Scripsit S. Maximus in hanc epistolam, & Georgius Pachymeras paraphrasin.

Ex eadem epistola desumpsit non pauca S. Antiochus, scriptor Græcus, homiliâ centesimâ decimâ quinta, quæ est *De mansuetudine*, & homilia centesima vigesima tertia: cuius extant homiliæ in bibliotheca græcolatina SS. Patrum.

a *TRADUNT HEBRAEORUM HISTORIAE* &c.) Laudatur Moyses à mansuetudine, Numerorum capite duodecimo, versu tertio: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.*

Et infra, versu sexto, ita Dominus ad fratrē & sororē Moysis, Aaronem & Mariam: *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei: & palam, & nō per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Ex quibus clara fiūt & certa verba Dionysij, & quòd Moyses DEI SERVUS appellatus sit, & quòd alijs Prophetis familiarius atque apertiùs ad Dei conspectum & colloquium admissus sit. Notandum tamen Moysen non cū Deo ipso, sed cum Angelo vicem Dei referente collocutum, vt ipsemet alibi testatur Dionysius.

b *NAM QUID DAVIDEM DEI PATREM* &c.) Græcè: τί γὰρ τὸν θεοπάτορα Δαβὶδ ἐποίει θεοφιλῆ; Vocat Dauidem Patrem Dei, propter Christum. Si enim Christus est Deus & Dauid pater Christi; certè Dauid pater est Dei. Ex quo & illud colligitur: Si Dauid pater Dei vocatur propter Christum ex eius semine descendentem: multò magis MARIA vocanda est mater Dei, & verè θεοτόκος propter eundem Christum, non remotè, vti ex Dauide, sed proximè & coniunctissimè suis è sanguinibus procreatū. Respexit porrò Dionysius ad illud Paulli ad Romanos primo, qui ita de se: *Segregatus in euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de FILIO suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.*

c *NEC ENIM SINE RATIONE SANCTA SANCTORUM!* &c.) Appellat SANCTA SANCTORUM, locum in templo aræ maximæ proximum: vbi asseruatur Christus, qui est Sanctus Sanctorum, in venerabili Eucharistia. Hic locus non adibatur, nisi ab Episcopo, Sacerdotibus, & Diaconis seu Ministris, & erat septus quibusdam cancellis. Proximè hos cācellos erat locus CULTORUM siue MONACHORUM: post quos reliquus populus: ad dextram, viri; ad læuam, mulieres: inter has primæ Diaconissæ.

d *NON AD ILLARUM CUSTODIAM* &c.) Græcè: οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν καὶ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν. Dicūtur ergo CULTORES proximi stare valuis adytorum; nō quasi ianitores ad custodiendas valuas, sed propter ordinem, quem ipsi in ecclesia tenent ante reliquum populum, & propter cognitionem sui, vt nimirum se inferiores sacris ordinibus cognoscant, priores autem alijs. Vnde miror Symeonem Metaphrastem in vita sancti Dionysij contrarium scribere. Ita enim de officio Demophili annotauit. τάξις αὕτη παρὰ Διονυσίου καὶ λειτουργία τῷ ἀνδρὶ, ταῖς τοῦ ναοῦ πύλαις ἐφεστάναι. *Ordo hic & ministerium viro illi à Dionysio fuit, templi portis præesse.* Atqui in ecclesia Atheniensi tempore Dionysij, nō Monachorum, sed Diaconorum hoc erat munus. Aliàs & alibi fuit singulare & distinctum officium Ianitorum, seu Ostiariorum in ecclesia ab alijs ministerijs, vt notauimus ad epistolas S. Ignatij Theophori. Obseruauit etiam Maximus ad hunc Dionysij locum, quod de officio Diaconorum diximus, cùm ita scripsit: Διακόνοις γὰρ ἡ φυλακὴ τῶν τῆς ἐκκλησίας πυλῶν ἀφώρισται, ὡς ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ Ἱεραρχίᾳ, ἐν τῷ περὶ τῶν ἱερατικῶν τελειώσεων κεφαλαίῳ φησί. *Diaconis custodia portarum ecclesiæ attributa est, vt in ecclesiastica hierarchia: capite De sacris consecrationibus, ait Dionysius.* Vide ibi caput quintū.

e *SANCTA SANCTORUM CUM POMPA AD TE EFFERRI NEC VOLENTIA COEGISTI.*) Ita Græcè: Ἐκπομπευθῆναί σοι τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἠνάγκασας οὐκ ἐθέλοντα. Videtur Demophilus ab altari curasse deferendam Eucharistiam domum suam, ibíque conseruasse, aut ipsemet deportasse; ne ea indignis daretur: vti indignum putabat illum peccatorem quamuis pœnitentem. Fauet huic interpretationi Maximus ad illa verba: Τὰ ἅγια τῶν ἁγίων συνέσειλας, *Sancta Sanctorum vilipendisti.* Deinde, quòd ipse Demophilus ad Dionysium scripserit, se ea habere & conseruare.

f *QUI IMMOLAT MIHI VITULUM, QUASI QUI OCCIDIT CANEM.*) Græcè apud Dionysium sic: θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ ἀποκτείνων κύνα. Quod accepit è septuaginta Interpretibus, qui totidem verbis sic habent apud Procopium in textu græco. Vnde non inutilis fuerit labor, si quis sacræ scripturæ interpretum perantiquos examinet codices, attendátque, an non hæc sit vera & germana septuaginta Interpretum lectio, reliqua autem ex Hebræo sint addita. Nam vulgata, seu Hieronymi versio sic habet Isaiæ capite sexagesimo sexto, versu tertio: *Qui immolat bouem, quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem.* Quæ sunt obscurissima, vti & illa, quæ sub nomine septuaginta leguntur in Biblijs Regijs: ὁ δὲ ἄνομος ὁ θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ τύπτων ἄνδρα. καὶ ὁ θυσιάζων ἐκ προβάτων, ὡς ἀποκτείνων κύνα: *Iniquus immolans mihi vitulum, quasi percutiens virum: & sacrificans de grege, quasi occidens canem.* Sic vetus interpres Septuaginta. Nota obiter in Regijs deesse articulum

ticulum ὁ ante vocem ἀποκτείνων, qui tamen est in omnibus antiquioribus editionibus, & apud nostrum Dionysium & Procopium. Pro ἄνομος *iniquus*, est in Dionysio ἀσεβὴς, *impius*. Sensus autem Prophetæ & Dionysij est, non placere Deo sacrificium, seu immolationem vituli, si indebito modo fiat, vel si ab eo, cuius non sit facere: perinde enim eum facere, ac si occidat, & sacrificet canem, animal scilicet immundum & impurum & quod auersatur Dominus. Nam sicut hic peccatũ est ex parte rei oblatæ, dum offertur quod non oportet: ita illic ex parte offerentis, cùm is offert, qui non debet, nec potest offerre.

Propterea enim proximè præmiserat Dominus: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos? Qui immolat &c.* Deinde patet ex proximè consequentibus: *Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.* id est, Talia elegerunt mihi facere sacrificia in impietate sua & scelerum abominatione; quæ priùs diluenda erant dolore ac pœnitentia, vt sacrificium fieret gratum & acceptabile.

g *NESCIO QVO PACTO CARISSIMI MEI CONTRITIONEM DEFLEAM*] Græcè: Οὐκ οἶδα, ὅπως κλαύσομαι τὸ σύντριμμα τοῦ ἀγαπητοῦ μου. Vbi σύντριμμα, seu *contritio* vocatur peccatum, quo Diabolus Demophilum quodammodo contriuit & contudit, solóque per eius superbiam & elationem contra superiores suos, afflixit. Ita sæpe accipitur *contritio* in Prophetis & alibi. Prouerb. 16. versu 18. *Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.* Quæ sententia rectè quadrat in Demophilum, & in omnes, qui se aduersus Superiores extollunt.

h *NEQVE SI MILLIES NOBIS PHINEES ET HELIAM REPETAS.*] Hinc colligi potest Demophilum comparasse factum suum cum Phinees & Heliæ zelo: quorum ille Numerorum 25. virum Israelitem & mulierem Madianitidem scortantes aggressus, ambos in ipso peccati actu pugione perfodit: eáque de caussa à Deo laudatus, & Sacerdotij munere honoratus est, tam ipse, quàm filij eius in sempiternum. Hic autem libro tertio Regum cap. 18. Prophetas Baal quadringentos quinquaginta occidit: & libro quarto Regum capite primo, duos Principes quinquagenarios alterum post alterum ad se missos, cum omnibus suis quinquagenis, deuocato igne de cælo exussit. Sperabat igitur Demophilus illorum exemplo, si non mercedẽ, certè laudem sibi obuenturam.

i *IESV ENIM HAEC AVDIENTI NON PLACVERVNT DISCIPVLI* &c.] Vbi autem audiuit hæc Iesus, & à quibus? nempe in Samaria à Iacobo & Ioanne Apostolis, Lucæ nono: *Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes* (Samaritanos scilicet noluisse recipere Christum) *dixerunt: Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

k *QVVM IN CRETAM ALIQVANDO APPVLISSEM* &c.] Exemplum hoc longè aptissimum est atque efficacissimum ad declarandam Dei optimi maximi in homines benignitatem ac misericordiam. Hinc & à plurimis post Dionysium Scriptoribus vsurpatum & insigniter à sanctissimo illo Episcopo FRANCISCO DE SALES, libro decimo, *De amore Dei*, capite decimo quinto, gallicè expressum est. Hoc porrò de eodẽ S. Carpo est obseruatũ dignissimum, quòd qui ante cęlestem illam visionem, vtrumque tam Gẽtilem, quàm apostatam volebat perditũ; post illam ita pro vtroque continuas ad Deum precationes fuderit, vt sua tandem instantia ac perseuerantia & Deum ad miserationem, & illos ad Fidem perduxerit. Vide ipsius B. Carpi Acta apud Equilinum libro nono, capite quinquagesimo sexto.

l *HOSPITIO ME SANCTVS CARPVS EXCEPIT* &c.] Is fuit Paulli Apostoli discipulus longè sanctissimus, à quo exemplum sumi debet diligentis ad sacrificium Deo offerendum præparationis. Ita enim ille se præparabat, ita animum expurgabat, tamdiu attentis ac feruidis ante illud precationibus insistebat, donec cęlesti aliqua visione ad audendum & aggrediendũ tam cæleste ac horrendum sacrificium animaretur. Et sanè nihil est in omni mundo tam magnum, tam regiũ, tam diuinum, & quod tantam exigat curam, tantam postulet diligentiam & sollicitudinẽ, quàm illa Dei tam vicina præsentia, & tam familiaris Domini IESV CHRISTI contrectatio. Portatur enim manibus Sacerdotis ille ipse, qui portat orbem. Huius S. Carpi meminerunt omnia Latinorum Martyrologia, & Græcorum Menæa ac Menologia, quamuis diebus diuersis. Latinorum enim ad decimã tertiam Octobris, Græcorum autem ad vigesimam quintam Maij. Vetus Romanum his verbis: *TROADE, CARPI Apostoli Paulli discipuli.* De illo sic ipse Paullus in posteriore ad Timotheum, capite quarto: *Penulam, quam reliqui Troade apud CARPVM, veniens affer tecum & libros, maximè autem membranas.*

Fuit autem CARPVS primò in CRETA Episcopus, deinde TROADE vrbe Phrygię, Ilio seu Troiæ euersæ proxima. Quòd igitur modò in Creta Dionysium hospitio exceperit, modò Paullus Troade apud eum penulam reliquerit, ad diuersa tempora sunt referenda. Nam fuit ea ętate inter viros Apostolicos, vt alibi sæpius annotaui, frequentissima locorum & regionum mutatio.

m *CVM ERGO II DIES, QVOS HILARIA VOCANT, AGERENTVR.*] HILARIA,

RIA, tam dies festi, quàm sacra ipsa sunt Cybelæ matri Deûm (vt in Alexandro Seuero innuit Lãpridius) cõsecrata. *Kalendis*, inquit, *Ianuarys, & Hilarys matris Deûm &c.* Quod videtur Flauius Vopiscus confirmare in Aureliano, dum sic orditur: *Hilaribus, quibus omnia festa, & fieri debere scimus & dici &c.* Quasi dicat, cùm HILARIA matri Deûm dicata sint, & ab eâ Dij originem acceperint, æquũ est omnia læta & festa in festis matris Deûm fieri, & omnem procul mœrorem amandari. Photius etiã in Bibliothecâ suâ, numero ducentesimo quinquagesimo secundo percurrens scripta Damascij, ita de illo sub medium: Λέγει δὲ ὁ συγγραφεύς, ὅτι τότε τῇ Ἱεραπόλει ἐγκαθευδήσας ἐδόκουν ὄναρ ὁ Ἄττις γενέσθαι, καί μοι ἐπιτελεῖσθαι παρὰ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν τὴν τῶν Ἱλαρείων καλουμένων ἑορτήν. *Dicit hic Scriptor: Tunc Hierapoli cùm indormissem, videbatur in somnis adesse Attis; & ex nomine Matris Deûm mihi imperare festum, quod HILARIA appellant.* Ita ibi. Horum Hilariorum dies in Calendario Gentilium Romanorum, octauo Calendas Aprilis est adscriptus. De quo Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 21. sic scribit: *Præcipuam autem Solis in his cærimonys veri rationem, hinc etiam potest intelligi: quod ritu eorũ* καταβάσει *finita, simulationéque luctus peracta celebratur lætitiæ exordium, ad octauum Calendas Aprilis, quem diem HILARIA appellant: quo primùm tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Loquitur autem Macrobius de sacris, quæ Phryges in honorem Cybeles & Attinis celebrabant.

Itaque verba ista: *Cùm adhuc Hilaria agerentur:* videntur insinuare Christianum à viro Gentili tum temporis abductum fuisse ad illa profana & execranda sacra, Carpum verò id rescientem ad impatientiam redactũ petijsse à Deo, vt vtrumque in medijs illis sacris, terrâ eos absorbente, disperderet.

S. Maximus in epistolâ Dionysij ad Demophilum nõnulla habet de hisce Hilaribus; itemque ex illo Pachymeras. Et quia in illis aliqua doctrina est, diuersaque distinguuntur Hilaria, proferam hîc quæ habet idem Maximus, sed latinè dumtaxat, breuitatis gratia. *Erant apud idololatras, inquit, dies quidam, quos Hilarium nomine vocabant: & aly quidem priuati, vt cùm quis vxorem duxisset, aut filium ex ea suscepisset: aly verò communes & publici, vt cùm Rex primùm inauguratus publica Hilaria præberet: nec lugubria gestare ys diebus licebat, sed spectacula & sacrificia publica quotidie fiebant, & qui in luctu alioquin erant, eum deponebant, & spectaculis intererant, & destinatos ys Hilaribus dies continuis in epulis transigebant. Erant autem & Hilaria, dies festus Romanorum proprius in honorem Matris Deorum suorum, [aut potius dæmonum] vt ait Demophilus in libro De sacrificys & festis diebus apud priscos.*

De pompa ijsdem Hilaribus apud Romanos fieri solita scribit Herodianus lib. primo, dum refert Maternum militem, ex duce latronum affectantem imperium, cogitasse ex occasione Hilariûm occidere Commodum Imperatorem. Verba eius hæc sunt: Ἦρος ἀρχῇ ἑκάστου ἔτους ὡρισμένης ἡμέρας μητρὶ θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι. &c. Breuitatis ergo latinam tantum Angeli Politiani interpretionem in medio ponam, quæ sic habet: *Veris initio quotannis, stato solemnique die, pompam Matri Deûm Romani celebrant. In ea, quæ apud quemque sunt diuitiarum præcipua, supelléxque pleraque Imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent, passimque omnibus quouis modo ludendi licentia permissa, sic vt personas induant, quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repræsentent: sic vt non facilè a falsis veros dignoscas. Putauit hoc Maternus idoneum celandis insidys tempus, ratus fore, vt si personam stipatoris alicuius indueret, suósque ad eandem similitudinem armis ornaret, ac se hastatis immiscerent, sic vt pars esse comitatus imperatory crederentur, nullo videlicet præcauente, repente impetu facto COMMODVM obtruncarent.* Et paullo inferiùs: *Quæ autem ratio sit, cur huic Deæ tantum honorem Romani habeant, non alienum videtur, quantum ex historia accepimus, commemorare: præsertim cùm ea res plerisque Græcorum ignota esse videatur: Ipsum igitur simulacrum cælitus, vt aiunt, demissum, neque ex qua sit materia, neque à quo fabricatum artifice, satis constat: neque planè manibus hominum creditur factum. Hoc igitur decidisse cælitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Pesinunti à casu eius simulacri factum putant. Ibi enim à principio comparuisse.* Vide ibi reliqua. Nolo enim in his esse longior.

CAPVT IX.

a AGitur in hoc capite de S. Dionysij excursionibus in Achaiam, Phrygiam, vicinasque regiones, ac denique de eius ad Paullum Romæ conueniendum profectione in Italiam.

b *NVNC AVTEM SVB ANNVM DOMINI SEXAGESIMVM SECVNDVM.* &c.) Hic annus apud Eusebium in Chronico, & apud alios concurrit cum Neronis sexto, cuius toto fere tempore imperij, & aliquanto etiam ante illud S. Petrus Romanum tenebat Episcopatum. Quippe secundo anno Claudij illuc profectus fuerat eodem auctore Eusebio.

c *PAVLLVS IN GALLIAM DEMIGRARAT*) Nam profecturus in Hispaniam per Galliam transiuit, & ecclesias per transennam visitauit, firmauitque, Nam & Viennæ fuisse creditur & Arelatæ & Narbone:

bone: ac Viennæ quidem Crescentem præfecisse Episcopum, Arelatæ Trophimum, Narbone Paullum Sergium olim Proconsulem. De Crescente & Trophimo, vide Adonem in chronico ætate sexta: de Paullo Sergio, martyrologium Romanum ad 22. Martij.

d *TOTVSQVE (QVOD IAM DIV PROPOSVERAT) IN HISPANIAS FEREBATVR*] De proposito illius itineris & retardatione extat ipsiusmet Paulli testimonium in epistola ad Romanos, capite decimo quinto his verbis: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero* inquit, *spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Vti ergo per Italiam transiens, voluit Romanis *ex parte frui*, hoc est, aliquamdiu apud illos versari, quamuis ibi esset Petrus Apostolorum coryphæus: multò magis per Galliam iter faciens in Hispaniam, voluit tempus aliquod apud Gallos ponere, vbi vsus & necessitas erat maior, præsertim inuitantibus (vt minimè dubium est) nouis Christianis.

Non est enim dubitandum, quin S. Paullus vinculis, quibus Romæ à Nerone detinebatur, exolutus in Hispaniam profectus sit. Si quis tamen dubitet, dubio eum liberabit FRANCISCVS BIVARIVS quæstionis huius diligens & exactus pertractator. Videatur eius commentarius in Lucij Dextri chronicum, ad annum Christi sexagesimum quartum, numero quarto.

e *ANDREAS QVIDEM E SCYTHIA SVA EVROPAEA* &c.] Acta S. Andreæ breuiter expressa sunt in Romano Breuiario, vnde ea, quæ hic diximus, confirmantur.

f *NE POST EORVM DISCESSIONEM VENIRENT LVPI RAPACES.* &c.) De hoc præmonuerat Paullus, Mileti cùm esset, maiores natu ecclesiæ, qui Ephesο ad eum conuocati venerant. Nam inter alia, *Ego scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi* &c. Neque hoc Dionysium latebat, proptereaque obuiam eiusmodi lupis pro FIDEI defensione occurrebat.

g *IN PHRYGIAM VSQVE PERVASIT*) Fuisse in Phrygia, & quidem Troade aliquamdiu substitisse testes sunt antiqui vitæ S. Dionysij Scriptores, Hilduinus & alij.

h *ET FABVLOSAE ILLIVS CYBELES SEV MATRIS DEVM.*) Miræ sunt de Cybele ista fabulæ. Orpheus eam appellat omnium matrem, tam Deûm, quàm hominum & quarumlibet rerum, in istis versibus:

Μῆτερ μὲν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ πόντος, πνοιαί τε, φιλόδρομε, ἀερόμορφε.
&c.

Mater Diuorum pariter materque virorum,
Ex te terra parens frugum, cælumque profundum,
Et mare cum ventis veloci percita cursu.
&c.

Hæc Cybele plurimis appellata est nominibus: quæ vide apud Natalem Comitem libro 9. Mythologiæ, cap. 5. Eam porro nihil aliud fuisse, quàm Terrã, & quod omnia quæ illi à Poëtis attributa sunt, in Terram quadrent, egregiè ostendit Lucretius Carus, libro 2. *De rerum natura*, in illis versibus & deinceps.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poetæ,
Sublimem in curru biiugos agitare leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem: neque posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras: quia quamuis effera proles
Officijs debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere corona:
Eximijs munita locis quia sustinet vrbes.

Vide ibidem plura, & apud Diodorum Siculum lib. 3. bibliothecæ, & apud Macrobium libro 1. Saturnaliorum, cap. 21. & eiusdẽ Deæ depictum simulacrum sedentis in curru à leonibus vecto, & tenentis vna manu sceptrum altera clauem &c. apud Vincentium Cartarum Rhegiẽsem, & apud Antonium du Verdier in libro inscripto, *Les images des Dieux des anciens* &c.

Quum igitur Phryges terram sub nomine Cybeles, vt Deam colerent, miráque superstitione cùm tympanis & tibijs eius festum diem celebrarent, laborauit S. Dionysius, vt eos ab istius falsæ Deæ idololatria, ad verum vnius Dei cultum per sancti Euangelij prædicationem perduceret.

i *IAM INTER LACEDAEMONIOS VERSABATVR.*) Occupatus erat S. Dionysius in conuertendis Laconibus, cùm nunciũ accepit de comprehensione principum Apostolorum Petri & Paulli. Igitur magno illorum ante extremum certamen videndorum & conueniẽdorum desiderio citissimè Athenas reuersus, & dispositis inibi ecclesiæ rebus, iter Romam versus suscepit. Ita testantur vetera S. Dionysij Acta.

k *PVBLIVM, QVI DEINCEPS GREGI PRAEESSET, IN LOCVM SVBROGAVIT.*) De Publij post Dionysium in Atheniensi ecclesia successione testis est antiquissimus auctor, S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium, libro quarto hist. eccl. cap. 22.

l ROMAM SOCIIS ALIQVOT COMITATVS PROPERAVIT.) De hoc Romam aduentu post Aposto-

Apostolorum necem, tenente clauum Ecclesiæ S. Clemente, cuncti ferè antiquiores consentiunt Latini & Græci.

m HABEMVS ENIM CERTVM ET CLARVM EIVS REI TESTIMONIVM] Nempe in epistola ipsius Dionysij ad S. Ioannem Euangelistam, vbi visum suum de regressu eius ab exilio aperit.

n QVI ET IPSVM SEPVLTVRÆ MANDARVNT.] Titum & Lucã Paulli comites adfuisse eius martyrio, & præfuisse sepulturæ colligitur ex Actis martyrij ipsius Titi apud Equilinũ, lib. 7. catal. c. 108. vbi sic inter alias *Post duos autem annos Titus ad Paullum Romam accessit: cum quo & fuit vsque ad interfectionem eius à Nerone: corpusque ipsius vnà cum Luca Euangelista sepeliuit.* Et ex Actis Paulli apud eũdem lib. 6. cap. 23. *Corpus autem à Tito & Luca in ipso loco sepultum fuit.*

o QVEM PLERIQVE LATINORVM PETRO PROXIMVM PONTIFICEM STATVVNT.] Sic ferè loquitur S. Hieronymus in libro de illustribus ecclesiæ Scriptoribus cap. 15. vbi postquã ex Eusebij sententia (cuius in hoc libro interpres est) Clementẽ in Pontificibus quartum recensuisset, hoc est, post PETRVM, LINVM & ANACLETVM, subiecit hæc verba: *Tametsi plerique Latinorum secundum post PETRVM Apostolum, putent fuisse CLEMENTEM.* Dux igitur Latinorũ in hac sentẽtia est Tertullianus secundi sæculi Scriptor (nec enim è Latinis est antiquior) qui in libro de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. XXXII. vbi ab illis requirit, vt ostendant successionem suam ab Apostolis, *Edant ergo*, inquit, *origines ecclesiarũ suarum: euoluãt ordinem Episcoporũ suorum ita per successiones ab initio decurrentẽ, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, (qui tamen cum Apostolis perseuerauerunt) habuerit auctorẽ & antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ cẽsus suos deferunt. Sicut Smyrnæorũ ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatũ refert: sicut Romanorum, CLEMENTEM à PETRO ordinatũ edit.* Hũc sequitur Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianũ, ante medium: *Ad hos*, inquit, *& CLEMENS successor Apostoli PETRI, cuius Paullus Apostolus meminit, scribit epistolas* &c. Et lib. 14. in Esaiã, c. 52. sub finẽ, citans verba ipsius Clementis ad Corinthios, de Christo humili, *De quo*, inquit, *& CLEMENS vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Iesus Christus non venit in iactantia superbiæ, cum possit omnia, sed in humilitate* &c.

Accedit eidẽ sententiæ V. Beda, lib. 2. histor. Anglorũ. cap. 4. vbi agens de Augustino Britanniarum Archiepiscopo, qui sibi successorem adhuc viuens ordinauit: *In quo & exemplum sequebatur*, inquit, *primi Pastoris ecclesiæ, hoc est, beatissimi Apostolorũ Principis Petri, qui fundata Romæ ecclesia Christi, CLEMENTEM sibi adiutorem euangelizandi simul & successorem consecrasse perhibetur.*

Vide Baronium tomo 1. annal. ad Christi 69. vbi tamen non admittendũ, quod dicit & putat magis exactè & ex sua sententia loqui Hieronymũ, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, quàm alibi. Nam constat eum nihil aliud habuisse propositum in libro de Scriptoribus, quàm vt Scriptores ecclesiasticos ex Eusebio colligeret, & qui post eum fuerunt, adderet, cũ sæpe verbo tenus ex eo capita integra habeat. Vnde illic non ex sua, sed ex Eusebij loquitur sententia. Neque itẽ valet auctoritas è carminibus attributis Tertulliano, cùm satis ex ipso Tertulliano, lib. 1. cõtra Marcionẽ cõstet nihil ipsum metro scripsisse contra illũ: & 4. libros illos Carminũ aduersus Marcionem, qui prorsus ignoti veteribus fuerunt, & recẽter à Pamelio inuenti, scriptos esse ab aliquo simio Tertulliani, non à Tertulliano, vt alibi doceo fusiùs.

Accedit & HVGO de sancto Victore, in mystica Arcæ Noë descriptione, cap. 4. *Post Petrum*, inquit, *sequitur Clemens, Anacletus, Euaristus*, &c. In eadem sententia est Marianus Scotus ad annum Neronis 14. pro qua etiam citat Leonis II. Papæ decretalem.

Antiqui etiam vitæ S. Dionysij Scriptores indicãt eum venisse ad CLEMENTEM PETRI proximum successorem, S. Methodius, Simeõ Metaphrastes, Hilduinus, & alij. Verba Methodij sunt: Ὅμως πρὸ τοῦ τὸν μακάριον Πέτρον διὰ τῆς ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ συνδιαγωγῆς τῷ μακαρίῳ Κλήμεντι τὴν ἐξουσίαν τῆς ἐκκλησίας παρέθετο λέγων· Ὥσπερ παρὰ τοῦ κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ λύσαι καὶ δῆσαι ἐμοὶ δεδώρηται ἐξουσία, οὕτω καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν αἰωνίως δωροῦμαί σοι καὶ δίδωμι, ἵνα ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Verumtamen antequam beatus PETRVS victoria martyrij vitam regni cælestis adeptus esset, beato CLEMENTI ecclesiæ tribuit potestatem his verbis: Quemadmodum mihi à Domino meo IESV CHRISTO ligandi atque soluendi potestas concessa est: sic eandem quoque potestatem tibi in æternum tribuo atque trado, vt quemcunque in terra ligaueris, sit ligatus & in cælis.*

Et paullo pòst, ita de Dionysio: Εἰσελθὼν δὲ καὶ εὑρὼν τὸν μακάριον Κλήμεντα, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, τὴν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἔχοντα ἐξουσίαν, μετὰ τῆς καθηκούσης τιμῆς ἐνθέως, ὡς οἷόν τε ἦν ὑποδέδεκται &c. *Ingressus verò Romam Dionysius, cùm inuenisset beatum CLEMENTEM, vt superiùs dictum est, tenentem sedis Apostolicæ potestatem, ab eo statim cum honore conuenienti, vt facultas fuit, exceptus est.* &c. Vbi indicat venisse Romam Dionysium CLEMENTE recenter post Petri mortem Pontifice: in sequentibus autem persequitur, quomodo sit ab eodem Clemente in Galliam missus & quibuscum socijs. Idem docet & Metaphrastes, dum scribit paullo post reditum ab Hierosolymitano

conuentu relictis Athenis, Magistri Paulli vestigia secutum tandem venisse Romam, & accessisse ad CLEMENTEM tunc Pontificem à PETRO creatum. Ex quibus & ex multis alijs colligitur minus videri probabile, quod Baronius existimauit Dionysium venisse primùm Romam annis triginta circiter post mortem S. Petri, hoc est, postquam ad Ioannem Euangelistam ab exilio reuersum accessisset. Reuersus est autem Ioannes sub Nerua, qui cœpit regnare anno Christi 99. vt ipsemet notat Baronius. Esto igitur. Iuerit illo anno Dionysius ad Ioannem, & eodem aut sequenti, hoc est, centesimo Christi, Athenas redierit, & Athenis Romam ad Clementem accesserit: nonne à morte Petri, quam statuit idem Baronius anno Christi 69. continentur vsque ad 99. Christi, quo Romam Dionysius venerit, anni triginta aut amplius. Hoc verò miror, scripsisse eum in anno Christi 98. ad finem, hæc verba: *Ad hæc tempora Dionysium egisse in Oriente facile omnes consentiunt*. Atqui vix est reperire vnum atque alterum Scriptorem vitæ S. Dionysij antiquiorem Baronio, qui id teneat. Multi enim scribunt mortuum Dionysium sub Domitiano, ante Neruæ tempora, de quibus loquitur ibi Baronius. Non est quidem vera illorum sententia, quantum ad tempus mortis pertinet, vt ostendimus suprà, partim è vetustis martyrologijs, partim ex ipsis Dionysij scriptis, sed sanè vera est in eo, quod teneant eum à morte Apostolorũ Petri & Paulli statim venisse Romam ad Clementem à Petro constitutum Episcopum: quamuis, vt diximus, non multo tunc tempore Clemens Romæ hæserit, sed relicta Lino prasede Pontificia aliò demigrarit. Martyrologia autem, quæ Dionysij mortem sub Hadriano ponunt, minimè dicunt Dionysium vsque ad Neruam aut Traianum mansisse in Oriente. Iuisse quidem in Orientem fateor & scribo, sed è Gallia (vbi iam à temporibus Domitiani erat) non Athenis; nisi fortè per transennã (quod tamen non arbitror) sed ex Gallia recto itinere properasse Ephesum, vt ibi Ioannem imperante iam Nerua conueniret: inde autem per Athenas repetijsse Galliam. Hæc autem nostra sententia magis infrà dilucescet atque firmabitur, vt cap. proximo, in testimonio EQVILINI Episcopi, & rursus in verbis FLAVII DEXTRI, ibidem, & iterum paullo pòst in Actis S. Eutropij.

CAPVT X.

a HIc describitur S. Dionysij in Galliam, missu Clementis Pontificis, profectio.

b *AD SE IGITVR ACCERSITVM* &c.] His conformia perscripsit Hilduinus in Areopagiticis.

c *ERANT IN SOCIORVM NVMERO* &c.] De Rustico & Eleutherio Scriptores omnes tam Græci, quàm Latini consentiunt. De Saturnino, Marcello, & Luciano testis est Methodius in Dionysij martyrio; cuius hæc verba: Κοινωνοὶ δὲ τοῦ ἁγίου Διονυσίου ἦσαν Σατουρνῖνος, Μάρκελλος καὶ Λουκιανός. *Socij sancti Dionysij erãt Saturninus, Marcellus, & Lucianus*. Et paullo inferiùs: Ἀκουϊτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Σατουρνῖνον ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστικῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη. *Misso autem in partes AQVITANIÆ SATVRNINO, ipse cum sancto Luciano & sancto Rustico & sancto Eleutherio ad vrbem Parisios venit*. Eiusdem SATVRNINI meminit S. Gregorius Turonensis libro 1. de gloria MARTYRVM cap. 48. *SATVRNINVS verò martyr*, inquit, *vt fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus in vrbem Tolosatium est directus*. Sic ille.

NOTA. Ab Apostolorum discipulis, id est, à CLEMENTE vel DIONYSIO. Quod autẽ dicit directum esse in vrbem TOLOSATIVM, siue TOLOSAM, optimè quadrat cum eo, quod dixit METHODIVS missũ à DIONYSIO in partes AQVITANIÆ. Nã TOLOSA & BVRDIGALA præcipuæ vrbes sunt Aquitaniæ. His consentiunt quæ refert EQVILINVS Episcopus libro 9. ca. 41. his verbis, loquens de DIONYSIO & socijs. *Cùm ergo audisset Petrum & Paullum Romæ à Nerone in carceribus detineri, Episcopum sibi substituit, & ad eos visitandos accessit, eorumque passionibus præsens fuit. Verùm post aliquod tempus à B. CLEMENTE PETRI successore in Franciam destinatur, & ipsi Rusticus Presbyter & Eleutherius Diaconus sociantur. Sancti quoque SATVRNINVS & MARCELLVS Episcopi, & LVCIANVS Presbyter comites adiunguntur. Qui omnes venientes Arelatum verbum Domini prædicare cœperunt. Tunc Dionysius auctoritate summi Pontificis fretus MARCELLVM in Hispaniã, SATVRNINVM in Aquitaniam, & LVCIANVM ad Bellouacensem pagum direxit*. Vbi aduerte dici Dionysium à CLEMENTE PETRI SVCCESSORE in Franciam destinatum: & Apostolorum martyrijs interfuisse, quod ostendit saltem proximè ab eorum martyrio Romæ ipsum extitisse. Nam seriùs & post eorum mortem aduenisse ex antiquioribus habet Hilduinus EQVILINO longè vetustior.

Ex dictis corrigendus est Gregorius Turõ. lib. 1. Historiæ FRANCORVM, cap. 30. vbi dicit SATVRNINVM sub Decio & Grato coss. fuisse TOLOSÆ Episcopum: vnde & in martyrologium Romanum nouum (nam vetus nihil habet, & in Vsuardo deest SVB DECIO) irrepsisse error videtur ad vicesimam nonam Nouembris. Nec enim potuit idem SATVRNINVS fuisse S. Petri discipulus, & accepisse sedẽ episcopalẽ Tolosę sub Decio. Nã Decius tertio demũ sæculo imperauit & Consul fuit. Verũ, vt notaui suprà quæst. 1. non tantùm in Saturnino errauit Gregorius illo loco (qui locus totus viciosus est) sed etiam in S. Trophimo Arelatensi Episcopo, in Paullo Narbonensi,

bonensi, & Dionysio Areopagita, omnibus Paulli discipulis, & in S. Martiale Lemouicēsi, quos omnes scribit fuisse sub Decio. At SATVRNINVM, quo de hîc agitur, fuisse S. Petri discipulū etiam FLAVIVS LVCIVS DEXTER, S. Hieronymi æqualis testatur ad annum Christi 76. & plurimi alij, quos vide ad eum locum in commentario FRANCISCI BIVARII, qui germana ipsius SATVRNINI acta M. S. in Roderici Ximenij Episcopi Toletani bibliotheca asseruari profitetur, & in his ita legi: *Bonus est HONESTVS SATVRNINI discipulus: melior est SATVRNINVS PETRI alumnus: quia optimus omnium CHRISTVS PETRI didascalus.* Sunt tamen nonnulli è recentioribus, & ij præsertim, qui sine vllo examine morum exempla compilāt, qui eos ausi sunt corrigere, qui SATVRNINVM primo aut secundo ponerent sæculo.

d *REGVLVS*] Etiam Regulum fuisse S. Dionysij comitem, habent eius Acta apud Vincētium Bellouacensem libro X. cap. XXVII. De illo & eius Arelatensi Episcopatu agemus cap. sequenti.

e *ION QVI ET IONAS QVIBVSDAM APPELLATVR.*] Hic quoque vnus fuit è Dionysij discipulis & comitibus, tam Athenis Romam, quàm Roma in Galliam. Quod Athenis Romam, Acta ipsius Iōnis testantur apud Vincentium Bellouacensem libro X. speculi histor. cap. XXIII. Quod Roma in Galliam, testis est Martyrologium Rom. ad 22. Septembris, hisce verbis: *Apud pagum Castrensium, sancti Iona Presbyteri & martyris, qui cùm S. Dionysio profectus in Galliam iussu Iuliani Præfecti verberibus cæsus gladio martyrium consummauit.*

Vbi NOTA in illis verbis, *Apud pagum Castrensium*, intelligi, *celebratur dies natalis*, (sicut in similibus alibi notauimus) non verò, *obijt*, aut *passus est martyrium*. Alioqui martyrologium scateret mendacijs. Nec enim S. Ignatius martyr, Antiochiæ mortuus est, nec S. Ioānes Chrysostomus Constantinopoli, sicq; de alijs; sed ille Romæ, & hic Comanæ in Ponto, cùm tamen de ambobus scribatur in martyrologio, de vno quidem: *Antiochiæ S. Ignatij.* &c. de altero autem: *Constantinopoli S. Ioannis Episcopi*, &c.

Occisus est autem Iōn seu Ionas apud Parisios, & caput recisum tulit vsque ad montē, qui in eius memoriam vocatus est *Mons Sancti Iōnis*, vulgo, *Le mont Sainct Iōn.*

Quod autem in martyrologio est: *Apud pagum Castrensium*, dicunt Galli, *A CHASTRES sous Montleheri.* Franciscus tamen Biuarius putat per ea verba, significari *Castra-Cæcilia* in Lusitania, sicque intelligendum quod Flauius Dexter notat ad annū Christi 86. *CASTRIS-CAECILIIS in Lusitania prædicat S. Ionas discipulus S. Dionysij Areopagitæ, & ad Gallias pòst reuertitur.* Fateor quidē ego vtrobique prædicasse S. Iōnem, sed tamen verba martyrologij magis facere pro Gallis. Aduerte etiam ex his DEXTRI verbis nostram confirmari sententiam de Dionysij profectione in Galliam longè ante tempora Neruæ Imp. Nam si Ionas, (qui cùm Dionysio Athenis Romam & Roma profectus est in Galliam) ante annum Christi 86. profectus erat è Gallia in Lusitaniam, ibique euangelium prędicabat; certè consequitur & Dionysium multo antè Christi 86. venisse cum illo in Galliam: non igitur (quod volebat Baronius) sub Nerua, siue anno Christi 99. venit demū in Galliam Dionysius.

f *SED DESPERATO OPERAE PRECIO EXCESSERAT EVTROPIVS.*) Extant huius S. Eutropij Acta apud Equilinum Episcopum lib. 4. cap. 105. & quædā apud Gregorium Turonensem lib. 1. De gloria martyrum, cap. 56. *Eutropius quoque martyr Sātonicæ vrbis*, inquit, *à beato CLEMENTE Episcopo fertur directus in Gallias. Ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratia consecratus est: impletéque huius officij, ordine, peracta in incredulis prædicatione, insurgentibus paganis, quos auctor inuidiæ credere non permisit, illiso capite victor occubuit.* Vide ibidem de eius apparitione, & agnitione martyrij, ipsomet S. Eutropio reuelante. Fuisse autem Dionysio comitē itineris, clarè huius Acta declarant: vbi inter alia sic de illo: *A B. Petro Apostolo ad Gallias prædicatum missus accessit: ingressúsque ciuitatem Sātonas cùm Christum prædicaret, ab infidelibus cæsus & de vrbe eiectus sibi tugurium extra muros construxit, vbi noctibus orationi, diebus verò prædicationi insistebat. Cùm autem multo ibidem tempore commoratus fructum modicum prædicationis fecisset, eo quòd decem viros solummodo conuertisset, Romam repedans beatum Petrum Apostolum passum reperit: & à sancto CLEMENTE eius successore ordinatus Santonensis Episcopus beatóque Dionysio sociatus, cum eodem iterum ad Gallias adijt.* Vbi rursus obserua Eutropium statim à morte Petri Romam aduenisse, & à S. CLEMENTE eius successore ordinatum Episcopum cùm Dionysio Gallias adijsse: ita vt non multo post ab excessu Apostolorū Dionysius missus sit in Gallias, nedū triginta pòst annis, vt quidam volunt.

g *INDE TOT PERTÆSVS MOLESTIARVM* &c.) Est in eius Actis præter alias molestias, etiam verberibus fuisse affectum atque vrbe pulsum. Sed hoc quidem parui Eutropius ducebat, si fructus saltem in multorū salute paruisset. At vero viros tantùm decē in fructibus tantorum laborum numerari, hoc intolerabile ipsi videbatur. Haud tamen rectè, vti & B. Clemens ei planum fecit, & simili in re nonnunquam S. PETRVS Apostolus (licet aliquot post sæculis) S. LAVRENTIO Britanniarum Archiepiscopo non tam verbis quàm verberibus ostendit. Nam cùm sub annum

num Domini ſexcenteſimum, decimumquartum, Eadbaldi Regis Cantuariorum FIDEI Chriſtianæ aduerſantis, & caſtimoniæ leges adeo peſſundantis, vt vxorem patris ſui duceret, impios ac peruerſos mores pertæſus, ſtatuiſſet Britannias deſerere (habito enim cum Epiſcopis Mellito & Iuſto ſuper ea re colloquio, decretum fuerat communi conſilio ſatius eſſe, *vt omnes in patriam redeuntes libera ibi mente Domino deſeruirent, quàm inter rebelles FIDEI Barbaros ſine fructu reſiderent*) apparente illi S. Petro & grauiſſimis verbis deterrente, immo & grauioribus flagellis eam voluntatem puniẽte, diſceſſit à propoſito, nec Mellitum & Iuſtum, qui iam diſceſſerant, atque in Galliam tranſierant, eſt ſecutus. Sed dignũ eſt exemplum, quod integrum ipſis Venerabilis Bedæ verbis referatur. Sic igitur habet libro 2. hiſt. Angl. cap. 6. *Cùm verò LAVRENTIVS Mellitum Iuſtumque ſecuturus ac Britanniam eſſet relicturus, iuſſit ipſa ſibi nocte in eccleſia beatorum Apoſtolorum PETRI & PAVLLI, de qua frequenter iam diximus, ſtratum parari: in quo cùm poſt multas preces ac lachrymas ad Deum pro ſtatu eccleſiæ fuſas ad quieſcendum membra poſuiſſet atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum princeps & multo illum tempore ſecretæ noctis flagellis acrioribus afficiens ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione: quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret? Vel cui Paſtorum oues CHRISTI in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem, mortem autem crucis ab infidelibus & inimicis Chriſti ipſe cum Chriſto coronandus pertuli? His beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti LAVRENTIVS mox mane facto venit ad Regem, & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multùm miratus, & inquirens quis tanto viro tales eſſet auſus plagas infligere: vt audiuit quia cauſſa ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagáſque paſſus, extimuit multùm, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo ſuſcepit FIDEM CHRISTI, & baptizatus eccleſiæ rebus, quantum valuit, in omnibus conſulere ac fauere curauit. Miſit etiam in Galliam, & reuocauit MELLITVM & IVSTVM, eóſque ad ſuas eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. Qui poſt annum, ex quo abierant, reuerſi ſunt.* Hactenus Venerabilis Beda. Ex his & illud patet, vigilare etiamnũ pro ſua & Chriſti eccleſia ſanctũ PETRVM Apoſtolorum coryphæũ, nec in cælo eius curã negligere, pro qua in terris ſanguinẽ & vitã profudit.

h QVAM VERO VRBEM PRIMO SVBIVERE, AIVNT FVISSE ARELATEN] Ita Methodius: Τούτων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων καὶ πορευομένων ἦλθον εἰς λιμένα Ἀειλαδίτης πόλεως. *Ipſi autem cùm vnà conueniſſent & profecti eſſent, peruenerunt ad portum vrbis Arelates.* Idem ſcribit & Hilduinus in vita S. Dionyſij. Suſpicor erratum eſſe in Ἀειλαδίτης, & ſcribendem potius Ἀειλατικῆς *Arelatenſis*. Vrbs ipſa Straboni libro 4. Geographiæ vocatur plurali numero Ἀρελάται. Eius verba: Πρὸς δὲ τῷ ῥοδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπορεῖον οὐ μικρὸν Ἀρελάται. *Adiacet Rhodano oppidum emporiúmque non paruum, Arelate.* Ptolemęus lib. 2. geographiæ cap. 10. in deſcriptione Narbonenſis Galliæ, Ἀρελᾶτον Κόλωνια, inquit, Arelatum Colonia. Plinius libro 2. hiſt. nat. cap. 4. vocat Arelatẽ, *Coloniam Sextanorum*. hoc eſt, ad quam habitandam miſſi ſunt milites ſextæ legionis. Cũ quo concordat Pomponius Mela lib. 2. *De ſitu orbis*, cap. V. vbi vrbes Galliæ Narbonenſis præcipuas ſic recenſet:

Vrbium, quas habet, opulentiſsimæ ſunt Vaſio Vocontiorum, Vienna Allobrogum, Auenio Cauarum, Arecomicorum Nemauſus, Toloſa Tectoſagum, Secundanorum Arauſio, Sextanorum Arelata, Septimanorúmque Blitera. Sed anteſtat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia: vnde olim ijs terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus eſt, MARTIVS NARBO. Quibuſdam Arelas nuncupatur. Itaque Arelas, ſeu Arelate, ſeu Arelatum, ſeu etiam Arelatę plurali numero, (vt Pomponius Mela & quidam Greci ſcribunt) inſignis eſt & antiqua ciuitas Galliæ Narbonenſis, & Romanorũ colonia ad Rhodanum ſita, & Maſſiliæ atque Auenioni finitima, Archiepiſcopali ſede honorata: in qua S. Trophimus Paulli diſcipulus primò ſedit: deinde S. Regulus, alijque in Sanctorum albo aſcripti, Gallicè *Arles* etiamnum vocatur. Sed dignum hic annotatu, quod Robertus Gaguinus libro 9. hiſtoriæ Francorum, tã de nomine Arelates, quàm de S. Trophimo ſe ab antiquioribus deſumpſiſſe profitetur: nempe Arelaten à priſcis ARAM LATAM teſte GERVASIO dictam eſſe. Siquidẽ duæ columnæ olim erectæ inibi erant, iiſque ara ſuperpoſita, vbi quotannis ad Kalẽdas Maias frequens vndique populus pro ſua ſoſpitate humanis hoſtijs litabat. Quam in rem ternos iuuenes ære publico emptos, totúmque annũ bene ſaginatos ad eam aram certa, conſtitutaque die immolabant: móxque immolatorũ ſanguine vniuerſam circumſtantem turbam conſpergebant. Quam ſæuam impietatem S. TROPHIMVS Chriſti Paullique diſcipulus, iſtuc FIDEI diſſeminandæ cauſſa profectus exterminaſſe fertur; docuiſſeque ad veram animæ corporiſque incolumitatem acquirendam, non alio illos quàm Chriſti ſanguine eſſe reſpergendos.

Facit his fidem, quod Cæſar ipſe libro 6. *de bello Gallico*, de cruentis Gallorum ſacrificijs ſcribit: *Natio eſt omnis Gallorum*, inquit, *admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſſam qui ſunt affecti grauioribus morbis, quiq́ in prælijs periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant,*

molant, aut se immolaturos vouent, administrísque ad ea sacrificia Druidibus vtuntur: quòd pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur: publicéque eius generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent: quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent: quibus succensis circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut in aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Dijs immortalibus esse arbitrantur. Sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Sic ibi. Vide & Tullium in oratione pro M. Fonteio sub finē, & Pomponium Melam lib. 3. cap. 2.

i SED QVEM MILETI POSTEA INFIRMVM SE RELIQVISSE SCRIBEBAT &c.] Verba S. Paulli in posteriore ad Timotheum epistola cap. 4. versu 20. sunt hæc: *Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Scribebat autem hæc Paullus paullo ante martyrium, & postquam in eadem extrema epistola scripserat: *Ego enim iam delibor & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire citò.*

Ex quibus colligitur S. Paullum accepisse diuinitus breui spacio instare sibi mortem, ac propterea adesse sibi voluisse Timotheum, & vltima mandata accepturum, & certaminis testem futurum. Acceperat autem & Petrus tam euangelij quàm martyrij eâdem in vrbe collega: quandoquidem in sua quoque posteriore epistola scripserit cap. 1. versu 13. *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei: secundùm quod & Dominus noster IESVS Christus significauit mihi.* Sic ambo, quod prædixerant, simul eodem anno, mense, & die consecuti sunt.

Itaque Trophimum, quem paullo pòst subiturus martyrium scribebat se reliquisse infirmum MILETI (est autem MILETVS Asiæ vrbs Cariæ & Ioniæ finitima) probabile est tunc inibi vitam reliquisse, præsertim quòd nulla post hæc tempora eius mentio, & S. Regulus haud ita multo pòst creatus fuerit à Dionysio Arelatæ Episcopus.

CAPVT XI.

a IN hoc capite describitur Dionysij & sociorum in vrbem Arelaten appulsus, & quæ inibi gesta.

b SATVRNINO AQVITANIAM &c.] De Saturnino & alijs in diuersa ab Dionysio dimissis, partim capite præcedēti dictū est, partim proprio & singulari capite infrà dicetur.

c AT VERO MARCELLVM, QVEM ET EVGENIVM NONNVLLI VOCANT.) De Marcello hoc, & idémne sit cū Eugenio Toletano, disputaui suprà, quæstione 3.

d IN QVO MARTIS STATVA &c.) Inter alios Deos cultum fuisse etiam à Gallis Martem, præcedenti cap. notauimus è Cæsare. De disiecta autem & distracta à Dionysio eius statua, habetur in Actis S. REGVLI, apud Vincentium Bellouacensem lib. 10. hist. cap. 27.

CAPVT XII.

AGitur hoc cap. de profectione ad Parisios, & de Episcopatus ibidem fundatione.

a PARISII HAC IPSA QVA DE AGIMVS ÆTATE &c.) PARISIOS, vt regionis nomen; LVTETIAM verò, vt eius regionis caput, vsurpauit Cęsar libro 6. *De bello Gallico* sub initium, vbi sic de se ipse scribit: *Concilio Galliæ primo vere, vt instituerat, indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Treuirósque venissent, initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, vt omnia postponere videretur, concilium LVTETIAM PARISIORVM transfert. Confines erant hi SENONIBVS, ciuitatémque patrum memoria coniunxerant: sed ab hoc consilio abfuisse existimabantur.* Sic ibi.

b IGITVR AD HVNC POP. ET AD HANC VRBEM DIVINO DVCTV ACCESSIT.) De hoc accessu ex diuino nutu seu monito, attestantes habemus Simeonē Metaphrasten in vita Dionysij, qui ἄνωθεν αὐτῷ κεχρηματισμένον *supernè oraculum ei redditum* scribit. Ita priùs Athenis Romam venerat οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος, vt scribit Methodius, *cælesti & diuina voluntate, tanquam dilectus à Deo, per iter deductus.*

c *HIC LIBROS ILLOS INCOMPARABILES* &c.) Libros, qui nunc extant, de diuinis nominibus, De cælesti hierarchia, De ecclesiastica hierarchia &c. probabilissimum est scriptos à Dionysio Parisijs, post Apostolorū mortem, cùm iam ipse inter Paulli discipulos præcipua scientia emineret. Cōstat enim posterius esse scriptos (quod etiam infrà probabitur) quàm eos, qui perierunt.

d *NAM CVM VIRTVTE POLLERET MIRACVLORVM* &c.) De S. Dionysij potestate miraculorum testantur antiqui vitæ Scriptores, tam Græci, quàm Latini. Dabo Græcorum testimonia, omissis Latinorum, quæ magis in promptu. Itaque Michaël Syncellus scribit Dionysium expulisse colendorum simulacrorum insaniam, hisce tribus machinis: τῷ τε τῆς ἀληθείας κηρύγματι, καὶ τῷ τῆς διδασκαλίας διαυγάσματι, καὶ τοῖς τῶν θαυματων περατουργήμασιν, *præconio veritatis, doctrinæ splendore,*

dore, miraculorum prodigijs. Deinde subiungit continenter aliquas curationes vi diuina ab eo factas. Ὀφθαλμοὶ γὰρ τυφλῶν ἀνέβλεπον, καὶ ὦτα κωφῶν ἠνοίγοντο, καὶ γλῶσσαι μογιλάλων ἐτρανοῦντο, καὶ βάσεις χωλῶν συνεσφίγγοντο, καὶ ποικίλων νοσημάτων ἀσθενοῦντες ἠλευθεροῦντο τῇ τοῦ παντοδυνάμου σωτῆρος ἐπικλήσει διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου θεράποντος αὐτοῦ παραδοξοποιοῦντος καὶ τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας καθημένους προσκαλουμένου πρὸς τὸ φῶς τῆς γνώσεως καὶ σωτηρίας. *Oculi enim cæcorum intuebantur, & surdorum aures aperiebantur, & mutorum linguæ soluebantur, & claudorum incessus restringebantur, & varijs debilitati morbis, inuocato Saluatoris omnipotentis auxilio, per admirabilissimum eius seruum miracula patrantem & sedentes in ignorantiæ tenebris ad lucem cognitionis aduocantem liberabantur.* Ita Syncellus. Quid Methodius? Hæc nimirum inter alia: Καὶ τοσαύτας δὲ αὐτοῦ κατηξίωσε γενέσθαι τὰς δυνάμεις, ὅτι τῶν πολεμίων ἐθνῶν τὰς καρδίας οὐκ ἔλαττον τῶν εὐαγγελιζομένων ἀνέδειξεν. *Et tantas per eum dignatus est Dominus patrare virtutes, vt non minus Gentium hostilium corda, quàm Christianorum permoueret.* Metaphrastes autem: Οὐ διδαχῆς μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Non doctrinæ solum verbis, sed & operibus signorum munus exequebatur Apostolatus.*

c *LISBIVS ENIM PRISCA STIRPS* &c.) De Lisbij conuersione ad FIDEM CHRISTI, nullum potest certius esse testimoniū, quàm Visbij filij eius conscriptio, è qua desumpsit Hilduinus ea, quæ de illius conuersione familiæ perscripsit. Hàc autem esse radicē Montmorantianæ domus, tota testis est illius posteritas, ad quam solet de principijs ac stemmatibus cuiusque familię semper remitti cognitio. Accedunt verò & tituli & insignia & elogia, & gentis Francorum ex antiquo perennis consensus, vt viro æquo nihil desiderari amplius possit.

f *NONNVLLA VARIIS IN LOCIS SACELLA* &c.] De his testes sunt Syncellus & Methodius suprà laudati. Prioris verba, postquam de sancti viri miraculis egit, sunt hæc: Ἐπὶ τούτοις γὰρ τῶν πιστῶν πλῆθος ηὐξάνετο· καὶ ναοὶ τοῦ θεοῦ κατὰ Γαλλίαν καὶ Γερμανίαν τὴν μεγίστην ἐπαρχίαν ἠγείροντο. &c. *Propter hæc enim miracula fidelium multitudo crescebat, & templa Deo per Galliam & Germaniam, prouinciam maximam, excitabantur.*

Posterioris autem ista: Τοῦτον οὖν τὸν τόπον ὁ θεοῦ δοῦλος περιοδεύσας, καὶ τῷ στερεῷ τῆς πίστεως ὁπλισάμενος, θεοῦ τοῦ παντοδυνάμου πανταχοῦ βοηθοῦντι καὶ συνοδεύοντι αὐτῷ, ἐκκλησίαν ἐκεῖσε κατὰ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καθ᾽ ὅτι νέος ἀκμὴν προσήλυτος ὑπῆρχε καὶ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εἰς τιμὴν ἀνέστησε. *Hunc igitur Dei seruus, cùm peragrasset locum fidei robore armatus, Deo omnipotenti sibi vbique auxiliari & comiti, templum illic vt facultas ferebat, (quippe nouus ibi admodum aduena erat) & Domino nostro IESV CHRISTO, honoris gratia ædificauit.*

His porro consentiunt Antiquitates Parisienses, & prisci rituales libri, in quibus hæc rhythmicè:

Hic constructo Christi templo,
Verbo docet & exemplo,
Coruscat miraculis. &c.

De alijs templis & sacellis videndus est Demochares, lib. *De diuino missæ sacrificio*, cap. 18. in Catalogo Episcoporum Parisiensium.

g *NAM ET IN HISPANIAM E GALLIA PROFECTVM FVISSE HISPANI IPSI AFFIRMANT*) FLAVIVS DEXTER ad annum Christi 110. & Romæ 861. *Haud multo post S. Dionysius Areopagita Hispanias inuisit, vt legatus a B. CLEMENTE totius Occidentis Ordinatus.* Consentit FRANCISCVS BIVARIVS in commentario ad eundem annum, probatque ex S. Methodio, qui scribit Dionysium euangelij semina dispersisse πᾶσι τοῖς Ἑσπερίοις μέρεσι *cunctis partibus Hesperijs.* Hispani autem censentur in Hesperijs, vt rectè ibidem probatur.

Sed cauendum ne putetur Dionysius illo anno Christi 110. aut paullo pòst fuisse à Clemente ordinatus Occidētis legatus. Nā multis ante annis obijsse Clementem constat. Sed tantùm existimandus est Dexter adferre caussam, cur iuerit in Hispaniam, quòd scilicet iam olim ordinatus fuisset à CLEMENTE totius Occidētis legatus. Ego autem iuisse in Hispaniam censeo longè priùs quàm velit DEXTER, nempe temporibus Vespasiani, pace post Neronem ecclesijs reddita. Regnauit enim Vespasianus annos ferme decem: ita vt extremis eius annis iam satis ordinata Parisiensi ecclesia inuiserit Dionysius Hispanias, & eadem opera discipulum Marcellum.i

Accedit Gothici Breuiarij Toletani auctoritas, in quo hymnus extat Dionysij & Eugenij profectionem continens, illius in Hispaniam è Gallia, huius in Galliam ex Hispania. Incipit sic:

SANCTI EVGENII DIGNA MEMORIA.

Vbi inter alia, de Dionysio, quem vocat alumnum Græciæ, & de Eugenio, quem appellat Doctorem Hispanię, sic habet:

ALVMNVS GRÆCIÆ VISIT HISPANIAM:
DOCTOR HISPANIÆ REVISIT GALLIAM:
Docti præsentiam Doctoris Gallia.
Fideli captans pectore.

h *NEMPE HOC DE S. MARTIALE LEMOVICENSIVM EPISCOPO*] FLAVIVS DEXTER ad annum Christi 52. Romæ 805. *Martialis*, inquit, *Lemouicensium, Cadurcorum, & Tolosatium Apostolus Hispanias adijt, & prædicando FIDELES inuisit.* Vide ibidem BIVARIVM.

i *HOC DE S. SATVRNINO TOLOSANORVM* &c.] DEXTER ad annum Christi

sti 112. *S. SATVRNINVS Episcopus Tolosanus secundò Toletum inuisit.* De primo autem aduẽtu vide BIVARIVM in commentario Dextri, ad annum 76.

k *HOC DE S. MANCIO CATALAVNENSIVM.*] Ita de illo DEXTER, ad annũ Christi 90. *S. MANCIVS, ciuis Romanus, Christi discipulus, primus Eborensium in Lusitania Pontifex, qui in Gallia priùs prædicauerat, floret: & post multos labores migrat martyr, anno 106,* Vide ibi commentarium doctum Biuarij. De S. Ione dictum est in superioribus.

l *EA QVÆ IACOBVS, QVÆ PETRVS, QVÆ PAVLLVS,* &c.] Hos omnes fuisse in Hispania, DEXTER, & Metaphrastes, & alij quàm plurimi pro certo ponũt. De omnibus vide commentarium FRANCISCI BIVARII ad Dextrum, anno Christi 50. & alibi. De Iacobo, vt extra dubium, dicere omitto. De Petro ad citatum iam annum ita DEXTER: *Petrus, vt Christi vicarius Hispanias adit: imagines Antiochia delatas affert.* &c. De imaginibus si consulas ibi BIVARIVM, tibi faciet satis. De PAVLLO in Hispaniam profecto patet è suprà dictis, & ex eodem Biuario, qui bene & fusè refellit alia sentientes. Iam certè post DEXTRI editionem nullo modo dubitari debet. Quem DEXTRVM si doctus ac diligens Baronius nactus esset, haud dubiè multa aliter, quàm sensit, sensisset, & docuisset. Verùm si *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam* multo magis menses & anni, quibus assiduè procedentibus, alia atque alia in nouam lucem eruuntur antiqua monumenta.

CAPVT XIII.

a COmplectitur hoc caput, quæ Domitiani temporibus egerit, passus sit, prædixerit Dionysius.

b *TOTVSQVE QVODAMMODO DEI EFFECTVS* &c.] Docet Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 7. ad percipiendas animo res diuinas tanta nobis opus esse cũ Deo coniunctione, vt à nobis ipsis quodam modo digressi, nõ tam nostri simus quàm Dei. Talem proinde illum fuisse necessariò fatendum est. Quippe qui cælestia & diuina præcellentiori modo secundùm Apostolos, quàm fortè quisquam alius mente perceperit. Verba eius sunt: Κατὰ ταύτην οὖν τὰ θεῖα νοητέον, οὐ καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὅλους ἑαυτοὺς ὅλων ἑαυτῶν ἐξισταμένους καὶ ὅλους θεοῦ γιγνομένους. Κρεῖττον γὰρ εἶναι θεοῦ καὶ μὴ ἑαυτῶν. Οὕτω γὰρ ἔσται τὰ θεῖα δοτὰ τοῖς μετὰ θεοῦ γιγνομένοις. *Hac igitur nostri cũ Deo coniunctione, & non ingenio nostro diuina intelligenda sunt, ita vt nos toti extra nos totos simus, & toti Dei simus. Melius est enim, vt Dei simus, quàm nostri ipsorum. Sic enim nobis diuina tradentur, si cum Deo fuerimus.*

c *QVAS QVIDAM LEVIVM ET AVDACVLORVM* &c.] Minimè vereor leues & audaculos vocare eos, qui Dionysium ob voces nouas & grandes, quibus ad res maximas explicandas vsus est, non timuerunt reprehendere, & stilum eius, quasi à spiritu Apostolico alienum denotare. Hi autem maximam partem sunt hæretici: quorum vnum ex antesignanis refutaui. Vide, si placet, suprà quæstione 2. quæ tota est de Scriptis S. Dionysij.

Meritò sanè leues appellandi sunt, qui leuibus de caussis cõtra SS. Patres mouẽtur, aut moueri se sinunt: audaculi etiam, ne grauius quid dicatur, qui aduersus maiores suos iudicia temere arripiunt, eorúmque dicta & facta impudentium more canum allatrant. Hinc rectè FRANCISCVS SOARES magnum sacræ Theologię columen, & sui sæculi rarum decus, rectè monuit in suo ad librũ DE ANGELIS procemio, vitandam esse eorum audaciam, qui libros Dionysij, quos habemus, negarunt esse Dionysij Areopagitæ scripta.

d *NEQVE ENIM ANTE AD SCRIBENDVM AGGREDI* &c.] Hæc abunde cõfirmantur ex capite toto, De eius in scriptis pietate, superius posito, vbi & illustres ipsius, de vi sanctarum precationum, nos ad superna tollentium, similitudines apposui. Vide caput 22. vitæ ipsius.

e *NAM ET OMNIBVS HOC FACIENDVM PRAESVLIBVS EDOCVIT.*] Hanc doctrinam egregiè à S. Dionysio tractatam reperies in libro *de ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. & à nobis suprà latinè & clarè expositam inter DOCVMENTA in CONTEMPLATIONE eorum, quæ de sacris ordinationibus tradita sunt.

f *QVI IMPERANTE DOMITIANO SAEVISSIMI EXTITERVNT.*) De acerbissima Domitiani persecutione attigi ante vitam in *Imagine primi sæculi*. Vide præterea Eusebium libro 3. hist. eccl. cap. 13. & 14. & 15. & Tertullianum in Apologetico cap. 5. De illius crudelitate Suetonius, *Erat autem*, inquit, *non solum magnæ, sed & callidæ inopinatæque sæuitiæ.*

g QVIPPE NON DOMINVS SOLVM, SED ETIAM DEVS APPELLARI.] De hac Domitiani arrogantia atque superbia, qua DEVS & DOMINVS appellari voluit, ita Suetonius c. 13. *Pari arrogantia cùm Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: DOMINVS ET DEVS NOSTER SIC FIERI IVBET. Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.* Sextus Aurelius Victor Schotti sic de eodem: *Dehinc atrox cædibus, bonorum supplicia agere cœpit: ac more CALIGVLAE, DOMINVM se, DEVMQVE dici coëgit.* Vide etiam Dionem lib. 67. vbi scribit Iuuenium Celsum coniurationis reum frequenti adoratione & Domini Deique appellatione suam necem prorogasse, postremò-

ſtremóque aſtu euaſiſſe.

h NAM MODO IN FERVENTIS OLEI DOLIVM &c.) Teſtis eſt martyrologium Rom. ad ſextam Maij, cuius hęc ſunt verba: *Romæ S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM, qui ab Epheſo iuſſu Domitiani vinctus Romam perductus, & iudicante Senatu ante eandem portam in olei feruentis dolium miſſus, purior & vegetior inde exijt, quàm intrauit.*

De quo & Tertullianus libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap. 36. *Habes ROMAM*, inquit, *vnde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Statu felix eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt: vbi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur: vbi Paullus Ioannis exitu coronatur: vbi Apoſtolus Ioannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.*

Paria Tertulliano refert Hieronymus pluribus locis. Vide lib. 1. in Iouinianum, & comment. in Matthæum, cap. 20.

i QVO ET NOVI ERRORVM SATORES CONFVNDERENTVR.) Nimirum Ebiō & Cerinthus, qui in Aſia & Syria zizania ſeminabant, & Chriſti diuinitatem denegabant. *Nouiſſimus omnium ſcripſit euangelium* (inquit Hieronymus in Scriptoribus eccleſiaſticis) *rogatus ab Aſiæ Epiſcopis aduerſus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.* Eandem cauſſam ſcripti à S. Ioanne Euangelij multò antè aperuerat S. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 11. vnde ferè alij omnes deſumpſerunt. *Hanc FIDEM*, inquit, *annuncians Ioannes Domini diſcipulus, volens per Euangelij annunciationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus, errorem: & multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ* &c.

CAPVT XIV.

a PRofertur in hoc capite epiſtola S. Dionyſij ad Ioannē Apoſtolū in Patmo exulē. In hāc ſcripſerunt S. Maximus & Georgius Pachymeras, tametſi hic totidem ferè verbis quot ille non tam ſcripſit, quàm exſcripſit. Hanc epiſtolam ſic laudat Maximus: Ἡ μὲν ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς, καὶ τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὴν χάριν ἀπαγγέλλουσα. *Hæc quidem epiſtola digna eſt ſancta illa antiquitate, & diſcipuli, quem diligebat IESVS, gratiam annunciat.*

b SALVTO SANCTAM ANIMAM TVAM O DILECTE] Salutat Ioannem nomine ἠγαπημένου, *dilecti*, vt refricet ei memoriam dilectionis eius, qua illum Chriſtus proſequebatur, & qua ipſe ſic delectabatur, vt ſe vocaret *diſcipulum, quem diligebat IESVS*, ἀντονομαστικῶς Ioannis cap. 21. verſu 7. *Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat IESVS, Petro: Dominus eſt.*

c SALVE, INQVAM, O VERE DILECTE, ET EI QVIDEM VALDE DILECTE, &c.) Salutabat priùs, vt dilectum ſibi, vel vt abſolutè dilectum: nunc repetit ſalutationem, & addit, *vere dilectum*. Quia is vere eſt dilectus, qui Chriſto dilectus eſt, Chriſto verè amabili & verè amanti, & largiter amoris dona cum amatis & dilectis communicanti.

d ECQVID MIRVM, SI ET CHRISTVS VERA DICIT, ET INIQVI DISCIPVLOS EIVS VRBIBVS EIICIVNT.) Ibi Dionyſius ex vehementi in Ioannem amoris affectu, & ſimul ex eius dolore exilij, aduerſus impios, qui ſanctum eiecerunt, iuſta indignatione exurgit, & cum intelligenti breuiſſimè loquitur, maximéque Atticè. *Ecquid mirum*, inquit, *ſi & Christus vera dicit, cùm dicit: Eritis odio omnibus propter nomen meum*, & cùm prædicit Apoſtolos ſuos perſecutionem paſſuros: & quid etiā mirum ſi iniqui eius diſcipulos ex vrbibus eijciant, cùm iniqui iniquos retineant, & ſe à ſanctis minimè ſancti diſiungant. Iniqui enim iniquis quidem digni, ſed ſanctis indigni ſunt. Et verò nunc quaſi in imagine oſtēdunt, quid pòſt futurum ſit & quomodo à bonis in extremo iudicio ſeparandi ſint, idque ſua culpa, vti & nunc.

e VT TE QVICQVAM IN HOC TEMPORE PATI EXISTIMEM.) Quemadmodum ipſe Dionyſius exilia, pœnas, tormēnta, & quæuis dura pro Chriſto tolerata in bonis ponebat, & pro voluptate habebat, ita vt ſe pati non exiſtimaret, ſed beneficio affici: ita & de Ioanne, ac multo etiam magis, arbitrabatur. Quippe qui vnus ex ijs erat, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.*

f HOC VNO TANTVM, QVOD EA DISCERNAS, SENTIRE TE CREDAM.) Nihil aliud hic vult dicere Dionyſius, niſi S. Ioannem Apoſtolum non aliter ſentire exilium ſuum, quàm quod diſcernere poſſit aliam eſſe habitationem in Patmo inſula, vbi exulabat; quàm in vrbe Epheſo, vbi domicilium ſtatuerat: alioqui vtrobique ipſi bene eſſe, vtramque vel pro patria, vel pro exilio ducere: pro patria, ſi hominum loquamur more, quibus vſurpatur illud:

Omne ſolum forti patria eſt: vt piſcibus æquor.

Pro exilio autē, ſi Sanctorum exemplo de his ſentiamus, qui omnem hanc terram, exilium; patriam vnicam, cælum appellabant. Poteſt etiam dici Dionyſius ad immerſionem Ioannis in olei feruentis dolium reſpicere, in quo nihil paſſus doloris, nihil expertus læſionis, nihil ſenſit nocumenti, tātùm diſcernere potuit ſe in dolium ardens miſſum eſſe, & inde eductum incolumem & illæſum.

g SE QVE EVANGELII SOLEM EXTERMINATVROS.) Vocat Ioannem, Euangelij ſolem, primò propter claritatem in eius prædicatione & comprobatione. Secundò ex ſpiritu prophetico, quo præſciuit eum ſcri-

pturum

pturum nouum euangelium, per quod inter alios euangelistas, vt sol quidam, emineret; & tenebras, quæ de Christi erant diuinitate, simulque nonnullorum mysteriorum in alijs euangelistis caliginem sua luce dissiparet.

h *NAM NOS QVIDEM, NEQVE QVIDQVID ADVERSI ACCIDERIT.* &c.] Lansselius noster: *neque si contrarium votis acciderit*, Græcè ὑπὸ τ' ἐναντίον. quod vtrâque admittit significationem, vti & latinæ voces *contraria, aduersa*, quæ etiam pro *calamitatibus & rebus aduersis* vsurpantur. Existimo autem sensum Dionysij esse, nulla ipsum re, quamuis aduersa, impeditum iri, quo minùs & memoria Ioannis, & diuinorum eius verborum nunc fruatur, & pòst etiam præsentia fruiturus sit.

Notandum autem nullas ærumnas, nullas calamitates esse contrarias votis S. Dionysij: quandoquidem vt verus Christi imitator illas appetat quàm maximè: sed bene, si non frueretur aspectu dilectissimi sui Ioannis tunc votis aliquid contrarium accideret. Nam vnicè id exoptabat.

i NAM ET ILLVM SÆPENVMERO SVPER MYSTERIIS DIFFICILIORIBVS CONSVLVERE.) Titũ & Timotheũ & alios primores sanctos consuluisse sanctum Dionysium super sacræ Scripturæ locis difficilioribus, aut de alijs rebus diuinis, liquet ex ipsis Dionysij ad illos libris & epistolis. Hinc bene de illo Syncellus: Οὐ γὰρ Ἀθηναίων ἦν ποιμὴν καὶ διδάσκαλος μόνον, ἀλλὰ καὶ διδάσκαλος διδασκάλων, καὶ ποιμὴν ποιμένων, καὶ διαιτητὴς, καὶ νομοθέτης. *Neque Atheniensium modò pastor & magister fuit, sed etiam magister magistrorum, & pastor pastorum, & arbiter, & legislator.* Vide ibi plura.

CAPVT XV.

a PErstringuntur hic sancti Dionysij Acta temporibus Domitiani Imperatoris, Christianorum persecutoris immanissimi.

b SVPREMIS PRÆSERTIM IMPERII SVI ANNIS.] Quamuis ab initio ferè imperij crudelis Domitianus fuerit, cum annis tamen & vsu sæuitiæ ad extremum vsque tempus profecit: si tamen hoc est proficere, magis magisque in homines sæuiendo, toti generi officere. Persecutionis autem in Christianos initium annotatur Eusebio, Hieronymo, & alijs, anno imperij eius decimo quarto. Tametsi nec in eo defuerint ante hoc tempus etiam in Christianos velut præludia quædam immanitatis, *qui per annos quindecim*, inquit Paullus Orosius, *ad hoc paullatim per omnes scelerum gradus creuit, vt confirmatissimam toto orbe Christi ecclesiam, datis vbique crudelissimæ persecutionis edictis, conuellere auderet.* Et infrà: *Idémque efferatus superbia, qua se Deum coli vellet, persecutionem in Christianos agi secundus à Nerone imperauit. Quo tempore etiam beatissimus Ioannes Apostolus in Patmum insulam relegatus fuit.*

Nec verò tantùm è sacris Scriptoribus notissima est Domitiani in Christianos feritas, sed etiam è profanis multò certissima. Sic enim Dio, libro sexagesimo septimo hist. Rom. Κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος. ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον· οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν· ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατέρειαν. *Et eodem anno Domitianus cũ alios multos, tum etiam FLAVIVM CLEMENTEM consulatu fungentem, tametsi patruelem & habentem vxorem FLAVIAM DOMITILLAM eius cognatam, interemit. Obiectum verò ambobus crimen impietatis: propter quam & alij multi in errores Iudæorum delapsi condemnati sunt. Quorum pars quidem occisi, pars facultatibus suis expoliati. Domitilla verò tantùm in Pandatariam est relegata.*

Vbi nota ἔγκλημα ἀθεότητος *crimen impietatis* vocari *religionem Christianam*, tanquam respuentem Deorum cultum. Per *delapsos* itẽ *in mores Iudæorum*, nullos alios intelligi, quàm *Christianos*, qui quòd desertis idolis vnum colerent Deum, perinde ac Iudæi, idcirco dicebantur in eorum mores decidisse.

De hac FLAVIA DOMITILLA & alijs eiusdem nominis, vide Baronium in martyrologij notis ad diem septimam Maij.

c *EXTERMINATVS AB ILLO APOSTOLVS* &c.) Ioannes enim Apostolus, vt paullò antè iudicatum est, ab eo relegatus est in insulam Patmon, idque postquam in ardentis olei dolium immersus fuisset. Illo etiam Imperatore martyrium subijsse creditur CLETVS Pont. siue Anacletus. Nam omnes SS. Patres vnum faciunt, non duos. Ex Episcopis exilium passus est in Syria S. Ignatius, mortem in Gallia S. Eutropius, de quo infrà statim dicetur, & de quo nonnihil etiam suprà notatum est.

d *NEC DVBIVM QVIN MVLTA PER EAM TEMPESTATEM.*) Passum esse Dionysium non pauca Domitiani temporibus, non obscurè indicat Syncellus in vita S. Dionysij sub finem, his verbis: τοὺς δ' ἂν μετέπειτα χειμῶνας, οὓς ἡ Δομετιανοῦ μανία κατὰ τῶν πιστῶν ἐπήγαγεν, ἀνδρείως ὑπομείνας καὶ δόκιμος ἐν πᾶσι φανεὶς διαβόητον ἀπηνέγκατο κλέος. *Reliquas verò subsecutas tempestates, quas contra FIDELES Domitiani inuexit insania, cùm viriliter pertulisset, probatúsque in omnibus apparuisset, celeberrimam gloriam reportauit.*

e *IS EST BEATVS EVTROPIVS SANCTI PETRI APOSTOLI DISCIPVLVS*) De Eutropio misso in Galliam à Clemente notauimus suprà capite decimo, ex ipso Gregorio

rio Turonensi. Vide autem fusiora S. Eutropij Acta apud Vincentium Bellouacensem libro decimo speculi historiarum, capite decimo nono, & apud S. Antoninum, parte prima histor. titulo sexto, capite vigesimo octauo, §. secundo, & apud Petrum Equilinũ in Catalogo Sanctorum, libro quarto, capite centesimo quinto, & apud Eysengrinum Centenario primo, parte quinta, distinctione tertia. De illo sic Martyrologium Rom. ad diem trigesimam Aprilis:

Apud SANTONAS beati EVTROPII Episcopi & Martyris, quem S. CLEMENS Pontificalis ordinis gratia consecratum direxit in Galliam, peractaque diù prædicatione ob Christi testimonium colliso capite victor occubuit.

In martyrologio autem PETRI GALESINII quædam continentur magis particularia. Sic enim ad eandem diem, siue pridie Calendas Maij, annotatum habet:

Apud SANTONAS, sancti EVTROPII Episcopi & Martyris. Hic Persa, parentum Regum filius, beati Dionysij Areopagitæ discipulus & comes à sancto CLEMENTE Pontifice Episcopus SANTONENSIVM consecratus, septem & viginti annos eo munere functus, excitata infidelium persecutione, colliso capite, victor coronatur.

Vbi in eo, quod dicit Eutropium munere functum Episcopali septem & viginti annos, optimè concordat cum eo, quod suprà docuimus, missum esse eum cum Dionysio in Galliam à CLEMENTE statim à PETRI martyrio, siue, anno Christi septuagesimo. Vnde si numerentur viginti septem anni, iustè peruenietur ad decimumquartum Domitiani, cui anno adscribitur secunda persecutio, in qua omnes occisum S. Eutropium consentiunt. Annotatur autem mors S. Petri non tantùm ab Eusebio, sed etiam à Baronio ad annum Christi sexagesimumnonum & Neronis decimumquartum. Itaque anno sequenti, siue septuagesimo Christi, peruenit Eutropius in Episcopatum suum Santonensem, perseuerauitque ad persecutionem Domitiani inchoatam anno eius imperij decimoquarto, qui iuxta Eusebium est Christi nonagesimus sextus, iuxta Baronium autem nonagesimus septimus. Scribit porrò Galesinius in suis ad Martyrologium *Annotationibus* de Eutropij anno martyrij his verbis: *MARTYRIO coronatus dicitur anno Christi nonagesimosexto, Imp. Domitiano.*

Itaque ex his colligitur non posse verum esse, quod sensit Baronius Dionysium venisse Romam in Galliam demum post mortem Domitiani: quandoquidem S. Eutropius Dionysij in eo itinere comes, ipso viuente Domitiano affectus fuerit martyrio, & quidem post viginti sex, aut viginti septem annos in Episcopatu SANTONENSI, ad quē cum Dionysio profectus fuerat, exactos. Vellem autem, vt nonnulli qui vitas Sanctorum scripserunt post tempora Baronij proposuissent sibi potiùs historias ipsi diligenter examinare, quàm cæcorum more, cuiuslibet alterius ductum sequi.

e *ACTA EIVS MARTYRII GRÆCE CONSCRIPSERIT.*) Scripsisse beatum Dionysium Acta martyrij S. Eutropij, siue, vt vocant, passionem, liquet ex alijs eiusdem EVTROPII gestis, è quibus se hæc accepisse profitetur Vincentius Bellouacēsis, libro decimo Spec. hist. capite decimo octauo. *Hic beatus Dionysius*, inquit, *beati EVTROPII consocius ac PARISIORVM Præsul passionem eius litteris græcis scripsit, & parentibus suis in Græcia, qui iam credebant, per manum beati Papæ CLEMENTIS misit.* Nota Gallicismum, *parentibus suis*, id est, *consanguineis*. Sic enim Galli cōsanguineos vocant *Les parents*. Dicitur CALLISTVS secundus Pontifex Acta illa gręcè scripta reperisse Constantinopoli in *SCHOLA GRÆCORVM*, in codice quodam multorum Martyrum ACTA continente, atque è græco in latinum vertisse. Adiuncta erat illis S. EVTROPII Actis epistola S. Dionysij, hac ferè forma:

CLEMENTI PONTIFICI DIONYSIVS. S. EVTROPIVS, quem mecum in has oras ad prædicandum CHRISTI nomen misistis, martyrij coronam per manus Gentilium apud vrbem SANTONAS ex caussa FIDEI accepit. Quocirca te humiliter exoro, vt martyrij eius codicem consanguineis & notis & amicis meis FIDELIBVS, qui in Græcia sunt, ac præcipuè Athenis, mittere quàm citissimè ne graueris. Quò & ceteri, qui mecum vna nouæ regenerationis lauacro à Paullo sunt abluti, cùm acceperint gloriosum martyrem pro CHRISTI FIDE crudelem mortem oppetijsse, de toleratis pro Christi amore aduersis angustijsque rebus gaudeant.

f *AD EVM ROMÆ TVM RESIDENTEM AC PRÆSIDENTEM MISIT.*) Cesserat (vt alibi suprà dictum est) Pontificatu, quem proximè à PETRO acceperat, & aliquantisper tenuerat, beatus CLEMENS, sed Lino & Anacleto vita functis, clauum ecclesię, regnāte iam Domitiano, in manus receperat. Litteras igitur ad eum iam Romæ præsidentem sub annum Domini nonagesimumseptimū, Domitiani decimumquartum, vnà cum S. EVTROPII martyrio misit.

g *HINC ETIAM A PRIMIS ECCLESIAE INITIIS* &c.) Antiquissimam fuisse in ecclesia consuetudinem scribendi Acta MARTYRVM, & cū alijs ecclesijs communicādi, planū fit è litteris ab ecclesia Smyrnensi de martyrio sancti Polycarpi exactè scriptis, & ad alias ecclesias transmissis (quas intueri integras licet apud Eusebium libro quarto historiæ eccle. capite decimo quinto) & è litteris ecclesiæ Viennensis & Lugdunensis ad ecclesias Asiæ & Phrygiæ, apud Eusebium libro

bro quinto histor. capite primo. Comprehẽdi illas in vitis posterioribus, priores quidem in vitã sancti Polycarpi; posteriores verò in S. Irenæi.

h *OPERA DOCVERVNT, EXITVS IVDICAVIT.*] Indignum enim fuisse non modò DOMINI & DEI nominibus Domitianum, sed etiam nomine hominis, facta eius inhumana & exitus miserrimus, vita tamen dignissimus, comprobarunt. Nam facta in ipsum cõiuratione, vita, qua indignus erat, confossò inguine, multóque insuper vulnere expulsus est.

i *CVM NERVA IMPERATOR OBDVCTAM MVNDO CALIGINEM &c.*] Hic tranquillitatem imperio, hic serenitatem ecclesiæ, hic clementiæ suæ asylum cunctis exhibuit. Hic denique *primo edicto suo*, inquit Paullus Orosius, *cunctos exules reuocauit. Vnde & Ioannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum redijt.*

k *ACCEPTO DIVINITVS ET DICTATO POST TONITRVA ET FVLGVRA EVANGELIO.*] Ita vetus historia ecclesiastica (vnde S. Hieronymus & Metaphrastes nonnulla desumpsere) contestantur. Vbi autem Euangelium à Deo acceperit, dictaueritque, Auctores diuersa sentiunt. Quidam in Patmo, vbi & Apocalypsin scripsit; alij Ephesi in Asia scripsisse arbitrantur. Ego prioribus astipulor. Neque enim illi antiquissimi Patres (quos pro sua sententia citant ij, qui dissentiunt) Irenæus scilicet, Athanasius, & Eusebius, suis verbis aliud indicant, quàm Ephesi publicasse. Nam sanè Irenæus, & Irenæi verba laudans Eusebius, ille quidem libro tertio aduersus hæreses, cap. 1. hic autem libro quinto histor. eccles. capite octauo, sic de Ioanne: Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. *Postea & Ioannes discipulus Domini, qui & supra pectus eius recubuit, ipse quoque edidit euangelium Ephesi in Asia commorans.* Idem Irenæus eodem libro tertio, capite vndecimo, scribit Ioannem volentem redarguere errores Cerinthi & Nicolaitarum, inchoauisse sic euangelium: *In principio erat Verbum &c.* S. Athanasius verò in Synopsi sacræ Scripturæ hæc habet: Τὸ δὲ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη τε ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου καὶ ἠγαπημένου, ὄντος ἐξορίστου ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, καὶ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἐξεδόθη ἐν Ἐφέσῳ διὰ Γαΐου τοῦ ἀγαπητοῦ Ῥωμαίοις γράφων φησί. Ἀσπάζεται ὑμᾶς ὁ Γάϊος ὁ ξένος μου καὶ ὅλης τῆς ἐκκλησίας. Quæ sic vulgatus interpres reddidit: *Euangelium verò secundum Ioannem & dictatum est ab Ioanne Apostolo & dilecto, cùm exulasset in Patmo insula, & postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum & Apostolorum hospitem. De quo & Paullus Romanis scribens dicit: Salutat vos Caius hospes meus & tota ecclesia.* Corrige *& totius ecclesiæ*, vt habent græca. Nam isti Caio omnes Christiani, vt eius facultas ferebat, grati hospites erant.

NOTA porrò illud ἐξέδωκε *edidit*, Irenæi, & τὸ ἐξεδόθη *editum est*, Athanasij, si capiantur, vt vulgò passimque apud Auctores solent, non significare *composuit*, aut *scripsit*, sed *edidit*, *euulgauit*, *in lucem emisit*, iam antè scilicet composita. Hinc scripta, quæ apud auctorem vel amicum adhuc latent, & detinentur, aut etiam quæ illo fortè demortuo, apud vnum aut alterum conseruantur, vocari solent recepto more ἀνέκδοτα, *inedita*.

Itaque sunt diuersa βιβλίον γράφειν, & βιβλίον ἐκδιδόναι *librum scribere*, & *librum edere*. Plutarchus in Theseo vtrumque sic iungebat: γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκε. *Scriptam orationem edidit*. hoc est, *euulgauit*, *publicauit*. Discrimen hoc etiam Tullius ipse in latinis ostendit, cùm scriptam & compositam à se orationem ad Atticum mittens ita scribit libro decimoquinto, epistola decima quinta: *Orationem tibi misi. Eius custodiendæ & proferendæ arbitrium tuum. Sed quando illum diem, cùm tu edendam putes!* Et libro decimotertio ad eundem, epistola vigesima prima: *Dic mihi, placétne primùm edere iniussu meo? hoc nè Hermodorus quidèm faciebat, is qui Platonis libros solitus est diuulgare.*

Ad rem vt redeam, Metaphrastæ narratio de Ioannis Euangelio, itémque Prochori eiusdem Ioannis discipuli (licet in quibusdam alijs non recipiatur) hic tamen rationi admodum consentanea, minimeque à vero remota mihi videtur: vti neque Baronio.

l EX QVIBVS SANCTINVM AD CARNVTAS &c.] Hincmarus, Rhemensis Archiepiscopus, in epistola ad CAROLVM CALVVM Imperatorem, ita de ordinatione & missione B. Sanctini à S. Dionysio Carnutum: *Destinatis quoque socijs per diuersas ciuitates, ad dolos diaboli destruendos & populos Domino acquirendos Sanctinum ordinauit Episcopum, & Carnutum illuminare eos, qui in tenebris erant, inspirante Domino, misit: vbi eum per aliquid temporis immorari disposuit: Postea verò Meldensium ciuitati Pastorem & Episcopum esse constituit, eiusque suffragio Antoninum, qui iunior ad distinctionem senioris Antonini prænominabatur, adhibuit.*

Vide etiam sanctum Antoninum, Archiepiscopum Florentinum, parte prima hist. titulo sexto, capite vigesimo octauo, §. primo, & Petrum Equilinum in catalogo, libro octauo, capite centesimo octauo. Dicit Baronius in Notis ad martyrologium,

vigesima secunda Septembris, extare vetus manuscriptum de Actis S. Sanctini; vtinam prodeat! De eodem Sanctino ita Martyrologium Romanum dicta die: *Apud ciuitatem Meldensem, beati Sanctini, Episcopi, discipuli sancti Dionysij Areopagitæ, qui eiusdem ciuitatis Episcopus ab eo consecratus, primus illic euangelium prædicauit.*

CAPVT XVI.

a HOc capite iter sancti Dionysij in Asiam ad Ioannem Apostolum, & & inde in Galliam ad suos reuersio comprehenditur.

b QVO ENIM MODO PROPHETA ILLE ET PVGILLVM FARINÆ AVXIT, &c.] Elias hospitio exceptus, famis tempore, à vidua Sarephtana, eius farinæ pugillum, qui solus restabat in hydria, & pauxillum olei, quod supererat in lecytho, sic auxit, vt quotidie vescentibus in tempus longum non deficeret, quoad scilicet in terra illa fames cessaret. Quin &, filium eius mortuum ad vitam reuocauit. Vide libro tertio Regum, cap. 17.

c PACEM CIVITATI, PACEM DOMVI &c.) Præcepit Dominus Apostolis Lucæ decimo, versu quinto, vt pacem ciuitati, pacem domui; in quamcumque intrarent, precarentur. *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: & si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.* Et infra: *Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt.*

d IVIT IGITVR VIR SANCTVS EX GALLIA IN ASIAM &c.) Quin S. Dionysius ad beatum Ioannem ab exilio reuersum in Asiam profectus sit, nullus dubitat, nec dubitare potest, eorum quidem, qui illa scripta Dionysij, quæ eius extant nomine, vera & germana ipsius scripta esse confitentur. Quippe qui in epistola ad ipsummet Ioannem, sibi cælitus prędictum hoc iter, & hanc cum Ioanne mutuam collocutionem apertè perscripserit. Sed de loco vnde in Asiam profectus sit, nonnulla est controuersia. Nam Baronius existimauit Dionysium Athenis, vbi creatus fuerat à Paullo Episcopus, vsque ad Neruam mansisse, ac proinde Athenis quoque ad Ioannem in Asiam concessisse. Verum sæpe & pluribus locis hactenus ostendimus ex Actis multorum Sanctorum, longe antehac in Galliam venisse, ac proinde ex Gallia, vbi iam sub Domitiano erat, (pręcessit autem ille Neruam) ad Ioannem profectum esse. Quin & multi vel mortem sub Domitiano in Gallia passum esse, vel grauia multa tolerasse Dionysium auctores sunt. Qui saltem in hoc à nobis sunt, quòd Dionysius in Gallia iam fuerit sub Domitiano. Adde Baronium nonnulla recipere Acta martyrij sociorum sancti Dionysij, quæ illos venisse cum ipso in Galliam, & imperante Domitiano in Gallia occubuisse tradunt. Pro Baronio autē faciunt Acta S. Reguli apud Vincentium & Metaphrastem: sed in aliorum Sanctorum Actis & speciatim in ipsius S. Dionysij multò plura pro nobis faciunt, sicut dispersè compluribus in locis ostendimus.

e ERAT ENIM HAVD MINVS NONAGINTA ANNOS NATVS.] Iuit enim in Asiam extremo Neruæ imperio, cùm esset Christi nonagesimus nonus, ac consequenter Dionysij nonagesimus: quippe iunioris Christo annis nouem. Nemini porro incredibile videri debet, quòd tam sera & præcipiti ætate iter tantum susceperit, cùm & alios reperire liceat non paucos, qui pari, aut etiam grandiori ætate, iisdem aut minoribus de caussis, talia confecerint itinera. De S. Polycarpi ex Asia in vrbem Romam extremo æuo suo profectione, atque inde in Asiam reditu, scripsimus in eius vita. Nec multò minore natu, quàm vterque illorum, fuit sanctus Marcellus cùm ex Hispaniæ vmbilico in Galliam visendi Areopagitæ præceptoris sui gratia se contulit. Sanctus Epiphanius Constantiæ in Cypro Episcopus, sub annum vitæ suæ centesimum decimum quartum, è Cypro Constantinopolim ad caussam S. Ioannis Chrysostomi dispiciendam, accersente Theophilo Alexandrino eiusdem Chrysostomi aduersario contendit. Quin & multis pòst sæculis (quorum tamen processu solet hominum vita non solum breuioribus arctari terminis, sed etiam viribus fieri debilior) anno scilicet Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, BVRCHARDVS DE SARKEN; cùm octogenarius ad Episcopatum Lubicensem prouectus esset, ac primo anno propter æs alienum ab antecessore suo contractum, laboris plurimum sustineret, studio parcendi impensis in FRANCIAM abiit: deinde anno Episcopatus sui vicesimo secundo, id est, ætatis centesimo tertio, pro tuendo ecclesiæ suæ iure super molis aquatilibus (quod LVBICENSES maximopere impugnabant) ROMAM petiit, ibique, vt scribit ALBERTVS CRANTZIVS, per annos 4. constitit pro ecclesia sua viriliter decertans: gloriosè tum, licet sumptuosè & laboriosè, triumphauit in caussa. Iam ergo erat cētum septem annorum, cùm patriam repetiit: vbi & alios tredecim superstes fuit, vsque ad annum scilicet ætatis centesimum vicesimum. Vide CRANT-

CRANTZIVM in sua Metropoli libro octauo, capite trigesimo septimo. Atque vt in hanc grandæuorum societatem nonnullos quoque alios Episcopos aduocemus, ecce S. Simeon propinquus SALVATORIS, & Iacobi Apostoli in sede Hierosolymitana successor, centum viginti annos natus crucis supplicium fortiter pertulit. Ecce S. Narcissus eiusdem sedis Antistes centum sedecim transgressus est. Ecce S. Dorotheus Tyri Presbyter anno ætatis centesimo septimo martyrium pro CHRISTO pertulit. Ecce & alter Dorotheus Constantinopolitanus Patriarcha centum vndeuiginti annos exegit. Ecce S. REMIGIVS insignis RHEMORVM Præsul annos sui Episcopatus numerauit, auctore S. Gregorio Turonēsi, integros septuaginta, vel etiam amplius: ætatis verò, eiusdem testimonio, centum viginti.

De S. Simeone habemus sancti Hegesippi auctoritatem apud Eusebium libro tertio histor. eccle. capite vigesimo sexto. De sancto Narcisso beati Alexandri Hierosolymorum Episcopi, apud eundem Eusebium, libro sexto, capite vndecimo. De sancto Dorotheo Tyrio testes sunt Martyrogium Romanum & Menæum Græcorum, ad diem quintam Iunij. De altero autem Dorotheo Socrates libro septimo hist. eccle. capite sexto. Et de sancto Remigio Gregorius Turonensis, libro *De gloria Confessorum*, capite septuagesimo nono, & capite octogesimo septimo.

e EBIONEM ET CERINTHVM ET SIMILES DENOTABAT &c.] Contra hos enim scripsisse S. Ioannes euangelium, communis est opinio. Notaui suprà, aut indicaui potiùs locum Irenæi, vbi id docet, nēpe libro tertio aduersus hæreses, capite vndecimo. Hieronymus in libro *De illustribus ecclesiæ Scriptoribus* capite nono in Ioanne, ita de illo: *Nouissimus omnium scripsit Euangelium rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Idem habet Epiphanius hæresi quinquagesima prima, capite duodecimo, vbi scribit Ioannem per euangelium suū quodammodo exclamasse: Ποῖ πλανᾶσθε; ποῖ τρέπεσθε; ποῖ πλανᾶσθε Κήρινθε καὶ Ἐβίων καὶ οἱ ἄλλοι; *Quò erratis? quò vos conuertitis? quò erratis Cerinthe & Ebion & ceteri?* Irrepsit in Petauij editionem erratum, vt poneretur *Marcio*, pro *Ebion*.

f ADOLESCENTEM QVENDAM ROMANVM, TAVRINVM NOMINE &c.] S. TAVRINI acta vsque à prima eius infantia breuiter recitantur à Vincentio Belloua cēsi, libro decimo, capite trigesimo tertio, cuius capitis extrema ista verba: *Iam enim ordinauerat in ciuitate Cameraca germanum eius Gaugericum*, vt prorsus adulterina & supposititia procul amandanda sunt; cùm nec in antiquissimis exemplaribus reperiantur: nec apud S. ANTONINVM, nec vsquam apud alios (quod quidem facta diligenti inquisitione sciam) vlla extent vestigia, quod scilicet Gaugericus fuerit S. TAVRINI, qui secundo vixit sæculo, germanus. Nam Gaugericus minimum quatuor sæculis posterior est S. TAVRINO. Adde S. TAVRINVM Romæ natum & educatum temporibus DOMITIANI Imperatoris & CLEMENTIS Pontificis, vt habent eius Acta: Gaugericum verò in prouincia Belgica & ditione Lutzemburgensi, nempe in villa Euosio, quam nunc Iuodium & gallicè *YVOIS* vocamus. Et huius rei antiquum & luculentum testem habemus BALDERICVM Nouiomensēm Episcopum in historia Cameracensis & Atrebatensis ecclesiæ, libro tertio, capite trigesimo septimo: *Hinc autem*, inquit, *Imperator egressus* [Henricus scilicet è palatio Aquisgrano] *ad Euosium villam scilicet pulcherrimam, quam beati videlicet Gaugerici natiuitas illustrat, cum primoribus quidem suorum Palatinorum intendit.* Et paullò inferiùs: *Sapienter quippe dispositо, vt in eo loco, vbi beatissimum Gaugericum nouerat, eius gaudiosam festiuitatem, quæ III. idibus Augusti est, celebrare veniret.* Accidère hæc anno Domini millesimo vigesimo tertio, iuxta Sigeberti chronicon. Deinde hæc verba extrema huius capitis, nullam prorsus habent cū prioribus connexionem. Quæ enim, amabo, est in his connexio? *Ei, vt cognouit* [Dionysius) *cum hoste rapido se habere conflictum, TAVRINVM eundem Ebroicæ ciuitatis ordinauit Episcopum. Iam enim ordinauerat in ciuitate Cameraca germanum eius GAVGERICVM.* Egregia verò caussa! præclara ratio! Ordinauerat Gaugericum Cameraci, ergo ordinauit TAVRINVM Ebroicę. Tollatur proinde ineptum illud assumētum ab extremo illo capite. Quod fecissent profectò, qui nouam operum Vincentij editionem nuper hic Duaci ediderunt, si locum attendissent atque examinassent.

Sic de TAVRINO Romanum martyrologium ad vndecimam diem Augusti: *Apud Ebroicenses in Gallia, sancti TAVRINI Episcopi, qui à beato CLEMENTE Papa, illius ciuitatis Episcopus ordinatus, euangelij prædicatione Christianam fidem propagauit, ac multis pro ea susceptis laboribus, miraculorum gloria conspicuus obdormiuit in Domino.*

Petrus Galesinius autem in suo martyrologio, ad eandem diem, ex ipsis ecclesiæ Ebroicensis tabulis sic habet: *Apud Ebroicenses in Gallia, sancti TAVRINI Episcopi. Is Dionysij Areopagitæ discipulus à beato CLEMENTE Pontifice maximo in Galliam missus, illiusque ciuitatis Episcopus consecratus, vera in Christo religionis doctor, post multa, quæ euangelij disseminandi caussa fortiter pertulit, cruciamenta,*

menta, demum miraculorum, piéque gestarum rerum, ac fidei propagatæ laude clarus, obdormiuit in Domino.

Notandum porrò non aliter dici posse consecratum Episcopum à CLEMENTE, quàm approbando electionem & consecrationem. Nam cum TAVRINVS à CLEMENTE in Galliam cum Dionysio dimissus est, admodum adolescens, & pene puer erat, vt ex actis liquet, minimèque sacro ministerio idoneus, sed multis annis à Dionysio in Gallia eruditus tum demum ab eodem est ordinatus. Demochares in Catalogo Pontificum eius ecclesiæ, scribit à CLEMENTE Pontifice maximo, anno Christi nonagesimo quarto missum; sed non dicit illo anno consecratum Episcopum, quod tanquam ex illo malè notauit Eysengrenius, centenario primo, parte prima, distinct. tertia. Meliùs ex ipsis Actis Vincentius suprà citatus: *Qui beatus Dionysius*, inquit, *cùm à beato CLEMENTE in Gallias mitteretur, secum filiolum suum TAVRINVM, precibus matris victus adduxit, & eum cum omni diligentia spirituali nutriuit*. Agit autem de secunda missione, quæ fuit post reditum ex Asia. Nam prima missio, vt suprà dictum est, fuit non multò pòst martyrium Apostolorum Petri & Paulli, antequam CLEMENS retenta aliquantisper, quam à Petro acceperat, sede Romana, eam pacis caussa cessisset LINO, vti è S. Epiphanio colligi potest.

Meliùs etiam S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, parte prima hist. titulo sexto, capitulo vigesimo octauo, §. quarto: *TAVRINVS*, inquit, *ex Christiana matre & patre gentili natus à CLEMENTE Papa baptizatus, & Dionysij spiritualis filius, ab eo in Galliam ductus, Ebroicensis ciuitatis tandem Præsul efficitur.* Mater vocabatur Eutychia, pater Tarquinius: illa Christiana & religionis amantissima; hic autem Gentilis & Christianorũ acerbissimus persecutor fuit. *Qui, vt sæuissimus lupus*, inquiunt Acta, *persequebatur Christianos, nesciens vxorem suam esse Dei famulam.*

CAPVT XVII.

a DEscribitur hic S. Dionysij reditus ex Asia & Italia Parisios.

b *ANNVM ENIM ÆTATIS NONAGESIMVM IAM EXCESSERAT.*) Colligitur hæc Dionysij ætas hoc pacto: Cùm Parisios à profectione Asiana rediјt, erat annus Traiani Imperatoris primus. Nam totũ Neruæ tempus (quod non integer sesquiannus fuit) in illa peregrinatione consumptum est, præsertim cum non statim initio imperij Neruæ profectus sit, sed tantùm postquam audiuit reuocatos à Nerua exules, & Ioannem in Asiam reuertisse: iam autem primus annus Traiani est CHRISTI Domini centesimus: Dionysius autem annos nouem dumtaxat iunior Christi ætate fuit, vt suprà probatum est, capite primo Notationum. Itaque nonagesimum excesserat, cùm Christi fuit centesimus.

c *EVANGELIVM, SCRIPTIONIS QVIDEM TEMPORE* &c.) In confesso est apud omnes Ioannem Apostolum postremo loco inter Euangelistas scripsisse, altiùs tamen quàm alios, aquilæ instar (quæ proinde aquila appingi solet illius imagini) in prædicanda Christi diuinitate subuolasse. Vide multa de eius euangelio & euangelij prærogatiuis, apud nostrum IOANNEM SERVIVM in Apparatu euangelico, capite septuagesimo quinto.

d *NAM NERVÆ IMPERIVM BREVE ADMODVM, NEC SESQVIANNO PAR* &c.) Sunt enim, qui tredecim menses dumtaxat, diésque aliquot ei tribuant. Alij, qui annum & menses quatuor, paullóque amplius, sed nemo, quem legerim, sesquiannum integrum.

e *NVNC ET DE APPETENTE EXTREMO CERTAMINE* &c.) Præmonitum fuisse Dionysium de instanti martyrio, continent etiam Acta S. TAVRINI, apud Vincentium Bellouacensem libro decimo, cap. 33. in illis verbis: *Et vt cognouit cum hoste rapido se habere conflictum, TAVRINVM eiusdem Ebroicæ ciuitatis ordinauit Episcopum*, id est, postquam intellexit instare sibi extremum conflictum, festinauit Ebroicensibus dare Episcopum. Sic Apostoli PETRVS & PAVLLVS, sic & alij diuinitus sui exitus nuncium acceperunt, & successores declararunt. Nec tacuit diabolus, sed quas parabat Dionysio insidias, ex ira & indignatione aperuit, cùm scilicet venienti Ebroicas TAVRINO, cuius timebat FIDEM, dixit: *Illum equidem, qui huc te transmisit, citò faciam interire, vt tecum ineam singulare certamen.* Nempe incitauit idem dæmon cultores suos, vt in Dionysium, tanquam impium & Deorum contemptorem insurgerent, & neci darent. Quod & factum est.

f *EST AVTEM EBROICA, GALLIAE CELTICAE ANTIQVA CIVITAS* &c.) Populi vocantur Iulio Cæsari, libro tertio De bello Gallico, EBVRONICENSES, idiomate gallico, *Les pays d'Eureux*. Sunt autẽ in Gallia Celtica, Aulercis, Lexobijs, Vnellísque finitimi. Ciuitas primò Eburonicæ, deinde Ebroicæ & Ebroica est dicta, quibusdam quoque Eburonicum. Vide Robertum Cenalem libro secundo, *De re Gallica*, perioche 4.

ADVERSVS DAEMONES ET MAGOS PRORSVS NECESSARIVM) Quæ aduersus illos gesserit S. TAVRINVS, vide apud Vincentium libro antè nominato, capite 34. & Petrum Equilinum libro septimo,

mo, capite quinquagesimo.

h *Cui rei SANCTINVM & ANTONINVM à Carnutibus euocauit.*] Ex eorum Actis id collegit Vincentius libro decimo, capite 22. sed quod factũ dicit sub Domitiano, id sub Hadriano accidisse alibi probatum est. Nam sub Hadriano instare sibi martyrij tempus intellexit: sub eodem illos suos discipulos euocauit: sub eodem mortem pro FIDE oppetijt. Quòd non tantum è vetustissimis Martyrologijs, sed etiam è plurimorum Sanctorum Actis, (vt disperse alibi notauimus) colligitur.

Quòd si in alijs quibusdam rebus sit nonnulla diuersitas, hæc ad meliorem partem, & eam, cui Scripta ipsius S. Dionysij & ratio ipsa fauent, accommodanda est. Nam si tempora ipsa nonnunquam rebus aduersentur, æquũ est è duobus ea potius reprobari, in quibus errare sit procliuius: ac proinde relictis temporibus, quæ in errores maximè sunt lubrica, res ipsas gestas, quæ animo & memoriæ fixius inhærent, sartas tectas conseruari. Itaque S. Dionysius imminẽtem præsentiens mortem illos suos discipulos à Carnutibus (vbi vineam Domini excolebant) accersiuit, totumque martyrij sui certamen diligenter obseruare, atque ad Pontificem Romanum, & inde in Græciam ad Athenienses partim deportare, partim curare nunciandum iussit: vt ipsi & de feliciter confecto huius vitæ cursu gratias Deo agerent, & erga Dei cultum religionémque bono fortique animo essent.

De Carnutibus, quorũ hic mentio, ita Cæsar libro sexto *De bello Gallico* agẽs de Druidibus: *Hi certo anni tempore,* inquit, *in finibus CARNVTVM (quæ regio totius Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato: huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorúmque decretis iudicijsque parẽt:* De ijsdẽ ita Raimundus Marlianus, in *Indice populorum*: *CARNVTES* inquit, *populi inter Celtas Andegauensibus Turonibusque finitimi ac oceano proximi. Erant in clientela Rhemorum. Regio eorũ totius Galliæ media: à qua tamen extra regnum FRANCORVM biduo iter expedito patet.*

Sed quomodo, inquiet aliquis, ea regio est totius Galliæ media, si oceano proxima? Media igitur est, non omni dimensione, quasi ex omnibus vndique Galliæ finibus tantundem ad illam sit spacij, sed media secundùm longitudinem duntaxat. Vrbs ipsa Carnutũ, siue Carnotum, vulgo *Chartres,* (Ptolemæo Αὔτριχον Autricum appellatur) ciuitas est Episcopalis, *media inter LVTETIAM Parisiorũ (à qua in occidentem ad XX. M. P. Gallica recedit) & Vindocinum,* inquit Philippus Ferrarius in suâ ad martyrologium Romanum Topographia: apud quem etiam reperies, qui præcipuè Sancti ibidem colantur.

CAPVT XVIIII.

Narratur in hoc capite S. Dionysij & sociorum comprehensio, & Lisbij martyrium.

a *ECCLESIAE REBVS, LABENTE IN DIES MAGIS, MAGISQVE SVPERSTITIONE &c.*] De ecclesiæ prospero successu & diaboli inuidia, vide Syncellum in Encomio S. Dionysij sub finem, & Metaphrastem in vitâ.

b *IN IPSO EVANGELII PRAECONIO COMPREHENSVS EST.*] Id sic annotat Metaphrastes: Καὶ τὸν μακάριον ἀθρόον ἐπιπεσόντες συνάμα δισμοῦσι τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ τὴν θείαν ἀνὰ στόμα διδαχὴν ἔτι φέροντα: *Et in beatum subitò irruentes, simul cum socijs vinciunt adhuc diuinam doctrinam ore exprometem.*

c *SÆPE ALIOQVIN ILLAM DRVIDES &c.*] Nulli vnquam Gentilium Christianis infestiores fuerunt, quàm ipsorum flamines & sacerdotes. Quippe quorum honos & lucrum per veram religionẽ deperiret. Quare etiam Druides Dionysio & socijs easdem ob caussas fuere multò infestissimi.

Locus de Druidibus, (vt qui, & cuius auctoritatis fuerint, pleniùs intelligatur) à Cæsare, libro sexto *De bello Gallico* depromendus est. Sic ibi habet: In *omni Gallia, eorum hominum, qui aliquo sunt numero & honore, genera sunt duo.* Tum quibusdam interiectis subdit: *Sed de his duobus generibus, alterum est Druidum, alterum est Equitum. Illi rebus diuinis intersunt: sacrificia publica ac priuata procurant: religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentum numerus disciplinæ caussa concurrit: magnoque hi sunt apud eos in honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituunt; &, si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, si de finibus controuersia est, ijdem decernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificijs interdicunt. Hac pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum ac sceleratorum habentur: ijs omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt; nequid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, siquis ex reliquis excellit dignitate, succedit: aut, si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur. Nonnunquam etiam armis de principatu contendũt. Hi certo anni tempore in finibus CARNVTVM (quæ regio totius Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorumque decretis, iudicijsque parent.*

Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque

illo discendi caussa proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt: neque tributa vnà cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmijs & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur.

Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent: neque fas esse existimant ea litteris mandare: quum in reliquis ferè rebus publicis, priuatisque rationibus, græcis litteris vtantur. Id mihi duabus de caussis instituisse videntur: quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, litteris confisos, minus memoriæ studere: quod ferè plerisque accidit, vt præsidio litterarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab alijs post mortem transire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarũ magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & iuuentuti tradunt.

Hactenus Cæsar de Druidibus. Vnde nobis ratiocinari ex vero licet, quo loco Christianis & quantâ in auctoritate esse debeant veri ecclesiæ sacerdotes; & quibus donari immunitatibus, & quanti eorum æstimari excommunicationes & interdicta & decreta oporteat. Si enim tanti vitrum, vt aiunt, quanti margaritum?

Illorum meminit etiam Aristoteles in Magico, apud Diogenem Laërtium de vita Philosophorum initio. Illorum & M. Tullius strictim mentionem facit libro primo, *De diuinatione*, post medium, vbi illos physiologiæ, & rationis diuinandi ac prædicendi gnaros fuisse declarat. *Siquidem & in Gallia Druides sunt*, inquit, *è quibus ipse Diuitiacum Heduum, hospitem tuum, laudatoremque cognoui, qui & naturæ rationem, quam physiologiam* Græci *appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim augurijs, partim coniectura, quæ essent futura, dicebat.* Ita Tullius.

Paullò fusius Pomponius Mela, libro tertio, *De situ orbis*, capite secundo, vbi post alia de gentis moribus; *Habent tamen*, inquit, *& facundiam suam, magistrósque sapientiæ Druidas. Hi terræ mundique magnitudinẽ & formam, motus cæli & siderum, ac quid Dij velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos gentis clam & diu, vicenis annis in specu aut in abditis saltibus. Vnũ ex ijs, quæ præcipiũt, in vulgus effluxit, videlicet (vt forent ad bella meliores) æternas esse animas, vitamque alteram ad Manes. Itaque cùm mortuis cremant ac defodiunt apta viuentibus. Olim negociorum ratio etiam & exactio crediti differebatur ad inferos, erãtq́; qui se in rogos suorum, velut vnà victuri, libenter mitterent.* Sic ille. De ijsdem verò Druidibus iuuat Ammiani Marcellini lib. XV. historiæ breuem adiungere memoriam. Describens ergo Galliam, eiusque partes ac terminos, sic inter alia: *Per hæc*, inquit, *loca hominibus paullatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitabant. Eubages verò scrutantes summa, sublimia naturæ pandere conabãtur. Inter hos Druidæ ingenijs celsiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, sodalitijs adscripti consortijs, quæstionibus occultarum rerum, altarumque erecti sunt, & despectantes humana, pronunciarunt animas immortales.* Ita ille. Verùm cùm è Strabone strictim ista attigisse Ammianus videatur, bonum iudico ipsum audiri Strabonem. Igitur libro quarto Geographiæ, sic de illis: Παρ' ἅπασι δ' ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί· Βάρδοι τε, καὶ Εὐβάγεις καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν, ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. Εὐβάγεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι. Δρυΐδαι πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινάς. ὥστε καὶ πολέμους διῄτων πρότερον, καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον. τὰς τε φονικὰς δίκας μάλιστα τούτοις ἐπετέτραπτο δικάζειν· ὅταν τε φορὰ τούτων ᾖ, φορὰν καὶ τῆς χώρας νομίζουσιν ὑπάρχειν. Ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον. ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ. *Apud omnes verò, vt plurimum, tria sunt genera eorum, qui eximiè honorantur, Bardi & Eubages & Druidæ. Bardi quidem, hymnorum & poematum sunt compositores. Eubages autem sacrifici, & Physiologi: Druidæ verò præter Physiologiam, moralem tractant Philosophiam. Et hi quidem iustissimi reputantur; ideoque & priuata, & publica illis committuntur iudicia. Quin & bella olim decernebant, & bellaturos inhibebant: ijsdémque caussæ capitales præcipue credebantur. Immo & illorum numerus si sit magnus, agrorum quoque magnam expectant vbertatem. Immortales verò & ipsi & alij dicunt esse animas, & mundum: dominatura autem aliquando ignem, & aquam.*

Sic ibi legendum græcè Strabonem, & latinè vertẽdum planè existimo. Nã alioqui græcè in editione Basileësi, anni M. D. XL. IX. legebatur: Βάρδοι τε καὶ Ὀυάτεις καὶ Δρυΐδαι. & latinè reddebatur: *Bardi, & Vates, & Druidæ.* Atqui nomen *Vates* nihil nec græci, nec gallici idiomatis antiqui sonat: quemadmodum alteræ duæ, sed ex latina *Vates* formata est. Vnde existimo temporibus Ammiani Marcellini (in cuius varijs editionibus semper *Eubages* reperi & nunquam *Vates*) lectum fuisse in Strabone Εὐβάγεις *Eubages*, aut certè Εὐαγεῖς, quod sonat pios & sanctos. Ait enim idẽ Strabo illos fuisse ἱεροποιοὺς, *sacrificos*. Hoc autem, si vllorum, maximè profectò & vnicè piorum & sanctorum est munus. A me quidem stat Stephanus Forcatulus, libro 1. *De Gallorum imperio*, vbi sic de ijsdem Eubagibus. *Ceterum Eubages plerumque mediocribus fortu-*

nis,

nis,& natalibus non ita splendidis educti profitebantur sapientiam & sanctimoniam. Vnde & ipsis nomen subducta littera. Nam Εὐαγὴς sanctum ac pium significat. Sic ibi.

Accedit, quòd apud Lucanum, libro 1. Pharsaliæ, iidem sunt Bardi, qui Vates. Sic enim ibi de illis & de Druidibus coniunctim scribit:

Vos quoque, qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus, morémque sinistrum
Sacrorum, Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, & cæli numina vobis:
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis: vobis auctoribus vmbra
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est: certè populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo! quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris: animaq; capaces
Martis: & ignauum est reditura parcere vitæ.

Sic ille. Quod si in barbaris & fidei rudibus spes immortalitatis tantum potuit; quid mirû, si & in Christianis, & præcipuè in martyribus longè plus potuit, qui positis in medio tormentis illam Poëtæ illius postremam, veréque auream sententiam taciti clamabant, & generoso fine præstabant?

—— Ignauum est rediture parcere vitæ.

Et rediture quidem multo meliori, quàm abierit. Siquidem misera & caduca abijt: beata & sempiterna reditura est. Quod autem isti veteres Bardi plus nimio simplices alijs gentibus haberentur, hinc factum est, vt *Bardus*, pro simplici & stolido vsurpatum sit, non alijs solùm, sed & M. Tullio, qui hæc in libro *De fato: Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit & bardum, quòd iugula concaua non haberet: obstructas eas partes & obturatas esse dicebat. Addidit etiam mulierosum: in quo dicitur Alcibiades cachinnum sustulisse*. Itaque Eubages, qui fuisse dicûtur physiologi, similes fuerunt isti Zopyro, quem *Physiognomonem* appellat ibi Tullius: cuius etiam græcæ vocis subiunxit significationem. Nota etiam Ammianum, id quod est apud Strabonem de iisdem Eubagibus ἱεροποιοὶ, *sacrifici*, legisse ἱεροφοῖται, *aeripeta*, quandoquidem verterit, *scrutantes summa*, nec vllam fecerit sacrificandi mētionem. Sed quærat hic fortè aliquis, quonam pacto dici possint Gallorum Druides S. Dionysium esse persecuti, cùm ex longo iam tempore essent ab Imperatoribus è Gallia relegati? Nam de Claudio scribit Suetonius inter alia: *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuit.* Deinde sunt, qui excisa silua, in qua docere consueuerant, tota eiectos Gallia migrasse in Germaniam scribāt: consedisse autem apud Herbipolim, isti vulgati versus diuulgant:

Herbipolis Druidum quondam celeberrima sedes:
Francigenæ eximios quos coluere viros.
Herbipolis Bacchi & Cereris pulcherrima mater,
Et Mœni decus & filia pulchra senis.

Vnde igitur his temporibus in Gallia?

Respondeo idem ferè dicendum de Druidibus, quod de Magis, sæpe scilicet pulsos, sæpe damnatos, semper tamen fuisse: secundò, quos aliqui Imperatorum damnabant, alios non modò tolerasse, sed etiam in precio habuisse, ac de futuris eos consuluisse. Fuerunt enim quidam Imperatorum Magis & Hariolis, & alijs huiusmodi vaticinatoribus mirè addicti, & quæ sibi successura essent, quos successores habituri, quouis modo cognoscēdi longè cupidissimi. Hi Magos, hi Druidas, hi Haruspices tolerarunt, fouerūt, auxerunt.

d AD NECEM ET CARNIFICINAM PERQVISIVERANT.] Hilduinus in Areopagiticis, *Et cùm sæpissimè*, inquit, *ab idolorum Pontificibus contra eum seditio excitaretur in populis: ita vt plebes innumeræ etiam de vicinis regionibus, cum armis & bellico apparatu, propter fideles, qui iam per illum in Christum crediderant, ad perdendum illum gregatim, vbi ipsum esse audiebant, concurrerent; mox vt illum cernere poterant, tanta & ita ineffabiliter in eo lux cælestis gratiæ radiabat, vt aut omni feritate vnà cum armis deposita se illi prosternerent, aut qui compuncti Spiritus sancti dono ad credendam non erant, pauore nimio soluerentur, & territi à præsentia eius aufugerent, miróque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere. &c.* Methodius in martyrio: θαυμάζω ᾗ πῶς ἀόπλοις ἀνδράσιν οὐκ ἠδύνατο πλῆθος ἔνοπλος ἀντιστῆναι. *Miror autem quomodo viris inermibus non posset armata multitudo resistere.* Ita Methodius. Cuius admiratio ipsa mihi est admirabilis: cùm id minimè nouum sit, vt trepident improbi coram sanctis, partim incutiente illis metum & artus concutiente (nulla etiam ex caussa) Deo optimo maximo, partim eos visis quibusdam forinsecus territante, vt olim Attilam *flagellum Dei* cognominatum, coram Leone primo Pōtifice. Vidit enim alium quendam sacerdotali habitu, Leoni adstantem, & mortem stricto gladio minitantem, nisi Leoni obtemperaret. Atque, vt alios omittam complures, quibus similia diuersis in ætatibus contigere, an non hisce nostris ferè temporibus apud Indos Orientales, in ora Piscaria barbari illi, qui ad necem Andreæ Fernando Societatis Iesu Sacerdoti (qua primum die is eorum transiret municipium) inferendam conspirauerant, iidem eiusdem aduentu, atque præsentia sic expauefacti sunt, vt hac, illac, nullo persequente diffugerent, atque in latebras, quasi iam iam capien-

di sese abderent? Quid quòd Iulius Mancinellus hac nostra memoria feros atque immanes Turcas sui & Christiani sanguinis sitibundos, cùm proximè adessent, ne verbulo quidem prolato, sed præsentia sola atque cõspectu ita percellebat, permouebatque, vt exuta luporum immanitate, tanquam agni innocui coram illo mites ac perhumani comparerent? Nempe Christus Dominus dux noster, & vitæ mortisque arbiter, vt suimet seruandi aut inimicis tradendi liberrimam habuit potestatem, (qua potestate & quando voluit, & quomodo voluit, vsus est) ita varias, nobisque incognitas, tam suos ex media morte eripiendi, quàm hostes deterrendi, vias & rationes semper quidem nouit, vsurpat autem cùm placet. Hoc verò nostræ sit modestiæ, totum huius rei arbitrium libenter ei relinquere, atque in ipso confidere,

INSIGNIS AVTEM DIONYSII ALACRITAS.] Hanc Dionysij ad martyrium tendentis alacritatem eius vitæ Scriptores litteris prodiderunt. Symeon quidem Metaphrastes his verbis: Εἰσῄει οὖν ὁ γεννάδας ἅμα Ῥουστίκῳ καὶ Ἐλευθερίῳ ἀτρόμῳ διανοίᾳ καὶ πεπαρρησιασμένῃ ψυχῇ, ὥσπερ εἰς ἑορτήν, οὐκ εἰς ἀγῶνα καλούμενος. *Incedit igitur hic generosus vnà cum Rustico & Eleutherio intrepida mente, & animo confidenti, tanquam ad festum, non ad certamen vocatus.* Michaël autem Syncellus sic illum & socios inter alia prolocutos scribit: Καὶ σπεύδοντες ἐπὶ τὴν τοιαύτην σφαγὴν ἄγαν ἀγαλλόμεθα, ὡς ἀσφαλῶς πιστεύοντες αὖθις ἀναστήσεσθαι τῆς κρείττονος καὶ μακαριωτέρας καὶ διαιωνιζούσης τευξόμενοι λήξεως, καὶ τοῖς ἀκηράτοις στεφθησόμενοι στέμμασι. *Atque ad hanc properantes necem valde exultamus: vt qui nos resurrecturos, & melioris, ac beatioris, sempiternæque hereditatis potituros, atque immortalibus redimiendos coronis certò credamus.* O si spes illa (quæ in alijs quoque martyribus appetendi votis omnibus martyrij præcipua caussa extitit) in cunctis mortalium viueret vigeretque animis! quod ferrum? quæ fera? quæ flamma timeretur?

f SE CHRISTI SERVVM ESSE RESPONDIT.] Vide Symeonem Metaphrasten in vita, vbi eum scribit omisso genere, patria, studijs respondisse Χριστοῦ δοῦλος εἶναι ὁμολογῶ. *Christi seruus esse profiteor.*

g ESSETNE ILLE QVI POPVLOS A DEORVM IMMORTALIVM.] Idem omnes ferè Scriptores vitæ, latini & græci, referunt: quos malo, si quis auctoritatis egeat, requiri, quàm diutiùs citandis eorum verbis immorari.

h CLARISSIMVM FIDEI SVÆ PROFESSIONEM VNO ORE EDIDERVNT.] Hanc professionem cùm apud apud alios, tum apud Methodium in Dionysij martyrio reperies.

i ECCE LARCIA MATRONA.] Quæ hic dicuntur, exscripserat octingentis abhinc annis Hilduinus Abbas ex vetustissimis Actis S. Dionysij manu scriptis.

CAPVT XIX.

a COmplectitur istud caput S. Dionysij & sociorum eius in carcere inclusionem, diuerberationem, & alios ad mortem vsque cruciatus. Græci Scriptores generatim tantũ quæ ad supplicia attinent, perstrinxerunt: sed Latini, apud quos hi sancti martyres tormenta passi sunt, quòd ea velut domestici haberẽt notiora, pluribus & singillatim sunt persecuti: præsertim Hilduinus Abbas, accuratissimus vetustorum Actorum explorator, qui fusiùs ac distinctiùs, quàm quiuis alius, ea conscripsit. Quæ autem inibi diuersa suppliciorum genera referuntur, compendio innuit Martyrologium Romanum ad diem nonam Nouembris illa clausula. *Tandem à Præfecto Fescennino, post grauissima tormentorum genera, vnà cum socijs gladio animaduersus, martyrium compleuit.*

b HIC ENIM STABAT SENEX, CENTVM DECEM, EOQVE AMPLIVS ANNOS NATVS.) Nam ad Hadriani primum (quo imperante eum occisum probauimus) erat Christi annus iuxta Eusebium & antiquos cẽtesimus decimus nonus, (iuxta Baronium vicesimus) ac consequenter Dionysij (qui nouem ferè annis Christi iunior erat) centesimus decimus. Malo enim, & id meliùs est, Eusebium in chronologia, & omnes Sanctos Patres illius sectatores sequi, quã quemuis alium ab illis discedentem. Non tamen ex eo, quòd imperante Hadriano occisum Dionysium dicam, accipi velim restrictè primo eius anno occisum, cùm satis probabile sit tertio aut quarto eius anno id accidisse, atque ita centum tredecim annos natum obijsse, (quod ex quibusdam Syncelli locis, quę capite sequẽti proferemus, videtur posse colligi) aut etiam aliquanto seriùs. Quod addo propter Flauium Dextrum, & Franciscum Biuarium, quorum ille satis innuit Dionysiũ vixisse annos centum viginti circiter: hic autem id disertè asseuerat. Hic enim commentario secundo ad annum Christi sexagesimũ sextum super DEXTRI chronico, *Ita S. Dionysius Areopagita*, inquit, *annum agens centesimum vicesimum occisus est, vt ad annum centesimum trigesimum Domini monstrabimus.* Monstrare autem, vel eius rei mentionem ibi facere, oblitus est. DEXTER verò ad annum Christi centesimum trigesimum, & Romæ octingentesimum, octogesimum primum, hæc scribit: *Sanctus M. Marcellus Eugenius Toletanorum Episcopus, sancti CLEMENTIS LEGATVS ad Gallias profectus, caussa communicandorum cum Dionysio grauium negociorum Tolosæ predicat, & eius vrbis Episcopus creatur post necem sancti SATVRNINI eius vrbis Episcopi & martyris.*

martyris? Inde profectus sciens martyrium sancti Dionysij condiscipuli sui, id ille celebrat elegantissimo carmine, & prope Lutetiam à satellitibus TRAIANI HADRIANI, cui ipse carus fuit, pro FIDEI patrocinio iugulatur.

Ex his igitur annotatis è regione anni centesimi trigesimi, collegit BIVARIVS, quod suprà dixit, Dionysium eodem anno Christi centesimo trigesimo obijsse, ac proinde Dionysij fuisse centesimum vicesimum. Videtur enim innuere Biuarius illo anno passum esse Dionysium, cùm dicit: *Inde profectus, sciens martyrium sancti Dionysij condiscipuli sui* &c. quasi nimirum in ipso itinere intellexerit recens occisum Dionysium. Quia tamen non rarò idem DEXTER multa ad vnum annum conglobat, quæ diuersis accidêre, ita vt non semper facile sit conijcere, quid potissimum illo anno factum velit, hinc locus hic (quo tamen nititur BIVARIVS) in ijs, quæ attingunt B. Dionysium, non omnino certus est, quia non propter Dionysium allatus est, sed propter S. Marcellum. Sic ad annũ Christi ducentesimum vicesimum (vti & in quæstionibus suprà notauimus) hæc habet: *TITVS cognomento Iustus Episcopus factus, secutus primò sanctum PAVLLVM, mox EVGENIVM, prædicat in CARPETANIA, vbi eius memoria magnitudóque miraculorum celebratur.* &c. Ex his omnibus, nihil ad citatum annum ducentesimum vicesimum attinet: nisi posterius membrum: *Vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur.* Legerat nimirum DEXTER illo anno celebrem fuisse in Carpetania memoriam miraculorũ beatissimi TITI. Quod dum in chronico suo annotat, bonum iudicauit simul, qualis fuerit Titus, annotare, licet illa vno ante sæculo accidissent. Ita etiã de Marcello Eugenio, quod dicit: *CLEMENTIS legatus*, non ita capiendum est, quasi illo anno centesimo trigesimo factus sit à CLEMENTE legatus, cùm CLEMENS ferè triginta antè annis obijsset; sed solùm quòd veterem Marcelli dignitatem designare voluerit, sicut & TITI.

c HOSTIAM DIVINO PONTIFICI MANV SVA OFFERT &c.) Christum Dominum Dionysio apparuisse in carcere, & sacrificanti acceptam ex altari hostiam sua obtulisse manu, Acta vetera continent, & antiquissimi rituales libri, è quibus hi cõfecti sunt rhythmi, quos nobis Antonius Demochares suppeditauit:

SENIORE CELEBRANTE
MISSAM, TVRBA CIRCVMSTANTE,
CHRISTVS ADEST COMITANTE
CAELESTI FREQVENTIA.
SPECV CLAVSVM CARCERALI
CONSOLATVR, ET VITALI
PANE CIBAT, IMMORTALI
CORONANDVM GLORIA.

Qui Demochares etiã addit: *Locus hic carceris, ob huius perpetuam memoriam, in ecclesiam cõuersus est, quæ hodie SANCTI DIONYSII A CARCERE dicitur & conspicitur.*

Magnum hoc porrò & singulare prorsus beneficium; tantam fuisse Christi Domini in seruum benignitatem, vt se illi in carcere forma corporali videndum exhiberet: neque hoc tantùm, sed etiam, vt nulla vrgente tantæ dignationis necessitate, sui sacrosancti CORPORIS & SANGVINIS sacramentum, (quod nullis ante illud tempus, nisi Apostolis & Discipulis eum fecisse legimus) sua ipsius manu porrigeret. Decebat tamen, vt qui vitam verè egerat Apostolicam, hocce etiam priuilegio frueretur verè Apostolico. Scio equidem alijs quoque post sæculis nonnullos à Christo Domino simili propè affectos honore & beneficio. Nam habent Acta Ambianensis ecclesiæ, sanctum FIRMINVM illius populi Episcopum, cùm ædem supra FIRMINI martyris sibi cognominis sepulchrum, in honorem beatissimæ Virginis construxisset, ibique in die Paschatis festo sacra faceret, Christi Domini dexteram sibi sanctissima mysteria porrigentem conspexisse. De beata item COLETA, virgine ardentissimæ in Iesum caritatis, refert eius vitæ auctor Stephanus Iuliacus, capite 43. cùm sanctissimo refici sacramento percupisset, & ex sacrificantis obliuione consecrata hostia non fuisset, ipsum Dominum Iesum suis manibus pretiosissimum CORPVS, suum ei obtulisse. Vir item venerabilis IACOBVS DE VITRIACO loquens de claris Leodiensibus feminis, in prologo ad vitam sanctę Mariæ Oegniacensis (erat enim Leodij tum Archidiaconus, postea autem Episcopus, primò Acconensis, deinde Tusculanus, postremò S. R. E. Cardinalis) ad FVLCONEM Episcopum Tolosanum ita scribit inter alia: *Noui ego quandam in ijs sanctis feminis, cui, cùm ingenti veri illius AGNI carnes edendi desiderio teneretur, ipse AGNVS se impertijt, non ferens diutius illam languere: atque ex ea refectione illa conualuit.* Plura in sacris historijs, aut sanctorum vitis eiusmodi liceat reperire exempla: sed tam augustum, & tanta cum luce, & cum tam numeroso, támque aspectabili Angelorum comitatu, quàm B. Dionysio, hactenus nullum.

Verùm, ne id excidat, ille idem lapis sacer, super quem in carcere S. Dionysius rem diuinam faciebat, translatus fuisse dicitur ad cœnobium sancti Petri Broniensis in Leodiensi situm ditione. De quo ita Ægidius aureę vallis, apud Anselmum, *De gestis Stephani Episcopi Leodiensis*, capite quadragesimo: *Nam reliquiæ sancti Leodegarij Episcopi & Martyris, & lapis super quem beatus Dionysius sacrum mysterium celebrauit in carcere, quum Dominus Iesus apparuit eidem dans illi sacramenta, in dicto cœnobio dicuntur esse translatæ.* Sic ibi.

d ACCIPE HOC CARE MEVS &c.) Verba hæc Christi ad Dionysium prolata etiam

etiam apud Hilduinum Abbatem reperies. Neque dissimilia apud Dionysium Rickelium libro quarto *De nouissimis*, articulo quinquagesimo nono, sub medium: *Denique*, inquit, *diuino & magno Dionysio CHRISTVS in carcere apparens, sumumque corpus tradens, Accipe, ait, hoc care meus: quoniam merces tua apud me magna est valde.*

CAPVT XX.

a TRactantur hoc capite nonnullæ martyrij circumstantiæ. Quarum prima est tempus, siue Imperator, sub quo passus est S. Dionysius. Nam tenent quidam sub Domitiano, alij sub Traiano, alij sub Hadriano esse passum.

b QVI IMPERANTE DOMITIANO.] Hilduinus, Methodius, Metaphrastes, & quidam alij adscribunt martyrium Dionysij Domitiano Imp. Quod stare nullo modo potest, ne ex ipsorum quidem, si modo sibi in alijs constent, sententia. Nam si admittant, vti admittunt, epistolam illam, quæ ad S. Ioannem Apostolum in Patmo exulátem missa est, germanam esse Dionysij, & spiritu prophetico scriptam, in qua dicit propediem eum ab exilio reuersurum, & cum illo vnà se communicaturum, (quod fieri non potuit, nisi mortuo Domitiano, & Nerua aut Traiano imperante) nullo sanè modo dici potest mortuus esse Dionysius sub Domitiano. Erroris porrò caussam dedere antiqua Sanctorum scripta, quæ olim sine certis temporum aut Impp. notis, (vt hodiéque plurima) posteritati tradita sunt. Posteriores autem, rebus haud satis exactè dispectis, probabiles, vt existimabant, secuti conjecturas, Imperatorum nomina & persecutiones adiecerunt, & interdum hallucinati sunt.

c FVERVNT ET NONNVLLI, QVI TRAIANO.] AD TRAIANI tempora retulerunt Dionysij martyrium, è Græcis quidem, Michaël Syncellus & Suidas, è Latinis autem quædam martyrologia, & nominatim quod iussu Gregorij XIII. editum fuit. Quod ita habet, septimo idus Octobris: *LVTETIAE Parisiorum, natalis sanctorum martyrum Dionysij Areopagitæ Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleuthery Diaconi: ex quibus Dionysius ab Apostolo Paullo instructus credidit in Christum, atque ab eo baptizatus, primus Atheniensium Episcopus est ordinatus: Deinde Romam veniens, à beato CLEMENTE Romano Pontifice in Gallias prædicandi gratia directus est: & ad præfatam vrbem deueniens, cùm ibi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem à Præfecto Fescennino, sub Traiano Imperatore post grauissima tormentorum genera, vna cum socijs gladio animaduersus martyrium compleuit.*

Syncelli verba sic habent: Ὁ θεῖν ὑπέπλεως φήμη πανταχόσε θέουσα τὴν πανεύφημον αὐτοῦ προσηγορίαν ταῖς τοῦ Τραϊανοῦ τραχυτάταις ἀκοαῖς ἐνήχησε. &c. *Vnde velox fama quocumque discurrens clarissimum eius nomen* [Dionysij scilicet] *asperrimis Traiani auribus insonuit.* &c.

Suidæ autem sunt hæc: Ὁ τῶν θεοφάντωρ Διονύσιος ἤδη τὸν μακρὸν ἐλάσας χρόνον, καὶ πλήρης ἡμερῶν γεγονὼς τῶν τοῦ πνεύματος, μαρτυρίῳ τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ τελειοῦται ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος, ὅτε καὶ ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τὸν τῆς ἀθανασίας διήθλησεν ἀγῶνα. *Igitur Dei interpres Dionysius valde prouecta iam ætate, & spiritualium dierum plenus, martyrio pro Christo consummatur sub Traiano Cæsare, quando & Deifer Ignatius certamen immortalitatis decertauit.* Obijsse tamen sub Hadriano probabilius est. Et præter argumēta Baronij, allata anno Christi centesimo nono è varijs martyrologijs, & præsertim Adonis & Bedæ, bina adfero noua: vnum è Vetere Rom. martyrologio, quod Baronius diu optatum reperire non potuit; post eius verò mortem reperit & edidit noster Heribertus Rosvveidus: alterum è FL. LVCIO DEXTRO, cuius Chronicon post eiusdem Baronij obitum, abhinc tantùm biennio prodijt.

Itaque illud VETVS ROMANVM MARTYROLOGIVM ad V. Nonas Octob. Sic habet:

ATHENIS, DIONYSII AREOPAGITÆ SVB HADRIANO DIVERSIS TORMENTIS PASSI.

Vbi ad τὸ ATHENIS, subauditur, *celebratur memoria*, seu *dies natalis*, vt suprà docui, & euidenter ostendi quæst. 2. aduersus illos, qui existimabant τὸ ATHENIS cōnectendū esse cū PASSI. Vnde & mihi in hoc dederunt manus qui antè aduersabātur. FLAVIVS DEXTER autem in Chronico ad annum Christi 130. Romæ vero 881. vbi tempora persequitur HADRIANI Imp. scribit S. Marcellum Toletanorum Episcopum ex Hispania in Gallias ad Dionysium esse profectum, atque antequam Parisios perueniret, de eius martyrio intellexisse, atque illud carmine elegantissimo celebrasse. Vnde colligit FRANCISCVS BIVARIVS, Dionysium non tantùm Hadriano Imp. martyrium obijsse, sed etiam 120. annos vixisse. Nos prius illud tanquā certū admittimus: alterū autē non admittimus: eò quòd DEXTER in suo chronico (vt superiori quoque ca. indicauimus) nō restrictè per singulos annos procedat, sed iā duos, iā plures intermittat, résque interdū non hoc, illóue anno, sed *Sub hac tēpora*, aut *Per idē tēpus*, accidisse scribat, vt ex eius textu liquet, & fatetur Biuarius. Sic enim ab anno Christi 76. medijs omissis, ad 86. transit: & ab anno Christi 112. transit similiter ad 115. propterea, inquam, alterū de annis 120. Dionysij haud admittimus tanquam certum.

d ITA VETERRIMI CONCINNATOR MARTYROLOGII.) Illius nempe, quod vulgò VETVS ROMANVM MARTYROLOGIVM appellatur: cuius verba paullo antè sunt producta.

ITA

e *ITA VENERABILIS BEDA)* In suo enim martyrologio ad 3. Octobris sic habet: *NATALE sancti Dionysij Areopagitæ, qui ab Apostolo Paullo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem FIDEI, post grauissima tormentorum genera glorioso martyrio coronatur.*

Post quę verba, adduntur hæc in Adonis martyrologio, eadem die: *Vt ARISTIDES Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.*

Et his quidem simillima nunc leguntur in VETERE Romano. Nec refert, quòd rursum die nona eiusdem mensis, quasi de alio, eius martyrium coniungant cum SS. RVSTICO & ELEVTHERIO. Nam quo id modo acciderit, explicui suprà, quæst. 2.

f *FESCENNINO PRÆFECTO.)* De hoc Præfecto consentiunt martyrologia, Romanum, Venerabilis Bedę, Vsuardi, Adonis, & aliorum ad diem 9. Octobris. E quibus Beda & Ado addunt *SISINNIO. A Præfecto*, inquiunt, *Fescennino Sisinnio.*

Recensetur autem SISINNIVS in CHRONICO ALEXANDRINO inter Consules, imperante Hadriano, Olympiade CC. XXVIII. Indictione XV. anno Hadriani XXVII. ita vt valde sit probabile vnum eundemque esse, (præsertim tam concordi tempore) istum SISINNIVM Cos. & nostrum Fescenninum.

Accedit de Fescennino aliud è Romano martyrologio ad diem vndecimam Octobris indicium; quòd scilicet S. Nicasium & socios in pago Vilcassino, sub Præside Fescennino passos esse dicat: Atqui iste Nicasius, de quo hic sermo, primus fuit Rotomagensium Episcopus, qui & à CLEMENTE Pontifice in Gallias missus prædicatur. Vide Democharem in catalogo Episcoporum Rotomagensium, libro de diuino missæ sacrificio, cap. 20. & Notationes Baronij in Rom. martyrologium ad dictam diem. Quare si tempora Fescennini cum temporibus S. Nicasij Rotomagensium Apostoli congruunt, & Nicasius ætate CLEMENTIS Papæ vixit, & ab eo in Gallias missus est, nihil propius fidei apparet, quàm vtrumque tam Dionysium quàm Nicasium, eadem tempestate, & eodem Imp. & eodem Præfecto martyrium obijsse: præsertim cùm de alio eiusdem nominis Præfecto aut Præside posterioribus sæculis (quæ satis diligenter indagauimus.) omnino nihil sonent, neque martyrologia, neque sacræ historię.

Adde FRANCISCI FEVARDENTII, viri egregiè docti, auctoritatem, qui de primis Apostolorum discipulis in varias Galliarum partes distributis, ad librum primum S. IRÆNEI LVGDVNENSIS Episcopi, cap 3. Notatione 3. strictim eius meminit: vbi alijs multis recensitis, ad extremum hos adijcit: Superioribus quoque, inquit, beatus CLEMENS adiunxerat NICASIVM, TAVRINVM & EXVPERIVM: quos ROTOMAGENSES, EBROICENSES & BAIOCENSES, vt Apostolos & pastores magna alacritate receperunt.

Ad Exuperium porrò quod attinet (nam de alijs iam est dictum, partim hic, partim superiùs) Robertus Cenalis, Episcopus Arboricensis, libro 2. *De re Gallica*, perioche quarta, dum describit agrum Belocassinum (sic vocat, quem alij Vilcassinum aut Velocassinum appellant, cuius præcipua ciuitas est BAIOCÆ) vndecim recenset eiusdem ciuitatis Episcopos numero Sanctorum adscriptos, qua in recensione sic incipit:

EXVPERIVS totius regionis Apostolus, Diui CLEMENTIS Discipulus.

Et paullò inferiùs de eius ætate ita subdit:

Apostolico functus est officio diuus EXVPERIVS anno à parta salute quarto ac nonagesimo, collega vsus Diuo REVERENTIO.

Ne quis vero NICASII nostri ætatem calumnietur, atque ad posteriora tempora detrudi velit, propterea quod aliquem NICASIVM circa persecutionem Vandalicam pro FIDE percussum legat, nouerit illum non Rotomagensem, sed Rhemensem fuisse Episcopum, & trecentis propè annis nostro posteriorem.

Nam nostri à S. CLEMENTE in Gallias missi, etiam Chronologia Archiepiscoporũ Rotomagensium, opus Ioannis Dadræi postumum commeminit, vbi & isti allegantur VITALIS de illo versus:

Antistes Rotomæ datus à CLEMENTE NICASI.
Si non sedisti, caput at legando stetisti.

Quibus indicatur non peruenisse ipsum ad sedem suam Episcopalem, sed in itinere interemptum caput eis reliquisse, ac per illud quasi per principem corporis sui partem Rotomagi constitisse.

g *NEMPE ANNOS AMPLIVS CENTVM DECEM.)* Consequitur hæc ætas ex eo, quòd suprà probatum sit obijsse Dionysium imperante Hadriano; cuius initia imperij inciderunt in annum CHRISTI 119. ex recensione Eusebij, ac consequenter Dionysij 110. & aliquanto amplius. Nec enim Christus Dominus totis nouem annis Dionysium antecessit: siquidem anno Christi 33. erat Dionysius annorum 25.

Multum porrò huic sententiæ de tam longæua aut etiam longiore Dionysij ætate fauent Michaël Syncellus & Nicephorus Callistus: hic quidem lib. 2. historiæ eccl. cap. 20. dum scribit multos annos eum fuisse in occidente, & εἰς βαθὺ γῆρας *ad profundam senectutem*

ætatem peruenisse. Profunda autem senectus ea vocatur, ad quam à paucissimis peruenitur, quæ & extrema appellari solet, propterea quòd qui in profundo est, non habeat quò vlterius tendat. Michaël Syncellus verò ita in extremo Dionysij encomio inter alia: Οὕτως ὁ τῶν θείων ἀγώνων ἐμπειρότατος πρεσβύτης, καὶ βαθὺ καὶ πῖον εἰσελήλακὼς γῆρας πρὸς τὴν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ μακαριωτάτην προσεπήδησας σφαγήν. &c. *Sic ille diuinorum certaminum experientissimus senex, atque ad profundam & meritis fecundam progressus senectutem, ad beatissimā pro Christo mortem prosiliens*, &c.

Sed idem clariùs & expressiùs, cùm dicit Dionysium septuaginta annos in cursu Apostolico seu euangelij prædicatione posuisse. Quibus si addideris annos 40. ante ipsius ad Christum conuersionem (tot enim minimum fuerunt) inuenies totius ætatis annos centum decem.

Quare obseruandum est Baronium tomo 2. Annalium, anno Christi 109. errore lapsum in reprehensione SYNCELLI, dum existimauit illum numerare tantummodo 70. annos ætatis S. Dionysij. Nam hoc minimè facit Syncellus, minimè gentium. Quomodo enim id faceret, qui eum ad extrema persecutionis Traiani peruenisse scribat. Verùm omissis ætatis annis, de annis tantùm agit in Christiana vita & cursu Apostolico, vt ipse vocat, transactis.

Quod, vt magis constet, probabitur ex ipsius Syncelli verbis, duobus in locis. Prior locus in Dionysij encomio est talis: Ὁ μακάριος τοίνυν καὶ τρὶς τοῦτο καὶ πολλάκις Διονύσιος ἐπὶ ἑβδομήκοντα ἔτη χρόνον, διὰ μυρίων ὀνειδισμῶν καὶ πειρασμῶν καὶ πολέμων, καὶ κινδύνων, ὑπό τε τῶν ὁμογενῶν, καί ποτε ὁμοθρήσκων, καὶ τῶν συντρόφων φιλοσόφων, μᾶλλον δὲ ἀσόφων, διεληλυθώς. &c. *Beatus igitur, & terque quaterque beatus Dionysius ad septuaginta annos per mille opprobria & tentationes & bella & pericula, tam a suis popularibus & eiusdem aliquando religionis, & simul educatis Philosophis, aut insipientibus potius, transgressus.* &c. Quæ verba de annis ætatis accepit Baronius, cùm id verba non sonent, sed magis contrarium innuant, nempe tempus, quod in Christi seruitio multa inter opprobria, pericula, aduersa transegit. Quod ex verbis paullo pòst subsequentibus liquidò confirmatur, vbi dicit DIONYSIVM peregisse duplum S. PAVLLI cursum. Sic enim habet: Καὶ δραμὼν δρόμον διπλασίονα, τοῦ, ὃν Παῦλος ὁ πολύαθλος καὶ οὐρανοδρόμος δεδράμηκεν. *Et qui duplum eius cursum percurrit, quem Paullus multorum expertus certaminum, & ad cælos vsque prouectus, cucurrit.* Atqui S. Ioannes Chrysostomus in homilia de Principibus Apostolorum Petro & Paullo scribit cursum & certamen S. Paulli fuisse 35. annorum: cui si & alios 35. addideris, iustè 70. efficies, hoc est, duplum cursum Dionysij. Tot enim illi annos laborum tribuit Syncellus, vt iam videbitur. Alter locus igitur in eodem encomio, sub finem, est eiusmodi: Τίς ἂν τὸν ἐν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα τὴν ἀποστολικὴν ὁδεύσαντα τρίβον, καὶ σωτῆρα Χριστὸν κηρύξαντα &c. ἀξίως θαυμάσειεν; *Quis igitur eū, qui annos septuaginta viam triuerit Apostolicam, & SALVATOREM CHRISTVM prædicarit, dignè admiretur?* Quem locum si Baronius attendisset, simulque de duplo cursu accuratiùs perpendisset, nunquam, opinor, dixisset videri sibi hallucinatum Michaelem Syncellum, immo eum auidè pro sua sententia arripuisset (cùm ad eam plurimum faciat) vti & illum arripuit, quo scripsit Syncellus Dionysium ad extrema Traiani tempora peruenisse, siue, vt alibi est in græco, πρὸς τῷ τοῦ διώκτου τυραννίδος πέρατι, *ad finem persecutionis tyrannicæ*. Durauit autem & post ipsum Traianum incitata persecutio, nec successor Hadrianus initio imperij vel extinxit, vel repressit, sed tedaccendit potiùs & laxauit. Assentior enim Baronio hæc de illo scribenti: *Tantùm abest, vt persecutionem in Christianos iam à Traiano excitatam Romæ compesceret, vt acriùs atque acerbiùs instaurarit.* Et infrà. *Hadrianus igitur ipso in Imperium ingressu, etsi erga omnes Romano subiectos Imperio optimum Principem, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem.*

Vnde conciliari duæ sententiæ de tempore martyrij sic possunt, vt & sub Hadriano cæsus dicatur S. Dionysius & in persecutione Traiani, nempe à Traiano inchoata, ab Hadriano promota.

h *QVONIAM ILLIC MERCVRIVS HONORE PRÆCIPVO COLERETVR.*] Ita cultum fuisse Gallis Mercurium auctor est ipse Iulius Cæsar, lib. 6. de bello Gallico his verbis: *Deûm*, inquit, *maximè Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hūc ad quæstus pecuniæ, mercaturásque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam.* Ita Cæsar. Vbi Nota *Deûm maximè* id est, è Dijs maximè Mercurium colunt. Esse enim casus gignendi indicat vetus interpres Græcus, qui ita legit & vertit: Πάντων δὲ τῶν θεῶν τὸν Ἑρμῆν μάλιστα σέβουσι. *Ex omnibus Dijs maximè colunt Mercurium.* De Mercurio est etiam illa Tertulliani auctoritas, in Scorpiaco, aduersus Gnosticos, cap. 7. *Sed enim*, inquit, *Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victimia placari apud sæculum liquit.* Nota *liquit* præteritum esse à *liquet*. id est, *constitit*. Mentio item huius nefarij cultus extat apud Minutiū Felicem in Octauio sub initium: *Inde adeo*, inquit. *per vniuersa imperia, prouincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, vt Eleusinios Cererē, Phrygas Magnam Matrem, Epidaurios Æsculapiū, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauricos,*

os,Gallos Mercurium,vniuersa Romanos.

De Martis autem cultu testantur vetera Sanctorum Acta,è quibus hæc desumpsit Vincentius Bellouacensis, in Speculo histor. lib. 10.cap.27. dum ita de S. Dionysio & socijs scribit: *Hi sancti viri à beato Clemente directi, Apostolica benedictione roborati,& Spiritus sancti amore succensi, Dominici ruris fideles agricolæ barbaricis pectoribus verbum Dei inserente, Arelatensium venerunt ad vrbem,tantamque gratiã sanctis suis largitus est Dominus, vt eorum prædicationi plebs Arelatensis nullo modo resisteret,sed Euangelium Christi deuotis suscipiens mentibus conditorem omnium fideliter adoraret. Erat enim ibi maximæ venerationis templum, in quo Martis statua ab omnibus colebatur. Quam beatus Dionysius nullo hominum labore,sed diuini nominis inuocatione confregit,& eliminatis solitis cultus spurcitijs,ad regenerandum populum Dei,baptisterium ibi fieri præcepit: ipsum verò templum sub veneratione beatorum Apostolorum Petri & Paulli, ecclesiam consecrauit.* De Heso & Theutate, Dijs itidem Gallorum,eorúmque cultu,vide Lilium Gyraldum,in Historia Deorum, syntagmate XVII.sub finem.

i *DIONYSII MARTYRIS TRVNCVS* &c.] Symeon metaphrastes: Ἔφερεν ἂν τὴν κεφαλὴν καθάπερ τι τρόπαιον ἐπὶ τῶν χειρῶν &c. *Ferebat igitur caput in manibus,quasi trophæum aliquod.* Idem refert Methodius: Καὶ γὰρ τῇ μακαρίᾳ χειρὶ ἑαυτοῦ τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ὑπὸ τῶν ἀνόμων τῷ ξίφει ἀποτμηθεῖσαν ἔλαβε &c. *Etenim beata manu caput suum à corpore ab hominibus nefarijs gladio præcisum accepit.* Vide apud eosdem plura,& fusè apud Hilduinum.

Eadē de re ita Hugo à S. Victore lib.4. *De vanitate mundi,* sub finem: *Dionysius Areopagita,* inquit, *accepto mandato Galliam penetrauit, & pugnans,vt vinceret, præualuit stabilire leges in terra. Ipse enim,vt ostenderet viam vitæ, propter testimoniũ veritatis,verbum sanguine consecrauit: & ne mors vitã hereditaret,in mortuis vitæ signũ faciens,caput manibus baiulauit occisus.* Ita ille.

Nec silenda est hoc in loco Cælij Rhodigini de eodē miraculo pietas insignis & fides. Is libro tertio Lectionum antiquarum, eius ita meminit: *Scribunt & Christianæ veritatis assertores celeberrimi, Dionysium Areopagitã martyrio coronatum,posteaquam resectum illi caput est, aliquamdiu progressum,suum sibi caput baiulantē. Scio,ridebunt hoc Philosophi tanquã parum constanti veritate dictum. Nos autē CHRISTI Saluatoris infinita potentia id adscriptum volumus verissimè,ac sincerissimè.* Ita ille.

Ferũtur & alij Martyres non pauci sua eodē modo capita tulisse, atque inter primos sub ipso Nerone affectus martyrio S. Vrsicinus medicus: cuius sanctum cadauer sese humo erexisse, capútque ambabus manibus apprehēsum, ad locum, vbi sepulturę mandandũ erat, detulisse à plerisq; (vt scribit Hieronymus Rubeus, lib.1. *De gestis Rauennatum*) memoriæ proditũ est. Aliqui etiam addunt ex eius collo tres palmæ ramos enatos. De S. Ione Dionysij discipulo notaui capite XXI.vitæ. De S. Lamberto agricola Cæsaraugustæ in Hispania martyrium passo, testatur Flauius Lucius Dexter ad annũ Christi 300. Romę verò 1051. vbi de Cæsaraugustæ agens martyribus, *Item,* inquit, *ibidē S. Lambertus, qui succisum caput manibus importans, Angelo duce sanctorũ martyrum numero sociatus.* Sic ibi. Fuit is Lambertus homo agricola, seruus cuiusdam infidelis, à quo accusatus, & fidei caussa in ipso agro, vbi boues agebat arantes, capite plexus illud manibus suis exceptũ detulit vsque ad ceterorum martyrum sepulchra, illicque illum psalmi versiculum pronunciauit: *Exultabunt sancti in gloria:* cui succinentes alij martyres subiunxerunt: *Lætabuntur in cubilibus suis.* Vide Vasæũ in chronico, & Florem sanctorum Hispaniæ.

De S. Eliphio martyre sub Iuliano Apostata sic scribit Rupertus Tuitiēsis, in eius vita, cap. XII. *Martyris quippe corpus erexit se per virtutem Christi, & ambabus amplexũ manibus caput suum, per vnũ milliare, comitantibus vtique Angelis & Christũ collaudantibus deportauit. Deinde subijt in montem ipsum, & ibi lapidem colore album, situ planum inueniens, sedit super eũ; protinúsque duritia lapidis officiosè cessit pro martyri. Etenim, quasi cera bene mollis, insidenti gremium aperiens, concauum subselliũ præbuit, secuturis memorabile seculis. Vnde hactenus mons ille, mons dicitur S. Eliphij.* Ita Rupertus.

De S. Oriculo martyrium passo in persecutione Vandalica, qui abscissum caput in fonte lauit, atque ad sepulchrum, quod sibi parauerat, detulit, videndus est Flodoardus lib.1. historiæ Rhemēsis cap.8. De SEVERINO Boëtio, illustri Scriptore ita Iulianus Martianus in eius vita: *Ticini incolæ semper à maioribus traditum constanter asseuerant Seuerinum, cum regius spiculator lethale vulnus intulisset, vtraque manu diuulsum caput sustinuisse, interrogatúmque à quonam se percussum existimaret, Ab impijs, respondisse: atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante altare sacra percepisset, paullo pòst expirasse. Extinctus diuinos honores à nostris consecutus est: quòd pro Catholicis contra perfidiam Arij mortem sustinuerit.* Sic ille. Occisus est autem à Theodorico Rege Ariano ad annum Domini 526. Visitur Ticini in æde S. Augustini, carcer eius & sepulchrum. Nota per *diuinos honores*, intelligi sacros & religiosos, quales martyribus exhibentur, non autem quales Deo. De S. Lauriano Hispalensi Archiepiscopo, sic inter alia scribit Lucius Marineus Siculus, lib.5. de rebus Hispaniæ ante medium: *Mox autem ab eodem Angelo monitus, vt in Hispaniam rediret, quia pro fide Christi martyriũ pati eum oporteret, reuertens in itinere à Totilæ Regis satellitibus capite obtruncatur. Quod quidem caput abscissum manibus suis accepit. Quod cùm satellites vidissent, metu perterriti*

riti ad Christi fidem conuersi, & baptismatis oleo peruncti, caput Laurianı flentes Hispalim detulerunt. Et cùm Regi omnia, quæ viderant, retulissent, Rex quoque Christi nomen assumpsit, & huius sancti & aliorum tẽpla ædificari præcepit. Ita ibi.

De eodem S. Lauriano agit Ioannes Vasæus in Chronico ad annum Domini 544. quo ista euenisse credũtur. De S. Proculo Bononiensi Sigonius lib. 1. histor. Bononiensis. De S. Iustino, puero nouenni, sub Impp. Diocletiano & Maximiano, Venerabilis Beda, tomo 3. & ex eo Surius tomo 5. vitarum SS. idem miraculum tradiderunt. Adde his S. Theocnistum & socios martyres, S. Iustinianum monachũ, S. Decumanum eremitam, S. Ofitham Virginem & mart. & alios. De quibus quidẽ martyribus, ac præsertim de S. Dionysio & socijs, liceat mihi aurea illa B. Ioannis Chrysostomi verba vsurpare, & Francorum pietatem pari cohortatione excitare: *Sæpe*, inquam, *eos inuisamus: tumulos adornemus, magnaq; fide Reliquias eorũ contingamus: vt inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera in prælys sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur: ita & illi in manibus abscissa capita gestãtes, & in medium adferentes, quæcumque voluerint, à Rege cælorum impetrare possunt.* Ita Chrysostomus homilia de SS. martyribus Iuuentino & Maximo, sub finem.

k *CATVLLA EI NOMEN FVIT* &c.] Huius Catullæ meminerũt tam Græci, quàm Latini Scriptores vitæ S. Dionysij. Illi Κατύλλαν vocant. Eius memoriam in Menæo quoque reperies. Vide suprà, caput vitæ XXXI.

l *NAM SATELLITES MENSA EXCEPTOS* &c.) Scribit S. Ioannes Chrysostomus pari stratagemate vsum patrem sanctarum BERNICES & PROSDOCES martyrũ, homilia LI. ad pop. Antiochenũ. Is enim, quò filiabus suis faciliorẽ martyrij cursum efficeret, militibus qui eas custodiebãt, prandiũ apposuit, vinum affatim propinauit. Ita dũ illi epulantur & inebriantur, virgines duæ adiuuante matre in proximũ fluuium se demerserunt, & breui martyrio iniurias vimque satellitum tuta castitate redemerunt. Laudat illas integra oratione S. Chrysostomus, & ex Hierapoli vrbe Phrygiæ, vbi hæc facta sunt, ad verè *sacram vrbẽ*, hoc est, ad cælum, emigrasse tradit.

m *IN FEMINAE HONOREM CATVLLIACVS*) Meminit huius vici Aimoinus libro 4. historiæ Frãcorum, cap. 17. vbi agẽs de Rege DAGOBERTO, *In vicũ*, inquit, *cui CATVLLIACVS vocabulũ est, cursu defertur. In hoc viculo ædicula erat, quæ corpora martyrum Dionysij ac sociorum eius tegebat.*

n *ILLI DIE QVADAM*) Refertur hoc visum in Actis S. Reguli, Arelatensis Episcopi, apud Vincentium Bellouacensem, lib. 10. cap. 28. & apud Petrũ Equilinum, lib. 4. c. 15. & lib. 9. cap. 41. in Actis SS. Dionysij & sociorum, & apud alios.

o *TVM IGITVR IPSA QVOQVE ILLORVM SE DISCIPVLAM APERIENTE.*) Id apud Vincentium Bellouacẽsem innuitur in Actis S. Reguli, libro 10. historialis speculi cap. 21. vbi de eadẽ beata CATVLLA dicitur: *Fuerat enim à B. Dionysio signo crucis præsignata.* Fidelis quoque fuisse indicatur apud S. Antoninum, Archiepiscopum Florentinum, 1. parte, tit. 6. capitulo 28. *Quædam autẽ nobilis matrona fidelis*, inquit, *timens ne corpora Sanctorũ in flumẽ vicinum iactarentur ab occisoribus Sanctorum &c.* Apud Hilduinum vero in Areopagiticis traditur nondum fuisse baptizata. *Nã nobilis quædã materfamilias*, inquit, *Catulla nomine, quæ licet Paganorum adhuc erroribus, necessitate potiùs quàm voluntate teneretur addicta, conuersi tamen ad fidẽ Christi per exempla martyrum atque ad baptismi gratiam se peruenire desiderare, & mẽte demonstrabat & opere, DEI misericordia inspirata, mactæ virtutis consiliũ appetiuit: atque ad conuiuiũ venire postulat sanctorum corporum perditores.*

Verisimile est eandem CATVLLAM fuisse tantum catechumenam in S. Dionysij & sociorum martyrio, siue primis dumtaxat fidei rudimentis citra baptismum imbutam, illo autem à S. Regulo in hac apud ipsum commoratione illustratam.

CAPVT XXI.

RECensentur hoc capite præcipui discipulorum S. Dionysij.

a *MODO IONAM* &c.) Ionas vocatur in Martyr. Rom. 22. Septemb. & in Flauij DEXTRI chronico ad annum Christi 86. & alibi. Ionius autẽ à Vincentio Bellouacensi lib. 10. cap. 23. & à S. Antonino in 1. parte tit. 6. cap. 18. §. 2. & quibusdam in martyrologijs ad diem quintã Augusti. Verùm à Francis & olim & nunc, cũ monte eiusdem nominis Iõn appellatur, quo modo & à Petro Equilino, libro Catalogi Sãctorum 8. cap. 106. & à D. Boucherio Doctore Sorbonico, in epistola de Dionysij gemino episcopatu, & germanis eius libris ad Petrum Lansselium datã.

b *IN AGRO CASTRESIO.*) Galli sua lingua vocant *CHASTRES SOVS MONTLEHERT.* Castresium vocat etiam Equilinus loco citato. Aliqui CASTRENSIVM. Sed tum est genitiuus plur. FRANCISCVS BIVARIVS existimat agrũ Castresium, siue pagũ Castrensiũ, idem esse quod CASTRA CÆCILIA in Lusitania. Vide illũ in Commentario ad DEXTRI chronicon anno Christi 86. n. 12. & anno 130. n. 4. De Iõne seu Iona egimus etiam suprà ad cap. 10.

c *APVD CIVITATEM MELDENSEM.*) Nomẽ ciuitatis est MELDÆ, gallicè *MEAVLX.* Est ciuitas Episcopalis, media inter Lutetiam Parisiorum (à qua distat decem millibus passuum) & Castrum Theodorici. Multos habuit sanctos Episcopos, quorum primus fuit B. Sanctinus, de quo hic agitur: 2. S. Anto-

Antoninus Sanctini comes & successor: qui ambo coluntur ad diem 22. Septembris. Alios vide apud Philippum Ferrarium in NOVA TOPOGRAPHIA.

d *BEATI SANCTINI EPISCOPI*] De illo egi suprà ad cap. 15. & 17. Eum autem scripsisse martyrium S. Dionysij magistri sui, est in ipsius SANCTINI actis, apud Vincentium Bellouacensem, libro X. Speculi historialis, cap. XXII. sed in tempore consuetus error, (vt sæpe diximus, & alibi caussam erroris attulimus) in eo corrigẽdus est, quòd Domitiano attribuat, quæ sunt Hadriani. Probauimus enim S. Dionysium imperãte Hadriano affectum esse martyrio.

e *NAM VNA EADEMQVE DIE*] Habent S. TAVRINI acta apud Vincentium Bellouac. lib. X. cap. XXXIIII. illum suscitasse Eufrasiam Lucij filiam, eâdémque ipsa die ab eo baptizatos centum viginti homines, octo cæcos illuminatos, quatuor mutos sanatos, aliásque virtutes non modicas esse patratas.

f *NVNC DE EVGENIO* &c.) Aliqua de illo tetigimus quæst. 3. suprà: vbi disputauimus idemne sit Eugenius & Marcellus, & dato eundem esse, an etiam ille Eugenius sit Timotheus ille, ad quem Dionysius Areopagita libros suos misit, & cui eosdem dedicauit. Vide ibi.

g *REVISENDI ALIQVANDO MAGISTRI* &c.] Venisse Eugenium in Galliam ex Hispania, reuisendi Dionysij & cum eo conferendi gratia, habemus auctoritatem Gothici breuiarij, quam vide suprà cap. XII. Vide & Ioannem Marianam lib. 4. de rebus Hispaniæ, cap. 4. vbi inter alia: *Studio Dionysium inuisendi*, inquit, *in interiorem Galliam penetrauit, cum à Sisinny Præfecti satellitibus comprehensus in vestigio est occisus. Corpus in Marcasium lacum coniectum. Galliâ demum Christi sacris populariter imbutâ Hercoldus vir primarius diuino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, templo eius nomine dicato coluit.* Vide etiam L. Marineum Siculum lib. 5. de rebus Hispaniæ.

h *ET PRO FIDE OCCISVM LAVDAVIT, VT VICTOREM.*] Testis est FLAVIVS DEXTER ad Christi annum 130. S. DIONYSII martyrium ab EVGENIO celebratum *elegantissimo* (sic enim ait) *carmine.* Hilduinus quoque Abbas in epistola ad Ludouicum Pium semper Augustum, testatur S. Eugenium Toletanum scripsisse hymnum de beato Dionysio. *Nec mirari*, inquit, *quis poterit, cùm hymnum S. EVGENII Toletani, de B. Dionysio habeamus, & vicinorum sapientium scriptis exceptis paucis videamur carere.*

Istum hymnum depromptum è sacro Dionysiani cœnobij armario hic proferimus. Sic igitur habet:

1 Cæli ciues applaudite
Mundi iocundo lumini,
Quo illustratur cælitus
Huius diei gratia.

2 Præcelsa Fides martyris,
Sacrique vita Antistitis,
Dionysij nobilis
Hodie palmam suscepit.

3 Areopago Ecclesia
Regis sumpsit diadema
Cælestis, gemmam fulgidam
Dionysium Sophistam.

4 Paullo docente, speculum
Habet fides fidelium,
Et spiculum Gentilitas,
Quem antè murum nouerat.

5 Miro clarescens dogmate
Inluminauit Græciam:
Et inclytus hinc Pontifex
Vrbem Romanam adijt.

6 Clemente Romę Præsule
Iubente venit Galliam:
Cui iubar solis splendidi
Inluxit signis, famine.

7 Tandem repulso dæmone,
Constructo sacro opere,
Pœnis affectus maximis
Cæsa ceruice cælum adit.

8 Aue Pater scandens polum:
Aue pie visens solum:
Annua festi munera
Tuâ sacrans præsentiâ.

9 Offer Sacerdos optime
Gemitus nostros & preces:
Firma fidem martyr Dei,
Moresque nostros corrige.

10 Ope guberna fragiles,
In mundi huius Pelago,
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.

11 Quo, sine fine gloriam
Deo Patri cum Filio,
Vnà cum sancto Spiritu
Tecum canamus perpetim. Amen.

Scripsit autem Eugenius hymnum illum audito in itinere, martyrij nuncio, priusquam aduenisset ad sepulchri locum. Nam in ipsa via occisus est: & quidem à Præfecto Sisinnio, vt paullo superiùs innuit Mariana, hoc est, ab eodem, à quo S. Dionysius: quippe non multo interuallo alter post alterum.

L. Marineus Siculus loco suprà citato, *Qui postquam visitauit magistrum Dionysium*, inquit, *cùm iter esset ingressus, à Gentilibus deprehensus, & ex fidei confessione quis esset, cognitus gladio aperiente viam, qua magister suus illuc iam præcesserat, cælum coronatus ingreditur.*

i *ANNOS CIRCITER DVCENTOS IMMERSVM DELITVIT*) Ita scripserunt Vasæus in Chronico ad annũ Domini 97. Thomas de Trugillo tom. 2. Thesauri, ad 15. Nouemb. & Franciscus Biuarius in commẽtario

ad DEXTRVM, anno Christi 130. & alij. Verba Thomæ sunt: *Ibi ergo mansit per ducentos annos, donec tandem tempore Constantini Imp. facta fuit reuelatio Christiano cuidam Equiti, qui vocabatur Hercoldus.* &c. Biuarij autem: *Quomodo in Gallias tendens martyrij lauream adeptus, ac in lacum Marcasium iniectus, & inde reuelatione Hercoldo nobili viro à S. Dionysio facta, præclaro signo sanitatis miraculosè ipsi impertita, post ducentos aquei latibuli annos recens eductus, digno honore habitus fuerit.* &c. Quibus accedere videtur iam antè laudatus Mariana, dum indicat corpus repertum esse *Gallià demum Christi sacris populariter imbutâ*. Hoc autem factum esse non videtur ante tempora Constantini. Hic enim primus fecit, vt toti populi ad Christum concurrerent, & populariter Christi sacris imbuerentur. Huic etiam sententiæ fauet Gothicum Toletanum Breuiarium in hymno de S. EVGENIO, vbi hæc de eius martyrio, & corporis in illo lacu demersione, & perduratione, & reuelatione:

Patrem desiderat: votum prosequitur:
Iam propè venerat, hostis irascitur:
Sanctus vir rapitur: quem ensis temerat,
Caput velleas à corpore.
In lacu proximo corpus submittitur:
Custodi optimo pignus committitur:
Recens, vt mittitur, manet longissimo
Sub vnda corpus tempore.
HERCOLDVS patitur, quem Dei visio
Ex hoc alloquitur in DIONYSIO:
Salutis precio Sanctus redimitur
Digno locandus decore.

k *DECIMO ENIM CIRCITER, AB ORTV CHRISTI, SÆCVLO.*) Agitur hic de nonnullarum S. Eugenij reliquiarum translatione ad Broniense monasterium in diœcesi Leodiensi situm. Cuius translationis mētio non tantùm in vita S. Gerardi, Abbatis Broniensis, sed etiam apud Ægidium à Leodio, Aureæ vallis Religioso, reperitur. Vide Gesta Pontificum Tungrensium seu Leodiensium, tomo I. vbi Anselmus res Stephani Episcopi persequitur. Illic igitur Ægidius in suis ad Anselmum additamentis, ita de Gerardo Abbate scribit: *Per prædictum etiam Gerardum, corpus S. EVGENII Tolosanæ vrbis Episcopi & Martyris in Episcopatum Leodiensem translatum est. Qui beatus EVGENIVS discipulus Apostolorum fuit, & à beato DIONYSIO ordinatus Toletanæ vrbis Episcopus. Passus est martyrium sub FESCENNINO Præside, decimo septimo Calend. Decembris: sub quo & beatus Dionysius passus est.* Fuit hæc prima translatio quam etiam agnoscunt Molanus & Baronius in suis Annotationibus ad martyrologia, ad XV. Nouemb. & Ioannes Mariana lib. X. De rebus Hispaniæ, cap. 20.

l *QVI EI CONCILIO PRÆERAT STEPHANVS LEODIENSIS EPISCOPVS.*) Hic fuit in Episcoporum Leodiensium serie tricesimus nonus, iniitque Pontificatum anno Christi 903. hoc est, initio sæculi decimi. Ad quem annum ita Sigebertus in Chronico: *FRANCONE Leodiensium Episcopo mortuo STEPHANVS Episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam & passionem S. LAMBERTI martyris ad HERIMANNVM Archiepiscopum vrbanius edidit. Cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantúmque de sancta TRINITATE, & de inuentione STEPHANI Protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit.*

De miraculo S. Eugenij in curatione eiusdem STEPHANI Episcopi vide Ægidium loco suprà citato.

Notandum porrò in hac translatione, licet ab Ægidio dicatur CORPVS translatū, minimè intelligendum esse de toto corpore, sed tantùm de portione aliqua corporis. Est enim hęc frequentissima (cùm de sanctis agitur reliquijs) synecdoche partis pro toto. Vnde etiam error ille & certamen non raro nascitur, quo plures vrbes se alicuius Sancti corpus habere depugnant, cùm singulæ partem tantùm habeant.

m *ANNIS VERO POST HANC TRANSLATIONEM AMPLIVS DVCENTIS.*) Hęc est secunda translatio Reliquiarum S. EVGENII, quæ facta est anno Domini M. C. LVI. tempore LVDOVICI VII. Regis Galliæ, cùm Alphonsus Castellæ Rex brachium dextrum S. EVGENII ab illo obtinuit. Hanc secundam trāslationem Molanus & Baronius in suis ad martyrologia Notationibus, seu obliuione, seu ignoratione prætererunt, & quæ tertia fuit, secundam fecerunt: vt mox videbitur.

Huius autem, quam nos secundam ponimus, plerique omnes rerum Hispaniæ Scriptores, mentionem in Alphonso, aut in EVGENII vita fecerūt. Breuissimè IOANNES MARIANA lib. 4. *De rebus Hispaniæ*, cap. 4. his verbis: *Rege Castellæ ALFONSO, qui IMPERATOR est nuncupatus, eius brachium primùm TOLETVM relatum est, LVDOVICO VII. Galliæ Rege concedente in soceri Regis gratiam, & RAYMVNDI Toletani Præsulis. Nam quo is tempore EVGENIO III. Rom. Pōtifice ad Rhemensem Episcoporum conuentū se itinabat, ex itinere rem omnem de Hispanorum memoria oblitteratam præsens explorauerat.* Fusiùs autem libro XI. cap. III. Eandem secundam translationem descripserunt Hispanicè in vita S. EVGENII, Alfonsus de Villegas, in Flore Sanctorum, & Petrus Ribadeneira, in Vitis extrauagantibus. Vide etiam copiosè apud Thomam de Trugillo, in Thesauro concionatorum, tomo 2.

n *NEC VERO CESSAVIT HISPANA PIETAS* &c.) Hic describitur tertia translatio earundem SS. Reliquiarum B. Eugenij, siue totius reliqui corporis, quantum quidem Lutetiæ tunc erat. Facta est autem rogatu Philippi

Philippi II. Regis Hispaniarum, vt cap. 21. vitæ S. Dionysij suprà exposui. Huius träslationis multo nobilissimę omnes propè Scriptores meminerunt, & Hispani & externi. Ex Hispanis quidē nominatim illi omnes, quos modò laudaui, & alij quàm plurimi. Ex alijs Molanus & Baronius locis priùs hic citatis, in eo solo hallucinati, quòd secundam, vt dixi, appellauerint pro tertia.

CAPVT. XXII. & XXIII. & XXIIII.

POst vitam & martyrium S. Dionysij è re mihi visū est virtutes, quæ in eius elucent scriptis, aliquot capitibus imitādas proponere; tres scilicet, Pietatem, Modestiam, Mansuetudinem, totidem capitibus. In quibus cū nihil occurrat peculiaris, circa id quod agimus, difficultatis, sed ipsa S. Dionysij pura puta verba proferantur, nulla hic facta mora, vlteriùs progredior.

CAPVT XXV.

a IN hoc capite referūtur S. Dionysij in Reges Francorum illustria beneficia, in Dagobertum, in Carolum, in Pipinum, in Carolum Magnum, in Ludouicum Pium, & in alios Reges.

b *REX CLOTARIVS*] Quæ hîc de Clotario memorantur, ea cunctorum Franciæ Historicorum consensione firmantur. Vide Aimoinum libro 4. de gestis Francorum, & Paullum Æmilium lib. 1. & Robertum Gaguinum libro 3. & Belloforestium lib. 1. hist. cap. 30. & alios.

c *QVOD VTRVMQVE DAGOBERTVS*] De hac Dagoberti, aut *dextera* potiùs *excelsi* in Dagoberto *mutatione*, tam verè quàm eleganter STEPHANVS FORCATVLVS libro 5. *De Gallorum imperio*: *Ceterum*, inquit, *constat DAGOBERTVM, qui quandoque ædes Diuorum spoliarat, præsertim HILARII Pictauensis ære fusili valuas fabrefactas, prætextu DIONYSIVM exornandi, & alia sacra profanáque sine delectu legerat, iam senescentem ita ad templa extruenda & ditanda animum conuertisse, & diuinis cærimonijs augendis incubuisse, vt duos in vno homine DAGOBERTOS fuisse quis crediderit: aliter atque SALOMON, qui bona iuuentæ infami senecta exhausit inter mulierum greges, dijs reprobis thura adolens & immolans, accolens Astarthen Deam SIDONIORVM, quæ non fuit alia quam Venus.*

Et paullo inferiùs: *Melius itaque accidit Franco Regi, qui impietatis priorem maculam sequente sanctitatis decore eluerit, & impuræ voluptatis sordes speciosis rebus gestis purgarit. Vt & CHILDERICVS ille, de quo sermonem institueram, quo nihil vnquam odiosius habuere Franci, quamdiu immersit se spurcis voluptatibus; nec carius, dum emersisset. Tum enim maiore longè cupiditate reuocarunt, quàm expulerant.* Ita Forcatulus.

d *SED ET TESTAMENTVM*] Ad DAGOBERTI donationes ecclesijs factas quòd attinet, tot ac tantæ fuerunt, vt nullius fortasse à Constantino magno Regis aut Imperatoris eas æquare magnificentia potuerit. Quæ autem nominatim cœnobio S. Dionysij apud Lutetiam largitus sit, è regijs litteris, quas nuper edidit IACOBVS DVBLETIVS, cognosci potest. Extant illæ lib. 3. Antiquitatum eiusdem cœnobij, cap. 3. in quarum vnis mentionem iræ patris & auxilij à S. Dionysio obtenti strictum meminit ipsemet DAGOBERTVS hisce verbis, inter alia: *Orbis vniuersus eum* [Dionysium] *summo debet venerari obsequio: multum quidem ego, qui in declinando patris iram, ipsius sensi mihi non abfuisse gratiā.*

e *EXTAT ENIM EGREGIA LVDOVICI PII IMP.*) Epistola hæc Ludouici Pij extat in Areopagiticis Hilduini Abbatis à Galeno Vestcappellio editis, & apud Surium in Octobri, ad vitam S. Dionysij Areop.

f *DENIQVE ET PHILIPPVS AVGVSTVS* &c.) Videndus est Rigordus in libro, de gestis Philippi, vt etiam de Ludouico eius filio.

g *ET IPSE S. LVDOVICVS.*) Quæ hic de S. Ludouico, & alia de eodem, vide apud Guilielmum Nangium, vbi de eius gestis.

CAPVT XXVI.

a HIc de honoribus agitur, quos patrono suo Dionysio exhibuerunt Christianissimi Francorum Reges. De quibus vide Auctores cap. superiori citatos, & alios, qui res Gallorum persecuti sunt.

b *SED DE TEMPLI CONSECRATIONE* &c.] Templum S. Dionysij, in cœnobio eiusdem nominis, manu Christi Domini consecratum permulti Auctores referunt. Extat autem eius rei narratio fusè descripta apud Vincentium Bellouacensem in Speculo historiali, lib. 23. cap. 36. & apud Robertum Gaguinum lib. 3. historiæ Francorum in Dagoberto. Rem porro minimè improbabilem cōfirmat similis consecratio à duobus summis Pontificibus comprobata. De qua sic CAROLVS SAVSSEIVS libro annalium ecclesiæ AVRELIANENSIS, numero XII. *Credunt*, inquit, *AVENIONENSES, & hoc habet Bulla Sixti IV. Papæ, & alia Ioānis XXII. ecclesiam cathedralem suam, quæ S. Mariæ de Donis nuncupatur, à B. Martha Domini nostri hospita fundatam, manu Dei consecratam extitisse.* Meminit verò idem Sausseius, eodem loco dedicationis illius, de qua hic egimus. Sed & Albertus Crantzius libro 1. Saxoniæ. Accedit de tam sancta Dionysiani templi dedicatione, Guilielmi de Nangis, qui res sui temporis perscripsit, auctoritas. Is libro de gestis S. Ludouici,

douici, *Anno*, inquit, *Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo, regni Ludouici Franciæ quinto, Odo Clementis, Abbas S. Dionysij in Frãcia, cæpit ex consilio Regis Ludouici & Reginæ matris eius Dominæ Blanchæ, aliorúmque proborum virorum, & religiosorum ecclesiam B. Dionysij renouare. Quod antea sine consilio non audebat facere, quia sciebat eandem ecclesiam, dedicationis mysterium à Domino recepisse.* Et infrà: *Anno Domini*, inquit, *millesimo, ducentesimo, quadragesimo tertio, regni Ludouici Regis septimo decimo, ætatis vero suæ vicesimo octauo, sexto Kalendas Martij, in die festiuitatis B. Matthiæ Apostoli, (quo die festum dedicationis ecclesiæ B. Dionysij Areopagitæ, factæ per Dominum celebratur) peperit Regi Ludouico filium diu optatum sibi desponsata venerabilis Margareta.* Sic dedicata fertur ecclesia B. Mariæ Lakensis iuxta Bruxellam. Cuius dedicationis à Domino factæ solemnis memoria celebratur Dominica in Albis, seu octaua Paschę. De qua videri potest Nouale Sanctorum Brabantiæ, & Auctarium Arnoldi de Raisse ad natales Sanctorum Belgij per Molanum, ad 14. Aprilis. Mirabilis fuit ea quoque dedicatio, qua templum in honorem Apostolorum Petri & Paulli ab Eduardo Rege Anglorum sanctissimo exstructum, à S. Petro Apostolorum Principe fuit dedicatum. De qua dedicatione vide eiusdem S. Eduardi Regis & Confessoris vitam ab Aëlredo cõscriptam, tomo 1. Surij. Nec dissimilis ea fuit, qua ædes Apostolorum (quam S. Chendechildis Clodouei filia extruxerat) diuinitus, nec humana manu, consecrata prædicatur. Quam rem ita memorat Bernardus Odonius in Gestis Hormisdæ Pontificis: *Per idem*, inquit, *tempus floruit Chendechildis filia Clodouei, virginitate pariter & pietate famosa. Hæc in prospectu ciuitatis Senonis cœnobium sub honore Apostolorum construxit, multis ædificijs illud amplians, & prædijs locupletans. Quo profecti ad dedicandam basilicam cum S. Eradio tunc Senonis Præsule, vicinarum vrbium Præsules adfuere. Vbi dum in ecclesia pernoctarent, Angelicas audierunt voces dulcissimè concrepantes: facto autem mane respicientes altare, viderunt in quatuor angulis, & in medio marmoris, signacula crucis decenter impressa, stupentésque proinde non sunt ausi vlterius consecrare locum, quem cernebant diuinitus consecratum.* Hæc ille: quæ & à Roberto Cenale laudantur, lib. 1. de re Gallica, perioche duodecima.

c *DOMINE S. DIONYSII &c.)* Hæc desumpta sunt ex antiquissima historia manu scripta, siue ex Caroli Magni constitutione illic inserta, quam ex parte refert Belloforestius in Cosmographia sua, vbi de opido S. Dionysij agit. Sic est initium: *Præcepit etiam Imperator, vt omnes Franciæ Reges & Episcopi præsentes & futuri, pastori eiusdem ecclesiæ essent obedientes in Christo.* &c.

d *MON IOVE SAINCT DENYS)* De hac bellica acclamatione ita Robertus Cenalis lib. 1. De re Gallica, perioche 12. *Vides, vt externo etiam testimonio, Gallofrancorum comprobetur æterna memoria, Clodouei armis strenue cõparata: Vicit quidem Clodoueus, sed supra communem hominis captum, diuino potiùs auxilio, quàm humano consilio. Cùm enim in pendenti æquilibrio inter vtrumque volaret exercitum dubijs victoria pennis, essentque plurimi à parte nostra catholici milites, statim audita acclamatione ex ore principis, Sainct Denys, mon Ioue, resumptis, qui penè interciderant, animis, in partem catholicorum inclinare cœpit. Est autem huius tesseræ hæc interpretatio: Illum in meum Iouem, Deúmque summum recipio hac publica professione, quem vobis Gallicæ gentis Catholicis S. Dionysius à multis inde & diebus & annis euangelizauit. Quæ professio Clodoueo de ferocissimis hostibus victoriam peperit. Sunt qui ita interpretentur: Meus auxiliator & patronus Dionysius. Quem vos catholici milites Galliarum Apostolum agnoscitis; hunc ego vobiscum communem patronum lubens recipio. Legẽdum itaque est. Sainct Denys, mon Ioue.* non, *Sainct Denys, mõ ioie. Auctorem*, inquit, *habeo (si quis mihi diffidit) in hac re Hubertum Thomam Leodium, de Tungrorum, & Eburonum origine ita differentem: Apparet in excelsa rupe mons Iouis, arx ita nominata, & à Romanis nimirum constructa, quæ quidem hoc loco me, vt admonet Gallis malè intellectam Regũ suorum acclamationem, dum prælia ineunt, Mon Ioie, Sainct Denys, declarem, quam protulisse fertur is rex, qui primus inter Francos Christianæ religioni nomen dedit, & quam posteri reges in animandis suis ad fortiter præliandum vsurparunt & vtuntur: interpretantur autem: Meum gaudium, sanctus Dionysius: quod non ita sese habere vel fœminæ Gallicæ animaduertere deberent, cùm eorum lingua, Ioie, id est, gaudium, non masculini aut neutri, sed feminini sit generis, & dicendum fuerat: Ma ioie, sainct Denys. Non igitur ioie hic gaudium significat, sed Iouem, quem Galli Ioue appellabant: proptereáque Clodoueus inclinata suorum acie, cùm inuocando Iouem non proficeret, ad Deum Christianorum, quem per Galliam Dionysius, siue Areopagita ille, siue alius, annunciauerat, conuersus ad suos, qui magna ex parte Christiani erant, exclamauit: Sistite viri gradum, & fortiter pugnate: MON IOVE, SAINCT DENYS id est, meus Iuppiter, sanctus Dionysius erit. Hoc est enim, Deum relicto Ioue colam, quem Dionysius prædicauit, & vos adoratis. Quo audito Galli Christiani alacres in pugnam reuersi hostes fuderunt, & Clodoueus à Diuo Remigio sancto baptismatis lauacro ablutus est. Postmodùm reges hãc vocem vsurpare volentes pro Ioue, ioie pronũtiant, re non bene considerata. Quòd autem verum sit Gallos Iouem, Ioue, siue ioie appellasse, inde deprehendo, quod ijdem ipsi Iouios hodie ioie appellitant. Sunt autem Iouij, lapilli, quos peregrinantes per vias in cumulos coniiciunt, vt sint recti itineris indices, quales multos per Galliam Diuum Iacobum petentes vbiq; videmus, quos Galli mont-ioie vocant.*

cans. Est & in Eburonibus olim, nunc Iuliacensi Duci parens arx, in Arduenna sylua (qua parte Eyfelt appellatur) mons Iouis dicta, Montioie, vt hoc quoque annotarim. Hactenus eâ de acclamatione cum Huberto Thoma Robertus Cenalis. Sunt alij, qui arbitrentur in istis acclamationibus scribendum esse, olimque scriptum esse, *mont-ioye*, non autem, *mon Ioue*, neque, *mon ioye:* quibus *mont ioye* nihil est aliud quã *cumulus gaudiorum*. Itaque *mont-ioye, Sainct Denys*, non aliud interpretantur, quàm S. Dionysium ingentis gaudij conciliatorem esse, seu liberando ipsos ab hostibus, seu impertiẽda victoria, seu alia prægrãdi felicitate procuranda. Quę sententia cùm sit probabilis, tum etiam ad eosdem S. Dionysij laudum cumulos non parum facit.

f *NAM DE LVDOVICO QVIDEM* &c.) De pietate Ludouici Pij Regis & Imperatoris, extat epistola eius ad Hilduinum edita simul cum Hilduini Areopagiticis, à Matthæo Galeno Vestcappellio Coloniæ excusis anno M.D. LXIII.

g *ASSVMPTA AB ALTARI FLAMMVLA.*) Dicam de hac flammula, siue Auriflamma, quæ apud rerum Gallicarum Scriptores, tam Gallicos, quàm Latinos reperi digna litteris.

1. Auriflamma (quæ gallicè *Oriflamme* vulgò dicitur) vexillum fuit sacrum & militare, quadratum, è rubro ac flammanti serico, Regibus Galliæ ad bella & peregrinationes procedẽtibus, præferri solitum. De quo Ioannes Villaneus lib. duodecimo historiæ ita scribit: *Philippus sextus eduxit è templo diui Dionysij vexillũ ex auro & flamma, quod educi inde non solet, nisi pro summis Regis regnique necessitatibus, idq; ex auro & purpura compositum est.* Vbi per *aurum* intellige limbos aureos: per *flammam* seu *purpuram*, flammei seu purpurei coloris pannum sericum, vt infrà è Gaguino clarescet, numero 7. Quadratum porrò fuisse, ac nihil auri, nisi in limbis habuisse, inde colligi videtur, quòd Brito Armoricus scribat illud simile fuisse illis vexillis, quibus vti ecclesia solet in publicis supplicationibus, seu litanijs: illa autẽ sunt quadrata. Aurum item in limbis duntaxat extitisse, illis indicat verbis, vbi simplex & è simplici materia, (quam cendatum vocat) fuisse scribit in his versibus libro XI. Philippiados:

Ast satis est Regi, tenues crispare per auras
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei: litania qualiter vti
Ecclesiana soles certis ex more diebus.

Posteriores versus latiniores reddidit Massonus libro 3. Annalium, legendo & scribendo sic:

—— qualì celebri litaniâ
Vtitur in certis ecclesia sancta diebus.

2. Dicta est Auriflamma, quòd ex auro constans & purpura, aurearum instar flammularum rutilaret. Vnde Guilielmus Brito suprà vocat *splendoris rubei*. Appellatur etiam vexillum, seu standalium, seu stãdartum Diui Dionysij, postremis duabus vocibus è gallico *estandart*, efformatis.

Notandum verò *baculum peregrinationis* nõ esse (quod aliqui existimarunt) eundem cum Auriflamma. Quod è Sugerio & Rigordo veteribus rerum Gallicarum Scriptoribus patet: quorum ille in vita Ludouici ita de illo: *Venit Rex, vt moris est, ad Ecclesiam S. Dionysij, à martyribus licentiam accepturus: & ibi post celebrationem missarum, baculum peregrinationis, & vexillum beati Dionysij* (quod Oriflamme *Gallicè dicitur*) *valde reuerenter accepit*. Hic autem in libro de gestis Philippi Augusti, Francorũ Regis, ad annum Domini millesimum, centesimum, nonagesimum, ita de eodem Philippo: *Tandem cum lachrymis ab oratione surgens, sportam & baculum peregrinationis de manu Guilielmi Rhemensis Archiepiscopi, auunculi sui, Apostolicæ sedis Legati, deuotissime ibidem accepit: deinde desuper corpora Sanctorum, duo standalia decenter insignita, pro memoria sanctorum martyrũ, & tutela contra inimicos Crucis pugnaturus, proprys manibus accepit.* Ita ille. Vbi manifestè distinguit baculum peregrinationis à standalijs seu vexillis, quorum vnum erat Auriflamma: alterum, signum regale, quod vtrumque nominat Brito infrà, numero 6.

3. Cælitus in terram delata creditur, vt quẽadmodum Constantino magno Labarum, sic Francorum Regibus Auriflamma, signum esset victoriæ. Hinc flammulam victoriosam appellat Iacobus Meyerus, lib. XII. Annaliũ Flandriæ. *Flammulam illam victoriosam gessit eo die*, inquit, *Milo Noerius, qui non diu pòst fuit in humanis*. Eandem Stephanus Forcatulus appellat vexillum cæleste, libro VI. De Gallorum imperio, vbi sic scribit: *Nihil omnino FRANCOS iam pietatis studiosos magis inflammauit, quàm vexillum cæleste, purpureum, aureo licio variatum. Parcarum manu textum putares ad terrorem hostium nominis Christiani, Franciq; sparsis lilys similiter lectis ex hortis cælestibus, albicante circa medium cruce, non modo propter argenteum colorem, signis militaribus familiarem præ ceteris (quoniam, vt putat Plinius, longissimè fulget) sed peculiariter a Gallis receptum in sacris & carimonys.* Sic ille. *Sunt qui hoc cæleste beneficium Carolo Magno collatum fuisse contendunt*, inquit Gaguinus, libro 1. historiæ Francorum. Verùm alij retro vsque ad Clodoueum, primum è Francis Regibus Christianum, Auriflammæ originem referunt: idque velut certa ad posteros traditione fluxisse à maioribus credunt. Inde sunt aurei isti versus Ronsardi, Franciados lib. 4.

Vous du Clouis, grand honneur des Troyens?
Qui le premier abhorrant les payens,
Et des Gentils les menteuses escoles,
Pour suiure Christ, laissera les idoles,
Donnant baptesme aux François desuoyez,

Et

Et lors du Ciel luy feront enuoyez,
Vn Oriflamme, estandart pour la crainte
De ses haineux, & l'Ampoule tressaincte,
Huile sacree, onction de tes Rois?
Son escusson deshonoré de trois
Crapaults bouffis, pour sa vieille peincture,
Prendra des lis à la blanche teincture,
Present du ciel, Dieu qui le choisira,
D'honneur, de force, & de bien l'emplira.

Ad Clodoueum refert & Stephanus Forcatulus libro suprà citato. Sed de bufonibus, antiquis Francorum Gentilium insignibus, valde inficiatur: & ego vnà. Magis enim placet deriuatam fabulæ originem à Gallorum sacrificijs, bufonia appellatis. Nam græcè βουφόνια dicebantur sacra, in quibus boues taurine mactabantur. Ritum porrò talium sacrificiorum apud Gallos solemnium ita describit Plinius, lib. XVI. hist. Nat. cap. XLIV. *Sacrificijs, epulisque rite sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur: Sacerdos candida veste cultus arborem scandit: falce aurea demetit: candido id excipitur sago: tum deinde victimas immolant, precantes, vt suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali sterili arbitrantur, contráque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio est.* Sic ibi. Extat & Badij Ascensij carmen de insignibus Franciæ, hoc est, de lilijs, auriflamma, & sacro chrismate, quæ vocat cælica dona in his versibus:

—— at nobis cælica dona,
Et pia Francorum placeant insignia Regum;
Aurea cælesti primum sufflata colore
Lilia, Cæsareis olim iam credita ceruis:
Auriflamma dehinc, veterum victoria Regum:
Tum sacrum nitidis allatum chrisma columbis.

Cui paria sentit Stephanus Forcatulus lib. VI. De Gallorum imperio. *Tria* inquit, *pignora de cælo missa imperij Gallici sempiterna: scutum liliatum, phiala odorata, & vexillum splendidum, purpuram æthereum consitens pro certo. Nihil verò moramur incredulos & securos, qui forte humana, non diuino consilio, regna institui arbitrantur.*

4. Asseruabatur Auriflamma in ipsa vrbe & cœnobio S. Dionysij, & magnis cum cærimonijs ab ara eiusdem sancti, per manus Abbatis, à Rege ad periculosam militiam aut longam peregrinationem accincto assumebatur, & cum magnis item à reduce ibidem restituebatur. Iacobus Meyerus lib. XIII. Annalium Flandriæ, *Flammula* inquit, (*quod non nisi extremo discrimine solitum*) *ex penetralibus Dionysiaci cænobij deprompta, Petro Villerio, fortissimo viro, tradita.*

Eius vexilli vtendi præcipua tempora indicat breuiter Forcatulus, loco suprà laudato, *Vexillum*, inquit, *Gallis cælitus missum secundos bellorum euentus vel præstitit, vel ornauit: maximè contra Turcas & Sarracenos. Nec vllo libentiùs vsus narratur Carolus Magnus in sacris bellis, non vllo felicius. Illud quoque præferri iussit Philippus Augustus Hierosolyma debellatum tendens cum Richardo Anglorum Rege, sumpsitque ex æde Dionysia: sicut postea diuus LVDOVICVS Libyam petens. Plane Carolus VI. etiam aduersus Anglos sibi profuturum putauit idem vexillum VIDO TRIMOLLIO creditum: quod Auriflammeum nuncupabatur, nimirum à colore.* Sic ille.

5. Acceptam in manus Auriflammam dabat Rex gestandam Comiti Vilcassino, cui hic honos iure debitus erat, & cuius comitatus à S. Dionysio in feudum acceptus erat. Vide Sugerium in vita S. Ludouici Crassi, Francorum Regis, & Franciscum Belloforestium lib. 3. historiæ, cap. 41. vbi Comes Vilcassinus gallicè *Compte de Vexin* appellatur.

De ea cærimonia sic breuiter Papyrius Massonus lib. 3. Annalium Franciæ: *Crassus anno millesimo, centesimo, vicesimo quarto, publicis tabulis (quæ supersunt) agnoscit Comitatum Vilcassinum esse in clientela & iurisdictione Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum: & Comites Vilcassinos retroactis temporibus ius habuisse ferendæ in bellis Flammulæ. Idem Crassus deuoluto ad se Comitatu, eo bello, quod aduersus Henricum Cæsarem acerrimum parabatur, Flammulam, non vt Rex, sed vt Comes, à Præfecto illius monasterij alacriter suscepit.*

6. Antecedebat Auriflamma in prælijs alia omnia vexilla, etiam regium; nec pugnabatur, nisi præcessisset, excepta ob subitos hostium incursus necessitate. De qua re extat insignis locus apud Rigordum ad annũ Domini millesimum, ducentesimum, decimum quintum: *Othone*, inquit, *Imperatore ex insperato copias Regis Philippi inuadente, clamatur vbique per campos: arma, arma viri: clangunt tubæ: reuertuntur cohortes, quæ iam pontem transierant: reuocatur vexillum S. Dionysij, quod omnes præcedere in bello debebat, nec satis properè reuertitur, vnde nec expectatur.* Et paullo inferiùs: *Interea adueniunt legiones, quæ fere vsque ad hospitia processerant, & vexillum B. Dionysij, & accurrunt quantocius ad aciem Regis, vbi videbant signum regale, vexillum scilicet floribus lilij distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montiniaco miles fortissimus, sed non diues.* De eodem ita Guilielmus Brito lib. XI. Philippiados initio:

Quod cùm Flãma habeat vulgariter aurea nomẽ,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire:
Quod Regi præstare solet Dionysicus Abbas,
Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.
Ante tamen Regem signum regale tenebat
Montiniacensis, vir fortis corpore, GALO.

In quorum Auctorum verbis est duo vexilla distinguere: vnum B. Dionysij, siue Auriflammam: alterum ipsius Regis, quod signum regale appellatur.

7. Amissa fuit Auriflamma (vt auctor est Belloforestius in descriptione oppidi S. Dionysij) in prælio contra Flandros commisso.

De

De eadem Auriflamma, eiusq; amissione ita Gaguinus, lib. 1. historiæ Francorum, in Clodoueo: *Traditum quoque est pannum sericeum, rubrum, instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem, diuinitus esse exceptum: quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franci Reges vterentur: huicq; vexillo nomen Auriflammam hactenus permansisse, diuq; à Dionysianis cœnobitis asseruatum esse: sed abutentibus signo aduersus Christicolas Regibus, illud euanuisse: alterum tamen non dissimili forma instauratum esse, quod ab Episcopis & loci Abbate consecratum inter sacra asseruatur.* Denique amissa creditur Auriflamma ad montem Pabulanum, qui mons inter Duacū & Insulas Galloflandriæ vrbes hodiéque illustris est. Commissam inibi pugnā anno Domini M.CCC. III. inter Francos, & Flandros, præsente & fortiter dimicante Philippo Pulchro, Francorum Rege, describit Iacobus Meyerus, lib. X. Annalium Flandriæ. Quo in prælio & Regem ipsum fuisse vulneratum, & flammulam à Flandris discissam ac laniatam, & Anselmū Cherosium eius gestatorem interemptū memorat.

Negat tamen Dubleus recens Scriptor, lib. 1. historiæ suæ, cap. 41. amissam esse: immo se illam vidisse asserit. Verùm ego substitutam eum vidisse magis crediderim, quàm illam veterem & primam, de qua nimis constat ex ipsismet Gallis Scriptoribus esse deperditam.

8. In huius flammulæ siue auriflammæ locum, alia quam simillima vexilla deinceps fuerunt substituta: vt ex ijsdem Gallorum ac Flandrorum historijs condiscimus.

9. Ad Auriflammæ, seu veteris, seu nouarum benedictionem, hęc reperitur solita adhiberi precatio: *Inclina Domine aurem tuam ad preces humilitatis nostræ, & per interuentum beati Michaelis Archangeli tui, omniúmque cælestium Virtutum, sed & beatorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, omniúmque sanctorum tuorum, præsta nobis auxilium dexteræ tuæ: vt sicut benedixisti Abraham aduersus quinque Reges triumphantem, atque Dauidem in tui nominis laude triumphales congressus exercentem; ita benedicere, & sanctificare digneris hoc vexillum, quod ob defensionem Regni & sanctæ Ecclesiæ, contra hostilem rabiem defertur: quatenus in nomine tuo fideles & defensores populi Dei illud consequentes, per virtutem sanctæ Crucis, triumphum & victoriam se ex hostibus acquisisse lætentur.* E monumentis cœnobij Dionysiani apud Lutetiam.

CAPVT XXVII.

a CVm superiori capite actum sit de honoribus, quos S. Dionysio exhibuerūt Reges Frācorum; hic agitur de ijs honoribus, quibus eum alij sancti & illustres viri affecere.

b *CVI PROMISERAT DEVS SERMONE NON CASSO.*] Promisisse Deum opem omnibus, pro quibus supplicasset S. Dionysius, præter Helgaudum Floriacensem hic laudatum, etiam testatus est Hilduinus in vita S. Dionysij, vbi hæc verba: *Dilectio & benignitas quam habes, semper pro quocumque petieris, impetrabit.* Refert eadem verba Guilielmus Nangius in vita S. Ludouici. Similem à Domino promissionem preces S. Viti martyris subsecutam esse scribit VVitichindus lib. 1. Gestorum Saxonicorum. *Hanc vocem*, inquit, *subsecuta est sponsio diuinæ promissionis, rata & firma esse omnia, quæ rogasset.* De S. Gertrude, libro insinuationum 4. cap. 25. scribitur, *pro quocumque benignissimum Deum negocio inuocaret, id euentu prospero semper successurum.* Dixit etiam S. Dominicus, ille Dominicanæ fundator & pater familiæ, atque adeo præ se tulit, ac rebus ipsis ostendit, nihil se vnquam à Domino poposcisse, quin impetrauerit. Ac ne cui nimis hæc mira videantur, ipsum diuini Psalmistæ audiendum est testimonium psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Quin & nostra propè ætate, S. Teresia Carmelitarū discalceatorum mater sibi esse à Domino reuelatum dixit, neminem quicquam in nomine B. Petri Alcantaræ à Deo petiturum, quin esset impetraturus: ac se quidem multis in rebus promissi huius expertam veritatem. Vide vitam eius ab ipsamet scriptam, cap. 27.

ISTIS QVÆ IN HOC GENERE PRÆCIPVA &c.] Nā & alia in alijs adjici possent, si necesse foret. Helgaudi tamen Floriacensis monachi & Scriptoris, (quia nonnulla nobis suppeditauit) fiet aliqua mentio. Is igitur in fundo cœnobij Floriacensis, ædem paruulam construxit in honorem SS. Dionysij, Rustici, & Eleutherij: qua re intellecta misit ei Robertus Francorum Rex, eorundem Sanctorum nonnullas Reliquias; è Casula scilicet S. Dionysij, è Dalmatica S. Rustici, è Casula S. Eleutherij, atque è vestimentis eorundem sanguine aspersis, & de corporum pulueribus, nec non de triplici funiculo, quo astrictus fuerat sanctus martyr Dionysius. Horum testis est ipse Helgaudus in Roberto Rege Frācorum. Nec vero Canonicorum Rhemensiū pietas prætereunda est, qui templum S. Dionysio ædificarunt: quod Heriuęus Rhemensis Archiepiscopus, teste Flodoardo, lib. 4. cap. 13. consecrauit.

CAPVT XXVIII.

QVædā hic illustriora miracula, S. Dionysij ope & meritis, post mortem gesta referuntur: quibus cùm nihil nouæ lucis aut probationis opus sit, satis esse duxi illorum Auctores contra ipsa exempla in marginibus annotasse.

CA-

CAPVT XXIX.

HOc capite virtus & æstimatio Reliquiarum S. Dionysij, auro & topazio preciosior expenditur,

a *SANCTISSIMVM DIONYSII CORPVS HABVIT* &c.] Probauimus suprà fusè, quæstione 4 corpus S. Dionysij fuisse semper, & nunc esse in Francia.

b *NAM RHEMOS QVIDEM* &c.] Testis est Flodoardus lib. 1. historiæ Ecclesiæ Rhemensis, cap. 24. sub finem, aliquando fuisse Rhemis S. Dionysij corpus. *Quadam denique sabbatorum die*, inquit, *iam vespera dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine Gillaidis, ex familia sancti Dionysij villa Cortis superioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, vt diuelli posset à nemine. Tandem mola manubrium ex vtraque parte manus abscindere cogitur, indicium nolens secum ferre miserabilis operæ. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysij tunc Rhemis (ob infestationem Paganorum) seruabantur membra, veloci gressu ad eiusdem sancti martyris Domini sui contendit accedere pignora*, &c.

c *SEMEL ITEM A CAROLO MAGNO* &c.] Vetus M. S. Cœnobij S. Dionysij propter Parisios: *Itaque non tantùm gloria*, inquit, *verùm & potentia Karolus magnus, cùm bellum aduersus Saxones mirabili industria administraret, & sui præsentia vires exercitus acueret, Fardulphum B. Dionysij Areopagitæ Abbatem, inter alios, qui ad ferendum pondus prælij, & gentis audaciam comprimendam euocati vndique confluxerant, contigit accidisse. Hic sacra beatorum martyrum pignora secum ferre iussus fecerat, & custodes Clericos, qui secum proficiscebantur, vti eis vicissim succedentibus debita exhiberetur religio, delegauerat*. Ita ibi.

d *NAM CVM EI MANVM S. DIONYSII* &c.) De manu S. Dionysij à Carolo Simplice, Francorum Rege, ad Regem Saxoniæ missa, scribit Sigebertus in Chronico, ad annum Domini 922. his verbis: *Carolus Rex Francorum cum auxilio Lotharensium, iuxta vrbem Suessionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra se regnum Francorum inuadebat, eum cum multis peremit, & se, & Franciam Henrico Regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum preciosi martyris Dionysij Parisiensis, auro, gemmisque inclusam.*

e *QVOD VTINAM CLODOVEVS II. INTELLEXISSET!*) De Clodouei aduersus S. Dionysium irreuerentia hoc habemus Adonis Viennensis in chronico testimonium: *Clodoueus Rex*, inquit, *temere agens, brachium B. Dionysij martyris abscidit. Ab eo tempore (sicut Franci tenuerunt) regnum ipsorum cadere cæpit varijs casibus molestatum*. Robertus Gaguinus lib. 3. hist. Franc. cap. 4. *Huiusmodi religiosis operibus*, inquit, *cùm maximè operam daret Clodoueus, neque vllis agitaretur bellis, aperto Diui Dionysij feretro, brachij partem inde abstulit. Quod tametsi reuerenter haberet, protinus tamen mente concidit, secutæque sunt per Dionysiacum templum tenebræ, & rerum omnium obscuritas: vt qui illic aderant pauitantes citissimè inde aufugerent Rex, etsi insano non dissimilis esset, brachij partem ablatam auro circumdatam, & multis gemmis decoratam beato corpori restituit, simulque donaria monasterio attribuit, quibus meliorem sibi mentem recipere posset. Qui etsi paullo meliusculus extiterit, præ se tamen tulit insaniæ vestigium*. Sic ille.

Hæc ipsa, vt opinor, est manus, quam postea Carolus Simplex (de quo hic paullo antè) ad Henricum Saxoniæ Regem misit.

CAPVT XXX.

COntinet indicem librorum S. Dionysij, quorum duplex ordo ponitur: vnus eorum, qui supersunt; alter eorum, qui perierẽt. Quod autem hos scripserit, quos perijsse diximus, ex illis ipsiusmet scriptis, quæ supersunt, habemus testimonium. *De Symbolica Theologia* enim meminit, cap. 15. libri *De cælesti hierarchia*, & cap. 1. & 13. libri *De diuinis nominibus*, & cap. 3. *De mystica Theologia*, & epistola nona, quæ est *ad Titum*.

Theologicarum informationum meminit cap. 1. & 2. libri *De Diuinis nominibus*, & cap. 3. libri *De mystica Theologia*.

De anima meminit cap. 4. libri *De Diuinis nominibus*. *De iusto & Diuino iudicio* mentionẽ facit ibidem. *De Diuinis hymnis* meminit cap. 7. libri *De cælesti hierarchia*.

De ijs, quæ intelligentia, & sensu percipiuntur, siue, vt vulgò, *De intelligibilibus & sensibilibus* meminit cap. 1. & 2. libri *De ecclesiastica hierarchia*.

Sunt, qui inter hos deperditos recenseant librum, *De Angelicis proprietatibus & ordinibus*: cuius fieri putant mentionem in libro *De Diuinis nominibus*, cap. 4. sub initium, in illis verbis: Καὶ ὅσα ἄλλα εἴρηται πρὸς ἡμῶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων. *Et quacunque alia à nobis dicta sunt in tractatu De Angelicis proprietatibus & ordinibus*. Ad quæ verba sic S. Maximus, in Scholio: Ἰδοὺ ἄλλο σύνταγμα Διονυσίου ζητεῖται. *Ecce aliud opus Dionysij desideratur*. Verùm meliùs alij intelligunt tantùm significari partem eam libri *de cælesti hierarchia*, in qua proprietates & ordines Angelorum exponuntur. Cùm enim id ibi fusè tractatum sit, cui bono alius de ea re liber scriberetur? Tenet etiam non esse distinctum librum, illa insignis Carthusiæ lux & pulchra EBVRONVM gẽma DIONYSIVS RICKELIVS, in sua Elucidatione librorum S. Dionysij.

Aliqui etiam addunt librum *De legali hierarchia*, cuius meminerit cap. 3. ecclesiasticæ hierarchiæ. Sed malè dispunxerunt, & perperam intellexerunt Dionysium: qui sic legẽdus

dus est: Ὁ μὲν ἱερὸς λουτὴρ, ὡς εἰρήκαμεν, ἐν τῇ κατὰ νόμον τὴν ἱεραρχίᾳ. Isti autem sic legerunt: ὡς εἰρήκαμεν ἐν τῇ κατὰ νόμον ἱεραρχίᾳ, sine vlla distinctione post vocem εἰρήκαμεν, hoc sensu: *vt diximus in legali hierarchia*. Sed alium esse sensum ostendit Pachymeras in sua paraphrasi his verbis: Ὁ ἱερὸς λουτὴρ, ὁ ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένος. *Sacer luter, de quo in lege dictum est*, siue, *Sacrum lauacrum, de quo est sermo in vetere testamento*. Et paullò pòst, idem Pachymeras: ὡς γὰρ ὁ νόμος εἶχε λουτῆρα, οὕτως ἐνταῦθα ἡ ἀπόνιψις γίνεται τῶν χειρῶν. *Sicut lex habebat luterem; ita hic ablutio fit manuum*. Quod, vt clariùs explicem, habet hunc sensum: Vt in lege veteri erat lauacrũ, in quo Sacerdotes lauabãt manus ac pedes, antequam ad offerendum thymiama accederẽt: sic in noua lege Sacerdotes ante sacrificium debent extremas manus lauare. Itaque ἡ κατὰ νόμον ἱεραρχία nihil aliud significat, quàm *legem veterem* seu *vetus testamentum*. Sic accepit idẽ Dionysius, cap. 5. ecclesiasticæ hierarchiæ, sub initium, de Iudæis loquens: quibus, tanquam pueris, Deus dedit legem: Νηπίοις μὲν οὖσι κατὰ τὸ λόγιον ἐδωρήσατο τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν. *Quibus*, inquit, *pueri cùm essent, dedit hierarchiam legalem*, id est, legem, siue, statum legis. Quare meliùs hunc S. Dionysij locum intellexit Pachymeras, quàm S. Maximus: si tamen idem Maximus (quod hodie legitur) Dionysij verbis addidit Σημείωσαι, ὅτι ὁ λουτὴρ ἦν ἐν τῷ νόμῳ, καὶ ὅτι σύνταγμα ἔχει ἄλλο περὶ τῆς κατὰ νόμον ἱεραρχίας, ὅπερ οὐ φέρεται. *Nota in lege non fuisse luterem, & Dionysium habere alium tractatum de hierarchia legali, qui non extat*. Verùm nequaquam mihi tam sacrarum litterarum ignarus aut obliuiosus censeri potest S. Maximus, vt nescierit, aut non meminerit, in veteri testamento fuisse luterem seu peluim, seu labrum æneum, seu mare fusile, (idẽ enim hæc significant) in quibus Sacerdotes lauarent. Nec enim vno in loco, sed in pluribus eorũ fit mentio: nempe Exodi 30. versu 18. *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum: ponésque illud inter tabernaculum testimony & altare. Et missa aqua lauabunt in ea Aaron & fily eius manus suas ac pedes: quando ingressuri sunt tabernaculum testimony, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriãtur*. Et Exodi cap. 38. versu 8. *Fecit & labrum æneũ cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*. Et lib. 3. Reg. cap. 7. vers. 23. *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labro vsque ad labrum, rotundum in circuitu*. Et idem quoque repetit totidem fere verbis lib. 2. Paralipomenon, cap. 4. vers. 2. & addit versu. 6. *Porro in mari Sacerdotes lauabantur*. Hæc igitur S. Maximum virtute & eruditione maxima præditum latere potuisse quis credat? Quare sicut Lansselius noster illud Scholion tanquã adulterinum ex parte à S. Maximo iustè amouet: ita ego totum ab eodem iustiùs amolior. Nã si posterior pars non est S. Maximi, certè multo minùs prior. Nam propter priorem adiecta est posterior. Quia enim existimauit adulterini huius scholij ineptus & indoctus intrusor, non fuisse in lege luteres seu pelues ad lotionem Sacerdotum ante sacrificia, & S. Dionysij verba malè accepit ac distinxit, propterea adiunxit illam posteriorem partem: *& Dionysium habere alium tractatum de Hierarchia legali, qui non extat*.

Dicitur præterea S. Dionysius scripsisse martyrium S. Eutropij consodalis sui, atque ad Clementem Pontificem misisse, rogasséque, vt illud deinde in Græciam suis legendum consanguineis mitteret. Epistola Dionysij ad dictum Pontificem vnà cum codice martyrij missa, in hanc scripta erat sententiam: *Eutropium, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misisti, significo apud Sanctonas vrbem à Gentilibus pro Domini fide trucidatũ, martyrij coronam percepisse. Quapropter tuam paternitatem humiliter exoro, vt hunc passionis eius codicẽ consanguineis meis & notis & amicis fidelibus in Græcia oris, Athenis præcipuè, quàm citissimè poterũ, mittere non differas. Quo & ipsi & ceteri, qui à beato Paullo nouæ regenerationis lauacrum vnà mecũ acceperunt, cum audierint gloriosum martyrẽ pro Christi fide crudelem necem subiuisse, gaudeant se tribulationes & angustias pro Christi amore sustulisse*. Hæc epistola, vt & codex passionis (quę Calixtus Papa secundus Constantinopoli in schola Græcorũ reperisse dicitur, & è græco in latinũ transtulisse) græcè iam non extant. Vide Vincentium Bellouacensem, lib. 10. speculi histor. cap. 18. Ibi extãt Acta S. Eutropij, sed incertum est, an ea sint, quę S. Dionysius perscripsit, an verò desumpta tantùm ex illis, saltem ex parte.

CAPVT XXXI.

Continentur eo capite, quæ è Græcorum Menæo desumpta sunt. Ea verò sunt eiusmodi, vt descriptam à nobis S Dionysij vitã simul confirment, simul nouis ac veris laudibus eundẽ sanctum augeant. Hoc autem in Menæo est singulare; quòd ibi forma & statura eiusdem S. Dionysij perquam exactè, & nusquam alibi, describatur. Quòd verò ibidẽ dicatur S. Dionysius sub Domitiano in partes venisse occidẽtales, erratum est, (vt in Menęo & Menologio sæpe aliàs) in tempore. Nam primò venit, vt antè probatũ est, sub Nerone: deinde rursus sub Traiano, postquã sub Nerua in Orientem ad inuisendũ S. Ioannẽ Euangelistã ab exilio reducem se cõtulisset. Volabãt enim Apostoli & Apostolorũ discipuli, vt nubes, nec vno in loco fixi morabantur. Hinc nec Clemẽs à S Petri morte hæsit Romæ, sed relicto ibi Lino Pontifice aliò abijt, quò Spiritus tulit; pòst autem eodem reuersus ibi ad mortem hæsit, & quem receperat ac tenuerat Pontificatũ, alteri tradidit. Ita & Dionysius ex Oriẽte à B Ioãnis congressu in Gallias reuersus, deinceps vsque ad mortem ibi permãsit.

FINIS.

SANCTI

IGNATII THEOPHORI

EPISCOPI ET MARTYRIS

VITA ET DOCTRINA.

Collecta est tam ex ipsiusmet Sanctißimi viri Scriptis, quam è subiectis Auctoribus.

E

S. Polycarpo Smyrnæ Episcopo & martyre, ipsius sodali.
S. Herone S. Ignatij discipulo & in Episcopatu successore.
S. Irenęo Lugdunēsi Archiepiscopo & S. Polycarpi discipulo.
Origene Adamantio Presbytero, B. Clementis Alexandrinj auditore.
S. Athanasio Patriacha Alexandrino & Ecclesiæ Doctore.
Eusebio Pamphili Cæsareæ Palæstinæ Episcopo.
S. Ioanne Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano & Ecclesiæ Doctore.
S. Hieronymo Presbytero & Ecclesiæ Doctore.
Flauio Lucio Dextro, Hieronymi æquali.
Socrate Scholastico, historiæ ecclesiasticæ Scriptore.
B. Theodoreto, Cyri Episcopo.
Gilda Sapiente, Abbate & Confessore.
Euagrio Scholastico Epiphanensi, historiæ eccl. Scriptore.
S. Gregorio Magno Papa, Ecclesiæ Doctore.
S. Antiocho Monacho Palæstino, Lauræ S. Sabæ Abbate.
S. Maximo Monacho Constantinopolitano & Martyre.
Antonio Melissa, Monacho & Abbate.
Simeone Metaphraste Constantinopolitano, Vitarum Scriptore.
Photio Patriarcha Constantinopolitano.
Leone Sapiente, Imperatore huius nominis sexto.
S. Bernardo, Abbate Clarauallensi.
Ioanne Zonara Monacho & Historico.
Nicephoro Callisto Xantopuli.
Georgio Patriarcha Alexandrino.
S. Antonino, Florentiæ Archiepiscopo.
Menæo Græcorum & Menologio.
Martyrologiis Latinorum, vtroque Romano, & alijs.

VETE-

VETERVM SS. PATRVM DE B. IGNATIO THEOPHORO ELOGIA.

S. Polycarpi Smyrnæ Episcopi & Martyris.

Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς πειθαρχεῖν καὶ ἀσκεῖν ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ, καὶ Ῥούφῳ, καὶ Ζωσίμῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀποστόλοις. *In epist. eius ad Philippenses.*

Obsecro igitur vos omnes, vt pareatis, & omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis in Beatis Ignatio & Rufo & Zosimo vidistis, sed in alijs quoque ex vobis, & in ipso Paullo, & in alijs Apostolis.

S. Irenæi Lugdunensis Episcopi & Mart.

Ὥς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων διὰ τὴν πρὸς θεὸν μαρτυρίαν κατακριθεὶς πρὸς θηρία· Ὅτι σῖτός εἰμι θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ. *Lib. 5. aduersus hæreses cap. 28.*

Quemadmodum quidam de Nostris dixit propter martyrium in Deum adiudicatus ad bestias. Quoniam frumentum sum Christi, & per dentes bestiarum molor, vt mundus panis Dei inueniar. Ita vetustissimus interpres S. Irenæi.

Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi.

Ὅ, τε παρὰ πλείστοις εἰσέτι νῦν διαβόητος Ἰγνάτιος, τῆς κατ' Ἀντιόχειαν Πέτρου διαδοχῆς δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος. Λόγος δ' ἔχει τοῦτον ἀπὸ Συρίας ἐπὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἀναπεμφθέντα, θηρίων γενέσθαι βορὰν τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν. *Libro 3 hist. eccl. cap. 35.*

Et apud plurimos etiamnum celebratissimus Ignatius, Antiochiæ secundus Petri successor Episcopatum sortitus. Hanc autem ferunt à Syria ad vrbem Romam amandatum, ob perhibitum de Christo testimonium, ferarum escam extitisse.

S. Ioannis Chrysostomi, Antiochiæ tum Presbyteri.

Συνεγένετο τοῖς Ἀποστόλοις γνησίως, καὶ τῶν πνευματικῶν ναμάτων ἀπέλαυσεν. *Homilia de S. Ignatio.*

Familiariter cum Apostolis versatus, & spiritualibus fluentis perfruitus est.

S. Hieronymi Presbyteri, Ecclesiæ Doctoris.

Nvmquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commouere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Iustinũ Martyrem, multósque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui aduersus Hebionem, Theodotum Byzantinum, & Valentinum, hac eadem sentientes, plena sapientia volumina conscripserunt? quæ si legisses aliquando, plus saperes. *Libro aduersus Heluidium.*

B. Theodoreti Episcopi Cyri.

Ἐπιδείξω δέ σοι τὸν πανεύφημον τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλον, καὶ τὸ ἐκείνου περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως φρόνημα, ἵνα γνῷς τίνα περὶ τῆς ληφθείσης ἐδόξασε φύσεως. Ἀνήκοας δὲ παντελῶς Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς, τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο. *Dialogo 1. qui immutabilis.*

Ostendam tibi omni ex parte benedictum ecclesiæ doctorem, & illius de incarnatione sententiam: vt scias quæ de suscepta natura fuerit eius opinio. De illo enim Ignatio prorsus inaudisti, qui per magni Petri dextram Pontificatus gratiam suscepit; & postquam Antiochensem rexisset ecclesiam, martyrij corona redimitus est.

Gildæ Sapientis.

Qvis vestrum, vt S. Martyr Ignatius, Antiochiæ vrbis Episcopus, qui post admirabiles in Christo actus, ob testimoniũ eius, leonum molis confractus est? cuius verba, cum ad passionem duceretur, audientes, si aliquando vultus vestri rubore suffusi essent, non solum in comparatione eius vos non putaretis Sacerdotes, sed ne mediocres quidem Christianos esse. *In reprehensione Cleri Britannia.*

Auctoris Chronici Alexandrini.

Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος καὶ μάρτυς ὁ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου γνήσιος μαθητὴς γεγονώς, τῆς δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων κατασταθείς. *Olympiade CC, II. anno 4.*

IGNATIVS ille Theophorus & martyr, qui Ioannis Theologi germanus discipulus fuit, sanctissimæq; ecclesiæ Antiochenæ Episcopus ab Apostolis constitutus &c.

S. IGNATII THEOPHORI EPISCOPI ET MARTYRIS VITA.

S. IGNATII DICTVM IN EPIST. AD ROMANOS.

Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται.

AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST.

PRÆFATIO.

IN aliis quidem sanctorum Patrum vitis, aliæ atque aliæ virtutum gemmæ, pro diuersis Dei donis, variè promicant: in hac verò B. [a] IGNATII [b] THEOPHORI vitâ, flammeus diuinæ caritatis carbunculus eximiè flagrat. Quippe in qua nihil fere aliud inuenias, quàm amorem in Deum atque in homines multò ardentissimum. Cuius quidem gemini amoris luculentissimæ testes extant eius epistolæ, & epistolarum nobile sigillum, mors ipsa: quæ tantis quidem illi votis fuisse cognoscitur expetita, quantis vita ipsa homini antehac fortaße nemini. Adeo in magnifico eius pectore & naturam gratia, & gratiam amoris ardor euincebat. Si quidem istarum oblitus, hoc ebrius fuit. Nec enim illi tum veniebat in mentem, vel de naturæ sustentatione, vel de gratiæ cumulo cogitare, cùm & amoris diuini flammis medullitus vreretur, & spe vicinæ gloriæ à se totus raperetur. Nam præ his duobus stimulis leuia prorsus atque futilia tormenta omnia, adeóque mortem ipsam quamuis aliàs acerbissimam, reputabat. His enim frui, lucrum ingens; priuari, haud minus damnum arbitrabatur: quandoquidem & ex omnibus, quæ pati grauissima in vita poterat, hoc illi primum erat, mortem pro Christo non pati: secundũ verò, nõ quàm citissimè pati, sed differri atque procrastinari. Quippe amoris igne ad cordis penetralia vehementius æstuante, nec restingui, nisi copiosis fusi pro Christo sanguinis riuis eualente, fiebat, vt & vita pro morte, & mors pro vitâ duceretur. Inde & metus ille exurgebat, quo immanes feras, ne suæ obliuiscerentur feritatis, néue fierent ad ipsius lanienam segniores pertimescebat; paratus nimirum, si id accideret, tam hærentes & ceßantes irritare, quàm vel inuitis, vel parcentibus, (eâ tantùm caußâ, vt Deo citissimè frueretur) sese deuorandum obiicere. Verùm illa quidem, & quibus ad ea, gradibus cõscenderit plenius ipsa vita, Deo Opt. Max. (quem mihi propitium hic inuoco) adspirante explicabit.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Qua ætate vixerit, & vbi natus, & quibus magistris vsus sit Ignatius.

QVa in vrbe natus sit Ignatius, qua stirpe ortus, quibus parentibus, quo anno procreatus, incerta sunt omnia, nec pro cōpertis haberi hodie possunt: verùm si latiùs aliquantò, quàm per exactam annorum supputationem, tempora liceat dimetiri, hoc saltem non improbabili coniectura dici potest, eum Christo Domino adhuc in terris vitam agente mortalem, &[a] Tiberio Romanum tenente imperium in Syria esse natum. [b]Nempe quem Scriptores non pauci eum esse tradant, quem admodum puerum Saluator noster inter brachia acceptum atque strictè complexum, discipulis suis, veræ simplicitatis & animi ab omni ambitionis inuidiæue sensu puri atque integri exemplum proposuerit: tum scilicet, cùm iuxta S. Matthæi narrationem, *aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum, & qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Hunc ergo, inquam, paruulum fuisse S. Ignatium complures litteris prodidere. Et sanè ea felicitate nemo alius fortassis illo æuo (si quidem futuræ sanctitatis, vt in nonnullis factum didicimus, habeatur in donis cælestibus conferendis ratio) quàm hic beatus vir, dignior censeri possit. Quippe cuius & animi submissio, & morum facilitas, & in Iesum ardens amor, & de Iesu frequentissima mentio, & pro Iesu denique deuotus, profusúsque sanguis meritò videri queant tantum sibi beneficium prærogasse. Hoc autem beneficium, hunc honorem atque laudem, præter aliorum auctoritates, ipsa quoque Græcorum Menæa illi disertissimè attribuunt. Quippe quæ non semel, sed iterum ac sæpius, eum ipsum puerum fuisse B. Ignatium asseuerant. [c]Quin & inde profectum docent, vt ex illo tempore, (tanquam nimirum idem Christus, homo & Deus, cuius fuerat ipse manibus olim contrectatus, ipsi in pectore perpetuò resideret) *THEOPHORVS* vulgò fuerit agnominatus. Quo proinde agnomine in suis litteris atque sermonibus, quasi quodam suo iure semper deinceps est vsus. Nam omnes ab illo scriptæ epistolæ, quæ quidē hodie extant, certóque illi adscribuntur, vnicâ dumtaxat, quæ ad S. Polycarpū scripta est, exceptâ ([d] cuius perijsse germana videtur inscriptio) cum hac feruntur inscriptione: *IGNATIVS, QVI ET THEOPHORVS.* Quæ etiam appellatio ferè ab omnibus sacris auctoribus, tanquam ei propria perpetuaque, assignatur. Quamobrem, si verè IGNATIVS sit ille paruulus à Christo susceptus & ostensus discipulis, nec ille diuersus sit ab eo, de quo S. Marcus

IGNATIVS IN SYRIA IMPERANTE TIBERIO NATVS.

Matthæi cap. 18 versu 2. & seqq.

AN IGNATIVS SIT PVER ILLE QVEM CHRISTVS IN EXEMPLVM HVMILITATIS PROPOSVIT DISCIPVLIS.

Menæa ad vicesimam Decembris.

THEOPHORI AGNOMEN VNDE IGNATIO.

EPISTOLÆ AD S. POLYCARPVM PERIIT GERMANA INSCRIPTIO.

Marci cap. 9. versu 35.

cus loquitur (quod ſatis eſt vero ſimile) tum profectò non modò natione Syrus, ſed etiam prouincia Galilæus, & vrbe Capharnaita, & religione Iudæus, quódque inde conſequens eſt, parentibus vnum ſolum & verum Deum colentibus prognatus eſſe cenſendus eſt: præſertim cùm parum ſit credibile Dominum Saluatorem noſtrum, [c] (qui ſe ad Iudæorum ſalutem primò ac principaliter miſſum eſſe id temporis dictitabat) vel in Gentilis potiùs, quàm Iudæi domum diuertiſſe, vel puerum incircumciſum in vlnas accepiſſe, vel eum in exemplum modeſti ſimplicíſque animi diſcipulis ſuis alta & ambitioſa cogitantibus propoſuiſſe. Narrat enim S. Marcus hæc in vrbe Capharnao, quæ in ſuperiore erat Galilæa, accidiſſe: & quidem ex occaſione collocutionis, quam paullò antè Diſcipuli de honoris ac loci præcellentiâ inter ſe per viam habuiſſent. Nam diſtante nonnihil ab ipſis Domino, vt inter eundum vſu venit, arrepta

DISCIPVLORVM DOMINI DISPVTATIO DE HONORIS PRÆCELLENTIA.

liberiùs colloquendi ac diſputandi occaſione (vt adhuc rudes ignarique veræ virtutis atque excellentiæ erant) inter ſeſe, quis ipſorum prima ac potiora obtenturus eſſet, mutuis ſermonibus agitarant. Dominus autem, qui omnia, licet remotus, audiuerat, dilata per iter reprehenſione, poſtquàm Capharnaum venerunt, domumque ingreſſi ſunt, tum denique opportunitatem nactus euellendę, quam animis conceperant, ambitionis, & verę ac rectę ad principatum viæ commōſtrandæ, ex ijs ſciſcitatus eſt, quid in via tractaſſent. (At illi, inquit S.

Marci 9. vbi ſupra.

Marcus) *tacebant: Siquidem diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Et reſidens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cùm complexus eſſet, ait illis: Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, & quicumque me ſuſceperit, nō me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me.* Hæc S. Marcus. Quæ valde conformia ſunt

DE PARENTIBVS IGNATII IVDAIS CONIECTVRA.

ijs, quæ proximè è S. Matthæo allata ſunt, adeóque (vt ex narrationis vtrobique ordine liquet) eadem. Quare parentes habuit IGNATIVS, vt opinio eſt admodum probabilis, è Iudęorū gente probos & honeſtos, & tā veri Dei cultores, quàm Chriſti ipſius & diſcipulorum eius hoſpitio beatos. Nec enim dubium, quin & domui, in quam receptus ſit, & cuius puerum in manibus exceperit verus ille mundi pacificator & Salomon, pacem eam dederit, quæ omnis boni, ſed præſertim cæleſtis

INGENIVM S. IGNATII.

& æterni eſſet conciliatrix. Ingenio autem fuit, vt eius indices ſunt litteræ, facili, acri, feruido. Ad quod cùm acceſſiſſet à prima pueritia bonarum artium idonea exercitatio: eamque vtriuſque ſapientiæ, tam ſacræ, quàm profanæ cognitio, vſúſque haud mediocris, ætate iam virenti, excepiſſet; tum verò generoſus animus, ad maiora in dies adſpirare, & illis potiſſimùm ſeſe æqualibus aſſociare, qui incitare magis

EIVS SOCII ET SODALES.

currentem, quàm retardare à virtute properantem vellent, aut poſſent: eos verò maiores magiſtróſque ſectari, non quos inania leuis vulgi iactarent, efferréntque iudicia, ſed quos vitæ ſanctitas, moréſ-

moresque inculpati, licet multis exosos, tacitè commendarent. Igitur discipuli Apostolorum eius fuere condiscipuli, amici, familiares, & hos inter, illi præcipuè, (de quibus quidem constet) passim celebrantur Papias & Polycarpus: sed hic tamen, seu quòd altero diutius vixerit, seu quòd reseruata viuacibus litteris memoria notiorem fecerit, primus audijt IGNATII amicorum. Ac si sanctorum quidem amicorum paria, (quorum in sacris historijs reperire est non pauca) conscriberentur; non obscurum sanè in ijs locum tenerent illi, secundùm Apostolos, eximij IGNATIVS & POLYCARPVS: quorum amicitia & necessitudo, vt ab ijsdem pijs studijs cœpit, sic ad mortem vsque pari inconcussóque gradu perseuerauit. Et fuit alter alteri magno semper in laboribus pro Christo suscipiendis & sustinendis adiumento atque solatio: donec tandem diuersis quidem temporibus ac locis, sed ijsdẽ prorsus animis atque votis, (vt singillatim in cuiusque actis pòst explicabitur) ad destinatam martyrij lauream, & propositum sibi brauium læti hilarésque cucurrerunt. Et sanè admodum iuuat in decurrenda virtutis ac sanctimoniæ via, quemlibet piorum ascetarum sibi eiusdẽ studij amicum quempiam & quasi alterum se adipisci, à quo possit & ad profectum stimulari, & à prolapsione defendi, & in capiendis cõsilijs adiuuari. Quæ officia dum certatim inter se amici præstant, tum profectò sunt alter alteri ad omne opus bonum, tãquam oculi, pedes, manus. Ac si *plurium*, vt quidam dixit, *opus melius*: id quidem potissimè amicorum fraterno inter se amore & beneuolentiâ coniunctorum: siue in acquirendis virtutibus simul insudent, siue in extirpandis vitijs vnà collaborent. Vtraque enim & virtutes & vitia in nobis obscuriùs ac difficiliùs, in amicis verò clariùs ac faciliùs, velut in obiecto luminibus nostris speculo contuemur. Sed nunc ad magistros. In his quidem quantum vtramque in partem positum sit momenti, nemo est tam ignarus rerum, qui ignoret. Nam ita fieri natum omnes scimus, vt suorum magistrorum aut virtutibus, aut vitijs, sed sæpius vitijs, sensim & sine sensu, discipulorum imbuantur animi. Quod enim generatim de amicorum societate dicitur, hæc de ea quæ in disciplinarum aut religionis communicatione consistit, potissimè dictum volunt. Nam probi & sancti (quod multis firmatum est experimentis, & de alijs idem potest esse iudicium) dum sectatoribus suis vel scientiæ cuiuspiam, vel FIDEI præcepta traderent, ipsâ conuersandi multâ consuetudine, suorum quoque morum ac virtutum velut viua illis impressere simulacra. Magistros igitur IGNATIVS eos habuit, quibus, secundùm Christum, non eruditiores quis optare possit, non audeat desiderare sanctiores: nempe illos Apostolorũ principes & coryphæos PETRVM, PAVLLVM, IOANNEM, quorum scientia non tam humanitus acquisita, quàm diuinitus infusa fuisse cognoscitur: quorum sanctimonia non tam animi labore & exercitio, quàm Spiritus Sancti gratia & beneficio accepta fuisse comprobatur. Ab his ergo viris ille ter

POLYCARPVS PRIMVS IGNATII AMICORVM.

IVVAT AD VIRTVTEM PROBORVM SODALIVM DILECTVS.

Homerus Iliad. μ. πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον. Plurium opus melius.

PRÆCEPTORES S. IGNATII PETRVS, PAVLLVS, IOANNES APOSTOLI.

beatus, aut per hos potiùs à Deo Opt. Max. & scientiam illustrem percepit, & insignem sanctimoniam: atque id quidem non sermone & pręceptis, quod ipsum magnum foret, sed (quod amplius est) vitę consuetudine & exemplis. Quippe, qui non solùm doctus & eruditus ab Apostolis, sed etiam cum illis familiariter versatus, educatúsque sit, atque adeo eorundem & auditor sermonum, & inspector operum, & cognitor secretorum fuerit. Quid porrò à singulis magistrorum in moribus expresserit, & quibus ad sublimem Episcopi thronum gradibus conscenderit, sedulò à nobis, vt quod à multis sciri necesse sit, est exponendum.

CAPVT II.

Ignatij in virtutibus progreßus, & ad Episcopatum promotio.

SERVS TERRENORVM CONTEMPTVS.

POstquam Ignatius maturè ac seriò in Christianæ legis accuratiorem disciplinam & Apostolorum societatem immittere se constituit: statim ipsorum exemplo ea omnia, quæ mundus vulgò magni æstimat, non modò parui, sed & nihili ducere; neque reipsa solùm, sed etiam affectu & cogitatione prorsus relinquere instituit. Sunt enim interdum nonnulli, quibus post abdicationem bonorum, post repudia dignitatum, post nominum ac titulorum reiectionem, aliquāta etiam in animis resideat, sopita quidem, sed non penitùs extincta, nec planè extirpata affectio. His autem grande omnino imminet periculum, & ne retrorsum aliquando ad ea, à quibus discesserant, atque adeo etiam longiùs reuoluantur, valdè formidandum est. At non sic Ignatio, qui scilicet (vt à Paullo didicerat) libenter *omnia detrimentum faciebat, & arbitrabatur vt stercora, vt Christum lucrifaceret*. Hinc & ea, quæ retro reliquerat, oblitus, semper ad anteriora se extendebat, cursúmque virtutis institutum perpetuò vrgebat ac promouebat. Neque enim ignarus erat, vel humanæ imbecillitatis suo quodam pondere ad ima vergentis, vel viæ VIRTVTIS ad alta & ardua semper assurgentis, adeóque naui contra fluctus tendenti simillimæ, in qua si pauxillum cessaueris, aut brachia, laborémue remiseris, inde modico tēpore excidas, quò vix multo magnóque conatu ascenderas. Et de corruptæ infirmitate naturæ, vel auditu vel experimēto sciebat, aut, etiam sentiebat, quod ad Romanos Paullus: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio: sed, quod nolo malum, hoc ago*. Hinc perdomitos subactósque habere omnes corporis animíque motus studiosè pertendebat, ne quam fortè spiritui ad meliora connitenti moram inijcerent, aut etiam in contraria vim inferrent. Hoc enim & à Paullo habebat, qui in militiæ suæ stadio sic currebat, vt diceret: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè, cùm alijs*

Ad Philippenses c. 3. verso 8.

IN VIRTVTE NON PROGREDI, REGREDI EST.

Ad Romanos c. 7. versu 18.

1. ad Cor. cap. 9. versu 26.

lijs prædicauerim, reprobus efficiar. Denique ita cursum suum Ignatius noster intendit, vt non modò ipse nihil vnquam, ne extrema quidem senectute, vt pòst videbitur, remitteret; verùm etiam vt existimaret neminem tantæ virtutis, tantæ esse posse sanctitatis, quin & posset & deberet semper aliquid adijcere.

PROGRESSVS IN VIRTVTE CVNCTIS ET SEMPER NECESSARIVS.

Certè sanctissima erat Maria illa, quam beatus Paullus in sua ad Romanos epistola inter primas salutari cupiebat, cùm diceret: *SALVTATE MARIAM, QVÆ MVLTVM LABORAVIT IN VOBIS*, & quam ipse Ignatius *specimen* appellat *piarum feminarum*: hortatur tamen illam, vt cursui suo etiam atque etiã adijciat.

Ad Romanos cap. 16. versu 6.

Sanctissimus quoque erat Polycarpus Smyrnæ Episcopus, & à S. Ioanne in Apocalypsi mirificè dilaudatus: sanctissimus erat & Hero Diaconus, de cuius sanctitate & in Episcopatum promotione acceperat à Deo ipso testimonium & oraculum: & hunc tamen atque illum de augendo atque intendendo cursu admonere, missis ad ipsos litteris, haudquaquam dubitauit. Sic igitur & ipse ibat quotidie proficiens & crescens lucis instar vsque ad perfectam diem.

IGNATIVS APOSTOLICARVM VIRTVTVM STVDIOSVS IMITATOR.

Ibat autem per ipsorum Apostolorum vestigia, nec retro se relinqui patiebatur. Ac Petri quidem animi submissionem & modestiam & mansuetudinem, (quarum virtutum insignia expressit in se exempla) sedulò imitabatur. Paulli autem in laboribus feruorem, in factis prudentiam, in fide aduersus hæreticos ardorem cupidè æmulabatur. Ioãnis item eximiam puritatem ac pudicitiam, & caritatis inter fratres atque concordiæ commendandę studium: quin & singularem illam in videndis & præuidendis cælestibus significationibus perspicacitatem, vt diuinæ pullus aquilæ, referebat. Harum sacrarum imitationum luculenta extant in eius ad diuersos scriptis epistolis monumenta. De reliquis verò virtutibus (nam summo in gradu habere omnes studuit) quid dicam? Ieiunium illi cibus erat: precatio, delitiæ: paupertas, opes: Dei continua ob oculos præsentia, omnis honos & gloria.

PROGRESSIONIS IN VIRTVTIBVS ADIVMENTA.

Nam primus hic aut inter primos est, [a] qui populos ad quadragenarium Christi ieiunium, qua homini licet, imitandum exaratis litteris (nec enim priores vllas habemus aut certiores) exhortari institit. In precationibus verò ob familiaritatem cum Deo, dignam Regibus, & ob vim atque efficaciam cuncta de cælo deuocantem dona, magis totus erat, quàm multus. Valde enim illi arridebat magistri cohortatio admonentis: *Sine intermißione orate: in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis.* Volũtatem enim Dei quidni amaret? quidni susciperet? Nam & illius caussa ad mortem decertauit: illius caussâ neque leones, quamuis omnibus timendos, timuit, sed prouocauit. Inopia item Christi ditior illi visa est omnibus opibus: neque, ex quo se discipulis Christi tradidit, fortunarum quippiam possedit, nec in proprio aut conducto habitauit, sed Apostolorum more, vbicumque fuit, hospes fuit. Tam præsens porrò illi erat omni in loco Deus, vt cuncta velut illo inspectante & cordis intima penetrante ageret

1. ad Thessalon. cap. 5. versu 5.

geret

VIA AD EPISCOPATVM REGIA.

geret, diceret, cogitaret. Hæc scilicet est via magni IGNATII ad Episcopatum: hanc me auctore ineat, quisquis Episcopatum, opus sanè bonum, desiderat: sed vt bonum, sic arduum, sic difficile, sic Angelicis etiam humeris formidandum. Non desiderauit verò Ignatius (vetabat enim eius nimia animi demissio atque modestia) sed timuit potiùs, ac refugit. At virtutes eius spectatæ & vita reprehensionis expers eum fecêre dignum, & Apostolis tales dumtaxat admittentibus, immo vel inuitos ac reluctantes capientibus, præbuêre captiuum. Illi enim, vt in cognoscendis hominū dotibus & affectibus, non humanâ solùm prudentiâ, sed diuinæ quoque sapientiæ luce pollebant, ita facilè quinam idoneis seu scientiæ, seu virtutis ad eiusmodi sacrum ministeriū instructi essent præsidijs, vel inquirendi diligentiâ, vel Dei ipsius instinctu perdiscebant.

Actor. cap. 5. versu 1.

Petrum quidem certè Apostolum non magis diuina Ignatij virtus & sinceritas latuit, quàm vel Ananiæ fraudulētia fefellit, vel Sapphiræ dolus circumuenit. Itaque vt hos non modò è piorum cœtu, sed etiam è vita eiecit, (quippe Spiritui sancto mentitos) ita hunc eidem in omnibus obsequentem non tantùm populi sancti pastorem fecit, sed etiam in sede Antiochena sibi successorem præfecit: quippe virum secundùm cor Dei, iustum, simplicem, sincerum, virum denique, euangelici illius Zachariæ instar, *in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela incedentem*. Credibile est eum S. PETRO illam ecclesiam suprema potestate administranti aliquamdiu pro Diacono adstitisse & conuixisse: cùm autem is Romanam fundaturus ecclesiam alium suo loco præficere statuisset, tum ab illo Ignatium Episcopum esse constitutum,[b] & genti Iudaicæ, quæ plurima Antiochię erat, partim regendæ, partim ad Christum attrahendæ potissimùm præesse iussum.[c] Nam & antea sanctus Euodius eodem Episcopali munere ab Apostolis donatus gnauiter in illa ipsa vrbe rem Christianam inter Gentiles procurabat: siue à Paullo doctore Gentium ad id constitutus ([d] ante Petri enim aduentum, ibi Paullus semina iecerat, & aliquem Christo populum adlegerat) siue ab ipso Petro in laboris partem adscitus. Erat enim illa ciuitas, totius Orientis & magnitudine amplissima, & multitudine frequentissima, & sui fama nominis multò celeberrima: in qua si erant (vt fuisse Ignatij tempore scribit S. Ioannes Chrysostomus) [e] ducenta hominum millia, atque si tanta turba è duobus diuersissimis generibus, (nempe Iudæis & Gentilibus) vel maximam partem conflata erat; dubitari certè non potest, quin & his & illis tales dari ab initio duces ac directores expediuerit, quos propter religionis ac morum quandam similitudinem minùs vtrique abhorrerent. Nam satis constat & Iudæos ab incircumcisis instrui atque edoceri esse dedignatos: & Gentiles à Iudæorum, [f] quos risu & cauillis vulgò prosequebantur) vsu & consuetudine solitos abstinere. Hinc de Paullo Timotheum sibi ascíscere comitem volenti ita ferunt Acta: *Hunc voluit*

Lucæ 1. vers. 6.

IGNATIVS QVANDO ET QVA OCCASIONE CREATVS EPISCOPVS.

ANTIOCHIÆ CIVITATIS AMPLITVDO ET FREQVENTIA.

Acta Apost. cap. 16. versu 3.

voluit

voluit Paullus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis. Adeo scilicet non tantùm ingratus erat Iudæis incircumcisus, sed etiam ipsa hominis licet circumcisi doctrina, si vel comite vteretur incircumciso. Gentiles verò, si esse in vrbibus suis Iudęos patiebantur, ita fere patiebātur, vt pontibus, aut fluuijs, aut portarum septis plerũque vellent eos esse disclusos. Itaque, vt alia caussa esset nulla, vel hæc sola iudicari sufficiens potuisset, ob quā vna in vrbe Antistites duo crearētur: quòd ea scilicet ratione facilior ad partes singulas atque liberior legis euangelicæ cursus redderetur. [h] Sunt tamen, qui & aliquam inter nouos è Iudæis atque Gentilibus Christianos exortam de legalibus dissensionem (qualis in Apostolorum Actis describitur, & à S. Paullo in epistola ad Galathas insinuatur) huic duorum antistitum creationi occasionem atque caussam attulisse credant. Verùm quacumque demum ex caussâ duos contigerit Antiochiæ simul esse Episcopos, plurimum sanè ad Ignatij honorem spectat & facit, quòd Episcopatus dignitatem ab eo acceperit, qui à Christo ipso, primâ ecclesiæ petrâ & fundamento constitutus sit, ab eo scilicet, cui Deus Pater de Filio suo FIDEI arcana reuelarit; ab eo, cui supremus Pastor oues suas peculiariter pascendas ac regendas commiserit; ab eo denique cuius in electione & ordinatione iudicium supra omnia sit humana iudicia. Grande est enim honorati testimonium præcellens auctoritas honorantis. Quemadmodum autem ambigi non debet, quin beatus Ignatius [i] *per Magni Petri dexteram* (vt B. Theodoreti vtar verbis) *Pontificatus gratiam susceperit*: ita quo anno susceperit, cùm haud perinde certum sit, vt ab incertis ad certa stilum traducamus, ad ea quæ suo in Episcopatu digna litteris gessit, intuenda transeamus.

Baron. ad martyrol. 1. Februarij & tom. 1 ad annum Christi 45.

Actor. cap. 15. verso 1.

Ad Galat. 2. verso 12.

THEODORETVS IN DIALOGO IMMVTABILIS.

CAPVT III.

S. Ignatij in Episcopatu Antiocheno primi labores.

QVum ex Dei sententia, & ex Apostolorum Principis voluntate commissam sibi curam attenderet IGNATIVS, intelligerétque id præcipuè negotij sibi datum, vt conflatam è Iudæis ecclesiam (quæ sors erat longè difficillima) studio suo ac diligentia coagmentaret; duo sibi eam in rem præsidia, eáque maximè necessaria sedulò comparauit; sacrarum scilicet litterarum studium, & piarum precationum exercitium. Nam aduersus Iudæos, qui penes se earum litterarum thesaurum hactenus fuisse, & summa cura custoditum esse prædicarent, satísque scirent atque indubitatè crederent (id quod nec Christianus vellet auderétue diffiteri) in suo Scripturarum vetere instrumento, omnis fidei atque veritatis pura ac solida esse fundamenta, nec quicquam omnino suscipiendum esse vt verum, vel sustinendũ vt probabile, quod vlla ex parte ab eo dissentiret, vel etiam latũ, quod aiunt, vnguem deflecteret; aduersus illos, inquam, Iudæos absque exacta

DVO ADVERSVS IVDEOS AD FIDEM IN CHRISTVM PROBANDAM PRÆCIPVA PRÆSIDIA.

IVDÆI SOLIS SCRIPTVRIS SACRIS IMPVGNANDI.

acta istorum diuinorum codicum cognitione (suis enim armis deuincendi erant, aut vinci nullis poterant) frustra laborem omnem suscipi, & incassum aërem verberari minimè ignorabat. Hinc ipse, qui & à pueritia illis non mediocriter imbutus fuerat, iam tanto contentiore in illis studio versari, & arma ex ipsorum armamentarijs tanto sollicitius comparare instituit, quanto propinquiora nunc cernebat fore certamina. Igitur *in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabatur die ac nocte*: ita vt lex Dei & semper illi esset in corde, & rarò abesset ab oculis. Ad eius porrò legis & libri vitæ intelligētiam, tametsi multum nauaret operæ, quia tamen magis diuina ope eam impetrari, quam humano sudore acquiri posse cognosceret, Iacobi obsecutus consilio dicentis: *Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*, ingeminatis ad Deum precibus postulauit, & sanè affluenter accepit. Postulabat enim *in fide nihil hæsitans*, & sic postulandum, alios edocebat, præsertim dilectum Heronem suum, quem vt loci atque throni, sic & virtutum suarum cupiebat esse successorem. *Ne sis*, inquiebat, *duplex in precatione tua. Beatus enim, qui non dubitauerit*. Quippe expertus erat vir pius ac sanctus, non semel, sed sæpius, quidquid ita postularet, quidquid simplici animo, nec dubio corde, tanquam obtenturus à patre filius confidenter exposceret, semper se impetrare. Nam tanta virtute ac sanctimonia præditus, tam solida in fide firmatus, tam firma spe obtinendi innixus cùm esset, quin admirabiles infirmorum curationes precibus obtinuerit, quin signa & prodigia multa in fratrum vtilitatem ediderit, nemo est, qui dubitare possit. Hinc talia creberrimè à Deo recepta beneficia reputans animo, vt incredibilem æternæ benignitatis ad preces suas benignitatem nimis admirans, non poterat, quin exclamaret: *Beatus, qui non dubitauerit*, id est, qui ea, quæ petit, se obtenturum non diffidit: sed vt germanus & verè amans patris filius, eique in omnibus auscultans atque obsequens, spe firma potitur eius, quodcumque ab illo poposcerit, impetrandi. Nam impetrabit, & beatus erit, tam suo postulantis voto, quàm Dei largientis beneficio. Sic igitur agebat, sic docebat, sic Scripturarum intelligentiam & alia diuini Spiritus dona, quæ pòst referentur, precariò impetrabat. Tum verò his egregiè instructus præsidijs ad expugnandos Iudæorum peruicaces animos bonæ spei plenus, & quiduis pati paratissimus accedebat. Plurima erant in Magna illa vrbe Antiochia (sic enim solebat appellari) inhabitantium Iudæorum millia: proptereáque & pugna maior, & difficilior victoria. Vbi enim multi, alius alium animat, & quo plures fuerint, hoc in sententia sua, (quam præsertim à pueritia sua imbiberint) existunt obstinariores. Tantę porrò multitudinis illorum hæc fuisse caussa traditur, quòd eius conditor vrbis Seleucus, is qui NICANOR à victoria est nominatus, propter illius gentis fortia fidáque in expeditionibus suis auxilia, non minus iuris in ea vrbe illos habere, quàm suosmet Macedonas,

Psal. 1. vers. 2.

Iacobi 1. vers. 5.

QVALIS DEBEAT ESSE PRECATIO.

Ignatij epist. ad Heronem.

ANTIOCHIÆ MAGNÆ AMPLITVDO ET FREQVENTIA.

Iosephus lib. 12. Antiquitatum Iudaicarum c. 3.

donas, alióſue Græcos voluiſſet, ſempérque illis aduerſus infeſtos ſibi Gentiles conſequentium Regum aut Imperatorum propitia poteſtas, auctoritáſque ſubueniſſet. Itaque & ipſius Ignatij ætate, non minùs quàm antehac, ſuo more, ſuiſque legibus vitam agitabant, & præteritis facinoribus ſuperbi, & præſenti, in tuenda lege Moyſis, pertinacia glorioſi. Cùm igitur propè media vrbis pars, hoc eſt, ferè centum millia ciuium (vt eſt ea gens, aut certè fuit, mirè fecunda) è Iudæis eſſet, valde laborandum Ignatio fuit, tam ad veteranos Chriſti milites quos Petrus, quos Paullus, quos Barnabas, ſub ſignis olim conſcripſerant, in fide retinendos (qui tum quidem erant pro vrbis magnitudine admodum pauci, pro gentis autem obſtinatione vtcumque multi) quàm ad nouos tirones legendos, & primis imbutos rudimẽtis, lactéque adhuc nutritos, ſolidiore demum cibo nutriendos.

QVI APOSTOLI ANTIOCHIAM SYRIÆ EXCOLVERINT.

O quoties tum accidit, vt aliquorum prima initia, & necdum educti partus, malis & venenatis ſeu Iudæorum, ſeu Hæreticorum herbis atque erroribus præfocarentur! Quoties euenit, vt nonnullorum etiam læti profectus, impiorum peruicaci malitia interrumperentur! Quàm duros ille tunc temporis & quoties iteratos repetitæ partionis dolores ſuſtinuit! Quoties cum magno Paullo dicere habuit! *Filioli mei, quos iterum parturio: donec formetur Chriſtus in vobis.* Et illud: *Currebatis bene: quis vos impediuit veritati non obedire? perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Hæc inquam, & his ſimilia non raro Ignatius, cùm auerſos lugeret, cùm deuios reuocaret, cùm reuerſos animaret, cùm relapſos deploraret, intimo ex corde deprompſit.

S. Chryſoſtomus homilia in S. Ignatium.

Ad Galathas 4. vers. 19.

Ibidem cap. 5.

Videbat enim ita eſſe hominum ingenia, vt ſi in prauos ſodales inciderent, facilè ab impellente turbâ in præceps aufferrentur. Quare cùm nonnullos longo tempore & magnis laboribus Chriſto lucrifeciſſet, perquam ſollicitè eos admonebat, vt à fermento cauerent Phariſæorum, ſiue ab eorum abſtinerent ſocietate atque congreſſu, qui ſuperbia elati, & Chriſtianæ doctrinæ nouitatem deſpicantes, identidem veteris mandata legis, & antiquos ritus concrepabant. Quod ſi quem ab oſtenſâ vitæ ſemitâ retro in errorum amfractus abductum eſſe cognoſceret, qui mœror, Deus bone, inceſſebat animum! quæ cura ouis perditæ requirendæ, quæ ſollicitudo repertæ in poſterum retinendæ ac conſeruandæ anxiam mentem occupabat!

S. IGNATII SOLLICITVDO CIRCA GREGIS CONSERVATIONEM.

Dolor quidem eius de oue perdita propè talis erat, qualis in vitâ S. Dionyſij oſtenſus eſt fuiſſe S. CARPI; ſed mãſuetudo longè maior ac melior, & qualis S. Polycarpi. Nam vtriuſque tam CARPI iuſto grauior in peccatores iracundia, quàm Polycarpi aduerſus eoſdem inſignis humanitas ac patientia ex ipſis amborum Actis cognita eſt.

EIVSDEM S. IGNATII CVM SS. CARPO ET POLYCARPO COMPARATIO.

Diligentia verò Ignatij & ſedulitas & induſtria & cura in adaugendo Domini populo, & in multiplicandis eccleſiæ fetibus quænam? Nempe recenſitas atque exactè deſcriptas habebat omnes familias, quę Chriſto nomina dederant, & ſibi ſubiectæ erant. Ad cœtus igitur ſacros (qui ad honorem Dei fiebant ab eo frequẽtiſſimi)

tiſſimi) adeſſe omnes iubebat, verbis ardentibus ad ſui noui nominis amorem inflammabat, illud identidem Prophetæ vſurpans: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit: & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Si quos etiam abeſſe intelligebat (quod propter bonam eccleſiæ diſpoſitionem atque ordinem cognitu facile erat) nominatim conuocabat; ſi cauſſa eſſet iuſta abſentiæ, cognoſcebat; ſi valetudo impediret, ſi luctus aliquis remoraretur, ſi quod periculum aut vitæ aut fortunarum obeſſet, tum verò ille inſitam pectori ſuo caritatem expromere, tum viſcera miſericordiæ ſuæ aperire, tum pietatis ſuæ odorem longè lateq; diffundere, tum denique palam omnibus facere, nomini Chriſtiano in bonitate, in ſinceritate, in omni denique virtutis genere, nihil par aut ſecundum vlla in natione reperiri. His vijs & his inſtrumentis ad arcem hoſtium expugnandam, & aduerſantis ſuperbiæ demoliendas munitiones vtebatur. Mirum enim quantum ad ſuperbam infidelitatem ſubuertendam roboris ac momenti habeat, coniuncta Fidei noſtræ vera & prolixa in alienos, & in hoſtes ipſos fraterna caritas: cùm & nonnullos fuiſſe cõſtet, qui eandem Chriſtianorum intuiti & admirati caritatem, quam in homines barbaros & alienigenas, & veri Dei ignaros promptiſſimè exhibebant, hac vna de cauſſa ad eorum ipſorum amplexandam fidem ſint permoti, quorum tam præſentem in aduerſis rebus experti eſſent humanitatem. Tali igitur caritate & humanitate multos mortales Ignatius ad magnam de religione Chriſtiana exiſtimationem perduxit: vi autem rationum ac pondere, & veterum auctoritate vaticinationum cum ijs, quæ iam euenerant, conſentientium, in ipſam penitus eccleſiam introduxit. Plurimum enim ſemper valuit, ſiue apud Iudęos, ſiue apud Gentiles, quà Prophetarum, quà Sibyllarum oracula & vaticinia in legis Chriſtianæ ab illis prænunciatæ confirmationem produxiſſe. Nam Iudæi quidem minimè ambigebant, quin Prophetæ (quorum extant in ſacris litteris & in ipſorum tabularijs libri) Dei ſpiritu afflati fuerint, & vera ac ſancta ac indubitata ſcripſerint, prædixerintque. Gentiles verò tanti Sibyllas earúmque dicta æſtimauere, vt eà in prouerbium traxerint, & pro certiſſimis, & de quibus nequaquã ambigi liceret, vſurpauerint. Itaque prudentiſſimè vir ſanctus, ea quæ quiſque populus aut natio magni faceret, & pro confeſſis, manifeſtíſque haberet, ad fidem perſuaſionémque adducebat, Prophetas Iudæis, Sibyllas Gentilibus. Sic admodum creuit Antiochiæ eccleſia, ſiue illa quæ ex Gentibus erat, ducente beato Euodio, ſiue quę ex Iudæis, condocente Ignatio. Sed omnis proſperitas, quæ ſub cælo eſt, inuidię ſubeſt; non terrena modò illa, quam plerique omnes turmatim & turbatim quærunt: ſed ſpiritualis quoque & in fundo animæ ſita, cui pauciores ſtudent, quàm inuident. Et inuidentium quidem turba, pręterquã quòd multa & innumerabilis exiſtit, etiam occulta eſt, & oculis inaſpectabilis. *Quoniam non eſt nobis colluctatio,* (vt ait Paullus) *aduerſus carnem*

Iſaia 62. verſ. 2.

CARITAS ERGA ALIENOS ET INIMICOS, MAGNA EST FIDEI CHRISTIANÆ COMMENDATIO.

IVDÆI ORACVLIS PROPHETARVM, GENTILES VATICINIIS SIBYLLARVM AD FIDEM IN CHRISTVM PERMOVERI SOLITI.

Ad Epheſios 6. ver. 12.

carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. A quibus quemadmodum virtus Ignatij impugnata sit, sed neutiquam expugnata, iam explicabitur.

CAPVT IV.

IGNATII virtus Neronis Claudij temporibus variè exercita.

VT cuiusuis fere est gubernatoris, placido mari & ferentibus ventis nauem dirigere: ita solius eximij & rarâ arte præditi, magnas inter tempestates & decertantibus inter se ventis non modò saluam incolumémque conseruare, sed etiam in destinatum atque opportunum portum perducere. Cùm igitur Ignatius Antiochenam ecclesiam, velut magnam classem, à summo mundi huius velut Oceani gubernatore regendam accepisset, multæque varijs tẽporibus grauissimæ hiemes ac procellæ ingruissent, eam ipse ita annos plurimos inter immanes fluctus, & infestiores quibusuis fluctibus Gentilium piratarum incursus gubernauit, vt singularis eius ars atque industria mirificè claresceret. Tres illo Episcopo exortæ sunt grauissimæ persecutiones, prima à Nerone, secunda à Domitiano, tertia à Traiano: in omnibus autem tantâ vigilantiâ, prudentiâ, fortitudine vsus est, vt nec imminentia gregi suo pericula illum fefellerint, nec illorum idonea latuerint remedia: nec suorum sibi minùs cara fuerit salus & vita, quàm sua; immo etiam multò carior. Illorum enim sollicitè seruauit: suam, vt infrà dicetur, cupidè profudit. Ad Neronem porrò quòd attinet (huius enim nunc tempora percurrimus) [a] latè vagata est eo regnante in Christianos persecutio: atque, vt satanas in ipso plurimum Romæ valuit; ita & alibi per improbos nequissimæ potestatis satellites immensùm dominatus est. Vix enim vlla fuit prouincia Romanæ ditioni subiecta, vbi illo regnante non dirum atroxque bellum nomini Christiano indictum sit. Adeo vt non defuerint, qui extirpatam id temporis apud se religionẽ Christianam gloriarentur, idque [b] columnis testarentur erectis. Nam & vna in vetustis Lusitaniæ ruderibus inuenta est, Neroni olim posita cum hac inscriptione, non nihil quidem exesa, sed tamen hanc continente sententiam:

EPISCOPORVM VIRTVS ET ECCLESIÆ GVBERNANDÆ ARS IN PERSECVTIONIBVS CLARVIT.

S. IGNATIVS TRES SVSTINVIT PERSECVTIONES.

In ruinis pagi Marquesia in Lusitania.

[c] NERONI CLAVDIO AVGVSTO, PONT. MAX. OB PROVINCIAM LATRONIBVS, ET HIS, QVI NOVAM GENERI HVMANO SVPERSTITIONEM INCVLCABANT, EXPVRGATAM.

[d] Quin & ij, qui litteris vitam eiusdem Neronis prodiderunt, ita cęci ad veritatem fuerunt, vt inter pauca eius præclara opera, persecutionem Christianorum, tanquam rem insigni laude dignam adscripserint: & vnus quidem his verbis: AFFLICTI SVPPLICIIS CHRISTIA-

Suetonius in Nerone Claudio.

STIANI, GENVS HOMINVM SVPERSTITIONIS NOVÆ AC MALEFICÆ. Sic nimirum Religionem Christianam ex odio veræ ac sinceræ pietatis homines nihil cæleste sapientes denigrabant. Qua opinione cùm imbutus esset, auctore diabolo, orbis terrarum, quæ poterat prouincia immunis esse ab infestatione, vexatione, oppressione generis Christiani? Itaque nec Antiochia tanti & tã latè patentis mali exors esse potuit. Cùm enim hæc ecclesia inter primas ab Apostolis fundata esset, & nomen illud nouum, diabolóque maximè inuisum

ANTIOCHENI OMNIVM PRIMI APPELLATI SVNT CHRISTIANI.

ac terribile CHRISTIANORVM prima extulisset, hinc MALVS quanto Christum ipsum persequebatur odio, tanta in eos rabie furebat,[e] qui primi ex eius salutari nomine CHRISTIANI essent appellati. Quare & ab initijs eius ecclesiæ non modò Gentiles & Iudæos in eam obarmauit,[f] sed inter ipsos quoque CHRISTIANOS semina iacere diuisionis ac discordiarum attentauit. Quæ tamen Apostoli Spiritu sancto pleni, habito inter se consilio, velut facto agmine, in breui discusserunt. Sed illis ad alia postmodò digressis belli impetus in eorum successores incubuit; maximéque in Ignatium. Hic enim inter duces præcipuè ardẽs, miniméque formidolosus erat: neque vlla fere illi esse poterat alia timoris caussa, quàm ne hostes se ignorante nonnullos ex infirmioribus ecclesiæ mẽbris occultè & quasi per cuniculos aggressi à fide subuerterent. Quod si accideret, ita spiritu angebatur, ita cruciabatur animo, vt præ alienorum malorum sensu (cùm sua interim non sentiret) vix consolationem reciperet.[g] Nonnullę circumferuntur beatissimæ Vir-

LITTERÆ VIRGINIS DEIP. AD S. IGNATIVM.

ginis MARIÆ ad ipsum consolatoriæ litteræ, quæ si veræ ac germanæ sunt (vti esse non est improbabile) hac Neronis persecutione datas esse conuenit, & ad sedandum, quem diximus, ex alienis malis dolorem scriptas. Eæ sic habent:

IGNATIO DILECTO DISCIPVLO HVMILIS ANCILLA CHRISTI IESV.

De IESV, quæ à Ioanne audisti & didicisti, vera sunt: illa credas: illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas: ac mores & vitam voto cõformes. Veniam autem vnà cum Ioanne, & te, & qui tecum sunt, videre. Sta in fide & viriliter age: nec te commoueat persecutionis austeritas: Sed valeat & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

Cuius epistolæ si certa prorsus, tanquam à Deipara dictatæ, atque etiam (vt nonnulli existimant) manu virginea conscriptæ, constet fides; næ plurimus beato Ignatio honos & gloria tam è scripto ipso, quã

S. EVODII ANTIOCHIÆ EPISCOPI MARTYRIVM.

è visitatione tantorum mundi luminum, MARIÆ & IOANNIS, accedat necesse est. In hac porrò Neronis acerba persecutione mortẽ pro Christo passus est S. EVODIVS Ignatij collega, magno sui apud omnes relicto luctu & desiderio, sed præcipuè apud ipsum Ignatium, qui illum amabat vt fratrem, reuerebatur vt patrem, admirabatur vt Apostolum. Vnde postmodum ad suos Antiochenos scribens, cum Apostolis illum cõponit, & secundùm geminos illos Ecclesię Principes

Petrum

Petrum & Paullum,(omisso etiam Barnaba,& alijs in eadem vrbe doctoribus) mentionem solius facit Euodij: cuius & illos propterea cupit esse memores: quòd vel solam illius sanctitatis ac pudicitiæ memoriam (alibi enim inter eximios virginitatis cultores eundem recẽset) non mediocrem illis stimulum ad omnem virtutem fore speret. *Memores*, inquit, *estote EVODII, multò beatißimi Pastoris vestri, qui primus apud vos Ecclesiæ præfecturam ab Apostolis accepit. Ne pudefaciamus patrem: sed germani filij simus, non adulterini*. Itaque EVODIVS multis pro ecclesia defunctus præclaris laboribus,& bono extraneorum numero ad ecclesiæ gregem traducto, vitam denique in beatissima martyrij gloria posuit. Ignatius verò(cui longè dulcius vnà cum illo assumi fuisset, quàm relinqui) diuina disponente prouidentia,& Euodio sic volente, in vitâ superfuit; sed ita, vt dum morti semel subducitur, toties acerbiùs moreretur, quoties suorum vnũquemque ad mortem trahi & de salute periclitari contueretur. Quæ tum illi, Deus bone, anxietas animi fuit? qui coquentium curarum æstus? quæ expectationis, ne qui fortè inter tormenta deficerent, carnificina? Necdum martyres cruciabantur, & ipse totus erat in cruciatu. Quæ enim ventura erant, cogitatione ac sollicitudine occupabat, atque etiam assidua ad Deum precatione præuidebat. Quoties diu noctúque cibi somníque immemor puras ad cælũ leuauit manus? quoties humi prostratus & lachrymis obrutus, & vocis officio destitutus, solis gemitibus atque suspirijs caussam suam egit, & diuinam in martyrij candidatos misericordiam deuocauit? Quoties etiam sacra de cælo responsa accepit? Quoties de rebus agendis supernè illustratus, quæ factu vtilia, quæ vitatu necessaria cognouit, fecit, vitauit? Hoc siquidem est infinitæ proprium benignitatis, tum maximè suis præsto esse, cùm & grauior premat necessitas,& puro ac sollicito corde inuocetur, & aliunde auxilium non expectetur. Ita nunc res erãt Ignatij. Magnis vndique vrgebatur angustijs: spes auxilij præterquam à Deo, nulla: illum igitur toto ex corde inuocauit,& tam præsentem propitiúmque habuit; vt cum sanctò illo Rege & Propheta dicere & gloriari non immeritò posset: *De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus*. Et verè in latitudine, hoc est, in copia gratiarum & abundantiâ consolationis: quãdoquidem haud paullo pòst ita illi Dominus cũcta in melius cõmutauit, vt vir sanctus in illas gaudii & exultationis voces haberet erumpere: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Nempe sic solet ille, qui omnia potest, Dominus aquam mutare in vinum, tẽpestatem in tranquillitatem, tenebras in lucem,& multò quidem prolixiùs ac benignius, quàm humana possit imbecillitas aut cogitatione assequi, aut voto. Quod iam cum Deo commonstratum accedimus.

S. Ignatius in epist. ad Antiochenos.

QVANDO MAXIME PRÆSTO SIT DEVS.

Psalmo 117. ver. 5.

Psal. 93. ver. 19.

CAPVT V.

Ignatius ab Euodij obitu solus Antiochenam Ecclesiam regit, eámque ex cælestibus visis diuinitus ordinat.

NERONE EXTINCTO RESPIRARE INCIPIVNT ECCLESIÆ.

LEuauit æstuantes IGNATII curas Neronis, importunissimi illius monstri, iusta pœna, & post cædem Apostolorum Petri & Paulli & Antistitis Euodij, velox tyranni interitus, ac violenta è mundo (quem nimis halitu suo pestilenti inficiebat & infestabat) depulsio. Vt enim abactis aut necatis lupis respirat opilio, & dispersas hactenus oues in gregem redigit: ita tyrannis & persecutoribus vel fugatis, vel è medio sublatis, & Antistites recreantur, & filij ecclesiæ paullò antè dissipati haud magno negocio in ordinem reuocantur. Nam & hi pulso metu quietiores sunt, vt vocem pastoris audiant; & illi à diuisis curis & sollicitudinibus solutiores, vt gregi regẽdo vnicè & toti intendant. Hoc igitur egit Ignatius, & otio Ecclesiæ ad Religionis vsus est incrementum: totúsque adeo ad recolligendam, disponendam, amplificandam Antiochiæ ecclesiam incubuit. Fuerat eius vrbis onus, viuente beato EVODIO, bipertitum, sed illo ad cælum & ad patres suos digresso, vnius solius IGNATII humeris nitebatur. Ita enim virtutem suam in grauissimâ tempestate hic vir sanctus probauerat, ita vtrique tam qui ex Iudæis, quàm qui ex Gentilibus Christiano populo, per varios Neronianæ persecutionis turbines, nullo prorsus inter ipsos discrimine succurrerat: vt nec hi quemuis alium Antistitem primum mallent; nec illi secundum vllum exoptarent: sed omnium esset commune votum, vt vnum sub tali Principe & Antistite duobus è populis corpus coalesceret. Acceptum igitur habuit Deus votum, & visi cuiusdam cælestis non dubia significatione comprobauit. Dum enim de componendo Ecclesiæ statu sedulus meditatur, dum ordines exaugescentis in dies populi suas in classes partitò diuidit, dum varios excitandæ pietatis modos secum excogitat, dum dies noctésque pro grege suo peruigil & precabundus excubat: ecce Pater misericordiarum & Deus totius cõsolationis labores serui sui respicit, precationes exaudit, cælos aperit, suam & Angelorum gloriam ostendit, tantâ denique eum perfundit in vno hoc viso lætitia, quantam capere mẽs humana vix, ac ne vix quidem potest.[a] Distinctos enim coram sanctissima & augustissima Trinitate beatorum Spirituũ ordines apertis intelligentiæ oculis, velut è vicino speculatur: quin & hymnos audit (quà quidem audire homini fas est) sacrosanctæ adorationis & reuerentiæ extraordinariæ plenos, quibus illæ supernæ virtutes alternatim ac diuisis choris, vnum Deum in tribus personis, tres personas in vno Deo, vicissim & certatim, quanto maximo poterant affectu concelebrabant. Potuit sanè vnica illa visio tã mirifica, tam excellens, non modò omnes præteriti tẽporis

REGENTE IGNATIO IVDÆI ET GENTILES IN VNAM ECCLESIAM COALESCVNT.

VISIO S. IGNATII, QVA COGNOVIT DEI ALTERNIS DILAVDANDI FORMAM.

labores

labores atque ærumnas omni ex parte detergere, verùm etiam ad infinito plures alias pro Christi nomine sufferendas, atque adeo ardenti ambitione appetendas inflammare. Perinde verò ac si in illo cælesti spectaculo sibi dictum exaudisset, quod olim Moyses à Domino: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*; continuò illuc adiecit animum, vt quod in cælo facere Angelos didicerat, hoc ipse Sacerdotibus & Diaconis imitandum in terra proponeret. Itaque commonstratam in æternis illis montibus alternatim canendi, Deúmque dilaudandi formam, inductis in Ecclesiam sacris illis canticis, quos ἀντιφώνους ὕμνους Græci appellant, Latini alternos cantus dicunt, diuisísque in choros tam suis, quàm ijs, quos ab Euodio relictos acceperat, ministris, primus Ignatius instituit, ceteri postmodò tantum ducem sunt secuti: hodiéque is concinendorum alternis choris & vocibus sacrorum hymnorum atque psalmorum tam altè accersitus mos in cunctis totius vniuersi Ecclesijs feliciter persеuerat. Quis autem explicet, qualis tum fuerit populi Antiocheni facies? qui ordinis sacri decor? quæ conuentuum celebritas? quæ munditia, nitórque templorum? quæ mutua inter omnes caritas? quæ concordia animorum? quæ ad Dei honorem amplificandum & fidem dilatandam conspiratio? Quæcumque enim viderat vir diuinus in cælis, hæc omnia fecerat, vt quadamtenus repræsentarentur in terris. Et cùm cælesti hierarchiæ ecclesiasticam aptè conformasset, tanta erat omniũ alacritas & exultatio pietati seruientium, vt de illa Ecclesia dici non inconuenienter posset, quod de illa quondam laudatissimà dictum est Hierusalem: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* atque etiam illud: *Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* Iam enim Antiochiæ vnus grex erat, & vnus Pastor, nec ampliùs audiebatur: [b] Ego Ignatij: ego Euodij: sicut & quondam: ego Petri, ego Paulli, ego Barnabę. Tres enim illi rem quoque Christianam Antiochiæ fundauerãt, & alij quoque nonnulli cum illis, sed illi potissimè, quorum filij atque discipuli ex nomine Patris se distinguebant. Nunc autem Ecclesia ad vnum redacta Ignatium, solius Iesu erat, ad quem solum is spectabat, ad quem solum omnem gloriam & honorem remittebat: qui & omnes pari in loco & numero habebat, vt non esset apud eum *distinctio Iudæi & Græci.* Cessauit enim sub vnico magistro omnis discipulorum æmulatio, & sub tali præsertim magistro, quem à magistro magistrorum Christo Domino tanti fieri cuncti scirent, *vt etiam ostenderet illi regnũ Dei, & doceret scientiam sanctorum, & honestaret illum in laboribus, & compleret labores ipsius.* Nam certè ostendit illi regnum Dei, cùm in illa, quam modò narrauimus, admirabili visione; aut certè in simili quapiam aliâ ad cælestes illas sedes eleuatione mentis (erat enim id tempus ad tales excessus magnis illis viris aurei instar sæculi) Angelorum naturas, differentias, actiones, illi vt amico & familiari manifestauit. Nam sanè Ignatius totam illam diuini regni hierarchiam aut

Exodi cap. 25. vers. 24.

RATIO ALTERNATIM CANENDI IN TEMPLIS PER CHOROS DISTINCTOS A S. IGNATIO INTRODVCTA.

Psalmo 86. ver. 9
Psal. 132. ver. 1.

Roman. 10. ver. 12.

Sapientia 10. ver. 10.

ipſe primus, aut certè inter primos, & coniunctim enunciauit, & nominatim diſtinxit. Cùm enim ad Trallianos, qui ipſum pro Apoſtolo & viro admodum perfecto habebant, & qui ab illo rara quædam & abdita myſteria expectabant, litteras daret, illis ſimul & rationem attulit, cur à talibus abſtineret, & quaſi aliud agens totam ab infimis Angelis ad primam vſque ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam, ſiue vſque ad ſupremum totius diuinitatis faſtigium, ipſam cæleſtem hierarchiã ſtrictim eſt executus, & conceptam de ſe virtutis ac perfectionis opinionem permodeſtè amolitus. *Voluiſſem equidem*, inquit, *magis arcana vobis perſcribere, ſed veritus ſum, ne vobis adhuc paruulis talia ingerendo officerem. Et veniam hanc mihi date: ne forte vim eorum capere non valentes, ſtrangulemini: cùm etiam alioqui non ego, quemadmodum vinctus ſum, ita & cæleſtia mente conſequi poßim, Angelicos ordines, Angelorum & Militiarum diuerſitates, Virtutum & Dominationum diſcrimina, Thronorum & Poteſtatum differẽtias, Principatuum magnificentiam, Cherubim & Seraphim excellentiam, & Spiritus ſublimitatem, & Domini regnum, & ſuper omnia incomparabilem Dei Patris omnipotentis maieſtatem: quæ ego ſi cognoſcam, non tamen continuò perfectus ſim, neq; talis diſcipulus, quales Paulus & Petrus. Multa enim mihi deſunt, vt ne à Deo derelinquar.* Ita Ignatius ex animi ſolita demiſſione velut imis ſumma coniungens, & è theſaurorum cæleſtium contemplatione & comparatione, quantum ſibi deeſſet, clariùs agnoſcens, de ſe admodum tenuiter modicéque ſentiebat. Nempe hæc eſt regia, non modò ad humilitatem, ſed etiam ad omnem omnino virtutem & ſpiritualem profectum & perfectionem via, cum maioribus ac perfectioribus ſe componere, & quantum illi habeant, quantillum tu habeas, attendere: nec tam quid tibi adſit, quàm quid deſit, iuſtis rationibus calculiſque computare. Hoc noſter beatus vir faciebat, & hoc faciendo inſigni modeſtia ornabatur, nec minus timore ſancto percellebatur. Ex quibus fiebat, vt diceret: *Multa mihi deſunt; ne à Deo derelinquar.* Qui tamen ſcientiæ omnium altiſſimæ vſque ad ſublimiſſimos cæli receſſus, quantum homini mortali fas eſt, conſcenſo culmine, de Deo multa, de Angelis plurima didicerat. Quorum quidem Angelorum quot vidit ordines, tot in epiſtola illa recenſuit, nempe nouenos; & ab imo quidem inchoans, primò Angelos dedit, deinde Archangelos, (quos Militiarum nomine expreſſit) poſtea Virtutes, Dominationes, Thronos, Poteſtates, Principatus, Cherubim ac Seraphim: quibus ordinibus ſanctiſſimam denique ſuperaddidit Trinitatem, tertiam quidem perſonam appellans *SPIRITVS SVBLIMITATEM*: ſecundam *Domini REGNVM*: primam *INCOMPARABILEM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS DIVINITATEM*. Sic totam in ea epiſtola, velut in breui tabula, complexus eſt cæleſtem Hierarchiam. Alias quoque non paucas, puræ illi animæ, atque ad excipiendos cæli radios perquam deterſæ, diuinas illuſtrationes obtigiſſe ſcimus; ſed quas in præſenti conſultò

TOTIVS HIERARCHIÆ CÆLESTIS RECENSIO.

S. IGNATII INSIGNIS HVMILITAS.

VIA REGIA AD PROFECTVM ET PERFECTIONEM.

TRIVM PERSONARVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS EXPRESSIO.

ſultò omittimus,vt ijs ipſis,quibus obtigere temporibus,commodiùs referamus. Ad ſingularem verò eius prudentiam (quâ ex iugi cum Deo familiaritate & cōiunctione valebat plurimum) illud etiam ſpectat;quòd cùm in tenuibus eccleſiæ principijs pauci eſſent officiorum ac miniſtrorum gradus,ipſe rebus iam adauctis,& numeroſiore populo,officia & miniſtros ſua in vrbe multiplicauerit. Plurima enim antehac Diaconi aut per ſeſe præſtabant,aut per eos,quorum vicariam in nonnullis rebus operam flagitabant,iam horum,iam iſtorum, vt res poſtulare ipſis videbatur. Ignatius verò,vt omnia decentiùs atque expeditiùs in diuino peragerentur miniſterio, in ſua iam ſatis florenti eccleſia plures alios ſub Diaconis miniſtros conſtituit, & nominibus diſtinxit,& honoribus impertiuit. An priùs quidem alibi omnes fuerint,è nullis habemus certis ſcriptis exploratum:ſed fuiſſe Antiochiæ, dum eam regeret Ignatius,ex ipſiuſmet ad ſuos Antiochenos litteris in confeſſo eſt. Ibi enim ex ipſo ad martyrium itinere non modò Presbyteros aut Diaconos, ſed etiam Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores diſtinctè & nominatim conſalutat. Nimirum vt cuncti ordines, etiamque illorum poſtremi, intelligerent ſuo ſe Antiſtiti nunquam non eſſe cordi: atque etiam, vt hac ſancti patris ipſorū memoria & honore, noua vnicuique in ſui functione officij,alacritas ac diligentia ſuccreſceret. Haud enim facile dictu eſt,quantam apud inferiora officia vim habeat amica & blanda ſummi Præſulis aut magiſtratus compellatio. Illos igitur Ignatius humanitate ſua & facilitate,non præſens ſolùm, ſed etiam abſens deuinciebat,atque vt ſinguli ordines honeſtè ac decenter ſua munia exequerentur,identidem commonebat. Sic omnia bellè & proſperè & ordinatè & concordiſſimis fratrum animis procedebant: nec ibi erat, qui vel alieno ſe ingereret officio,vel deeſſet ſuo:ſed cuncti, quo in ordine diſpoſiti erant, tanquam *ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo*, vt Scriptura loquitur,ſtrenuè rem gerebant,pacémque & inter ſe & cum alijs agitabant: donec poſt duodenos circiter Chriſtianæ tranquillitatis annos,ad imperium is peruenit,qui cuncta, vt confeſtim dicetur, conturbauit,FLAVIVS DOMITIANVS,alter Nero.

S. IGNATII PRVDENTIA IN MVLTIPLICANDIS ECCLESIASTICORVM ORDINVM OFFICIIS.

ORDINVM IN ECCLESIA ANTIOCHENA RECENSIO.

Iudicum cap. 5. ver. 20.

CAPVT VI.

Ignatium præclarâ FIDEI confeſſione nobilitat DOMITIANI Imperatoris perſecutio.

IN fluxis mortalium rebus aliquā ſperare conſtantiam,haud minùs ſtultum mihi videtur, quàm in æternis illis immortalium mentibus mutationem metuere non metuendam. Supra lucidos enim cæli orbes ſemper vniformis perennat ſerenitas:infra ipſos tota dominatur viciſſitudo,& ſola ſibi conſtat,inconſtantia. *Vanitati enim*,vt ait Paullus,

ECCLESIÆ STATVS INSTABILIS ET VARIVS.

Ad Rom. cap. 8. ver. 20.

Paullus, *creatura subiecta est*, non illa tantùm, quæ vilibus & infimis adhærescens quisquilijs, auras venatur populares, aut inanes captat fumos, aut etiam vendit: sed ipsi quoque, qui primitias Spiritus acceperunt, sed ipse quoque terrenorum verus ac serius contemptor, magnus Ignatius: sed ipsa quoque Dei Opt. Max. Ecclesia, quæ, vt per LVNAM designatur, ita instar LVNÆ, sua suscipit incrementa, sua patitur decrementa. His quippe annis superioribus [a] inter Neronem Claudium & Domitianum Imperatores medijs, cùm vniuersa Ecclesia, tum maximè Antiochena, à suo Sole Ignatio mira capiebat incrementa, miros faciebat progressus; sed interueniens lætis rebus, & tã claræ serenitati, velut terra quædam nubes aut [b] violentus turbo tempestásque, DOMITIANVS, statim & oculis solem eripuit, & mundo tenebras obduxit, & Christi gregem dissipauit. Tum igitur nonnihil minui ac decrescere Antiochenæ Ecclesiæ claritudo visa est, sed breui tamen pòst tempore, (vt fit in persecutionibus) per illustrium exẽpla martyrum multo effulsit, clarior, & per nouorum accessionem tironum facta est haud paullo copiosior. Longè siquidem aliter res habet in verâ vnius NVMINIS religione, & in falsorum Deorum superstitionibus. [c] Has enim si quis infestet Imperator Christianus; aut facilè deprimit, aut etiã opprimit: illam verò, tantùm abest, vt Gentilis quispiam aut prauæ opinionis, (quæcúnque illa sit) sectator Augustus opprimat, vt potiùs exsuscitet: deprimat, vt potiùs extollat. Quia tamen fieri vix potest, quin ipso in persecutionis turbine ac feruore, quemadmodum ex arboribus vehementi africo fructus immaturi; sic in ecclesia, atrocium incursu tormentorum debiles animæ excutiantur ac decidant; hinc meritò non mediocris antistitibus dolor, luctúsque exoritur, quotiescũque in Ecclesiam grauis ab hostibus extraneis tempestas persecutionis ingruit. Quod procul dubio non absque MALIGNI inuidia impulsúque accidit. Nunc igitur, cùm passim omnem florere Ecclesiam idem MALIGNVS conspiceret (eius enim profectum & exultationem, suam esse defectionem & ruinam meritò computabat) mox suos in terris adortus ministros, Imperatorem, Præfectos, Præsides, & quidquid aliorum est Ministrorum res curantium publicas, facilè ab ijs impetrauit, vt suis quisque in prouincijs homines Christianos cane peius & angue, vt dicitur, exosos haberent, & pro cõcepto in eos odio iniectis manibus, in carcerẽ & vincula raperent, meditatis pœnis excruciarẽt, morte denique acerbissima, & acerbioribus ipsa morte exilijs & relegationibus malè multarent. Hoc & alibi compluribus in locis, & hic nominatim (vt alia omittamus) Antiochiæ, vbi ipsis quàm maximè inuisus regebat Ignatius, tam impiè quàm impigrè factum liquet. [d] Nam & ipsum ducem Ignatium ceperunt (nec enim difficile erat capere non resistentem, non fugam meditantem) in vincula coniecerunt, carceris squalore & tenebris confecerunt, fame & inedia cruciarunt: quibus tamen omnibus & alijs maioribus tormentis, nihil minùs,

CLARESCIT ET CRESCIT ECCLESIA PERSECVTIONIBVS.

PERSECVTIONES, LICET QVADAM TENVS VTILES, TAMEN INSTINCTV DÆMONIS SVSCITANTVR.

S. IGNATII PERSECVTIONIS TEMPORE COMPREHENSIO.

nùs, quàm id quod ſpectabant & ſperabant, effecerunt. Neque enim fracta, neque emollita, neque minimum quatefacta eſt, cunctis quę intulerunt malis, generoſa virtus Ignatij: immo contrà potiùs erecta, animata, incenſa ardore patiendi, & vitam cum ſanguine effundendi mortalibus cunctis innotuit, Gentilibus ad ſtuporem, Iudæis ad mœrorem, noſtris ad gaudium & conſolationem. Fiebant quidem preces ab eccleſia Antiochena ſine intermiſſione pro Ignatio; ſed alia erant eccleſię vota, alia Ignatij. Illius quidem, vt neceſſarius ſibi Antiſtes ex hoſtium eriperetur manibus, & vitæ mortali ſupereſſet: huius verò, vt ipſe hoſtili manu grata Deo victima litaretur, & cœtui ſanctorum immortali intereſſet. Hic Ieſum ſitiebat; illa Ignatium: ſed hunc tamen propter Ieſum: quippe quē Ignatius illi conciliaret propitiū. Sciebant enim Antiocheni, quantæ virtutis & ſanctitatis paſtorem haberent ac patrem: ſciebant, quantæ apud Deum auctoritatis atque efficaciæ patronum atque aduocatum. Sæpe ex eius ore veridica audierant oracula: ſæpe oculis ſuis ea, quę patrabat, ſpectauerant miracula. Atque ea de cauſſa omnes curas & cogitationes ſuas, omnes preces ac vigilias, omnia ieiunia & eleemoſynas ad impetrandam eius è vinculis ſolutionem, certatim impenſéque cōferebant. Huic verò ad cælum toto corde anhelanti, nihil prius erat, nihil carius, quàm *diſſolui & eſſe cum Chriſto*. Hinc ei carcer pro horto voluptatis computabatur: pædor & ſquallor pro odorum ſuffimentis. vincula & tormenta pro delicijs: ſed omnia tamen poſt Dei voluntatem ponebat, in vtrumque ſcilicet (vti talem decebat athletam) peræquè præparatus, aut ſui gregis tuendi cauſſa vitam diutiùs prorogare, aut in præſenti periculo duram & cruciabilem pro Chriſto mortem oppetere. Vicit tamen pro eius vita ſublatus populi ad Deum clamor: plúſque valuère totius eccleſię ad conſeruandum paſtorem ſuum profuſæ preces, quàm alia omnia eius vota, vel hoſtium conata ad auferendum: ſed tamen Deo Opt. Max. ita ſententiam ſuam vtrimque temperante, vt nec deeſſet patiendi materia ſuperſtiti Ignatio; nec eccleſiæ, quamuis eo ab oculis ſublato, ſua quantulacūque capiēdi ſolatij deficeret occaſio. Nam cùm in carcere & vinculis haud minùs liberè & confidenter, quàm ſi ſolutus in foro ambularet, fidem Chriſti profiteretur; tandem aduerſarij, qui eum nec præſentem tolerare poterant viuum; nec videre, vel audire martyrem ſuſtinebant mortuum, ſupplicio inter mortem vitámque medio, in exilium deportarunt. Quod tametſi fidelibus ſubditis, tanquam membris à capite diuulſis, non mediocrem luctum ac mœrorem attulerit, aliquem tamen in hoc reliquit ſolatij locum, quòd ipſe eos conuenire atque affari & ſolari abſentes litteris internuncijs, amicarúmque mētium interpretibus poſſet. Quod & ab eo factum eſſe, & à multis alijs SS. ſeu in abitu in exilium, ſeu in ipſo exilij loco ſcimus: & magno quidem ac ſingulari fructu, tam expertæ ab ipſis exulibus erga ſe fratrum Chriſtianorum caritatis, quàm nationum ab iiſdem per iter, aut ipſo in exilio

EIVSDEM DESIDERIVM AC SITIS MARTYRII.

S. IGNATII INTEGRA AD DEI VOLVNTATEM CONFORMATIO.

B. IGNATIVS IN EXILIVM DEPORTATVR.

SANCTORVM VIRORVM EXILIA DEI DISPOSITIONE MVLTIS SÆPE PROFVERVNT.

exilio edoctarum, aut in fide confirmatarum. [e] An non hoc ipso tempore dilectus Christi discipulus, cùm esset in Patmon insulam ab eodem impio Domitiano relegatus, totam illam insulam fidei præceptis imbuit, Christóque acquisiuit? An non ex eadem ipsa insula aureas illas epistolas, quæ hodiéque extant, ad omnes ferme Asiæ Episcopos dimisit, eósque partim vitia increpando correxit? partim negligentiæ insimulando emendauit? partim etiam laudando, currentes, vt dicitur, incitauit? De alijs Apostolis omitto dicere: quorum vnus in vinculis cùm esset, alios non desistebat grauioribus peccatorum nexibus compeditos, affusa salutaris euangelij luce, cunctis quæ inferni tyranni iniecerãt, exoluere vinculis. Vellem Ignatij acta per hanc ecclesiæ calamitatem diligentiùs aut perscripta fuissent, aut conseruata! Videremus procul dubio nullum officij genus erga Syros suos ab illo præteritum, nullum caritatis munus erga alienos esse neglectum. Id enim, vt credamus, facilè inducit illud postremæ, quam subijt, persecutionis tempus, de quo infrà dicendum erit: quo in tempore à Syria in Italiam, quacumque iter fecit, non cessauit, tametsi vinctus, tametsi custodia militari circumseptus, suæ spargere semina benignitatis. Multas enim tum ab eo scriptas litteras talis officij testes tenemus: sed hoc Domitiani æuo vnicas dumtaxat residuas habemus, quas ad MARIAM dedit, illam dico MARIAM, cuius à Paullo Apostolo perhonorificam legimus factam esse mentionem, in extrema sua ad Romanos epistola: cùm illam nimirum suo nomine vult salutatam, & quidem, vt præclaram in Ecclesiæ Romanæ vinea operariam hisce verbis: *Salutate*, inquit, *MARIAM, quæ multum laborauit in vobis*. Hæc igitur MARIA, cùm ad Ignatium in exilio versantem, aut certè in vinculis detentum scripsisset, intérque alia viros nonnullos ei commendasset, ita ipsi rescripsit, (Meliùs enim ex ipsa epistola tam illius ecclesiæ status, quàm Ignatij varia exagitatio & exagitationis tempus agnoscetur) ita, inquam, rescripsit:

S. PAVLLVS IN VINCVLIS GENVIT CHRISTO ONESIMVM.

Epist. ad Romanos cap. vltimo.

IGNATIVS, qui & Theophorus, misericordiam consecutæ à Deo Patre altissimo, & à Domino IESV Christo pro nobis mortuo, fidelissimæ, Deo dignæ, Christiferæ filiæ MARIÆ plurimam in Deo salutem.

Potior quidem epistolis est conspectus (qui vnus cùm sit è choro sensuum, non modò quà amoris signa exhibet, honore afficit suscipientem; sed etiam quà paria recipit, potiora exhibendi cupiditate ditescit) verùm secundus, quod aiunt, portus, ipsæ sunt epistolæ: quas bonæ stationis instar à fide tua è longinquo accepimus: vtpote qui per illas eam, quæ in te est, probitatem cognouerimus. Bonorum enim animæ, ô sapientissima femina, purissimis fontibus sunt similes. Nam & illi sua pulchritudine viatores pertranseuntes, quamuis non sitiant, ad potum hauriendum pelliciunt: & tua nos prudentia ad diuinos illos latices, qui in anima tua scaturiunt, participandos inuitat. Ego verò, ô beata, non

ta, non tam mei iuris, quàm aliorum iam factus, multorum aduersariorum arbitriô, partim exilijs, partim custodijs, partim vinculis exagitor. Ast eorum nihil curo. Quin ipsorum potius iniurijs erudior, vt Christum Iesum consequar. Et ô si grauibus illis, quæ mihi parata sunt, fruar! Quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Quæ porrò litteris tuis hortata es, lubens perfeci: in nullo eorum, quæ rectè habere probaueris, hæsitans. Scio enim te non ex humanâ gratiâ, sed ex Dei iudicio, viris illis perhibuisse testimonium. Valde autem me delectauerunt illæ locorum è Scriptura sacra continuæ citationes: quas vt legi, ne cogitatione quidem tenus vlla mihi fuit de re ista dubitatio. Nec enim opus habui oculis ea percurrere, quorum haberem à te demonstrationem certissimam. Quàm velim animam meam pro te ponere! quia Iesum filiũ Dei viui amas. Vnde & ille tibi dicit:* Ego diligentes me diligo: at me quærentes inuenient gratiam. *Ac mihi quidem occurrit dicere, verum esse sermonem, quem de te audiui, cùm adhuc Romæ esses apud beatum Papam Anacletum, cui nunc beatissimus Clemens successit Petri & Paulli auditor. Et iam ad hoc adiecisti centuplum, atque plus etiamnum ipsa adijcito. Vehementer desiderabam ad vos venire, & vobiscum interquiescere: verùm* non est hominis via eius. *Inhibet enim id quod destinaram, nec sortiri exitum permittit militaris custodia. Nam pro statu, in quo versor, nec agere quicquam, nec recipere possum. Quare secundam inter amicos consolationem epistolas esse ratus, saluto sanctam animam tuam, hortórque, vt labori tuo adijcias. Præsens enim labor exiguus: sed quæ expectatur merces, magna. Fuge eos, qui passionem Christi & generationem corpoream negant. Sunt enim hodiéque multi eo morbo laborantes. De alijs verò te admonere stultum foret, quæ in omni opere & sermone bono perfecta es, & quæ alios in Christo exhortari potes. Saluta omnes tui similes, qui salutis suæ in Christo curam gerunt. Salutant te Presbyteri & Diaconi & ante omnes sanctus Heron. Salutat te Cassianus hospes meus & soror mea vxor eius, & carissimi eorum liberi. Valentem te & corpore & spiritu sanctificet Dominus, detque, vt te adeptam in Christo coronam intuear!*

Rom. 8. v. 18.

Prouerb. 8. v. 17.

Ieremiæ 10. ver. 23.

HÆRETICI NEGANTES CHRISTI NATIVITATEM ET PASSIONEM.

Hactenus beati Ignatij epistola ad sanctam illam virginem, & verè exemplar virginum, in medijs persecutionum flammis atque vexationibus exarata. In qua suarum virtutum, præsertim caritatis, fortitudinis, & zeli aduersus hæreticos, maxime illos qui Christi negabant natiuitatem & passionem, egregia passim exhibet specimina. Patiebatur ille quidem multa, sed ea præ ijs quæ à Domino Deo expectabat præmijs ac coronis, perquam exigua videbantur: ideóque semper plura & maiora pro eo patiendi ingentibus æstuabat ardoribus: nec poterat eos ardores (tanti ac tam vehementes erant) pectore inclusos tenere; sed amicis ac familiaribus, siue coram in collocutionibus, siue in absentia per epistolas, ipso animi affectu loquente, & intimos cordis ignes foras propellente depromebat. Sed de hoc amoris in Christum ardore, atque inuicto propter eius honorem omnia perpetiendi desiderio, locus postea occurret dicendi opportunior: nunc ad eximiam ipsius,

ipsius, post sedatam persecutionis tempestatem, in pace otióque reipublicæ prudentiam ac sapientiam (quæ in ordinatione ecclesiæ promicuit) ex ordine procedamus.

CAPVT VII.

Ignatij post mortem Domitiani in vrbem Antiochenam reditus, & res in ecclesiæ pace laudabiliter gesta.

QVALIS ECCLESIÆ FACIES SVB NERVA IMP. FVERIT.

SVblato capitali ac pestifero reip. Christianę malo, domitáque Domitiani Imp. superbia,[a] qua se Deum ac Dominum dixerat, & punita simul eius impia ac nefaria aduersus bonos tyrannide, sua ecclesijs rediјt serena tranquillitas.[b] Nam Nerua Cocceius, vir modestus & prudens, & tot vno verbo, præditus virtutibus, quot alter vitijs, suscepto imperio illius acta rescidit: damnatos impietatis (hoc est, Christianos & Iudæos, quos vt Deorum despectores vulgò impios appellabant) absoluit: exules restituit: neminem impietatis aut ritus Iudaici deinceps insimulari permisit. Sic ad sua redierunt, nō alij tantùm, quos inuidia aut calumnia presserat, sed etiam Christiani, & inter alios ipse Pontifex Ignatius: quanto autem totius Orientis, præcipuéque Antiochenorum gaudio atque plausu, quis dicat? Fecerat enim incredibilis eius mansuetudo, vt à suis *super hominum gloriam diligeretur*: fecerat rara eius sanctimonia, & quaquauersum dispersus virtutum odor, & cælestium gratiarum volans fama, vt tanquam Apostolus & illustris FIDEI confessor susciperetur ab omnibus, honoraretur ab omnibus, expeteretur ab omnibus. Hac autem sui apud omnes probos bona existimatione vtebatur vir Dei ad ipsorum vtilitatem & salutem, non verò ad propriam laudem & gloriam abutebatur. Quin ab his virtutum pestibus ita abhorrebat, vt laudes pro flagellis, laudatores pro hostibus duceret; memor scilicet illius propheticæ admonitionis: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Itaque omnia occultè insidiantis gloriæ tela validissimo profundæ humilitatis, generosǽque submissionis vmbone repellebat. Ex quo fiebat, vt nescires, maiórne esset ipse in alienis oculis, an minor in suis. Quo enim se ipse minorem faciebat, hoc illi maioris eum æstimabant. Iuuit autem plurimum tam ea æstimatio ad auctoritatem ipsi conciliandam, quàm auctoritas ad religionis bonum expeditiùs promouendum. Quare nonnihil distracta ac diuulsa ecclesiæ membra (quēadmodum accidere in persecutionibus solet) facilè recollegit, in ordinem redegit, & ad cœtus ordinarios reuocauit. Iam ergo intermissa, & quasi intermortua ecclesiæ officia reducis ac præsentis gubernatoris celeusmate, lætissimis animis resumi: iam alterni cantus & hymni gratiarum, studijs concertantibus, in æde sacra animosiùs instaurari: iam sacræ conciones & cohortationes frequentiùs, cupidiúsque celebrari:

FILI IN MANSVETVDINE OPERA TVA PERFICE: ET SVPER HOMINVM GLORIAM DILIGERIS. Ecclesiastici 3. v. 19.

HVMILITAS S. IGNATII.

Isaiæ 3. ver. 12.

VIGORIS ECCLESIÆ RESTITVTIO POST PERSECVTIONEM.

brari:iã eà quæ maioris ac robuſtioris ſunt perfectionis, in ampliori honore & precio haberi; illis cælibatus,iſtis viduitas, omnibus ſanctimonia in amoribus eſſe. [c] Ac ſacrarum quidem virginum vel nunc primùm collegia conſtituit Ignatius, in quibus ipſę coniunctim ac ſocialiter viuerent Deo conſecratæ,vel certè priùs conſtituta partim numero auxit, partim honoribus ampliauit. Qui enim ipſe in regia virtutum via in dies proficiendi, atque ad ſupremum ſanctimoniæ culmen pertingendi erat inſatiabilis, idem vtrumque ſexum ad id,quod maximæ erat,pro cuiuſque gradu,Chriſtianę perfectionis,impensè adurgebat. Ac proinde (vti ſapientia pollebat cæleſti magis,quàm humana) cùm ſatis intelligeret, quantò tutiùs obſeruetur integritas illa virginalis, cùm à periculoſa diuerſorum hominum diſtet ſocietate, & ſecum ipſa habitet, quàm cùm promiſcuo miſta populo degat, vbi ſcilicet & domi & foris,ſeu viſu, ſeu auditu varias cogatur haurire animo ſpecies,(quæ ſi mentem ad ſublimia aſpirantem non prorſus in limum detrahant, eius tamen de Deo,déque rebus diuinis amicas cogitationes multùm interturbent) cùm id,inquam,probè intelligeret, etiámque cælitus pernoſſet; bonum eſſe factum iudicauit, puellas virginitatem profeſſas, vnà ſimul in domo collegióque,& procul à populari ſtrepitu, & virorum quorumcumque conſortio ætatem agere. Quod quibus facultas faciendi fuit, facilè & libenter tanto auctore fecerunt. Hinc & illas cùm idem vir ſanctus ſalutaret, collegij ſeu congregationis nomine eas appellabat,tantíque paſſim faciebat, vt modò tanquam Sacerdotes quaſpiam,modò tanquam Chriſti cimelia, ſeu precioſa ornamenta,honoraret & coleret. Harum igitur, vti etiam viduarum, ſingularem curam ſuſcepit, [d] atque à ſucceſſoribus ſuis ſuſcipi voluit. Et ſanè meritò. Hæc eſt enim nobiliſſima & cæleſtibus propinquiſſima vitæ ratio, quæ à terrenis ſegregata contagijs, quàm minimum habet cum carne commercij, & quæ mortali circumdata corpore, ſincero puritatis affectu, incorporeas imitatur immortaléſque naturas. Alius præterea circa hæc tempora Ignatij labor aduerſus pullulantes in eccleſiæ agro venenatas herbas, & noxia variorum errorum germina,egregiè deſudauit. Nam lupis quibuſdam ſub ouiũ veſtimentis in Chriſti gregem graſſari incipientibus, & ſe inſtar mitium agnellorum initio gerentibus, (quò ſe ſcilicet cautiùs miſcerent incautis) ſolerti vſus prudentia pelles detraxit,& eos quales intus eſſent, foris oſtendit. Artes enim ipſorum & dolos malos, producto in medium boni malíque ſpiritus diſcrimine, palam detexit. [e] Quippe ſpiritum veritatis,ſimplicem eſſe docuit,modeſtum, humilem,grauem,conſtantem,nihil à ſe nouum aucupandæ gloriæ gratia, ſed quæ à Chriſto,eiúſque diſcipulis acceperit, ad Dei gloriam proferre & eloqui: at verò ſpiritum erroris duplicem & fraudulentum eſſe, ſuperbum,arrogantem, leuem, varium, inconſtantem, & quæ ſua ſunt,

COMMENDANTVR COLLEGIA VIRGINVM.

Epist. Ignatij ad Philippenses.

S. IGNATII ADVERSVS HÆRETICOS LABOR ET INDVSTRIA.

SPIRITVS VERITATIS.

SPIRITVS ERRORIS.

sunt, non quæ Iesu Christi, loquentem ac prædicantem. Itaque aperuit horum nonnullos [f] prima oratione atque affatu Christianum efferre nomen, & totos in Christi esse laudibus, qui deinde occupatis blanda insinuatione animis, exterminationi Christianæ legis atque doctrinæ tam perniciosè quàm blandè insistant. Contra quos ipse miro spiritus feruore atque impetu generosus irruebat: nec poterat, quin meritis eos appellationibus denotans, iam simios, iam scorpios, iam dracones, iam aspides, iam basiliscos appellaret: atque etiam pari quàm feras illas cautione atque fuga deuitandos commoneret. Ac ne homines illorum ignari parata in retia imprudentes inciderent, non modò ipsorum hæresiarcharum nomina, sed ipsos quoque errores euulgabat, vtque illis auditis mox aures obturarent, edocebat.

DIGNÆ HÆRETICIS APPELLATIONES.

AVRES HÆRETICIS OBTVRANDÆ.

Nempe intelligebat vir multa bonorum annorum experientia nullum aptius promptiúsque tuendæ FIDEI esse præsidium, quàm aduersus hæreticos, fugam; aduersus hæreses, obturationem aurium. Quoniā ipsi quoque Apostoli non solùm verbo, sed etiam exemplo, se tales facti duces commonstrarant. Tertium præcipua commendatione dignum, & verè REGIS OPVS fuit; quòd summo studio, curáque in bonam sacrorum MINISTRORVM institutionem incubuerit: adeóque tales efficere studuerit, quales Paullus ille olim ad tertium cælum raptus esse vellet: nempe magna vitæ innocētia & puritate, sobrios, castos, prudentes, vigilantes, omni sanctorum scientia eruditos, commisso sibi officio gnauiter intentos, ad omne denique opus bonum ac sanctum expeditos.

CVRA S. IGNATII CIRCA ECCLESIÆ MINISTROS.

Quemadmodum autem in ciuili republica nihil optari potest, nec à Deo maius, quàm vt Principem iustum ac sapientem ei prouideat, qui vnicè & Dei gloriam & subditorum cōmoda in omnibus spectet; nec à Principe vtilius, quā vt magistratus fidelissimos & innocentissimos iubeat, ac, si quidem possit, etiam successorem relinquat sibi quàm simillimum: ita sibi faciendum in sacra republica, seu in ecclesia sua censuit Ignatius: nempe vt quandoquidem esset totius Orientis à Deo princeps iam constitutus, non modò inferiores magistratus & administros deligeret, quos maximè idoneos omníque virtute instructissimos iudicaret; sed etiam de successore sibi quàm simillimo, aut etiam, (quod ei potiùs in votis erat) de præstantiore prouideret. Quocirca, tametsi Antiochiæ non deessent alij insignes virtute ac pietate Diaconi & Sacerdotes, ætate iuxtà & iudicio maturi, tamen ad vnum potissimè respexit Diaconum, [h] Heronem nomine, eúmque annis quidem iuniorem, sed animi indole & spe futuræ virtutis, quàm quisquam alius tum ostenderet, maiorem ac potiorem. Huius ergo cùm in herba ipsa fructus admirabiles perspicaci mentis acie prospiceret, ipse gaudere in sinu, adijcere animū ad diligentē eius educationē, humilitatis ac modestiæ specimina (deprimēdo nonnūquā & reprehēdendo, si vel leuis daretur ansa) subtiliter captare, ieiunijs ac macerationibus paullatim assuefacere, labori-

PROVIDENTIA DE BONO SVCCESSORE IN EPISCOPATV.

S. HERONIS LAVS.

laboribus pro virium modo identidem exercere, sacrarum studio litterarum sedulò imbuere, denique eius quotidiano profectui in officio, in litteris, in virtute, sic aduigilare, vt qui suapte natura procliuis ad omnem honestatem esset, adiecta illa magistri sui cura, mirificos in loco & ordine suo progressus fecerit; tandem scilicet tantos, vt Deus Opt. Max. non alium Ignatio successorem designaret, Ignatius non alium mallet. Qua de successione ipsi Ignatio diuinitus demonstrata, quia post hæc tempora accidit, aliquanto pòst dicetur. In his igitur sanctis occupationibus, reíque Christianæ admodum necessarijs versabatur vir diuinus, partim Neruę imperio, eóque nimis angusto (quippe vix ac ne vix quidem bienni) partim primis Traiani temporibus. Nam postmodum impijssimam nomini suo (vt iam explicare aggrediar) persecutoris ecclesiæ notam idem Imperator inussit.

CAPVT VIII.

Traianus ecclesiam persequitur. Ignatius defendit & tuetur.

FLORET ECCLESIA PRIMIS TRAIANI IMP. TEMPORIBVS.

NERVA COCCEIO annum vnum mensésque aliquot imperij vitæque muneribus pacificè functo, cùm successisset VLPIVS TRAIANVS, résque Christiana primis ejus imperij annis pacem agitaret; Antiochiæ Ignatio duce ac magistro ecclesia mirum in modum cultu religionis efflorescebat; ita vt plurimi & illic & in tota Syria ad sanctum Christi ouile tanti ac tam feruidi pastoris præconio aggregarentur. Verùm erumpente tandem mali Dæmonis semper bona impugnantis liuore, & Gentilium sua numina perditè amantium inuidia stimulante, rei Christianæ cursus interpellari, & insidiæ Antistiti Ignatio tendi cœptæ. Quarum opportunitas tum præcipue ab hostibus correpta est, cum Imperator Antiochiæ [b] propter bellicam aduersus Parthos expeditionem demoraretur. Tum enim ad eum detulerunt homines quidam perditissimi Deorum immortalium honores ([c] quorum ipse diligens cultor & seuerus vindex haberi appetebat) sensim in Syria, & nominatim apud Antiochenos imminui: contrà verò Christianorum sectam in dies exaugescere, ídque Ignatij cuiusdam, qui Theophorus ab ipsis appelletur, ductu atque auspicijs. Quippe, qui non cesset nouam illam superstitionem apertè ac propalam deprædicare, atque à vetere & sacrosancto horrendorum Numinum cultu, ad vnius Christi, noui hominis (quem licet à Iudæis infelici arbori suspensum, tamen DEVM, præ summa amentia esse pertendat) honorem ac venerationem, quotquot possit, traducere. Eundem nouos planè atque insolentes mores in Syriam importare: legem de custodienda virginitate, de respuendis diuitijs, de aspernandis delicijs in vulgus edicere: sed (quod multò grauissimum, miniméque tolerandum

PERSECVTIONIS SVB TRAIANO INITIA.

CRIMINATIONES ADVERSVS IGNATIVM.

tandum censeri debeat) illum nec Deos ipsos, nec Imperatores tantilli facere. Imperator igitur claris ac [d] recentibus de DACIA victorijs elatus, & eorum duce DECEBALLO bis rebelli, bis victo *DACICVS* appellatus, perinde quasi Deorum suorum ope istas acquisiuisset laureas, ad eosdem Deos contra atroces, vt rebatur, Christianorum iniurias vindicandos, specie pietatis extimulatus, Ignatium tanquam principem rerum nouarum auctorem comprehendi, atque [e] in conspectum tentandi hominis gratiâ produci iubet. Quo actutū producto, *Túne ille es*, inquit, *qui Theophorus appellaris? qui nostra iussa temnis? qui Antiochiam turbas? qui Christum nescio quem à furca ad cælum tollis? qui Deos nostros veros atque immortales non flocci facis?* Tum Ignatius: *Sum equidem*, inquit, *sum ille qui Theophorus appellor*, pluráque parantē dicere mox interpellans Traianus: *Quid? Túne igitur*, ait, *Deum in te ipso circumfers? Omnino*, inquit: *quandoquidem in sacris nostris voluminibus scriptum sit: Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter illos, & ero illorum Deus.* Et ille. *Nos verò quidnam? quid tibi videmur? An non & ipsi Deos nostros continenter in animis ferimus, & eorum semper memores sumus? & in rebus nostris, atque in expeditionibus bellicis eos inuocamus, & nobis fauentes ac propitios sentimus?* Quæ verba magno excipiens suspirio Ignatius, *Heu*, inquit, *dolor! mutáne simulacra Deos vocas? vnus, vnus est verus cæli & terræ & maris & omnium, quæcumque sunt, molitor & fabricator Deus. Vnus IESVS CHRISTVS, Dei vnigena filius, æterni regni potens dominator: quem si tu ô Imperator, cognôsses, ne & purpuram tuam & diadema regium, & currus tuos coronásque triumphales, & omnia denique ad augustam dignitatem spectantia, longè stabiliora, quàm nunc sint, possideres.* Tum verò ille composito ad hilaritatem vultu, & fronte ad blanditias & pollicitationes exporrecta, *Sed hæc*, inquit, *omittamus: tu porrò, si quid & maiestati nostræ gratum, & tibi præstare commodum velis, ac meorum deinceps numero amicorum accenseri, de istac tua decede sententia, & nobiscum vnà magnis immortalibus Dijs sacrifica:* [f] *nec mora erit, quin & tu Iouis magni Sacerdos fias, & pater senatus à me appelleris.* Cui sanctus: *Cunctis quidem, ô Imperator, gratificari pulchrum est, sed Imperatoribus potissimùm, quorum est ad gratias referendas amplior facultas & gloriosior munificentia; sed tum demum, quando vtrimque conducit benignitas. Nam si est eiusmodi, vt obsit potius vtrique, quàm prosit, aut (quod est deterius) vt animæ quoque officiat, & innumeris multet malis, æternísque addicat ignibus, tum certè, non modò is qui dederit, sed etiam is qui petierit beneficium, est miserrimus. Et verò admiranda est, Imperator, & magnifica scilicet tua promissio. Quid enim, quæso, me iuuet, aut flaminē esse dialem, aut senatus patrē abs te appellari, qui & Sacerdos Christi sum, & illi quotidie sacrificium veræ laudis offero? quíque etiā vltro ei immolari, & complātari similitudini mortis eius vehementer cōcupisco?* Hic autem ridere Traianus atque cauillari, & Christum, & crucem, & Ignatium. *Túne ergo*, inquit, *illi te immolare desideras, qui sub PONTIO*

PILATO

2. ad Corint. 6. ver. 16.

TRAIANVS IGNATIVM BLANDITIIS ADORITVR.

PILATO in crucem actus est? Omnino, ait Magnus Ignatius, *illi me immolare cupio & festino, qui & peccatum cruci affixit, & illius inuentorem diabolum supplantauit, & omnem eius virtutem virtute crucis eneruauit. Enimuero, Ignati,* inquit ille, *iā mihi penitus recto iudicio & sana mēte destitutus videre. Nec enim istis alioqui vilissimorū hominū tam vanis ac futilibus scriptis te circumueniri paterere: sed cognosceres, quantū omnino bonū sit, Imperatorijs parere mandatis, & vnà cum ceteris imperio meo subditis, offerre Dijs sacrificium.* Ibi Ignatius sinapis in morem, quod, cùm teritur, inardescit, igneum quiddam spirans Christianæ libertatis, *Age verò Imperator,* inquit; *quod tuæ collibitum fuerit voluntati; nos diuinæ parebimus. Nam vt dæmonibus impia offeramus sacrificia, nec tu, nec quisquam à nobis impetrauerit. Ita enim ego quidem cum animo meo constitui, nec aliter vt faciam, induci vnquam, cogíue potero, seu à bestijs deuorandus, seu cruci suffigendus, seu ferro fodicandus, seu flammis absumendus sim: quæ omnia tormēta in potestate tua sunt, vt expromas; in mea, vt contemnam. Neque enim mortem reformido, neque præsentia vlla concupisco, quorum tu solorum concedere vsum potes: sed futura & æterna, quæ dare non potes, magni pendo. Vnum siquidem mihi studium, vnum votum est, ad Christum, qui pro me mortuus est, demigrare.*[B] Quibus auditis nonnulli Senatorum, qui iam diu aliquâ mentis sollertiâ sermones eius vellicādi ansam captabāt, *Quid ergo?* inquiunt. *Túne Deum tuum mortuum confiteris? Quo annuēte, Cedo igitur,* inquiunt: *Is qui mortem obijt, & execrandam mortem, iuuaréne alios potest? Nam dij quidem nostri & sunt & vocantur à nobis immortales.* Nactus hinc occasionem Ignatius & Deos irridendi & magno sanctæ Incarnationis mysterio ianuā aperiendi, hacque via, si ipsis audiendi esset animus, eos ad Christi cognitionem deducendi, ita sermonem instituit: *Dominus meus & Deus IESVS CHRISTVS primò quidem nostra caussa homo factus, crucem & mortem & sepulturam subijt voluntarius: deinde tertia pòst die, prostratâ inimici potentiâ, ad vitam remeauit, atque ad cælos, vnde venerat, postliminiò redijt: & ita quidem, vt nos à peccati lapsu releuaret, & in hortum voluptatis, vnde miserè expulsi fueramus, reduceret; adeóque maioribus, quàm antea fuerant, bonis redonaret. Tale verò quippiam ab vllo eorum, quos Deos creditis, patratum esse vnquam, nemo certè vnus ostendet. Cùm enim illi ipsi, quos Deos vocatis, essent homines malefici & corruptores, multáque in vitæ ac conditionis nostræ perniciem designassent, pusillam verò diuinitatis speciem atque opinionem hominibus amētibus amentissimè præbuissent, subductis postea malarum artium velis, scenáque sublatâ, id demum esse, quod erant, deprehensi sunt. Nam & vitam turpiter amiserunt, & ob creatum à se multis exitium morte immortali condemnati sunt. Iuppiter quidem sanè primus apud vos Deorum, idem & maximus, in CRETA sepultus est. Æsculapius verò fulmine interijt. Veneris autem sepulchrum in PARO Cypri ostenditur. Hercules denique igni consumptus perijt. Nempe talibus atque etiam deterioribus supplicijs digna erant ea, quæ fœdissima admiserant, flagitia.* Nec multis. Cùm & Christum acriùs propugnaret,

LIBERTAS SERMONIS, ET PATIENDI CVPIDITAS.

DEORVM NON DEORVM DENOTATIO.

VARII ET MISERRIMI ILLORVM INTERITVS.

& Deos animosiùs refutaret, veritus Imperator, ne si prolixior eius esset oratio, tantum ea detrimenti atque ludibrij rebus Gentilium importaret, quantum incrementi & auctoritatis suæ religioni, dissipata erroris nube, afferret; eum trudi iubet in carcerem, & quo argumentis agi nequeat, eò tormentis adigi. Illum igitur Quæsitor in potestatem cùm accepisset, existimauit non minimam se apud Imperatorem gratiam, apud populum gloriam acquisiturum, si artem suam & tormenta homine quamuis forti & imperterrito fortiora ostenderet. Omnia proinde consilia in animum aduocare, singula tormenta & carnificinas circumspicere, quod primum, quod secundum, quod tertium adhiberet, perpendere. Denique cunctis ad sæuitiæ arbitrium constitutis, primò denudari verecundum senem iubet, eiúsque [b] scapulas pilis plumbatis seruilẽ in morem tundi, contundíque. Quod dũ ab immanibus lictoribus fieret immisericorditer, ille mente & affectu Christo iunctus, non æquo tantùm, sed etiam volenti ac læto animo ferre. Non sic Quæsitor; non ita lictores: nempe qui se primo tormento partam victoriam gloriaturos sperauerant; nunc spe delusi magis se ipsi quàm martyrem cruciabant. Ad secundum igitur tentamentum, ira stimulante, aggrediuntur: & vngulis ferreis vtraque latera, hinc inde deductis sulcis, crudeliter effodiunt atque dilaniant. Sed crescente simul cum ipsorum carnificina generosi martyris tolerãtia, nihil proficiunt. Hinc alias atque alias pœnas furore turgidi aggerant: & effossa dilaniatáque latera modò lapidibus asperis confricant, modò papyris oleo imbutis incensísque vstulant, modò ambas manus expansas ignibus torrent torquentque. Quid autem proficiunt? tantundem, quantum priùs. Nimirum haud minus illis intus animi, quàm Ignatio foris membra adurebantur: sed illi adustionis eius & doloris impotentes & impatientes erant: hic autem non modò potens ac patiẽs, sed etiam lætus erat ac securus. Spes enim ei crescebat tanto citiùs ad Christum suum perueniendi, quanto cruciaretur acerbiùs. Et iam præsertim illi videbantur roseam ad cælos viam sternere; cùm ardenti ac flammanti lecto iuberent martyrij candidatum incumbere. Quippe sperabat etiam in illo gloriosè occumbere, & eorum esse similis, de quibus canebat DAVID: *EXVLTABVNT SANCTI IN GLORIA: LÆTABVNTVR IN CVBILIBVS SVIS.* Hæc autem Ignatij æquanimitas & lætitia canibus illis exaduerso ringentibus carnificinæ instar erat eorum corda arrodentis, & ad vindictam quàm immanissimam accendentis. Ad extremum ergo sæuitiæ gradum progressi, non iam martyris membra, sed ipsa excruciant vulnera. Nam discisso vngulis dilaceratóque miserrimum in modum corpore, ipsas plagas & vulnera sale acetóque perfricant, perfundúntque. Vah belluinam atrocitatem atque ferociam! Vbi autem tantis in malorum conflictationibus victoria? Vtram propendet inclinátue in partem? an in iuuenum aduersus senile effetumque corpus totis lacertis sæuiẽtium

[b] V. Beda in martyr. VII. cal. Decemb. Ado Viennensis libello de festiuitatibus, ad cal. Februarij.

Menæum Græcorum.

Psal. 149. ver. 5.

S. IGNATII FORTITVDO IN TORMENTIS.

tium? an verò in effeti ſenis & totis membris afflicti ac dilacerati? in hanc certè, in hanc tota inflexit partem, fecítque vt ira lenitati, furor manſuetudini, immanitas ſuccũberet humanitati. Vicit cuncta Ignatius, & omnes gemitus ac ſuſpiria in poteſtate habuit, & quò voluit, miſit, non in terram, vt miſerè viueret; ſed in cælum, vt beatè moreretur. Verùm inuiderunt & ipſi inimici talem mortem, vt quæ ſibi tam ignominioſa, quàm illi glorioſa futura eſſet: quippe hominibus (quod ipſi non ignorabant) magis fere ad reorum laudandam fortitudinem, quàm ad Iudicum prædicandam ſæuitiam ſua ſponte proclinantibus. Datur ergo mandatum, vt ceſſetur à cruciatibus, atque in carcere tãtiſper detineatur, donec de vita eius quid ſtatuendum ſit, decernatur. Neque tamen ſine omni tormento id fit, quandoquidem tribus continenter diebus & noctibus, poſt tot labores & dolores omni panis eſu & aquæ potu priuatus ſit. Niſi quòd IESVS CHRISTVS, qui panis eſt immortalitatis, & fons aquæ ſalientis in vitam æternam, illi vtrumque extiterit. Quo cæleſtis gratiæ alimento recreatus, cùm nihil de animi robore & retinendæ fidei propoſito remitteret, tum TRAIANVS, cui armis inuicto vnius hominis vinci patientia turpiſſimum videbatur; eum, (quod ſupplicij genus exiſtimabat acerbiſſimum) ad beſtias dãnat.[1] Verùm, ne fortè ab Antiochenſibus (ſi res in eorum gereretur oculis) morte fortiter obita glorioſior redderetur, aut etiam vt martyr religioſis coleretur honoribus, eum Imperator, ſuadente conſilio, Romam deportari iuſſit. Nimirum, vt præter acerbitatem itineris, & diuturnam ſatellitum vexationem, etiam longè à popularium cõſpectu, externo in populo, ignotus & miſer, velut maleficus quiſpiam, præda obijceretur leonibus, eſſétque in publico orbis theatro & hominum ludus, & beſtiarum cibus. Adductus igitur è carcere, rurſus volenti Imperatori ſiſtitur. Altera enim vice martyris experiri conſtantiam, animo ſedit. Itaque multis primò blanditijs ac bonorum pollicitationibus delinire eum ac emollire ſtudet: ſed illis nihil proficientibus horrendas dehinc ac terribiles minas acerbiùs intentat. Poſtremò, çùm nec terreri minis, nec moueri blanditijs, ſed rupis inſtar in ſua ſtare ſententia fixum atque immobilem videt, ea quæ priùs mandauerat fieri extemplò iubet. Nec mora. Decem homines leopardi (ſic enim eos martyr ipſe ob inhumanitatem immaniſſimam appellat) illum arripiunt, & aſperioribus, quàm antehac, vinculis (quę ipſe tanquam ſpirituales margaritas, lætus amplexabatur, magnóque cum gaudio & voluptate induebat) arctè conſtrictum & grauatum, ad iter atque ad martyrium, quod illi erat omnibus delicijs ſuauius atque optatius, pertrahunt. Cuius quidem itineris rationem atque fructum quiſquis ſecum attenderit, ſimúlque quàm longè Traianus & omne eius conſilium ſpe ſua exciderit, & quo pacto id quod ad martyris obſcurationem & eius gloriæ extinctionem doloſè excogitauerant, prorſus in contrariũ verterit, ſiquis hæc, inquam, ſecum attenderit, haud ſanè continere ſe poterit,

MARTYR FAME ET SITI TORQVETVR.

TRAIANI CONSILIVM IN DEPORTANDO ROMAM IGNATIO.

S. Ignat. epiſt. ad Romanos.

VINCVLA S. IGNATII, SPIRITVALES MARGARITÆ.

Prouerb.21.v.30.

poterit, quin illud verissimè dictum à Sapientę proclamet: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Nam quod illi verebantur, ne, si Ignatius Antiochiæ, (vbi dignitate & auctoritate pollebat) vita priuaretur, eius gloria atque honos ista martyrij accessione apud populares suos accresceret, & Christianorum numerus, quos radicitus extirpatos volebãt, magis magísque augeretur: id certè multò etiam nunc amplius accidit, postquam illum, vt id cauerent, è Syria Romam curarunt deportandum. Tum enim demum populis omnibus nota fuit eius pro tuenda fide virtus atque constantia: notum subeundi martyrij ardens desiderium: nota de hæreticis agnoscendis, & cauendis, & fugiendis sententia atque commonitio. Sic enim & procul dissitos Catholicos cohortandi, (seu coram & per sese, si in via erãt; seu per litteras, si extra viam) vel oblata, vel arrepta, vel redempta est occasio: & qui solos fere Antiochenos habiturus erat virtutis suę admiratores & æmulatores, idem ille, dum in Romano theatro cum belluis bellaturus producitur, omnibus fere, quibus Roma imperabat prouincijs atque regnis, spectaculum Christianæ fortitudinis, & velut animata virtutis statua ad perpetuam æternitatis memoriam positus est. Sed ad iter cuius nunc hora & opportunitas, accingamur.

DEPORTATIONIS S. IGNATII ROMAM FRVCTVS ET VTILITATES.

CAPVT IX.

Ignatij è Syria Romam versus abductio, & inhumana per viam vexatio.

ITINERIS E SYRIA ROMAM DESCRIPTIO.

ITineris, quo Ignatius Romam abductus est, series & ratio fuit huiusmodi. Primò quidem ab vrbe Antiochia, postquam ecclesiæ bene precatus esset, ac suum gregem multis cum lachrymis Deo commendasset, pedestri itinere Seleuciam contendit. Ibi autem conscenso nauigio Smyrnam Ioniæ maritimam ciuitatem petijt: & illinc Troadem minoris Phrygiæ vrbem, & inde Neapolim Macedoniæ, & hinc eiusdem regionis Philippos, Philippis autem per Dalmatiam & mare Hadriaticum applicuit Rhegio Iulij, vnde per Hetruscum pelagus Puteolos Campaniæ Felicis oppidum, accessit; postremoque Puteolis Romam saluus incolumísque peruenit. Quæ porrò & quanta itineris tanti spacio passus sit, facilius fuerit mente concipere, quàm stilo exarare. Tria quidem sanè præcipua fuerunt, quæ labores eius & dolores haud parum aggrauarunt, ætas senilis, viæ longitudo, militum custodia. Nam ad ætatem quòd attinet, si tot ante S. Ignatium sæculis verè dixit magnus ille Rex & Propheta Dauid hominis vitam septuaginta circiter annis cõtineri; aut sanè, si qui fortè è robustioribus ad octoginta pertingerẽt, id quod suprà esset, nihil aliud esse, quàm laborẽ & dolorem; certè cùm satis liqueat B. Ignatium illo itineris sui tẽpore annum excessisse octogesimum, non potuit ille annorum excessus, pronâ in defectum naturâ, non multis per sese obnoxius esse incommodis. Accedente verò ad ætatis molestias difficili ac prælongo itine-

CAVSSÆ LABORVM AC DOLORVM PER ILLVD ITER.

Psal.89.v.10.

re,

re,& crebris per varias terras & diuersa maria iactationibus, minimè profectò dubium est, quin & laboris quoque multum & doloris haud parum accesserit. Quæ licet seorsum ac solitariè accepta, satis grauia videri possint, leuia nihilominus & pro nihilo haberi debent, præ illis, quæ multò grauissima ab immanibus atque importunissimis militibus per totum illud iter passus est. Quis enim dicat, quibus eum ludibrijs, conuitijs, contumelijs, omnis generis iniurijs affecerint? Nam quo maiorem inter suos fuisse virum cognouerant, hoc in ipsum auidiùs, (vt barbarica suadebat insolentia) tanquam in scopum sannas dirigere, & dicteria mittere properabant. Facta verò eorundem quàm crudelia, quàm intolerabilia fuerint, quis satis exprimat? Talia enim ni fuissent, vir sanè admodum mitis, miniméque acerbus, illos qui ea designabant, nunquam leopardos nominasset. Nam idcirco illa vsus videtur conflata duabus è ferocissimis belluis appellatione, quò illos & leonis immanitatem, & pardi implacabile odium induisse commōstraret. Illis igitur belluis, terra maríque, die ac nocte, non tam cinctus, quàm alligatus erat: quibus cùm studeret, vt facultas ferebat, bene facere: tanto in se deteriores experiebatur, quanto id faciebat impēsiùs. Sed nec defuit sua in hisce malis consolatio. Quippe quem nonnulli à Syria Romam vsque viri eximij comitati sunt: nonnulli in ipso itinere occurrentes, se vltro associarunt. Nam è Syria quidem Philo & Agathopus Diaconi, viri egregia virtute præditi, & postea sanctorum quoque numero adscripti; aliunde verò alij quoque fortes ac generosi athletæ vitam pro eo ponere parati se comites applicuerūt. Sed Smyrnæ præsertim (vbi nonnulla mora concessa est) plurimam ab inuisentibus Christianis consolationem accepit, & plurimam vicissim reddidit. Accepit quidem, cùm & alios claros viros, & nominatim beatum Polycarpum, olim suum in paucis carum condiscipulum, tunc Smyrnensis Ecclesiæ Antistitem, non modò non erubescentem amici vincula, sed venerantem etiam atque adamantem, immo & vehementer appetentem animaduertit. Accepit item, cùm & Sacerdotum & Diaconorum & aliorum quàm pientissimorum Christianorum incredibilem erga se amorem ac beneuolentiam recognouit. Reddidit verò, cùm paterni in eos affectus viscera, loquente intus Spiritu sancto, ostenderet: cùm ardentem in imis visceribus diuinum ignem flagrantibus cælesti zelo eloquijs foras proderet. Nam illi quidem plurimum animo recreabantur, vel solo tam venerandi senis, támque animosi athletæ conspectu; qui ad martyrium, quasi ad triumphum; & ad bestias, quasi ad delicias totus anhelabat: qui de se ipso securus, de alijs sollicitus, ad mortem tam alacriter, quàm constanter contendebat. Quare quocumque ibat, quocumque appellebat, concursus ad eum fiebant hominum tantæ sanctitatis specimen videre gestientium: cuius ipsi læto intuitu, tanquam Angeli cuiuspiam de cælo lapsi, mirificè recreabantur: cuius doctrina & præceptis, vt viri planè Apostolici,

SATELLITVM ADVERSVS S. IGNATIVM INHVMANITAS.

S. IGNATII IN DVRIS REBVS SOLATIA.

PHILO AGATHOPVS S. IGNATII COMITES FIDISSIMI.

S. POLYCARPI LAVS.

CHRISTIANORVM CONCVRSVS AD S. IGNATIVM.

in fide & pietate plurimùm firmabantur. Quorum etiam nonnulli è sua regione in aliam, & ex ea rursus alij atque alij in vicinas oras, tam honoris exhibēdi quàm ferendę opis gratia assectabantur. Quos ipsos deinde cū epistolis gratiarū plenis ad ecclesias suas remittebat. Nam

SS. EPISCOPI AD MARTYREM IGNATIVM HINC ET INDE CONVENIVNT.

cùm fama, vt fit, peruolante, eius Smyrnam aduentus circūuicinis innotuisset ecclesijs, eæ suos Episcopos & Presbyteros cū donis & muneribus ad eum allegarunt. Itaque in eam vrbē complures Episcopi cùm fruēdæ eius consuetudinis studio, tum caritatis & obsequij caussa, eodē tempore conuenerunt, atque inter alios illi sanctitate præcipui, S. Onesimus Ephesiorum Præsul (de quo & D. Paullus honorificè in epistolis meminit) Polybius Trallianorum, & Demas Magnesiorum Episcopi. Ita nimirum solet Dominus noster Iesus Christus fideles suos seruos, etiam in hac lubrica mundi via, & periculosa peregrinatione, medias inter ærumnas consolari. Qua de consolatione gratias prolixè agens VAS ELECTIONIS PAVLLVS dicebat. *Benedictus, Deus, & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant paßiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Idem planè & Ignatio sensus & grati animi significatio fuit. Quippe qui ex abundanti, quam Smyrnæ percepit, consolatione cordis consolari, exhortaríque disiunctas Asiæ ecclesias, datis ad eas epistolis (cùm hæc sola relicta esset via) aggressus est. Et quidem quatuor in vrbe Smyrna, furtiuis ob circumuallantem militūm custodiam temporibus exarauit, vnam ad Trallianos, alteram ad Magnesios, tertiam ad Ephesios, quartam ad Romanos. Quarum in prioribus ea maximè quæ ad illarum salutem, profectúmque ecclesiarum spectant, pertractat; sed in postremâ totus ante martyrium amore ardet martyrij, nihílque propè aliud, quàm Romanos Christianos hortatur, vt ne obicem ponant eius martyrio; sed adiuuent potiùs ac promoueant. Et quia iuuat exemplum aliquod intueri feruoris martyrum in appetendo martyrio, & æstuantis ipsa in morte caritatis nonnullum ex Apostolorum discipulis specimen; eam epistolam, vt sacrum quoddam pijs lectoribus anathema, hic apponam.

Epist. ad Colossenses & ad Philemonem.

Epist. 2. ad Cor. 1.

EPISTOLÆ A B. IGNATIO IN VRBE SMYRNA SCRIPTÆ.

CAPVT X.

Exemplūm epistolæ S. Ignatij ad Romanos, ex itinere, super imminenti martyrio conscriptæ.

ECCLESIÆ IN VRBE ROMA, TRAIANI TEMPORIBVS, EGREGIA COMMENDATIO.

I*GNATIVS, qui & THEOPHORVS, ecclesiæ, misericordiam consecutæ in magnificentia altißimi Dei Patris, & Iesu Christi filij eius vnigeniti, sanctificatæ & illuminatæ iuxta voluntatem Dei omnium conditoris, per fidem & caritatem Iesu Christi, Dei et Saluatoris nostri, præsidenti in regione*

regione Romana (quam & saluto in nomine Iesu Christi, carne & spiritu cunctis ipsius mandatis coaptatam, & omni gratia Dei repletam) in Christo Iesu Deo salutem.

PRecibus à Deo impetraui, vt sanctißimos vultus vestros, (quod equidem vehementer expetebam) mihi daretur intueri. Vinctus enim in Christo Iesu futurum spero, vt vos amplexer: si quidem ea me gratia dignatus fuerit Deus, vt finem assequar. Nam initia quidem bellè se habent: tantummodò gratiam adipiscar, vt sortem meam sine impedimento ad extremum vsque perducam. Caritatem enim vestram, ne mihi officiat, pertimesco. Quippe vobis facilè est, quod volueritis, facere: mihi autem Deum consequi, si carnalis amicitiæ prætextu mihi non peperceritis, difficile. Quocirca nolo vos hominibus placere, sed Deo: quemadmodum & placetis. Nec ego sanè talem Dei consequendi occasionem sum habiturus, nec vos, (si quidem tacueritis) meliori potestis operi inscribi. Nam de me quidem si tacueritis, Dei ero: sin corpus meum amaueritis, denuo currendum erit. Verum in hoc potius incumbite, vt Deo immoler, dum adhuc altare paratum est: vt & vos in caritate chorus effecti laudes Patri in Christo Iesu concinatis; quòd Syriæ Episcopum dignatus sit deligere, quem ab oriente in occidentem, suæ testem paßionis transmitteret. Bonum est, mundo propter Deum occidere, vt ad illum exoriar. Nemini vnquam inuidistis: alios docuistis: firma proinde esse cupio, quæ docentes præcipitis. Robur mihi duntaxat & animi & corporis à Deo postulate, vt non dicam solùm, quæ de martyrio vobis loquor, sed & velim; nec appeller tantùm, sed & sim Christianus. Si enim fuero, etiam appellari potero: ac tum demum fidelis esse, cùm in mundo non apparuero. Nihil quod apparet, æternum est. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem nō videntur, æterna sunt. *Nec persuasionis est hoc opus, sed magnitudinis. Christianus cùm exosus est mundo, tum carus est Deo.* Si enim de mundo hoc, *inquit*, fuissetis; mundus, quod suum erat, diligeret: nunc autem non estis de mundo, sed ego elegi vos. Manete apud me. *Ego omnibus ecclesijs scribo & omnibus significo me voluntarium pro Deo mori, nisi vos quidem impedieritis. Obsecro vos, ne mihi importuna sit vestra beneuolētia. Sinite me escam fieri bestiarum, per quas Deum assequi licet. Frumentum Christi sum: dentibus bestiarum molar; vt mundus Dei panis inueniar. Quin vos potius bestias pellicite, vt mihi sepulchrum fiant, ac nihil corporis mei reliquum faciant: vt ne mortuus cuipiam grauis existam. Tum autem verus ero Christi Iesu discipulus, cùm neque corpus meum à mundo videbitur. Orate pro me Dominum, vt per hæc instrumenta Deo fiam pura hostia. Non quemadmodum Petrus & Paullus hæc vobis mando. Illi Apostoli Iesu Christi: ego autem minimus. Illi liberi, tanquam Dei serui: ego autem hactenus mancipium: sed si patiar, libertus fiam IESV Christi, & in illo resurgam liber. Iam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere. A Syria Romam vsque cum bestijs terra & mari depugno, die noctéque decem leopardis (quæ est militaris custodia) colligatus, qui & beneficijs deteriores fiunt. Quorum quidem iniurijs magis erudior;* sed non ob hoc iustificatus sum.

DESIDERAVIT B. IGNATIVS ROMANAM INVISERE ECCLESIAM.

MARTYRII ARDENS CVPIDITAS.

2. ad Corinthios 4.

Ioannis 15.

ARDENTISSIMI AMORIS VERBA.

HVMILITAS S. IGNATII.

HOMINES SÆVI ET AVARI COMPARANTVR LEOPARDIS.

sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi paratæ sunt: quas & veloces mihi ad interitum fieri exopto: quibus etiam adulabor, vt me protinus deuorent: non verò, vt quosdam veritæ non attigerunt: sed & illas, si sponte noluerint, vi adigã. Ignoscite mihi, amabo: quid mihi expediat noui. Nunc demũ incipio Christi esse discipulus, dum eorum quæ videntur, & quæ non videntur nihil æmulor, vt Iesu Christo potiar. Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, membrorum concisiones, totius denique corporis contritiones, & ipsa diaboli tormenta in me veniant, solummodo vt Iesum Christum adipiscat. Nihil mihi, nec mundi fines, nec regna huius sæculi proderunt. Melius mihi est propter Iesum Christum emori, quàm finibus terræ dominari. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animę verò suæ detrimentum patiatur? Dominum desidero, filium veri Dei & Patris Iesum Christum: illum quæro qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Ignoscite mihi, fratres. Ne impedite mihi cursum ad vitã. Iesus enim fidelium est vita. Ne velitis me mori. Mors est enim, vita sine Christo. Volentem me Dei esse, ne in mundo retinete. Sinite me purã haurire lucẽ: illuc cùm profectus fuero, homo Dei ero. Permittite, vt passionis Christi Dei mei sim imitator. Si quis eũ in se ipso habet, recognoscat quid velim, & eorũ, quæ me premunt, non ignarus, misereſcat mei. Princeps huius sæculi quærit me discerpere, & meam erga Deum affectionem corrumpere: nemo igitur vestrûm, qui illic estis, ei auxilietur. Sed este mei potiùs, hoc est, Dei. Nolite Iesum Christum loqui, & pluris mundum facere. Inuidia in vobis nequaquam habitet. Nec, si ego præsens aliud vos obsecrauero, mihi credite; sed his potius, quæ scribo nunc vobis, credite. Viuens enim scribo vobis, sed amans pro Christo mori. AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST: nec est in me ignis, rei vllius terrenæ amans: sed aqua viua in me saliens intrinsecus mihi clamat: Huc ad Patrem. Haud delector alimento corruptionis, nec vitæ huius voluptatibus. Panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ, qui est caro Christi filij Dei nouissimè progeniti ex semine Dauid & Abraham: & potum volo sanguinem eius, qui est caritas incorrupta & vita æterna. Nolo amplius inter homines viuere: quod mihi obtinget, si vos quidem volueritis. Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Quod breuibus porrò litteris à vobis peto, id mihi ne denegetis. Credite mihi, Iesum amo, qui pro me traditus est. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Ipse autem Deus & pater & Dominus Iesus Christus vobis palàm faciet me vera loqui. Vos porrò mecum vnà comprecemini, vt scopum in spiritu sancto assequar. Non secundum carnem vobis scripsi: sed secundùm Dei voluntatem. Si patiar, amastis me: sin, reprober, odistis me. Mementote in precibus vestris ecclesiæ Syriæ, quæ mei vice pastore vtitur Domino, qui dicit: Ego sum pastor bonus; & solus curam eius habebit, & vestra in eum caritas. Nam ego quidem ex illis dici erubesco: quippe qui ipsis non sum dignus, cùm extremus eorum sim, & quidam abortus: sed misericordia Dei aliquis ero, si Deum nactus fuero. Salutat vos spiritus meus, & caritas ecclesiarum, quæ me in nomine Iesu Christi, non quasi obiter prætereuntem, exceperunt. Nam & quæ nihil

DISCIPVLVS CHRISTI QVIS APPELLARI DIGNVS?

Matthæi ca. 16.

SENTENTIÆ IGNATII.

TIMOR SANCTORVM.

AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST.

Ad Galathas ca. 2.

Psalmo 115.

Ioannis 10.

HVMILITAS S. IGNATII.

CARITAS CHRISTIANORVM.

nihil me contingebant, se duces itineris ad vrbes singulas præbuerunt. Smyrnâ hæc vobis scribo per longè beatissimos Ephesios. Est porrò mecum vnà cũ multis alijs Crocus nomen amabile. De his qui Romam è Syria, ad Dei gloriam profecti sunt, credo vos intellexisse: quibus & significabitis propè adesse me. Omnes Deo digni sunt & vobis: quos vtique rebus omnibus à vobis conuenit recreari. Scripsi hæc vobis ad 9. kalendas septemb. Valete in finem, dilecti, in patientia Iesu Christi. Amen.

EPISTOLÆ SVPRA POSITÆ COMMENDATIO.

Hactenus epistola & stilo & spiritu & ardore fidei atque martyrij, verè igneum & aureum spirans Ignatium. Quæ Christiana virtus ibi non elucet? Quis Apostolicus vigor, rigórque illic nòn emicat? Quod excellens Spiritus sancti donum in ea non coruscat? Omnis decor religionis, omnis splendor honestatis, omnis vigor sanctimoniæ, omnis denique cælestis gratiæ vbertas in illa, velut propria sede atque cælo, suum accepit locum. Hanc equidem arbitror primum fuisse epistolam, quam in hac persecutione ex vrbe Smyrna misit: cùm scilicet post amicam & feruidam de diuinis rebus, déque excellentia martyrij, cum S. Polycarpo eiusdem vrbis Antistite collocutionem, ipse totus desiderio moriendi pro Christo flagrans, & iam iam, si fieri posset, Romæ esse desiderans, atque inter rugientes versari leones toto pectore concupiscens, hoc vnum vnicè pertimuit, ne Romani Christiani, quacumque animo concepta, seu pietatis, seu caritatis, seu misericordiæ specie, ipsius conarentur tantopere desideratam impedire aut retardare mortem. Post hanc autem epistolam, illas tres alias, de quibus egi suprà, exarauit. Tum denique tempus adfuit, quo ab amicis diuelli & iter persequi debuit; sed iter tam ipsi Romam festinanti lætum atque optabile, quàm Smyrnensibus tali luce orbandis triste ac luctuosum. Hic videre erat Christianorum turbas votis ac lachrymis abeuntem prosequentes; sed S. Polycarpum in primis, qui veteri suo sodali nũc strictos collo amplexus, nunc dulcia catenis oscula cum multis libabat suspirijs: donec tandem naue conscensa, Troadem versus (vt mox dicetur) pijs subleuatus fratrum omnium votis abijt.

SANCTIS COLLOQVIIS ARDESCVNT ANIMI.

VALEDICIT SMYRNÆIS ET S. POLYCARPO.

CAPVT XI.

Ignatij à Smyrna Troadem abscessus, & res ibi gesta.

TRoas vrbs est minoris Phrygiæ, magno illi Ilio & Græcorum Troianorúmque bellis ac fabulis olim celeberrimo, vicina. In hanc vrbem iam priùs beati Paulli peregrinatione & litteris claram deductus est à Smyrna Ignatius; eámque commoratione sua, quamuis breui, & scriptis in illa aureis epistolis, licet paucis, longè clariorem fecit. Ad ipsum, cùm hic tantisper esset, accessit officij caritatísque exhibendæ gratia Episcopus Philadelphiæ, vir magnæ & exquisitæ sanctitatis: quo conspecto, mox

S. PAVLLVS OLIM TROADE FVIT, ET EIVS IN LITTERIS SVIS MEMINIT.

latentem in eo virtutem internâ oculatæ mentis acie perspexit Ignatius, mirificéque animo exultauit. Id enim quibusdam rara prædi- tis sanctimonia viris diuinitus concessum est, vt vno quasi oculorum iactu reconditas introrsum opes, verásque animæ diuitiàs in alijs recognoscant atque ament. Ita igitur noster martyr ad primum Præsulis illius occursum, continuò qualis, quantúsque vir existeret, agnouit: nempe quòd à Deo electus, & insigni mansuetudine, prudentia, caritate, alijsque tali persona dignis virtutum ornamentis conspicuus, vnóque verbo, omni morum integritate atque innocentia cunctis Dei mandatis, (non secus ac chorda citharæ) consonus. Quare scribendum sibi ad Philadelphienses eius subditos existimauit, eósque maiorem in modum cohortandos, tali vt pastori (sub cuius vmbra tuti saluique à luporum insidijs ac hæreticorum fraudulentijs esse possent) seruata inter sese concordia, firmiter adhærescerent. Nam ad hoc faciendum, ipse quoque Spiritus Sanctus internis eum motibus stimularat. Quippe, qui in illa ipsa, quàm ad eos dedit, epistola, disertis verbis id testetur, cùm ait: *Magna voce clamaui inter eos, quibus loquebar: Non meus est sermo, sed Dei. Attendite Episcopo, Presbyteris, & Diaconis. Nam si quis me suspicetur hæc eò dicere, quod nonnullorum diuisionem intellexerim, testis est mihi ille, propter quem vinctus sum, non ab ore hominis hæc accepisse me, sed à Spiritu Sancto, cuius hæc mihi verba adhuc auribus insonant: Absque Episcopo nihil facite. Carnem vestram, vt Dei templum, custodite. Vnitatem amate. Dissidia fugite. Imitatores estote Paulli & aliorum Apostolorum, sicut & ipsi fuere Christi.* Ita vir sanctus. Post quæ subiungit: *Ego itaque, quod meum erat, feci*; velut insinuans non potuisse se (nisi si deesse officio suo, & negligere diuina vellet) à se audita subticere. Fuit igitur vtrumque Ignatio in parte non exigua solatij, seu quòd talis Episcopi præsentia & collocutione fruitus sit, seu quòd cælitus & clarè quidém ac distinctè, & quasi verbotenus acceperit, quæ ipsius plebi necessaria & salutaria commendaret. Tertium verò diuini solatij punctum, quod duo quidem superiora superauit, ad quartum tamen non accessit, fuit allatus ad eum de pace ecclesiæ Antiochenæ nuncius: qui adeo illi gratus acceptúsque fuit, vt vincula eius, quãuis aliàs senilibus membris multò grauissima, tamen recreato nouę voluptatis dulcedine animo, leuia redderet. Nẽpe cognouit, vt quõdam Ionâ propheta in mare misso tempestatem; ita se de ecclesiæ suæ nauigio in oceanum malorum proiecto, & non ab vno quidem ceto, sed à decem leopardis excepto, motam in Syria cessasse persecutionẽ. Quod ipsum permagno sibi fuisse gaudio in compluribus præ se tulit epistolis. Nam in tribus quidẽ, quas in vrbe Troade conscripsit, nempe ad Philadelphienses, ad Smyrnęos, atque ad Polycarpũ, illius à suo discessu tranquillatæ ecclesię ita mentionem facit, vt etiã ab ipsis aliquos in Syriam delegari petat, partim ad faciendam de inopinata pace gratulationem, partim ad pristinum ecclesiæ statum ac

decorem

Ignat. in epist. ad Philadelphienses.

SPIRITVS SANCTVS IGNATIO INSPIRAVIT, QVÆ COMMENDARE DEBERET ECCLESIIS.

PRIMVM IGNATII SOLATIVM IN AGNITIONE SANCTITATIS EPISCOPI PHILADELPHIENSIS.

SECVNDVM EX REVELATIONE COMMENDANDARVM VIRTVTVM.

TERTIVM EX CESSATIONE PERSECVTIONIS IN ECCLESIA ANTIOCHENA.

EPISTOLÆ S. IGNATII TROADE CONSCRIPTÆ.

decorem reducendum. Fuerat quidem illi animus indidem ad plures ecclesias scribere; sed violenta itineris acceleratio & magna vrgentium militum importunitas omnem ei opportunitatem sustulit. Quare intimo suo Polycarpo vicariã ad alias ecclesias scribendi operam delegauit. Sed nec istas S. Polycarpi, viri multò sanctissimi litteras nunc habemus, ingens sanè tam hoc, quàm illud, ecclesię dispendium.

S. IGNATIVS B. POLYCARPO VICES SVAS SCRIBENDI AD NONNVLLAS ECCLESIAS DELEGAT.

Verùm lætiora reuisamus. Quartum & palmare Ignatij inter aduersa solatium fuit: quòd illi & de excessu suo atque victoria satis sollicito, & de successore, quisnam is futurus esset, vehementer anxio, visum cæleste obiectum sit multò gratissimum, in quo non tantùm, quid de ipso diuina cõstituisset bonitas; sed etiam de successore suo, quis & qualis & quantus is esset futurus, recognouit: nempe Heronem Diaconum suum, quem propter modestiam, pietatem, diligentiam, aliásque multas & præclaras virtutes vnicè diligebat, sibi successurum (id quod maximè in votis habebat) clarè & perspicuè didicit. Tanto igitur ex illius visi ostensione delibutus est gaudio, vt nec dissimulare vim eius, nec ipsum reticere visum posset. Nam clara illius in suis ad diuersos litteris indicia demonstrauit. Et suum quidem aduersus eundem Heronem studium ac beneuolentiam, & vnà tradendæ ei lampadis votum, partim ad Antiochenos, partim ad ipsummet Heronem nominatim scribens, declarauit. Ad illos enim cùm scriberet, sic inter salutationes de Herone addidit: *Saluto,* inquit, *sacros Diaconos, & illud mihi optabile nomen* (HERONEM) *quem loco meo videam in Spiritu sancto, cùm adeptus Christum fuero! pro cuius anima lubens exposueram meam.* Ad ipsum verò Heronem hæc sunt amoris longè ardentissimi, & ipsum quasi à se rapientis verba: *Nosti,* inquit, *quomodo te eduxauerim. Tametsi ego minimus sim, æmulator mei esto. Imitare conuersationem meam. Non in mundo glorior, sed in Domino. Heronem filium meũ adhortor. Qui gloriatur, in Domino glorietur. O si te fruar fili amabilis! cuius custos sit ille solus ingenitus* Deus *& Dominus IESVS Christus.*

QVARTVM SOLATIVM DE ACCEPTA REVELATIONE SVI SVCCESSORIS IN ECCLESIA ANTIOCHENA.

In epist. ad Antiochenos.

In epistola ad Heronem.

Quod autem attinet ad spiritum prophetiæ, quo pollebat Ignatius; & ad eius certitudinem successoris; quem optabat; tam apertè de vtroque ad eundem Heronem perscripsit, vt de neutro dubitari possit, quin cælitus & certò acceperit. Sic enim ait: *Nã credo in Patrem Domini mei Iesu Christi, & in vnigenitum eius filium: quòd ostendet mihi Deus HERONEM in throno meo. Adijce ergo ad cursum tuum. Præcipio tibi coram Deo vniuersorum, & coram Christo præsente, & Spiritu Sancto & administratorijs Angelorum ordinibus: custodi depositum meum, quod ego & Christus tibi commendauimus: nec indignum te iudica ijs, quæ de te à Deo monstrata sunt. Commendo tibi ecclesiam Antiochenam.* Et paullo pòst, tanquam alter Moyses alteri Iosue, *Saluta,* inquit, *populum Domini nomitim à paruo vsque ad magnum: quos ego tibi commendo, vt MOYSES ipsi IOSVE post se Duci exercitus. Nec graue tibi videatur, quod dictum est. Etsi enim tales non simus, quales illi; optamus tamen esse. Quandoquidem*

PROPHETIÆ SPIRITVS IN S. IGNATIO.

1. Timoth. 4.

HERONI SVCCESSORI COMMENDAT SVAM ECCLESIAM.

dem & Abrahæ filij sumus. Itaque viriliter & heroicè age, ô Heron. Tu enim dehinc introduces & educes populum Domini, qui est Antiochiæ, & non erit populus Domini, sicut oues absque pastore. Sic ibi.

Numerorum 27.

Quod ergo prædixit Ignatius, hoc proximè ab eius martyrio euenit. Nam idem Heron primus post Ignatium sedis Antiochenæ fuit Episcopus, de quo infrà paullo ampliùs. Nunc ad intermissum iter reuertendum est.

CAPVT XII.

IGNATII à TROADE ad vrbem Romam iter, & in illo curæ ac labores.

IGnatio [a] morari Troade haud diu licuit, sed paucis diebus quàm illuc aduenisset, & litteras, de quibus ante dictum est, conscripsisset, iubente vrgentéque satellitio (horum enim iam, non suus erat) versus Macedoniam soluit, primóque Neapolim eius regionis vrbem non obscuram, deinde & Philippos Romanorum insignem coloniam, eodem ferè quo quondam Paullus Apostolus itineris ordine, accessit. An autem Neapoli vir sanctus aliquamdiu moratus sit, nihil comperitur scriptum: sed aliquantisper Philippis substitisse scribitur pro comperto. Hæc est ipsa vrbs Philippi, in qua & Paullus, prærerita obiter Neapoli, diebus plusculis substiterat, & vbi è puella quadam diuinatrice spiritum Pythonem in nomine IESV Christi expulerat: vnde populi tumultu concitato ipse & Hilas eius comes ac socius virgis cæsi, atque in carcerem coniecti, tandémque custode eius carceris ad Christum conuerso & baptizato dimissi fuerant. Hic igitur Ignatius quoque substitit, & in vinculis fuit: vbi non virgis quidem, vt illi, cæsus; sed acutioribus linguarum aculeis ac morsibus, non ibi tantum, sed toto, quantum ipsum fuit, itinere fodicatus atque commorsus est. Tam dura enim, tam grauia ab illis suis satellitibus terra marique est passus, vt non cum hominibus, sed cum belluis res ei esse visa sit; aut cum hominibus quidem, sed belluinos mores indutis. *Quid enim interest* (vt quidam rectè dixit) *vtrum ex homine se conuertat quis in belluam, an in figura hominis immanitatem gerat bellua?* Non erat sanè dies, immo nec hora fortassis, quin morte grauiores à maligno spiritu illis suis membris incubante; hominibus, inquam, illis, immanitate belluis, ministerio dæmonijs, insultus impressionésque sustineret. Decem enim cùm essent, virúmque sanctum tam nocte, quàm diu circumstarent, vt erant ipsi admodum feri ac barbari, omninóque aptissima leonis in martyrem rugientis, eúmque deuorare quæritantis instrumenta, ita modò hi, modò illi, vt magistro nequitiæ collibitum erat, proteruis dictis, factísque impudentibus, & quidem cum veri Dei & filij eius Iesu Christi irrisione, (quod vnum erat viro

Act. Apostolorum cap. 16.

Ignat. in epist. ad Tarsenses.

Cicero 3. officiorum.

SATELLITVM FERITAS IN B. IGNATIVM.

viro cælestibus amoris diuini ignibus deflagranti toleratu longè difficillimum) lacessere illum gestiebant. Hinc pio inuictóque athletæ multò futura leuior quælibet sæua mors videbatur, quàm ista tot tantísque in cælum ac Deum conuitijs aurium suarum diuerberatio. Ea quoque de caussa ignem, gladium, crucem, feras, quælibet alia tormenta studio ardentissimo deposcebat, tam vt ab istis eriperetur omnis impietatis ac flagitij sæuis atque inexpiabilibus monstris, quàm vt Domino Deo suo per præparatū sibi &, tãtis exoptatū votis martyrium intimè atque citissimè iungeretur.

COQVIT BEATVM MARTYREM CVRA ECCLESIARVM.

Sed quo magis martyrio appropinquabat, hoc etiam ampliùs relictarum retro ecclesiarum curæ sollicitudinésque excedebant. Nam vt mater à liberis, quos tenerrimè diligit, auellenda, iisque magis quàm sibi prǽmetuens, multa monet, multa hortatur, per sese, dum separatur; per alios, iam separata; vt ne scilicet à se derelicti aut fortunarum discrimen aliquod subeant, aut vitæ famæue damnum faciant: ita Ignatius à suis Antiochensibus, aliísque Syriæ & vicinarum Orientis regionum ecclesijs, (quas plusquam materno prosequebatur affectu) in perpetuum auulsus, ad eas identidem propter imminentes, partim ab hæreticis, partim à Iudæis, partim ab Ethnicis perniciales insidias, quibus poterat oculis respectabat, & quibus poterat modis consulebat. Quare (quod vnum ei reliquum, præsens vitæ status fecerat) scriptis ad eas litteris, quæ agenda ipsis essent, & quæ cauenda, sedulò cõmonuit.

EPISTOLÆ A S. IGNATIO PHILIPPIS CONSCRIPTÆ.

Nempe in ijs (tres autem numero fuerunt, primæ ad Antiochenos, secundæ ad Heronem, tertiæ ad Tarsenses) in ijs, inquam, litteris duo prǽcipuè facit: vnum, quòd illos aduersus subtiles subrepentium errorum astus summa cura præmuniat: alterum, quòd singulos ciuitatum ordines ac gradus, officij sui amicè ac benignè præmoneat: quid nimirum cuique hominum statui, seu sacro, seu ciuili, ex Christianæ legis disciplina, ad virtutis in suo gradu perfectionem acquirendam aptum sit, & ipsis singulariter commendatum esse debeat: ante omnia autem, vt Episcopis, Presbyteris, & Diaconis totus fidelis populus in cunctis ad sacra pertinentibus morem gerat, ecclesiæ cœtus celebret, eorum doctrinam sequatur, imitetur sanctimoniam. Heroni autem Diacono, priuatis ad ipsum litteris, ea tradit vitæ præcepta, quę viam illi ad Episcopatum planam faciant, quæque ad eum dignè Deo gerendum plenè instruant. Diuinitus enim, vt suprà memoratum est, acceperat ipsum à Deo electum esse, & sibi in Antiochena ecclesia successurum.

S. IGNATIVS RHEGIVM IVLII APPELLIT: INDEQVE AD PHILIPPENSES SCRIBIT.

Post has litteras à Philippis in Ciliciam & Syriam missas (nec enim de pluribus inibi scriptis vlla exstat memoria) iter suum prosequutus, Epidamnum Dalmatiæ vrbem adijt; indeque post longa terræ marísque tædia, Rhegium Iulij, vrbem Italiæ maritimam, & in mare Hetruscum venientibus primò obuiam, saluus incolumísque appulit. Non habuit in locis inter Philippos & Rhegium medijs, scribendi aut quempiam mittendi vllam opportunitatem: sed Rhegij in Euphanium Lecto-

 rem,

rem, virum Deo acceptiſſimum & fideliſſimum, iam nauim conſcendentem, vt in Macedoniam tranſmitteret, Dei voluntate incidit. Igitur illi ad Philippenſes ([b] quorum recentis in ſe caritatis ac beneuolentiæ memor erat) litteras dedit, grati quidem illas teſtes animi, ſed ſalutaris item doctrinæ & amoris in Chriſtum ſingularis (cuius præcipua ibidem percurrit vitæ acta) multò confertiſſimas. Poſthæc Rhegio cùm ſoluiſſet, lectâ Tyrrheni maris orâ, Puteolos appulit. Ibi eum ferunt, atque in vicina item Neapoli, nonnulla per tranſennam ſparſiſſe ſancti euangelij ſemina. Creditur enim, & valde credibile eſt, Decurionem huius itineris ducem, militéſque ipſos Ignatij cuſtodes voluiſſe in terra Campania totius Italiæ optima & amœniſſima nonnullam curandis reficiendíſque corporibus moram trahere: Ignatium verò ea commoditate, tam ad domeſticos fidei confirmandos, quàm ad extraneos erudiendos vſum eſſe. Iam in reliquo per Italiā itinere, quid egerit, quid paſſus ſit, quibus ludibrijs à ſua militari cuſtodia exagitatus fuerit, nihil quidem ſpeciatim habemus exploratum; ſed *ſi mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas*, etiam iſti leopardi, qui virum ſanctum tenebant, bene illi facere potuerunt, cùm hactenus peſſimè facere conſueuiſſent. Certè vt ſordes nunquam deterſæ ſemper increſcunt: ſic malitia & immanitas nunquam repreſſa in immenſum exaugeſcit. Verùm Ignatius, vt totus igne flagrans caritatis, & magna patiendo, maiora perpeti edoctus, ac diuina quadam cōmutatione (hoc enim planè diuinum eſt) pro malis bona reddere conſuefactus, tam libenter atque hilariter omnia perferebat, quàm inſtāte iam propiùs loco diéque certaminis, velut palmam odoratus, mirificè exultabat. Nihil enim modo, niſi Romam & aſpirabat & ſuſpirabat: ſola Roma votorum eius initia, media, poſtrema occupabat. Quippe illic tandem ei obuentura erat illa tam diu deſiderata, & tam ardēter expetita ſui cum Domino IESV Chriſto intima & multò amabiliſſima coniunctio. Quæ quidem vnico tantùm vicini martyrij (quod iam aggrediemur) glorioſo paſſu diſtabat.

Ieremiæ 13. vers. 23.

CAPVT XIII.

B. Ignatij martyrium & eximia fortitudo.

POſt innumeros hactenus terra maríque exantlatos labores, Romam tandem perductus Ignatius confeſtim Præfecto vrbis ſiſtitur. Is perlectis Traiani Imp. mandatis, quibus ſancti viri ad beſtias condemnatio continebatur, duci eum extemplò in cuſtodiam iubet, támque diu inibi vinctum aſſeruari, donec feſtus aliquis dies, & opportunum ſpectaculis tempus tanti editionem muneris flagitaret. Vtriſque porrò longa erat iſtius diei expectatio, Romanis quidem, tanquam oculos carioſa crudelitate paſcendi auidis; Ignatio autem, vt explendi curſus ſui & fruendi Chriſti IESV percupido. Quoties iſti

moræ

moræ impatientes de temporis longitudine questi sunt! Quoties hic non questu modò, sed crebris etiam suspirijs emigrandi testatus ardorem, illud Dauidis ingeminauit! *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum, fortem, viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus?* Huius sanè desiderij atque ardoris epistola ipsa ad Romanos ab eo scripta, velut testatissima quædam columna est, in qua non modò vt celeriter dies ipsa adueniat, exposcit; sed etiam, ne cùm ipsa aduenerit, alia in ipsis leonibus exurgat mora, extimescit. Quos proinde, si hæserint, si accedere trepidauerint, si attingere noluerint, vltro se irritaturum, atque ad festinam sui deuorationem concitaturum, generosè profitetur. Talis est scilicet piorum animus Deum efflictim amantium, & cælestibus gaudijs inhiantium, & Christi amplexus appetentium. Postquam ergo dies aduenit, & vniuersa ciuitas cruentum ad certamen, studio videndi Syriæ Episcopum cum belluis confligentem adfuit (credebant enim homines stultissimi, quod in alijs cernebant spectaculis, visuros se hominem Christianum, tanquam aliquem noxium, pro pelle vitáque suâ certaturum, modò bestiarum impetus declinantem, modò in ipsas irruentem, modò ictus earum, ictúsque eluctantem, aliquam denique rarioris pugnæ speciem, quę voluptati esset, edentem) postquam dies, inquam, & spectator multus affuit, tum producitur è carcere Ignatius & simul è claustris suis leones, atque inde & inde, vt incursuri & concursuri comparantur. Vidisses illic grauem annis senem sedato vultu, mente composita, lætis oculis ad truces ferarum obtutus, hilaritate magis excitatum, quàm metu perculsum, in arenam intrepidè prodeuntem, adeóque hac sua constantia, omnium in se spectatorum oculos attrahentem: hinc autem præcipua immanitate belluas, ardentibus luminum orbibus, tremēdis hiatibus, terrificis rugitibus, caudis modò terram, mox terga flagellantibus, & solitis irarum indicijs futuram carnificinam prænuntiantibus. Cuius in expectatione, dum suæ securus salutis tantisper consistit Ignatius, & dato signo populus silentium facit; ecce tanquam matura cælo victima, generoso atque imperterrito vultu ea, quæ Romanos scire expediat, suggerente sibi Spiritu, sic eloquitur: *Viri Romani, & quicumque hic adestis, nostri exitus spectatores, scire id vos velim, non ob aliquod meum scelus atque flagitium a Syriâ & vrbe Antiochiâ me abstractum hic adesse: neque item inuitum aut reluctantem in hanc arenam adductum accessisse, luendarum pœnarum gratiâ, sed lubenti ac præcupida mente FIDEI respectu & Christi amore huc impulsum aduenisse, promissæ scilicet fidelibus Christianis & veri vniusque Dei cultoribus coronæ obtinendæ caussa. Nihil enim mihi gratius, nihil optabilius accidere posse, verè, confidentérque protestor, quàm Deo meo & Iesu Christo tam gloriosâ, quàm hæc est, obitâ morte quàm citissimè frui. Ac proinde Imperatori, qui me huic neci adiudicauit, non tantùm non irascor, sed etiam*

Psal. 41. v. 1. & seqq.

S. IGNATIO MARTYRIS CVPIENTISSIMO OMNIS MORA LONGA EST.

PRODVCITVR BEATVS MARTYR IN ARENAM.

EIVSDEM MARTYRIS ANTE CONFLICTVM AD ROMANOS SPECTATORES ORATIO.

etiam gratias ago. Curſum enim meum ad vitam minimè impedit aut retardat, ſed adiuuat potiùs ac promouet. Nam cùm ſumma votorum meorum ſit, fidem in Dominum teſtari meam; quæ huius rei, obſecro, melior ſe occaſio, quã quæ nunc in manibus eſt, (ſuſtinendæ ſcilicet pro illius gloria teterrimæ lanienæ) mihi offerri poſſit? Et ecce rugitus ille, quem auribus excipio, ferociſſimarum belluarum, mihi inſtat clariſſimæ tubæ eſt Regis mei ad æterna me præmia euocantis. Curram igitur obuiam, & lætus tanti fruendi boni occaſionem ſponte oblatam, primâ fronte, ne fors elabatur, arripiam. Nempe bonum eſt, vt & ego in menſam Domini mei nonnullum è paupere peculio meo ferculum inferam. [a] *FRVMENTVM CHRISTI SVM: DENTIBVS BESTIARVM MOLAR: VT PANIS DEI MVNDVS INVENIAR.* Vix dixerat; cùm & ipſe curſu in feras, & feræ impetu in ipſum laxatis feruntur retinaculis. Fit igitur vtrimque inſultus, hinc amoris, illinc ſæuitię. Diſcerpunt, diſtrahúntque illum feri leones cruentis vnguibus: ſpectat ipſe diſperſos artus diuulſáque membra imperterritus. neque hoc ſatis: ſed auulſis quoque aliquibus membris offert ipſe vltro, obijcítque alia. Diceres viuum videntémque in immanes illos atrocium ferarum rictus ingredi velle, & totum in imis eorum viſceribus (quod vehementer aliquando optauerat) cupere ſepeliri. Quod ſpectaculum hoc Romani? ecquid vnquam tale vel vidiſtis vel audiſtis? Ecquid tantæ Chriſtiani huius athletæ virtuti aut par aut ſecundum veſtra illa ſuperba amphitheatra ſpectarunt? Ecquando in ambitioſis illis ludis & pudendis certaminibus eiuſmodi exemplum fortitudinis ac patientiæ vllo exhibitum ſæculo meminiſtis? Et verò quid mirum ſine exemplo hæc eſſe & haberi? Talia enim ſolius æterni illius Dictatoris & ſupremi munerarij ſunt ſpectacula. Tales vnius & ſolius Chriſtianæ nationis exiſtunt pugnæ, virtutéſque heroicæ. Quibus proinde & ſuæ in cæleſtibus repoſitæ ſunt coronæ, ſed coronæ eximiæ & incomparabiles: coronæ ciuicis illis veſtris & quibuſcunque alijs immane quanto præcellentiores: coronæ neſcientes nec vllo æuo marceſcere, nec vlla iniuria deperire. Harum igitur coronarum compos illo die fuit beatus martyr Ignatius, cùm ſe leonibus pro Chriſti ſui amore & gloria membratim diſcerpendum, dilaniandum, deuorandum volens lubénſque obtulit; nec vllum in tanta truculentiſſimarum ferarum carnificina vel minimi ſignum doloris edidit: ſed plus omnibus ſpectatoribus & voluptatis ipſe habuit, & mercedis accepit. Denique dilacerarunt & abſumpſerunt fortiſſimi viri corpus atrociſſimæ belluæ: ſed ita tamen, vt à durioribus ac ſolidioribus oſſibus (quæ Chriſtianorum futura erant portio longè optatiſſima) Domino ita prouidente, temperarint. Petierat quidem martyr, vt immanes feræ ſepulchrum eius fierent, & vt ne pars aliqua corporis (ob quam fortaſſis nõnullum fratribus aut periculum crearetur, aut faceſſeretur negotium) in terra ſupereſſet: verùm alia ex aduerſo erant fratrum omnium vota: & de reliquijs eius ad ſolatium ſuum obtinendis; ſollicita Deum

MARTYRIS CONFLICTVS CVM LEONIBVS.

SOLIDIORA SANCTI MARTYRIS OSSA IN VENERATIONEM A CHRISTIANIS COLLECTA SVNT.

prece

prece cuncti perurgebant. Igitur diuina sapientia, quò partis vtriusque precibus ex æquo indulgeret, nec interire totum corpus voluit, (quo fidelis populus nimis indoluisset) nec totum etiam superesse, quod humilis deprecatus fuerat Ignatius, sed partim quidem interire sepultum in belluis; partim verò superesse honorandum à pijs fratribus cõstituit.[c] Scio tamen non deesse Auctores, qui scribant huius gloriosi martyris corpus nequaquam à leonibus fuisse deuoratum, sed suffocatum duntaxat, vel ad necem vsque commorsum: atque inter hos morsus ipsum martyrem semper sanctissimum IESV nomen in ore habuisse, semper corde ardentissimo inuocasse, & caussam quidem huius inuocationis interrogatum respondisse: tam altè illud sibi impressum esse cordi, vt memoria elabi nunquam posset: nonnullos igitur cognoscendi, an ita esset, cupidos, eius cor mortui effodisse, sanctissimúmque IESV nomen aureis inscriptum litteris in eo reperisse. Ego quidem, quin dulcissimus IESVS totum illud cor vnicè possederit, singularitérque inhabitauerit, haudquaquam dubito, sed an etiam inscripserit, haud certò sine validioribus Scriptorum antiquorum testimonijs adstruere audeo. Certè enim si ita esset, haud dubium foret, quin cor eiusmodi tanta seruatum esset FIDELIVM cura, tantóque ac tam perenni cultu honoratum, vt dubitatio de tantæ rei veritate hodie posset esse nulla. Verùm enimuerò ita totum cor illud fuisse à Deo occupatum, ita totum ab IESV intimè insessum, possessúmque,[d] vt nihil nisi IESVM spiraret & respiraret, hæc vera, hæc certa, hæc sempiterna martyris nostri laus est & gloria: quam nec vlla vnquam ætas ei detrahet, nec inuidiæ malignitas eripiet, nec cuiusuis hostis atrocitas imminuet. Factus est denique, sed ex voto suo, leonum peroptabile pabulum Ignatius, idque[e] anno Christi circiter centesimo decimo, Traiani Imp. vndecimo,[f] postquam ecclesiæ Antiochenæ clauum à Petro Apostolo in manus acceptum, annos instar quadraginta sapientissimè gubernasset, ac totius vitæ tempus vltra octogesimum ætatis annum protendisset. Quæ porrò ad eius laudem morte obitâ contigerint, cùm nequaquam videantur esse negligenda, iam nunc considerabimus.

SANCTISSIMVM IESV NOMEN QVO PACTO GESSERIT CORDI INSCVLPTVM B. IGNATIVS.

CAPVT XIV.

Nonnulla post Ignatij mortem testandæ eius sanctitati in terris designata.

QVod olim beatus Paullus de se, déque alijs Apostolis dixit: *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus*, hoc sanè beatus Ignatius præ Paullo, præque alijs Apostolis, (quantum quidem ad martyrij speciem attinet) sibi propriè & singulariter attribuere suo quodam iure potest. Ipsius enim cum leonibus publica cõmissio, & in ipso ludorum loco generosè obita mors, verissimum fuit, & quidem ad populi voluptatem in ipsa vrbe Roma editum ab Imperatore

1. ad Cor. 4. 9.

ratore ſpectaculum. Non ita Petri, non ſic Paulli, non itidem aliorum, qui extra muros abſque imagine ſpectaculi, vt quilibet alij nocentes, licet innocentiſſimi, ad ſupplicium educti ſunt. Spectaculum, inquam, fuit Ignatij mors, *mundo* quidem, hoc eſt Gentilium turbæ, nihil aliud quam mundana & terrena ſapienti; & *Angelis*, toti ſcilicet beatarum mentium cæleſti militiæ; & *hominibus*, nempe fratribus Chriſtianis, vtpote verè humanam & rationis directam imperio vitam agentibus. Cuius ſpectaculi valde varia fuere, poſtquam abſolutum fuit, ſpectatorum iudicia atque ſenſus. Nam mundi quidem ſolam aucupantis voluptatem, voluptas nulla fuit. Neque enim, quod intueri ambiebant, vllus à martyre vel pugnantis, vel reſiſtentis, vel belluam eludentis motus aut geſticulatio fuit, ſed tantùm (quod admirationi multo maiori ipſis extitit & ſtupori) vltro occurrentis, & citra metum & gemitum rictus ferinos promptiſſimè ſubeuntis. Quin dolor illos potiùs & mœſtitia & facti ſera pœnitentia inceſſit, quòd ſenem eius ætatis & animi, tam acerbæ, támque indignæ neci obieciſſent. Angelis verò, totas cæli valuas, ſi ita loqui licet, ad tam nobile ſpectaculum pandentibus, mira exultatio ex tam pulchro deuotiſſimi ſibi athletæ certamine, victoria, triumpho emicuit. Hominibus denique Chriſtianis, de fratre ſuo longè cariſſimo mixti affectus, amoris, doloris, gaudij, deſiderij inſederunt. Nam egregiæ ipſius caritatis ac beneuolentiæ guſtum aliquem in data ad ſe epiſtola iam pridem acceperant; ſed è præſentis vſu & alloquio (ij quidem, quibus eo frui datum eſt) cùm longè plus haurirent gaudij atque voluptatis; hæc omnia eius abſceſſu ſibi erepta inſolabiliter deplorabant. Omnes interea prædicare vt ſanctum, colere vt martyrem, venerari vt Apoſtolum, admirari vt prophetam, eúmque certatim honorare hymnis, ornare epitaphijs, celebrare peruigilijs, atque inſuper à tollendis in cælum eius diuinis virtutibus, non diu, non noctu deſiſtere. Ipſe verò ſanctus iam cæli ciuis & domeſticus Dei, minimè fratres ſuos negligere: nequaquam, quid ipſi agerent, quid paterentur, pro nihilo reputare; ſed mœſtis ſolatio eſſe, puſillanimis hortamento, cunctis auxilio. Viſus eſt enim nonnullis fratrum, per quietem noctis ipſos adire, amplecti, exoſculari: nempe ijs, qui eius ſe neceſſitudine & familiaritate dignos antehac præbuerant, quorum & mœrorem leuauit, & luctum ſedauit, & grauiores quoſque motus ad moderationem compoſuit. Sunt etiam, qui illum ſudore rurſus diffluẽtem, & quaſi iam iam à laboribus certaminis reſpirantem, & bene ciuitati, cunctíſque FIDELIBVS apprecantem, ſibi conſpectum eſſe profeſſi ſint. Nec verò dubium, quin & ſæpe aliàs, vbi neceſſitas opem implorantium poſtulauit, præſto multis fuerit; partim dubijs in rebus conſilia ſuggerendo; partim grauibus è periculis liberando. Iſtud quoque nõ minimùm ad eius ſanctitatis exiſtimationem facit, quòd mox non tantùm oſſa eius, aliæue, ſeu veſtium, ſeu quorumcumque vtenſilium reliquiæ, ſed ſcripta quoque ab eo, vel dictata, diligentiſſimè ab eius neceſſa-

S. IGNATII MORS PECVLIARI QVODAM MODO VERISSIMVM SPECTACVLVM.

VARII VARIORVM AFFECTVS IN MORTE BEATI MARTYRIS.

HONORES S. IGNATIO POST MORTEM HABITI.

APPARITIONES S. IGNATII.

necessarijs ac familiaribus requiri cœpta sint. Adeo hominis alicuius sanctitas non modò ipsi preciosa est & salutaris, sed alijs quoque mirè fructuosa & vsque adeo admirabilis, vt rebus etiam corporeis ad eos aliquo modo spectantibus precium & decus pariat quàm maximi æstimandum. Quod si dum in cursu adhuc esset Ignatius, à nonnullis ecclesijs, velut sacra quædam anathemata, eius recolligebantur epistolæ; (quemadmodum & S. Polycarpus in suis ad Philippenses litteris contestatur) quanto magis confectio iam cursu & obito martyrio scripta eius omnia requirenda sunt ab vniuersis? Magnum enim nomen, magnus titulus, *Littera martyrum*. Hinc & legi antiquitus in ecclesijs, & quasi altera scripta diuina vsurpari, atque in honore haberi, & pro FIDEI munimine requiri seruaríque mos erat. Iam verò in duobus præcipuè palam factum est, quo apud Deum loco magnus esset Ignatius: in vno quidem, cùm ab eius morte, velut ea Christianis patrocinante, sensim imminui suscitata in eos persecutio, & pax atque tranquillitas ecclesijs restitui cœpta est; in altero autem, cùm non multo pòst tempore, quàm Antiochiâ dimissus, & Romæ acerbissima affectus morte fuisset Ignatius, cælestis aduersus persecutores eius vindicta exsurrexit. Nempe illa calamitas, quæ anno Christi centesimo vndecimo, Traiani autem duodecimo, non Antiochiam modò afflixit, sed totum quodammodo orbem in vna vrbe communis participem cladis effecit. Non tacuerunt eã cladem, neque sacri Auctores, neque profani. Ex his quidem DIO CASSIVS aliquantò quàm alij expressiùs atque diffusiùs pertractauit. *Traiano*, inquit, *Antiochiæ commorante, ingens terræmotus, ac multis quidem graue infortunium vrbibus accidit; sed quàm Antiochiæ, nusquam magis. Cum enim ibi hiemaret Imperator, magnúsque eidem militum numerus, ingénsque itidem priuatorum hominũ multitudo, seu litium, seu legationum, seu negotiationis, seu spectaculorum caussa, vndequaque conuenisset, id malum ad omnes nationes populósque ita pertinuit, vt in vrbe Antiochia totus imperio Romano subiectus orbis in partem calamitatis venerit*. Prætereo hic allata ab eo illius impendentis signa præuia, & pressim alia percurrens, præcipua tantùm sequor. Videre igitur erat in illa concussione terræ solum ipsum & ædificia in sublime tolli, sublata collidi, collisa, collabi, collapsa mortales multos miserabili ruina complecti: cùm tantus interea cieretur fragor, támque densus puluis aërem offuscaret confunderétque, vt nihil videri, nihil audiri posset. Qui rum ex ædibus suis profugiebant, ij modò in altum sublati, modò in imum reuoluti, vel cæco incursu, casúque inuicem collidebantur, vel arborum radicitus euulsarum insana prolapsione, vel domorum aggerúmue horrenda disiectione proterebantur. Vidisses aliquos tractis cruribus, alios succisis humeris, nonnullos oppressis ceruicibus, neci datos. Tum quoque & Pedo consul horum incursu malorum interijt: & Traianus, ni fuga per fenestram elapsus esset, viuus non fuisset. Denique pluribus diebus & noctibus concutiente Deo terram,

S. Polycarpus in epist. ad Philippenses.

SS. MARTYRVM EPISTOLÆ QVANTI AB ECCLESIA ÆSTIMATÆ

Dio Cassius lib. hist. Rom. LXVIII.

TERRÆMOTVS ANTIOCHENI DESCRIPTIO.

terram, quid agerent iā homines, aut quò ſe verterent, non habebant, cùm hi ſcilicet corruentibus opprimerentur ædificijs, illi in ipſis ruinis comprehenſi fame interirent. Inuenti ſunt ſub macerijs, ibi quidem puer paruulus à mortuæ matris vberibus vitam trahens, alibi autem mater & infans ab eodem proprio mammillarum fonte ſeſe tantiſper ſuſtentantes. Hæc & plura Antiochiæ. Romæ verò & in alijs imperij Romani prouincijs ac regionibus, quænā aduerſa in eiuſdem perſecutionis Vlpianæ pœnam ingruerint, breui percurrit compendio PAVLLVS Oroſius S. Auguſtini æqualis, quæ ego in præſentiâ omitto. Sed illud præterire non poſſum, quod ad maximam illius ſancti in terris gloriam ſpectat: nempe probatum eſſe ab eccleſia ſtatutúmque iam olim, vt publico cultu & conſecratis ei certis diebus toto orbe honoraretur. Itaque apud Orientales quidem populos ad diem viceſimam decembris; apud Occidentales verò, ad ipſas ſecundi menſis calendas, ipſius beata celebratur memoria. Quibus ſacris diebus adiuncti ſunt poſtea & alij, ex Reliquiarum eius varijs tranſlationibus (de quibus mox dicendum) exorti. Ita inuictus ille athleta præter immenſum illud atque immortale in cælis præmium, ęternam quoque in terris gloriam ſolemni complurium dierum celebritate eſt conſecutus. Et verò, quod longè eſt glorioſius, nullum omnino, quà magnus hic orbis patet, diuinum ab eccleſiæ Romanæ miniſtris fit ſacrificium, in quo non eiuſdem ſanctiſſimi viri pia ad Deum allegatio miſceatur. Sed ad viſendas eius ſacratiſſimas Reliquias, tēpore nos aduocāte accedamus.

Paullus Oroſius l.7.cap.12.

DECRETI S. IGNATIO HONORES.

CAPVT XV.

Beati Ignatij ſacroſanctæ Reliquiæ: & multiplex earum tranſlatio.

RECOLLECTIO RELIQVIARVM S.IGNATII.

SVpremę maieſtati velut familiaris ludus eſt, alta humiliare, & humilia exaltare. Sic humilis Ignatij ſacras Reliquias, [a] quas ipſe nullas ſupereſſe (vti antè indicauimus) præ modeſtia peroptabat, ita exaltauit, vt toti mundo colendas ac honorandas præbuerit. Diuino enim inſtinctu id decet arbitrari factum, vt confeſtim à peracto certamine, tam Romani, quàm Syri recolligendis eius oſſibus, quę leonum diſperſerat violenta rabies, certatim incumberent. Nimirum, vt vtraque eccleſia, Orientalis ſcilicet & Occidentalis, tanti viri memoriam atque cultum in ſacris eius Reliquijs conſeruaret. Romani igitur fideles earum partem aliquam nacti, non minus quàm eiuſdem martyris palmarem ad ſe epiſtolam, maximi æſtimauere: quin & tanto pluris illas quàm epiſtolam, quantò interna externis præſtant, & ea quæ in certaminis & victoriæ partem venêre, olim æternùm glorificanda, ijs quæ vitæ inania & temporum aëriſque iniurijs ſenſim intereunt, nūquam deinceps innouanda. Has Reliquias extra vrbem delatas, ſacróque in loco ad diem decimam decembris religioſè tumulatas, ingentis theſauri

[a] Acta martyrij apud Metaphraſtem.

ſauri

ſauri inſtar habuere. Illi quoque, qui martyrem ipſum è Syria Romam vſque comitati fuerant, Philo & Agathopus, ambo Diaconi, ille Tarſenſis eccleſiæ, hic Antiochenæ, illi, inquam, quantumcumque è patris ſui reſiduo conſequi potuerunt, in Syriam ſollicitâ tanti depoſiti cuſtodiâ retulerunt. Magno illa res, Antiochenſibus de patris ſui amiſſione lugentibus, ſolatio fuit. Eius enim Reliquias pro refricanda identidem virtutum eius ſalubri memoria, & pro quodam cæleſtis auxilij in rebus aduerſis certiſſimo pignore, ſibi à Deo miſſas credidere. Illas proinde quanto maximo potuerunt honore ſuſceptas, & idoneis linteolis velíſque conueſtitas, ornatáſque, commodo in loco, fidelibus quidem fratribus cognito, ſed ceteris abſcondito ritè condiderunt.

CONDVNTVR S. IGNATII RELIQVIÆ ET HONORANTVR.

Nec mediæ inter vtramque vrbem, Romam dico & Antiochiam, eccleſiæ ſua caruerunt gratia: ſed duplicem ſibi meſſuerunt ab Ignatio benedictionem: vnam quidem cùm vinctus Antiochiâ Romam ad martyrium duceretur: alteram, cùm expleto martyrio Româ Antiochiam victor & triumphalis reueheretur. Quâ de triumphali & perhonorifica reuectione inſignis extat S. Ioannis Chryſoſtomi Eccleſiæ Antiochenæ Presbyteri oratio: in qua perbeatos prædicat ſuos Antiochenos, quibus tanto potiri theſauro conceſſum ſit. *Roma, inquit, ſtillantem Ignatij ſanguinem excepit: vos autem eius eſtis Reliquijs honorati. Vos illius Epiſcopatu fruiti eſtis; illi martyrio. Viderunt illi certantem & vincentem & coronatum: ſed vos eum perpetuò poſſidetis. Ad exiguum tempus illum à vobis Deus abſtulit; ſed eundem maiori cum gloria reſtituit.*

B. IOANNIS CHRYSOSTOMI IN S. IGNATII RELIQVIAS EFFVSÆ LAVDES.

Ac quemadmodum, qui mutuas pecunias accipiunt, ea quæ acceperunt, cum fœnore redhibent: ſic & Deus precioſum hunc theſaurum tantiſper mutuatus, vt ciuitati illi oſtenderet; cum ampliori vobis claritudine reddidit. Emiſiſtis enim Epiſcopum, recepiſtis martyrem. Emiſiſtis cum precibus, recepiſtis cum coronis: neque vos ſolum, ſed & cunctæ in medio ciuitates. Qui enim affectas putatis eas fuiſſe, cum redeuntia poſtliminio viderunt ſacra iſta pignora? quâ profuſas voluptate, quâ exultatione, quibus acclamationibus ſuum illum coronatum vndique proſecutas?

GAVDIVM POPVLORVM OB EASDEM RELIQVIAS.

Vt enim generoſum athletam, deuictis omnibus aduerſarijs, cum illuſtri gloria, de ſcammate egreſſum ſpectatores confeſtim excipientes, terram non ſinunt contingere; ſed ſublatum humeris domum ſuam reportant, & mille laudibus cumulant: ita tunc ſanctum illum, ab vrbe Roma reducem, cunctæ ex ordine ciuitates ſibi inuicem ſuccedentes atque ſuccollantes, ad hanc vſque vrbem tranſtulerunt, coronatum collaudantes, agnothetam celebrantes, diabolum irridentes: cui ſua videlicet in contrarium vertiſſet calliditas: quódque feciſſe contra martyrem ſe credebat, in ipſiuſmet caput recidiſſet. Ac tum quidem omnes illas intermedias ciuitates iuuit atque erexit beatus martyr, ex illoque in hodiernum vſque diem, veſtram vrbem locupletauit. Et quemadmodum perpetuus aliquis theſaurus, quotidie hauſtus, ſempérque inexhauſtus, omnes qui illum participant beatiores reddit; ſic & B. Ignatius cunctos ad ſe cum benedictionis fiducia accedentes,

BENEFICIA E SACRIS RELIQVIIS IN CVLTORES EMANANTIA.

terram, quid agerent iã homines, aut quò se verterent, non habebant, cùm hi scilicet corruentibus opprimerentur ædificijs, illi in ipsis ruinis comprehensi fame interirent. Inuenti sunt sub macerijs, ibi quidem puer paruulus à mortuæ matris vberibus vitam trahens, alibi autem mater & infans ab eodem proprio mammillarum fonte sese tantisper sustentantes. Hæc & plura Antiochiæ. Romæ verò & in alijs imperij Romani prouincijs ac regionibus, quænã aduersa in eiusdem persecutionis Vlpianæ pœnam ingruerint, breui percurrit compendio PAVLLVS Orosius S. Augustini æqualis, quæ ego in præsentiâ omitto. Sed illud præterire non possum, quod ad maximam illius sancti in terris gloriam spectat: nempe probatum esse ab ecclesia statutúmque iam olim, vt publico cultu & consecratis ei certis diebus toto orbe honoraretur. Itaque apud Orientales quidem populos ad diem vicesimam decembris; apud Occidentales verò, ad ipsas secundi mensis calendas, ipsius beata celebratur memoria. Quibus sacris diebus adiuncti sunt postea & alij, ex Reliquiarum eius varijs translationibus (de quibus mox dicendum) exorti. Ita inuictus ille athleta præter immensum illud atque immortale in cælis præmium, ętarnam quoque in terris gloriam solemni complurium dierum celebritate est consecutus. Et verò, quod longè est gloriosius, nullum omnino, quà magnus hic orbis patet, diuinum ab ecclesiæ Romanæ ministris fit sacrificium, in quo non eiusdem sanctissimi viri pia ad Deum allegatio misceatur. Sed ad visendas eius sacratissimas Reliquias, tẽpore nos aduocãte accedamus.

Paullus Orosius l. 7. cap. 12.

DECRETI S. IGNATIO HONORES.

CAPVT XV.

Beati Ignatij sacrosanctæ Reliquiæ: & multiplex earum translatio.

RECOLLECTIO RELIQVIARVM S. IGNATII.

SVpremę maiestati velut familiaris ludus est, alta humiliare, & humilia exaltare. Sic humilis Ignatij sacras Reliquias, [a] quas ipse nullas superesse (vti antè indicauimus) præ modestia peroptabat, ita exaltauit, vt toti mundo colendas ac honorandas præbuerit. Diuino enim instinctu id decet arbitrari factum, vt confestim à peracto certamine, tam Romani, quàm Syri recolligendis eius ossibus, quę leonum dispersérat violenta rabies, certatim incumberent. Nimirum, vt vtraque ecclesia, Orientalis scilicet & Occidentalis, tanti viri memoriam atque cultum in sacris eius Reliquijs conseruaret. Romani igitur fideles earum partem aliquam nacti, non minus quàm eiusdem martyris palmarem ad se epistolam, maximi æstimauere: quin & tanto pluris illas quàm epistolam, quantò interna externis præstant, & ea quæ in certaminis & victoriæ partem venêre, olim æternùm glorificanda, ijs quæ vitæ inania & temporum aërísque iniurijs sensim intereunt, nũquam deinceps innouanda. Has Reliquias extra vrbem delatas, sacróque in loco ad diem decimam decembris religiosè tumulatas, ingentis thesauri

[a] Acta martyrũ apud Metaphrastem.

ſauri inſtar habuere. Illi quoque, qui martyrem ipſum è Syria Romam vſque comitati fuerant, Philo & Agathopus, ambo Diaconi, ille Tarſenſis eccleſiæ, hic Antiochenæ, illi, inquam, quantumcumque è patris ſui reſiduo conſequi potuerunt, in Syriam ſollicitâ tanti depoſiti cuſtodiâ retulerunt. Magno illa res, Antiochenſibus de patris ſui amiſſione lugentibus, ſolatio fuit. Eius enim Reliquias pro refricanda identidem virtutum eius ſalubri memoria, & pro quodam cæleſtis auxilij in rebus aduerſis certiſſimo pignore, ſibi à Deo miſſas credidere. Illas proinde quanto maximo potuerunt honore ſuſceptas, & idoneis linteolis velíſque conueſtitas, ornatáſque, commodo in loco, fidelibus quidem fratribus cognito, ſed ceteris abſcondito ritè condiderunt. Nec mediæ inter vtramque vrbem, Romam dico & Antiochiam, eccleſiæ ſua caruerunt gratia: ſed duplicem ſibi meſſuerunt ab Ignatio benedictionem: vnam quidem cùm vinctus Antiochiâ Romam ad martyrium duceretur: alteram, cùm expleto martyrio Româ Antiochiam victor & triumphalis reueheretur. Quâ de triumphali & perhonorifica reuectione inſignis extat S. Ioannis Chryſoſtomi Eccleſiæ Antiochenæ Presbyteri oratio: in qua perbeatos prædicat ſuos Antiochenos, quibus tanto potiri theſauro conceſſum ſit. *Roma, inquit, ſtillantem Ignatij ſanguinem excepit: vos autem eius eſtis Reliquijs honorati. Vos illius Epiſcopatu fruiti eſtis; illi martyrio. Viderunt illi certantem & vincentem & coronatum: ſed vos eum perpetuò poſſidetis. Ad exiguum tempus illum à vobis Deus abſtulit; ſed eundem maiori cum gloria reſtituit. Ac quemadmodum, qui mutuas pecunias accipiunt, ea quæ acceperunt, cum fœnore redhibent: ſic & Deus precioſum hunc theſaurum tantiſper mutuatus, vt ciuitati illi oſtenderet; cum ampliori vobis claritudine reddidit. Emiſiſtis enim Epiſcopum, recepiſtis martyrem. Emiſiſtis cum precibus, recepiſtis cum coronis: neque vos ſolum, ſed & cunctæ in medio ciuitates. Qui enim affectas putatis eas fuiſſe, cùm redeuntia poſtliminio viderunt ſacra iſta pignora? quâ profuſas voluptate, quâ exultatione, quibus acclamationibus ſuum illum coronatum vndique proſecutas? Vt enim generoſum athletam, deuictis omnibus aduerſarijs, cum illuſtri gloria, de ſcammate egreſſum ſpectatores confeſtim excipientes, terram non ſinunt contingere; ſed ſublatum humeris domum ſuam reportant, & mille laudibus cumulant: ita tunc ſanctum illum, ab vrbe Roma reducem, cunctæ ex ordine ciuitates ſibi inuicem ſuccedentes atque ſuccollantes, ad hanc vſque vrbem tranſtulerunt, coronatum collaudantes, agnothetam celebrantes, diabolum irridentes: cui ſua videlicet in contrarium vertiſſet calliditas: quódque feciſſe contra martyrem ſe credebat, in ipſiuſmet caput recidiſſet. Ac tum quidem omnes illas intermedias ciuitates iuuit atque erexit beatus martyr, ex illoque in hodiernum vſque diem, veſtram vrbem locupletauit. Et quemadmodum perpetuus aliquis theſaurus, quotidie hauſtus, ſempérque inexhauſtus, omnes qui illum participant beatiores reddit; ſic & B. Ignatius cunctos ad ſe cum benedictionis fiducia accedentes.*

CONDVNTVR S. IGNATII RELIQVIÆ ET HONORANTVR.

B. IOANNIS CHRYSOSTOMI IN S. IGNATII RELIQVIAS EFFVSÆ LAVDES.

GAVDIVM POPVLORVM OB EASDEM RELIQVIAS.

BENEFICIA E SACRIS RELIQVIIS IN CVLTORES EMANANTIA.

dentes, generoso spiritu & magno robore plenos domum remittit. Itaque non hodie tantùm, sed quotidie ad illum adeamus, spirituales ex ipso fructus decerpturi. Nec enim corpora solùm, sed & loculi ipsi sanctorum spirituali referti sunt gratia. Nam si in Elisæo hoc contigit; & si cadauer contactu eius loculo mortis vincula disrupit, rursúsque ad vitam rediit: quantò nunc magis, cùm & gratia copiosior, & spiritus efficacia est amplior; dabitur contactu cum fide loculo multam inde haurire virtutem? Propterea sanè & Deus sanctorum nobis Reliquias dereliquit, vt nos ad similem iis zelum manuduceret, & portum quendam, securúmque eorum, quæ nos continuò premunt, malorum solatium exhiberet.

LOCVLI IPSI SS. MARTYRVM FVNDVNT GRATIAS.

TRANSLATIONES CORPORIS S. IGNATII PLVRES FVERVNT.

Hæc ibi de S. Ignatio B. Ioannes Chrysostomus. Cuius etiam honori illud accedit; quòd non vna, sed multiplex fuerit sanctarum eius Reliquiarum celebris & gloriæ plena translatio.

PRIMA TRANSLATIO.

Prima enim est ea, de qua nunc diximus: cùm scilicet statim à decurso felicis martyrij stadio ex vrbe Româ Antiochiam delatæ, atque in cœmeterio extra portam Daphniticam, teste S. Hieronymo, conditæ sunt.

SECVNDA TRANSLATIO.

Secunda, cùm inde, extremis Theodosij iunioris temporibus, in ipsam vrbem Antiochenam triumphali Imperatoris curru inuectæ, & magno apparatu atque pompa in peramplo templo, olim Fortunæ, tunc ipsius S. Ignatij memoriæ dicato, sunt depositæ. *Vnde & publica solemnitas, & communis populi lætitia ad nostram vsque ætatem,* (inquit Euagrius, qui sexto scribebat sæculo) *peragitur.* Quæ quidem solemnitas a Gregorio magno Pontifice in maiorem, vt idem refert auctor, elata est magnificentiam.

TERTIA TRANSLATIO.

Tertia denique, cùm Romam cònstanti quidem fama, vt notat Baronius, sed nullo certo scriptore asseruntur deportatæ: tum nēpe, cùm Syria varijs bellorum incursionibus, (præsertim imperante Iustiniano, & Cosrhoë Persarum Rege ipsam Antiochiam igni ferróque vastā-te) sub annum Domini 540. deflagraret. De hac porrò, vti & de primâ translatione, mentio est in Romano martyrologio ad decimam septimam Decembris, in hæc verba: *Translatio S. Ignatij Episcopi & martyris, qui tertius post B. Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam: cuius corpus ab vrbe Roma, vbi ipse sub Traiano passus fuerat, Antiochiā delatum extra portam Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ positum fuit. In qua celebritate S. Ioannes Chrysostomus concionem ad populum habuit. Postmodum verò eius Reliquiæ Romam translatæ sunt, & in Ecclesia S. Clementis, vnà cum corpore eiusdem beatissimi Papæ & martyris, summa veneratione recondita.* Bene autem ait *summa veneratione translatas esse ac reconditas.* Semper enim sanctorum Reliquiæ magna cura quæsitæ, maiori conditæ, maxima translatæ sunt. Aliquarum porrò ex ijs Reliquijs participes fieri ecclesiæ complures studuerunt. Diuus quidem Bernardus Claraualem suam, aliàs pauperē, vt censet, exiguis, quas nactus fuit, beati Ignatij Reliquijs, velut ingenti thesauro locu-

locupletatam reputauit ac prædicauit. *Magnus ille Ignatius*, inquit, *discipuli, quem diligebat Iesus, auditor, martyr noster, (cuius Reliquijs nostra ditata est paupertas) Mariam quidem in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis Christiferam consalutat.* Dicitur etiam inter eas Reliquias, quæ in cœnobio S. Placidi congregationis Cassinensis iuxta Messanam asseruantur, vertebra seu spondylus colli S. Ignatij religiosè obseruari. Vidi & ego in Lętiensi S. Lamberti monasterio, in Hannoniâ, partem vnius ex eiusdem sancti martyris ossibus, quam vnà cum diuersis aliorum beatorum sacris Reliquijs insigni argenteâ thecâ inauratâ ille doctus iuxtà & pius inclusit eiusdem cœnobij Abbas BLOSIVS. In monasterio item Arroasiensi Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini (quod cœnobium inter Bappalmam & Peronam Franciæ oppida situm est) binæ costæ eiusdem S. Ignatij dicuntur asseruari.

S. Bernardus in serm. 7. in psal. QVI HABITAT.

CAPVT XVI.

De S. Herone Beati Ignatij præcipuo discipulo & in Episcopatu successore.

SAncti Ignatij intra tot annos, quibus Antiochenam moderatus est ecclesiam, permulti sanè quàm illustres fuere discipuli: quorum nonnullos varijs in Syria præfecit muneribus; alios in diuersas extra illam colonias dimisit; sed beato Herone ipsius Diacono & contubernale illustrior fuit nullus. Hic magistri prima gloria: hic patris princeps filius: hic virtutũ eius & adorearum præcipuus heres: vti & præclarorum eius certaminum singularis æmulator. Hunc à pueritia excepit, & plurimũ adamauit, & ad omnem virtutem efformauit ingeniorũ sollers Ignatius. Verè enim peramabilis erat, tam ab indole, quàm à disciplina; tam à suauiũ morum facilitate, quàm ab elegãtis ingenij præstantia. In quodcumque opus, magistri sui inclinare nutus cernebat, quantumuis graue, durũ, asperum, huc prõptè alacritérque ferebatur. Suauia enim illi omnia faciebat virtutis amor, & continuus ad Deum respectus. Vnde & elucebat in eo admodum puero egregium specimen sanctitatis. Quod perspicaci cernens mentis acie Ignatius, mox quàm idonea sacris ministerijs ætas fuit, eum inter Diaconos allegit, secum habuit, mores perspexit, ad magna destinauit. Tandem igitur, cùm sibi de FIDE decertãdum, & thronum alteri relinquendum sensit, non alium eo digniorẽ (tametsi Sacerdotes & Presbyteri Antiochiæ essent non pauci, & quidem egregia virtute, doctrina, sanctimonia præditi, qui illo digni loco videri possent) non alium, inquam, eo throno digniorem iudicauit, quàm hunc suum Diaconum, ætate quidem alijs cedentem multis, sed fide & sapientia nemini. Non est tamen ausus, (quâ erat in eiusmodi rebus religione) eum aut Sacerdotem consecrare, aut Episcopum designare, nisi priùs

EGREGII DISCIPVLI FORMA.

S. IGNATII IN CONFERENDIS ORDINIBVS RELIGIO.

 claram

claram diuinæ voluntatis significationem à cęlo accepisset. Verùm illâ iam acceptâ, clareque intellectâ, tum in hoc demũ sedulò incubuit, vt ne vllum aliunde sibi obueniret ab hominibus obstaculum. Igitur duobus potissimè hanc Dei, suámque voluntatem nominatim indicauit; nempe S. Polycarpo, & ipsimet Heroni; illi quidem, vt viro præcipuæ apud Orientis populos auctoritatis, quò rem promoueret: huic autem, quò suæ promotioni non obstaret. Hoc enim potissimum timuisse vir sanctus videtur, ne Heronis explorata sibi modestia atque submissio impares tanto oneri humeros allegaret, & Diaconum vnum tot Presbyteris minimè conferendum, nedum esse præferendum, proclamaret; atque adeo, si aliter declinare eam prouinciam non posset, aliò se proriperet, atque de quærentium manibus fugâ euaderet. Hæc proinde caussa fuit, cur ad eum super hoc negocio, & super Dei certa voluntate litteras daret; quibus in litteris, vt suprà consignauimus, non modò ad suscipiendum Episcopi thronum, munúsque hortatus est; sed etiam cum sacrâ quadam obtestatione præcepit, vt ne onus illud defugeret, quod ipse & Christus ei commendarent. Ita ergo post magistri martyrium germanus discipulus, auctore præsertim & instigatore Polycarpo, communibus ecclesiarum Syriæ suffragijs electus est. Qui per antegressorum incedens vestigia, nusquam à sinceritate fidei, nusquam à veritate doctrinæ, nusquam à morum honestate deflexit. Ipsos autem viginti annos illi præfuisse ecclesiæ in antiquis est monumentis. Hic quàm tenerè S. Ignatium amauerat viuum, tam piè ac religiosè percoluit mortuum: si tamen mortuum appellare eum decet, qui victor & laureatus & triumphalis è cælo adsit & opituletur viuis. Certè ita sensit & præ se tulit dignus magistro discipulus ipse Heron Episcopus: quippe qui eum in dubijs, in aduersis, in prosperis identidem consulere & inuocare solitus erat. Eius enim insignis & plena pietatis extat precatio; in qua & suum de Ignatij eximia fortitudine & gloria iudicium, & feruentis in eum amoris nobile testimonium profert. Ea precatio est eiusmodi: *Sacerdos & assertor sapientissime Dei, Ignati, immaculatâ stolâ indute, perenni fonte saturate, cum Angelis laudem canens, primogeniti certè amice, à peccatis liberate, à diabolo separate, tu agonista constitutus in stadio veritatis acquisisti preciosam salutem: confudisti Traianum & senatum Romæ, prudentiam non habentem: domesticus nunc factus es Christi, in dilectione, fide, & vitâ. Memor esto mei, filij tui Heronis: vt & ego vitâ exiens sanctis connumerer, vt dignum nomen merear adipisci, & ab iniustâ statione, & à Deo alienâ extraneus inueniar. Térque quatérque beate, qui ad talia peruenisti, pater Ignati: currus Israël & auriga eius. Euasisti, mortem cupiendo, & de terrenis ad cælestia euolasti: coronam Deificam & magnam meruisti: & in amabili Dei agone vicisti. Memento eius, quem nutriuisti, beate martyr, & præsta colloquium, sicuti faciebas.*

Vide suprà. cap. 11.

Vide Eusebium Cæsariensem & S. Nicephorum Constantinopolitanum Episcoporum in suis chronicis.

S. HERONIS AD B. IGNATIVM PRECATIO.

Sic precatus est, sic inuocauit S. Ignatium beatus Heron, haud dubius

bius profectò, quin & in cælo esset, & precantium voces exaudiret: Cuius ego veritatis, quàm certus sum, ô tam esse possim & salutis! Quin verò adfuerit inuocãti, multáque illi à Deo beata dona impetrarit, minimè sanè est ambigendum. Igitur vitam assiduis exercitam laboribus, magnis vexatam ærumnis, multis grauium persecutionum procellis exagitatam, tandem ad magistri & patris exemplum, gloriosissimo fine conclusit. De quo etiam habent sincera martyrologia hoc testimonium: *Sexto decimo kal. Nouembris.*

SANCTI IN CAELO PRECANTIVM VOCES EXAVDIVNT.

Antiochiæ, natalis S. Heronis discipuli beati Ignatij, qui post eum factus Episcopus, viam magistri pius imitator secutus, pro commendato sibi grege amator Christi occubuit.

Hæc de Herone, flore discipulorum Ignatij: de alijs eiusdem discipulis, quorum aliqua in ipsius epistolis fit mentio, cùm nos eorum acta deficiant, malo nihil omnino in præsenti, quàm nimis pauca & parua dicere: præsertim cùm beatus Heron vnus sit instar multorum. Ad alia proinde cursum intendamus.

CAPVT XVII.

Virtutes B. Ignatij illustriores.

HActenus B. Ignatij vitæ mortísque seriem pro virium nostrarum facultate explicuimus: nunc tria pijs lectoribus non ingrata, vt opinor, persequemur: virtutes eius rariores: præcipua ad fidem roborandam documenta: Græcorum erga ipsum egregiam pietatem: quam quidem ex ipsorum Menæo excerptam, & nunc primum à nobis latino stilo redditam proferemus. Age à virtutibus ordiamur. Sunt enim illæ ad quamcunque veritatem fideles ac certæ itineris duces. *Omnes quidem virtutes, quæ in homine esse possunt, in beato fuisse Ignatio, ipsi Apostoli, dum manus ei imposuerunt* (inquit S. Chrysostomus) *testificati sunt. Nam cùm in Episcopo, velut in quodam omnis mortalitatis apice, nullam voluerint virtutem desiderari; sed prorsus irreprehensum esse, castum, modestum, sobrium, denique toto virtutum Christianarum catalogo & numeris omnibus absolutum; haudquaquam in dubio esse potest, quin talem esse eum probauerint, quem ipsi in tanta dignitatis sacrum munus allegerint.* Fuerint igitur tantis testibus omnes virtutes in Ignatio; sed ante alias tamen, tres potissimùm in eius expressæ litteris eminent; insignis humilitas, animíque submissio; incredibilis vigilantia & sollicitudo pastoralis; deinde fortis, vt mors, immo fortior morte, dilectio: quæ virtutes omni Episcopo atque Pontifice ita dignæ sunt, vt sint etiam necessariæ.

S. CHRYSOSTOMI DE B. IGNATIO TESTIMONIVM.

§. I. HVMILITAS ET TIMOR DEI.

FVit illi hæc humilitas ceterarum virtutum altum quoddam & stabile fundamentum. Quid enim anima illa submissius, quæ

B. IGNATII DONA QVÆDAM SINGVLARIA.

Christi contactu & complexu dignata, quæ Apostolorum societate & conuictu honorata, quæ spiritu prophetiæ & cælestibus visis condecorata, quæ denique principis Apostolorum throno & gratijs cumulata, nihil tamen propterea de se gloriosum, nihil magnificum, nihil excellens prædicabat; sed cunctis Christianis, & de quibus loquebatur, & quibuscum agebat, tam se virtutibus inferiorem reputabat, quàm meritis præcellebat? Ecce enim luculenta è Scriptis eius testimonia.

Ex epistola ad Trallianos.

SEMPER TIMENDVM CHRISTIANO.

Vinctus sum, inquit, *propter Christum, sed necdum Christo dignus: si verò consummer, forsan ero. Non vt Apostolus quidquam constituo: sed meo me modulo metior, vt ne in gloriatione peream. Bonum est autem in Domino gloriari. Ac licet in ijs, quæ Dei sunt, corroboratus sim; eò tamen magis mihi timendum est, nec illis attendendum, qui temerè me inflant. Qui enim me laudant, ipsi me verberant. Eligo quidē pati, verùm haud scio, an dignus sim. Nā inimici inuidia multis quidem non paret, attamen me impugnat. Quare mãsuetudine mihi opus est, quâ princeps huius sæculi destruitur diabolus.*

MANSVETVDINE VINCITVR INIMICVS.

Et infrà ad extremam hanc epistolam:

PRECATIONVM POSTVLATIO.

Orate, inquit, *pro me, qui vestra caritate ad Dei misericordiam indigeo, vt ea sorte digner, cui adipiscendæ totus insisto, ne reprobus inueniar.*

Et paullo inferiùs:

Mementote nostræ ecclesiæ, quæ est in Syria, vnde non sum dignus dici; cùm eorum, qui illic sunt, sim extremus.

Ex epistola ad Magnesios.

Detur mihi, inquit, *perfectè vobis frui, si quidem dignus sim. Tametsi enim vinctus sum, tamen cum vno vestrûm, qui soluti estis, comparandus sum nemine.*

Et extrema eadem epistola:

Memores mei estote in orationibus vestris, vt Deum consequar: memores item ecclesiæ, quæ est in Syria, cuius non sum dignus vocari Episcopus.

Ex epistola ad Tarsenses:

DOMINVS VOBISCVM SIT.

Hæc non mando quasi sim aliquid, tametsi vinctus sum, sed vt frater commoneo. Dominus vobiscum sit. Iuuer ego vestris precibus. Orate, vt Iesum adipiscar.

Ex Epistola ad Philippenses:

Hæc ego fratres, ex propenso in vos affectu scribere compulsus sum ad gloriam Dei, cohortans vos, non quasi sim aliquid, sed tanquam frater.

Ex epistola ad Philadelphienses:

MATRIMONII PRÆCLARA APPROBATIO.

In hac epistola, postquam de virginibus egit, non modò particeps earum sanctitatis esse optat, sed etiam locum inuenire in cælo ad vestigia eorum eorum, qui in matrimonio sanctè vixerunt. Vide cap. sequenti, titulo *Virginitas.*

Inferiùs autem in hac ipsa epistola sic habet:

Hæc ego, non vt Apostolus præcipio (Quis enim sum ego, aut quæ domus

patris

patris mei, vt me illis æqualem dicam?) sed vt vester commilito, succentoris locum tenens. Fratres mei, nimis effusus sum ex amore vestri: & superexultans securitati vestræ consulo: non ego autem, sed per me Dominus IESVS, pro quo vinctus magis timeo. Sum enim adhuc imperfectus, sed preces vestræ ad Deũ me perficient: quò id consequar, ad quod vocatus sum. VANÆ GLORIÆ METVS.

Ex epistola ad Ephesios:

Non vobis præcipio, quasi sim aliquid: (tametsi enim pro eius nomine vinctus sim, nondum tamen in Christo IESV perfectus sum, cuius tantùm incipio esse discipulus) sed vos alloquor, vt conseruos. Nam oportebat me quidem potiùs à vobis commoneri de fide, de institutione, de patientia, de longanimitate: sed quando caritas me tacere de vobis non sinit; propterea suscepi vos adhortari, vt cum DEI voluntate concurratis. Etenim IESVS Christus omnia facit secundùm Patris voluntatem: sicut ipse dicit: Ego, quæ placita sunt ei, facio semper. CARITATIS IMPVLSVS. Ioannis 8. vers. 29.

Nota *concurrere cum Dei voluntate*, hoc loco & ad sensum Martyris, nihil aliud esse, quàm eiusdem cum Episcopo esse sententiæ atque voluntatis in rebus ad pietatem spectantibus, & cum illo currere viam mandatorum Dei. Quod ipsum est Christum imitari, qui nihil fecit sine Patris voluntate, vt probauit allata ex Ioanne sententia. Cui similis est & illa apud eundem Euangelistam: *Amen, amen dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Vide ibi plura apud Ioannem, ad quæ te inuitat Ignatius. Ioannis c. 5. v. 19.

Infrà ibidem:

Scio qui sim, inquit, *& quibus scribam. Ego minimus Ignatius; & ijs, qui periculo & iudicio sunt obnoxij, consimilis. Vos autem misericordiam consecuti, atque in Christo firmati: ego eorum addictus numero, qui propter Christum è medio sublati sunt, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem minimi Ignatij. Vos Paulli disciplinæ consortes estis, qui sanctificatus fuit, qui Dei testimonio vas electionis esse probatus est: (sub cuius vestigijs & aliorum item sanctorum vtinam inueniar, cùm Iesum Christum adeptus fuero!) qui semper in precationibus suis memor est vestri.* MINIMVM SE VOCAT S. IGNATIVS. SANCTI IN CÆLO NOSTRI IN PRECATIONIBVS MEMORES.

Et inferiùs ijsdem Ephesijs valedicens:

Orate, inquit, *pro Antiochena Ecclesia, quæ est in Syria; vnde vinctus adducor Romam extremus eorum, qui ibi sunt, fidelium: qui has catenas ad Dei honorem gestare dignus habitus sum.*

Adeo scilicet paruus in oculis suis videbatur, qui iam clarus Confessor multa pro Christo passus fuerat, & nunc martyr designatus, breui postea in vrbe orbis principe spectaculum magnitudinis suæ, Deo, Angelis, & hominibus erat præbiturus. Transeo ad vigilantiam & sollicitudinem eius pastoralem.

§. 2. VIGILANTIA ET SOLLICITVDO PASTORALIS.

QVi præest, inquit Paullus, *in sollicitudine*. Quis autem secundùm eundem Rom. 12.

eundem Paullum ac ceteros Apostolos, magis in sollicitudine, quàm B. Ignatius? cuius sollicitudo omnium Syriæ ecclesiarum ex ipsius epistolis est notissima: cuius contra hæreses vigilantia totis eius scriptis passim conspicitur: cuius pro illibatis FIDEI Christianæ moribus conseruandis indefessum studium nec vllus inimicus diffitetur. Ponam in medio paucula eius vigilantiæ testimonia è varijs epistolis.

Ex epistola ad Trallianos.

CONCORDIÆ INTER CHRISTIANOS COMMENDATIO.

Obsecro igitur vos, inquit, *non ego, sed caritas Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu & in eâdem sententia. Sunt enim quidam vaniloqui & seductores, non Christiani, sed Christiuenduli, dolo malo Christi nomen circumferentes, & adulterantes verbum Euangelij, & erroris venenum blandis appellationibus implicantes, tanquam mulso cicutam admiscentes: vt qui bibit, suauissimo sapore abreptus, sensum gustus ad mortem incautè transmittat.*

HÆRETICORVM DETECTIO.

Admonet antiquorum quispiam: Nemo dicatur bonus, qui bonum malo miscet. Loquuntur enim Christum, non vt Christum prædicent, sed vt Christum reprobent: neque vt legem constituant, sed vt vitam exlegem annuncient. Nam Christum quidem alienum dicunt esse à Patre, & legem à Christo. Generationem quoque ex Virgine calumniantur: Crucem erubescentes, passionem negant; & resurrectionem non credunt: Deum ignotum introducunt: Christum ingenitum censent: Sanctum Spiritum verò ne esse quidem confitentur. Eorum verò nonnulli filium quidem purum esse hominem dicunt; vnum verò idemque esse (hypostasi scilicet) *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Et opera Dei non per Christum, sed per alium quendam alienæ potestatis creata esse. Munite igitur vos contra homines huiusmodi, vt ne animas vestras in laqueos inferatis.*

SABELLII ERROR DE SS. TRINITATE PLVRIBVS SÆCVLIS FVIT ANTE SABELLIVM.

Et infrà, postquam ipsos ad obedientiam erga Episcopos & Ecclesiæ ministros hortatus est, grauitérque immorigeros castigauit, tum ita subijcit: *Ego autem hæc vobis scribo, non quòd aliquos in vobis tales esse cognouerim (sed nec permittat vnquam Deus, vt tale quippiam ad aures meas perueniat!) qui pro sanctâ ecclesiâ Filio suo non pepercit; sed Maligni prospiciens insidias his cohortationibus vos præmunio, tanquam meos dilectos & fideles in Christo, antidotum vobis propinans aduersus inobedientium pestilentem morbum; quem defugite iuxta Christi Domini nostri beneplacitum.*

Ex epistola ad Antiochenos.

CARITATIS VIS IN IGNATIO.

Lenia mihi & leuia Dominus vincula mea reddidit, dum vos in pace esse, & in omni concordia tam corporali quàm spirituali degere didici. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, *cauentes, quæ se impudenter ingesserunt, Maligni hæreses, ad eorum fraudem atque perniciem, qui illi credunt. Sed attendite vos quidem Apostolorum doctrinæ; & legi ac Prophetis credite, & omnem Iudaïcum & Gentilitium errorem abijcite, vt nec Deorum multitudinem inducatis, nec vnius Dei prætextu Christum abnegetis.*

Ad Ephes. 4. v. 1.

Et infrà ibidem:

Hæc

Hæc scribo vobis, ô nouella Christi oliua, non quasi conscius sim vos eiusmodi quippiam sentire: sed vt vos præmuniam, sicut pater suos liberos. Videte proinde malos operarios, inimicos crucis Christi; quorum finis interitus; quorum gloria in confusione ipsorum. *Videte canes mutos, serpentes per terram se trahentes, squamosos dracunculos, aspides, basiliscos, scorpios. Hi enim sunt Thoës astuti, simij hominum imitatores. Paulli & Petri fuistis disciplinæ amittatis depositum.*

ECCLESIA ANTIOCHENA NOVELLÆ OLIVÆ COMPARATA.

Ad Philip. 2. & 3.

ZELVS S. IGNATII IN HÆRETICOS.

Ex epistola ad Ephesios:

In hac epistolâ, postquam vir sanctus Ephesios à fidei puritate, & hæreticorum auersione commendauit, ita sermonem de ijsdem deuitandis persequitur:

Vos igitur quidem estis tales: quippe à talibus eruditi magistris, Paullo Christifero, & Timotheo fidelissimo: sed pessimi quidam Christi nomen dolo malo solent circumferre, tum alia quædam Deo indigna patrantes, tum etiam doctrinæ Christi contraria, ad suam & eorum qui illis credunt, perniciem sentientes: quos debetis tanquam feras declinare. Iustus enim, qui declinauit, saluatur in sæculum. Facilis autem fit & iucunda impiorum perditio. Sunt enim canes muti, non valentes latrare, *rabiosi, clam mordentes, quos vitare oportet. Insanabiliter enim laborant. Medicus autem noster est solus verus Deus ingenitus, & inaccessus omnium Dominus: vnigeniti verò pater & genitor.* Vbi NOTA particulã SOLVS, iuxta vulgatam Theologorum regulam, non excludere alias SS. Trinitatis personas, sed tantùm puras creaturas. Nam etiam Filius est noster medicus, etiam Spiritus Sanctus.

QVOMODO VITANDI HÆRETICI.

Prou 10. & 11.

Isaie 56.

Et infrà ibidem:

Cognoui enim quosdam per vos transiuisse peruersam tenentes doctrinam peregrini & maligni spiritus, quibus aditum ad seminanda zizania non dedistis. Nam aures obturastis, ne quem ipsi annunciabant errorem exciperetis, certi scilicet illum populi seductorem spiritum non ea, quæ Christi sunt, sed sua ipsius loqui. At Spiritus sanctus non sua, sed quæ Christi sunt, loquitur; nec à se ipso, sed à Christo: sicut & Dominus ea, quæ à Patre accepit, nobis annunciauit. Ait enim: Sermo, quem auditis, non est meus; sed eius, qui misit me, Patris. *Et de Spiritu sancto:* Non loquetur à semetipso; sed quæcumque à me audierit. *Et de se ipso dicit ad Patrem:* Ego te, inquit, clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi. Manifestaui nomen tuum hominibus. *Et de Spiritu sancto:* Ille me clarificabit: quia de meo accipiet. *Spiritus autem ille planus seipsum prædicat, propria loquitur (est enim sibi-placens) seipsum glorificat (fastu enim plenus est) est mendax, deceptor, assentator, adulator, subdolus, consarcinator, nugator, discors, immensè loquax, lubricus, meticulosus, à cuius efficacia liberabit vos Iesus Christus.*

AVRES OBTVRANDÆ HÆRETICIS.

Ioannis 14.

Ibidem 16.

Ibid. 17.

Ibid. 16.

SPIRITVS PLANI ET DECEPTORIS DESCRIPTIO.

§. 3. DILECTIO ET FORTITVDO S. IGNATII.

Dilectionem quidem Ignatij, pro excellentia suæ fortitudinis, non

modò

modò morti comparandam, sed ei quoque præferendam, cùm eius ad Romanos epistola præmonstrauit; tum mors ipsa quidem ac martyrium rite obsignauit: tamen haud abs re futurum arbitror, si eiusdem fortitudinis alias quasdam scintillas aliunde emicantes in conspectum dedero, Ecce igitur aliquas ex alijs eius epistolis?

Ex epist. ad Tarsenses:

A Syria, inquit, *Romam vsque cum bestijs pugno: non quòd à rationis expertibus feris deuorer, (hæ enim Danieli, vt scitis, Deo volente pepercerunt) sed à belluis humana specie, in quibus immansueta illa fera stabulatur, quæ me in dies pungit ac vulnerat.* Nec facio animam meam preciosiorem quàm me, *vt eam plus amem, quàm Dominum. Quare paratus sum ego ad ignem, ad feras, ad gladium, ad crucem: tantùm vt Saluatorem meum videam, & Deum qui pro me mortuus est.* Ita ibi.

Act. 20. ver. 24.

Ex epistola ad Antiochenos:

B. IGNATIVS LAVDEM NVLLAM ADMITTIT AB HÆRETICIS.

Quæ præsens, inquit, *dicebam vobis, hæc & absens scribo. Si quis non amat Dominum Iesum, sit anathema. Imitatores mei estote.* Quasi dicat: amate Dominum Iesum, vt ego amo: defendite illum aduersus hæreticos, quemadmodum ego defendo.

Ex epistola ad Smyrnæos:

Quid mihi prodest, si quis me laudet, & Domino meo maledicat, dum non confitetur eum esse Deum carne circumdatum:

Ex epistola ad Ephesios.

VINCVLA MARTYRVM SPIRITVALES MARGARITÆ.

Absque Christo Iesu ne respirare quidem vnquam velitis. Ille enim spes mea, ille gloriatio, ille inexhausta diuitia: pro quo à Syria Romam vsque vincula circumfero, spirituales margaritas: in quibus ô si mihi detur per preces vestras consummari, & passionis Christi participem fieri, & mortis eius consortem & resurrectionis à mortuis & vitæ indeficientis! Qua mihi contingat frui! vt in sorte Ephesiorum Christianorum inueniar, qui & cum Apostolis semper in virtute Iesu Christi sunt conuersati, cum Paullo, Ioanne, Timotheo fidelissimo. Quãti ergo fecit, putatis, martyrium, qui pro margaritis duxit instrumenta martyrij? Verum sanè est illud B. Chrysostomi de S. Ignatio: *Tam facilè*, inquit, *carnem Ignatius exuit, quàm quiuis alius vestem exuisset.* Neque enim sanè dubium est, quin talem se ipse præstiterit, qualem esse voluit carissimum illum suum commilitonem B. Polycarpum, quem datâ epistolâ sic est cohortatus: *Sta verò firmus*, inquit, *tanquam incus, quæ caditur. Magni est athletæ cadi, & vincere. Maximè nos decet Dei causâ cuncta sustinere; vt ipse nos in regnum suum præstoletur.*

PATIENTIÆ COMMENDATIO.

CAPVT XVIII.

DOCVMENTA S. IGNATII.

QVò hæc dignè æstimentur, & tanti, quantũ ipsa merentur, fiant, sciendum est S. Ioannem Chrysostomum in ea oratione, quam de S. Ignatio ad ciues Antiochenos habuit, eius documenta doctrinam

ctrinam Apostolorum nuncupare. Quia verò longum esset omnia, quæ nobis sanctus ille vir reliquit, hic persequi; ego tantùm pauca & & paucis, hoc est, summatim præcipua. Aequum porrò est à sanctissima Trinitate, vt primo omnium principio, principium sumere. Ecce igitur loca, in quibus eam nominauit & esse docuit.

§. I. SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIVM; ET CHRISTI DIVINITAS.

Ex epistola S. Ignatij ad Philippenses:

Si enim vnus est omnium Deus, Pater Christi, ex quo omnia: & vnus Dominus noster IESVS, omnium Dominus, per quem omnia; & vnus Spiritus sanctus, qui operatus est in Moyse & Prophetis & Apostolis; & vnum baptisma, quod in mortem Domini datur; & vna electa ecclesia; debet esse & vna secundùm Christum fides.

Et paullo inferiùs:

Neque igitur tres Patres, neque tres Filij, neque tres Paracleti; sed vnus Pater, & vnus Filius, & vnus Paracletus. Propterea mittens Dominus Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit eis, vt baptizarent in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: non in vno trinomine, neque in tribus incarnatis, sed in tribus honore paribus. Vnus enim est incarnatus; non Pater, non Paracletus, sed solus Filius; non opinione, non imaginatione, sed veritate. Verbum enim caro factum est. *Nam* Sapientia ædificauit sibi domū. *Et natus est, vt homo, Deus Verbum cum corpore, ex Virgine, sine viri commercio. Virgo enim in vtero accipiet, & pariet Filium.*

Ex epistola ad Philadelphienses:

Vna est enim caro Domini Iesu, & vnus sanguis eius, qui pro nobis effusus est; & vnus panis, qui omnibus fractus; & vnus calix, qui omnibus distributus; & vnum altare omni ecclesiæ; & vnus Episcopus cum Presbyterorum collegio, & Diaconis conseruis meis: quoniam & vnus ingenitus Deus & Pater; et vnus vnigenitus Filius, Deus verbum & homo; & vnus Paracletus, Spiritus veritatis. *Respondent huic loco S. Paulli in 1. ad Cor. cap. 10.*

Et infrà ibidem:

Vnus enim Deus veteris & noui testamenti: vnus mediator Dei & hominum, *tam ad creationem intelligibilium & sensibilium, quàm ad commodam et conuenientem eorum prouidentiam. Vnus quoque Paracletus, qui operatus est in Moyse et Prophetis et Apostolis.* *1. ad Timotheum 2.*

Ex epistola ad Ephesios:

Valete in Deo Patre, et in Domino Iesu Christo, communi spe nostrâ, et in Spiritu Sancto. Ibi breuissimè tres personas complexus est. SS. TRINITATIS COMPELLATIO IN VALEDICTIONE.

Hactenus de sanctissimæ Trinitatis, & de incarnati Filij mysterio: iam consequenter paucula de CRVCE & eius efficacia.

CA-

CAPVT XIX.

Crux & eius efficacia.

ANtequam antiquissimi Patris & sanctissimi Martyris de Cruce doctrinam in medio ponam, subit animum diuinam sapientiam atque potentiam non mediocriter admirari (impellente potissimùm hac Inuentionis sanctæ Crucis solemnitate, quæ hodie dum ad hoc caput peruenissem, occurrit) quâ Dominus noster Iesus Christus inueteratas iam olim in omnium ferè mortalium animis de abominatione Crucis opiniones, & certa ac diuinis quoque fũdata oraculis, adeóque longissimi temporis spatio firmata iudicia (quibus nimirum ea probrosa erat, & qui in ea pendebat, maledictus) tam breui interuallo in contrarium flexit, commutauitque; vt cœperint illi ipsi eam amare, qui oderant; & ad eam currere, qui abhorrebant; & in ea gloriari, qui detestabantur. Deus bone! quále nunc precium! qualis auctoritas Crucis! Vt nunc culta Regibus, adorata Cæsaribus, adamata omnibus? Quis se mouet Christianorum absque hoc signo? quis opus aggreditur? quis deponit? Absque hoc infausta sunt bella: intuta tranquillitas: periculis plena omnia. Cum hoc verò tanta spes auxilij, prosperitatis, gloriæ, bonorum omnium, humanis insita est mẽtibus; vt permulti hoc insigne ambierint, vel nobilitatis, vel Religionis, vel agnominis? Sed quod in cũctis admirabilibus Crucis effectis tenet me iudice principatũ, illud est; quòd vel sola eius vmbra & tenuis imago furentibus obiecta tartareorũ inimicorum potestatibũs pro tutela sit inuiolabili. Hanc proinde maximi Sanctorũ grauissimis pressi hostiũ iuratorum insultibus vel exprimebant, vel minabantur; & capessentibus illis actutum fugam, armáque confestim abijcientibus, tuti erant. Hæc transcursim & velut pro symbolo in honorem sanctæ Crucis præmissa sint: nunc ad B. Ignatij pro eãdem zelum ardentissimum ex instituto aggrediamur.

Ex epistola S. Ignatij ad Trallianos:

Postquam S. Ignatius nominatim in hac epistola declarauit, quinam hæretici potissimè fugiendi essent; nempe Simon Magus, Menander, Basilides, Theodotus, Cleobulus, Nicolaitæ; tum ita subijcit: *Non sunt hi plantatio Patris, sed maledicta germina.* Omnis autem (*inquit Dominus*) plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. *Si enim Patris rami essent, non essent inimici Crucis Christi; sed eorum, qui Dominum gloriæ interfecerunt: nunc autem Crucem negantes, & Passionem erubescentes, protegunt Iudæorum scelus cum Deo bellantium, Domini occisorum: parum est enim dicere, Propheticidarum.*

Matthæi 15. ver. 13.

Ex epistola ad Philippenses:

Gaudet princeps huius mundi, cùm quis Crucem negauerit. Agnoscit enim Crucis confessionem, suum esse exitium. Nam istud est trophæum aduersus

eius

eius potentiam, quod intuens horret, & audiens timet: qui priusquam Crux fieret, vrgebat vt fieret, & operabatur in filios diffidẽtię, *operabatur in Iuda, in Pharisæis, in Sadducæis, in senibus, in iuuenibus, in Sacerdotibus: affutura autẽ iã Cruce turbatur; & pœnitentiam proditori inijcit, & laqueum illi monstrat, & strangulationem edocet: terret verò & mulierculam, in somnis eam conturbans, & Crucis negocium impedire tentans: qui, vt strueretur, rudentem omnem mouerat: non quòd tanti mali pœnitentiã tangeretur (sic enim non fuisset omni ex parte sceleratus) sed quòd suum ipsius exitium persentisceret. Fuit enim ei Crux Christi initium condemnationis, initium mortis, initium perditionis. Ideo & in nonnullis hoc molitur, vt Crucem negent, & Passionẽ erubescant, & mortem vocent opinionem, & generationem ex Virgine rescindant, & naturam ipsam velut execrabilem calumnientur. Iudæis auxiliatur ad Crucis abnegationem, Gentilibus ad magiæ calumniam, hæreticis ad imaginationem.* hoc est, vt hæretici Christum imaginariè & non re vera passum dicant.

Ad Ephes. 2. vers. 2.

DIABOLVS CHRISTI CRVCIFIXIONEM IMPEDIRE CONATVS EST.

Ex epistola ad Heronem Diaconum:

Si quis Crucem abneget & Passionem erubescat, sit tibi tanquam ipse aduersarius. id est, tanquam Antichristus. *Et si distribuerit in cibos pauperum omnes facultates, & si montes transferat, & si tradat corpus suum, vt ardeat, sit tibi abominabilis.*

1. Cor. 13. vers. 3.

Ex epistola ad Ephesios:

CRVX Christi incredulis quidem est scandalum: fidelibus autem salus & vita æterna.

Hæc de Cruce & eius æstimatione ac valore: nunc nonnulla proferentur, quę ad Venerabilem Eucharistiam, & ad cœtus ecclesiæ sacros pertinent.

CAPVT XX.

V. EVCHARISTIA ET SACRI ECCLESIÆ COETVS.

Ex epistola ad Magnesios:

Omnes in eundem locum simul ad orationem conuenite. Vna sit communis precatio, mens vna in caritate, in fide integra in Christum Iesum, quo nihil est melius. Omnes quasi vnus ad templum Dei concurrite, quasi ad vnum altare, ad vnum IESVM Christum, sacerdotem summum Dei non geniti.

ORATIONES IN LOCO COMMVNI ET SACRO.

Ex epistola ad Philadelphienses:

Confidenter scribo sanctissimæ caritati vestræ, adhortans vos, vt vna fide, & vna prædicatione, & vna Eucharistia vtamini. Vna enim est caro Domini IESV; & vnus Sanguis eius, qui pro nobis effusus est; & vnus panis, qui omnibus fractus; & vnus calix, qui omnibus distributus.

Ex epistola ad Ephesios:

Nemo erret. Nisi quis sit intra altare, pane Dei priuatur. Si enim vnius &

EFFICACISSIMÆ SVNT EÆ PRECES, QVÆ FIVNT VNANIMITER AB ECCLESIA. *Ad Hebræos 12. ver. 23.*

alterius precatio tantam vim habet, vt inter ipsos Christum statuat; quanto magis Episcopi & totius ecclesiæ consona oratio ad Deum ascendens, omnia quæ in Christo petierint, impetrabit? Quare qui se à talibus segregat, & non conuenit in consilio sanctorum, & ecclesia primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, *lupus est in pelle ouina mansuetam præferens formam.*

Nota hic illa verba: *Nisi quis sit intra altare, pane Dei priuatur*, duplici sensu accipi posse: priore quidem & maximè obuio, vt dicat eos decipi, qui cùm se abducant à sacris cœtibus & conuẽtibus, qui in templis aut Deo dedicatis ædibus fiunt, putant nihilominus se fore participes gratiarum & beneficiorũ, quę Deus ibi pręsentibus elargitur, quorum sanè primũ & singulare est panis Dei, hoc est panis ille viuus, qui de cælo descẽdit; alia verò beneficia sunt, quę vel cũcti generatim, vel singuli speciatim à Deo ibidẽ exposcunt. Faciliùs enim & citiùs omniũ & singulorum vota exaudiuntur in cœtu sanctorũ & in loco sacro, quàm seorsum & in profano. Quod autẽ subdit eũ qui se ab illis segreget, esse lupũ in pelle ouina, hoc accipiendum est, vt dictũ contra fidei Christianæ simulatores, qui nonnunquam se in sacra ingerebant, non tam orandi gratia quàm explorandi. Altero sensu capi possunt; vt intra altare dicantur esse, qui sunt in ecclesia seu cõgregatione iustorum per fidei Christianæ professionem; extra altare autem, omnes à fide alieni, seu Iudæi, seu Gentiles, seu hæretici: ita vt per *altare* intelligatur ecclesia Catholica seu Corpus fidelium: extra quod quisquis est; priuatur *pane Dei*, hoc est, omni spituali nutrimento sacramentorum & gratiæ Dei. Sic erit idem Ignatio esse extra altare, quod Paullo *foris esse*, in priori ad Corinthios 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare.* Et ad Colossenses 4. *Insapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* Videtur autem B. Ignatius priorem sensum potissimè intendisse. Cùm enim ad Christianos scriberet, hoc maximè agebat (quemadmodum alibi sæpius) vt ad sacros cœtus, qui sabbatis & dominicis fiebant, diligenter conuenirent; neu se paterentur tantis bonis, quorum participes esse possent, defraudari: se verò pro lupis in pelle ouina eos habiturum, qui se ab illis cœtibus contemptim & contumaciter despretà erga ecclesiæ Ministros obedientia segregarent. Nam & alibi ęquè seuerè contra fideles ab officio suo desciscentes non solùm Ignatius, sed etiam Paullus agit. De quo nos pluribus in commentario ad epistolam Ignatij ad Trallianos. Nunc ad interrupta reuertamur.

Infrà ibidem.

PRECATIONVM COMMVNIVM EFFICACIA.

Quocirca date operam, vt frequentius ad Dei Eucharistiam & gloriam conueniatis. Cum enim continenter eundem in locum conuenitis, subuertuntur vires satanæ, & ignita eius ad peccatum iacula inefficacia retunduntur. Nam vestra concordia & fidei consensio, illius quidem est pernicies; satellitum verò eius, tormentum.

Et rursum inferiùs:

Omnes in gratia nominatim congregemini cõmuniter, in vna fide Dei Patris,

&

& IESV Christi, vnigeniti eius filij, & primogeniti omnis creaturæ: secūdum carnem verò ex genere Dauid, aucem sequentes Paracletum, obedientes Episcopo & Presbyteris animo inseparabili, vnum panem frangentes, qui est immortalitatis medicamentum, antidotus ad non moriendum, sed ad viuendum in Deo per IESVM Christum, purgatio malorum expultrix.

VENERABILIS EVCHARISTIA VIS ADMIRABILIS.

De his hactenus: modo ad Ecclesiæ ordines ac ministros, debitámque ipsis obedientiam & honorem procedamus.

CAPVT XXI.

Ordines & Ministri ecclesiæ temporibus S. Ignatij, saltem in ecclesia Antiochena: & obedientia honósque illis debitus.

TRium potissimè Ordinum varijs in epistolis mētionem facit Ignatius, Episcopatus, Presbyterij, & Diaconatus: sed in epistola ad suos Antiochenos, plures nominatim recenset Ordines Diaconatu inferiores: nēpe Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores. De quibus singulis agemus in commentario nostro ad eam epistolam: hic locum illum dumtaxat Ignatij proferam, in quo omnes simul Ordines recēsentur: tum de obedientia maioribus Ordinibus exhibenda ex alijs depromam eius epistolis.

Ex epistola ad Antiochenos:

ORDINVM IN ECCLESIA ANTIOCHENA INITIO SECVNDI SAECVLI RECENSIO.

Saluto, inquit Ignatius, *sanctum Presbyterorum collegiū. Saluto sacros Diaconos, & amabile mihi nomen, quem video pro me in Spiritu sancto, cùm Deo potitus fuero, Episcopum fore; pro quo libens animam posuero.* Intelligit Heronem Diaconum ecclesiæ Antiochenę *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores. Saluto custodes sacrarum portarum Diaconissas in Christo. Saluto afflatas Christo virgines, quibus vtinam fruar in Domino IESV!* &c.

Ex epistola ad Trallianos:

Quapropter necessarium est, vt quæcunque feceritis, nihil sine Episcopo faciatis. Sed & Presbyteris subditi estote, vt Apostolis IESV Christi, spei nostræ, in quo viuentes etiam in ipso inueniemur. Oportet & Diaconis mysteriorum Christi IESV omni modo placere: Nec enim ciborum & potionum sunt diaconi, sed ecclesiæ Dei ministri. Eorum proinde est crimina, quæ sibi obijci possent, tanquam ignem ardentem præcauere. Sint igitur illi tales: vos autem illos reuereamini sicut Christum IESVM, cuius sunt vicarij: quemadmodum & Episcopus Patris vniuersorum instar est. Presbyteri vero, vt Dei consessus & Apostolorum Christi collegium. Sine his ecclesia electa non est, non sancta congregatio, non piorum cœtus.

DIACONORVM GRADVS.

EPISCOPORVM EXCELLENTIA.

PRESBYTERORVM DIGNITAS.

Et infrà ibidem:

Reuereamini autē & Episcopum vestrum, vt Christum: quemadmodū nobis beati præceperunt Apostoli. Qui intra altare est, mūdus est. Vnde & Episcopo obedit & Presbyteris. Qui vero foris est, hic est qui sine Episcopo & presbyteris & Diaconis quippiam facit; eius inquinata est conscientia, & est infi-

1. ad Timotheum 3.
EPISCOPI EXCELLENTIA.
SACERDOTUM DIGNITAS.
DIACONORUM GRADUS, ET QUI EX ILLIS SANCTISSIMI.

deli deterior. *Quid est enim Episcopus, nisi qui omni principatu & potestate superior est, & cunctis dominatur, quantum quidem homo dominari potest, factus pro virili sua Dei imitator? Quid autem ordo Sacerdotum, nisi sacer stus & consiliarij atque assessores Episcopi? Quid verò Diaconi, nisi virtutum Angelicarum imitatores, purum & immaculatum ei ministerium exhibentes, vt sanctus STEPHANVS beato IACOBO, TIMOTHEVS & LINVS PAVLLO, ANACLETVS & CLEMENS PETRO? His igitur qui non obtemperat, planè atheus est & impius, & Christum contemnit, & constitutioni eius derogat.*

Ex epistola ad Magnesios:

OBEDIENTIA IN ECCLESIA.

Decet igitur & vos vestro obedire Episcopo, nec in re vlla ei contradicere. Horrendum est enim tali contradicere. Nec enim eum, qui oculis cernitur, fallit; sed eum, qui non cernitur, tentat fallere: qui tamen à nemine falli potest. Quod autem eiusmodi est, non ad hominem, sed ad Deum refertur, Propterea enim dicit Deus Samueli: Non te abiecerunt, sed me. *Et ait Moyses:* Nec enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum Deum. *NEMO MANSIT IMPVNITVS, QVI SE CONTRA SVPERIORES EXTVLIT.*

1. Reg. 8. vers. 7. Exod. 16. vers. 8
SENTENTIA.

Vide ibidem exemplorum è sacris litteris congeriem pro obedientia erga sacros Ministros vindicanda.

Ex epistola ad Philadelphienses:

VNITAS IN ECCLESIA SERVANDA ET SVBORDINATIO.

Principes pareant Cæsari: milites Principibus: Diaconi Presbyteris, vt sacrorum Præfectis: Presbyteri & Diaconi & reliquus clerus simul cum omni populo & militibus & Principibus & Cæsare pareant Episcopo, Episcopus Christo, sicut Christus Patri. Et ita vnitas per omnia seruabitur.

Ex epistola ad Smyrnæos:

Omnes Episcopū sequimini, vt Christus IESVS Patrem; & Presbyterorū collegium, tanquam Apostolos. Diaconos item reueremini, sicut eos, qui Dei mandatum exequuntur. Nemo absque Episcopo quicquam eorum faciat, quæ ad ecclesiam pertinent. Legitima censeatur illa eucharistia, quæ sub Episcopo facta fuerit, aut sub eo, cui ille commiserit. Vbi comparuerit Episcopus: ibi sit & populus: sicut vbi est Christus, ibi & omnis militia cælestis, tanquam Duci Virtutis Domini & totius naturæ intellectualis assistit. Non licet absque Episcopo, neque baptizare, neque offerre, neque sacrificare, neque agapen celebrare: sed quod illi visum fuerit, iuxta Dei beneplacitum: vt tutum sit et legitimum, quidquid feceritis.

Vult proinde vir sanctus nihil in ecclesia fieri, nisi iussu aut permissu Episcopi, quod quidem ad hierarchiam pertineat ecclesiasticam. De negocijs enim sæcularibus, tanquam à se alienis, minime satagit. Nā scribit Paullus Timotheo, vt ab illis se abstineat. *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicat se negocijs secularibus: vt placeat ei, cui se probauit.*

Et infrà ibidem:

2. ad Tim. 2. v. 4. Prouerbiorum 24. versu 21.

Honora fili mi, (*inquit Scriptura*) Deum & Regē: *ego autem dico: Hono-*

ra quidem Deum, vt omnium auctorem & Dominum: Episcopum autem, vt principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem; Dei quidem propter principatum, Christi verò propter sacerdotium. Et secundùm hunc oportet & Regem honorare. Neque enim Deo quisquam maior aut similis in rebus omnibus creatis: neque item in ecclesia maior quisquam Episcopo, qui Deo pro totius mũdi salute sacrificat: neque Regi, qui pacem & legum æquitatem subditis procurat, quispiam est inter Principes similis. Qui Episcopum honorat, à Deo honorabitur: sicut qui eum despicit, à Deo punietur. Si enim contra Reges insurgens punitione dignus meritò erit, tanquam qui communem æquitatem dissoluat; quanto, putatis, deteriore supplicio dignus erit, qui aliquid sine Episcopo facere præsumpserit, & concordiam diruperit, ac bonum ordinem confuderit? Nam Sacerdotium bona omnia humana transcendit: contra quod qui EPISCOPATVS EXCELLENTIA. *furit, non hominem ignominia afficit, sed Deũ ipsum & Christum IESVM primogenitum, & naturâ solum Patris summum Sacerdotem. Quare omnia inter vos bono cum ordine fiant in Christo. Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, quemadmodum ipse Patri.*

Ex epistola ad Heronem Diaconum:

Nihil absque Episcopis faciat. Ipsi enim sunt Sacerdotes: tu autem Minister Sacerdotum. EPISCOPORVM MVNIA. *Illi baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt: tu autem ipsis ministras, vt sanctus Stephanus Hierosolymis Iacobo & Presbyteris.*

Ex epistola ad Ephesios:

Studete carißimi obedire Episcopo, Presbyteris, & Diaconis. His enim qui obedit, Christo obedit, qui eos præfecit. Qui vero eis non obedit, Christo IESV non obedit: qui autem Filio non obedit, non videbit vitam, sed ira Dei Ioannis 3. vers. 36. manet super eum. *Est enim sibi placens & contentiosus & superbus, quisquis maioribus non obedit.*

Hæc porrò, quæ hactenus de obseruantia obedientiáque Ministris REVELATIONES B. IGNATIO FACTÆ. Ecclesiæ debita inculcauit Ignatius, non à se ipso, sed à mouente & dictante Spiritu Sancto dixit, inculcauítque. Quod ipsemet his testatur verbis in epistola ad Philadelphienses: *Magna,* inquit, *voce clamaui inter eos, quibus loquebar: Non meus est sermo, sed Dei: Attendite Episcopo, Presbyteris, & Diaconis. Nam si quis me suspicetur hæc eò dicere, quòd aliquorum diuisionem prædidicerim; testis mihi est ille, propter quem vinctus sum, hæc me non ab ore hominis accepisse, sed à Spiritu Sancto, cuius hæc mihi verba adhuc auribus insonant: Absque Episcopo nihil facite. Carnem vestram, vt Dei templum, custodite. Unitatem amate. Dißidia fugite. Imitatores Paulli estote & aliorum Apostolorum, sicut & ipsi fuere* NIHIL MAGIS COMMENDAVIT S. IGNATIVS, QVAM SVBIECTIONEM ET OBEDIENTIAM ERGA EPISCOPOS. *Christi. Ego itaque, quod meum erat, feci, tanquam homo ad vnitatem compositus.*

Sic ibi S. Ignatius ex Dei reuelatione.

Denique nihil omnino diuinus ille vir, nec impensiùs cõmendauit,

nec fortiùs præcepit, nec sæpius inculcauit, quàm debitam Episcopis & alijs Ecclesiæ ministris subiectionem & obedientiam. Quippe futurum prospiciebat (quemadmodum erat in Dei ipsius & in sanctæ ecclesiæ rebus longè perspicacissimus) vt quàm primùm ea in fideli populo deficerent, statim vna cum illis & FIDES & PIETAS & CARITAS refrigescerent: simúlque prona fieret in varios errores ac hæreses, nullo retinente, prolapsio: à qua ij demum tuti firmíque persisterent, qui legitimis ecclesiæ Præsulibus ac Pastoribus, (quos à Christo regi & gubernari, quàm quoslibet alios, verius est credere) fortiter, constantérque adhærescerent. Ex his autem & illud obseruatu dignum cōsequitur, non tantùm sacris Scripturis, sed etiam Episcoporum traditionibus atque mandatis obtemperandum esse, nec audiendum vllo modo, quicunque alia, quàm ab ijs constituta fuerint, attulerit. Contra tales enim in epistola ad Heronem sic idem exardescit Ignatius: *Quicunque dixerit quippiam, præter ea quæ constituta sunt, tametsi dignus fide sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem colat, tametsi signa edat, tametsi prophetet; lupus tibi censeatur in pelle ouina, ouibus perniciem creans.* Sed hæc de sacris Ordinibus & de obedientia illis debita satis: nunc ad dies festos & alia illis coniuncta procedamus.

TRADITIONES SACRÆ.

CAPVT XXII.

DIERVM FESTORVM CVLTVS ET IEIVNIORVM OBSERVATIO.

DE diebus festis & ieiunijs, non modò obseruanda illa esse, sed etiam quemadmodum & quamobrem obseruanda sint, docet B. Ignatius. Depromam nonnulla ex aliquot eius epistolis testimonia:

Ex epistola ad Philippenses.

QVADRAGESIMÆ IEIVNIVM.

Dies festos nolite contemnere. Quadragesimam nolite spernere. Continet enim imitationem vitæ Domini. Post Paßionis hebdomadam diei quartæ & sextæ ieiunia nolite despicere; ea, quæ vobis superfuerint, pauperibus erogantes. Si quis dominica die aut sabbato, præter vnicum sabbatum, ieiunet; is est Christicida.

QVI FVERINT DIES FESTI IN ECCLESIA TEMPORE B. IGNATII.

Per dies festos intelligit S. Ignatius Pascha, Pentecosten, Dominicas & Sabbata. Nam sabbata ad illud quoque tempus, quo hæc ipse scribebat, in Oriente obseruabantur: non tamen more Iudaicō, sed Christiano; nec vacando ab omni opere; sed cum honestis occupationibus pietati insistendo, & sacros cœtus celebrando. Quod si sabbata seruabantur; multò magis Pascha & Pentecoste: de quibus, (quòd in S. Irenæi vita tractem ex professo;) nihil plus hic addam. De Dominica paullo postea hic dicetur. Plures assignantur dies festi in libris, qui appellantur Constitutionum Apostolicarum: sed illi libri non tam certæ ac indubitatæ sunt fidei, quàm scripta S. Ignatij. In quibus tamen eæ Constitutiones ab Ignatio & sanctis Scriptoribus non discrepant, & Fi-

DEI

DEI ac probis moribus consona sunt, non video cur repudiari debeāt. Ibi igitur lib. 5. cap. 13. ex editione & interpretatione Caroli Bouij Ostunensis Episcopi sic habetur: *Dies festos custodite fratres: in primis diem Natalem, qui celebretur à vobis vigesima quinta noni mensis. Post quem, Epiphaniæ dies sit vobis in maximo honore: quo die Dominus propriam diuinitatem ostendit. Celebretur is sexta decimi mensis. Post quem, seruandum est à vobis ieiunium Quadragesimæ, continens memoriam conuersationis & legislationis Domini.*

IEIVNIVM QVARTÆ ET SEXTÆ FERIÆ.

De ieiunio quartæ & sextæ feriæ primis sæculis vsitato egi in vita S. Iustini Philosophi & Martyris, quæ seorsum ante annos aliquot prodijt, & paullo auctior in suo sæculo (ibo enim per sæcula) reponetur. Tantùm hic adiungo, quod in dictis Constitutionibus lib. 5. cap. vltimo, de eodē ieiunio sic repetitur. *Post hebdomadam ieiunij* (ea est hebdomada proximè consequens octauam Pentecostes) *in omni quarta feria & parasceue præcipimus vobis, vt ieunetis; idque, quod à ieiunio superest, pauperibus præbeatis.* Deinde ibidem de obseruatione Dominicæ & Sabbati, simillima ijs, quæ scripsit B. Ignatius, subiunguntur his verbis: *In omni sabbato, (excepto vno) atque die Dominico conuentus celebrantes exhilaramini. Obnoxius enim peccato est, qui Die Dominico ieiunat, cùm sit dies Resurrectioni dicatus: quique in Pentecoste, atque omnino in die festo Domini, mæstitiam præ se fert. Per hos enim dies exhilarari oportet, non lugere.* Sic ibi.

QVOD SIT SABBATVM QVO VNICO OLIM IEIVNANDVM ERAT.

Sed quæret aliquis, quod sit illud sabbatum, quo vnico ieiunare licet. Respondeo esse sabbatum, quod Resurrectionem Domini proximè antecedit, siue, sabbatum sepulturæ Domini, vt vocant Constitutiones, lib. 7. cap. 2. aut sabbatum Paschalis vigiliæ, vt appellat S. Augustinus in epistola ad Hieronymum. Est 97. inter epistolas S. Hieronymi. De his quia tracto fusiùs in commentario ad epistolas S. Ignatij: propterea pluribus hic supersedens ad alia transeo, & illuc mitto.

Ex eadem ad Philippenses epistola paullo inferiùs:

Siquis Pascha cum Iudæis celebrat, aut symbola solemnitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum & Apostolos eius occiderunt.

QVID SIT CELEBRARE PASCHA CVM IVDÆIS.

Non sunt hæc verba, (vt aliqui rerum & historiarum ignari putauerunt) contra Quartadecimanos, qui in eadem die cum Iudæis pascha seruabant; sed contra eos qui in eadem mensa cum Iudæis Iudaicè agnum edebant, aut eius partes ad se missas manducabant. Alioquin ipsemet Ignatius, quamdiu vixit, itémque S. Polycarpus, adeóque ipse S. Ioannes Euangelista, semper eodem die, quo Iudæi, Pascha celebrarunt. Rationes affero partim in vita S. Irenæi, partim in Commentario ad B. Ignatij epistolas; quæ rationes mihi quidem, & ijs qui accuratiùs illas examinarunt, visæ sunt certæ & inexpugnabiles. Nam Quartadecimani hæretici inceperunt demum secundo sæculo temporibus Victoris Papæ, mortuo pridem S. Ignatio, & illi quidem non tantùm tenebant Pascha celebrandum esse aut celebrari posse lunâ 14. sed etiam alia

alia sentientes condemnabant. Lis demum perfectè decisa est in primo concilio Nicæno, cùm ad illud vsque tempus permissa fuisset in Oriente prisca Paschatis lunâ 14. obseruatio: exinde autem nō obediētes ecclesiæ habiti sunt pro Hæreticis aut Schismaticis: quorum nonnulli vsque ad tempora S. Ioannis Chrysostomi, etiámque vlteriùs perseuerarunt.

Ex epistola ad Trallianos.

Itaque parasceue complectitur passionem; sabbatum sepulturam; Dominica Resurrectionem.

De vtriusque autem tam sabbati, quàm Dominicæ diei obseruatione sic agit in consequenti epistola:

Ex epistola ad Magnesios.

SABBATIZARE IVDAICE. 2. ad Thessalon. 3. Genes. 3. SABBATIZARE SPIRITVALITER.

Ne igitur amplius Iudaicè sabbatizemus, velut gaudentes ocio (quoniam si quis non vult operari, nec manducet. In sudore enim vultus tui vesceris pane tuo *aiunt sacra scriptura:*) *sed vnusquisque nostrûm sabbatizet spiritualiter, legis meditatione gaudens, non corporis remißione: opificium Dei admirans; non hesterna comedens, & tepida bibens, & dimensa spacia ambulans, & saltatione insanisue plausibus gestiens. Et post obseruatum spiritualiter sabbatum, celebret omnis Christi amans Dominicam illam Resurrectionis, illam regalem, illam omnium dierum supremam: quam expectans Propheta dicebat:* In finem pro octaua, *in quâ & vita nostra exorta est, et mortis in Christo parta victoria.* Sic ibi.

Psalmo 11.

Docet igitur beatus Ignatius non corporaliter obseruandum esse sabbatum, ocio & ludis vacando; sed spiritualiter, faciendo ea, quæ sunt spiritus; nempe Dei & Christi legem ac præcepta custodiendo, cáque meditando, & pijs operibus insistendo.

IVDÆORVM MOS IN SABBATIS CIRCA CIBVM, POTVM, AMBVLATIONEM.

Non hesterna comedens, & tepida bibens. Perstringit Iudæorum morem, qui in sabbato comedebant & bibebant pridie cocta & parata, ne violarent sabbatum, ac proinde frigida aut tepida.

Et dimensa spacia ambulans. Nimirum non licebat Iudæis agere sabbatis tantum itineris, quantum vellent, sed summùm duo tantùm milliaria aut eo minus, quod spacium vocabant *iter sabbati.* Actorum 1. versu 12. *Tunc reuersi sunt Hierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, sabbati habens iter.*

Ampliorem huius loci, de sabbato & Dominica, explicationem habeo in commentario ad hanc ipsam B. Ignatij epistolam. Qua de caussa hoc loci non hæreo.

Ex epistola ad Heronem:

Ieiunijs & orationibus vaca, non tamen immoderatè, ne te ipse debilites. Vino & carnibus ne abstineas penitus. Nec enim abominanda sunt. Ait enim Scriptura: Bona terræ comedetis. & Edetis carnes, quasi olera. & : Vinum lætificat cor hominis: *&c.*

Isaiæ 1. vers. 19. Psal. 103.

Hactenus de diebus festis & de ieiunijs: nunc de virginitate, viduitate, matrimonio, quid idem senserit & docuerit B. Ignatius, breuiter dispiciendum est.

CAPVT XXIII.

VIRGINITAS ET VIDVITAS.

COmmendantur hæ ambæ virtutes in compluribus B. Ignatij litteris, vnde hæc paucula excerpta sunt:

Ex epistola ad Tarsenses:

Honorate virgines, tanquam Christi Sacerdotes: pudicas viduas, tanquam altare Dei. id est, sacro quodam & religioso honore Virgines reuereamini, vt Christo consecratas. Nec enim vult dicere Ignatius eas verè ac propriè esse sacerdotes; non magis quàm viduas esse altaria: sed sicut altaria, quæ Deo sunt sacrata, cum omni modestia & reuerentia & pudore, & sacro quodam respectu adeuntur & tractantur, sic adeundas & honorandas esse pudicas viduas. Simile quiddam Ignatio habent Constitutiones Apostolicæ lib. 4. cap. vltimo. Hæc nos pleniùs in commentario.

Virgines et viduæ quomodo honorandæ.

Ex epistola ad Philippenses:

Saluto collegium virginum, & ordinem viduarum: quibus vtinam fruar! id est, quorum sanctimoniæ compos esse velim. Frequentissima est hæc locutio, & ferè S. Ignatio propria: ac proinde tanquam vna ex notis, quibus germanæ eius epistolæ recognoscuntur, alibi à nobis assignata.

Virginum collegia.

Ex epistola ad Philadelphienses:

Mulieres viris subditæ estote in timore Dei: virgines Christo in incorruptione: non abominantes nuptias, sed quod melius est, sectantes: non in coniugij calumniam, sed ad meditationem legis.

Virginitas melior matrimonio.

Et paullo inferiùs:

Virgines Christum duntaxat præ oculis habete & Patrem eius in precibus, illuminatæ à Spiritu. Vtinam vestra fruar sanctimonia, vt Heliæ, vt Iesu filij Naue, vt Melchisedec, vt Elisæi, vt Ieremiæ, vt Ioannis baptistæ, vt dilecti discipuli, vt Timothei, vt Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in castitate vitam exegerunt. Non quasi reliquos beatos vituperem, quòd nuptijs operam dederint, horum commemini (opto enim, vt dignus Deo repertus ad eorum vestigia locum in regno inueniam) ad Abraham, inquam, & Isaac, & Iacob, & Ioseph, & Isaiæ, & aliorum prophetarum, & Petri, & Paulli, & aliorum Apostolorum, qui matrimonij iugum subierunt) sed ex animi mei ad rem istam studio ac propensione, mihi illorum in mentem venit.

Virginitatem observantes.

Et post pauca:

Sint autem & viduæ non vagæ, non gulosæ, non circumcursantes: sed vt Iudith illa pudicissima, vt Anna illa temperantissima.

Ex epistola ad Smyrnæos:

Saluto familias fratrum meorum cum vxoribus & liberis: & eas quæ in perpetua virginitate viuunt: & viduas.

Virgines perpetuæ.

Ex epistola ad S. Polycarpum:

Si quis in castitate ad honorem carnis Domini manere potest, maneat

absque

absque iactantia. Si enim se iactauerit, periit. Et si idem absque Episcopo statuatur, corruptum est.

Quibus in verbis nihil intendit aliud Ignatius, quàm vt virgines humilitatem iungant puritati; neque temere, sed ex consilio Episcopi ad statum perpetuæ virginitatis conuolent. *Si enim secus faxint, corruptũ est*, inquit, id est malè, imprudenter, periculosè, perperam factum. Res enim magna cùm sit, atque ad ecclesiæ vel honorem vel contumeliam admodum spectet; non sine Episcopi consilio fieri debet. De hoc pluribus in Commentario. De fugienda autem virginibus arrogantia, locum huic similem habet in epistola ad Philippẽses: *Siquis castè*, inquit, *aut continenter viuit, non extollatur, ne perdat mercedem.*

Ex epistola ad Antiochenos:

VIRGINES DEO CONSECRATÆ.

Populus Presbyteris & Diaconis subditus sit. Virgines agnoscant, cui se consecrauerint. Quasi dicat; Deo se consecrarunt: ac proinde Deo dignè viuant, vnique tota cura & vnica, velut sponso, adhæreant.

Ex epistola ad Heronem:

Virgines, vt Christi thesauros, custodi. hoc est, maximi æstima, & instar rerũ ob dignitatem atque præstãtiam sepositarũ, & quarum nec vsus quotidianus sit, nec aspectus, perquàm diligenter custodi. Eas S. Cyprianus, in libro De habitu virginum, appellat *illustriorem portionem gregis Christi.* Cui proinde præcipuâ curâ inuigilandum est.

CAPVT XXIV.

MATRIMONIVM.

POst virginitatem & viduitatem, ordine tertio consequitur matrimonium legitimum, seu castitas coniugalis: de qua hæc ab Ignatio præcepta desumo:

Ex epistola ad Philadelphienses:

VXORES QVOMODO DILIGENDÆ.

Viri diligite vxores vestras, vt in Deo conseruas, vt proprium corpus, vt vitæ socias, vt procreationis adiutrices.

Et infrà ibidem:

MATRIMONII DEFENSIO. NVLLI CIBI ABOMINABILES.

Siquis autem hæc quidem confiteatur, sed legitimam copulam & liberorũ procreationem vocet corruptelam & pollutionem, aut cibos aliquos abominabiles; talis inhabitantem in se habet draconem illum apostatam.

Ex epistola ad S. Polycarpum:

MATRIMONIVM NON DEBET FIERI NISI CONSCIO EPISCOPO.

Decet porrò viros & feminas matrimonium inituros, cum Episcopi sententia coniungi: vt secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam celebrentur nuptiæ.

Talis nempe in ecclesia ordo tunc erat, vt omnium ad rectos mores pertinentium, quæ quidem alicuius essent momenti, (quale procul dubio, præsertim id temporis, erat matrimonium) cõscius & quasi arbiter fieret Episcopus. Permulta enim & permagna propter infideliũ

cum

cum fidelibus permistionẽ exoriri poterant circa nuptias incommoda. Quorum etiam caussâ multæ sunt à Paullo Apostolo & Doctore Gentium dictæ leges. Ad earum porrò excubare obseruationem, cuius ordinis fuit, nisi Episcoporum? Iure igitur & prorsus sapienter à sancto martyre prouisum est, vt non clam ex impetu concupiscentię, sed habito Episcopi consilio secundùm Deum celebrarentur nuptiæ.

Ex epistola ad Antiochenos:

Viri coniuges ament, memoria tenentes vnam vni in creatione, & non plures vni datas esse. Feminæ viros suos honorent vt propriam carnem; neque ex nomine eos compellare audeant. Sint autem castæ, solos viros suos pro coniugibus reputantes, quibus & ex voluntate Dei coniunctæ sunt.

VNIVS VIRI VNI A DEBET ESSE VXOR

VXORVM ERGA CONIVGES REVERENTIA.

CAPVT XXV.

CARITAS ET CONCORDIA CHRISTIANORVM.

DE virginitate, viduitate, matrimonio hactenus: pauca nunc è multis de caritate & concordia, quàm singulariter in ijsdem epistolis commendauit, indidem proferamus.

Ex epistola ad Trallianos:

Obsecro igitur vos, non ego, sed caritas IESV Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.

CAVENDA IN CHRISTIANIS SCHISMATA.

Et infra:

Obsecrant vos vincula mea; quæ propter IESVM Christum circumfero, orans vt Deum assequar, permanete in mutua concordia & oratione.

Et ad extremum:

Valete in Domino IESV Christo, subditi Episcopo, similiter & Presbyteris & Diaconis: & omnes singillatim mutuò vos diligite corde indiuiso.

CARITAS INDISSOLVBILIS.

Ex epistola ad Magnesios:

Quare concordibus animis inter nos amemus: & nemo secundùm carnem proximum spectet; sed in Christo IESV. Nihil in vobis sit, quod vos possit diuidere; sed coniuncti Episcopo estote, per ipsum subditi Deo, in Christo.

Et infrà:

Subditi estote episcopo, & inuicem alij alijs, vt Christus Patri; quò sit inter vos diuina quædam coniunctio.

DIVINA INTER CHRISTIANOS CONIVNCTIO.

Ibidem ad finem:

Valete in concordia, indiuisum possidentes spiritum, in Christo IESV, per Dei voluntatem.

Ex epistola ad Philippenses:

Diligite vos inuicem in Domino, tanquam Dei simulacra. hoc est, tanquã imagines Dei, ipsi Deo caras. Gręcè est vox ἀγάλματα, significãs ea potissimè simulacra, quibus quis gaudeat & delectetur. Quâ voce vsus quoque est Catechismi Romani scriptor, parte, 3. cap. 5. quæstiuncula 5. *Quòd sint*, inquit, *immortalis Dei quasi quædam simulacra.* Vide plura

AMANDVS PROXIMVS TANQVAM DEI SIMVLACRVM ET IMAGO.

plura in commentario nostro ad hanc epistolam.

Ex epistola ad Philadelphienses:

DISSIDIA INTER CHRISTIANOS FVGIENDA. Actor. 8 ver. 23.

Vbi animorum est dissensio & ira & odium, ibi Deus non habitat. Omnibus proinde pœnitentiam agentibus dimittit Deus, si ad vnitatem Christi & concilium Episcopi cõcurrant. Confido gratia IESV Christi, eam dissoluturam vobis omnem obligationem iniquitatis. Obsecro igitur vos, vt nihil per contẽtionem faciatis, sed secundùm Christi disciplinam.

Ex epistola ad Ephesios:

CONCORDIA POPVLI CVM EPISCOPO ET PRESBYTERIS.

Decet vos eiusdem cum Episcopo esse sententiæ, qui secundùm Deum vos pascit: quod ipsum facitis à Spiritu sancto edocti. Nam meritò prædicandus ordo Presbyterorum, & verè Deo dignus, ita congruit cum Episcopo; sicut chordæ in cithara. Adeo sunt in concordia & caritate (cuius auctor & custos est IESVS Christus) mutuò colligati. Date proinde & vos singuli operã vt vnus chorus efficiamini: quò in concordia consonantes, & Deo in vnitate coniuncti, vnum consensione animorum sitis Deo Patri, & dilecto filio eius IESV Christo, Domino nostro. Dicit enim: Pater sancte, da eis vt sicut ego & tu vnum sumus; ita & ipsi in nobis vnum sint. *Quocirca expedit vos in perfecta vnitate Deo coniunctos, imitatores esse Christi; cuius & membra estis.*

Ioannis 17 versu 21 & seqq.

Et infrà ibidem:

CARITAS CHRISTIANORVM.

Gaudeo igitur propter vos, quòd nõ attendatis vanitati, nec secundùm carnem ametis; sed secundùm Deum. Verùm & pro alijs hominibus sine intermissione orate *(est enim illis spes pœnitentiæ) vt Deum consequantur.* Nunquid enim, qui cadit, non resurgit? & qui auersus est, non reuertitur? *Conuertite ergo illos, vt vestri fiant discipuli. Istote vos Dei ministri, & os Christi. Ait enim Dominus:* Si separaueritis preciosum à vili, quasi os meum eritis.

1 ad Thessal 5. ver 16. Ieremiæ 8. v. 5. Ierem 15. ver. 19.

Ita vir longè mitissimus expansis latissimæ caritatis suę brachijs omne hominum genus complectitur, atque ad IESVM Christum, si qui fortè deuient, & per se & per suos traducere nititur. Hoc enim qui faciãt; verè Dei ministros esse & os Christi, id est, *pro Christo*, vt loquitur Paullus, *legatione fungi*, & quasi eius ore loqui. Est enim legatorum in fungenda legatione, non sua, sed eius, qui mittit, verba loqui. Hinc & illorum verborum Ieremiæ cap. 15. quæ idem martyr subdit, planissimus fit sensus: Ait enim Dominus, inquit, *Si separaueritis preciosum à vili, quasi os meum eritis,* hoc est, si populum meum aliàs mihi carum, & preciosum à Deorum simulacris, & erroribus vitiorum, rebus scilicet vilissimis atque turpissimis, quibus insanè inhærent, & quasi conglutinati sunt, abstraxeritis; tum verè ostendetis vos esse quasi os meũ; & in ijs ad me conuertendis officio meo fungi; neque ex vestro, sed ex meo ore loqui; non verba vestra, sed mea. Sic Act. 3. dicitur Deus loqui per os prophetarum. Sic Ioannis 14. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Et rursus: *Sermonem quem audistis, non est meus; sed eius, qui misit me, Patris.* Verùm ad verba Ignatij.

2. Cor. 5.

LOCI IEREMIÆ EXPLICATIO.

Ibidem

Ibidem inferiùs.

Quin nec vlla diaboli machinatio vos latebit. si, vt Paullus, perfectam in Christum fidem, caritatémque habueritis: quæ vitæ sunt principium & finis. Nam principium vitæ, fides; finis autem, caritas. Hac autem simul iuncta hominem Dei perficiunt. Nam alia omnia probitatem consequuntur. Nemo, qui fidem annunciat, peccare debet: neque, qui caritate præditus est, odisse fratrem. Sic ibi.

FIDES ET CARITAS VITÆ PRINCIPIVM SVNT ET FINIS.

Post has virtutes ex ore sanctissimo deductas & propalatas, quidnam idem beatus martyr de hęreticis senserit, docuerit, scripserit, considerandum est.

CAPVT XXVI.

DE HÆRETICIS: ET QVID IIS FACIENDVM.

QVæ tempore B. IGNATII, grassabantur hæreses, eæ vel sanctissimam diuinarũ personarum Trinitatẽ pręcipuè impetebant, vel Christi diuinitatem, incarnationem, passionem, resurrectionem impugnabãt. Refutat porrò ipse Ignatius nominatim hęreses Simonis magi, Menandri, Basilidis, Ebionis, Nicolaitarum, Theodoti, Cleobuli.

Docet igitur 1. hæreticos fugiendos & auersandos. 2. si contingat aliquando, vt fit, præter expectationem audiri falsam eorum doctrinam & prauos errores; tum aures statim obturandas esse, atque ipsorum dictis obsurdescendum. 3. non eos tamen persequendos, nec occidẽdos; sed mansuetudine & lenitate vincendos. 4. pro ijs fundendas ad Deum preces, vt conuertantur. 5. pœnitentes atque ad ecclesiæ vnitatem redeuntes, cum omni humanitate recipiendos.

CIRCA HÆRETICOS QVÆNAM OBSERVANDA SINT.

Ex epistola ad Trallianos.

1 *Quare fugite impias hæreses. Diaboli enim sunt inuentiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem decepit Adam, primum generis nostri patrẽ. Fugite & malas eius propagines, Simonem primogenitum eius filium, & Menandrum, & Basilidem, & totam illius malicia colluuiem, hominum adoratores: quos & Ieremias Propheta maledictos appellat. Fugite & impuros Nicolaitas, falsum nomen ferentes, voluptatum amatores & sycophantas. Fugite denique illam Maligni progeniem, Theodotum & Cleobulum, qui fructum progignunt mortiferum: quem si quis gustauerit, confestim moritur, non temporali illa morte, sed æterna.*

HÆRESIARCHARVM QVORVNDAM RECENSIO.

Et rursus indidem:

Obsurdescite igitur, cùm quis locutus vobis fuerit secluso IESV Christo, filio Dei, qui natus est ex Dauid, ex Maria: qui verè genitus est, & ex Deo, & ex Virgine; sed non eodem modo. &c. id est, aures obturate, cùm quis dixerit filium Dei non esse natum ex virgine, & ex progenie Dauid. Est enim natus ex Virgine, & est natus ex Deo: *sed non eodem modo. Nec enim idem est Deus & homo,* inquit.

AVRES OBTVRANDÆ HÆRETICIS

Vbi Notandum illam vocem *idem* non esse masculini generis (faceret enim orationem falsam, cùm verè idem Christus, sit Deus & homo) sed neutri, cùm sit græcè ταὐτὸ, sicque efficere veram orationem. Deus enim & homo non sunt idem, sed diuersa, seu duæ naturæ diuersæ. Dicit proinde Christum nõ eodem modo natum ex Deo & ex Virgine. Quia ex Deo natus est, vt Deus; ex Virgine, vt homo. Ex Deo natus est ab ęterno: ex Virgine in tempore. Ex Deo sine matre: ex Virgine sine patre.

Ex epistola ad Ephesios.

Cognoui quosdam per vos transiuisse peruersam tenentes doctrinam peregrini & maligni spiritus: quibus aditum ad seminanda zizania non dedistis. Nam aures obturastis, ne quem ipsi annunciabant errorem exciperetis, certi scilicet illum populi seductorem spiritum, non ea quæ Christi sunt, sed sua ipsius loqui.

Hactenus de fuga & auersatione hæreticorum: nunc de caritate & mansuetudine erga illos.

Ex epistola ad Philadelphienses:

Psal. 138. v. 21. NON PERSEQVENDI, NEC VERBERANDI HÆRETICI.

Quecirca oportet vos odisse eos, qui oderunt Deum, & super inimicos eius tabescere: non tamen verberare eos, nec persequi, sicut Gentes, quæ non nouerunt Dominum & Deum: sed hostes quidem reputare, & ab ijs secedere, admonere tamen illos, & ad pœnitentiam cohortari; si fortè audiant, si fortè manus dent. Benignus est enim Deus noster, & omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. IDCIRCO solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. *Cuius bonitatis volens & nos Dominus esse imitatores ait.* Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.

Matthæi 5. v. 45. Ibidem ver. 48. Ad Galat. 5. ver. 10.

Ita ibi de non verberandis aut persequendis hæreticis: nunc de ijsdẽ humilitate, mansuetudine, oratione vincendis. Intelligit autem beatus vir de priuata auctoritate. Nullus dum enim Christianorum in publica tum erat; aut si erat, nihil hoc in genere ob altiorem aliam potestatem poterat.

Ex epistola ad Ephesios:

HÆRETICI MANSVETVDINE VINCENDI.

Contra eorum iras estote vos humiles: contra eorum maledicta preces continuas opponite: ipsis errantibus state vos firmi in fide. Vincite agrestes mores mansuetudine, iracundiam lenitate. BEATI ENIM MITES. Et Moyses erat mitissimus super omnes homines. Et Dauid admodum mansuetus.

Matthæi 5. v. 4.

Ex epistola ad Philadelphienses.

IIDEM POENITENTES IN ECCLESIAM RECIPIENDI ET HVMANITER TRACTANDI.

Quare obsecro vos in Domino, vt quotquot ducti pœnitentia ad ecclesiæ redierint vnitatem, eos cum omni mansuetudine recipiatis: vt per bonitatem & patientiam vestram à diaboli laqueo resipiscentes, & digni IESV Christo facti, salutem æternam in Christi regno adipiscantur.

Hæc sunt præcipua, quæ à sanctissimo illo & vetustissimo Patre in caussa hæreticorum mihi visa sunt, ad doctrinam nostram morésque

moréſque Chriſtianos è penu Ignatiano depromenda. In quibus quidem hoc dignum eſt obſeruatu, nonnulla quibuſdam poſſe videri ab eo ſatis acerbè atque aſperè ac velut amaro animo dicta, præſertim ea, quæ ſuperiori capite, §. *Vigilantia* annotaui; vbi hæreticos appellat canes, ſerpentes, dracones, aſpides, baſiliſcos, ſcorpios, thoas aſtutos, ſimios hominum imitatores, & ſi qua alibi ſimilia: verùm hæc è zelo honoris Dei, non ex malo animo, nec in cuiuſquam perniciem, ſed in cautelam ſimplicium contra obſtinatos protecta ſunt. Nam is erat ſanè mitiſſimi Ignatij & ardentiſſimi martyris animus: vt eius primus ad hæreticos ingreſſus, via ſanctæ caritatis & manſuetudinis fieret, cunctáque ad eos deuinciendos delenifica remedia tentarentur: at ſi illa non ſuccederent, aut ſi etiam arrogantiores pertinacioréſque redderent: tum alia ratio contraria iniretur, & quos lenis aura ſuauiter non demulſiſſet, impetus vehementioris ſpiritus tanquam cedros Libani fortiter confringeret. Sic enim à magiſtris ſuis Petro, & Paullo, & Ioãne acceperat: ſic à magiſtro magiſtrorum Chriſto Domino, (quo alioqui nihil mitius erat, nihil benignius) didicerat. Is enim, quàm ſuauis erat & quàm humanus in peccatores & quoſuis alios doceri ac corrigi faciles; tam erat in ſuperbos Scribas & Phariſæos, & in quoſcunque præfracto ingenio diſciplinam reſpuentes aſper ac ſeuerus. Hinc eſt illa eius perquam amara increpatio: *Progenies viperarum, quomodo poteſtis* *Matthæi 12. ver 34.*
bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Et iſta in *Ibid. cap. 23.*
vno eodemque capite térque quatérque intorta: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ* &c. cum illa ſuperadiectione: *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Similia quædam & S. Ioannes Baptiſta, & alij Sancti, thyrſo diuini honoris percuſſi, abſque vlla peccati nota, in ſuperbos & contumaces vſurparunt. Ita & Ignatius, modeſtiæ ceteroqui & manſuetudinis laude multò commendatiſſimus. Verùm de hoc toto genere in præſenti ſatis: nunc ad aureas eius ſententias gradum promoueamus.

CAPVT XXVII.

Sententiæ quædam inſigniores, & apta ad probos mores monita è S. Ignatij ſcriptis collecta.

QVæ hactenus in medio poſuimus grauiora atque ad fidem rectúmque Eccleſiæ ſtatum pertinentia documenta, hæc plenæ inſtar meſſis fuerunt: quas verò hîc producemus eiuſdem Martyris ad morum conformationem aptas ſententias, aut acuta, appoſitíſque ornata ſimilibus monita, hæc cuiuſdam inſtar ſpicilegij futura ſunt, eáque virtutum quidem auaris (è quibus & ego eſſe velim) minimè contemnenda.

§. 1. DE BONORVM ANIMABVS.

Ex epist. 1. ad Mariam.

Bonorum animæ purißimis fontibus sunt similes. Quemadmodum enim purißimi fontes prætereuntibus, tametsi non sitiant, tamen hauriendi potus iniiciunt desiderium; sic bonorum animæ ad virtutum suarum participationem alios pertrahunt.

§. 2. DE PIORVM ET IMPIORVM NOTIS.

Ex epist. ad Magnesios:

Duas in hominibus notas inueniri dico: & vnam quidem veri numismatis; alteram autem adulterini. Homo pius, numisma est à Deo signatum: impius verò falsum numisma est, adulterinum, illegitimum, ementitum, non à Deo, sed à diabolo effictum. Non duas hominum naturas dico; sed vnum eundémque hominem iam Dei esse, iam diaboli. Si quis enim homo piè agat, Dei est: si impiè, diaboli: non naturâ talis effectus, sed sua sponte. Infideles imaginem gerunt Principis nequitiæ: fideles autem imaginem habent Regis, Dei Patris & IESV Christi: propter quem nisi voluntariè paratißimus pro veritate in paßione eius commori, vita eius in nobis non est.

LIBERVM ARBITRIVM

Nota hic per transennam confirmari à sancto martyre liberum arbitrium: in eo scilicet, quòd dicit hominem non fieri naturâ mancipium diaboli, sed sua sponte.

2. ad Timot. 2.

Nota 2. in postrema sententia de commoriendo in passione Christi, eum videri respicere ad illud Paulli, 2. ad Timotheum 2. versu 11. *Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos.*

§. 3. DE CHRISTIANI NOMINIS DIGNITATE.

Ex epist. ad Magnesios.

Decet vos non solùm vocari Christianos, sed etiam esse. Nec enim vocari, sed esse, beatum facit.

Et infrà.

Isaiæ 62. ver. 2. Ibidem ver. 12.

Itaque digni euadamus cognomento, quod accepimus. Qui enim nomine alio, quàm hoc appellatus fuerit, hic non est Dei: neque prophetiam recepit de nobis dicentem: Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Et erit populus sanctus. Quod & impletum est primò in Syria. Nam cognominati sunt primùm Antiochiæ discipuli, Christiani; Paullo & Petro fundantibus ecclesiam.

Actor. 11. ver. 25. & 26.

Nota hic non sine caussa, cùm de Antiochenæ ecclesiæ fundatione agitur, Paullum nominari ante Petrum. Nam ibi Paullus ante Petrum fuit, & laborauit, & vnà cum Barnaba multos ad Christi fidem conuertit. Barnabas enim ab Apostolis primus eò missus fuerat, & apposuerat turbam multam Domino, vt scribitur in Actis Apostol. capite XI. vbi & subditur: *Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia; & docue-*

docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani. Tum autem Petrus necdum venerat Antiochiam. Vnde non admodum mirarer, si quis diceret primitus ab Ignatio scriptum fuisse: *Paullo & Barnaba fundantibus ecclesiam*. Simul enim illi fundarunt, & simul abscesserunt, & simul eodem rursus redierũt, Act. XII. & XIII. & iterum simul egressi, rursus ab alijs Apostolis remissi fuerunt, missis à concilio Hierosolymitano ad eos litteris, Act. XV. vbi & dicitur: *Demorabantur Antiochiæ docentes & euangelizantes cum alijs pluribus verbum Domini*. Quare haud dubium, quin illis Antiochenam fundantibus ecclesiam, Paullo, inquam, & Barnaba, cognominati sint illic discipuli Christiani. Nam id non obscurè, sed euidenter & expressè ipsa Actorum verba paullò antè posita significant. Vnde magis magísque incitor, vt credam primò scriptum ab Ignatio fuisse, *Paullo & Barnaba*, non *Paullo & Petro*: audaculũ verò quempiã considerantem Petrum aliquando Antiochiæ fuisse, sedemque inibi constituisse Pontificiam, inconsideratè loco Barnabæ constituisse Petrum: qui dum Petro sollicitiùs prospicit, præcipuam suam laudem & multo quidem verissimam Barnabæ surripit. Nam si Paullus ecclesię illius meretur fundator appellari; certè nihilo minùs: immo magis Barnabas; quippe qui priùs & diutius Paullo ibi sementẽ fecit, & in partem laboris Paullum accersiuit. Quod si autem ita B. Ignatius scripsit, vt habemus, (nec enim planè reijcio) tum non videtur alia ratio, cur Paullus nominatus sit ante Petrum, quàm quòd prior Antiochiæ fuerit & laborarit: vt antè indicaui. Absolutè tamen vocari etiam potest, & meritò vocatur Petrus Antiochenæ ecclesiæ fundator: quòd eius fuerit primus Episcopus, ibíque pluribus annis, quàm vllus alius Apostolus constiterit. De his verò in S. Barnabæ Apostoli gratiam, vt debitus ei honos reddatur, in præsentia satis: nunc intermissa repetamus.

Ex epist. ad Ephesios.

Qui se profitentur Christi esse, non ex ijs quæ dicunt tantùm; sed etiam ex ijs quæ faciunt, cognoscuntur. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur. *Melius est tacere & esse, quàm dicere & non esse.* Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Matthei 12. ver 33. 1. Cor. 4. ver. 20.

Ex epist. ad Polycarpum.

Christianus sui potestatem non habet; sed Deo vacat: id est, si ecclesia Dei operà eius indigeat, seu obeundæ legationis, seu aliquorum negociorum in commune bonum religionis administrandorum gratia, ijs vacare debet.

§. 4. DE VERIS AC SOLIDIS BONIS.

Ex epist. ad Smyrnæos.

Locus & dignitas & diuitiæ neminem inflent: ignobilitas & penuria neminem deijciant. Totum enim est fides in Deum; & Spes in Christum, (quæ est fruitio bonorum, quæ expectantur) & Caritas erga Deum & proximum.

§. 5. DE PRÆSENTIA DEI.

Ex epist. ad Ephesios:

Nihil latet Dominum: sed & occulta nostra coram ipso sunt. Quare omnia faciamus, tanquam ipso in nobis habitante: vt simus templa eius, & ipse in nobis Deus.

Sic & Heronē suum hortabatur, vt memor Dei esset, velut semper & vbique præsentis scilicet, & omnia intuentis: tanquam id futurum esset contra peccata omnia firmissimum munimentum. *Memor esto Dei,* inquiebat, *& nunquam peccabis.* Quod græcè sic efferebat: *Μέμνησο τοῦ θεοῦ, καὶ οὐχ ἁμαρτήσεις ποτέ*: Cum quo cohortatu aptissimè concordat aurea illa S. NILI Abbatis sententia: *Ἀεὶ μνημόνευε τοῦ θεοῦ· καὶ οὐρανὸς ἡ διάνοιά σου γίνεται.* Quam memoriæ caussa versu sic effero.

Vsque memento Dei: sic fiet mens tua cælum.

§. 6. DE MANSVETVDINE SVPERIORVM IN SVBDITOS.

Ex epistola ad Polycarpum.

Omnes suffer, quemadmodum & te Dominus. Omnes in caritate sustine, vti & facis. Et paullò pòst: *Omnium porta morbos, vt perfectus athleta, sicut & Dominus omnium. Nam ipse dicit:* Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. *Vbi plus laboris, plus & lucri. Si bonos discipulos ames, non est tibi gratia. Pestilentiores igitur potiùs in mansuetudine subijce. Non omne vulnus eodem curatur emplastro. Accessiones morborum vehementiores insusionibus seda.* Hos etiam flores collegit, Antonius Melissa, & vera item apis, B. Ioannes Damascenus; qui & in librum 2. suorum Parallelorum retulit.

Isaia 53 ver. 4. Matthæi 8. ver. 17.

Antonius Melissa l. 2. ser. 42.

§. 7. DE INFERIORVM ERGA SVPERIORES OFFICIO.

Ex epistola ad Ephesios.

Quemcunque mittit Dominus ad familiam suam gubernandam, sic eum suscipere debetis, vt eum ipsum, qui misit.

Ex epistola ad Magnesios.

Nemo mansit impunitus, qui contra Superiores se extulit.

Alias eiusdem S. Patris & Martyris sententias, & alia Christianæ disciplinæ breuia monita, (quibus confertæ sunt eius epistolæ) poteram hoc loco producere: sed quòd aliqua in ijs litteris contineantur, quas vitæ intexui; ex alijs autem ea decerpserim, quæ vsu fructúque præcipua iudicaui; hisce ego contentus, & huic spicilegio finem imponens, ad ea perlustranda, quæ nobis homines Græci, ad laudum eiusdem S. Martyris cumulum velut pro symbolo conferunt, animum nunc aduertam.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Menæi Græcorum de B. Ignatio illustria monumenta.

DVobus in locis complectuntur Græcorum sacræ tabulæ, B. Ignatij memoriam: vno ad diem vigesimam Decembris, vbi felix eius natalis celebratur: altero ad Ianuarij vndetrigesimam, vbi eiusdem martyris sacratum Reliquiarum reportatio perscribitur. Vtrumque hic ordine prosequendum. Itaque primò de eius natali: de quo ad vigesimam Decembris sic reperio.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, εἰκοστῇ, μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου.

Eodem mense, vigesima die, memoria sancti martyris Ignatij Theophori.

Λέουσιν Ἰγνάτιε δεῖπνον προὐτέθης,
Κοινωνὲ δείπνου μυστικοῦ θάρσους λέον.

Proyceris esca, ô Ignati, Leonibus:
Sed pastus escâ mysticâ pares leo.

Εἰκάδι Ἰγνάτιος θάνε γαμφηλῇσι λεόντων.

Vicenâ Ignatium malæ absumpsêre leonum.

Οὗτος ἦν διάδοχος τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν Ἀντιοχέων ἐκκλησίας δεύτερος μετ' Εὐόδιον πατριάρχης καταστὰς, μαθητὴς γενόμενος Ἰωάννου τοῦ θεολόγου ἅμα Πολυκάρπῳ τῆς Σμυρναίων ἐκκλησίας προέδρῳ.

Fuit hic Apostolorum successor, & ecclesiæ Antiochenæ secundus post Euodium cōstitutus patriarcha, Ioannis Theologi, vnà cum Polycarpo ecclesiæ Smyrnensis Episcopo discipulus.

Προσήχθη δὲ Τραϊανῷ τῷ βασιλεῖ διαβαίνοντι ἐπὶ Πάρθους, καὶ πολλὰ αὐτῷ διαλεχθεὶς, καὶ τὸ ἀμετάθετον αὐτοῦ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως γνωρίσας τῷ βασιλεῖ, αὐτίκα μολιβδίναις σφαίραις τύπτεται· καὶ τὰς χεῖρας ἁπλωθεὶς πῦρ ὑποδέχεται· παπύροις ἐλαίῳ λιπανθεῖσι τὰς πλευρὰς φλέγεται· ἐπ' ἀνθράκων ἵσταται· σιδηροῖς ὄνυξι ξέεται.

Adductus est autem ad Traianum Imp. contra Parthos proficiscentem, & multa cum eo collocutus, atque immutabilem suā in Christum fidem Imperatori professus, mox plumbeis pilis tunditur: & manibus expansis ignem suscipit: papyris oleo inunctis latera aduritur: ardentibus carbonibus imponitur: vngulis ferreis laceratur.

Ἀνώτερος δὲ τούτων γενόμενος ἀπεστάλη δεδεμένος ὑπὸ δέκα στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ τοῖς θηρίοις γενέσθαι βορά.

His autem cùm superior euasisset, vinctus sub decem militum satellitio Romam mittitur, futurus bestijs cibus.

Στηρίξας οὖν τὰς κατὰ πόλιν ἐκκλησίας, ἐν αἷς διήρχετο, εἰς τὴν Ῥώμην ἀχθεὶς προσηύξατο ὑπὸ τῶν θηρίων βρωθῆναι. ἵνα, φησὶν, ἄρτος γένωμαι καθαρὸς τῷ θεῷ· ὅθεν βληθεὶς εἰς τὸ ἀμφιθέατρον ὑπὸ τῶν ἀφεθέντων ἐπ'

Confirmatis igitur singularum vrbium ecclesijs, quas præteribat, Romam perductus precabatur à bestijs deuorari: *vt Deo*, inquiebat, *panis purus efficiar.* Vnde productus in amphitheatrū à dimissis contra

contra se leonibus discerptus est: qui crassiora dũtaxat eius ossa dereliquerunt: quæ collecta Antiochiam reportata sunt.

αὐτὸν λεόντων διεσπάσθη, καταλιπόντων μόνον τὰ παχύτερα τῶν ὀστέων αὐτοῦ· ἃ συλλεγέντα ἀπεκομίσθησαν εἰς Ἀντιόχειαν.

Hic autem erat beatus ille, quem adhuc paruulum, vt aiunt, tenuit Dominus, & sinu complexus dixit: *Nisi quis se humiliauerit, vt puer hic, non intrabit in regnum cælorum. Et qui vnum talium puerorum in nomine meo susceperit, me suscipit.* Ac propterea Theophorus est appellatus. Hunc & sanctus pater noster Ioannes Chrysostomus laudibus honorauit. Celebratur porrò eius conuentus in sanctissima magna ecclesia.

Οὗτος δὲ ἦν ὁ μακάριος, ὃν ἔτι νήπιον ὄντα κρατῆσαί φασι τὸν δεσπότην, καὶ ἐναγκαλισάμενον εἰπεῖν· Ἐὰν μή τις ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· Καὶ ὃς ἕνα τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. διὰ τοῦτο καὶ Θεόφορος ἐκλήθη. Τοῦτον καὶ ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἰωάννης ὁ Χρυσόστομος ἐγκωμίοις ἐτίμησε. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ.

Hactenus vitæ & martyrij epitome: subduntur deinceps odæ quædam, siue, vt sunt re ipsa, piæ laudes & acclamationes.

Theophorus meritò appellatus es, ô beate Ignati: quandoquidem te Dominus, vt naturâ similiter affectus, supremæ philosophię dogmata commonstrans, amplexus est. Tum copiosæ lucis splẽdorem, perinde ac spongia humorem, ex illustrationum abysso hauriens, recepisti. Vnde & Christum Deũ nostrum è vestigio secutus es appellantem: cui, vt animas nostras seruet atque illuminet, supplicato.

Ὁ Θεόφορος καλούμενος ἀξίως, ὅτε ὁ δεσπότης σε, μάκαρ Ἰγνάτιε, ὡς συμπαθὴς ἠγκαλίσατο, φιλοσοφίας τῆς ἀνωτάτω φαίνων τὰ δόγματα. τότε τὴν πολύφωτον αἴγλην εἰσδέδεξαι, καθάπερ σπόγγος τὰ νάματα, ἐκ τῆς ἀβύσσου τῶν φωτισμάτων ἀνιμησάμενος. Ὅθεν κατ' ἴχνος ἠκολούθησας τῷ καλοῦντι Χριστῷ τῷ θεῷ ἡμῶν· ὃν ἱκέτευε σῶσαι καὶ φωτίσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Perfecta sauciatus es caritate: cùm ardens amor tuam, ô sanctissime pater, animam succẽdit, adurgens ad Dominum contendere. Tum celebre illud verbum exclamasti: *Frumentum sum creatoris, & dẽtibus bestiarum me oportet omnino commoli, vt Verbo Deo nostro panis purissimus appaream. Cui, vt animas nostras seruet atque illuminet, supplicato.*

Ὁ τετρωμένος ἀγάπῃ τῇ τελείᾳ, ὅτε ὁ πρηστήριος ἔρως ἀνέφλεγέ σου τὴν ψυχὴν ἱερώτατε, πρὸς τὸν δεσπότην σε κατεπείγων πάτερ πορεύεσθαι. Τότε τὸν ἀοίδιμον λόγον ἐβόησας· Σῖτος ὑπάρχω τοῦ κτίσαντος, καὶ δι' ὀδόντων δεῖ με θηρίων πάντως ἀλήθεσθαι· ἵνα τῷ λόγῳ καθαρώτατος ἄρτος φανῶ τῷ θεῷ ἡμῶν· ὃν ἱκέτευε σῶσαι καὶ φωτίσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Συνε-

Συνεσταυρώθης Χριστῷ ἱεροφάντορ, ὅτε τὸν θεόπνευστον λόγον ἀνέκραξας· Ὁ ἔρως ἐμὸς ἐσταύρωται. Καὶ κοινωνῆσαι τούτῳ τοῦ πάθους λίαν ἐπείγομαι. Ἐντεῦθεν Ἰγνάτιε, καθάπερ ἥλιος ἀνατολῆς ἐξορμώμενος ἐπὶ τὴν δύσιν καταφωτίζων μάκαρ διέδραμες, καὶ βασιλείας διαδήματι ἐκοσμήθης Χριστῷ προσαγόμενος. Ὃν ἱκέτευε σῶσαι καὶ φωτίσαι τὰς ψυχάς.

Christo confixus eras cruci, ô sacrorum interpres, cùm illum à Deo inspiratum sermonem exclamasti: AMOR MEVS CRVCIXVS EST. Atque huius ego affectionis esse particeps admodum anhelo. Inde tu, ô beate Ignati, tãquã sol ab ortu egressus, ad occasum vsque lumen diffundens decurristi, & Christo oblatus regni diademate ornatus es. Cui, vt animas nostras seruet atque illuminet, supplicato.

Θεόφορε Ἰγνάτιε τὸν σὸν ἔρωτα Χριστὸν ἐνστερνισάμενος μισθὸν ἐκομίσω τῆς ἱερουργίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ τὸ τελειωθῆναι δι' αἵματος. Διὸ σῖτος γενόμενος τοῦ ἀθανάτου γεωργοῦ δι' ὀδόντων θηρίων ἠλέσθης, καὶ ἄρτος ἡδὺς αὐτῷ ἀνεδείχθης. Πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν ἀθλητὰ μακάριε.

Quòd Christum amorem tuum tibi impectoraueris, ô Theophore Ignati, mercedem administrationis euangelij Christi hanc reportasti, quòd per sanguinẽ consummatus sis. Quare immortalis agricolæ frumentum cùm esses, bestiarum dentibus commolitus, & suauis ei panis oblatus es. Pro nobis, ô beate athleta, deprecare.

Ὢ τῆς στεῤῥᾶς καὶ ἀδαμαντίνου σου ψυχῆς ἀξιομακάριστε Ἰγνάτιε. Σὺ γὰρ πρὸς τὸν ὄντως τὸν ἐραστὴν ἀνένδοτον ἔχων τὴν ἔφεσιν, ἔλεγες· οὐκ ἔστι ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόυλον· ὕδωρ δὲ μᾶλλον ζῶν καὶ λαλοῦν ἐν ἐμοί, ἔνδοθέν μοι λέγον· Δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. Ὅθεν θείῳ πνεύματι πυρπολούμενος θῆρας ἠρέθισας κόσμου σε θᾶττον χωρίσαι, καὶ πρὸς τὸν ποθούμενον παραπέμψαι Χριστόν. Αὐτὸν ἱκέτευε σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

O solidam & adamantinam tuam animam meritò beatissime Ignati! Tu enim ad illum re verâ amatorem pertinaci anhelans desiderio dicebas: *Non est in me ignis terrenorum amans; sed potiùs aqua viua & in me loquens, atque intus dicens: Huc ad Patrem.* Vnde diuino spiritu inflammatus, bestias, quò te citiùs à mundo separarent, atque ad desideratum tibi Christum transmitterent, irritasti. Illum, vt nostras saluet animas, deprecare.

Καὶ τρόπων μέτοχος καὶ θρόνων διάδοχος τῶν Ἀποστόλων γενόμενος, τὴν πρᾶξιν εὗρες θεόπνευστε τῆς θεωρίας ἐπίβασιν. Διὰ τοῦτο τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοτομῶν, καὶ τῇ πίστει ἐνήθλησας μέχρις αἵματος ἱερομάρτυς Ἰγνάτιε. Πρέσβευε Χριστῷ τῷ θεῷ σωθῆ-

Quum & particeps morum & thronorum Apostolicorum successor esses, ô Deo afflate Ignati, actionem tibi ad contemplationis ascẽsum præmuniuisti. Ea propter verbum veritatis rectè tractans, ô sancte martyr Ignati, etiam

iam pro fide ad ſanguinem vſque decertaſti. Chriſtũ Deum, vt noſtras ſaluet animas, deprecare.

Iucundè diem feſtum agentes oblectemur. Martyr Ignatius eccleſiam Chriſti ad certamen ſuum longè celeberrimum adhortatur.

Cuncti celebrem tui memoriam, ô beatiſſime Ignati, honoramus; & eum, qui caput tuum venerabiliſſimum coronauit, pſalmis, ô multò feliciſſime, celebramus.

Tu eccleſiæ ſplendidiſſimum luminare, ô Ignati, omnes fines terræ colluſtras, & ab Oriente decertans facem præluces Occidenti.

Paulli ſecundùm locum imitans pericula, ô Ignati, etiam in vinculis exiſtens minimè pigratus es Chriſti eccleſias frequentibus epiſtolis tuis confirmare.

Forma ſacri certaminis extitiſti, ô beate, pila tolerantiæ, regula fortitudinis, columna eccleſiæ, fidei firmamentum, virtutis exemplum, precioſis in Chriſto præmijs coronatus.

Verè congruo nomine *Theophorus* es appellatus, ô pater. Adhuc enim admodum paruulus, in manibus Domini geſtatus ſtetiſti ad nos clamantis: *Eſtote mihi, vt hic puerulus.*

Ecquis locus tuis perpeſſionibus non eſt ſanctificatus? In qua parœcia non agnitus es martyr? Aut quis ferè carcer nõ te vinctũ ſuſcepit martyrem Chriſti? Diuinus enim zelus te concitabat.

Frumentum Deo noſtro purum exiſtens exclamabas: *A feris agreſtibus feſtino commoli. Confringantur oſſa mea: deuorẽtur membra mea:*

ναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Φαιδρῶς ἑορτάζοντες εὐωχηθῶμεν. ὁ μάρτυς Ἰγνάτιος ἱερῶς προτρέπεται τὴν ἐκκλησίαν Χριστοῦ ἐπὶ τὴν ἄθλησιν αὐτοῦ τὴν πολυύμνητον.

Τὴν ἔνδοξον μνήμην σου πάντες τιμῶμεν παμμάκαρ Ἰγνάτιε, καὶ ψαλμοῖς γεραίρομεν τὸν στεφανώσαντα τὴν πάνσεπτόν σου κορυφὴν θεομακάριστε.

Φωστὴρ διαυγέστατος τῆς ἐκκλησίας ὑπάρχων Ἰγνάτιε καταλάμπεις ἅπαντα τῆς γῆς τὰ πέρατα, καὶ τὴν Ἑσπέραν δαδουχεῖς ἐκ τῆς ἑῴας ἀθλῶν.

Τοῦ Παύλου μιμούμενος τοὺς κατὰ τόπον κινδύνους Ἰγνάτιε, καὶ ὑπάρχων δέσμιος οὐ κατενάρκησας στηρίζων γράμμασι πυκνοῖς τὰς ἐκκλησίας Χριστοῦ.

Τύπος ἱερᾶς ἀθλήσεως ἀνεδείχθης, μάκαρ, στήλη καρτερίας, καὶ κανὼν ἀνδρείας, καὶ στῦλος ἐκκλησίας, καὶ πίστεως ἔρεισμα, καὶ ἀρετῆς ὑπογραμμὸς ἄθλοις σεπτοῖς στεφανωθεὶς ἐν τῷ Χριστῷ.

Ὄντως φερωνύμως κέκλησαι Θεόφορος πάτερ. Νήπιος γὰρ ἔτι κομιδῇ ὑπάρχων εἰς χεῖρας τοῦ κυρίου φερόμενος, ἵστασο ἀναφωνοῦντος πρὸς ἡμᾶς· Γίνεσθέ μοι, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο.

Ποῖος τόπος οὐχ ἡγίασαι τοῖς παθήμασί σου; ποία παροικία οὐκ ἐγνώσθης μάρτυς; ἢ ποία φυλακή σε σχεδὸν οὐκ ἐδέξατο δέσμιον μάρτυρα Χριστοῦ; ζῆλος γάρ σε θεῖος ἠρέθιζε.

Σῖτος καθαρὸς θεῷ ἡμῶν ἀνεβόας πέλων· Σπεύδω ἀλεσθῆναι ὑπὸ θηρῶν ἀγρίων. θλασθήτω τὰ ὀστᾶ μου· βρωθήτω τὰ μέλη μου· καὶ βρῶμα γένωμαι θηρῶν·

θηρῶν· ἵνα Χριστῷ καθαρὸς ἄρτος ὀφθῶ.

Ξένον μαρτυρίου στάδιον ἱερῶς ἀνύσας, ξένην παρὰ πάντας τοὺς προηθληκότας ἀνδρείαν ἐπεδείξω, τῷ πόθῳ αἰρόμενος τοῦ ἀνενδότου ἐραστοῦ, ὅστις ὡς πῦρ τὴν σὴν ἀνῆπτε ψυχήν.

Ζέων ὡς ἀεὶ τῷ πνεύματι ὁ ἱερόμαρτυς ἔκραξε σὺν πόθῳ ἐν μέσῳ τῶν κινδύνων· Χριστὸν διώκω χαίρων· Χριστῷ συνεσταύρωμαι. ζῶ δὲ οὐκ ἔτι μὲν ἐγώ. ζῇ δὲ, φησὶν, ἐν ἐμοὶ μόνος Χριστός.

Ἐξ ἑώας ἐκλάμψας, ὥσπερ ἀστὴρ, καὶ ἀκτῖσι τῶν λόγων λαμπαδουχῶν, τὸν κόσμον ἐφώτισας, καὶ τὸ σκότος ἐμείωσας. καὶ ὡς ὁ Παῦλος τὸν δρόμον γενναίως διηνύσας, ὑπομείνας κινδύνους ἐν ἔθνεσί τε καὶ πόλεσιν· Ὅθεν καὶ ὡς σῖτος τῶν θηρῶν τοῖς ὀδοῦσιν ἠλέσθης μακάριε προσφορὰ τῷ κυρίῳ σου θεόφορε Ἰγνάτιε· Πρέσβευε τῷ Χριστῷ τῷ θεῷ ὑπὲρ τῶν πλασμάτων.

Χειροθετούμενος ὑπὸ Χριστοῦ τοῦ θεοῦ νῦν κατελάμπρυνας τὴν ἱερὰν σου στολὴν, καὶ μαρτυρίου ἀληθῶς ἐπέτυχες Θεόφορε. Θῆρας γὰρ ἠρέθικας ἐκ κόσμου χωρίσαι σε, Παῦλον ἐκμιμούμενος τὸν θεσπέσιον, ἔνδοξε. Διὸ καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπλήρωσας, πάτερ, ἀξίως τὸ μαρτύριον.

Ἐφαίδρυνας τῇ αἴγλῃ τῶν ἄθλων σου τὴν γῆν ἱερὲ Ἰγνάτιε δεσμώτης ἀπαχθείς· διαδραμὼν γὰρ ὡς ἥλιος ταῖς ἀκτῖσι τοῦ μαρτυρίου τὴν ἑσπέραν ἐξ ἑώας πᾶσαν δᾳδουχῶν κατεφώτισας.

Ὡς Παῦλος δεδεμένος θηρίοις λογικοῖς ἐπὶ Ῥώμην ἔτρεχες Ἰγνάτιε σο-

& cibus bestiarum fiam, vt Christo purus panis appaream.

Nouo martyrij stadio sanctè confecto, nouam præ cunctis antehac athletis fortitudinem demonstrasti, desiderio sinceri amatoris euectus, qui animam tuam, velut ignis, succendebat.

Tanquam spiritu semper exæstuans, cùm desiderio clamauit sanctus martyr in medijs periculis: *Christum gaudens insequor: Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam nō ego, viuit verò in me,* inquit, *solus Christus.*

Ab oriente effulgens, velut stella, radijs sermonum lucem ferentium orbem illuminasti, & tenebras discussisti, & cursum tuum tāquam Paullus generosè consummasti, in nationibus & in vrbibus pericula perpessus. Vnde & tanquam frumentum dentibus bestiarum molitus es, oblatio Domino tuo, ô beate Theophore Ignati. Pro peccatis nostris apud Christum Deum esto deprecator.

Accepta à Christo Deo impositione manuum, nunc sacram tuā stolam collustrasti, & verè martyrium adeptus es, ô *Theophore.* Feras enim, ô gloriose, diuinū Paullum imitans, vt te mundo eximerent, lacessisti. Hinc & Romæ, ô pater, dignè martyrium consummasti.

Certaminum tuorum splendore, ô sancte Ignati, cùm vinctus abductus es, terram collustrasti. Nam solis instar percurrens, martyrij tui radijs vniuersum occidētem facigerulus illuminasti.

Vinctus à feris rationalibus, ô sapiēs Ignati, Romam, sicut Paullus

lus, cucurristi. Verùm ne vinctus quidem confirmare ecclesias destitisti, omnibus Christi Antistitibus per singulas ciuitates scribēs, vt forti essent animo.

φέ· ἀλλ' οὐκ ἐπαύσω καὶ δέσμιος ὢν στηρίζων τὰς ἐκκλησίας, ἐπιστέλλων κατὰ πόλιν πᾶσι τοῖς Χριστοῦ ἱεράρχαις θαρρεῖν.

Bestiarum ora sint mihi iugulatio, & ventres sepulchra, clamabas, ô athleta. Nemo me turbet. Nemo est, qui firmitatem meā emolliat. Ego enim tanquam frumentum commoli festino, vt purus Dei panis inueniar.

Θηρίων μοι γινέσθω τὰ στόματα σφαγὴ, καὶ γαστέρες μνήματα, ἐβόας ἀθλητά. μηδεὶς ὀχλείτω· μηδεὶς μου θρυψει τὸν τόνον. ἐγὼ γὰρ σπεύδω ἀλεσθῆναι, ὥσπερ σῖτος, ἄρτος εὑρεθῆναι θεοῦ καθαρός.

Christi esse festino: Christum solum amo. Totus enim Christi sum, clamabas, ô athleta: ipsum persequor: ad ipsū peruenire propero. Ac propterea & ignē & gladium & bestias omnes perferam, vt eum consequar.

Χριστοῦ σπεύδω γενέσθαι. Χριστοῦ μόνου ἐρῶ. Ὅλος γὰρ Χριστοῦ εἰμι, ἐβόας ἀθλητά. αὐτὸν διώκω· αὐτὸν ἐπείγομαι φθάσαι. Καὶ διὰ τοῦτο πῦρ καὶ ξίφος καὶ θηρία πάντα καρτερῶ, ἵνα τύχω αὐτοῦ.

Feruenti animà certamen tuum peregisti, ô martyr magnanime, amatoris tui amore sauciatus. Christus enim erat amor tuus: quem suspirans & persequens, mala omnia, quamuis laboriosa, fortiter tolerabas.

Διήνυσας τὸ σκάμμα ζεούσῃ τῇ ψυχῇ μάρτυς καρτερόψυχε, τῷ ἔρωτι τρωθεὶς τοῦ ἐραστοῦ σου. Χριστὸς γὰρ ἦν σοι ὁ ἔρως, ὃν ἀναπνέων καὶ διώκων ἐκαρτέρεις πάντων τῶν δεινῶν τὰ ἐπίπονα.

Talis decebat, vt nobis esset sapiens Pōtifex, sanctus, fidelis, impollutus, innocens, dum clamaret Paullus, sanctorum tuorum morum sacram imaginem prædelineabat.

Τοιοῦτος ἡμῖν ἔπρεπε σοφὸς Ἀρχιερεὺς, ὅσιος, πιστὸς, ἀμίαντος, ἄκακος, βοῶν ὁ Παῦλος προϋπέγραφε τὴν ἱερὰν εἰκόνα τῶν ἱερῶν σου τρόπων.

Regulam indeclinabilem & formam piam habentes, vitæ tuæ excellentiam; ad illam, ô pater, incitamur, primæuam adipisci gloriam desiderantes.

Κανόνα ἀπαράτρεπτον καὶ τύπον εὐσεβῆ ἔχοντες τὴν σὴν τοῦ βίου ἀκρόπολιν, πρὸς ταύτην πάτερ ἐναγόμεθα τῆς ἀρχαίας δόξης τυχεῖν ἐπιποθοῦντες.

Paulli rectè facta piè æmulatus cuncta eius pericula sustinuisti, ô sancte martyr meritò admirande, Orientis splendor, & stella Occidentis.

Τὰ Παύλου κατορθώματα ζηλώσας εὐσεβῶς, ὅλους σὺ αὐτοῦ κινδύνους ὑπέμεινας ἱερομάρτυς ἀξιάγαστε, τὸ τῆς ἑῴας φέγγος, καὶ τῆς ἑσπέρας ἀστήρ.

Captiuus ad patiendum abductus, ô sacrorum Antistes Ignati

Δεσμώτης ἀπαγόμενος παθεῖν Ἀρχιερεῦ δέσμιος Χριστοῦ Ἰγνάτιε ἔγραφες

γραφεὶς ταῖς ἐκκλησίαις καὶ ταῖς πόλεσιν, ἐπιστηρίζων πάντας ἐν τῇ ὁμολογίᾳ.

Ὡς στῦλος καὶ ἑδραίωμα καὶ πρόβολος ἡμῶν μάρτυς καὶ ποιμὴν, ἀσάλευτον φύλαττε τῆς ἐκκλησίας τὴν ὁμόνοιαν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς Χριστοῦ ἀληθείας.

Ὡς τὸν ὄντως ἐραστὴν ἀγαπήσας ἀκλινῶς, καὶ τὸ πῦρ τὸ πρὸς αὐτὸν ἀναβλύξας νοερῶς Ἰγνάτιε, τὸ ὕδωρ ἔχες ἐν σοὶ τὸ ζῶν καὶ λαλοῦν.

Εἰ καὶ ἔπιες τοῦ Χριστοῦ τὸ ποτήριον καινὸν, ἀλλ' ἐνέμεινας διψῶν τὸ θανεῖν ὑπὲρ τὸ ζῆν, καὶ ἔκραζες· Οὐδέν μοι ταῦτα πρὸς τὸ τυχεῖν με τοῦ ζῆν.

Τὸ μαρτύριον τῆς σῆς συνειδήσεως πληρῶν οὐκ ἐνάρκησας, ὁρῶν τῶν θηρίων τὰς ὁρμὰς, οὐκ ἔπληξας ὡς σῖτος μέλλων μύλαις ἀλήθεσθαι.

Ὑπερζέων ἀθλητὰ τῇ ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ, πρὸς τὸ πῦρ τῶν πειρασμῶν, ὡς εἰς δρόσον πρωϊνὸν ἀνέτρεχες, ἐκεῖνον φθάσαι τὸ ὄντως ὂν ἐραστόν.

Τοὺς μακροὺς σου πειρασμοὺς καὶ τὰ ἄλυτα δεσμὰ, τοὺς ἐν Ῥώμῃ σπαραγμοὺς, καὶ τὸ πῦρ τῶν διωκτῶν οὐδὲν ἡγοῦ ἱερομάρτυς διὰ τὸν σὸν ἐραστήν.

Τῶν λαμπρῶν ἀγώνων σου ἡ φωσφόρος ἡμέρα προκηρύττει ἅπασι τὸν ἐκ παρθένου τεχθέντα. τούτου γὰρ διψῶν ἐκ πόθου καθατρυφῆναι, ἔσπευσας ὑπὸ θηρίων ἀναλωθῆναι. Διὰ τοῦτο καὶ Θεόφορος προσηγορεύθης Ἰγνάτιε ἔνδοξε.

Ἀβραὰμ μὲν ποτε τὸν υἱὸν ἐθυσίασε, τὴν σφαγὴν προτυπῶν τοῦ τὰ πάντα κατέχοντος, καὶ νῦν ἐν σπηλαίῳ σπεύ-

vinctus Christi ecclesijs & vrbibus scripsisti, omnes in fidei confessione confirmans.

Vt columna & firmamentum & propugnaculum nostrũ, ô martyr & pastor, incõcussam custodi ecclesiæ concordiam in veritatis Christi confessione.

Vt verè amatorem constanter amans, & ignem erga illum spiritualiter emittens, Ignati, aquam habebas in te viuam & loquentem,

Tametsi nouum Christi calicem biberas; tamen sitibundus moriẽdi, præ quàm viuendi, permanebas, & clamabas: *Nihil mihi ista ad vitam consequendam.*

Conscientiæ tuæ testimonium explens, haudquaquã obtorpuisti ferarum respectans impetus; neque inhorruisti, tanquam frumẽtum molaribus commolendum.

Christi caritate exæstuans, ô athleta, ad ignem tentationum, tanquam ad rorem matutinũ cucurristi, vt ad id, quod verè est amabile, peruenires.

Longas tuas tentationes, & indissolubilia vincula, & in vrbe Româ cõuulsiones, & ignẽ persecutorum, nihili, ô sancte martyr, propter amatorẽ tuum reputasti.

Splendidorum tuorum certaminum dies lucibaiula cunctis eum, qui è virgine natus est, prænunciat. Illius enim frui delicijs ex amore sitiens, consumi à bestijs festinasti. Hinc & THEOPHORVS, ô gloriose Ignati, appellatus es.

Olim quidẽ Abraham filiũ immolauit, cædem eius præfigurans, qui continet omnia; & nũc in spe-

lunca gigni properat: tu autem, ô pientissime, totum te, vt victimã, obtulisti, & factus bestiarum cibus, frumentum creatori tuo purum apparuisti, verè in cælestibus horreis perennãs, & in amore tuo delicians; cuius gratiâ vniuerso mundo abs te derelicto beatissimus THEOPHORVS nuncupatus es, ô gloriose Ignati.

Nõ habuisti in te ignẽ terrenorũ appetentem, ô Ignati, sed potiùs aquam viuam & dicentem: *Huc ad Patrem*, aquam salientem, è vitâ in vitam nos transferentem.

Bestiarum dentes, inquit, mihi sint gladij & framea, & cædes: sepulchrum autem, leonum viscera; & ignis ante corruptionem, pellis meæ depascat reliquias.

Mihi viuere in corpore haud est amabile. Spiritu enim viuere concupisco. Mihi viuere Christus, diuinus amor: ad illum festino: ipsum, inquit, amo: eum nancisci expecto.

Mihi dulcis mors, inquit. Suauia mihi omnia, quę in laboribus tristia: bestię iucundę: ros est mihi ignis iste, si vitâ vicissim doner. Hinc & mori propero, vt viuam cum Christo.

Canatur Ignatius, Antistes ille magnus, dupliciter coronatus, & vt martyr, & vt pastor. Is enim ob Dei amorem decertãs, dum amat amari, non recusauit pati.

Passionis Christi calicem sitiens, ô sapiens Ignati, vinctus cucurristi, & in scamma progressus clamare nõ cessasti: Sitio sitire Christum in sæcula.

Cursibus fidei, tanquam sol, à cęli

δοντος τεχθῆναι· σὺ δὲ θεόφορε ὅλον προσήγαγες σαυτὸν, ὥσπερ σφάγιον, καὶ τῶν θηρίων βρῶμα γενόμενος, σῖτος καθαρὸς ὤφθης τῷ κτίστῃ σου, ἐν ἀποθήκαις ἐπουρανίαις διαιωνίζων ἀληθῶς, καὶ τῷ σοῦ ἔρωτος τρυφῶν, δι' ὃν πάντα τὸν κόσμον καταλείψας παμμάκαρ Θεοφόρος προσηγορεύθης Ἰγνάτιε ἔνδοξε.

Οὐκ ἔχες πῦρ φιλόϋλον ἐν σοὶ Ἰγνάτιε· ὕδωρ δὲ ζῶν μᾶλλον καὶ λαλοῦν· δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα, ὕδωρ τὸ ἀλλόμενον, τὸ ἐκ ζωῆς εἰς ζωὴν μεταχετεῦον ἡμᾶς.

Οἱ τῶν θηρῶν ὀδόντες μοί, φησι, γενέσθωσαν ξίφη καὶ ῥομφαῖα καὶ σφαγαί· Τάφος δέ μοι τὰ τῶν λεόντων σπλάγχνα ἔσω, καὶ τὸ πῦρ νεμέσθω μου πρὸ τῆς φθορᾶς, τῆς δορᾶς τὸ ἐγκατάλειμμα.

Τὸ ζῆν ἐμοὶ οὐκ ἔστιν ἐραστὸν ἐν σώματι. Πνεύματι γὰρ ζῆν ἐπιποθῶ. ἐμοὶ τὸ ζῆν Χριστὸς, ὁ θεῖος ἔρως· Πρὸς αὐτὸν ἐπείγομαι. αὐτόν, φησιν, ἀγαπῶ. αὐτοῦ τυχεῖν προσδοκῶ.

Ἐμοὶ γλυκὺς ὁ θανατός, φησιν· ἡδέα μοι πάντα τὰ τῶν πόνων ἀλγεινά· θῆρες τερπνοί, δρόσος πῦρ ἐστί μοι τοῦτο, εἰ τοῦ ζῆν ἀνθέξωμαι. Διὸ καὶ σπεύδω θανεῖν, ἵνα συζήσω Χριστῷ.

Ὑμνείσθω Ἰγνάτιος ὁ μέγας ἱερεὺς διπλῶς στεφανώμενος, ὡς μάρτυς καὶ ποιμήν. ἀθλήσας γὰρ οὗτος δι' ἀγάπην θεοῦ ἐρῶν τοῦ ἐρᾶσθαι, παθεῖν οὐ παρῃτεῖτο.

Διψῶν τὸ ποτήριον τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ δεσμώτης ἀνέτρεχες, Ἰγνάτιε σοφὲ, καὶ φθάσας τὸ σκάμμα οὐκ ἐπαύσω βοῶν· διψῶ τοῦ διψᾶσθαι Χριστὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.

Τοῖς δρόμοις τῆς πίστεως, ὡς ἥλιος, τὴν γῆν

γεν-

γενναίως διέδραμες ἀπ' ἄκρων οὐρανοῦ, καὶ δύνας ἀδύτως ἀπὸ γῆς εἰς Χριστὸν τὸ φῶς συναστράπτεις αὐτῷ τῆς ἀφθαρσίας.

fastigio generosè terram percurristi,& occidens sine occasu à terra in Christum, lumen immortalitatis cum illo vnà coruscas.

Δεσμοῖς κατεχόμενος διώδευσας τὴν γῆν, μυρίσας τοῖς ἄθλοις σου ἡμᾶς τοὺς ἐν αὐτῇ, καὶ νῦν μετὰ τέλος ὥσπερ κρίνον ἀγροῦ καὶ κρίνον πεδίου ἡμᾶς εὐωδιάζεις.

Vinculis constrictus terrā peragrasti certaminibus tuis,in eâ nos perungens , & nunc post metam, velut agri lilium, & lilium campi, bono nos odore imbuis.

Ὁ Θεόφορος ἡμᾶς εἱστίασεν, τοὺς ἱεροὺς ἄθλους προθεὶς ἡμῖν.. Δεῦτε φιλομάρτυρες ἱερῶς δρεψάμενοι τὰ μυστικὰ τῶν τερπνῶν ᾀσμάτων ἄνθη, τὰς κορυφὰς ἑαυτῶν στεφανώσωμεν.

Nos THEOPHORVS opiparè excepit,dum sacra nobis certamina apposuit. Agite martyrum studiosi mysticos iucundorum cantuum flores sanctè decerpentes, capita nostra coronemus.

Τὴν ἱεράν σου στολὴν ἱερώτατε ἱερωτέραν εἰργάσω τοῖς ἄθλοις σου. Διὸ καὶ τὸν στέφανον διπλῶς κοσμησάμενος μετὰ μαρτύρων ὑμνεῖς καὶ τῶν ποιμένων ἱερομάρτυς Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν.

Sanctam tuam stolam,ô sanctissime,sanctiorē tuis certaminibus reddidisti.Hinc & coronâ dupliciter à te adornatâ cū martyribus simul & cū pastoribus Christū Deū nostrū collaudas,ô sancte martyr.

Σῖτος Θεοῦ καθαρός εἰμι, ἔλεγες, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα ἄρτος γένωμαι ἱεροτελούμενος τῷ ἐραστῇ, καὶ Θεῷ κεκαθαρμένος· ὃν καὶ ποθῶν οὐ πτοοῦμαι τὸν θάνατον.

Purum Dei frumentum sum,inquisti,& dentibus bestiarū molar; vt panis amatori consecratus fiā, & Deo perpurgatus:quem, & desiderans, mortem nō expauesco.

Ὡς ὑπερόπτης τῶν κάτω Ἰγνάτιε καὶ ὑπηρέτης τῶν ἄνω μυήσεων, ὡς λατρείαν ἄμωμον τελῶν καὶ τελούμενος ἱερουργεῖς σεαυτὸν τῷ μαρτυρίῳ, καὶ πρὸς θηρία καὶ πῦρ ἑτοιμάζεσαι.

Vt despector terrenorū,ô Ignati, & cælestium mysteriorū administer,tanquā sacrificium immaculatum, offerens simul & oblatus, te ipse martyrio sacrificas, & ad bestias & ad ignem te paras.

Σπλάγχνα θηρίων σοι τάφος γεγόνασιν· ἔχεις δὲ νῦν τὴν Σιὼν ἐνδιαίτημα, καὶ ζῇς ἐν καινότητι ζωηφόρου πνεύματος, ἐν οὐρανοῖς τῷ Χριστῷ συμβασιλεύων καὶ ἐντρυφῶν τῆς αὐτοῦ ὡραιότητος.

Bestiarum viscera tibi sepulchrum fuerunt: nunc autem Sion est habitatio tua:& viuis in nouitate Spiritus viuifici, cùm Christo in cælis regnans , & in eius pulchritudine delicians.

Τῷ ἀπροσίτῳ φωτὶ ἐλλαμπόμενος, καὶ ἐν ταῖς ἄνω μοναῖς αὐλιζόμενος, ἱερὲ Ἰγνάτιε, τῷ Θεῷ καὶ κτίστῃ σου ἐντυγχάνων ἀδιαλείπτως, ὑπὲρ τῆς ποίμνης σου ταύτης μὴ παύσῃ δεόμενος.

Lumine inaccesso collustratus,& in supernis domicilijs habitans,ô sancte Ignati , Deóque & creatori tuo assiduè assistens , ne cessaueris pro hoc grege tuo deprecari.

Frumentum sum, aiebas, Dei & Saluatoris, ô Ignati Theophore, & me nunc oportet dentibus bestiarum moli, vt panis purus & suauis sanctæ Trinitati appaream: cui assistens memor es eorum, qui tui memoriam lucis conciliatricem celebrant, ô sapiẽtissime Antistes & martyr.

Σῖτος ὑπάρχω, ἔλεγες, τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ δεῖ με νῦν ἀλήθεσθαι δι᾽ ὀδόντων θηρείων Ἰγνάτιε Θεόφορε, ὅπως ἄρτος ἡδύς τε καὶ καθαρὸς ὀφθήσωμαι τῇ ἁγίᾳ Τριάδι, ᾗ παρεστὼς μνημονεύεις πάνσοφε τῶν τελούντων τὴν φωτοφόρον μνήμην σου Ἱεράρχα καὶ μάρτυς.

Vt caritatis Domini tui amore sauciatus clamabas: Amor meus Christus, volẽs crucifixus est. Hinc sitio sitiri, & viuens amo amari ab eo, cuius particeps fieri appeto, & passionis, & regni.

Ὡς τετρωμένος ἔρωτι ἀγάπης τοῦ κυρίου σου, Ὁ ἐμὸς ἔρως, ἐβόας, Χριστὸς ἐσταύρωται θέλων. Διὸ διψῶ τοῦ διψᾶσθαι, καὶ ζῶν ἐρῶ τοῦ ἐρᾶσθαι, οὗ κοινωνὸς γενήσεσθαι ἐπιποθῶ καὶ τοῦ πάθους καὶ τῆς αὐτοῦ βασιλείας.

Columna animata & spirans imago, tua adest annua solemnitas, Theophore Ignati, tuas sacras institutiones & preclarè facta predicans, illam fidei ad sanguinem vsque propugnationẽ, illam beatam & celebratam vocem, dicentem: *Ego frumentum Dei sum, & dentibus bestiarum molar*. Quare imitator passionis Christi tui effectus, pro salute animarum nostrarum deprecare.

Στήλη ἔμψυχος καὶ ἔμπνους εἰκών, ἡ ἐτήσιός σου ἐπέστη ἑορτή, Θεόφορε Ἰγνάτιε, τὰς μυσταγωγίας σου καὶ τὰς ἀριστείας σου κηρύττουσα, τὴν ὑπὲρ τῆς πίστεως μέχρις αἵματος ἀντικατάστασιν, τὴν μακαρίαν ἐκείνην καὶ ἀοίδιμον φωνήν, τὴν ὅτι σῖτος εἰμὶ Θεοῦ λέγουσαν, καὶ δι᾽ ὀδόντων θηρείων ἀλήθομαι. Διὸ μιμητὴς τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ σου γεγονὼς πρέσβευε σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Hactenus, quæ in Menæo ad 20. Decembris, de S. Ignatij Theophori die natali: nũc quæ ibidem ad 29. Ian. (qua die sanctarum eius Reliquiarum ab vrbe Roma Antiochiã trãslatio celebratur) percurremus.

CAPVT XXIX.

Eodem mense, 29.

Τῷ αὐτῷ μηνί, κθ΄.

Reportatio Reliquiarũ sancti martyris Ignatij Theophori.

Ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου.

Grates cruentis, Ignati, leonibus.
Liquere partem corporis fidelibus.

Χάρις λέουσιν Ἰγνάτιε παμβόροις.
Τοῦ σώματος λιποῦσι καὶ πιστοῖς μέρος.

Ἐννάτῃ Ἰγνατίοιο ἐπάνοδος εἰκάδι τύχθη.

Lux reditum Ignatij nona & vicena reponit.

Hic sanctorum Apostolorũ successor, secũdus Antiochiæ Episcopus creatus est: discipulus autem Ioannis Euangelistæ Theo-

Οὗτος διάδοχος τῶν ἁγίων Ἀποστόλων γενόμενος, δεύτερος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας ἐχρημάτισε· μαθητὴς δὲ γενόμενος σὺν Πολυκάρπῳ

τῆς

ἐκκλησίας προέδρῳ, τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου.

Προσάγεται οὖν Τραϊανῷ τῷ βασιλεῖ, καὶ πᾶσαν ὑπενεγκὼν βασάνων πεῖραν, καὶ ὑπεράνω πάντων γενόμενος ἐπὶ Ῥώμην στέλλεται θηριομαχήσων. Οὗ γενομένου Χριστιανοί τινες ἄνδρες τὰ τίμια καὶ ἅγια λείψανα αὐτοῦ ἀπὸ Ῥώμης εἰς Ἀντιόχειαν ἐνεγκόντες, δῶρον ποθούμενον τοῖς ἀδελφοῖς δωροῦνται. Οἳ μετὰ πάσης τιμῆς καὶ φόβου ὑπὸ τὴν γῆν αὐτὰ κατέθεντο. Οὗ δὴ χάριν, ἑορτὴν χαρμόσυνον ἡ ἐκκλησία πανηγυρίζει.

logi vnà cùm Polycarpo ecclesiæ Smyrnensis Episcopo fuit.

Adducitur ergo ad Traianum Imp. & omnia ferendo expertus tormenta, & omnium victor, Romã mittitur cum belluis decertaturus. Quo peracto certamine, viri quidam Christiani preciosas & sanctas eius reliquias Romà Antiochiam deferẽtes, optatum fratribus donum cõdonarunt. Qui omni cum honore & timore sub terram eas deposuerunt. Cuius rei gratiâ lætam festiuitatem concelebrat ecclesia.

Hactenus Reliquiarum translatio: nunc sequuntur elogia.

Θεολόγων ἀκρότητος χρηματίσας διάδοχος, τοῖς ἐκείνων ἴχνεσιν ἠκολούθησας, ἀνατολῆς ἐξορμώμενος, καὶ δύσει φαινόμενος, καὶ φωτίζων ἀστραπαῖς τοῦ ἐνθέου κηρύγματος. Ἔνθα πάνσοφε ἐκ τοῦ κόσμου μὲν ἔδυς· εἰς θεὸν δὲ ἐξανέτειλας, τῷ φέγγει κατεστεμμένος τῆς χάριτος.

Ἱερῶς ἀπεδόθη σου τῇ σῇ πόλει τὰ λείψανα Θεόφορε πάνσοφε, δι' ἀθλήσεως ἁγιασθέντα λαμπρότερον, καὶ χάριτι στίλβοντα, τὴν ἐπάνοδον ἡμῖν πανηγύρεως πρόξενον ἀπειργάσαντο εὐφροσύνης πληροῦντα, θεοπνεύστου θυμηδίας ἐμπιπλῶντα τοὺς εὐσεβῶς σε γεραίροντας.

Ἀναλάμψας ὡς ἥλιος, ταῖς ἀκτῖσι τοῦ πνεύματος, τὰ τοῦ κόσμου πέρατα κατεφαίδρυνας, ταῖς λαμπηδόσι τῶν ἄθλων σου θερμῶς προϊστάμενος, καὶ συγγράφων ἀληθῶς εὐσεβείας διδάγματα. Ὅθεν γέγονας καὶ τροφὴ τῷ δεσπότῃ τῷ τὰ πάντα διατρέφοντι παμμάκαρ ἀδιαλείπτῳ χρηστότητι.

Ἐξ ἑώας μὲν πρότερον ἑωσφόρος Ἰγνάτιε ἐν δυσμαῖς διηύγασας φαινότατος· νῦν δὲ τῶν θείων λειψάνων σου

Summorum Theologorum successor existens eorum vestigijs institisti, ab Oriente exortus, & Occidenti apparens: & diuini præconij fulgetris coruscans. Ibi, ô sapientissime, mũdo quidem occidisti, sed ad Deum exortus es, splendore gratiæ coronatus.

Vbi tuæ, ô Theophore sapientissime, redditæ sunt tuæ Reliquiæ per certamen sanctificatæ illustriùs, & gratiâ fulgentes reditum nobis celebritatis conciliatorem effecerunt, gaudio implentem, & diuina animi voluptate eos, qui te piè honorant, cumulantem.

Solis instar relucens, radijs spiritus mundi fines exhilarasti: certaminum tuorum splendoribus animosè prostans, & documenta pietatis verè conscribens. Vnde & Domino cuncta indeficienti bonitate nutrienti cibus, ô beatissime, extitisti.

Ab Oriente quidem priùs, ô Ignati, lucifer Occidentalibus resplenduisti lucidissimus: nũc verò

in tuarum diuinarum Reliquiarum reditu, ab Occidente radios in terram expandisti. Quare vt ab interitu & periculis exoluantur, quicunque tuam semper augustã celebrant memoriam, tua deprecatione impetra.

ἐν τῇ ἐπανόδῳ τὰς ἀκτῖνας ἐπὶ γῆς ἀφ' ἑσπέρας ἐφήπλωσας. Διὸ πρέσβευε ἐκ φθορᾶς καὶ κινδύνων λυτρωθῆναι σῶν ἐν πίστει ἐκτελοῦντας τὴν ἀεισέβαστον μνήμην σου.

Hic alia duo eiusmodi sequebantur elogia ante acrostichon, sed quòd suprà sint posita, non existimaui reponenda.

Acrostichis.

Ignatium cantu sidus modulamur Eoum.

Ἀκροστιχίς.

Ἰγνάτιον τὸν ἑῷον ἐν ἄσμασιν ἀστέρα μέλπω.

Inhabitantis in te gratiæ lumine, ô Theophore Ignati, vitam meam ad virtutem dirigens collustra: & perturbationum confusionem tuis pro me supplicationibus dissipa.

Ἰθύνας πρὸς ἀρετὴς τὸν βίον μου, φωτὶ καταύγασον τῆς ἐνοικούσης χάριτος ἐν σοὶ Θεόφορε Ἰγνάτιε, καὶ τῶν παθῶν τὴν σύγχυσιν ταῖς σαῖς πρεσβείαις διασκέδασον.

Germinantis fructum centuplum terræ similis es, Theophore Ignati, qui semen Christo copiosum producis, imbre Spiritus animas irriganti.

Γῆ ὥσπερ γονιματέρα πέφηνας ἑκατοστεύουσα, καρποφορῶν τὸν σπόρον τῷ Χριστῷ Θεοφόρε Ἰγνάτιε, τῷ τὰς ψυχὰς ἀρδεύοντι τῇ ἐπομβρείᾳ τοῦ πνεύματος.

Noscens ille vniuersi Dominus ac Deus, suâ prænoscendi facultate, animæ tuæ nobilitatẽ, ô Theophore Ignati, eam Diuinis Spiritus splendoribus collustrauit.

Νοήσας προγνωστικῇ δυνάμει σου τὸ εὐγενὲς τῆς ψυχῆς ὁ τοῦ παντὸς δεσπότης καὶ θεὸς, θεόφορε Ἰγνάτιε, μαρμαρυγαῖς τοῦ πνεύματος θεοφεγγέσι κατελάμπρυνεν.

Ab Oriente, ô sapientissime Ignati, exortus es, solis spiritualis radijs collucens & clarè sensibilis, tanquam sol, Occidẽtis tenebras prædicationis luce circumfundens.

Ἀκτῖσι τοῦ νοητοῦ λαμπόμενος ἡλίου, πάνσοφε, ἀνατολῆς ἐξώρμησας, καὶ λαμπρῶς αἰσθητὸς, ὥσπερ ἥλιος, τὸν ζόφερον τῆς δύσεως περιαυγάζων τῷ κηρύγματι.

Trinitatis sanctissimæ vnam è carne tua emicantem personam, ô vndequaque castissima Dei sponsa, beneplacito Genitoris & sanctissimi Spiritus cooperatione peperisti.

Τριάδα τῆς ὑπερθέου, πάναγνε, τὸν ἕνα τέτοκας ἐκ σοῦ σαρκὶ φανέντα καθ' ἡμᾶς εὐδοκίᾳ γεννήτορος καὶ συνεργίᾳ πνεύματος τοῦ παναγίου θεονύμφευτε.

Ingentibus carnis afflictationibus vexatam mentem meam sa-

Ἰάτρευσόν μου τὸν νοῦν κεκακωμένον τοῖς δεινοῖς πάθεσιν τοῖς τῆς σαρκὸς,

Ἰγνάτιε

Ἰγνάτιε μάρτυς τοῦ Χριστοῦ πανάοιδιμε.

na, ô Christi martyr multò celeberrime.

Ὁμόφρονά σε Χριστὸς τῶν Ἀποστόλων εὖ εἰδὼς, τέθεικε θείῳ φωτὶ λάμποντα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις διδάσκαλον.

Vnanimem te Apostolis probè cognoscens Christus, Magistrũ te posuit diuino lumine in ecclesijs splendicantem.

Νεκρούμενον διά σε τὸν ζωοδότην καθορῶν ἔδραμες τὸν δι' αὐτὸν θάνατον πόθῳ ὑποστῆναι Ἰγνάτιε.

Mortuum propter te Saluatorem contuitus, ô Ignati, prę ipsius amore ad mortem pro eo appetẽdam cucurristi.

Hactenus Acrostichis, in qua notandum vnam litteram Virgini Deiparæ attributam, nempe quintam, Τριάδα τῆς ὑπερθέου &c. quæ est de B. Virginis partu. Fuit enim hoc pietatis populi Orientalis propriũ, vt inter Sanctorum laudes, semper vnam sanctissimæ Virginis, tanquam suæ in eam deuotionis testem insererẽt. Post encomia hæc acrosticha, subduntur & aliæ eiusdem S. Martyris laudes, interiectis ex more aliquibus beatissimæ Virginis, (quæ in præsentia omittam) elogijs.

Θείῳ πνεύματι πεφωτισμένος θράσος τύραννον ἐν παρρησίᾳ ποιμαντικῇ μεγαλοφρόνως κατῄσχυνας, καὶ ἐκπεράσας τῆς πλάνης τὸ πέλαγος πρὸς τὸν λιμένα τὸν θεῖον κατήντησας πάτερ ὅσιε. Τὸν θεὸν ἱκέτευε δωρήσασθαι ἡμῖν τὸ μέγα ἔλεος.

Diuino Spiritu collustratus, ferocitatem tyrannicam pastorali libertate magnanimiter pudefecisti, & transmisso erroris pelago in portum diuinum occurristi, ô pater sancte. Precibus tuis magnam nobis à Deo misericordiam impetra.

Ὁ Θεόφορος καλούμενος φερωνύμως. Τὸν γὰρ Χριστὸν ἐνδέδυται· καὶ διὰ πολιτείας πάντας ἐπαλείφει λαμπρῶς μαρτύρων στερρότητα, πόθῳ τῶν στεφάνων εἰσδέξασθαι.

Theophorus congruo nomine appellatur. Christũ enim induit: & sua vitæ ratione cũctos ad martyrum firmitatem, coronarum desiderio, conquirendam perũgit.

Νενευρωμένος, Ἰγνάτιε, τῇ δυνάμει τοῦ ἐν σταυρῷ παγέντος ὑπὲρ σοῦ Θεόφορε, θῆρας κατηρέθισας ἐκ τοῦ κόσμου χωρίσαι σε πρὸς τὸν σὸν ποθούμενον ἔρωτα.

Christi pro te in cruce suffixi virtute roboratus, ô Ignati Theophore, bestias lacessisti, vt te à mũdo ad desideratum tuum amorem traducerent.

Ἐρασθεὶς τῆς ὡραιότητος τοῦ δεσπότου, καὶ πρὸς αὐτὸν τὴν ἔφεσιν ἀνένδοτον ἔχων, τούτου τὰ παθήματα προθύμως ἐζήλωσας μάρτυς Θεόφορε Ἰγνάτιε.

Pulchritudinis Domini amans, & incredibili eius percussus desiderio, illius afflictationes animosè æmulatus es, ô martyr Theophore Ignati.

Ὡραϊσμένος πορφύρᾳ τῶν σῶν αἱμάτων ἀρχιερεὺς καὶ χρίσματι τῆς ἱερωσύνης μάρτυς διαλάμπεις, Χριστῷ

Sanguinis tui purpura decoratus, & sacerdotij vnguento delibutus, Pontifex & martyr effulges

ges, ad Christum in gratia exclamans: Gloria virtuti tuæ Domine.

κραυγάζων ἐν χάριτι. Δόξα τῇ δυνάμει σου Κύριε.

Nunc facie ad faciem Christum cernens, ô Ignati, dissolutis veritate speculis, amori tuo intimè iũgeris.

Νῦν πρόσωπον Χριστοῦ καθορῶν σὺ πρὸς πρόσωπον Ἰγνάτιε, τῶν ἐσόπτρων ἀληθείᾳ λυθέντων, ἡνώθης σου τῷ ἔρωτι.

Illustrationem è fonte lucis datore hausisti ô Ignati. Te enim Christus incontaminatis tenens manibus sanctificauit.

Εἵλκυσας φωτισμὸν ἐκ πηγῆς φωτοδότιδος, Ἰγνάτιε. Ταῖς γὰρ ἀχράντοις σε Χριστὸς παλάμαις κρατήσας καθηγίασεν.

Mentem spiritu Dei splendentem possidens, ô Ignati, velut exaratas à Deo tabulas, leges gratiæ scribis,

Νοῦν πνεύματι θεοῦ κεκτημένος λαμπόμενον, Ἰγνάτιε, θεογράφους ἐπιστέλλεις ὡς πλάκας, τοὺς νόμους τοὺς τῆς χάριτος.

Existentem in te habens Dei sapientiam, ô Antistes, sapientiæ Gentilium dogmata dissoluisti, & parietem medium cum sonitu diruisti.

Σοφίας ἑλληνικῆς διέλυσας δόγματα, τὴν ἐνυπόστατον ἔχων τοῦ θεοῦ σοφίαν ἱερωμύστα, καὶ μετ' ἤχου τὸ τῆς πλάνης μεσότειχον ἔλυσας.

Ne cesses, ô beatissime, pro tui memoriam celebrantibus supplicare, qui demonstratus es, ad nos è molestissimis tentationibus atque periculis liberandos, Sacerdos acceptissimus.

Μὴ παύσῃ ὑπὲρ τῶν ἐκτελούντων τὴν μνήμην σου καθικετεύων παμμάκαρ, ὁ πειρασμῶν ῥυσθῆναι χαλεπωτάτων καὶ κινδύνων ἱερεὺς δεδειγμένος εὐπρόσδεκτος.

Fortitudine & pruden tia & iustitiæ splendore, atque temperantia excelluisti, ô Theophore martyr, & virtutum pulchritudine ornatus emicuisti.

Ἀνδρείᾳ καὶ φρονήσει διέπρεψας ὅσιε, δικαιοσύνης τε φέγγει Θεόφορε μάρτυς, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῷ κάλλει τῶν ἀρετῶν ἐφάνης κοσμούμενος.

Hodie ab oriente exortus, & mundum vniuersum doctrinis collustrans, martyrio decoratus est Theophorus ille & diuinus Ignatius.

Ἐξ ἑώας σήμερον ἐξανατείλας, καὶ τὴν κτίσιν ἅπασαν καταλαμπρύνας διδαχαῖς, τῷ μαρτυρίῳ κεκόσμηται ὁ Θεόφορος καὶ θεῖος Ἰγνάτιος.

Deus qui Ieremiam ex vtero sanctificauit, atque vt præscius, cognoscens eum, priusquam nasceretur, futurum olim Sp. S. receptaculum, statim illum à paruulo impleuit, & prophetam illum ac præconem effecit, ad prænunciandum omnibus sanctum

Ἱερεμίαν ὁ θεὸς ἐκ μήτρας ἁγιάσας, καὶ πρὸ τοῦ γεννηθῆναι γινώσκων ὡς προγνώστης, δοχεῖον ἔσεσθαι αὐτὸν πνεύματος ἁγίου, ἐμπιπλᾷ τοῦτον εὐθὺς ἐκ νεαρᾶς βιώσεως, καὶ προφήτην τοῦτον, καὶ κήρυκα πᾶσι προαγγέλλειν τὴν ἁγίαν ἐπὶ τῆς γῆς αὐτοῦ παρουσίαν. Τεχθεὶς οὖν ὁ αὐτὸς θεὸς ἐκ παρθένου πρὸς τὸ κήρυ-

ῥυγμα ἐλθὼν, εὗρεν ἐκ βρέφους ἄξιον αὐτοῦ τῆς χάριτος ὑποφήτην τὸν Θεόφορον καὶ θεῖον Ἰγνάτιον.

suum in terras aduentum. Idem igitur Deus è Virgine natus ad prædicationem accedens, inuenit à puero dignũ gratiâ suâ prophetã, Theophorum ac diuinũ Ignatiũ.

Ἱερωσύνης ἠγλαϊσμένος μύρῳ ὅσιε θείῳ, καὶ μαρτύρων αἵματι κοσμηθεὶς ἀμφοτέρωθεν διέπρεψας. εὐλογημένος ὁ θεός μου, κραυγάζων, καὶ κύριος.

Diuino sacerdotij vnguento delibutus, & martyrum sanguine decoratus vtrimque ô sancte promicuisti, clamans; Benedictus Deus meus & Dominus.

Νομοθεσίᾳ καταφαιδρύνας κόσμον ἅπαντα, ἄρτῳ οὐρανίῳ ἔθρεψας τοὺς πιστοὺς, τῷ δεσπότῃ σου κραυγάζοντας. Εὐλογημένος εἶ ἐν τῷ ναῷ τῆς δόξης σου κύριε.

Legislatione vniuersum collustrans mundum, pane cęlesti fideles nutriuisti Domino tuo clamãtes: Benedictus es Domine in tẽplo gloriæ tuæ.

Ἀκτινοβόλοις αὐγαῖς παμμάκαρ φωτιζόμενος αἴγλης τε ἀρχιφώτου χύσει λαμπρυνθεὶς, τὴν οὐράνιον ἀπείληφας χαίρων ἀπόλαυσιν Θεόφορε μαρτύρων τὸ καύχημα.

Splendoribus radios iaculantibus illustratus, & principalis lucis diffusione illuminatus, cælestem gaudens recepisti voluptatem, ô beatissime Theophore, gloria martyrum.

Σῖτος ὑπάρχων Θεοῦ, ὡς ἔφης, πανάοιδιμε, μύλαις κατηλέσθης μάρτυς ταῖς τῶν θηρῶν, καὶ τῷ τρέφοντι τὰ σύμπαντα θείᾳ χρηστότητι καθαρώτατος ἄρτος γεγένησαι.

Frumentum existens Dei, vti aiebas, ô martyr celeberrime, dentibus bestiarum molitus es, & diuina sua bonitate cuncta nutrienti panis factus es purissimus.

Ἑστὼς ἐπὶ βήματος, σοφὲ, τριάδα ἄκτιστον ἐθεολόγησας νοῦ καθαρότητι ἅγιε, διανοίας τε λαμπρότητι, μὴ πτοηθεὶς τυραννικῶν θρόνων ὠμότητα, ἀλλ᾽ ἐβόας· Πάντα τὰ ἔργα ὑμνεῖτε τὸν κύριον.

Stans pro tribunali, ô sapiens, increatam Trinitatem mentis puritate, & intelligentiæ claritate docuisti, nihil veritus tyrannorum sæuitiam: sed clamasti: Benedicite omnia opera Domino.

Ῥυθμίσας εὐφρόνως σου τὸν νοῦν τοῖς θείοις δόγμασι, μάκαρ Ἰγνάτιε, τὸν δεισιδαίμονα τύραννον τῆς ἀπάτης προϊστάμενον τοῖς τῆς σοφίας ὀχετοῖς ἄρδην κατέκλυσας. Εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα τὸν κύριον.

Quum mentem tuam diuinæ doctrinæ prudenter adaptasses, ô beate Ignati, superstitiosum tyrãnum errori patrocinantem, sapiẽtiæ tuæ fluentis adundanter inundasti. Benedicite omnia opera Domino.

Ἀπείρῳ λαμπόμενος φωτὶ τῷ τῆς θεότητος, ἄστατον ἐξηφάνισας σκοτόμαιναν, ἐπιστολὰς φωτοειδεῖς πέμπων τοῖς μέλπουσιν. Εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα τὸν κύριον.

Immensa diuinitatis luce collustratus instabilem exterminasti caliginem, perillustres mittens epistolas canentibus: Benedicite omnia operâ Domino.

Nihil

Nihil insaniam, nec rictus ferarum extimuisti, ô diuine Ignati. Virtus enim altissimi è virgine exorta, omni te crucis armatura circumuallauerat clamantem: Benedicite omnia opera Domino.

Μανίαν καὶ χάσματα θηρῶν οὐκ ἐδειλίασας, θεῖε Ἰγνάτιε. Ἡ τοῦ ὑψίστου γὰρ δύναμις ἐκ παρθένου ἀνατείλασα τὴν πανοπλίαν τοῦ σταυροῦ σε περιέβαλεν κραυγάζοντα· Εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα τὸν κύριον.

Amor diuinissimus, ô beate, animam tuam complexus, terrenas mundi curas igne incorporeo cunctas adussit, & in rerum appetendarum fastigio victorem te constituit.

Ἔρως θειότατος, μάκαρ, κατακρατήσας τῆς ψυχῆς σου, κόσμου τὰς ὑλώδεις φροντίδας πυρὶ ἀΰλῳ πάσας κατέφλεξε, καὶ ἰερεκ τῶν ἀκρότητι στεφανηφόρον σε κατέστησε.

In portum clarum & serenissimũ appulisti, ô Theophore, postquam fluctuum tempestatem, & agrestium ac mortiferarum bestiarum impetus euasisti. Et nunc pellucens in æterna voluptate deliciaris.

Λιμένι λαμπρῷ καθωρμίσθης γαληνοτάτῳ, Θεόφορε, ζάλην τῶν κυμάτων ἐκφυγών, ὁρμὰς ἀγρίων καὶ φονικῶν θηρίων· καὶ νῦν τρυφᾷς λαμπόμενος τῆς αἰωνίου ἀπολαύσεως.

Varia decoratus corona, Sacerdos sancte, excellis. Nam in te & sacerdotij & martyrij gloria in vnum coiuère. & per vtrumque, vt Domini tui consors, conglorificatus es.

Ποικίλῳ κοσμούμενος στέφει ἱερομύστα διαπρέπεις. Τῆς ἱερωσύνης γὰρ ἐν σοὶ εἰς ἓν συνῆλθε καὶ μαρτυρίου κλέος· καὶ δι᾽ ἀμφοῖν ὡς μέτοχος τοῦ σου δεσπότου συνδεδόξασαι.

Tanquam sacrorum interpres, apud Dominum tuum & Deum libertate vtens, ô Ignati, tuam in fide celebrantes memoriam, vt à tentationibus eximat, eum modò deprecare.

Ὡς ἱεροφάντωρ ὑπάρχων, τῇ παρρησίᾳ κεχρημένος πρὸς τὸν σὸν δεσπότην καὶ θεόν, τοὺς ἐκτελοῦντας ἐν πίστει τὴν μνήμην σου ἐκ πειρασμῶν Ἰγνάτιε νῦν λυτρωθῆναι καθικέτευε.

Tuum ex amore celebrantes illustrem reditum, ô Ignati Theophore, martyr sanctissime, ab omni afflictione, & nocumento dæmonis redime, donans peccatorum remissionem, vt qui potestatem à Christo Saluatore acceperis.

Τοὺς πόθῳ ἑορτάζοντας τὴν σὴν φαιδρὰν ἐπάνοδον, Ἰγνάτιε Θεόφορε, ἱερομάρτυς παμμάκαρ, λύτρωσαι πάσης θλίψεως, καὶ βλάβης τοῦ ἀλάστορος, διδοὺς πταισμάτων ἄφεσιν, ὡς εἰληφὼς ἐξουσίαν παρὰ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος.

Hactenus quæ in Menæo, ad 29. Ianuarij, de S. Ignatij reditu, siue de Reliquiarũ ab vrbe Româ Antiochiam deportatione, & de sacris in eius honorem canticis notata reperi. Vnicam tantùm oden hîc omisi, quæ incipit Στήλη ἔμψυχος. eò quòd ad vicesimam Decembris posita fuerit capite precedenti. Nam vtraque die in Menæo ponitur. Iam autem nobis restant ad aliquam eorum, quæ in vita produximus, partim probationem, partim explanationem, afferendæ NOTATIONES.

NOTATIONES IN VITAM SANCTI IGNATII THEOPHORI.

Ad Præfationem.

IGNATII] Hoc nomine complures egregia vitæ sanctimonia viri extitere.

Primus, princépsque omnium ille, de quo hic agitur: qui & Theophorus ex singulari gratiæ virtutisque priuilegio est agnominatus, verè omnium Ignatiorum insignis dux atque antesignanus, tam ætatis ordine, quàm merito sanctitatis.

Secundus fuit Ignatius Celerini Confessoris auunculus, ipse etiam martyr, & B. Cypriano multùm laudatus, atque in sacris tabulis consignatus. Vide S. Cyprianum lib. 4. epist. 5. vel in Pameliana editione, epist. 34. vbi de Celerino Confessore sic scribit: *Auia eius Celerina iam pridem martyrio coronata est. Item patruus eius, & auunculus Laurentinus; & Ignatius: in castris quondam & ipsi sæcularibus militantes; sed veri & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt.* Ita ibi. Horum extat celebris memoria in Romano martyrologio ad tertiam Februarij.

Tertius est, Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, qui nono vixit sæculo. De quo ita Menologium die 23. Octobris: *Eodem die commemoratio patris nostri Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani. Hic fuit vir generis splendore illustris; sed vita & moribus illustrior: qui post multas ærumnas, quas Photij opera perpessus est, quieuit in Domino.* Menæum eadem die refert eum fuisse filium Michaëlis Imp. & Procopiæ Imperatricis. Vide ibi plura, itémque in martyrologio Rom. ad 23. Octobris.

Quartus, Ignatius Monachus, de quo Menæum die 27. Septembris in hæc verba: *Eodem die commemoratio S. Patris Ignatij, præfecti monasterio Saluatoris IESV Christi, quod profundi Ryacis nomine appellatur. Hic fuit ex secūda Cappadocum prouincia, Nicephoro & Ioanne Impp. ab infantia ipsa Deo à parentibus sancti Samuelis exemplo consecratus: qui sanctitate vitæ clarus, post multa pietatis opera, ad cælestem gloriam vocatus in pace quieuit.*

Quintus, S. Ignatius Tzeroneta, de quo agit Menæum Græcorum ad diem 26. Iulij.

Sextus, S. Ignatius Episcopus Moguntinus & Martyr: quem Megenfridus scribit successisse S. Auito, & ecclesiæ Moguntinæ annos tredecim præfuisse. Hic in serie Episcoporum adscribitur decimus quartus. De quo vide Annales Petri Merssæi.

Septimus est, B. Ignatius Presbyter: qui S. Athanasiæ, eiúsque monasterio à sacris functionibus fuit. Ad eius sepulchrum (vt est in vita eiusdem S. Athanasię apud Symeonem Metaphrasten, & apud Surium tomo 4.) fiebant miracula. In horum porrò Ignatiorum beatam societatem iure adscribi possunt duo è Societate IESV eximij Patres.

Prior est, S. Ignatius de Loiola, ipsius Societatis IESV fundator sanctitate & miraculis orbe toto notissimus. Alter, Ignatius Azebedius martyr, qui in Brasiliam ad indigenarum conuersionem missus cū potestate Prouincialis, in ipso itinere vnà cum pluribus ex eadem Societate, ab hæreticis odio fidei & Religionis confossus, atque in mare præcipitatus est.

THEO-

VOCIS THEO-PHORI VARIÆ ACCEPTIONES.

THEOPHORI] Agnomentum est, non epitheton. Cuius argumentum hoc est euidentissimum, quòd ipsemet S. Martyr ita passim se vocet, non facturus alioqui (qua erat humilitate atque modestia) si epitheton laudis fuisset ac honoris. In alijs autem epitheton est, non agnomentum. Quare quod multi interpretes vocem Θεοφόρος, cùm de hoc sanctissimo martyre agitur, verterunt *diuinus* vel *Deo plenus* (vt Ioannes Christophorsonus in Euagrium, vt Hieronymus Vuolfius in Zonaram, vt in alios Scriptores, alij) facilè in procliui & lubrico lapsi sunt: propterea quod eadem vox vulgò à plurimis eodem sensu, quo θεῖος vel θαυμάσιος, *diuinus* vel *admirandus* vsurpetur. Ac ne longè abeamus, ipsemet S. Ignatius martyr in epistola ad Ephesios ita vsurpauit, sic eos compellans: *Μακάριοι οὖν ἐστε ὑμεῖς οἱ θεοφόροι. Beati igitur estis vos, ô Deiferi*: quod idem est, ac *Deo pleni*. Esse autem in S. Ignatio agnomen recognouit Godefridus Tilmannus in sua versione homiliarum S. Antiochi monachi, cùm homil. 124. ista eius verba: Ὁ Θεοφόρος Ἰγνάτιος ἐπιστέλλει λέγων &c. vertit: *Ignatius agnomento Theophorus per epistolam dicit*, &c. Quod nec Gallicos interpretes epistolarum eiusdem S. Ignatij latuit: quorum vnus vertit: *Ignace surnommé Theophore*. Eudemarus autem Presbyter & Canonicus Rotomagensis: *Ignace de surnom Theophore*. Quod nomen in suis annotationibus interpretatur *habens in se Deum*, vel *propinquus Deo*. pressiùs tamen & magis propriè verti potest, *Deifer* vel *portans Deum*. Sic enim dicebat Paulus epist. 1. ad Corinthios, cap. 6. *Empti enim estis precio magno: glorificate & portate Deū in corpore vestro*. Portauit autem semper Ignatius Deum in corpore suo. Vt iumentum enim erat apud Deum, & habenis mandatorum eius, quocumque insessori placebat, agebatur; nec se vnquam ab eo diuertebat: ita vt posset illud Dauidis iure quodam suo sibi attribuere: *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum*. Quod qui dicere possunt, ij sunt verè Theophori, ij vere Deum portant in corpore suo, non tantùm in anima: quandoquidem vtrumque impendant in Dei obsequium, pij iuxtà & casti. Nam hic verus est & germanus S. Paulli verborum sensus; vt hi dicantur portare Deum in corpore suo, qui se iumentorum instar facilium atque docilium illi subijciunt, illius spiritu aguntur, atque ad omnem eius nutum, seu quid agendum, patiendúmue sit, præsto sunt. Qualis sanè, si quis alius, singulari quodam modo fuit Ignatius. De quo proinde aptissimè Symeon metaphrastes dixit: Τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος, ὁ καὶ κλήσει καὶ πράγματι Θεοφόρος Ἰγνάτιος ἦν. *Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus & re & appellatione Deifer erat Ignatius*: Sic redditur à plerisque Scriptoribus vox græca Θεοφόρος. *Deifer*. Quo modo & in suis Hieromenijs vsus est noster Balduinus Gualfreduccius, & ante illum, & cum illo multi. Nos modò Theophorum, modò Deiferum indifferenter vsurpabimus: excepto quòd in epistolarum inscriptionibus aut titulis alijs Theophorum retinebimus, ea forma, qua S. Christophorum, Onesiphorum, Carpophorum, & similes seruato græcorum verborum charactere appellamus.

LOCVS PAVLLI AD CORINTHIOS EXPLICATVS.

Psal. 72.

CAPVT I.

a TIBERIO ROMANVM TENENTE IMPERIVM] Si B. Ignatius fuerit ille puer à Christo Domino exceptus, & Discipulis in exemplum humilitatis & simplicitatis ostensus, Matthæi 18. (quod mox ostendemus valde esse probabile) necessariò consequitur eum Tiberio imperante esse natum. Nam si Ignatius puer erat tempore prędicationis Christi, & illa prædicatio inchoata est sub decimum quintum annum Tiberij Imp. (quod ex euangelio S. Lucę cap. 3. deducitur) certè qui circa annum Tiberij decimum quintum aut decimum sextum fuit puer paruulus, idem eo regnante dicendus est natus; pręsertim cùm sub eodem Tiberio passus sit Christus, nec credibile sit Ignatium siue puerum illum pro innocentiæ & humilitatis exemplo demonstratum, ætatis annū decimum quintum attigisse, nedū excessisse.

b NEMPE QVEM SCRIPTORES NON PAVCI &c.] Ex his sunt Symeon Metaphrastes in vita ipsius Ignatij, quam ex antiquioribus desumpsisse monumentis innuere videtur Baronius, in suis ad Romanum martyrologium notationibus, super die prima Februarij; Menæum Græcorum ad vigesimam Decembris; qua die populi Orientales ipsius celebrant martyrium; & rursus vigesima nona Ianuarij; qua sacrarum eius Reliquiarum ab vrbe Roma Antiochiam translationem solemni memoria prosequuntur. Vide suprà inter ipsorum elogia, cap. 29. & cap. 30. Nicephorus item Callistus lib. 2. hist. eccl. cap. 35. & alij hodie non pauci idem prorsus asseuerant. Verba Nicephori, cùm agit de S. Petro Apostolo vtriusque ordinatore, Euodij primum, deinde Ignatij, sunt ista: Ἐν δ' Ἀντιοχείᾳ πρῶτον μὲν Εὐόδιον· μετὰ δὲ τοῦτον, τὸν ὄντως θεόληπτον τὸν Θεοφόρον ἐπέστησεν Ἰγνάτιον, ὃν ἔτι νήπιον ὄντα, ὡς ἁπλοῦν καὶ ἀκέραιον ἐνδεικνύμενος, εἰ μὴ ἐπίσης ἐκείνῳ γένοιντο, ἥκιστα ἔλεγε τῆς χρυσοτερᾶς βασιλείας ἐπιτυχεῖν. *Porrò Antiochiæ primò Euodium, deinde re vera numine afflatum Deiferum Ignatium constituit: quem olim tenellum adhuc, tanquam simplicem & sincerum Discipulis demonstrauit, ac nisi similes illi essent, regnum, quod tunc prædicabatur, non consecuturos dixit*. His subscribit Georgius Bartholdus vir in SS. Patrum scriptis egregiè versatus; qui & in sua concionum bibliotheca, tanquam ex-

ploratum

ploratum tenet, quod de Ignatio puero scriptum reperit. Sic enim inter alia scribit: *Magna laus & encomium nostri martyris est; quòd illi à Christo manus imposita: quod S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ discipulus fuerit: quod Episcopus Antiochenus &c.* Ego autem quidnam afferri possit, quod hanc opinionem efficaciter infirmare valeat, non video. Nam rationes quidem Christophori de castro (quod salua eius pace dixerim) quatenus contra hanc sententiam veniunt, haud iusti sunt ponderis. Quod enim in Historia Virg. Deiparæ, cap. 23. ex hac Ignatij pueritia, & ex eiusdem anno martyrij colligit eum futurum fuisse 85. annorum, atque ita confectum ætate missum, vt pugnaret cum bestijs; hoc sanè vt ita sit, nihil prorsus importat incommodi. Quippe ad eam rem nihil viribus corporis sanctissimo Christi athletæ opus fuit; sed magno animi robore atque constantia: cùm non tanquam gladiator, sed tanquam martyr in arenam descenderet. Neque id sanè nostris persecutoribus admodum curæ fuit, vt iuuenes tantum & robustos damnarent ad bestias caussa spectaculi; sed senes etiam & decrepitos, præsertim è Christianis, siue eos grauiter conterrendi, siue seueriter puniendi, gratia. Nam & S. Polycarpum eiusdem Ignatij sodalem extrema iam tum senectute, & centum circiter annis grauem, ad bestias postulatum esse (quemadmodum in sequenti eius vita ostendam) satis constat: & S. Symeonem illum Domini Saluatoris nostri propinquum, etiam vigesimo post centesimum ætatis suæ anno, tum alia multa passum, tum etiam in cruce suffixum liquet. Deinde ratio in nos intorta magis eos petit ac ferit, qui negant Ignatium fuisse eum puerum, quem dicimus; sed fuisse iam tum natu grandiorē, & vidisse vnà cum Apostolis Christum post eius resurrectionē: quod nonnulli ex quibusdam Ignatij verbis perperā intellectis malè deduxerunt, vt pòst probabitur. Tum enim multò annis grauior & viribus præ senio defectior ad martyrium contendisset.

Iam secunda ratio, quâ nostra sententia impugnatur, fortis esset, si vera. Nititur enim efficere B. Ignatium (si quidem is fuisset puer, quem Christus Dominus ante passionem suam complexus est) futurum fuisse Episcopum anno ætatis suæ decimo quarto. Quod ego quidem, quemadmodum effici possit, non video. Nam dato, quòd septennis tantùm fuisset, cùm in manus à Christo exceptus est (nempe anno eius trigesimo secundo, vt probabile est) tamen ex eo tempore vsque ad illud, quo S. Petrus venit Antiochiam, sunt rursus minimum septem anni, sicque fiunt 14. fuisse autem tum statim creatum Episcopum quis dicere ausus sit, nisi qui & S. Petro eâdem opera suam auferre sedem Antiochenam, & eiusdem in tota ecclesia solemnem memoriam derogare ausus sit? atque adeo illis item S. Ioannis Chrysostomi verbis contradicere? Τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάτην Πέτρον, ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον ἐνδιατρῖψαι ἐκέλευσεν. S. *Petrum totius orbis præsidem, cui cælorum claues credidit; cuius arbitrio & potestati cuncta permisit; multo hîc tempore* [Antiochiæ scilicet] *demorari iussit.* Quare oportet annis prioribus 14. & alios quoque septem addere, quibus ille Apostolorum princeps Antiochenam rexit ecclesiam. De quibus septem annis non tantùm Eusebius Cæsariensis Episcopus, sed etiam Gregorius Magnus Pontifex in epistola ad Eulogium, Episcopum Alexandrinum, & Anastasius Bibliothecarius in S. Petro, & alij cum illis contestantur. Verba S. Gregorij sunt hæc: *Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit.* Anastasij autem ista: *Primus sedit cathedram Episcopatus in Antiochia annos septem.* Neque verò aut verba Anacleti, epistola 3. neque Clementis auctoritas, libro 7. Constitutionum Apostol. cap. 47. vel in græcis exemplaribus 45. contra nos quidquam faciunt, quod quidam putant. Nam verba Anacleti loquentis de ordine sedium episcopalium, postquam primas dedit ecclesiæ Romanæ, secundas Alexandrinæ, sunt hæc: *Tertia autem sedes apud Antiochiam eiusdem* (*id est, beati Petri*) *Apostoli nomine habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romam veniret, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit: & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est.* Clementis autem, vt quidem vulgo aiunt, aut collectoris potiùs cuiuspiam, nomine Clementis, sunt ista: Ἀντιοχείας δὲ, Εὐόδιος μὲν ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, Ἰγνάτιος δὲ ὑπὸ Παύλου. *Antiochiæ verò, Euodius quidem à me Petro; Ignatius verò à Paullo.* Intelligitur χειροτονηθέντες *ordinati sunt.* In quibus vtriusque verbis nusquam dicitur B. Ignatius ordinatus fuisse Episcopus simul atque Petrus venit Antiochiam. Dicit enim tantùm Anacletus S. Petrum habitasse Antiochiæ, antequam veniret Romam, & Ignatium Episcopum constituisse; non dicit autem quandónam eum constituerit. Apud Clementem verò inducitur Petrus dicens Ignatium non à se, sed à Paullo ordinatum: ita vt si ipsorum germana essent ea scripta, planè deprehenderentur Anacletus & Clemens inter se contraria dicere. Verùm illæ Apostolorum, vt vocantur, Constitutiones sub nomine Cle-

Greg. l. 6. ep. 37. Vide t. 1. Conc. p. 50. c. 2.

mentis Pontificis editæ meritò in rebus controuersis censentur apocryphæ, ac paruæ admodum auctoritatis, nisi aliunde confirmentur: tametsi in ijs, quæ ad bonum ecclesiæ ordinem & rectos mores pertinent, nequaquam sint aspernandæ. Euodium autem fuisse à S. Petro ordinatum etiam apud Suidam, in voce Ναζωραῖος, reperitur. Sic enim scriptum est: Ἰστέον δὲ, ὅτι ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως Ῥώμης, Πέτρου Ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. *Sciendum autem*, inquit, *sub Claudio Imp. Romano, cùm Petrus Apostolus ordinasset Antiochiæ Euodium, eos qui priùs Nazaræi & Galilæi dicebantur, vocatos esse Christianos*. Ita ille. Quorum occasione verborum, NOTA obiter eos qui Christi Fidem sequerentur, olim quatuor nominibus potissimè appellatos vulgò fuisse, tam apud Græcos, quàm apud Latinos; sed duo iam exoleuisse, duo hodieque permanere. Nam vocati sunt primitus Ναζωραῖοι, Γαλιλαῖοι, Χριστιανοὶ, πιστοὶ, *Nazaræi, Galilæi, Christiani, Fideles* seu *Credentes*. Sed duo tantum postrema nunc ferè in vsu. Quibus tertium deinde accessit, quod nos ab hæreticis distingueret, nempe Καθολικοὶ, *Catholici*. Quamuis & hoc nomen perantiquum: sed alia initio fuerunt, hoc sub initium. De quo vide optimi auctoris insignẽ epistolam Paciani inquã, ad Sympronianum, Nouatianũ, vbi inter alia: *Nec tamẽ æstues frater*, inquit: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat: istud ostendit: hoc probor; inde significor*. Sed ad propositum. Ex dictis ergo habetur Ignatium, si Episcopus creatus à S. Petro fuisset ante discessum eius Antiochiã, futurum fuisse non 14 annorum duntaxat, sed vnius & viginti. Iam verò nec necesse est puerum illum fuisse tantùm septem annos natum (cum esse potuerit decem, & verè ex vsu communi puer appellari) nec Ignatium fuisse creatum Episcopum ante Petri discessum, sed postea: præsertim quòd incertus esset Petrus, Romęne remansurus esset, an Antiochiam reuersurus. Quod etiam rectè annotauit Baronius. Equidem tunc demum existimarim creatum esse, quando certum habuit S. Petrus & apud se constitutũ, Romæ deinceps domicilium collocare. Accedit quòd S. Euodius ante Ignatium creatus fuerit; siue à S. Petro, vt Clementis & Suidæ verba præ se ferunt; siue à Paullo, vt suadent Anacleti. Quòd si autem à diuersis creatos esse illos dicendum sit, malim dicere Euodium à Paullo creatum esse, vt præesset ecclesię è Gentilibus ad Deum conuersæ (erat enim Paullus præcipuè ad Gentium conuersionem electus & intentus) Ignatium autem à S. Petro in salutem Iudæorum. Nam præter alios, de quibus sequenti cap. fauet etiam huic sententiæ S. Ioannes Chrysostomus in homilia, De S. Ignatio, vbi hac perelegant vtitur similitudine: *Quemadmodum*, inquit, *qui magnum lapidem è fundamentis extrahit, alium ei parem omnino studet reponere; ne omnis structura conquassetur & collabascat: sic cum Petrus esset hinc discessurus, alterum Petro parem magistrum, Spiritus gratia substituit, vt ne iam inchoata structura successoris tenuitate fieret infirmior*. Ita os illud aureum. Quod quidem ita in laudes eius, quem sibi exornandum susceperat, effusum fuit; vt tanquam primus & solus totam Antiochenam ecclesiam, siue quæ ex Gẽtibus, siue quę ex Iudæis erat, à Petro in manus accepisset, nulla S. Euodij fecerit mentionem. Verùm aliud est panegyricè dicere, aliud historicè scribere. Quare tenẽdum est S. Euodium primò datum Antiochenis Episcopum, deinde aliquanto post B. Ignatium: vt mox probabitur. Præterea dictum illud Chrysostomi: *Cum Petrus esset hinc discessurus*, sic accipiendum, est: *Cùm hanc vrbem & sedem episcopalem esset certò derelicturus*; nempe susceptã iam (vt suprà innuimus) ecclesiæ Romanæ gubernatione. Iam de S. Euodio Antiochenis priùs dato Episcopo, quàm B. Ignatio, præterquam quòd Historici omnes & Chronographi id perscribant; etiam ipsemet Ignatius confitetur & prædicat Cuius verba, quòd suprà cap. 4. vitæ ipsius intexuerim, hic non repetam. Quid? quod aliqui ponant Euodium ordinatum Antiochiæ Episcopum anno Christi 45. qui fuit Claudij Imp. annus tertius, & tenuisse episcopatum vsque ad annum Christi 70. atque illo demum anno ei successisse Ignatiũ. Qua in sententia est Eusebius & multi eum secuti Tum certè plusquam annorum, non dico 14. nec viginti, nec triginta, sed etiam plusquam quadraginta esset Ignatius, quando factus est Episcopus, licet puer fuisset septẽnis circa Christi Domini passionem. Verùm quoniam probabilissima sit ea sententia, quæ S. Ignatium à B. Petro ordinatum tenet, necessarium est antehac fuisse Episcopum: quandoquidem illo Christi anno septuagesimo martyrium Romę passus esset Petrus; nec sit credibile illo vltimo vitę suæ anno Ignatium ordinasse. Quicquid sit, saltem conuicimus ex eo, quod dicatur B. Ignatius fuisse puer sub tempus Passionis Christi, non sequi illum fuisse Episcopum anno ætatis decimo quarto, immo nec vigesimo, sed seriùs.

Tertia ratio contra nostram sententiam deducta est ex S. Hieronymi Presbyteri verbis, libro de Scriptoribus ecclesiasticis in Ignatio: cùm de epistolis eius ita scribit: *Et inde egrediens scripsit ad Philadelpheos & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem ecclesiam: in quâ & de Euangelio, quod nuper à me*

à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium ascens; Ego verò & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo quia sit: & quando venit ad Petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate me, & videte; quia nō sum dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum & crediderunt. Inde ergo quidam inferunt Ignatium non potuisse esse puerum illum Christi complexu dignatum. Quia scilicet puer non esset in cœtu Apostolorum, quando ijs statim à resurrectione Christus apparuit. Si enim erat puer tempore prædicationis Christi, quæ non integros quatuor annos habuit, sane in Christi resurrectione, quæ anno quarto accidit, non potuit esse nisi puer, vel admodum adolescens, nec idoneus saltem, qui in talem cœtum & in tanti mysterij participationem admitteretur.

Respondeo validissimum quidem futurum esse hoc argumentum, si verba Hieronymi hoc loco pondus haberent: verùm quandoquidem tria in ijs non parua errata deprehendantur, & vnum quidem in eo verbo, quo totum aduersariorum argumentum nititur, hinc consequens est totam illam, (quæ alioqui parebat optima) corruere argumentationem.

Primum igitur erratnm ac præcipuum est in illis verbis: *Ego verò & post resurrectionem eum vidi, & credo, quia sit* Nam apud S. Ignatium, vn de locum excerpsit Eusebius, & ex Eusebio Hierony mus, non habetur *vidi*, sed *scio*. Verba enim S. Ignatij in epistola ad Smyrnæos sunt hæc: Ἐγὼ δὲ οὐκ ἐν τῷ γεννᾶσθαι καὶ σταυροῦσθαι γινώσκω αὐτὸν ἐν σώματι γεγονέναι μόνον· ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. &c. *Ego verò*, inquit, *non modo in natiuitate eius & crucifixione ipsum in corpore fuisse cognosco; sed etiam post resurrectionem eum in carne esse scio & credo.* Qui verus & germanus est verborum Ignatij sensus, & quem facilè admittet & recognoscet, quisquis antecedentia & consequentia in ipsis sancti viri litteris attenderit. Ne quis porrò dicat aliquod in verbis Ignatij græcis erratum interuenisse, & pro οἶδα *scio*, legendum esse εἶδον *vidi*, sciat omnia græca exemplaria epistolarum Ignatij, itemq; Eusebij, Theodoreti, & aliorum verba ex ipso Ignatio citantium habere, οἶδα *scio*, non εἶδον *vidi*. Sic etiam ferè omnes interpretes eorundem Ignatij, Eusebij, Theodoreti, vocem οἶδα verterunt *scio*. Quare vanissimum est, quod affert Martialis Mæstræus in sua epistolarum B. Ignatij editione, dum sic ait: *Vetus interpres, Morelius, & Vairlenius hunc Ignatij locum simpliciter verterunt; cùm tamen ex eo B. Hieronymus in libro De viris illustribus, Theodoretus dialogo* Ἀσύγχυτος *& Eusebius libro tertio, capite 31. colligant Christum Dominum post resurrectionem suam, ab Ignatio in carne visum fuisse.* Ita Mæstræus bonas aliorum versiones malè corrigens; & suam temerè præferens. Sic enim vertit: *Ego vero non modo in carne venisse ipsum cognosco ex natiuitate & crucifixione eius; sed & post resurrectionem vidi eum in carne, & credo etiam nunc esse.* Verùm ipsemet planè hallucinatur, nec est verum illos Patres, quos citat, hoc colligere, aut id velle quod dicit. Neque enim hoc ibi agunt. Nam Eusebius quidem in recensione epistolarum Ignatij, dum ad eam, quæ scripta est ad Smyrnæos, venit; eo tantùm nomine locum quempiam inde producit, quòd testimonium quoddam nouum resurrectionis Christi cōtineat, nec sciat ipse, vnde illud Ignatius sumpserit. Verba ipsius Eusebij sunt hæc: Ὁ δ᾽ αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδα ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ Χριστοῦ διεξιών· Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα. Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἐλήλυθεν, ἔφη αὐτοῖς. Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο καὶ ἐπίστευσαν. *Ad Smyrnæos sanè scribens*, inquit, *vtitur verbis quibusdam, vnde sumptis, nescimus: quibus hæc de Saluatore proloquitur: Ego autem post resurrectionem quoque in carne eum scio fuisse & credo. Nam & cùm venisset ad Petrum ceterósque, ait eis: Accedite & videte, quia non sum dæmonium incorporeum. Qui & contingentes eum, crediderunt.* Ita Eusebius interprete Ruffino Presbytero. Vbi notandum vnam deesse vocem & supplendam hoc modo: *Accedite & palpate, & videte* &c. Atqui nec Eusebius illo loco, nec item eius interpres Ruffinus dicunt S. Ignatium vidisse Christum, nec intendunt id dicere, vt patet. Hieronymus autem nulla alia de caussa eundem locum adduxit, nisi vt ostenderet se scire, quod professus erat Eusebius se ignorare: ideóque dixit *In qua & de euangelio, quod nuper à me translatum est.* &c. vt suprà, initio huius tertiæ rationis, indicans illa verba S. Ignatij desumpta esse ex euangelio Nazaræorum. Illud est enim, quod ipse transtulit: vt idem ipse testatur in caput 12. Matthæi, ad illa verba: *Tunc ait homini: extende manum* Matthæi 12
tuam. In euangelio, inquit, *quo vtuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in græcum de hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur à plerisque Matthæi authenticum) homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur.* &c. Quare nec Hieronymi scopus fuit colligere S. Ignatium vidisse Christum in carne post resurrectionem. Neque magis fuit Theodoreti; quippe qui loco citato nihil aliud propositi habuit, quàm vt petenti testimonia SS. Patrum ad probandum naturam humanam fuisse in Christo cum diuina coniunctam, ipsa vetustissimorum

rum Patrum Ignatij, Irenæi, Hippolyti, & aliorum proferret. Quare quod idem Mæstraus subdidit his verbis: *Nos tantorum virorum auctoritate & antiquitate freti* VIDI, *sumus hic interpretati*, longe à via aberrauit, cùm Ignatius, Eusebius & Theodoretus contra illum sint, non pro illo; qui sanè, si voluissent significare VIDI, non dixissent οἶδα, quod est, *scio*, sed εἶδον quod *VIDI* significat, vt in illo Isaiæ 41. versu 5. *Viderunt gentes & timuerunt*. græcè est: Εἴδοσαν ἔθνη κ. ἐφοβήθησαν. iuxta editionem Septuaginta, & eorum interpretem. Denique de primo errato in verbis suprà positis hactenus satis.

Secundum erratum est, quòd citata sit epistola ad Polycarpum, pro epistola ad Smyrnæos. Nam in hac, & non in illa reperiuntur S. Ignatij verba. Quod patet ex omnibus epistolarum S. Ignatij exemplaribus græcis & latinis, atque etiam ex Eusebio, Ruffino, Theodoreto. Et huius quidem in dialogo 2. qui inscribitur Ἀσύγχυτος *Inconfusus*, hæc sunt verba: Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου Ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, κ. μέρος ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους ἐπιστολῆς· Ἐγὼ γὰρ κ. μετὰ τὴν ἀνάστασιν. &c. *Sancti Ignatij Episcopi Antiochiæ*, [testimonium scilicet] *& pars eius ad Smyrnæos epistolæ: Ego enim etiam post resurrectionem* &c. vt suprà.

Tertium erratum est in illis verbi: *quia non sum dæmonium corporale*. Sic enim scripsisse Hieronymum ipse eius interpres Sophronius probat; qui græcè reddidit: Ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον σωματικόν. Sophronij porrò versionem non modò admisit aut approbauit Hieronymus, sed etiam laudauit. Vide librum eius extremum de Scriptoribus ecclesiasticis, vbi refert quæ idem Sophronius scripserit & verterit. Atqui apud Ignatium in omnibus exemplaribus atque apud alios Patres suprà laudatos, vbique & græcè & latinè reperitur, apud illos quidem ἀσώματον, apud hos autem *incorporeum* vel *incorporale*. Et ipse S. Ignatij scopus ita exigit: vt apud ipsum videre est. Verùm hæc errata partim obliuionis, partim inconsiderantiæ ex scribendi celeritate in viro tanto extiterunt: sed tamen quæ aperienda sint, ne alios propter auctoritatem fallant, aut quæ alibi vera sunt, infirment.

Ita responsum sit argumentis contra S. Ignatij gloriosam pueritiam allatis: maneatque ipsum fuisse illum puerum Christi manibus attrectatum & complexum. Quo complexu significatum fuisse à Christo ait Metaphrastes, quantus olim futurus esset Ignatius. Sic enim scribit: Ὁποῖος ἔσοιτο προκόπτων τὴν ἡλικίαν Ἰγνάτιος, ἐντεῦθεν παραδηλῶν. *Quantus esset futurus prouecta ætate Ignatius, inde subindicans*. Christus scilicet. Adde pro corollario: non facilè reperiri posse caussam, cur tam precioso iuxtà & specioso agnomento tam libenter vteretur, humillimus vir alioqui ac modestissimus, Ignatius, nisi quòd ipsi in memoriam reuocaret, ita portandum sibi esse Christum in corde, quo modo ipse Christi manibus olim portatus esset. Quod ex proximè dicendis confirmabitur.

c QVIN ET INDE PROFECTVM DOCENT &c.] S. Ignatium esse agnominatum Theophorum, propterea quòd amplexu illo Christi & velut portatione dignatus esset, apertè & expresse docet Menæum ad vigesimam Decembris, & alibi. Vide suprà cap. 28. in vitæ compendio, & rursus ode prima. Item cap. 29. post acrosticha, ode 2.

d CVIUS PERIISSE GERMANA VIDETVR INSCRIPTIO.] Quin epistola illa quæ scripta est ad B. Polycarpum, sit vera ac germana ipsius S. Ignatij, nemo, quòd sciam, Catholicorum hactenus inficiari ausus est: sed ad inscriptionem, quæ illi præfixa est, quod attinet; ea quidem sanè, prout hodie iacet, minimè sapit Ignatiũ. Qui enim alios omnes, ad quos scripsit, mirifice in ipsa inscriptione laudauit; quanto id vberiùs & liberaliùs in longè sanctissimo & sibi inter omnes amicissimo fecisset Polycarpo? Nunc autem ea inscriptio, quæ in manibus est, omnino contrà facit. Nam laudat Ignatium, & timorem inijcit Polycarpo. Atqui nec moris est Ignatiani, nec ingenitæ illi modestiæ, laudare se ipsum; nec item prudentiæ, tali inscriptione ad alterum vti. Quid ergo est? Non verebor equidem dicere, verba illa, quæ modò Inscriptionis locum occupant, verba esse ipsius S. Polycarpi. Rogatus enim à Philippensibus (fortè & ab alijs, sed de Philippensibus in confesso est) vt litteras B. Ignatij martyris, quotquot apud se haberet, ad ipsos mitteret; quod ad alias quidem spectat, eas prorsus vti erant, cum suis inscriptionibus misit; sed ad se missam, pro innata sibi modestia & humilitate, sublata inscriptione (quod eam videret nimijs suis laudibus plenam) & eius loco adiectis tantùm quibusdam verbis, quibus significaret eam à beatissimo martyre ad se missam, ad ipsos transmisit. Eadem autem ipsa verba loco veræ ac germanæ inscriptionis ad hoc vsque tempus remanserunt. Ea sunt eiusmodi.

ΙΓΝΑΤΙΟΣ Ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας, ὁ κ. μάρτυς ΙΗΣΟΥ Χριστοῦ, Πολυκάρπῳ Ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας Σμυρναίων· μᾶλλον δὲ ἐπισκοπημένῳ ὑπὸ θεοῦ πατρὸς κ. ΙΗΣΟΥ Χριστοῦ πλεῖστα χαίρειν.

IGNATIVS Episcopus Antiochiæ, qui & martyr IESV Christi, Polycarpo Ecclesiæ Smyrnensis Episcopo siue Inspectori: immo magis inspecto à Deo Patre & IESV Christo Salutem plurimam.

Quæ

Quæ ſanè verba puram putam ſonant B. Polycarpi humilitatem atque ſubmiſſionem cum laude ſui Ignatij. Nam Ignatius quidē non omiſiſſet ordinarium illud ſuum: *qui & Theophorus*, quod aliàs ſemper appoſuit; nec appoſuiſſet: *qui & martyr IESV Chriſti*, quod ſemper omiſit, aut potiùs quod ſemper tam dicere horruit, quam eſſe appetiuit.

e QVÆ ETIAM APPELLATIO.] Hāc Theophori appellationem in omnibus ferè ſacris Auctoribus, qui de hoc Ignatio loquātur, paſſim reperies, in Euſebio, in Socrate, in Chronico Alexandrino, in Anaſtaſio Presbytero, in Antiocho Monacho, in Georgio Cedreno, in Zonara, in Nicephoro Calliſto, in Menæo Græcorum, in alijs denique quàm plurimis, quorum laudandis teſtimonijs ſuperſedeo: cùm poſſint in hiſce noſtris ſcriptis diſpersè pluribus locis obſeruari.

f QVI SE AD IVDÆORVM SALVTEM.] Veniſſe Chriſtum Dominum primò ac principaliter ad Iudæorum ſalutem videtur ex ipſiuſmet dictis, Matthæi cap. 15. ver. 24. poſſe colligi. Dicit enim: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael.* Hinc & Diſcipulis ſuis apud eundem S. Matthæū, cap. 10. ver. 5. præcepit, *dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael.* Hinc & Actorum cap. 11. ver. 19. *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* Et in iiſdem Actis cap. 13. ver. 46. cùm Iudæi Paullo contradicerent, *Tunc conſtanter Paullus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primū loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Ex his colligi poteſt Dominum Iudæi alicuius domum intraſſe potiùs, filiúmque eius complexum eſſe, & in ſimplicitatis atque innocentiæ exemplum propoſuiſſe, quàm Gentilis cuiuſpiam & extranei, ac proinde & ipſum Ignatium illo diuino complexu dignatum, genere Iudæum fuiſſe.

INGENIO AVTEM FVIT &c.] Facili, acri, feruidóque ingenio fuiſſe B. Ignatium ipſius celeres atque extemporales litteræ in itinere & in vinculis conſcriptæ planiſſimum faciunt. Atque, vt de alijs taceam, nec de facilitate, vt ex omnibus notā, quicquam laborem; qualis aduerſus hæreticos acrimonia! quantus pro adipiſcendo martyrio feruor! hic quidem in epiſtola ad Romanos; illa verò in litteris ad Philadelphienſes, ad Antiochenos, ad Epheſios: quæ omnes litteræ, quos ignes, quas flammas, quæ amoris zeliúque incendia cōtinent! Exempla ne huc reuocem, in Documentis ſuprà poſitis ſpectata ſunt.

PASSIM CELEBRANTVR PAPIAS ET POLYCARPVS.] Hos fuiſſe Apoſtolorum diſcipulos, & Ignatij condiſcipulos, ſatis eſt à primis hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptoribus & Chronographis, itémque ex antiquiſſimis martyrologijs conteſtatum. Nam Euſebius Cæſarienſis lib. 3. hiſt. cap. 30. & in Chronico ad annum Traiani 2. id inſinuat: & poſt illum idem alij profitentur. S. Hieronymus Chronici Euſebiani interpres ad dictum Traiani Imp. annum ſic habet: *Ioannem Apoſtolum vſque ad Traiani tempora Irenæus Epiſcopus permanſiſſe ſcribit. Poſt quem auditores eius inſignes fuerunt Papias Hierapolitanus & Polycarpus Smyrnæus & Ignatius Antiochenus.* Vide etiam martyrologium Rom. ad 22. Februarij & Græcorum Menologium ad viceſimam tertiam eiuſdem menſis: & quid notauerimus ad vitam S. Papiæ infrà in hoc ipſo tomo poſitam. Ibi enim neceſſitas fuit, nonnulla, quæ etiam pro hoc loco nonnihil faciunt, aliquanto fuſiùs atque accuratiùs pertractare.

f SED ETIAM CVM ILLIS FAMILIARITER VERSATVS] Huius S. Ignatij familiaritatis atque conuictus cum Apoſtolis teſtem habemus magnum illum Ioannem Chryſoſtomum in ea de S. Ignatio homilia, quæ extat in tomo homiliarum eius ad pop. Antiochenum. Nam duas ab eo conſcriptas de Ignatij martyrio conciones notauit Petrus Galeſinius in Notis martyrologij ſui ad Calendas Februarij, *quæ græcè*, inquit, *in bibliotheca Vaticana Romæ aſſeruantur*. Vtinam aliquando prodeant! ſeu ambæ; ſi quidem ab ea diuerſæ ſunt, quam habemus; ſeu ſaltem altera quam non habemus. In ea verò quam habemus, ita ſcribit os illud aureum: Ὁποῖον ἂν εἶναι εἰκὸς τὸν ἐντραφέντα ἐκείνοις, καὶ πανταχοῦ συγγινόμενον, καὶ ῥητῶν καὶ ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κοινωνήσαντα, καὶ τοσαύτης εἶναι δόξαντα αὐτοῖς ἀρχῆς ἄξιον; *Qualem igitur eſſe conuenit eum, qui cum illis* [Apoſtolis] *nutritus ſit, & vſquequaque verſatus, & omnium tam dicendorum quàm tacendorum particeps fuerit, tantóque ab illis dignus principatu exiſtimatus ſit?*

Vbi NOTANDVM illa verba, Καὶ ῥητῶν καὶ ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κοινωνήσαντα, non rectè à Franciſco Zino interprete reddita eſſe, nempe ſic: *& omnium, quæ ab illis dicta vel non dicta ſunt, particeps fuit*. Nam præterquam quòd dici aliquis non poſſit particeps non dictorum, vox ἀποῤῥήτων non ſignificat eo loco *non dictum*, ſed potiùs *non dicendum*, hoc eſt, quod taceri & ſecretum teneri debet: ita vt dicat S. Chryſoſtomus B. Ignatium, non aliorum modò, quę ab Apoſtolis ſeu publicè ſeu priuatim dicerentur & euulgari poſſent, fuiſſe conſcium; ſed etiam ſermonum quorundam arcanorum, nec facilè euulgandorum. Ea enim prorſus eſt vis duarum vocum ῥητὸν καὶ ἀπόῤῥητον. Quas & appoſitè atque eleganter expreſſit Horatius libro primo epiſt.

pist. septimâ in his versibus:

Vt ventum ad cenam est; dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur.

Vbi *dicenda, tacenda* planè idem sunt, quòd ῥητὰ καὶ ἀπόῤῥητα.

CAPVT II.

Continet hoc caput de vrgendo in virtutibus progressu non pœnitenda, præsertim auctore Ignatio, hortamenta.

SIC IGITVR ET IPSE IBAT QVOTIDIE PROFICIENS.) Puduisset enim profectò virum sanctum ad id alios adhortari, quod ipse non faceret, & tales quidem viros ac feminas, qui & essent, & ab eo haberentur, tanquam specimina quædam sanctitatis. Mariam enim quidem illam, cui primã scripsit epistolam, & quæ aliquibus Cassobolite, alijs Anazarbensis appellatur, illam, inquam, Mariam vocat ipse Ignatius in epistola ad Heronem, *piarum feminarum specimen*, hortatur nihilominus eam ad profectum in virtutibus, & ad laborem labori addendum; vt videre est suprà cap. 6. vitæ, in epistola ad eam data. Quanti autem & S. Polycarpum fecerit, in compluribus epistolis declarauit: nec minus tamen quotidiani profectus studium, & cursus intendendi curam ei commendauit. *Obsecro te*, inquit, *per eam, quã indutus es, gratiam: vt cursui tuo adijcias* &c. Heronem quoque suum notissimæ sibi sanctitatis, & quem sibi successurum diuinitus cognouerat, tamen in primo datæ ad ipsum epistolæ initio nulla de re alia, quàm de adijciendo ad cursum suum, priùs & efficaciùs admonet. *Adhortor te in Deo*, inquit, *vt adijcias ad cursum tuum, & dignitatem tuam tuearis.* Nempe optima tuendæ dignitatis ratio est, susceptæ virtutis cursum non remittere, sed intendere. Quò multùm iuuabit, non quantum habeas, sed quantum non habeas, mente sollicita & auaro solidarum virtutum oculo; si non in horas, saltem in dies singulos attētè contemplari. Id videtur Paullus Apostolus, & eius exemplo Ignatius martyr factitasse: ille quidem, dum diceret: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens; ad ea verò, quæ sunt priora extē-dens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauiū supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* hic verò, cùm toto gradu in perfectionis via, & in itinere martyrij insistens, tamen se tantùm incipere Christi esse discipulum profiteretur, & quantum haberet acquisitæ virtutis, nesciret, & quantum spatij ad palmam atque ad cælos superesset, prætimida humilitate attenderet. (Ad Phil. 3. vers. 13.)

Quorum vtriusque verba si quis accuratiore iudicio ponderet, tum demum clarissimè perspiciet, quanti ambo fecerint, semper in anteriora, nunquam regrediendo, nusquã consistendo, vsque ad supernæ vocationis brauium & Christi beatam fruitionem, non modò contendere, sed etiam vi facta seipsos extendere. Nam in eo, quod ait Paullus, VNVM AVTEM, emphasis est simul & aposiopesis, nimirū duæ figuræ ad rem efficaciter & neruosè significandam atque exaggerandam appositæ; quasi diceret: *Vnum autem*, est necessarium scilicet, & præ omnibus mihi cordi, cùm mea intersit longè plurimi, quod & proinde totus ago. Quidnam? *Quæ quidem retro sunt, obliuiscens*; id est, quæ iam egi, quæ antehac pertuli pro Christi nomine & salute proximorum, hęc omnia pro nihilo ducens atque obliuioni tradens; *ad ea verò, quæ sunt priora*, hoc est, quæ in cursu incepto progredienti percurrenda restant; meipsum toto, quantum possum, corpore extendens, omni conatu iuxta scopum meum elaboro, brauium illud æternum, ad quod vocatus sum, perfectè consequi. Ignatius verò noster post multa egregia certamina, illustrésque victorias, dum in vltimo & principali actu instantis martyrij adhuc versatur, & metæ vicinus ad eam totus anhelat, quasi nihil omnino essent omnia à se hactenus facta & tolerata, ac iam priùs inciperet esse Christi discipulus, cùm ad certam mortem seriò traheretur, *Nunc demum incipio*, inquiebat, *Christi esse discipulus, dum eorum, quæ videntur, & quæ non videntur, nihil æmulor, vt IESV Christo potiar.* (S. Ignat. epist. ad Roman.)

QVI POPVLOS AD QVADRAGENARIVM CHRISTI IEIVNIVM &c.) Extat B. Ignatij locus ad ieiunij illius obseruationem cohortantis, in epistola eius ad Philippenses. Quem locum vide suprà, inter Documenta cap. 22. Neque vllum extat cuiusquam alterius Scriptoris, quàm sit hoc Ignatij, antiquius & certius. Nihil enim de illo scriptum reliquerunt Apostoli: quamuis ipsi, vt credibile est, exemplo præiuerint, & præeundo tacitè inuitarint. Cauebant enim Apostoli, pręsertim in illis nascentis ecclesiæ primordijs, ne Christi iugum, quod ipsemet suaue esse prædicarat, ipsi suis præceptionibus durum facerent. Gentilibus quidem sanè ad ecclesiam venientibus (vt qui antehac nihil denegare carni & sanguini consueuissent, quique tam à ieiunijs abhorrerent, quàm in voluptates ac delicias proni essent) non potuisset iugum illud tam longi ac tam insolentis ieiunij non videri intolerabile. Quare nec verbum vllum ostendi potest, quo Apostoli in suis litteris ieiunium istud obseruandum pręceperint, aut adhortando commendarint. At sua spiritus prudentia leniter cum rudibus atque imperfectis procedentes, satis habuerunt suo illis exemplo tā efficaces, quàm tacitos imitationis aculeos inijcere: & quo pacto cum ipsis Christus, ita ipsi cum Christianus

stianis agere. Nec enim Christus eis ieiunia præcepit; immo & non ieiunantes aduersus ipsorum conuitiatores defendit. Nam Matthæi 9. versu 14. *accesserunt ad eum discipuli Ioãnis dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis IESVS: Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt.* Ita igitur post Christi ad cælos ascensionem factum est. Cœperũt enim tunc ieiunare & lugere & vigilare & alios ad eadem ipsa dictis & factis incitare. Hinc Paullus exhortans Corinthios epist. 1. cap. 6. sic inter alia: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs.* &c. Quare qui inter Christianos extitere in virtutis studio feruentiores, alij semel, alij bis, alij ter, aut etiam sæpius quauis hebdomade ieiunandi cõsuetudinem assumpserunt: cùm autem plurimi ferijs quarta & sexta ieiunarent; inde mos introductus, vt ijsdem diebus à cuncto populo Christiano ieiunaretur. Ita & circa Quadragesimam euenit. Quum enim ante Pascha in memoriam & honorem ieiunij Christi Domini in deserto, aliqui nonnullorum dierum ieiunium voluntaria pietate obseruarent, hi septem, hi quindecim, alij plurium, nonnulli etiam ipsorum quadraginta; inde mos sensim inualuit, vt tale ieiunium in populis, iuxta patriam plurimorum consuetudinem, seu pluribus seu paucioribus diebus obseruaretur. Quę consuetudo cùm needum adeo corroborata esset, vt legis vim obtineret, peccatóue obstringeret; tum nonnulli, vt fit, vitæ liberioris eos irridebant, qui in ijs custodiendis accuratiores erant; Ignatius verò ecclesiæ studens perfectioni, nec volens populum, (qua erat prudentia atque mansuetudine) in re difficili, noxæ alicuius alligare, satis habuit eos monere, vt ne ieiunia, quæ pij piè colerent, & quæ Christi imitationem haberent, temere aspernarentur. Id enim volunt, & nihil amplius, ista eius ad Philippenses verba: *Quadragesimã nolite spernere. Continet enim imitationem vitæ Domini. Post Passionis hebdomadam, dies quartæ & sexta ieiunia, nolite despicere, ea, quæ superfuerint, pauperibus erogantes.* Hic est enim proprius & germanus sensus eorum quę sic græcè extulit S Ignatius: Τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε. Μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας. Μετὰ τὴν τοῦ πάθους ἑβδομάδα, μὴ παρορᾶτε τετράδα καὶ παρασκευὴν νηστεύοντες, πένησιν ἐπιχορηγοῦντες τὴν περισσείαν. Quorum verborum, vt à tanto viro & tam antiquo Patre, conscriptorum tanta esse debet auctoritas; vt nihil in hac ieiuniorum materia antiquius simul & certius scriptum esse à quoquam confitendum sit. Nam liber Canonum Apostolorum qui vocatur, à S. Gelasio Papa censetur apocryphus. Vnde ille canon 69. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν οὐ νηστεύοι, ἢ παρασκευήν, καθαιρείσθω· ἐκτὸς εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο. ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cãtor sanctam Quadragesimam non ieiunet, vel quartum diem vel parasceuen, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: sin autem sit laicus; segregetur.* Ille, inquam, canon haud tanti est precij, quãti verba Martyris Ignatij, à quo potiùs sua, vt opinor, desumpsit ille Canonum compilator, quàm ab illo Ignatius. Græca in editione Seuerini Binij, tomo 1. cõciliorum, vti paullò aliter habent, quàm hic posui, ita paullò deteriùs. Nam lectio, quam hic expressi, est ex antiquissima editione anni M.D.XL. quo modò & Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus ante annos quadringentos legit, & cõmentarijs illustrauit. Qui commentarij vnà cum ipsis canonibus è bibliotheca Ioannis Tilij Briocensis Episcopi, ante XII. circiter annos Lutetiæ Parisiorum typis regijs græcolatini prodierunt. Iam verò, si quis Apostolicas Constitutiones eorundem ieiuniorum facere mentionem dicat, respondeo illas post Ignatij tempora conscriptas esse, minimè verò, vt nõnulli credunt, à Clemente Pontifice; quod vel ex illis solis verbis certò cognosci potest, quæ habentur lib. 7. earundem Cõstitutionum, cap. 46. *Hierosolymis ordinatus est Iacobus frater Domini: quo mortuo, secundus Simeon Cleophæ: post eum tertius Iudas Iacobi. Cæsareæ Palæstinæ primus ordinatus est Zacchæus olim publicanus: post eum Cornelius: tertius Theophilus.* Cõstat enim Clementem obijsse ante Simeonem Cleophæ, & ante Theophilum Cæsareæ Palæstinę Episcopum. Quare non potuit, nec de Iuda Simeonis successore scribere, nec de Theophilo, Cornelij: cũ hæc multis post eius mortem annis acciderint. Fateor tamen in ijs libris plurima lectu dignissima reperiri, ea scilicet, quæ ad morum disciplinam, & Ecclesiæ ritus atque antiquas consuetudines spectant. Proba enim sunt, & magni ob vetustatẽ, (quę saltem ad tertium sæculum referri potest) æstimanda.

Matthæi 9.

Ignat. ep. ad Philippenses.

VBICVMQVE FVIT, HOSPES FVIT] Discipulus enim Apostolorum morem viuẽdi tenuit Apostolicum, nihilque possidere proprium voluit, non domum, non agrum, non fortunas quascunque priuatas; sed suorum instar magistrorum, nihil habere, & omnia possidere: nihil ad dominium, omnia ad vsum: nempe ita, vt nihil ipsi deesset necessariorum, non magis quàm Apostolis, quos cùm interrogasset Magister Christus, Lucæ 22. ver. 35. *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* responderunt

2 ad Cor. 6.

Lucæ 22.

ſponderunt: *Nihil.* Iam tum enim re ipſa experiebantur illius diuini oraculi veritatem, Marci 10. ver. 29. *Amen dico vobis; Nemo eſt, qui reliquerit domum aut fratres aut ſorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me; & propter euangelium; qui non accipiat centies tantum nunc, in tempore hoc; domos & fratres & ſorores & matres & filios & agros cum perſecutionibus; & in ſæculo futuro vitam æternam.* id eſt, qui non recipiat in hac præſenti vita centies tantum boni & conſolationis & auxilij, quantum reliquerit: ita vt ſi omnia commoda, quæ recipit e domo propria, è fratribus, è ſororibus, ex patre, matre, filijs, agris in vnum conferrentur, vix centeſima pars eſſent eorum commodorum, quæ ijs relictis à compenſante & reddente affluenter Domino ſuſcipit. Nam pro vna domo facit Dominus, vt in pluſquam cẽtum recipiatur, & tractetur meliùs etiam & benigniùs quàm domi ſuæ: & pro paucis fratribus & ſororibus, & vno patre, matre, vxore, (nam in Græco Marci eſt etiam γυναῖκα, quod vxorem ſignificat) facit Dominus, vt plures centum, aut ſaltem centum reperiat, qui eum verè fraterno amore, & paterna caritate & materno affectu & cõiugali beneuolentia proſequantur; & filiali, vt ſic loquar, inſeruiendi promptitudine illi præſto adſint: & cuncti denique omne officij genus ex puro ac ſincero corde, & propter vnum ac ſolum Deum, nullo precij aut remunerationis reſpectu exhibeant. Atque hæc quidem non modò proſperitatis tempore, ſed etiam, vt S. Marcus loquitur, *cum perſecutionibus*, id eſt, tempore perſecutionum, & cuiuſlibet quamuis aſperę aduerſitatis. Quod ipſum ſe expertum eſſe beatiſſimus martyr Ignatius inter medias perſecutionis flammas, & in ipſo ad martyrium itinere, & inter ſatellites leopardos, toto quantum fuit inter Syriam & Italiam itinere, in ſuis præ ſe tulit & manifeſtè indicauit litteris. Cùm enim in talibus aduerſis etiam ipſi interdum domeſtici ſuos quamuis coniunctiſſimos deſerant; ad ipſum vndique ex vrbibus & prouincijs adiuuandum, & quouis officij & obſequij genere ſubleuandum paſſim ab Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis, atque ab alijs item hominibus concurrebatur: quorum auxilia & ſolatia nullus ſanguis, nulla affinitas, nullum vinculum, qualecunque demum foret, aſſequi vnquam potuiſſet. Itaque habuit S. Ignatius voluntariæ ſuæ, & Apoſtolicæ paupertatis, etiam in hac vita, præmium longè locupletiſſimum, & pro vna domo centum, immo plures quàm centum, ſicque de alijs. Antiochiæ quidem ſuo in epiſcopatu, domo vſus eſt optimi ac moderatiſſimi patrisfamilias Caſſiani, qui erat illi in procuratione rerum neceſſariarũ, inſtar patris, vti & eiuſdem vxor inſtar matris, filij autem, inſtar liberorum: quos proinde omnes, cùm in pluribus

MARCI 10. CAP. LOCVS EXPLICATVS.

epiſtolis perquàm humaniſſimè conſalutet; tum præcipuè & cum ſanctis apprecationibus diuinæ remunerationis, in epiſtola ad Heronem iam quidem Antiochiæ Diaconũ duntaxat, ſed futurum paullò pòſt Epiſcopum, adepto ſcilicet martyrium ipſo Ignatio. Cuius hæc ſunt verba: Ἄσπασαι Κασσιανὸν τὸν ξένον μου, καὶ τὴν σεμνοτάτην αὐτοῦ ὁμόζυγον, καὶ τὰ φίλτατα αὐτῶν παιδία· οἷς δῴη ὁ Θεὸς εὑρεῖν ἔλεον παρὰ Κυρίου, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, τῆς εἰς ἡμᾶς διακονίας· ἧς καὶ παρατίθημί σοι ἐν Χριστῷ. *Saluta Caſſianum hoſpitem meum, & pudiciſſimam eius coniugem, & cariſſimos eorum liberos:* quibus det Deus inuenire miſericordiam à Domino in illa die, *ſui erga nos miniſterij gratia. Quos & tibi commendo in Chriſto.* Vbi NOTA virum ſanctum appoſitè in ſua apprecatione verbis Paulli vſum eſſe: quòd ſcilicet qualem inuenerat Paullus Oneſiphori domum, 2. ad Corinthios 1. verſu 16 & ſeqq. vbi ait: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigerauit; & catenam meam non erubuit* &c. talem & ipſe recognouiſſet Caſſiani hoſpitis ſui familiam, in omnia nimirum erga ſe officia prorſus effuſam. Præclarè porrò annotauit vnus ex primis huius Duacenæ Academiæ columinibus, Matthæus Galenus Veſtcappellius in commentario ſuo de Sacerdotio, cap. XI. antiquiſſimos Patres atque Antiſtites proprijs caruiſſe domicilijs, & tanquã hoſpites in alienis habitaſſe ædibus. *Priſci*, inquit, *Epiſcopi hac laude vel in primis commendabantur: quòd veluti peregrini ſemper incertis quodam modo vagarentur ſedibus, neque vſquam haberent (vt ille ait) manentem locum. Vnde diuinus Ignatius litteris Antiochiam datis iubet Diaconum Heronem ſalutare Caſſianum hoſpitem ſuũ. Sic inimicorum ſuorum odijs coactus ſuas prædicare virtutes beatiſſimus Theodoretus, epiſtola ad M. LEONEM; inter alias, hoſpitij proprij enumerat inopiam; cùm Cyrus latiſſimis diſtenderetur finibus. Sic denique decreuit ſub idem ferè tempus Aurel. Auguſtinus, & in primum librum ſuorum Decretorum retulit D. Burchardus. Epiſcopus*, ait, *quaſi hoſpes fieri debet: & priuatam domum non habeat: ſed quaſi hoſpes eſſe debet, vt Chriſtus ait. FILIVS HOMINIS NON HABET, VBI CAPVT RECLINET.* Hactenus è doctiſſimo Veſtcappellio. Quod autem Chriſtus Dominus inchoato munere prædicationis, & matrem & omnia reliquerit, & domo propria caruerit, proximè allata è Lucæ euangelio ſententia certum facit. Sed caruiſſe etiam Apoſtolos colligunt S. Ioannes Chryſoſtomus, & Theophylactus, & Euthymius ex illa Diſcipulorum interrogatione Matthęi 26. *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* primus quidem homilia 81. in Matthæum in græcis codd. in latinis autem 82. ſecundus autem cap. 22. enarrationis in Lucam; tertius denique cap. 63. in euangelia. Verùm nihil certius & euidentius pro teſtimonio omnimodæ paupertatis

ad Timotheum ca. 1.

Hebr. 13.

B. THEODORETI LAVS.

Lucæ 9.

tatis Apostolorum afferri potest, quàm illud Petri: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Matthæi 19. ver. 27. Nam si omnia reliquerunt; certè & domos, & quæcunque alia. Quos imitati sunt plurimi alij fideles. Act. 4. Actor. 4. *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autē singulis, prout cuique opus erat.* Iam vero noster beatus martyr Ignatius, totus igni amoris Dei & IESV Christi ardens, cùm eius & magistrorum suorum perfectus esset æmulator, ita nihil terrenum nec possidens, nec amans, semper vt hospes ac peregrinus vixit in terra, vt ciuis esset cęli ac domesticus Dei.

ET GENTI IVDAICÆ, QVÆ PLVRIMA ANTIOCHIÆ ERAT.] De caussa multitudinis Iudæorum Antiochiæ agitur in vita cap. 3. vbi dicitur à Seleuco Nicanore datum Antiochiæ & in alijs vrbibus Syriæ æquale ius ciuitatis Iudæis & Græcis. Vide Iosephum Iudæum lib. 12. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 13. in græcolat. exemplari: vbi plura extant fauoris Imperatorum in Iudæos indicia. Quin tribus fere post Ignatium sæculis, & S. Ioannis Chrysostomi ætate, cùm iam imperij Romani sedes Constantinopoli ab ipso Constantino Magno pridem esset constituta, & ipse Constantinus, aliique post eum Imperatores mirificè illam amplificare atque ornare & celebrare studuissent, tamen populosior erat Antiochia, quam Constantinopolis. Quod idem Chrysostomus testatur homilia 6. contra Anomoeos sub initium.

NAM ET ANTEA S. EVODIVS] Vetus martyrologium Romanum, id testatur ad VI. Maij, vbi sic de Euodio: *Beati Euodij Episcopi, qui primus ab Apostolis Antiochiæ ordinatus est.* Idem & alia Romanorum martyrologia eodem die, & Græcorum tam Menæum vigesima Decembris (cuius verba cap. 28. suprà recitantur) quàm Menologium 29. Aprilis contestantur. Adde Eusebium in hist. eccl. cap. 16. (sed in græcis codd. 22.) & in chronico ad annum Christi Domini 45. Claudij Imp. 3. & alios post eum Historicos atque Chronographos, quorum est non minus certa quàm communis sententia. Nam & ipsummet S. Ignatium habet auctorem in epistola ad Antiochenos sic loquentem: Μνημονεύσατε Εὐοδίου τοῦ ἀξιομακαρίστου ποιμένος ὑμῶν, ὃς πρῶτος ἐνεχειρίσθη παρὰ τῶν Ἀποστόλων τὴν ὑμετέραν προστασίαν. *Memores estote Euodij multo beatissimi Pastoris vestri, qui primus præfecturam vestri ab Apostolis accepit.*

ANTE PETRI ENIM ADVENTVM &c] S. Paullum priùs S. Petro venisse Antiochiam Syriç, ibique euangelium annunciasse, clarum est ex Actis Apostolorum, vbi Paulli illuc aduentus describitur cap. 11. Illic enim primi auctores conuersionis Antiochiæ ad Christum dicuntur fuisse viri quidam Cyprij & Cyrenæi ex ijs, *qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano.* Qui cùm multos ad Dominum conuertissent, occasionem præbuerunt ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis, mittendi eò Barnabam. De quo illuc profectò sic eadem Acta: *Qui cùm peruenisset,* Actor. 11. *& vidisset gratiam Dei,* ver. 23. (quàm multi scilicet ad Deum & Christum IESVM etiam ex Gentilibus, per susceptionem diuinæ gratiæ accessissent) *gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli, CHRISTIANI.* Ecce igitur habemus qui primi Antiochiæ fuerint, & laborarint, & nomen CHRISTIANORVM multâ nominis CHRISTI appellatione & prædicatione induxerint. Nam si S. Petrus ante hæc tempora fuisset Antiochiæ, ibique ecclesiam fundasset, sedemque suam statuisset, certè eius fuisset illi ecclesiæ de operarijs se absente prouidere, & de ecclesiæ successu discere, & S. Lucas cap. XI. Act. versu 19. facta proximè Petri mentione, & eorum quæ Cæsareæ in Cornelij Centurionis domo fecerat, indéque transiens ad conuersionem Antiochenorum ad Christi fidem, dum narrat, quē fructum ibi fecerint viri Cyprij & Cyrenæi, & quemadmodum illo fructu audito ab ijs, qui erant Hierosolymis, ipsi illuc miserint Barnabam, & quomodo hic conspecto oculis suis fructu, profectus Tarsum accersiuerit Paullum &c. debuisset non tantùm de viris illis Cyprijs & Cyrenæis loqui, sed multo magis de Petro, si quidem tamdiu ibi fuisset, vt iam tum haberetur Antiochenus Episcopus. Itaque necdum tunc eò venerat.

Alterum argumentum duci potest ex verbis Paulli, ad Galatas 2. versu 11. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti.* Ad Galatas 2. &c. vbi satis insinuat, se tum fuisse Antiochiæ ver. 11. cùm eò venit Cephas, siue, S. Petrus. Nam si Petrus ibi Episcopus fuisset, dixisset potiùs: *cum ego venissem ad Cepham*; aut, si fuerat ibi Petrus & discesserat, dixisset: *cùm autem redijsset Petrus Antiochiam.* Dicitur enim aliquis eò redire, vbi domicilium aut habitationem habet. Videtur autem primùm venisse Petrus Antiochiam, paullo antè quàm inde discederent Paullus & Barnabas, ad reuisendum eas ciuitates, vbi aliquando Fidei semen iecerant: nempe Actorum 15. ver. 36. *dixit ad Barnabam Paullus: Reuertentes visitemus fratres per* Act. 15. *vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus ver-* ver. 36. *bum Domini, quomodo se habeant.* Tum igitur credibile est S. Petrum venisse Antiochiam, priùs quàm discessissent Paullus & Barnabas,

&

& ea fecisse (quemadmodum & Guilielmo Estio huius Duacensis Academiæ lumini quondam eminentissimo, probabile visum est) quæ idem Paullus memorat ad Galatas 2. his verbis: *Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudæi: ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Nam magna occasio iam erat S. Petro illic remanendi, cùm abscessissent non solùm Paullus & Barnabas, sed etiam cum Paullo Silas, & cum Barnaba Ioannes, qui cognominabatur Marcus; qui erãt è primis post Apostolos. Nã Paullus & Barnabas ob aliquam dissensionem discesserant ab inuicem, & singuli illos sibi comites assumpserant. Tertium denique argumentum è S. Ignatio Petri discipulo afferri potest: vt quem ibidem S. Petri successorem minimè latere potuerit, vter prior Antiochiam venerit, ibiq; verbum Domini prædicauerit, Petrus, an Paullus. Ipse igitur B. Ignatius de illis agens in epistola ad Antiochenos; *Paulli, inquit, & Petri fuistis discipuli*: quasi dicat, priùs Paulli, deinde Petri. Quæ alioqui ratio nominandi Paulli ante Petrum? Sic in epist. ad Magnesios: *Nã discipuli cognominati sunt primũ Antiochiæ CHRISTIANI, Paullo & Petro fundantibus ecclesiam.* Antiochenã scilicet, Paullo primùm, deinde Petro. Nisi hic pro Petro, restituendum sit *Barnaba*. Hoc enim verius. Sed Mæstræus perperam hic peruertit ordinem, dum ita vertit: *cùm Petrus & Paullus fũdarent Ecclesiam.* In græcis enim omnibus codicibus atque etiam Latinis incorruptis non est sic; ne quidẽ in ipsiusmet græca editione, sed hoc modo: Παύλου καὶ Πέτρου θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Idque ob caussam modò dictam tali ordine ab Ignatio scriptum videri potest.

ANTIOCHIÆ MAGNITVDO ET FREQVENTIA.

DVCENTA HOMINVM MILLIA] Tãtæ multitudinis testem habemus vrbis ipsius Antiochenę ciuem S. Ioannem Chysostomũ, homilia de S. Ignatio, vbi sic scribit: Ἐπίπονον μὲν γὰρ, καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν καὶ πεντήκοντα προστῆναι μόνον. Τὸ δὲ πόλιν ἐγχειρισθῆναι τοσαύτην, καὶ δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας, πόσης ἀρετῆς οἴει καὶ σοφίας ἀπόδειξιν εἶναι; *Per quàm laboriosum est enim, vel centum vel quinquaginta hominibus præesse: vrbem verò tantam, & populum ducenta hominum millia continentem gubernare, quanta virtutis ac sapientiæ demonstrationem esse putas?* Idem homilia 3. ad pop. Antiochenum vocat Antiochiam, *caput & matrem vrbium totius Orientis.* & paullo pòst ibidem ita scribit: Ἐννόησον πόλεως μέγεθος, καὶ ὅτι οὐ περὶ μιᾶς, καὶ δύο, καὶ τριῶν, ἢ δέκα ψυχῶν ἐστιν ἡμῖν νῦν σκέψις, ἀλλὰ περὶ μυριάδων ἀπείρων, περὶ τῆς κεφαλῆς τῆς οἰκουμένης. *Cogita vrbis magnitudinem* [Antiochenæ scilicet] *quod non de vna vel de duabus vel de tribus animabus nunc sit nobis consideratio; sed de infinitis millibus, de totius orbis capite.* Vide etiam homil. 17. ad eundem pop. vbi eius vrbis commemorat prærogatiuas, & primo loco illam, quòd Discipuli sint ibi primò appellati Christiani. *Hoc autem, inquit, omnium, quæ in mundo sunt ciuitatum habet nulla nec ipsa Romuli ciuitas: propterea contra omnem terrarum orbem oculos erigere potest.*

IVDÆOS AB INCIRCVMCISIS &c.] Notum est odium inter Iudæos & Gentiles ab antiquo inueteratissimum, & ex eo, vt fit, mutuus inter ipsos contemptus longè maximus. Ita Dauid de Goliatho dicebat lib. 1. Regum, cap. 17. *Quis enim est hic Philisthæus incircuncisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Quæ intrà totidem fere verbis repetit eodẽ capite. Ita Saul eodem lib. cap. 31. loquens armigero suo: *Euagina*, inquit, *gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi.* Hinc & S. Petrus in Actis Apost. cap. X. ver. 28. ingressurus domum Cornelij, viri Gentilis, qui erat *Centurio cohortis, quæ dicitur Italica*, cùm multos ibi inuenisset congregatos, tali vsus est præfatione: *Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenã: sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod sine dubitatione veni accersitus.* Nota hic per transennã ista verba Actorum Apost. *Centurio cohortis, quæ dicitur Italica*, cùm à plerisque omnibus interpretibus de cohorte, quæ ex Italis conflata esset, accipiantur; conari nihilominus Franciscum Biuarium ostendere, tam ipsum Cornelium Centurionem, quàm ipsam cohortem, non Italos fuisse, sed Hispanos: nempe ex Italica, vrbe vlterioris Hispaniæ *toto orbe*, vt ait, *celeberrima: vtpote quæ orbi dederit Traianum & Hadrianum; Vrbi verò Silium Consulem.* Is est Silius Poëta ab eadem vrbe dictus Italicus; non autem quod esset Italus. Eodem igitur modo & cohortem Italicam non ab Italia, sed ab Italicâ, vrbe Hispaniæ dictam credit & contendit Biuarius: & quidem è Tito Liuio lib. 35. hist. Rom. & è Dione Cassio lib. 55. Nec dubito, quin multis eius scripta legentibus, & ea cùm Flauio Lucio Dextro, ad annum Christi 34. componentibus, nisi veritas præmuniatur, sit persuasurus. Quare sciendum est, primò Titum Liuiũ non assignare ibi nec describere legiones Romanas, nedum ordinem earum, aut aut nomina; sed tantùm agere de sortitione prouinciarum, in quibus Prætores ius dicerent. Sic enim scribit lib. 35. sub finem: *Item de prouincijs Prætorum decretũ est: prima vt sors, duæ peregrina vrbanaque & inter ciues ac peregrinos iurisdictio esset: secunda, Brutij: tertia, classis, vt nauigaret, quo Senatus censuisset: quarta, Sicilia: quinta, Sardinia: Sexta, Hispania vlterior. Imperatum præterea L. Quintio Cos. vt duas legiones ciuium Romanorum nouas conscriberet:*

&

& sociûm ac Latini nominis viginti millia peditum & octingentos equites. Eum exercitum Pratori, cui Brutij prouincia euenisset, decreuerunt. Dico igitur ex his nullo modo posse colligi, in Hispania vlteriore fuisse legionem sextã, neque illam ex Hispanis fuisse conflatam: immo neque Hispaniam vlteriorem, extitisse sextam numero inter prouincias: sicut nec iurisdictio inter ciues & peregrinos, fuit prouincia, (vt quidem prouincia accipitur, cùm de numero prouinciarum a Romanis factarũ agitur) sed tantùm potestas iuris dicendi, à quâ nulla legio appellata est, aut appellari potuit. Idem sentiendum de classe, quæ in tertia sorte erat. Quid est ergo hoc, *Sexta, Hispania vlterior?* Nihil sanè aliud, quàm sorte sexta dispectum est, quis Prætorum Romanorum administrandam sortiretur Hispaniã vlteriorem. Sicq; de alijs. Nam & Sicilia, quæ hic in quarta sorte posita est, prima fuit omnium Romanarum prouinciarum. De qua sic M. Tullius lib. 2. in Verrem, initio: *Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam, fidemque populi Rom. applicuit: prima omnium (id quod ornamentum imperij est) prouincia est appellata.* Denique multis, quæ contrà huc afferri possent, omissis hoc vnum addam: ne quidẽ si in actis dictũ esset, *Cẽturio cohortis, quæ dicitur Hispanisis*, aut *Hispanica*, aut *Hispana*, ne tum quidẽ, inquã sequeretur milites illius cohortis fuisse gẽte Hispanos. Audiatur Iustus Lipsius, vir in hoc studio lõgè exercitatissimus, lib. 4. De militia Romana, dial. 8. sub finem, ad illud Cæsaris, lib. 3. De bello ciuili. *CILICIENSIS LEGIO CONIVNCTA CVM COHORTIBVS HISPANIS. Caue,* inquit, *imponat tibi, & putes Hispanos gente fuisse. Non. Nec is honos vel fortissimis exteris, vt inter legiones locentur & pugnent. Intelligit Romanas cohortes, sed quæ in Hispania fuerant cùm Afranio, & ab eo traductæ ad Pompeium erant; aptiusque dixisset, Hispanienses.* Sic ibi doctissimus in hoc genere litterarum Iustus Lipsius. Redeo illuc vnde deflexi, & mutuum inter Iudæos & Gentiles odium (quæ caussa fuit duorum simul Antiochiæ Episcoporũ) pergo demonstrare. Illud in primis illustre est Iudæorum odij & feritatis in Gentiles exemplum, quod sub hæc S. Ignatij & Traiani Imp. tempora accidit, & refertur à Dione Cassio, lib. 68. hist. Rom. sub finem, his verbis: *Interim Iudei, qui circa Cyrenem habitabãt, Andrea quodam duce Romanos pariter atque Græcos concidunt, vescunturque eorum carnibus, edũtque viscera: tum oblinuntur eorum sanguine & pellibus induuntur. Multos à vertice discidère medios: multos obijcere bestijs: multos etiam certare inter se coegerunt: ita vt interierint hominũ ad ducenta viginti millia. Præterea in Ægypto Cyproque, Artemione duce, consimilis cædes facta est; vbi desiderata sunt hominum ducẽta quadraginta millia. Ex quo fit, vt Iudæo in Cyprum venire non liceat. Quòd si fortè vi tempestatis in insulam appulerit, interficitur.* Ita Dio.

CRVDELITATIS CÆDES HOMINVM IMMANES

Iam autem quanto ijdem Iudæi Gentilibus odio atque despectui fuerint, passim in antiquis Auctoribus cerni licet. Vide Iosephũ lib. 2. De bello Iudaico, cap. 21. vbi agit de perpetuis Alexandriæ inter Gentiles & ipsos dissidijs, vsque à temporibus Alexandri Magni. De ipsorum autem excidio, tempore Vespasiani Imp. habes apud eundem Iosephũ lib. 7. tempore autem Hadriani Imp. apud Ælium Spartianum in Hadriano, & præter alios, apud S. Iustinum Philosophum in Dialogo cum Tryphone. Eorundem porrò Iudæorum vilitatem atque despectum notarũt antiqui epigrammatarij & Satyrici. Martialis quidem libro 1. epigr. in Cæcilium:

Vrbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi. quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis. ———

Et lib. 4. epig. in Bassum quem pessimè olentem, cum Iudæis ieiunis comparat. Hic enim est sensus istorum inter alia carminum. (Omittam enim intermedia)

Quod ieiunia sabbatariorum,
- - - - - - - - - -
Malles quàm quod oles, olere Bassa.

id est, peius oles Iudæis ieiunis. Tum enim pessimè, cùm ieiuni sunt, olent. Nam cibi & potiones aliquid aduersus fœtorem prodesse possunt. Iudæos autem vocat sabbatarios, ob cultum sabbati; quod colebant, non quidem ieiunio; sed vacatione, & diuini Numinis veneratione.

Horat. lib. 1. Serm. satyrâ 5. extremâ, eorum credulitatem sic irridet:

Dum flamã sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Iudæus apella,
Non ego. ——— ———

id est, dum vult persuadere sacrificia non admoto igne absumi, sed solo lumine cælitus demisso: vt diuinum sit è cælo miraculum scilicet. Alij legunt, *limine sacro*, explicántque, *in primo templi ingressu*. Fauent tamen priori interpretationi verba subiecta:

-- *Namque Deos didici securum agere æuum:*
Nec si quid miri faciat natura; Deos id
Tristes ex alto cæli demittere tecto.

Videtur enim respicere ad lumen aut flãmas de cęlo ad comburendum & consumendum sacrificium demissas. Irridet quoque Iudæos & eorum sacra & ritus Iuuenalis pluribus locis: sed maximè satyra 14. vbi hæc de illis:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes & cæli numen adorant:
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit: mox & præputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt ac seruant & metuunt ius,

Tra-

Tradidit arcano quodcunque volumine Moses:
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti;
Quaesitum ad fontem solos deducere verpas.
Sed pater in caussa; cui septima quaque fuit lux
Ignaua, & partem vitae non attigit vllam.

VT AVT PONTIBVS AVT FLVVIIS &c.] Romae quidem Tiberis Iudaeos à pop. Rom. diuidit: alibi portae aut pontes. Nam qui ante euersam Solymam vna ferè regione continebantur, nunc illa euersa vbique sunt, & omnibus quidem exosi, vel contempti. Hinc illud Rutilij votum in Itinerario:

Rutilij itinerarium.

Atque vtinam nunquam Iudaea subacta fuisset
Pompeij bellis, imperióque Titi!
Latiùs excisae pestis contagia serpunt:
Victoresque suos natio victa premit.

Creditur Augustus Imp. fauere cœpisse Iudaeis sub Christi Domini ortum, idque Sibyllinis edoctus oraculis. De fauore quidem Philo Iudaeus in libro De legatione ad Caium mentionem fecit. *Ipsum Augustum*, inquit, *nunquam inflatum talibus obsequijs hinc certo colligitur; quod nunquam sustinuit se appellari Deum vel Dominum, auersatus hanc adulationem; nec dissimulans probari sibi Iudaeos, qui abominarentur talia. Alioqui non passus fuisset trans Tiberim bonam vrbis Romae partem à Iudaeis teneri.* &c.

INTER NOVOS E IVDAEIS ET GENTILIBVS CHRISTIANOS] Illustrissimus Cardin. Baronius in suis ad Romanum martyrologiũ annotationibus 1. Februarij, duas affert caussas, quare dicatur Ignatius S. Petro Apostolo proximè in episcopatu Antiocheno successisse, quamuis S. Euodius dicatur fuisse primus eiusdem sedis Episcopus. Vna est, quòd existimet B. Ignatium dare voluisse locum Euodio, sicut Romae B. Clemens Lino & Cleto. Altera, quòd duo creati fuerint Antiochiae Episcopi, vnus pro Iudaeis, alter pro Gentilibus, caussâ exorti inter eos dissidij. *Composita autem dissensione*, inquit, *cùm in vnum lapidem angularem Iudaei simul & Gentiles conuenissent; non vltra duobus, sed vno tantum Episcopo opus erat: sicque Ignatius cessit Euodio. Atque ita in serie Episcoporum Antiochenorum primo loco Petrus, secundo Euodius, tertio verò poneretur Ignatius: quia iterum sedit post Euodium.* Ego relicta priori caussa, posteriorem de duobus simul Episcopis probabiliorem duxi & amplexus sum, tam quia vrbis illius magnitudo & frequentia è diuersissimis conflata hominum generibus Iudeorum & Gentilium id exigebat; quàm quia exortum inter nouos ex vtraque parte Christianos de legalium caerimoniarnm obseruatione dissidium prorsus requirebat. Quod autem arbitratur Baronius compositâ de legalibus dissensione Ignatium cessisse Euodio, minimè assentior. Nec enim vnica & sola fuit illa caussa geminandi Episcopatus; sed etiam illa, quam hic priore loco tetigi de vrbis amplitudine, & diuersis Gentilum & Iudaeorum, qui conuertendi ad fidem erant, moribus atque institutis. Nam quaestio de legalibus tantùm inter Christianos locum habebat. Quâ compositâ restabat nihilominus difficultas in conuertendis tam Iudaeis, ad quos faciliorẽ reperiebat aditum, qui genere Iudaeus; quàm Graecis, apud quos plus poterat, qui natione Graecus.

PER MAGNI PETRI DEXTERAM] Sunt ipsa B. Theodoreti verba è dialogo *Immutabilis*: quae suprà tam Graecè, quam latinè, ante vitam, inter Veterum elogia posui. Idẽ verò, quod Theodoretus, tenuit & scripsit FELIX III. Rom. Pont. in epist. 5. ad Zenonem Imp. vbi de Petro Fullone excõmunicato sic scribit inter alia: *Qui sanctae Antiochenae Ecclesiae indignissimè se ingessit, sanctamque sedem pontificatus Ignatij martyris polluit, qui Petri dextera Episcopus ordinatus est, Eustathyque Confessoris ac Praesidentis trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicaea conuenerunt*, &c. Extat 2. tom. Conciliorum per Binium, in Synodo Constantinopolitana 5. Idem testantur Anacleti Pontificis verba superiori capite posita, & S. Ioannis Chrysostomi in homiliâ de S. Ignatio, cap. 1. Notationum citatâ. Sedisse autem Ignatium in sede Antiochena B. Euodij collegam scribit etiam Balduinus Iunius in Chronico morali, ad annum Christi 71. quamuis eo anno defunctũ Euodium non rectè ponat, cùm superiore defunctus sit: vt patet ex emendatissimis Eusebij Chronicis, vno Arnaldi Pontaci, altero Auberti Miraei opera editis.

CAPVT III.

PRAESERTIM DILECTVM HERONEM SVVM] Extat enim epistola ipsius B. Ignatij ad hunc Heronem Diaconum suum, ex ipso ad martyrium itinere, Philippis Macedoniae perscripta, vbi eum inter alia his verbis commonefacit: Μὴ γίνη δίψυχος ἐν προσευχῇ σου. Μακάριος γὰρ ὁ μὴ διστάσας. *Ne sis duplex animo in precatione tua. Beatus enim, qui non dubitauerit.* Ita & S. Iacobus postulandã à Deo sapientiam docebat cap. 1. suae epist. Iacobi ca. 1. *Postulet autem*, inquiebat, *in fide nihil haesitans. Qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.*

S. CARPI.] Fuit hic vnus è Septuaginta Discipulis; cuius inter alios mentio est in Menaeo Graecorum ad quartam Ianuarij; & apud Dorotheũ in Synopsi. Vide quae de illo scripsi in vita S. Dionysij cap. 8. & in Notationibus ad idem caput: vbi de diligentia praeparationis eius ad sanctum sacrificium nonnihil attigi. Hic perquàm feruenti zelo aduersus

aduersus improbos æstuauit: sed aliquid in eo mansuetudinis desiderabatur, quæ in S. Polycarpo Ioannis Euangelistæ discipulo egregia fuit, ecclesiæque perutilis. Vtrumque igitur S. Ignatius possedit, & zelum Carpi, & mansuetudinem Polycarpi.

GENTILES VERO TANTI SIBYLLAS] Ad libros Sibyllinos solebát Romani in difficillimis reip. temporibus pro exquirédo cõsilio & auxilio recurrere: & ea quæ in illis sibi facienda inuenissent, summâ curâ peragere. Perinsignem locum nobis offert Flauius Vopiscus in Aureliano Imp. vbi inter alia sic Prætor vrbanus in senatu: *Referimus ad vos P. C. Pontificum suggestionem, & Aureliani Principis litteras; quibus iubetur, vt inspiciantur fatales libri, quibus spes belli terminandi sacrato Deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi, quotiescumque grauior aliquis extitit motus, eos semper inspectos: neque priùs mala publica esse finita, quam ex ijs sacrificiorum processit auctoritas.* &c. Vide ibi plura: inter quæ Vlpium Syllanum, primæ sententiæ Senatorem sic reperies locutum: *Agite igitur Pontifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu, animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteris anus Cumana libros euoluite, fatâ reip. quæ sunt æterna, perquirite: patrimis matrimisque pueris carmen indicite: nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificijs, nos aruis ambaruualia indicemus.* &c Successit quidem negocium, *sed non eò, quod hæc sunt*, vt vulgo dialectici loquuntur: cùm & illud hic valeat:

Sæpè aliàs aliter: sed tunc sic fortè cucurrit.

Ex præsumptâ porrò Sibyllinorum oraculorum æstimatione ortum est, vt Sibyllæ dicta pro certissimis & minimè dubijs effatis in prouerbium ierint. Hinc aptissimè Aristophanes in Pace, quendam inducit aliena refutantem hisce verbis:

Οὐ μετέχω τούτων· οὐ γὰρ ταῦτ' εἶπε Σίβυλλα.
Hæc minimè admitto: nec enim est effata Sibylla.

Hinc & Iuuenalis Sibyllæ folium pro re certa vsurpauit, satyra 8.

Quod modò proposui, non est sententia, verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Quo loco, *non est sententia*, id est, non est opinio quæpiam hominis liberè, quid sentiat, effutientis: vti & in illo accipitur. *Quot capita, tot sententiæ.* i. diuersæ opiniones. Alioqui *Sententia* capitur sæpissimè pro dicto breui, sapiente, & acuto, vt γνώμη à Græcis. De Gentilibus porrò per Sibyllarum oracula adduci ad fidem solitis pleniùs ago in vita S. Iustini Philosophi & Martyris: qui & ipse partim per illas, partim per sanctos Prophetas, & alios libros sacros in Dei ecclesiam ingressus est, atque alijs, vt eadem graderentur via, auctor fuit.

CAPVT IV.

Referuntur hoc capite B. Ignatij, per tempus Neronianæ persecutionis, labores & curæ.

LATE VAGATA EST EO REGNANTE IN CHRISTIANOS PERSECVTIO] De hac ita Paullus Orosius lib. 7. cap. 7. agẽs de Nerone: *Primus*, inquit, *Romæ Christianos supplicijs & mortibus affecit: ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit: ipsúmque nomen extirpare conatus beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paullum gladio occidit.* Quid autẽ in Hispania eodem tẽpore passæ sint ecclesię, disertè exponit Flauius Lucius Dexter, in suo Chronico, ad annum Christi 57. & deinceps. Ibi enim post laudatos S. Iacobi discipulos ita subijcit: *Horum S. Iacobi discipulorum nonnulli sub Aloto Neronis Iudice, dum ad Concilium Iliberri conueniunt, flammis exusti, spoliati suis suorúmque bonis omnibus, generosè morientes pro Christi fide, coronati sunt.* Deinde ad annum Christi 60. *Multi*, inquit, *in Hispania, prima persecutione Neronis (quæ hic ab anno 57. cœpit) Hispali, Iliturgi, Iliberri, Tarracone, Cæsaraugustæ, in Lusitania, in Bætica, & Carpetania, bonis omnibus suis priuati, atrociter patiuntur.* Vide ibi plura. Et de alijs alibi eâdem importunissimi mõstri persecutione interemptis recurre ad initium huius tomi, in imagine primi sæculi. Generatim verò *De SS. sub Nerone variè occisis*, illud accipe Bandini Gualfreducij, vt aptum huic loco, ita minimè indoctum carmen, quod Hieronimenijs suis inseruit ad 24. Iunij, quo die agit de ijsdem Romanum martyrologium.

Notá dat Nero de seueriori
Ludos, post Iuuenalium probrosa,
Post deformia visa Gymnicorum,
Queis sese populúmque taminauit.
Hos qui dixerit esse Martiales,
Parum dixerit, & parum est vocari
Volcanalia, fabulámue Afrani,
Vel incendia, & Ilion sepultum:
Sunt Neronia, sunt Neroniana.
Vulgus innumerum malus bonorum
Vult crudelibus interire fatis.
Nec spectacula tam seuera paruis
De foraminibus tuetur atrox;
Toto sed podio eminens aperto.
Villis hos varijs tegit ferarum,
Immissis lacerentur vt molossis:
Illa parte cruces locat frequentes,
Amans cernere imagines dolorum:
Illos sub pice nocte vult peruri,
Nocte vt compita luminosa cernat:
Et plaudens sibi, Sum beatus, inquit,
Sanum nunc elementa me coronant.
Prima gaudia dat mihi alma Tellus:
Aer altera pendulis caternis:
Ludus tertius est Neronis, Ignis.
Quartum Naumachia parent triumphum,

Quisquis est super amplius Piorum,
Nero sic iubet, obruatur vndis.
Do Neronia, do Neroniana.

Sic Poëta in piorum gratiam: & in impiæ crudelitatis detestationem.

COLVMNIS TESTARENTVR ERECTIS] De pluribus columnis domitam aut extirpatam in Hispania Fidem Christianam gloriantibus, & Neroni tamquam ingentis facti auctori applaudentibus, videri potest Franciscus Biuarius, in cōmentario ad Dextrū in anno Christi 60. & vrbis Romæ 811.

NERONI CLAVDIO] Hæc statua, de qua hîc agitur, in Iani Gruteri inscriptionibus sic excusa legitur:

In ruinis pagi Marquesiæ in Lusitania.

NERONI. CL. CAIS.
AVG. PONT. MAX.

OB PROVINC. LATRONIB.
ET. HIS. QVI. NOVAM.
GENERI. HVM. SVPER
SITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

- - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - -

E. Schotti Metelliquè schedis.

Sic apud Ianum Gruterū in Inscriptionū Romanarū corpore, pag. CC.XXXVIII.

QVIN ET II, QVI LITTERIS VITAM EIVSDEM NERONIS] Ii sunt Suetonius Tranquillus in Nerone Claudio. lib. 6. cap. 16. & Cornelius Tacitus lib. 15. Annalium: quorum prior inter pręcipua eius acta hæc refert: *Multa sub eo & animaduersa seuere & coercita, nec minus instituta: Adhibitus sumptibus modus: publicæ cenæ ad sportulas redactæ: interdictum, ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret; cùm antea nullum non opsonij genus proponeretur: afflicti supplicijs CHRISTIANI, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum lusus.* &c. Tacitus verò de eodem agens sic ait: *Ergo abolēdo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressáque in præsens* exitiabilis superstitio *rursus erumpebat, non modò per Iudæam originē eius mali, sed per vrbem etiam: quò cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur:* [se Christianos esse scilicet] *deinde indicio eorū, multitudo ingens, haud perinde in crimine incēdij, quam odio humani generis conuicti sunt.* Vide ibi plura. Quam ergo columnæ Hispanicæ *nouam superstitionem*, & Suetonius Tranquillus *superstitionem nouam ac maleficam*, hanc Tacitus *exitiabilem superstitionem* appellauit.

QVI PRIMI EX EIVS SALVTARI NOMINE) Primos omnium Christiano nomine appellatos esse Antiochenos ostendimus suprà ex Actis Apostolorum cap. XI. & ex ipsius S. Ignatij litteris, quæ etiā produnt illud ipsum esse nomen nouum olim à Prophetis ecclesiæ Dei promissum. Quibus consentit Hieronymus in cap. 65. Isaiæ, ver. 15. vbi ad illa Prophetę verba: *Et seruos suos vocabit nomine alio*, addit: *siue nouo, quod in toto orbe celebratur.* Et paullò pòst subijcit: *Nomē autem nouum siue aliud, nullum est, nisi quod ex Christi nomine deriuatur: vt nequaquam vocetur Populus Dei, Iacob, & Iudas, & Israel, & Ephraim, & Ioseph, sed Christianus.* Sic ille.

SED INTER IPSOS QVOQVE CHRISTIANO) Semina nōnullius dissensionis inter Christianos iaci cœpta erant, Actorum cap. 15. vbi de circumcisione orta est disputatio, essétne illa à Gentilibus, qui ad Fidem accedebant, suscipienda, nécne; sed maturè occursū est ab Apostolis, qui habito inter se consilio decreuerunt non esse ipsos ad eam adigendos. Ita vt hæc dissensio, itémque aliæ nonnullæ priuatæ, (quemadmodum inter Petrum & Paullum, inter Paullū & Barnabam) in bonum cesserint, atque in futurum tempus profuerint.

NONNVLLÆ CIRCVMFERVNTVR B. VIRGINIS] Quamuis antehac ab eorū sententia fuerim alienior, qui mutui epistolarū commercij inter beatissimam Virginem & sanctissimum Ignatium assertores habebantur; tamen postquā in lucem venit Flauius Lucius Dexter, qui S. Hieronymo Presbytero æqualis fuit & earundem epistolarum tamquam suo sæculo celebrium mentionem fecit, magis in eorum partem inclinare cœpi, qui eas admittūt & probāt, quàm qui in alia eunt omnia. De illis epistolis loquor, quæ talibus personis nihil indignū afferunt, nihil indecorum. Quales mihi visæ sunt illæ, quas à Virgine ad Ignatium missas in vita inclusi. De quibus ita Dexter in Chronico ad annū Christi 430. *Epistolæ beatæ Virginis ad S. Ignatium; & eiusdem ad sanctissimam Virginem manibus Fidelium nunc teruntur.* Loquitur autē ibi Dexter de tempore, quo ipse viuebat, & hæc scribebat. In alio autem loco, hoc est, ad annum Christi 116. sic habet: *Epistolæ S. Ignatij ad B. Virginem celebres habentur.* Id autē ex antiquioribus chronicis, aut ecclesiarū archiuis (quā erat in eiusmodi rebus diligentiâ) repertum ab eo fuisse opinari possumus, ideóque ita posuisse, vt reperit. Colligit autem Frāciscus Biuarius ex illis Dextri verbis, & ex vnâ illarū epistolarū hodiéque superstite non vnam extitisse S. Ignatij epistolam ad D. Virginē, sed plures. Refert porro ad annū modò citatum ex illis vnam, quæ & in antiquissimis epistolarum eiusdem S. Ignatij editionibus reperitur in hunc modum:

CHRISTIFERÆ MARIÆ IGNATIVS.

NE

Me neophytum, Ioannisque tui discipulum confortare, & consolari debueras. De IESV enim quo percepi innumera dictu, & stupefactus sũ ex auditu: a te autẽ, quæ semper ei fuisti familiarius coniuncta, & secretorum eius conscia, desidero ex animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiã aliàs, & rogaui de ysdem. Valeas, & neophyti qui mecũ sunt, ex te, & per te, & in te confortẽtur. Amẽ.

Hanc epistolã vitæ non inserui, quòd nõ perinde atque illa, quam posui, congruere scribentis dignitati videretur: licet in præsẽtia satis esse reperiam, dum attentiùs verba considero, vnde defendi possit: non quidem in Francisci Biuarij eundo sententiã, qui existimauit eam ab Ignatio nuper ad Christi Fidem conuersõ esse scriptam: propterea nimirũ, quòd vocet se neophytum: sed tenẽdo illam ab ipso iam Episcopo, iam labores & pericula sub Neroniani principatus initia pro Fidei caussa subeũte, missam esse. Quanta enim fuisset hominis noui & priuati, ac nulla dũ in ecclesia auctoritate præditi, non dicã libertas, sed præfidentia, ad matrem Domini scribere, ac velut de neglecto, aut certè dilato consolationis officio queri? Sed enim, dicet aliquis, illud multo incredibilius censeri debet, eum qui sit Episcopus, appellare se neophytum: aut, quod intolerabilius, neophytum contra expressam Paulli voluntatem factum esse Episcopum. Tales enim ille Apostolus, ille Doctor Gentium ab episcopatu disertis verbis exclusit. *Oportet ergo*, inquit, *Episcopum irreprehẽsibilẽ esse, vnius vxoris virũ, sobrium* &c. *non neophytum, ne in superbiã elatus in iudiciũ incidat diaboli*. Respõdeo non ita capi ab Ignatio, *neophytũ*, sicut à Paullo, sed Ignatiũ vocare se neophytum, quia neque ex Apostolis esset, neque ex Domini discipulis, sed quod ab illis assumptus & edoctus noua esset plãta in Dei ecclesia, quamuis iam plãta principalis, & quæ alias nouellas plantas suorum diffusione ramorum obumbraret. Nota est enim sanctissimi viri, ex suprà expositis virtutibus, humilitas: quà, vt se aliàs nullo dignum numero dictitare solitus est, ita nunc neophytum appellauit. Deinde illa verba: *confortare & consolari debueras*, cum aliquo fuisse loco & dignitate, & quidem nõnulla pro Christo passum persuadent. Quare νεόφυτον se appellat, sicut ecclesiã suam Antiochenam, licet à primis fundatam Apostolis, & Romanã antiquiorem, vocat νεολαίαν quasi νέαν ἐλαίαν, *nouam oliuam*, dum ad Antiochenos ita scribit: Ταῦτα γράφω ὑμῖν, ὦ τῇ Χριστοῦ νεολαία. *Hæc scribo vobis, ô nouella Christi oliua*. Si ergo Antiochena ecclesia tãtò antè fundata & erecta, tamẽ secũdo Christi sæculo appellatur nouella oliua; quãto magis ipse Ignatius primo sæculo se νεόφυτον, hoc est, *nouam plantã*, vocare potuit? nõ quasi nuper baptizatus, sed quasi nuperrimè Episcopus: vel quòd habito ad Apostolos atque antiquiores Discipulos respectu, noua plãta & nouus Christianus illo tẽpore dici posset. Quo etiã sensu accipienda sunt & illa verba in extremo epistolæ: *Vale, & neophyti, qui mecũ sunt, ex te, & per te, & in te cõfortẽtur*: hoc est, Christiani ecclesię meę, & qui mecum vnà persecutionem à falsis Iudæis patiũtur, ij robur & solatium à te accipiant.

MORTEM PRO CHRISTO PASSVS EST S. EVODIVS) Disertè scribit Petrus de natalibus, Equilinus Episcopus, lib. 4. Catalogi Sanctorum, cap. 137. Euodiũ apud Antiochiã *sub persecutione Neronis Imp. glorioso martyrio coronatũ vitam finiuisse, ibique sepultũ esse pridie calẽdas Maij*. Eodẽ prorsus die refert eius natalẽ, tam Græcorum Menæũ, quàm Menologium. Nam ad 29. Aprilis de Onesiphoro simul & Euodio (qui Euodus ibi appellatur) ita Menæum:

Ὁδὸν εὔοδον Ὀνησιφόρος τρέχων,
Συν Εὐόδῳ πέπτακεν εἰς πόλου πύλας.

Οὗτοι ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα εἰσιν· ὧν καὶ Παῦλος μέμνηται γράφων ἑτέροις. Καὶ ὁ μὲν Ὀνησιφόρος Ἐπίσκοπος γέγονε Κολοφῶνος. Εὔοδος δὲ ὑπὸ Πέτρου ἐνθρονίζεται εἰς Ἀντιόχειαν. Ἀμφότεροι δὲ πειρασμοῖς οὐκ ὀλίγοις ὑποβληθέντες, καὶ πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν πολλοὺς ἐπιστρέψαντες ἀνέδραμον, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν ποθούμενον Κύριον.

Quæ sic latinè reddi possunt:

Felice decurrens Onesiphorus viâ,
Valuas olympi comite penetrat Euodo.

Hi è Septuaginta fuerunt Discipulis: quorum & Paullus ad alios scribens meminit. Ac Onesiphorus quidẽ, Episcopus fuit Colophonis: Euodus autem à Petro in Sede Antiochena collocatus. Ambo denique non paucis periculis ac tentaminibus superatis, multisq; ad Fidem Christianam conuersis, etiam ipsi ad desideratum Dominum peruenerunt. Ex his corrige Menologium latinè ab Henrico Canisio editum, vbi vitiosè legitur: *Onesiphorus Episcopus Losonis* pro *Colophonis*. Est autem Colophon Ioniæ ciuitas, Homeri ortu (vt quidẽ ipsi Colophonij decertant, & Maronis testimonio obtinent) nobilis. Ita enim in Ciri:

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero.

Est eiusdẽ S. Euodij & Onesiphori commemoratio ad septimã Septembris, in Menologio quidẽ iam citato his tantùm verbis: *Eodẽ die cõmemoratio SS. Euodij & Onesiphori*: sed in menæo τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς ζ. cum appellatione Apostolorum, hoc modo:

Τῇ αὐτῇ ἡμέρα, μνήμη τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Εὐόδου καὶ Ὀνησιφόρου.

Ὁ ἅγιος Ἀπόστολος Εὔοδος γενόμενος ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ μετὰ Πέτρον Ἐπίσκοπος, ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς τοῦ μακαρίου ἀναφαίνεται Παύλου, μεγάλως ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα ἀριστεύσας, καὶ κήρυξ διαπρύσιος γεγονὼς τοῦ Λόγου. Τὸν δὲ Ὀνησιφόρον, ὃν ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολῇ ὁ Ἀπόστολος παρεισάγει, Κολοφωνίας Ἐπίσκοπον, εὕρομεν γεγονότα δεξιὸν ἐν τοῖς λόγοις

καὶ ἀλκιμώτατον μέχρις αἵματος αὐτοῦ τὴν πίστιν κρατύναντα. Οὗτος ἐν τῷ χορῷ τῶν κηρύκων σὺν τῷ Ἀποστόλῳ Εὐόδῳ αὐλίζεται ἐν ταῖς ἐπουρανίαις σκηναῖς.

Eadem die, memoria sanctorum Apostolorum Euody & Onesiphori.

Hic sãctus Apostolus Euodius, creatus in Magna Antiochia post Petrum Episcopus, in epistolis beati Paulli memoratur: qui magnifice inter Septuaginta Discipulos excelluit, & praeclarus verbi praeco extitit. Onesiphorum vero, quem Apostolus in epistola ad Timotheum inducit Colophonis fuisse Episcopum, inuenimus in verbis dextrum atque fortissimum, qui ad sanguinem vsque Fidem propugnauit. Hic in choro praeconum, vnà cum Apostolo Euodo, in caelestibus degit tabernaculis.

NOTA hic primò non tantùm 12. aut 14. Apostolis traditum nomen *Apostoli*, sed etiã honoris caussa ijs, qui erant è numero Septuaginta Discipulorum, & quibusdam interdum alijs virtute & sapiẽtia praecellentibus. Secũdò, quòd hic dicitur S. Euodus in beati Paulli epistolis memorari: suspicor vitiosè scriptum *Paulli* pro *Ignatij*. Nam in huius epistolis saepius memoratur Euodius; in illius nunquam. Nisi fortè quis dicat Menaei auctorem in epistola Paulli ad Philippẽses, pro illis verbis cap. 4. ver. 2. *Euodiã rogo & Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino.* legisse *Euodium rogo.* praesertim quòd & superiùs ad 29. Aprilis, de ambobus dixerit: *Quorum & Paullus ad alios scribens meminit.*

Tertio eorũdem nomina recenseri in eodem Menaeo, ad diem 4. Ianuarij, inter 70. Discipulorum nomina, quorum tũc memoria celebratur. Quartò latina martyrologia non assignare diem natalem S. Euodij pridie cal. Maij, sed pridie nonas Maij, siue 6. Maij. Quo die ita Vetus Romanum: *B. Euody Episcopi, qui primus ab Apostolis Antiochiae ordinatus est.* Nouum autem & vulgatum sic: *Antiochiae S. Euody, qui (vt beatus Ignatius ad Antiochenses scribit) primus ibidem a S. Petro Apostolo ordinatus Episcopus glorioso martyrio vitam finiuit.* De martyrio testantur eadem die V. Beda, & Ado Viennẽsis in libello *De festiuitatibus*, & alij. De eodem & de eius scriptis ita in suo martyrol. Petrus Galesinius: *Antiochiae S. Euody Episcopi & Martyris, qui à B. Petro Apostolorum principe illius vrbis Episcopus factus, cùm rerum sacrarum commentarios, tum epistolam, quae a lumine nomen accepit, praeclarè conscripsit* &c. Baronius quoque in Notationibus ad VI. Maij; *Scripsisse*, inquit, *videtur Euodius nonnulla, quae exciderunt: ex quibus Nicephorus fragmentum recitat libro 2. cap. 3. Peruenit vsque ad Galba & Othonis imperium, vt Eusebius in Chronico testatur.* Atqui illud fragmentum procul dubio non est huius nostri Euodij, sed alicuius longè posterioris: nec potuit noster tam dissentanea veritati scribere, quàm nonnulla sunt ex ijs, quae in illo fragmento continentur: vt quòd annis septem à Christi ascensione in caelos, demum lapidatus sit S. Stephanus, & à lapidatione illa Stephani mẽsibus sex interiectis, conuersus sit Paullus; & ab hac cõuersione vsque ad sanctae Dei genitricis decessũ tres tãtùm anni interfuerint, & alia eiusmodi, quae si admittantur, multa ipsiusmet Baronij effata corruent. Verùm S. Euodius, ille ex antiquis Septuaginta Discipulis vnus, qui ista ferè oculis suis spectauit, de quibus ibi est quaestio, nequaquã sic à vero aberrare potuit, vt tam incredibilia diceret. Itaque haereat in apocryphis iste posterior Euodius, nec certis Auctoribus incerti praeferãtur. Nec placere item mihi potest illud Baronij, quo dicit Euodiũ peruenisse vsque ad Galbae & Othonis imperium, additque: *Vt Eusebius in Chronico testatur.* Ne verbum quidem ibi Eusebius de Euodio: sed tantùm istud de Ignatio, ad annũ Domini 70. *Antiochiae secundus Episcopus ordinatur Ignatius.* Verùm nec id stare vllo modo potest, cùm ordinatus fuerit à Petro (etiam admittente Baronio) qui Petrus ante hunc annum erat mortuus, vt apud omnes in confesso est.

CAPVT. V.

a DISTINCTOS ENIM CORAM SS. ET AVGVSTISSIMA TRINITATE BEATORVM SPIRITVVM ORDINES] Hoc S. Ignatij caeleste visum, quo Angelos in caelo sanctissimã Trinitatẽ alternis cantibus celebrãtes cõspexit, audiuitque, litteris prodiderũt Socrates, lib. 6. hist. eccl. cap. 8. Leo Sapiens, Imp. in encomio S. Ioannis Chrysostomi (quod graecè manuscriptũ penes me habeo nostri Andreae Scotti munus) & Georgius Patriarcha in eiusdem Chrysostomi vita, & Nicephorus Callistus lib. 13. hist. eccl. cap. 8. Solius Socratis apponam verba, quae loco citato sic habẽt: Ἰγνάτιος Ἀντιοχείας τῆς Συρίας τρίτος ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου Ἐπίσκοπος, ὃς καὶ τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῖς συνδιέτριψεν, ὀπτασίαν εἶδεν Ἀγγέλων διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνούντων. Καὶ τὸν τρόπον τοῦ ὁράματος τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέδωκεν. Ὅθεν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη ἡ παράδοσις ἐδόθη. *Ignatius Antiochiae in Syria tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui & cum Apostolis multùm versatus est, visionem vidit Angelorũ sanctã Trinitatem hymnis alterna vice decantantis collaudantium, & formã canendi in ea visione expressã ecclesiae Antiochenae tradidit. Inde & haec ipsa traditio ab õnibus ecclesijs recepta est.* Ita ibi.

Quare quod S. Gregorius Naziãzenus tã piè, quàm eleganter, de nocturnis sanctorũ Monachorũ choris & alternis cantibus cecinit, hoc in beatũ Ignatium, tanquam primũ auctorẽ, recurrit. Sunt autẽ illius in Iambico 18. sub finem hi versus.

Ὁρᾷς ἀγχύπτους πρὸς θεὸν ψαλμῳδίας
Ἀνδρῶν, γυναικῶν φύσεως λελησμένων,

Οἷον

Οἷον θ', ὅσον τε, καὶ ὅσον θεημβρίων
Σύμφωνον, ἀντίφωνον Ἀγγέλων στάσιν
Δίστιχον, ἄνω τε καὶ κάτω τεταγμένην,
Θείας ὑμνῳδὸν ἀξίας καὶ φύσεως;
Noctúne, cernis, vt canat laudes Deo
Naturæ vterque sexus oblitus suæ?
Quot, quamque sanctis? Cernis Angelicũ chorũ,
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit,
Partim deorsum positus, & partim suprà,
Sine fine summi concinens laudes Patris?

Ita Nazianzenus, & Nazianzeni interpres doctissimus Billius. Cui simillima habet Nazianzeni achates, Basilius Magnus, epist. 63. ad Neocæsariensis ecclesiæ Clericos, vbi sic inter alia: *De nocte populus consurgens antelucano tempore domum orationis petit, atque in labore & tribulatione, & continuis lachrymis, Deo facta confessione, ad extremum ab oratione surgens ad psalmodiam traducitur. Et nunc quidem in duas partes diuisi alternis succinentes psallunt; simul quidem Scripturarũ meditationem inde roborantes, simul verò attentionem & cordis indispersam stabilitatem procurantes: deinde rursus commissa vni cuipiam cantus inchoatione reliqui succinunt.* Græca, licet ad manum essent, breuitatis studio pretermisi.

Ad Latinos multo seriùs hic alternis psallendi modus transijt: nempe tribus fere sæculis, postquam illum Antiochiæ S. Ignatius induxerat. Nam primus inuexit in ecclesiã Latinam S. Ambrosius, teste Isidoro Hispalensi in lib. 1. de genere officiorum, cap. 7. *Antiphonas*, inquit, *Græci primum composuerunt duobus choris alternatim concinentibus: quasi duo Seraphim, duo quoque testamenta inuicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus idem Ambrosius antiphonas constituit Græcorum exemplum imitatus. Exhinc in cunctis occiduis regionibus earum vsus increbuit.* Sed distinctè vtráque vtrobique originem attigit Sigebertus in Chronico ad annum Christi 387. *Ambrosius Episcopus*, inquit, *ritum antiphonas in ecclesia canendi primus ad Latinos transtulit à Græcis: apud quos hic ritus iam dudum inoleuerat ex instituto Ignatij Antiocheni Episcopi & Apostolorum discipuli, qui per visionem in cælum raptus vidit & audiuit, quomodo Angeli per Antiphonarum reciprocationẽ hymnos sanctæ Trinitati canebant.* Quare quòd Georgius Cedrenus & Radulphus de riuo Tungrensis dicũt, apud Græcos eum ritum sub Constãtio Imp. primùm cœpisse; falluntur opinione: nisi fortè loqui de moris antiquati prima restitutione dicendi sint. Verba quidem Cedreni ad annum Constantij 23. sunt hæc: Τῷ κγʹ. ἔτει τοῦ Κωνσταντίου Φλαβιανὸς ὁ Ἀντιοχείας τοὺς τῶν ψαλλόντων χοροὺς διελὼν, ἐκ διαδοχῆς τὴν Δαυιδικὴν ἐδίδαξε πρῶτος ᾄδειν μελῳδίαν. *Anno 23. Constantij Flauianus Antiochiæ Episcopus docuit primus, diuisis psallentium choris, Dauidicam alternatim cani melodiam.* Radulphi autẽ libro *De canonum obseruantia*, propositione 8. sunt ista: *Vt autẽ chori in duas partes diuisi ipsos psalmos alternatim decantent, iam tempore Constantij Imp. in ecclesia Antiochena primi instituerunt Flauianus & Diodorus, viri probatæ vitæ & doctrinæ. Quod inde ad terminos totius orbis vsque peruenit.* Ita ille. Verùm vt dixi, nõ illi instituerunt primi, sed intermissos restituerunt.

Sed enim, inquiet aliquis, Philo Iudæus, ille Iudæorũ sapientissimus & disertissimus, qui B. Ignatium ætate aliquantisper antecessit, de hac Christianorum alternis canendi consuetudine in suis peruigilijs, nonnullam mẽtionem fecit in libro *De vita contemplatiua* extremo, & quidem de Alexandrinâ ecclesiâ, sic à Marco Petri discipulo institutâ loqui cum docēt SS. PP. nominatimque Hieronymus, libro *De scriptoribus ecclesiasticis* in Philone. Igitur ad Marcũ ille mos referendus erit potius, quàm ad Ignatium. Respondeo vtrãque Ecclesiã Antiochenam & Alexandrinã, eodem fere tempore, illã à B. Ignatio, hanc à S. Marco, ambobus Petri discipulis gubernatam esse: & quamuis daretur talem concinendi modũ priùs in Ægyptò fuisse, quàm in Syria, nihil tamen id impediret, quo minùs id per visum B. Ignatius didicisset & Antiochiæ introduxisset, quod alibi alia de caussa se insciente institutum esset. Adde neminem è Christianis Scriptoribus dicere eũ morem ab Alexandrinis ad alias ecclesias esse deriuatum, sed multos contrà ab Antiochenis.

Nouem porrò sacrorum cantuum vtilitates totidem capitibus comprehẽsas tam breuiter quàm eruditè pertractauit Gisbertus Scheuicauius in libro *De ecclesiasticorum vitâ*, cap. LXXXIII. & deinceps. Iam verò qui sũmas eorundẽ laudes pari extulit eloquentia, nec impari pondere abusus depressit, tibi planè adeundus & audiendus est Ludouicus Cresollius in suo Mystagogo, cap. 27. quem cùm legeris vel audiueris, nihil, vt opinor, nec aptius, nec melius in hoc genere desideraueris.

EGO IGNATII, EGO EVODII) Quum plures seu Apostolorum seu Discipulorum Domini, doctrinam Christianam in aliqua vrbe prædicarent; accidebat, vt vnusquisque sibi eum pro magistro ac institutore eligeret, quẽ vellet, eóque gloriaretur: ita vt nonnulli se discipulos Petri dicerent, alij aliorum, iuxta illud in priori ad Corinthios 1. *Hoc autẽ dico, quòd vnusquisque vestrûm dicit: Ego quidẽ sum Paulli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi.* &c. Ita igitur & Antiochiæ vbi Petrus & Paullus & Barnabas & Euodius & Ignatius docuerant, alij erant qui se Petri discipulos atque sectatores dicerent, alij qui Paulli, alij qui Barnabæ, alij qui Euodij, alij qui Ignatij; & cùm prioribus aliò digressis res ad duos potissimè deducta

esset, eósque pari ferè virtute ac sanctimonia præstantes, quorum vnus præcipuè è Iudæis ad Fidem conuersos, alter è Gentibus, instituendos suscepisset: occasio hęc erat nonnullius, vt fit, inter eos æmulationis: sed Euodio tandem morte prærepto, & Ignatij virtute in vtramque partem perinde propensa, iam duris in rebus optime cognitâ, omnis alia decertatio concidit, solaq; meliorum charismatum æmulatio ducente & regente Ignatio præualuit.

SVBDIACONI. SED ETIAM SVBDIACONOS] De Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, vt ordinibus sacris, agunt S. Dionysius Areopagita, & S. Ignatius varijs locis: nusquam autem de alijs inferioribus, quasi sacri essent: neque item vlli vel antiquiores illis, vel pares, quorū quidē scripta apud Catholicos minime sint dubia. Nam de Apostolorum Canonibus & Constitutionibus sic vulgò appellatis, quid sentiendum sit, alibi diximus. Itaque B. Ignatius, quem primum omniū reperimus horum inferiorum ministeriorum fecisse mentionem, & hoc quidem in vnica ad Antiochenos epistola, is, inquam, Ignatius non adiungit maioribus Ordinibus Subdiaconos, sed ministris inferioribus, dicens: *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios* &c. Quos si iudicasset è maioribus esse Ordinibus, sine dubio in alijs omnibus epistolis, vbi semper salutat Diaconos, eósque conseruos suos appellat (nam qua erat humilitate, nunquam, dū salutaret Episcopos aut Sacerdotes, se eorum vel coëpiscopum vel consacerdotem, vel conseruum appellauit, sed minimum semper eligens inter sacros Ordines locum, vt ad Diaconos ventum est, continuò fere conseruos illos appellat) in alijs, inquam, epistolis, etiam Subdiaconos nominasset ac salutasset. Illos quoque S. Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos in recensione maiorū Ordinum retro relinquit. Ecclesiam enim cum Arca Noë comparans, *A triginta cubitis incipiens*, inquit, *& vsque ad vnum cubitum paullatim decrescens Arca constituitur: similiter & Ecclesia multis gradibus cōsistens ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.*

Neque tamen caussa est, cur vel illos, vel inferiores illis ordines quispiam contemptui habendos putet, cùm illorum nomina primis sæculis & *ab ipso Ecclesiæ initio* (vt loquitur Concilium Tridentinum) *in vsu fuerint, & Subdiaconi quidem ad maiores Ordines à Patribus & sacris concilijs relati sint.* Vt enim in ciuili rep. sic in Ecclesia, iuxta relictam summis magistratibus potestatem, diuersa diuersis temporibus induci possunt & statuta & ministeria: ac nonnullorum quidem dignitas vel augeri processu temporis, vel minui. Sic Subdiaconatus, qui, dum parua esset & quasi in primis suis cunabulis ecclesia, nullus dum erat (nam ad omnia ministeria vnus tum sufficiebat Diaconatus) postmodum introductus est, sensimque auctus, & tandem in maiores Ordines relatus est. Hinc Vrbanus II. Papa nec inter sacros ordines ponebat, cùm, vt habetur dist. 60. c. 4. ita de Episcopi electione sanciret: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose viuens fuerit iuuentus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse ecclesia. Subdiaconos verò, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus: si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ.*

Concil. Trid. sess. 23. cap. 2.

Subdiaconorum porrò officium declarat ipsa vocis etymologia, nempe Diaconis subesse ac subseruire, in altaris scilicet ministerio. Ac nunc quidem eorum munus præcipuum est, in solemni sacrificio epistolam decantare. Alia eorundem officia vide in Pontificali Romano, vbi de ipsorum ordinatione agitur.

LECTORES] Horum munus præcipuum (vnde & appellati sunt) erat legere in ecclesia Scripturam sacram, seu noui, seu veteris testamenti, iuxta Episcopi aut Presbyteri, qui eam deinde explicaturus erat, præscriptum. Quod è S. Iustino Philosopho & mart. & è S. Cypriano, alijsque SS. PP. colligi potest. Iisdem in Pontificali Rom. attribuitur benedictio panis & omnium fructuum nouorum. De lectoribus non contemnenda collegit Ioannes Meursius, parte 2. Exercitationum criticarum. LECTORES.

CANTORES) Primum munus cantorum fuit (quod nomen ipsum præfert) in ecclesia cantare psalmos, hymnos, & quicquid à præsidente sacris præfiniretur. Græci ψάλτας vocant. Non sunt ipsi modò inter Ordines. Fuerunt autem Ignatio, qui illos præfert Ostiarijs; vti & Constitutionum Apostolicarum compilator, lib. 3. cap. 11. CANTORES.

OSTIARIOS) S. Ignatius græcè πυλωρὺς vocat, quod sonat *portarum custodes*. S. Epiphanius eodem significatu θυρωρὺς. Hi nunc sunt infimi inter quatuor minores ordines, pro officio habentes aperire & claudere templi ianuas, pulsare campanas, cymbalo sonum edere, concionaturo librum pandere, aliaque eiusmodi. Quos sic in ordinatione admonet Pontifex: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.* OSTIARII.

LABORANTES) Hos appellat sanctus martyr τὺς κοπιῶντας. Est autem κοπιάω *laboro*. S. Epiphanius autem ab eadem origine κοπιατὰς nominat, dicitque esse eos, qui mortuorum condunt corpora, hoc est, ad sepulturam parant & sepeliunt. Qui proinde ab effodienda pro humandis corporibus terra Fossarij vulgò appellantur. Vide apud S. Hieronymum tomo 9. epistolam De 7. gradibus LABORANTES siue FOSSARII.

Epist. 13. ad Rusticũ Narbonensem Episcopum. dibus ecclesiæ, incerti quidem Auctoris illam, sed non ineruditi, vbi ab imo gradu incipiens, *Primus igitur in Clericis*, inquit, *Fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur, vt exhibentes visibilium rerum curam ad inuisibilium festinent, & resurrectionem carnis credentes in Domino totum quod faciunt, Deo se præstare, non mortuis, cognoscant.* Sic ibi.

EXORCISTÆ. *EXORCISTAS*) S. Ignatius vocat ἐπορκιστάς, quod *adiuratores* significat. Horum fuit ex obsessis corporibus dæmones expellere, quod sacris verbis & impositione manuum præstabant. Item *dicere populo, vt qui non communicat, det locum: & aquam in ministerio fundere*: vti loquitur & præscribit Rom. Pontificale. Huius in ecclesia potestatis peranti-qui Patres meminerunt. Verba S. Iustini Martyris affero ad eius vitam.

ACOLYTI. ACOLYTO) tempore B. Ignatij nullos habuit Antiochena ecclesia. Qui enim omnes ordines & gradus in data ad suos Antiochenos epistola nominatim consalutauit, illos solos nequaquam dimisisset insalutatos. Eorundem quoque in Constitut. Apostolicis & in B. Epiphanio, (licet Cantorum inter recensendos Ordines meminerint) altum silentium. Nempe istorum minorum ordinum dispositio ac numerus in arbitrio ac potestate Pontificum cuiusque ecclesiæ videtur primis temporibus resedisse. Nunc vbique gentium sunt isti 4. minores Ordines: Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti. Quorum fusior tractatio ad doctrinam *De Sacramentis* spectat.

CAPVT VI.

INTER NERONEM CLAVDIVM ET DOMITIANVM) Indicat Paullus Orosius li. 7. historiarum aduersus Paganos, cap. 9. post Neronis mortem, felici pace potitam esse Dei ecclesiam, multùmque auctam atque idcirco permisisse Dominum euerti à Tito templũ illud Hierosolymitanum hactenus tam celebratum, tanquam scilicet nũc abolitâ Iudæorum synagogâ superuacuum. *Quod tamen*, inquit Orosius, *postquam in potestatem redactum opere atque antiquitate suspexit, diu deliberauit, vtrum tãquam incitamentum hostium incenderet, an in testimonium victoriæ reseruaret. Sed Ecclesia Dei iam per totum orbem vberrimè germinante, hoc tanquam effetum ac vacuum, nullique vsus bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit. Itaque Titus Imperator ab exercitu pronuntiatus templum in Hierosolymis incendit ac diruit: quod a die conditionis primæ vsque ad diem euersionis vltimæ manserat annis* M. C. II. Sic ibi. Atque vt hoc obiter addam, minimè est dubium, quin ista Iudaici templi euersio, rei Christianæ maximo bono fuerit. Quippe illo stante nunquam decidissent aduersus Christianos Iudæorum animi, sed quotiescumque ad illud in suis solemnitatibus rediijssent, toties ad recuperandum & retinendum legis suæ vigorem incitati essent. Titi deliberationem de templi euersione paullo pluribus refert Sulpicius Seuerus lib. 2. sacræ hist. sed vtroque accuratiùs & pleniùs (vnde & illi hausere) Iosephus lib. 7. De bello Iudaico, cap. 9. in græcis autem exemplaribus cap. 24. & seq.

b VIOLENTVS TVRBO DOMITIANVS] De illo sic Orosius, libro proximè citato, c. 10. *Qui per annos quindecim ad hoc paullatim per omnes scelerũ gradus creuit, vt confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis vbique crudelissimæ persecutionis edictis conuellere auderet.* Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 17. scribit eum τῆς Νέρωνος θεοεχθρίας τε καὶ θεομαχίας διάδοχον *Neroniani in Deum odij & belli successorem* se fecisse. *Quippe qui secundus contra nos persecutionem mouerit: quamuis eius pater Vespasianus minimè erga nos malè affectus fuerit.* Cornelius Tacitus autem in Iulij Agricolæ vita non veretur eius sæuitiam non modò cum Neroniana componere, sed etiam quadam tenus anteferre. *Nero tamen*, inquit, *subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectauit. Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici: cùm suspiria nostra subscriberentur: cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.* De Christianis ab eo per summam impietatem atque iniustitiã crudeliter interemptis vide initio huius tomi, ante vitam S. Dionysij, in Imagine primi sæculi.

c HAS ENIM SI QVIS INFESTET IMP.) Huius dicti veritatem fecit certissimam Constantini Magni, Imp. Christiani imperium. Is enim, vt animum adiecit amplificandæ Religioni & superstitionibus extirpandis, mirum est quàm breui tempore quantum Gentilium numerum ad Ecclesiam adduxerit, & quãta prosperitate inueteratos priscis sæculis errores, si non omnino oppresserit, certè incredibiliter depresserit. Quid si Ethnicos (vt quondam tyranni Christianos) proposito mortis supplicio ad deserendos Deos & pietatem suscipiendam adegisset? Certè ex ijs, quæ facta sunt, quid futurum tũc fuisset, satis prospectum est. Neque enim procul dubio cruentis persecutionibus accreuisset superstitio, sed extincta esset. De admirabilibus sub Constantino Ecclesiæ incrementis, vide apud Eusebium in eiusdem Imp. vita.

d NAM ET IPSVM DVCEM IGNATIVM CEPERVNT) Captum fuisse B. Ignatium, & in vincula coniectum, & variè exagitatum ipsis Domitiani tyranni temporibus, fidem facit eiusdem martyris epistola ad Mariam vulgò Cassoboliten cognominatam,

natam scripta, præsertim in illis verbis: Ἐγὼ δὲ, ὦ μακαρία, οὐκ ἐμαυτοῦ μὲν τοσοῦτον, ὅσον ἄλλων γενόμενος, ταῖς πολλῶν τῶν ἐναντίων γνώμαις ἐλαύνομαι, τὰ μὲν φυγαῖς, τὰ δὲ φρουραῖς, τὰ δὲ δεσμοῖς. *Ego vero, ò beata, non tam mei iuris, quàm aliorum nunc factus, multorum aduersariorum arbitrio, partim exilijs, partim custodijs, partim vinculis exagitor.* Scriptã autẽ fuisse hanc epistolã imperãte Domitiano inde colligitur; quòd in ea ipsa declaret Ignatius Clemẽtem Rom. Pont. iam nuper successisse Anacleto: quod accidisse refert Eusebius anno Domitiani 12. Christi 95. nempe duobus circiter annis, antequam idem Imperator persecutionem vehementiùs incẽderet. De quâ sic Eusebius ad annum Domini 96. & Domitiani 14. *Secũdus post Neronẽ Domitianus Christianos persequitur.* &c. Quo etiã anno assignat S. Ioannis Apostoli relegationẽ. Cui per omnia consentit Hieronymus in libro, De Script. eccl. in Ioanne: vbi sic de illo scribit: *Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmon insulam relegatus scripsit Apocalypsin.* &c.

e *AN NON HOC IPSO TEMPORE*] Eodẽ Domitiani dominatu, vt iam probatum est, relegatus cùm esset B. Ioannes in Patmon, bona sors fuit, (ita disponente diuina prouidentia, & mala Mali consilia in bonum cõuertente) vt tota illa insula diuinæ legis alioquin ignara, gloriosam Euangelij lucem à filio tonitrui hauriret. Quum ergo illuc ad effodiẽda metalla (vt scribunt Victorinus Pictauiensis & Primasius in suis super Apocalypsin commentarijs) missus esset, ipse metallorũ loco preciosiores omni metallo margaritas, tam in exules, quàm in quoscunque alios incolas aut inquilinos dispersit. Inde & nobiles illas cælesti spiritu plenas ad septem Asiæ Præsules dimisit epistolas, quibus eos partim laude virtutum, partim redargutione vitiorum, vti ex diuina reuelatione acceperat, sui officij commoneret. Verùm de B. Ioanne, qui multa, immò omnia scire vult, adire potest nostri Ioannis Seruij Apparatũ euangelicum, vbi ferè quicquid de illo quæri aut dici potest, breuiter distinctèque est persecutus.

f ILLAM DICO MARIAM) Hanc Mariam, ad quam scripsit B. Ignatius, esse eandem, quam salutauit S. Paullus in epistola ad Romanos cap. vltimo, his verbis: *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis,* probo fusius in meis ad eiusdem Ignatij epistolas commentarijs. Ea Romæ erat, cùm Paullus ad Romanos scripsit: cuius & ipse bonum odorem virtutum, & laboris pro ecclesia suscepti laudabilem famam absens perceperat. Nam Romæ necdum Paullus hoc tempore fuerat, tametsi illuc proficisci valde diuque optasset: vti in data ad eos epistola cap. 1. significat. *Testis enim mihi est Deus,* inquit, *cui seruio in spiritu meo, in euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis: obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis, per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus,* &c. id est, vt producam inter vos fructus FIDEI & virtutum, nonnullos ad Fidem cõuertens, alios in fide confirmans, atque ad omne genus Christianæ virtutis incitans atque inflammans. Eadem porrò Maria adhuc Romæ fuit tempore B. Anacleti Papæ, vt indicat Ignatij ad ipsam epistola, quæ vitæ hoc ipso cap. inserta est. Legendum autem esse *Anacleti,* vt habent exemplaria græca & latina, non autem *Cleti,* vt corrigere voluit Baronius, probaui in commentario.

CAPVT VII.

a QVA SE DEVM AC DOMINVM DIXERAT) De illa Domitiani superbia, qua sibi diuina nomina arrogauit, notaui ad Vitam S. Dionysij Areopagitæ. Vide ibi Notationes, cap XIII. vbi citantur profani auctores. E sacris vnicum hîc laudabo Paullum Orosium, qui libro 7. historiarum, cap. 10. sic de eadem Domitiani superbia tam vehementer, quàm breuiter: *Is in tantã,* inquit, *superbiam prolapsus fuit, vt Dominum sese ac Deum vocari, scribi, colique iusserit.* Et postea: *Idémque efferatus superbia; qua se Deum coli vellet, persecutionem in Christianos agi secundus a Nerone imperauit.*

b *NAM NERVA COCCEIVS, VIR MODERATVS*] Planè diuersus fuit hic Imperator à Domitiano, qui proximè antecessit. Nam ille alienis toris perditè adhinniebat; hic publicæ castitati lege lata consulebat: ille aliena per vim rapiebat; hic sua vltro ac benignè diuidebat, Ille immeritos neci dabat: hic etiam meritis parcebat: Ille probos ac sanctos in exilium relegabat: hic eosdẽ ab exilio reuocabat. Denique ille per cædem & crudelitatem retinebat imperium, quod amittere metuebat: hic autem illibenter susceptum, libentiùs in alterum trãsferebat. Nam vtrumque conscientia, illum mala vexabat, hunc optima recreabat. Hæc porrò esse verissima, licet de ambobus è Dione Cassio, auctore probissimo & antiquissimo, in ipsorum vitis, libro 67. recognoscere. Vbi de Nerua quidẽ in hunc modum: Νερούας δὲ οὕτως ἦρχε καλῶς, ὥστε ποτὲ εἰπεῖν· Οὐδὲν τοιοῦτον πεποίηκα, ὥστε μὴ δύνασθαι τὴν ἀρχήν τε καταθέσθαι, καὶ ἀσφαλῶς ἰδιωτεῦσαι. *Nerua quidem adeo bene imperabat, vt ali-*

aliquando diceret: Nihil tale feci, quin & deponere imperium, & priuatus tutò vitam agere valeam. De Christianis verò hæc ibidem sunt verba: Τοῖς δὲ δὴ ἄλλοις οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας συνεχώρησε. *Neminẽ quoque nec impietatis, nec vitæ Iudaicæ accusari permisit.* Vbi per impietatem intelligit religionem Christianam, vti & alibi superiùs dictum est. Quod autem & accusatos absoluerit & relegatos reuocarit, idem Dio his verbis, initio eiusdem libri, testatur: Καὶ ὁ Νέρουας τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε. *Nerua autem reos impietatis absoluit, exulésque restituit.* Vbi rursus *reos impietatis* more Gẽtilium appellat Christianos. De eodem Nerua sic Orosius lib. 7. cap. 11. *Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit. Vnde & Ioannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus Ephesum rediit.* Egregiè eũdem Imp. depinxit in Cæsaribus suis Ausonius hoc tetrasticho:

Proximus extincto moderatur sceptra tyranno
Nerua senex, Princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem:
Quam legisse iuuet, quam genuisse velit.

Intelligit adoptionem Traiani, optimi Imperatoris

c *AC VIRGINVM QVIDEM VEL NVNC PRIMVM COLLEGIA INSTITVIT*] Fuisse Antiochiæ collegia virginum, Ignatio ibidẽ Põtifice, clarum est ex eius ad Philippenses epistola extrema, cùm dicit: Ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων. *Saluto collegium virginum.* Vide, si placet, nostrum commentarium ad illam epistolam. Sed an Ignatius primus instituerit, vt professæ virginitatem simul cohabitarẽt, an aliquis alius antiquior, non mihi liquet. Certè erãt nonnullæ ipsius æuo, quæ profitebãtur perpetuam virginitatẽ, quas proinde idem B. Ignatius in epist. ad Smyrnæos in fine vocat ἀειπαρθένους *degẽtes in perpetua virginitate*, quas & salutari iubet. Itaque supponit eas ecclesiæ notas esse. Meminit autem consecrationis ipsarum in epistola ad Antiochenos, his verbis: Αἱ παρθένοι γινωσκέτωσαν τίνι καθιέρωσαν ἑαυτάς. *Virgines intelligant, cui se consecrauerint.*

d *ATQVE A SVCCESSORIBVS SVIS SVSCIPI VOLVIT*] In epistola ad Heronem, quem Ignatius sibi successurum spiritu prophetico præuidit & prædixit, eum ipsum hortatur ad diligentem virginum & viduarum curam. Ac de illis quidem, *Virgines*, inquit, *vt Christi thesauros custodi.* De viduis autem vsurpat Paulli vocẽ 1. ad Timotheum 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* De vtrisque attulit suprà, quæ senserit & docuerit S. Ignatius. Vide ibi caput 23.

e *SPIRITVM QVIPPE VERITATIS SIMPLICEM ESSE* &c.] Describit Ignatius vtrumque spiritum Veritatis & erroris, hoc est FIDEI & hæreseos, in epistola sua ad Ephesios. Vide suprà cap. 17. §. 2. Scripsit quoque, vt pereleganter, sic & pereruditè de hac materia Vincentius Lirinensis in suo aduersus profanas omnium hæreseon nouationes aureo libello, vbi sub Apostolorum & pseudoapostolorum nomine Catholicos & hæreticos complectens, illorum simplicem spiritum ab horum subdolo & fucato, per vtrorumque variam ac diuersam Scripturæ sacræ interpretationem, discernit. *Tales*, inquit, *erant hi, quos percutit Apostolus Paullus in secunda ad Corinthios, dicens:* Nam eiusmodi, inquit, pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. *Quid est*, transfigurantes se in Apostolos Christi? *Proferebant Apostoli diuinæ legis exempla: proferebant & illi. Proferebant Apostoli psalmorum auctoritates: proferebant & illi. Proferebant Apostoli sententias Prophetarum: & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea, quæ similiter protulerant, interpretari non similiter cœpissent; tum simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tum recti à peruersis, tunc postremò veri Apostoli à falsis Apostolis discernebantur.* Ita Scriptor ille antiquus & doctus & pius.

f *PRIMA ORATIONE ATQVE AFFATV CHRISTIANVM EFFERRE NOMEN* &c.] De hæreticis initio blandè appellantibus, & postea venenum hæreseos spargentibus scribit Ignatius in epistola ad Trallianos. Vide suprà, cap. 17. §. 2.

g *SIMIOS, SCORPIOS, DRACONES, ASPIDES* &c.] Talibus insigniẽs nominibus hæreticos Ignatius in epistola ad Antiochenos, suo populo (erat enim Antiochiæ Episcopus) ardentem Fidei zelum, instar sinapis, egregiè ostendit. Nam fuit alioqui vir omnium mansuetissimus, & eiusdem virtutis mirificus commendator. Verùm, vbi honos Dei agitur, & Fides ac Religio periclitatur, nimis remissi est animi nõ exardescere. Quo autem modo ista mala nomina superiùs posita in hæreticos quadrent, tracto speciatim in commentario ad dictam Ignatij epistolam.

h *HERONEM NOMINE, ANNIS QVIDEM IVNIOREM* &c.] Quæ de S. Herone S. Ignatij successore hic dicuntur, partim ex varijs S. Ignatij ad alios litteris, partim & maximè ex ea, quæ est ad ipsummet Heronem, cognoscuntur.

CAPVT VIII.

a *NERVA COCCEIO ANNVM VNVM MENSESQVE ALIQVOT* &c.) De Nerua Imp. sic Dio lib. historiarũ LXVIII. Πράξας δὲ ταῦτα μετήλλαξεν, ἄρξας ἔτει ἑνὶ καὶ μησὶ τέσσαρσι καὶ ἡμέραις ἐννέα· προβεβιώκει πέντε καὶ ἑξήκοντα ἔτη καὶ μῆνας δέκα καὶ ἡμέρας δέκα. *His autem confectis obijt, cùm imperasset*

annum vnum & menses quatuor & dies nouem. Vixerat sexaginta quinque annos & menses decem & dies decem. Alij Scriptores Neruæ imperio supra annum vnum plures menses tribuunt, quàm Dio; alij pauciores. Nos proinde, quod tutum & certũ est, amplexi sumus, tribuentes ei annum vnum & menses aliquot. Nec plus à nobis alio in genere occupatis exigi potest.

b *PROPTER BELLICAM ADVERSVS PARTHOS EXPEDITIONEM*] De hac Parthica expeditione videri potest Dio Cassius l. 68. hist. Rom. Vide & Menæũ suprà, cap. 20. vbi expressè dicit adductum S. Ignatium ad Traianum contra Parthos proficiscenté. Magis id arridet, quàm quod apud Metaphrasten est, *contra Persas*. Conformius enim istud Romanis historijs. Aut potiùs non Metaphrastis est hic error, sed erratum librarij, qui parua mutatione κτ̀ Περσῶν *contra Persas* scripserit, pro, κτ̀ Παρθῶν, *contra Parthos* vt in Græcorũ Menæo suprà expressum est. Et sanè Traianum habemus in antiquis monumentis sæpe Germanicũ, Dacicum, Parthicum esse appellatum, nusquam Persicum. Videri possunt Iacobi Stradæ, Adolphi Occonis, Huberti Goltzij, & aliorum numismata & tituli, vbi multa Traiani numismata reperientur, tam græcè quàm latinè inscripta nomine Parthici. Vnum Goltzij numisma sic inscriptum est:

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ.
ΑΡΙΣΤ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙ. ΠΑΡΘΙ.
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΙΘ. ΥΠΑΤΟΣ. ς.

i. Imperator. Cæsar. Nerua. Traianus, Optimus. Augustus. Germanicus. Dacicus. Parthicus. Tribunitiæ potestatis XVIIII. Consul VI.

Eiusdem Goltzij vetus inscriptio.

IMP. CÆS. NERVÆ. TRAIANO. AVG. GERMANICO. DACIC. PARTHIC. PONT. MAX. TR. POT. XX. IMP. IX. COS. VI. P.P. OPTIMO PRINCIPI.

Sed in Caroli Croyï, Ducis Arschottani cimelijs, duo inter alia fuerunt egregia numismata, eáque aurea, in quorum altero inscriptum erat circa Traiani Regem Parthorum coronantis effigiem: REX PARTHIS DATVS. in altero autem numismate circa eiusdem laureati caput ex vna parte: IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GER. DAC. PARTHICO. ex altera verò circa effigiem Genij astante Traiano togato sacrificantis, & vota pro eius incolumitate concipientis, sic: P. M. TR. P. COS. VI. S. P. Q. R. infra effigiem denique Traiani & Genij subductâ lineâ hæc erant verba: VOTA SVSCEPTA. Extant porrò hæc numismata à Belleris Antuerpiæ edita, & Ioannis Hemelarij viri sanè doctissimi egregio commentario illustrata.

Adde nullã à Dione Cassio (dum is Traiani bella persequitur) Persarum aut Regis ipsorum fieri mentionem, Parthorum verò plurimam. Ac licet Persas quoque domuerit aut represserit Traianus, vti Aurelius Victor insinuat, tamen belli caput, quod arma Imperatoria impetebant, Parthorum Rex erat.

c *QVORVM IPSE DILIGENS CVLTOR ET SEVERVS VINDEX*] Traiani studium in tuendis & amplificandis Deorum honoribus certissimè cognosci potest è Plinij Secundi partim panegyrico eidem Imperatori dicto, partim epistola ad eundem data, & ex huius vicissim ad Plinium litteris, quas cap. 14. infrà proferemus. Sed in panegyrico inter alia, *Tu delubra*, inquit, *non nisi adoraturus intras. Tibi maximus honor excubare pro tẽplis.* &c. Quã ergo pius fingitur erga Deos, tã erga Deũ impius fuit. Hinc per opportuna inimicis Fidei occasio visa est, alienos à Deorum cultu persequendi: quòd scirent, quanti Imperator eos faceret. Habent enim hunc morem homines, vt quo ferri heros ac dominos viderint, in eo se illis vehemẽtiùs placere studeant: seu eadem studia impensiùs collaudando, seu facta ijs contraria seueriùs puniendo.

d *RECENTIBVS DE DACIA VICTORIIS ELATVS*] Traiani contra Dacos bella, victorias, & Dacici appellationem vide apud Dionẽ in Traiano, lib. 18. (vbi etiã de Decebalo Dacorum Duce bis victo) & apud Onufrium & alios in fastis, aut in antiquis inscriptionibus & numismatis.

e *IN CONSPECTVM PRODVCI IVBET*] Productum fuisse B. Ignatium in Traiani conspectum, & cum eo collocutum de Deo & vera religione, spretis superstitionibus, non tantùm ex actis apud Metaphrasten, sed etiam ex S. Heronis successoris B. Ignatij testimonio palam est. Vide suprà cap. 16. vitæ, vbi S. Heron inter alia sic ad S. Martyrem Ignatium: *Confudisti Traianum, & Senatum Romæ prudentiam non habentem.* nempe in refutatione argumentorum, tam Traiani, quàm Senatorum Romanorum illi assistentium Antiochiæ. Habebat enim etiam illic secum aliquos Senatores. Quamuis etiam dici possit vtrobique aduersarios confudisse; Traianum quidem Antiochiæ, Senatores autem Romæ. Satis enim credibile est, ex ijs nonnullos audita sancti viri dignitate & sapientia, cum eo, priusquam objiceretur bestijs, congredi voluisse.

f *NEC MORA ERIT, QVIN ET IOVIS MAGNI SACERDOS FIAS*) Solemne fuit tyrannis Christianos primò promissis allicere, deinde minis territare, & tormentis vrgere. Vt ergo Traianus cum IGNATIO, sic Hadrianus Traiani successor cum S. Eleutherio Episcopo, promissis primùm, deinde minis

minis depugnauit. Vide eius vitam tomo 2. Surij. Sic & Maximianus cum S. Anthimo, cui & Sacerdotium item promisit. Vide eodem tomo. Sic & alij multi cum alijs: quorũ exemplorum plenæ sunt sacræ historiæ.

g *QVIBVS AVDITIS NONNVLLI SENATORVM*] Etiam senatores aliquos ex ijs, qui Imperatori aderant, in disputationem se ingessisse ex paullo antè dictis colligitur. Quos credibile est in gratiam pientissimi, vt putabant, Imperatoris valde Deorũ laudes præ Christi morte & cruce exaggerasse: quæ caussa fuerit, quamobrem Ignatius eorundẽ Deorum perditos exitus, quos ipsi negare non poterant, singillatim memorauerit, & aduersarios inficiari certissima non valentes confuderit.

h *SCAPVLAS PILIS PLVMBATIS SERVILEM IN MODVM TVNDI*) Irritis pollicitationibus ad minas ventum est, & ijs nihilo plus consecutis, seriò in tormenta itum est. Hæc autem tormentorum genera, quæ hic expressa sunt, partim è venerabilis Bedæ martyrologio ad VIII. Kal. Decembris, partim ex Adonis libello De festiuitatibus Sanctorum, ad Kalendas Februarij, partim è Menæo Græcorum, vt aliorum scripta taceam, collecta sunt. Quod ad Menæum spectat, vide suprà caput 20. vitæ.

Eadem fortissimi athletæ tormenta breuiter perstrinxit Bandinus Gualfreducius in prima parte hieromeniarum his phaleucis:

Nunc spectacula do mei triumphi.
Plumbo contudit antè lictor artus.
Vtrumque in latus vngula est adacta.
Scaber mox lapis addidit dolores.
Aceto malè lota sal momordit
Cruda vulnera; quæ sitis, famésque
Et carcer triduanus asperauit.
Acer plura tuli. Venite sæui
Siluis omnibus eruti leones:
Vestrorum peto viscerum sepulchrum.

Vnum porrò hic necessario obseruandum est, nempe non Romæ illa priora tormenta passum esse Ignatium, sed Antiochiæ: quamuis illud disertè V. Beda, & Ado Viennensis in suis profiteantur martyrologijs, & ferè ijsdem verbis, ita vt alter ab altero mutuatus esse videatur. Sic ergo Beda VIII. Cal. Decembris: *Natale sancti Ignatij Episcopi & Martyris; qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit ecclesiam: qui persecutione Traiani damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur: vbi præsente Traiano, circumsedente Senatu, pilis plumbeis scapulæ eius primum contusæ, deinde vngulis latera eius dilaniata, & lapidibus asperis confricata: pòst expansæ manus eius & igni repletæ, papyro oleo infuso & incenso latera eius adusta: pòst super carbones pauimento aspersos, vbi sanctæ plantæ illius steterunt. Post lectum flammantem, post dorsum eius vngulis discissum & dilaceratum, post acetum & salem, quibus plaga eius infusæ sunt, post vinculis ferreis beata membra illius adstricta, & pedes in imo carceris ligno conclusos (vbi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens mansit) sedente pro tribunali Traiano, in amphitheatro, concurrente omni turba Romanorum, ligatus duobus obijcitur leonibus.* &c. Ado autẽ hæc habet Cal. Februarij, in libello De festiuitatibus SS. Apost. &c. Verùm quoniam constet tam ex Actis martyrij apud Metaphrastẽ, quàm ex Græcorum Menæo suprà, B. Ignatium à Traiano Antiochiæ tunc agenti condemnatum fuisse ad bestias, atque Romam in vinculis missum, necessariò consequitur illa, quæ hic suprà relata sunt, passum esse Antiochiæ, priùs quàm mitteretur Romam. Neque enim licebat Romanis eum, qui ab Imp. iam ad bestias damnatus esset, tormentis subijcere: nec qui cum bestijs pugnaturus seruabatur, triduana inedia conficere. De Traiani præsentia in martyrio improbat quoque Baronius, tomo 2. Annalium, Traiani vndecimo: *Cum hæc scribat acta*, inquit, *coram Traiano Imp. haud probantur: cùm constet eum in Oriente egisse his temporibus cum exercitu.*

i VERVM NE FORTE AB ANTIOCHENSIBVS &c.) Afferuntur rationes, cur S. Ignatius, qui Antiochię supplicio affici poterat, Romam ad supplicium deportatus sit. Quarum vna est, ne cresceret illi apud suos gloria, si fortiter in ipsorum oculis pro fide moreretur. Secunda, ne diuinis honoribus à populo Antiocheno, cui eius nota erat sanctimonia, donaretur. Tertia, vt procul à suis humano destitueretur auxilio, atque rerum inopia premeretur. Quarta, vt itineris longitudine, difficultate, vexatione, maceraretur, infirmiórque redderetur. Atque hasce duas posteriores caussas affert S. Ioannes Chrysostomus in laudatione S. Ignatij: priores autem ex Actis martyrij collectæ sunt. Addi possent & aliæ: nimirum ne tumultus aliquis propter insignem eius apud populum gratiam cieretur. Deinde, vt quà transiret, exemplum populis esset, ne fidem Christianam, propter quam ad supplicium duceretur, admitterent, vtpote Imperatori adeo inuisam. Tertiò, vt gratum Romanis faceret, exhibendo illis spectaculum Episcopi Syriæ cum leonibus depugnantis. Caussæ porrò ex parte Dei fuerunt longè alię: nempe vt quasi triumphantem de hostibus fidei militem suum populis fidelibus ostentaret. 2. Vt doctrinam sanctam in transitu sereret & amplificaret. 3. Vt hæreses auctoritate sua per viam supplantaret. 4. Vt Episcopis robur & consilium & solatium præsentia sua exhiberet. 5. & postremo, vt in loco totius orbis clarissimo, & magistrorum suorum sanguine purpurato nobilissimam martyrij lauream reportaret. Vicerunt hæ caussæ, & omnes aduersa-

aduerſariorum conatus & intentiones,(Deo athletam ſuum optabili triumpho illuſtrante & circumducente)in irritum ceciderunt. Alias duas cauſſas Martyrum Romam mittendorum indicat Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 109. vnam quidem, quòd qui nobiliores inter Chriſtianos eſſent, ac ciuitate donati, eò à Præſidibus prouinciarum mitti ſolerent: alteram, quòd ij etiam mitterentur, qui inter delinquentes præ ceteris infamati, factioſorum viderētur eſſe auctores: atque hanc poſteriorem cauſſam locum habuiſſe in Ignatio cenſet Baronius. *Quippe qui inter ceteros Orientales Epiſcopos*, vt idem veriſſimè ait, *primus meritò haberetur, qui non tantùm ſedis prærogatiua, ſed & vitæ meritis & euāgelica prædicatione facilè omnes anteiret.*

Simili de cauſſa dici poteſt miſſus Romam eodem Traiano imperante S. Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus & Paulli diſcipulus, & noſtri Ignatij amicus. Cuius vitam breuiter complexus ſum in commentario epiſtolæ S. Ignatij ad Epheſios, ex occaſione laudum, quas idem martyr illi attribuit.

CAPVT IX.

a ITINERIS, QVO IGNATIVS &c.] Deſcriptio huius itineris, quo B. Ignatius Romam è Syria abductus eſt, partim ex ipſiuſmet ſancti viri epiſtolis, partim ex Actis martyrij eius collecta eſt. Idem iter carmine perſecutus eſt Gualfreduccius in priori parte Hieromeniarum.

b PEDESTRI ITINERE SELEVCIAM CONTENDIT) Seleucia eſt vrbs Syriæ maritima. Eam adibant Antiocheni in Græciam & in Italiam ſoluturi. Sic Paullus & Barnabas Actorum 13. ver. 4 aſſumpti in Apoſtolos, Antiochiâ *abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum*, &c. Eſt enim Seleucia ad mare mediterraneum è regione Antiochiæ, à Seleuco Nicanore condita & dicta. Videndus eſt Appianus de bellis Syriacis ſub finem, vbi ſcribit Seleucum condidiſſe nouem Seleucias, in quibus duæ fuerunt clariſſimæ, vna ad mare, altera, ad tigrim fluuiū. Hæc autem, de qua nunc agimus, eſt illa, quę ad mare ſita eſt.

c SMYRNAM IONIÆ CIVITATEM PETIIT) Alia eſt Smyrna in Æolide, quæ ſæpius Myrina appellatur. Quo fit, vt Smyrna abſolutè poſita non aliam ſignificet, quam Ioniæ multò pulcherrimam & longè amœniſſimam ciuitatem, cuius nunc Epiſcopus erat S. Polycarpus B. Ignatij ſocius. De illa proinde ago diffuſiùs in eiuſdem S. Polycarpi vita, hic autem parciùs, & per tranſennā.

d HINC TROADEM) Vrbs eſt minoris Phrygiæ. Vide Ptolemæum lib. 5. Geographiæ & Strabonem lib. 2. ſub finem. Sed notandum tam regionem ipſam, quam vrbem vocari Troadem; neque vrbem eodem planè loco eſſe, quo quondam Troia & Ilium fuerunt, ſed aliquāto ſpacio diſſitam, quamuis non longo. Notiſſima eſt autem Vetus Troia Homeri, Virgiliique æternis operibus.

e ET INDE NEAPOLIM MACEDONIÆ) Additur *Macedoniæ* ad diſtinctionem aliarum, quæ ſunt extra Macedoniam: quandoquidem apud Claudium Ptolemæū octo ſaltem vrbes obſeruare poſſis Neapoleos nomine appellatas. Nobiliſſimæ autem ſunt, Neapolis Campaniæ in Italia; Neapolis Samariæ, de qua pluribus in vita S. Iuſtini Philoſophi; Neapolis apud Anazarbō in Cilicia, cuius eſt mentio in epiſtola S. Ignatij ad Heronem Diaconum; & illa, de qua hic agitur.

f ET HINC EIVSDEM REGIONIS PHILIPPOS) Has tres vrbes Troadem, Neapolim, Philippos eodem ordine peragraſſe S. Paullum ſcripſit Euthalius Diaconus, in Peregrinationibus Paulli, his verbis inter alia: Εἶτα εἰς Μυσίαν· εἶτα εἰς Τρωάδα· κἀκεῖθεν εἰς Νεάπολιν· εἶτα εἰς Φιλίππους τῆς Μακεδονίας. *Deinde in Myſiam, deinde Troadem, deinde Neapolim, deinde Philippos Macedoniæ* [pertranſiuit Paullus ſcilicet] Vide Acta Apoſtolorum cap. 16. verſu 18. & ſeqq. *Cùm autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem* &c.

g APPLICVIT RHEGIO IVLII) Rhegium Iulij dicitur, vt à Rhegio Lepidi diſtinguatur, quod eſt Galliæ Togatæ oppidum in Æmilia. Rhegium autem noſtrum, de quo hic agimus, eſt vrbs Italiæ maritima in agro Brutiorum, ad fretum Mamertinum, græcè Ῥήγιον dicta, quòd Sicilia olim Italiæ continens ibi maris intercurſu abrupta ſit. Illò autem applicuiſſe S. Ignatium colligitur ex ipſius ad Philippenſes epiſtola inde miſſa per Euphanium Lectorem, in qua ſub finem ita habet prima & antiquiſſima Pacei græca editio: Ἀπέστειλα ὑμῖν ταῦτά μου τὰ γράμματα διὰ Εὐφανίου τοῦ ἀναγνώστου, ἀνδρὸς θεοτιμήτου καὶ πιστοτάτου, συντυχὼν περὶ Ῥηγιόνα ἀναγομένου ἐν πλοίῳ. Vbi primò repone Ῥήγιον *Rhegium* loco vocis Ῥηγιόνα. Nam vltimum α, vitio typographiæ, ex ſequenti voce ἀναγομένου aduenit & adhæſit priori, atque ad poſteriores editiones ſic tranſijt. Deinde ſic verto: *Tranſmiſi vobis haſce meas litteras per Euphanium Lectorem, virum honoratiſſimum, ac fideliſſimū, nactus eum circa Rhegium, iam nauigium conſcendentem.* Nam quod alij vertunt, *circa regionem*, nihil ſanè valet. Nec enim certus locus per iſta verba deſignatur: quod tamen voluit ipſe Ignatius, vti ex totius periodi contextu liquet, Vide commentarium noſtrum in dictam ad Philippenſes epiſtolam. Accedit, quòd illi è Syria Romam nauiganti neceſſarium fuerit vrbem Rhegium præterire: ſicut & antea S. Paullo, cùm à Cæſarea

Palæſtinæ

Palæstinæ Romam vinctus duceretur. Eadem enim ipse maria præteruectus tandem peruenit ad vrbem Syracusas, indeque Rhegiũ & Rhegio Puteolos, & Puteolis denique pedestri itinere Romam adijt. Ita enim Acta Apostolorum cap. vltimo indicant: vbi post alia: *Et cùm venissemus*, inquit, *Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium: & post vnum diem, flante austro, secunda die venimus Puteolos: vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.* Totum autem iter vsque à Cæsarea Romam breuissimè complexus est Euthalius Diaconus suprà citatus, his verbis: Ἀπὸ Καισαρείας ἦλθεν εἰς Σιδῶνα· κἀκεῖθεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας· εἶτα εἰς Κνίδον· κἀκεῖθεν πολλὰ παθὼν ἦλθεν εἰς τὴν νῆσον, ἔνθα ἡ ἔχιδνα καθήψατο τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ ἔμεινεν ἀβλαβής· εἶτα εἰς Συρακούσας. εἶτα εἰς Ῥήγιον· κἀκεῖθεν εἰς Ποτιόλους· κἀκεῖθεν πεζὸς ἀνῆλθεν εἰς Ῥώμην. *A Cæsarea venit Sidonem: & hinc Myram Lyciæ, & postea Cnidum: & inde multa passus appulit in eam insulam, vbi vipera inuasit manum eius, & nihil læsus est: deinde Syracusas: deinde Rhegium: & illinc Puteolos: & illinc pedes ascendit Romam.*

h *NAM ET SYRIA QVIDEM PHILO ET AGATHOPVS DIACONI*] Horum comitum nomine salutat aliquoties B. Ignatius ecclesias, nominatim Tarsensem, Philippẽsem, Antiochenam in scriptis ad eas litteris. Exornat autem illos egregijs virtutum laudibus in epistola ad Philadelphios. Sunt ambo in sacris martyrologij Romani tabulis ad 25. Aprilis: sed nusquam alibi: non in Vetere Romano, non in Venerabilis Bedæ, non in Vsuardi, non in Adonis, nec in quoquam (quod quidem sciam) alio.

Vnde suspicatur Franciscus Biuarius à sciolo quopiam (vt loquitur) ea nomina in martyrologium immissa: existimátque eum, qui in S. Ignatij exẽplaribus appellatur Ἀγαθόπους & latinè Agathopus, vitiosè sic appellari, cùm esset appellandus Caius Agathoppius. De quo quid sentiam, in commentarium ad ipsas B. Ignatij epistolas (quem à me pridem pręparatum in lucem breui exire sinam) tantisper differo, interimque vulgatam & inueteratam lectionem retineo.

SED SMYRNÆ PRÆSERTIM, VBI NONNVLLA MORA] Ea Smyrnæ mora planè diuinitus ei videtur fuisse concessa, tã ad curandũ imbecille corpus, quàm ad reficiendũ curis grauatũ animũ. Nã & perutilis fuit quantulacunque quies senili ac defesso laboribus corpori; & Episcoporum aliorúmque Christianorum amicissima visitatio menti recreandæ perquam accomoda. Adeo iter illud, quod diabolus destinauerat in exitium, Dei voluntate vertit in solatiũ, nec in solatiũ modò, sed in multarũ quoque ecclesiarũ, quas missis inde salutaribus epistolis in fide confirmauit, permagnam vtilitatem.

S. ONESIMVS] De hoc Onesimo Paulli discipulo aliquid attigi superiore cap. Fuit alioqui & alius Onesimus, Byzantij post S. Andream Apostolum & Stachin tertio loco Episcopus, quem hoc ordine in sua Chronographia constituit S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, & ex illo (vt credibile est) alter Nicephorus Callistus lib 8. cap. 6. Præter quos, tertius hìc Duaci celebratur S. Onesimus Suessionensis Episcopus & Confessor: vbi & corpus eius in æde S. Amati à Canonicis obseruatur & ab omnibus colitur. Est enim præstandarum sanitatum potens.

POLYBIVS TRALLIANORVM] Hic Polybius Trallianorum Episcopus, qui Trallibus vrbe Lydiæ ad visendum & amplexandum martyrem Ignatium Smyrnam aduolauit, tanquam vir magnæ cuiusdam ac singularis sanctimoniæ ab eodem Ignatio prædicatur, in epistola ad Trallianos, De quo tamen Polybio nihil dum in martyrologijs me legere, aut alibi vspiam memini. Sed multa est in cælo, ignota terræ sanctitas. Indicat porrò Ignatius tantam fuisse ipsius sanctimoniam, vt & foras emicaret, eumque ipsis Gentilibus atque impijs reuerendum faceret. Quomodo autem emicabat? per insigne scilicet externæ modestiæ atque, mansuetudinis specimen: quo nihil ad deuinciendos hominum animos potentius. Hinc Trallianis eius regimini subditis, dum eorum cõmendaret caritatem, ita scribebat: *Nã & caritatis vestræ specimen accepi, & mecũ habeo in Antistite vestro, cuius & ipse habitus corporis, magna doctrina est; & mansuetudo, potẽtia: quem & impij reuerendum esse existimo.*

ET DEMAS MAGNESIORVM] Quis autem ille Demas? an is qui Paullo Apostolo socius & comes & adiutor fuit? & cuius nomine ipsos Colossenses, ad quos scribit, salutat, dum ait extremâ illâ epistolâ: *Salutat vos Lucas medicus carissimus & Demas?* Et cuius rursum nomine salutat Philemonem in datâ ad eum epistolâ, his verbis: *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo IESV, Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas adiutores mei.* Sed obstat, quòd hic Demas licet aliquando Paulli comes & adiutor, tamen Paullus tandem deseruerit, & quidem amore sæculi, teste ipso Paullo in secunda ad Timotheum cap. 4. vbi eum ad se ob istius discessionem sic accersit: *Festina ad me venire citò. Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abijt Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecũ. Est enim mihi vtilis ad ministerium. Tychicum autẽ misi Ephesum.* Quę verba in deteriorẽ à plerisq; partẽ accipiũtur; à Dorotheo autẽ in Synopsi in deterrimã: quippe qui & illũ postea simula-

mulacrorum ſacerdotem Theſſalonicæ factum ſcribat. Quod ſi verum ſit, quàm horribile nobis exhibet inconſtantis fidei, atq; virtutis exemplum! Propterea quiſquis ſtas, vide ne cadas. Bene hic enim ſuccurrit illius Boëthiani verſus memoria.

Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

Putabat tamen eſſe fortaſſis, & plus nimio præfidebat, ideóque lapſus eſt. Verumenimuerò ſuadente mihi caritate non cogitare malum, ſed omnia in optimam, quoad poſſum, interpretari partem; totus à Dorotheo diuerſus abeo, nec aliud voluiſſe Paullum arbitror, quàm dicere illum Demam, (qui bonus & neceſſarius erat illi adiutor, & quo apud ipſum remanente nihil opus habuiſſet Timotheo) licet rogatum, vt apud ſe maneret, euitandi periculi cauſſa (quod à Nerone inſtabat, qui haud multò poſtea ipſum Paullum vnà cum Petro violenta morte abſtulit) non acquieuiſſe, ſed vitæ conſeruandæ ſtudio, diſcedere aliò petijſſe, ſicque permiſſum abire Theſſalonicam, vbi eius opera magis neceſſaria eſſe viſa eſt, vti eadem de cauſſa Creſcens in Galatiam, & Titus in Dalmatiam abire permiſſi ſunt. De ſolo enim Tychico dicit, ſe miſiſſe: de alijs autem eodem modo loquitur, & eodem ſermonis tractu, quo de ipſo Dema, quantum ad diſceſſionem attinet, vt hic ſuprà videre eſt. Quod autem plus de hoc addidit, nempe quòd eum reliquerit, cauſſa eſt, quòd illum magis ſecum retinere ſtuduerit, quàm alios, vtpote ſibi familiariùs ſimul cum Luca aſſiſtere ſolitum: vti ex duobus alijs Scripturæ locis ſuprà poſitis licet recognoſci. Nec cum ſolo Paullo erat Spiritus Dei, ſed etiam cum eius ſocijs, quos interdum ab illo lætioris atque vberioris fructus gratia diuellebat, vt aliquando Barnabam Antiochiæ. Nec verò expediebat tã multos Romæ vno Neronis violentiſſimo turbine ſimul eripi, quibus Eccleſia opus habebat. Itaque potuit Demas ſancti Spiritus impulſu & magna cum laude periculum præſens declinare (quod plurimi Sanctorum ex illo Domini præcepto fecerunt dicentis: *Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.*) & ſe bono Eccleſiæ alibi ipſo indigentis reſeruare. Ac ne quis putet nimis obſtare opinioni noſtræ illa verba: *diligens hoc ſæculum*, ſciat ea nihil aliud in compluribus Scripturæ locis ſignificare, quàm *diligẽs hanc vitam*, ſeu *nolens ſe mortis periculo obijcere*. Græcè enim eſt, τὸν νῦν αἰῶνα, *præſens ſæculum, præſentem vitam*. Sic accipitur *ſæculum* Matthæi 42. ver. 32. & Marci 4. ver. 19. & in illo ipſius Paulli ad Titum cap. 2. ver. 12. vbi eadem planè eſt locutio cum hac quã de agimus: Σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. *Sobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* id eſt, in hac vita. Noſtræ porrò ſententiæ haud paruum adfert momẽtum Guilielmi Eſtij, hominis tam raræ virtutis, quàm exquiſitæ ſciẽtiæ auctoritas. In ſuo enim ad dictum Timothei locum commentatio non modò ab hæreſi aduerſus Epiphanium, aut ab idolatria aduerſus Dorotheum protegit ac tuetur; ſed etiam ad tempus duntaxat reliquiſſe Paullum, poſteáque ad ipſum reuertiſſe, iterúmque adiutorem ſe exhibuiſſe profitetur, additque ad extremũ: *Mihi ſanè vero ſimilius eſt eum, vt Paulli Diſcipulum, bonam operam poſtea nauaſſe eccleſiæ Dei, ac fortè eundem eſſe, quem Ignatius in epiſtola ad Magneſianos Damam vocat, ipſorum Epiſcopum ἀξιόθεον, vt loquitur, id eſt, Deo dignum.* Sic ille. Quod igitur vero ſimilius putat, hoc ego itidem puto. De quo autem dubitat, in hoc iuuare aliquid poſſum. Dico igitur Demam illum Paulli adiutorem ac ſocium non poſſe eſſe eum, quem B. Ignatius ad Magneſianos laudat. Nam ille adiutor Paulli, temporibus Traiani Imp. quibus eam epiſtolam ſcribebat Ignatius, valde magno natu fuiſſet, minimúmque ſexaginta annorum (ſiquidem ab interitu Neronis ad Traiani decimum, quadraginta intercedunt anni, nec potuit Demas, tam vtilis Paulli adiutor & ſocius illo Neronis tempore, quo Paullum dereliquit, minor fuiſſe viginti annorum ætate) ita vt ſexaginta conficiantur anni: iam verò ille de quo agit Ignatius, etiam tum iuuenis erat, nec ita pridem creatus Magneſiorum Epiſcopus. Vnde & illos initio epiſtolæ hortatur, vt eius ætatem non contemnant, neu ad ipſius adoleſcentiam quæ foris paret, reſpiciant; ſed ad eam, quã in Deo pollet, prudentiam. Quare magis hic illius Demæ nepos fuerit, quàm ipſe Demas. Atque de hac quæſtione in præſentia ſatis.

Matt 10. ver. 23.

VNAM AD TRALLIANOS &c.] Quòd hanc epiſtolam primò nominauerim, non ea cauſſa fuit, quòd primam iudicarem ſcriptam ex ijs, quas Smyrna miſit Ignatius, quæ fuerunt quatuor, ſed quòd ordinem retinuerim, quem inter ſe in editis hactenus exemplaribus habuerunt: cùm alioqui exiſtimem primam omnium, quas in ſuo ad martyriũ itinere vir ille ſanctus ſcripſit, fuiſſe ad Romanos, vt alibi declarabitur. Nam vt nunc extant epiſtolæ, planè peruerſus eſt ordo, vt luce clariùs, cùm de illis agetur, oſtendam.

CAPVT X.

In hoc cap. cõtinetur nobiliſſima ſanctiſſimi Martyris epiſtola, quã & Symeon Metaphraſtes in vitam eiuſdem S. Ignatij intexuit, itémque alij Scriptores, meritoq; vt vitæ

tæ pars habetur, vtpote nihil aliud, quàm eius veræ in Christo vitæ, & amoris in Deū ipsa morte fortioris longè clarissimum specimen. Latinam ego feci ex duarum græcarū collatione; illius scilicet quam Metaphrastes ad nos transmisit, & illius quæ in primâ græcarum Ignatij epistolarum editione per Valentinum Paceum innotuit.

IGNATIVS QVI ET THEOPHORVS &c.] Hæc inscriptio est totidē fere verbis apud Metaphrasten, pluribus autem & minus concinnis apud Paceum, & in Latinis ex eo editionibus. Circa hanc inscriptionem, vti nec circa epistolam ipsam, multus hîc esse nolo, quòd separatum habeam in omnes epistolas, vt etiam atque etiam aliàs innui, commentarium. Nonnulla duntaxat hic breuiter indicabo, in quibus facile esset à vero Auctoris sensu aberrare.

Primò igitur verba illa Ignatij omnium sermone celebratissima: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST*, quæ abscissa à reliquo corpore & separatim sumpta sic vulgo accipiuntur, vt per AMOREM intelligatur CHRISTVS, ea, inquam, verba multo alium, vt sunt in ipsa Ignatij epistola, sensum habent, vti ex adiunctis patet, nempe hunc: *Concupiscentia in me extincta est*. Nam tota sententia sic habet: *Amor meus crucifixus est: nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans: sed aqua viua in me saliens intrinsecus mihi clamat: Huc ad Patrem*. Vbi primum illud membrum: *Amor meus crucifixus est*, planè eodem modo dictum est, sicut à Paullo, *Mundus mihi crucifixus est*. Ac sicut Paullus addidit: *& ego mundo*; sic & Ignatius adiecit: *nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans*, id est, nec est in me vllum desiderium rerum terrenarum: ita vt vtriusque membri idem sit sensus, vnúmque explicet alterum: quales plurimæ sunt in Prouerbijs & alijs Sapientiæ libris sententiæ, vt alibi fusiùs annotaui. Quis autem non videt meliùs hæc congruere? *Concupiscentia mea crucifixa est: nec est in me vllum desiderium terrenorum*; quàm ista, *Christus meus crucifixus est, nec est in me ignis &c.*

Alij existimauerunt hunc verborum Ignatij esse sensum: *Christus qui est crucifixus, est amor meus*: ita vt crucifixus capiatur adiectiuè. Verùm illo sensu accipi non posse apud Ignatium ex eo liquet, quòd grecè sit ἐσταύρωται aoristus primus indicatiui passiuæ vocis, significans, *crucifixus est* vel *fuit*, non autem vox aliqua seu substantiua seu adiectiua. Si autem seorsum & nullo ad locum Ignatij respectu efferatur, *Amor meus Crucifixus est*, ad modum istarum locutionum; *Amor meus Petrus est: Deliciæ meæ Maria est*, id est, vnicè & hanc & illum amo, ita vt ille & illa totum amorem meum possideat; haud dubium, quin bona & recta & plena affectus sit locutio, quam & S. Francisco fuisse perquam familiarem minimè ambigo. Sed nec apud Ignatium, nec apud Dionysium, apud quos habetur ἐσταύρωται, hoc modo capi potest, vt clarum est omnibus græcè intelligentibus. Vide suprà, quæst. 2. in Vitam S. Dionysij Areopagitæ, in argumenti 4. contra scripta eius, refutatione.

Fateor equidem alterum illum sensum primò indicatum, quo per *amorem* Christus intelligitur, posse aliquo modo (etsi non tam commodè, quàm alterum à nobis suggestum) tolerari, præsertim propter ea, quæ apud Ignatium proximè præcedunt, nempe ista: *Viuens enim scribo vobis, sed amans pro Christo mori*. AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST, quasi nimirum rationem afferat, cur pro Christo mori velit, quòd scilicet Christus pro ipso crucifixus sit. In hoc enim sensu admirabilis ille Origenes prologo in Canticum canticorum accepisse visus est, cùm (vt vertit Hieronymus) ita scripsit: *Non ergo interest, vtrum amari dicatur Deus, an diligi: nec puto, quod culpari possit, si quis Deum, sicut Ioannes*, caritatem; *ita ipse* amorem *nominet. Denique memini aliquem Sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo*: Meus amor crucifixus est; *nec reprehendi eum pro hoc dignum iudico*. Quibus in verbis duo dicit Origenes, vnum quidē, posse Deum nominari *amorem*, sicut S. Ioannes vocauit eum *caritatem*, epist. 1. cap. 4. ver. 16. *Deus caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Alterum autem, Ignatium vocasse Christum *amorem*. Ad prius ergo quod attinet, facilè Origeni concedimus. Alterum verò, si de epistola ad Romanos intelligeret, non ita facilè concederemus, sed quia non vt scriptum ab Ignatio, sed vt dictum se meminisse dicit (nam frequenti sermone idem ab eo vsurpatum nonnulli ferunt) haud difficulter concedimus. Atque etiam vt ita esset, atque in hoc sensu illam sententiam B. Ignatius in ipsa epistola accepisset, tamen certum nihilo minus esset, eandem sententiam in S. Dionysium esse intrusam, quòd suo loco non sit adhibita. Debuisset enim ibi poni, vbi S. Dionysius scribit Theologos vocare Deum nunc *amorem & dilectionem*, nunc autem *amabilem & dilectum*; non autem multo superiùs, vbi vox Amor ponitur in propria sua significatione, quemadmodum & alia exempla coniuncta apertè conuincunt: nempe illa, quæ ex libro Prouerb. cap. 4. & lib. Sapientiæ cap. 8. desumpta sunt: vt notaui suprà pag. 145. Sed nunc de hac diffitate satis.

Secundò obseruandum est, verba ista eiusdem

dem ad Romanos epistolæ, quæ paullo pòst ibidem sequuntur: *Panem Dei volo, panem cælestem, panem vitæ*, &c. quæ aliàs de sacramento V. Eucharistiæ capi optimè possunt, hîc tamen in epistola non sic accipi; sed de ipsius Dei fruitione in cælo per martyrium, vt liquidò ostendunt tam antecedentia, quàm consequentia. Antecedit enim: *Aqua viua in me saliens intrinsecus mihi clamat: Huc ad Patrem*: id est, Sentio in me Spiritum Dei loquentem & inuitantem ad cælum, atque ad Deum Patrem. Et mox: *Haud delector alimento corruptionis, nec vitæ huius voluptatibus. Panem Dei volo* &c. deinde subsequuntur hæc: *Nolo ampliùs inter homines viuere* &c. Accedit & ista ratio: quòd viuendo inter homines facilè consequi poterat V. Eucharistiam, aliter autem minimè. Atqui dicebat se nolle viuere inter homines. Igitur aliquid plus volebat, quàm Eucharistiæ sacramentum, nec contentus erat frui Deo in hac vita signis sacramenti occultato, sed totus aspirabat eo frui in altera vita clarè manifestato, &, sicuti re vera est, palam apparente: ad quod citò & tutò obtinẽdum nulla illi expeditior via, quàm martyriũ censebatur. Denique non scribebat Romanis, ne impedirent, quin Christo frueretur in sacra mensa (poterat enim viuens, quantum vellet eo pacto frui magis, quàm mortuus) sed ne impedirent, ne beatâ vitâ per martyrium acquirendâ in cælo frueretur. Vocatur enim etiã beata illa vita, *Panis Dei, & panis vitæ*. &c. atque etiam absolutè *panis*. Vnde S. Augustinus in illo insigni hymno *De gloria paradisi*, quem nobis reliquit in libro Meditationum, cap. 26. sic inter alia:

Vbi corpus, illic iure congregantur aquilæ.
Quò cum Angelis & sanctæ recreentur animæ,
Vno pane viuunt ciues vtriusque patriæ,
Auidi, & semper pleni habent, quod desiderant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat.
Inhiantes semper edunt, & edentes inhiant.

Et sanè tota ter sanctissima Trinitas, verus est & Angelorum & hominum in cælo panis, tam ad æternæ illius vitæ sustentationẽ, quàm ad potentiarum animæ & omniũ corporis sensuum, licet diuersò modo, refectionem & oblectationem. De hac re plura in epistolarum peculiari commentario.

ECCLESIÆ SYRIÆ, QVÆ MEI VICE PASTORE VTITVR DOMINO] Nihil in hisce verbis aliud significare voluit beatus martyr, quàm se absente aut vita functo ecclesiam Syriæ (vnde & omnium Syriç Ecclesiarum habuisse supremum regimen colligitur) nõ destitutum iri necessario interim subsidio, sed ipsum Christum, pastorem bonum, illius singularem curam habiturum, seu amoliendo diuinâ suâ prouidentiâ, quęcumque ei nocere possent, seu inferioribus ecclesiarum ministris lucem & gratiam copiosiorem, rebúsque administrandis parem suppeditando; seu etiam gregem ipsum in officio suo & debita obedientia diuinitus continẽdo; donec scilicet alium ipsius loco Episcopum præficeret. Nec enim hinc vlla est sumenda occasio asserendi, (quod à nonnullis hæreticis aduersus visibile ecclesiæ caput iactatur) meliùs rectum iri ecclesiam à Christo Domino, inuisibili capite, quàm ab Episcopis, Pastoribus visibilibus. Nam potest vtroque modo, vel quocumque alio, si diuinæ placeret maiestati, ecclesia perinde & æquè bene regi (nihil est enim ei difficile) sed hunc, qui iam est, vt inter homines humanum, & hominibus maximè accommodatum elegit. Quare & quod subditur: *& solus curam eius habebit, & vestra in eum caritas*, non excludit sacrorum Ministrorum officia, sed tantùm neruosè & efficaciter indicat Christum peculiari beneuolentia, quamdiu defuerit Episcopus, eam ecclesiam inspecturum. Iam autem ipsi B. Ignatio, quem habiturus esset successorem, cælitus prænuntiarat: nempe Heronem ecclesiæ Antiochenæ Diaconũ: vti perspicuè exhibet data ad eũdem Heronem epistola.

NVNC DVLCIA CATENIS OSCVLA] Magnus olim fuit Christianorum feruor in osculãdis SS. Martyrum vinculis. Quippe qui continere se non poterant, quin suauissimè oscularentur, quod tam ardẽter amabãt, & tam auidè appetebãt. Talibus osculis promeritus est egregiam martyrij palmam S. Zenas. Dum enim Zenonis Domini sui vincula oscularetur, ac similem illi palmam exambiret, è vestigio comprehensus voti compos factus est. De quo hæc pulchra cecinit epigrammata noster Bandinus Gualfreduccius in hieromeniis ad 23. Iunij.

De SS. Zenone & Zena Martt.

Apprime serue labris: non sunt seruilia vincla,
Quæ dominum stringunt tam preciosa tuum.
Oscula deposcunt sibi casto libera voto:
Regibus & possunt addere clara decus.
Felix, post dominum redimant si vincula seruum!
Oscula liberiùs nulla petita putem.

De S. Zena.

Oscula dum libas domini, serue optime, vinclis
Iungeris amplexu: sors bona! liber eris.

CAPVT XI.

CAput hoc, (quod iter S. Ignatij à Smyrna Troadẽ complectitur, résque itidẽ inibi gestas) ex ipsiusmet litteris mihi deductum & cõnflatum est. Hic eius spiritũ prophetiæ, quo & animos penetrabat, & pòst futura cernebat, positis in medio testimonijs expressi; & litteras, quas Troade ad ecclesias misit, indicaui.

EPISCOPVS PHILADELPHIÆ] Quæ Philadelphia? & quis Episcopus? Plures enim Phila-

Philadelphiæ fuerunt: & plures item Philadelphiæ Episcopi. Quinque Philadelphias legendo collegi, & in epistolarum commentario recensui. Duarum duntaxat est mentio in martyrologio Romano, vnius in Arabia 23. Iunij, alterius in Lydia 26. Ianuarij. Agitur ergo hic de Philadelphia Lydiæ sitâ inter Magnesiam & Tripolim vrbes, & distante à Smyrna centum millibus passuum, estque vna è VII. vrbibus Asiæ, ad quas scripsit S. Ioannes in Apocalypsi.

Episcopi porro huius Philadelphiæ nomē hodie ignoratur. Nec enim eum nominauit S. Ignatius; neque item alius, quod sciam, prodidit. Sed vir fuit, cùm alijs virtutibus tali loco dignis, tum mansuetudine præsertim atque modestia prorsus admirabili: cuius laudes B. Ignatius in epistola ad Philadelphienses quàm breuiter perstrinxit, tam solidè cōmendauit. Et reperiatur fortasse quispiam, qui illum ipsum esse dicat, qui à S. Ioanne Apostolo in Apocalypsi, cap. 3. mirificè extollitur: quoniam scilicet cùm viribus corporis esset mediocribus, pro Dei caussa magno ac forti animo steterit, & vsque adeo inimicis suis præualuerit, vt venerint ipsi & adorauerint ante pedes eius. Ita enim de illo S. Ioannes: Et Angelo Philadelphiæ scribe. *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Scio opera tua: Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum. Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, & scient, quia ego dilexi te. Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito: tene quod habes: vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Sic ibi. Quæ omnia videntur optimè in eum Philadelphiæ Episcopum quadrare, quem commendat Ignatius. Duo enim habuit ille Episcopus, propter quæ meruerit peculiariter, vt diceret illi Deus facturum se, vt falsi & mendaces Iudæi venirent & adorarent ante pedes eius: Deinde adderet: *Quia ego dilexi te.*

Vnum fuit egregia & incomparabilis māsuetudo ac modestia, quam stupere se dixit Ignatius. Alterum exactissima omnium Dei mandatorum obseruatio, qua idem S. illum Zachariæ comparat S. Ioannis Baptistæ patri, quem testatur beatus Lucas cap. 1. euangelij, iustum fuisse ante Deum, & incessisse in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. De priori autem virtute dicit Propheta Psalmo 146. *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.* & Iesus Sirach, Ecclesiastici 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice: & super hominum gloriam diligeris.* De custodia vero mandatorum sic ait S. Ioannes, cap. 14. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei me ipsum.* Faciunt igitur dictæ virtutes, quas in Episcopo Philadelphiæ sibi conspecto statim agnouit Ignatius, vt videri idem possit cum eo, qui apud S. Ioannem in Apocalypsi commendatur. Neque longæua obest ætas: cùm & S. Ignatij par illi fuerit. Æquè enim sub Domitiano Imp. Episcopus Antiochiæ fuit Ignatius, atque ille Philadelphiæ. Sed hoc tantùm obesse videtur, quòd S. Ignatius anno Traiani XI scribens ad Philadelphienses ita eorum meminerit Episcopi, quasi non ita pridem electus fuerit, & eum Smyrnę primùm viderit & cognouerit; vt patet ex initio dictæ epistolæ: at verò ille, ad quem S. Ioannes Apostolus ex insula Patmo scribit, à multis iam annis in Episcopatu fuerat. Deinde quòd audita condemnatione S. Ignatij, & deportatione Romam, statim è Lydia Smyrnam, eius visendi conueniendique gratia accurrerit: quod iuuenilem potiùs firmāque ætatem arguit, quàm senilem, & infirmam, & imbecillam: præsertim quòd eius imbecillitas corporis ad labores magnos inualidi iam à tempore Domitiani videatur in Apocalypsi insinuata, cùm dicitur habuisse μικρὰν δύναμιν. i. *exiguum robur, tenues vires.* Et sanè admirabilior est in tenui inualidoq; corpore ingens animus, & ad tormenta omnia pro fide perferenda præparatus, quàm in sanis robustisque membris. Nec mihi placet, quod aliqui malint vocem δύναμιν pro virtute animi & sanctimonia capere, quàm pro robore aut potentia. Melius est enim credere, Episcopo illi, perinde ac S. Timotheo Paulli discipulo, frequentes fuisse infirmitates, quàm defuisse animi fortitudinem, aliasque virtutes. Illæ autem Timotheum pusillanimem ac timidum reddebant. Vide quæ de illo tetigimus in Notationibus ad vitam S. Dionysij Areopagitæ.

b NAM IN TRIBVS QVIDEM, QVAS TROADE CONSCRIPSIT] Habemus eum Troade tantùm tres conscripsisse litteras, ad Philadelphienses, ad Smyrnæos, & ad S. Polycarpum. De quibus testis est Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 30. & ex illo Hieronymus in Ignatio, qui post recitatas 4. epistolas ab eodem martyre Smyrnæ scriptas, subiecit: *Et inde egrediens scripsit ad Philadelpheos, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum.* Vbi pro *inde egrediens*, meliùs scripsisset, *& inde egressus,*

sus, vti habent græca Eusebij. Nec enim scripsit S. Ignatius, dum egrederetur Smyrnâ, sed postquam inde digressus peruenisset Troadem: vt disertè habet non modò Eusebius loco citato, sed etiam ipsemet Ignatius in extremis illis epistolis. Nam in duabus quidem, ad Philadelphiēses scilicet & ad Smyrnæos, sic habet totidem fere vtrobique verbis: Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐν Τρωάδι, ὅθεν καὶ γράφω ὑμῖν διὰ Βούρρου. *Salutas vos caritas fratrum, qui sunt Troade: vnde & scribo vobis per Burgum.* In epistola quoque ad S. Polycarpum idem innuit, vt ex verbis proximè citandis obseruabitur.

c FVERAT QVIDEM ILLI ANIMVS INDIDEM AD PLVRES ECCLESIAS SCRIBERE] Id ex epistolâ ad S. Polycarpum extrema liquet, vbi sic ait: Ἐπεὶ οὖν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἠδυνήθην γράψαι διὰ τὸ ἐξαίφνης πλεῖν με ἀπὸ Τρωάδος εἰς Νεάπολιν, ὡς τὸ θέλημα προστάσσει, γράψεις ταῖς ἔμπροσθεν ἐκκλησίαις. *Quoniam autem mihi integrum non fuit ad omnes ecclesias scribere: quod a Troade subito Neapolim nauigare iussus sim, scribes ipse vlterioribus ecclesiis.*

CAPVT XII.

IN capite 12. describitur S. Ignatij iter à Troade in Macedoniam, & è Macedonia per vtrumque mare superum & inferum in Italiam, ac denique Romam.

a *MORARI TROADE HAVD DIV LICVIT*] Coactus est enim subitò inde nauigare Neapolim, vt paullò antè citata verba ex eius ad S. Polycarpum epistola fidem faciunt. Troade item olim fuerat & S. Paullus *Actorum 16. ver. 9.* cum talis *visio illi per noctem ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit,* [inquit S. Lucas eius comes] *statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis.* Ita ergo nec S. Paullus quiuit diu morari Troade. Reliquit autem ibi penulam apud S. Carpum, quam iussit à transeūte Timotheo accipi atque ad se referri 2. ad Timotheum 4. Sed Paullus citò transijt aliò benignè à Deo euocatus: Ignatius autem ab hominibus ferociter coactus.

b *QVORVM RECENTIS IN SE CARITATIS*] Declarat hoc ipsa S. Ignatij ad ipsos epistola, quam sic inchoat: Μεμνημένοι τῆς ἀγάπης ὑμῶν &c. *Memores caritatis vestræ* &c. quam scilicet erga me exhibuistis.

EPIDAMNVM] Aliqui Dalmatiæ, aliqui Macedoniæ attribuunt. Caussa est tum vicinitas regionum, tum subiectionis vicissitudo, ex diuersitate scilicet temporū & dominorū. Mutato enim aut variato dominatu, & nomina ipsa mutantur & variantur. Romani eam vrbem omnis caussâ maluerunt appellare Dyrrachium. Cauebant enim eò proficiscentes dicere, se ire Epidamnum, ne viderentur dicere in damnum se ire & in perniciem suam. Ita erat superstitio. Hinc Plinius lib. 3. hist. nat. cap. 23. *In orâ verò Dendâ*, inquit, *ciuium Romanorum, Epidamnum colonia propter inauspicatum nomen Dyrrachium appellata.* Et Comicus in Menæchmis, Act. 2. sc. 1.

Nam ita est hac hominū natio hîc Epidāniæ:
Voluptary atque potatores maximi.
Tum sycophantæ & palpatores plurimi. &c.
Propterea huic vrbi nomen Epidāno inditū est:
Quia nemo fermè huc sine damno diuortitur.

Et infrà: *Ne mihi damnum in Epidāno duis.*

Hanc vrbem præterijt B. Ignatius, vt indicant Acta martyrij apud Metaphrasten. Quin & hinc epistolam illam, quæ ad Philippenses scripta est, missam fuisse nonnullorū videtur fuisse opinio. Nam in quibusdam antiquis exēplaribus, (vti eruditissimus Pamelius in suo codice, quem Brugis Flandriæ in Collegio Societatis IESV asseruatum ad me misit meus ille Achates, OTHO ZILIVS, manu sua annotauit) talis titulus ei præfixus fuit: *AD PHILIPPENSES DE BAPTISMO, SCRIPTA de Endanno, per Euphanium Lectorem.* Vbi minimè dubium est, quin pro *Endanno*, corruptâ ac nihili voce, primitus scriptū fuerit *Epidamno*. Quia nimirum scriptam inde existimauerit titulorum illorum adiector istam ad Philippenses epistolam: propterea quòd non clarè in ea inueniret, vnde missa esset, satis autem ex Actis martyrij constaret à Philippis B. Ignatium per Epidamnum transijsse, ac proinde vero simile esse, inde ad Philippenses (à quibus maxima exceptus caritate fuerat) eum istas litteras gratiarum plenas remisisse. Nam & illas ita incipit: *Memores caritatis vestræ.* &c. Quemadmodum igitur in alijs titulis inscripsit, quisquis eos primus latinæ versioni addidit (nam in græcis codicibus nulli sunt tales tituli) *Ad Trallianos ex Smyrna. Ad Smyrnenses ex Troia. Ad Tarsenses ex Philippis*; sic credibile est, vel illum, vel quempiam alium vltimo scriptis litteris inscripsisse: *Ad Philippenses ex Epidamno.* Pro quo deinde vitiosè scriptum fuerit, *de Endanno.* Errauit tamen etiam is, qui *ex Epidamno* addidit. Non enim ea epistola Epidamno missa est, sed Rhegio; vti fusè & plenè in eiusdem epistolæ commentario ad calcem disputaui.

c *IBI EVM FERVNT, ATQVE IN VICINA ITEM NEAPOLI*) Puteolis & Neapoli fuisse S. Ignatium & fidem Christianam ibi annunciasse, saltem per transennam, vix dubitari potest. Certè Petrus Galesinius in suis ad Martyrologium Notationibus, de hac loquens Neapoli, *Cuius vrbis*, inquit, *primus Episcopus à beato Petro Apostolorum principe consecratus fuit Asprenus: qui*

Nea-

Neapolitanã ecclesiam sibi concreditam, euangelij prædicatione, fidei Christianæ præceptis instruxit: sanctúmque Ignatium beati Ioannis Euangelistæ discipulũ hoc loco, sicut Puteolis, religionem Christianam dißeminaße, ex Simone Logotheta cognosci licet.

CAPVT XIII.

CONtinet hoc caput 13. descriptionem martyrij, sumptam partim ex ipsiusmet Martyris scriptis, partim ex antiquis Actis, partim è varijs martyrologijs.

a *FRVMENTVM CHRISTI SVM* &c.] Hanc ignitam sentẽtiam in epistola ad Romanos scriptam, & à S. Irenæo laudatam, (vt in Veterum de S. Ignatio testimonijs ante vitam posui) totæ ecclesiæ admiratæ sunt, & faustis sermonibus celebrarunt. Memor fuisse videtur B. Ignatius sermonis illius Domini IESV Christi, quo se granum frumenti non obscurè appellauit Ioannis 12. ver. 24. *Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quæ etiam verba ipsi Ignatio, tam in precum canonicarum, quàm in sacro Missæ officio (quod meruit idem sanctus habere proprium) diuinitus inspirata accommodauit Ecclesia. Super isto B. Martyris dicto, *Frumentum Christi sum: dentibus bestiarum molar*, eleganter lusit Iacobus Corn. à Marca, hoc carmine, in Diario Sanctorum, calendis Februarij.

Fremit cruenta bellua, Assyrius leo,
Scintillat oculis, pectore inflato tumet,
Spargitque arenam pedibus, & iubas quatit:
Stat cõtrà, & orat MARTYR, & rictũ inuolat:
Quærit molares dentium, quærit molam:
Sic immolatur ille frugi-filius.

VT A DVRIORIBVS AC SOLIDIORIBVS OSSIBVS] Acta martyrij eius id expresse continent, nempe à leonibus deuoratum, præter nonnulla ossa solidiora. Vide vitam ipsius per Metaphrastẽ. Consentit Menæum suprà, præsertim in illis verbis: Ὑπὸ τῶν ἀφεθέντων ἐπ' αὐτὸν λεόντων διεσπάσθη, καταλιπόντων μόνον τὰ παχύτερα τῶν ὀστέων αὐτοῦ. *A dimissis in eum leonibus discerptus est: qui solùm crassiora eius ossa reliquerunt.* Idem innuit Euagrius lib. 1. hist. eccl. cap. 15. vbi de istorum ossium (quæ ἁδρότερα *robustiora* appellat) agit translatione, de qua & nos egimus suprà, cap. XV.

SCIO TAMEN NON DEESSE AVCTORES, QVI SCRIBANT &c.] Venerabilis Beda in martyrologio ad VIII. Cal. Decemb. & Ado Viẽnensis in libello De festiuitatibus Sanctorum, ad cal. Februarij, & S. Antoninus 1. p. tit. 7. cap. 1 §. 11. scribunt S. Ignatium à leonibus in eum incumbentibus tantùm fuisse præfocatum, carnibus aliter intactis. Et quidem Vincentius Bellouacensis libro 10. Speculi historialis, cap. 57. & Martinus Polonus in Traiano, & Antoninus suprà, addunt inuentum esse in corde eius nomen IESVS CHRISTVS aureis litteris inscriptum. Verba Vincentij sunt: *Huius cor cùm minutatim diuisum esset, nomen Domini IESV CHRISTI litteris aureis, vt legitur, in singulis partibus inuentum est. Dixerat enim se habere Christum in corde.* Sed fusiùs Antoninus, qui dicit aperiendi cordis caussam fuisse, quòd cùm IESV nomen assiduè vsurparet, rogaretúrque à satellitibus, quamobrem id faceret, responderit se illud cordi inscriptum habere, proptereáque non posse ab eius inuocatione desistere. Hubertinus de Casali, libro 2. de arbore vitæ, cap. 2. hortatur nos, vt exemplo beati Ignatij in centro & circumferentia cordis nostri sculpamus IESVM, vbi sic de Ignatio: *Qui Ignatius*, inquit, *ipsum IESVM viuens & moriens eructabat de corde pleno, & mortuus reliquit intra se scriptum litteris aureis in corde corporeo.* Est quoque hæc opinio sacrorum Poëtarum carminibus celebrata: Ioannis quidem Baptistæ Mantuani lib. 1. Sacrorum dierum, hisce heroicis versibus:

In Latios tandem Traiano Principe campos
Ductus, & ærumnas, tanquam solatia, læto
Amplectens animo, ferrum exantlauit & ignẽ:
Expositúmque feris gemini extinxere leones
Non lantare ausi, quanquam ieiunia passi,
Importuna forent. Hic à lictore rogatus,
Cur toties in tormentis clamaret IESVM,
Nomen id inscriptum cordi sibi sæpe relabi
Dixit in os: id post fatum perquirere lictor
Nixus, in excisi conspexit vulnere cordis
Nomen id ex auro ductis splendere elementis.

Matthiæ autem Casimiri Sarbieuij hoc epigrammate, quod est numero CXIII.

Aurea in IGNATI fulgent cognomina corde:
Hic tua tu tecum nomina CHRISTE locas.
Sparserat effuso Martyr cor sanguine: de quo
Aurea te referens littera facta fuit.
Vnde potest fuluum mutari sanguis in aurum?
Sed tamen est sanguis Martyris: ergo potest.

Potuerunt sanè hæc fieri, & in gloriam Dei, atque in famam bonam tanti martyris procul dubio redundassent, haud inficias eo; sed facta esse, ob caussas suprà allatas, & ob altissimũ totius antiquitatis in re tanta silentiũ, non concedo, non assentior. Vincit enim Veritas Pietatem: Quare quod Martinus Polonus in suis supputationibus, ad tempora Traiani Imp. de B. Ignatio scribit: *Huius cor cùm minutatim diuisum esset, nomen Christi in singulis particulis, aureis litteris scriptum inuentum est*, hoc inquam, minimè omniũ probabile existimandum est. Alioqui B. Ignatiũ sæpissime in ore, sempérque in corde habuisse Iesum minimè dubito. Sic habuit & S. Genesius martyr, *qui Diocletiani Imp. iussu fustibus crudelissimè cæsus, deinde in equuleo suspensus,* Martyr. Rom. 14. Augusti.

pĕsus, & vngularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflāmatus, in fide Christi persistens dicebat: NON EST REX prater Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis.

d *VT NIHIL NISI IESVM SPIRARET*) Quod enim suadebat alijs, multo magis ipse præstabat. Ad Ephesios autem ita scribebat: *Absque Christo IESV ne respirare quidem vnquam velitis. Ille enim spes mea: ille gloriatio: ille inexhaustæ diuitiæ.* &c.

ANNO CHRISTI CIRCITER 110. &c.) Passum esse S. Ignatium Christi Domini anno 110. & Traiani Imp. XI. (hi enim anni apud Eusebium, Baronium & alios concurrunt) affirmant principes Chronographi, & nominatim Eusebiani Chronici exemplaria emendatissima. Vide Arnaldum Pontacum & Aubertum Miræum. Expressissimè item hunc annum notat S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccl. in Ignatio. *Passus est*, inquit, *anno vndecimo Traiani*. Itaque minùs consideratè Petrus Opmeerus hæc de illo scripsit in opere suo chronographico: *Martyrio coronatur Calendis Februarij, tertio anno Traiani*. Nec multo meliùs Galesinius in martyrologij Notationibus ad Cal. Februarij, super illis verbis: *Traiano ecclesiā Dei oppugnante*: vbi sic addit: *Surrano & Marcello Coss. anno scilicet Domini C. VI. IGNATIVS Antiochia Episcopus Roma bestijs traditur, vt priscis annalibus proditum est.* Paullo propinquius accedit Chronicon Alexandrinum attribuens anno Traiani VIII. Candido & Quadrato Coss. sed metam non attingit. Itaque victor Eusebius.

POSTQVAM ECCLESIÆ ANTIOCHENÆ CLAVVM &c.) Annos 40. gubernasse solus ecclesiam Antiochenam ab excessu S. Euodij reperitur è supputatione Eusebij. Nam ab anno Neronis 14. (quo obijt S. Euodius) vsque ad annum Traiani vndecimum tot facilè anni inueniuntur. Vnde error ingens irrepsit in Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani catalogum, in serie Pōtificum Antiochenorum; vbi ponitur rexisse Episcopatum annos 4. duntaxat. Græcè est, enim ἔτη δ'. Sed errorem puto, & restituendum μ'. quod est 40. Corrigendus est & Eysengreineus centenario 1. parte 1. dist. VII. vbi annos tantùm XXXVII. illi attribuit. Quot autem annos idem sanctus martyr vnà cum S. Euodio collega sedi Antiochenę præfuerit, non est diiudicatu facile. Ego minimùm quindecim sex decimue annos præfuisse crediderim. Quippe qui sciam esse non paucos, qui credant eum à S. Petro Romam primùm petente (quod Claudij temporibus ante Neronem accidit) datum Antiochiæ Episcopum.

CAPVT XIV.

Continet hoc caput ea, quæ post mortem sanctissimi martyris ad laudem ipsius facientia acciderunt. Quorum hæc sunt præcipua: 1. apparitiones eius. 2. studia Christianorum in colligendis ipsius sacris Reliquijs, & scriptis ab eo epistolis requirēdis. 3. persecutionis mitigatio. 4. Persecutorum ecclesiæ punitio. 5. ipsius S. Ignatij post mortem sacri honores.

Ad apparitiones quidem quod attinet, continent Acta martyrij eius apud Metaphrasten, ipsum post mortem nonnullis fratribus Romæ apparuisse, eósque consolatum esse. Sic enim habent: Λέγεται οὖν, ὅτι μετὰ τὴν μαρτυρικὴν τοῦ ἀνδρὸς τελείωσιν, πενθούντων τὴν ἐκείνου στέρησιν τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ πιστῶν, καὶ οὐδὲν ὅλως τῆς ὀδύνης παραμύθιον δεχομένων, ὕμνοις τε σχολαζόντων, ἐπιταφίοις τε καὶ παννυχίσιν, αὐτὸς ὄναρ ἐπιφαινόμενος, καὶ οἱονεὶ περιβάλλων αὐτοὺς καὶ περιπτυσσόμενος &c. *Ferunt igitur post viri martyrium, lugentibus eius priuationem ijs, qui Romæ erant, fidelibus, nullamque omnino doloris consolationem admittentibus, & hymnis, epitaphijsq́, & peruigilijs incumbentibus ipsum in sōnis apparuisse, atque eos velut amplexu atque osculo dignatum esse.* &c. Item paullo post: Ἑτέροι δὲ πάλιν ἰδεῖν αὐτὸν ἔφησαν ἱδρῶτι καταρρεόμενον, καθάπερ ἄρτι τὸν τῆς ἀθλήσεως ἀναπεπνευκότα πόνον, καὶ σωτηρίαν τῇ τε πόλει, καὶ πᾶσι πιστοῖς ἐπευχόμενον. *Alij rursus dixerunt se vidisse illum sudore diffluentem, quasi iam à certaminis laboribus respirantem, & salutem ciuitati, cunctisque fidelibus apprecantem.* De collectione Reliquiarum aut requisitione epistolarū nihil opus hic notare, præter id quod in vita expressum est. Sed de mitigatione persecutionis tempore martyrij S. Ignatij, & de scriptis à Plinio Secundo eàdem prorsus tempestate litteris ad Traianum Imp. super statu Christianorum, difficultas è Baronij auctoritate exoritur. Is enim epistolas Plinij contendit esse scriptas anno Domini cētesimo quarto & Traiani quinto. Vnde consequeretur imminui cœptam esse persecutionem non eo tempore, quo subijt martyrium B. Ignatius, sed sex annis priùs: ita vt ea res vel nihilum vel certè minimum ad eundem Ignatium attineret. Quocirca eruendæ veritatis gratia non erit abs re vnam atque alteram quæstionem super hoc Plinio efformare. Sit igitur.

QVÆSTIO I.

Quonam tempore C. Plinius Secundus litteras ad Traianum pro Christianis dederit.

Prior sentētia antiquiorū Scriptorū est, dedisse anno Christi 110. & Traiani XI.

Proba-

Probatur primò, auctoritate Eusebij in Chronico, qui ad eũdem annum refert tam epistolas Plinij, quàm martyrium Ignatij. Nam è regione anni XI. Traiani Imp. hæc omnia sequentia, tanquam ad vnum eundemque annum spectantia, annotat; quæ omissis græcis ex versione S. Hieronymi in medium profero: *Ignatius quoque*, inquit, *Antiochenæ ecclesiæ Episcopus Romam perductus bestijs traditur: post quem tertius Episcopus constituitur Heron. Plinius Secundus, cùm quandam prouinciam regeret, & in magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus quæsiuit à Traiano, quid facto opus esset, nuntians ei, præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo, vt Deo; nihil apud eos reperiri. Præterea ad conferendam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quæ commotus Traianus rescribit: hoc genus quidem inquirendum non esse, oblatos verò puniri oportere. Tertullianus refert in Apologetico*. Ita ex Eusebio interpres Hieronymus: quamuis à sensu Eusebij nonnihil aberrarit. Nec enim habet Eusebius Pliniũ plurimos Christianorum in suo magistratu interfecisse; sed tantùm, *aliquos condemnasse & dignitate spoliasse*, seu (vt Tertulliani verbis vtar) *gradu pepulisse*. Sic enim græca: *καταψηφίσας Χριστιανούς τινας, καὶ τῆς ἀξίας ἐκβαλών. condemnatis quibusdam Christianis, & dignitate deiectis*, seu vt dixit Tertullianus (cuius mox ipsa verba laudabo) *gradu pulsis*. Deinde quod hic habetur, *ad conferendam disciplinam*, (quẽadmodum in omnibus ferè Chronicis antiquioribus reperitur, & à Pontaco, & à Baronio, & à Claudio Minoë, ad Plinij epistolas retinetur) in græco est *πρὸς τὸ συλάττεσθαι, ad conseruandam*. Sed Iosephus Scaliger & Aubertus Miræus in suis Chronici Eusebiani editionibus, magis habito respectu ad Tertullianum, vnde sumpsit Eusebius, quàm ad ipsius verba Eusebij, reposuerunt *ad confœderandam disciplinam*: eâ fortè de caussâ, quòd existimauerint ita fuisse ab Hieronymo scriptum. Iam verba Tertulliani, vnde, vt à fonte, omnia deriuata sunt, ita leguntur & legi debent: *Atqui inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem; allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de eorum sacramentis comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo, vt Deo; & ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam & cetera scelera prohibere. Tũc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse: oblatos verò puniri oportere*. Cùm autẽ hodieque extent vtriusque tam Traiani, quàm Plinij epistolæ, non pigebit eas pro leuando lectorum in ijs requirendis labore, hic apponere. Sic ergo habent.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Solemne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest meliùs vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nũquam: ideo nescio, quid & quatenus, aut puniri soleat aut quæri. Nec mediocriter hæsitaui, sitne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant? detúrne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit? nomen ipsum, etiamsi flagitijs careat, an flagitia nomini cohærentia puniantur? Interim in ijs, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogaui ipsos, an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogaui, supplicium minatus: perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam (qualecumque esset, quod faterentur) peruicaciam certe & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alij similis amentiæ, quos (quia ciues Romani erãt) annotaui in vrbem remittendos: mox ipso tractu, vt fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarẽt se esse Christianos, aut fuisse; quum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ (quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent; præterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicũtur, qui sunt re vera Christiani. Ergo dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negauerunt: fuisse quidem, sed desiisse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos: non nemo etiam ante viginti quinque: omnes & imaginem tuam, Deorúmque simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris: quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carménque Christo, quasi Deo dicere, secum inuicem, (éque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secũdum mãdata tua hetærias esse vetueram. Quo magis credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quam superstitionem prauam & immodicam: ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerũ. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est: quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat propè iam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa

missa repeti, passimque venire victimas: quarum adhuc rarissimus emptor inueniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

Hactenus tota Plinij epistola: ex qua nos attestante FIDEI nostræ aduersario hæc condiscimus. Primò quanta iam tum fuerit initio secundi sæculi Christianorum in Bithynia totáque regione Ponticâ multitudo: quippe quæ non ciuitates tantùm, sed etiam vicos & agros peruasisset, atque omnis generis, ætatis, sexus homines comprehendisset: ita vt Gentilium tam sacra & victimæ, quàm templa ipsa negligerentur. Secundò qualia fuerint Christianorum exercitia, quàm pia, quam sancta, quam ab omni peccato atque spurcitie aliena. Tertiò, quanta Plinij ipsius, qui tamen vnus è Gentilium sapientissimis habebatur, cæcitas, iniquitas, immanitas, qui Christianos cogeret mutis simulacris, adeoq; Traiani ipsius statuæ etiam tum viuentis, thure ac vino supplicare: & contrà Christo maledicere: qui & ancillas, *quæ ministræ dicebantur*, hoc est, vt ego quidē arbitror, Diaconissæ, veritatis extorquendæ gratiâ, quæstioni daret. Eius litteris ita rescripsit Traianus:

TR. PLINIO S.

Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendes caussis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in vniuersum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt: ita tamen vt qui negauerit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Dijs nostris, quamuis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore verò propositi libelli nullo crimine locum habere debent. Nā & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.

Sic Traianus. De cuius rescripto iuuat audire Tertulliani exclamationem & iustam querimoniam. *O sententiam,* inquit, *necessitate confusam! Negat inquirendos, vt innocentes; & mandat puniendos, vt nocentes: parcit & sæuit; dissimulat & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & absoluis? Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur: in reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios vsque inquisitio extenditur: solum Christianum inquiri non licet, offerri licet: quasi aliud actura esset inquisitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum: qui, puto, iam non inde meruit pœnam, quia nocens est: sed quia non requirendus inuentus est.* Vide ibi plura.

Nunc ad propositā quæstionem redeamus. Probatur 2. hæc sententia ex alijs, qui Eusebium secuti sunt, Chronographis, qui omnes vsque ad Baronium tenuerunt illas Plinij litteras sub tempus martyrij S. Ignatij esse conscriptas. Vide Marianum Scotum lib. 2. ætate 6. in Traiano, & Hermannum Contractum in eodem Traiano, & alios.

3. Fauent scriptores vitæ S. Ignatij tam Græci, quàm Latini. Vide Metaphrasten, qui licet nominatim Plinij non meminerit, tamen rerum ipsarum, quæ in eius litteris continentur, Traiano indicatarum commeminit.

Altera sententia est Cæsaris Baronij, tenentis litteras illas Plinij in Christianorum caussa ad Traianum missas, non vndecimo aut duodecimo, sed quinto potiùs aut sexto anno Traiani, in Bithynia prouincia scriptas esse. Sic enim scribit ad annū Traiani quartum: *C. Plinius Iunior & Cornutus Tertullus honorarium consulatum gesserunt, designati anno superiori atque allecti.* Et paullo pòst: *Hæc autem pro certâ ratione temporum consignandâ breuiter attigisse voluimus: quod magni interest ex consulatu Plinij pariter intelligere, quando item Proconsulem egerit in prouinciâ.* Quasi dicat: cùm Plinius fuerit Consul anno Traiani quarto; sequitur, vt eius in prouincia Bithynia proconsulatus acciderit anno quinto, eodémque litteras de Christianis ad Imperatorem miserit. Quod ipsum clariùs ad annum Domini cētesimum quartum & Traiani quintum repetit, vbi ait: *Anno sequenti, qui numeratur Domini centesimus quartus, Sura II. & Seruiano COSS. C. Plinius Secundus post functionem superioris anni consulatus, more maiorum, prouinciam suscepit administrandam: tributa est autem illi Bithynia: vt ipse suis ad Traianum de aduentu suo in prouinciam litteris datis affirmat.* &c. Deinde ipsas litteras Plinij de Christianis, hoc ipso anno Traiani quinto (quo datas censet) recitat: quas & nos, ex ipso Plinio quàm emendatissimas paullo antè protulimus.

Ratio itaque huius sententiæ est hæc: Plinius Secundus fuit Proconsul in Bithynia: ergo id accidit anno proximo post suum cōsulatum. Ita enim habet mos maiorum. Atqui Consul fuit anno Traiani quarto: ergo prouinciam Bithyniam inijt eiusdem Traiani anno quinto. Nihil autem prius habuit in prouincia, quàm curam sacrorum: igitur intellecto propter Christianos deseri Deorum templa, cōfestim ad Traianum scripsit, quidnam circa eosdem Christianos fecisset, eúmque vnà consuluit, quemadmodum aduersus illos deinceps procedere deberet. Itaque id fecit Traiani quinto, non autem, vt volunt alij, vndecimo aut duodecimo, aut circa martyrium S. Ignatij.

Secunda ratio afferri potest ex historia Eusebij & aliorum: qui distinguunt tempora litterarum Plinij & martyrij S. Ignatij. Nam Eusebius quidem de litteris agit lib. 3. hist. eccl. cap. 33. græcæ editionis, de martyrio autem cap 35. Nicephorus simil-

autem, alijs rebus interiectis, cap. 19. ita vt videantur insinuare priùs accidisse ea, quæ de Christianis à Plinio scripta sunt, quàm vlla de S. Ignatij martyrio mota esset quæstio.

Verùm consideratis vtriusque sententiæ rationibus, momentisque earum sedulò perpensis sic statuo:

Prior Sententia, quæ tenet inter Traianum Imp. & Plinium Secundum, super statu Christianorum, mutuas litteras, sub ipsum tempus martyrij S. Ignatij interuenisse, tenenda est, vt probabilior.

Nam præter rationes pro ea in medio positas, videtur etiam ex nonnullis tam Plinij ipsius quàm Traiani epistolis colligi, eum in Bithynia prouincia Proprætoris munus gessisse anno Traiani Imp. decimo. Cùm enim Plinius libro X. epist. XL. scripsisset ad Traianum in plerisque Bithyniæ ciuitatibus, & maximè Nicomediæ & Nicææ aliquos olim in opus damnatos, nunc publicorum seruorum officio ministerióque fungi, atque etiam, vt publicos seruos, annua accipere, quæsissetque in tali negotio, quid faciendum sibi esset, rescripsit Imperator his verbis, inter alia: *Qui igitur intra hos proximos decem annos damnati, nec vllo idoneo auctore liberati sunt, hos oportebit pœnæ suæ reddi: si qui vetustiores inuenientur, & senes ante decem annos damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quæ non longè à pœna sint. Solēt enim eiusmodi ad balineum, ad purgationes cloacarum, item ad munitiones viarum & vicorum dari.* Quod igitur dicit, *intra hos decem annos*, hoc nobis planè videtur intelligendū relinquere, *quibus ego imperiū tenui* scilicet. De illis enim ad eū maximè spectabat ita disponere, vt quę ipse seu per se, seu per Prætores suos, aut Proprætores statuisset, non temerè mutarentur; sed firmiter constarent Nam quid sub alijs factum esset Imperatoribus, præsertim sub Domitiano, altero Nerone, cuius proinde acta à Senatu rescissa sunt, curare cordi habuit scilicet. Nerua autem Domitiani successor & Traiani pater (qui altero āno quàm imperium accepit, extinctus est) tantum abest, vt aliquos damnârit; vt potiùs damnatos restituerit.

Deinde cùm ex vtriusque & Traiani & Plinij mutuis litteris satis constet, complures annos in Bithynia resedisse Plinium (quò & familiam traduxerat, vt liquet ex epistola eius 121. libri decimi ad Traianum, & epist. 122. Traiani ad ipsum) videntur potiùs illæ de Christianis litteræ postremis annis scriptæ esse, quàm primis. Sunt enim in codice litterarum ad Traianum inter postremas positæ. Et quamuis libro 1. epistolarum ad familiares, epistolâ primâ profiteatur se non seruare temporis ordinem, dum ait se collegisse epistolas, *non seruato temporis ordine, sed vt quæque in manus venerat;* tamen in libro decimo, qui nullas continet alias epistolas quàm ipsius ad Traianum & Traiani vicissim ad ipsum, necesse omnino fuit seruare ordinē & seruauit: vt vnicuique eas legenti & consideranti manifestum est. Seruauit autem hoc modo: collocauit primo loco eas, quibus non respondit Traianus, siue quibus non adiectæ sunt Traiani responsoriæ; sunt autem ex numero vndeuiginti: deinde à vicesima vsque ad centesimam vicesimam secundam posuit amœbæas, hoc est, alternis, suas & Traiani; suas quidem, quibus vt plurimum de rebus agendis consilium facultatémue exposcit; Traiani autem, quibus ad petita rescribit. Deinde tam multa & tam magna opera in diuersis Bithyniæ & Ponti ciuitatibus, vt templa, vt pontes, vt aquæ ductus, vt amplissimū lacum mari committendum, opus à Regibus inchoatum, aliáque eiusmodi, facienda suscepit, & quidem consulto priùs Traiano, & expectato responso, & postulatis ab vrbe Roma architectis & aquilegibus; vt non vno duobúsue annis confici potuerint, sed opus longè pluribus fuerit. Nam aquæ ductus quidem, pro commoditate Sinopensium, vsque à sextodecimo milliario erat inchoandus. De quo sic scribebat ad Traianum epistola 91. *Sinopenses, Domine, aquâ deficiuntur; quæ videtur & bona & copiosa ab sextodecimo milliario perduci posse. Est tamen statim à capite paullo amplius mille passibus locus suspectus & mollis: quem ego interim explorare modico impendio iussi, an recipere & sustinere opus possit.* &c. Cui respondet Traianus epistolâ 92. in hæc verba: *Vt cœpisti, Secunde carissime, explora diligenter, an locus ille, quem suspectum habes, sustinere opus aquæ ductus possit. Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem* &c. Vide etiam de aquæductu Nicomediensi, in quem olim immensa impendia malè impensa sunt, epist. 46. ad Traianum, vbi inter alia: *Nouo*, inquit, *impendio est opus, vt aquam habeant, qui tantam pecuniam malè perdiderunt. Ipse perueni ad fontem purissimum, ex quo videtur aqua debere perduci, sicut initio tentatum erat, arcuato opere.* &c. Et infrà suadet, persuadétque, vt perficiatur. *Et in primis necessarium est*, inquit, *mitti à te vel aquilegem vel architectum; ne rursus eueniat, quod accidit. Ego illud vnum affirmo, & vtilitatem operis & pulchritudinem sæculo tuo esse dignissimam.* Itaque Traianus hortatur Pliniū epistolâ proximâ, vt opus istud perficiat.

Nunc argumentis secundæ sententiæ respondendum est. Nam & hinc magis magisque dilucescet prioris veritas.

Ad primum igitur, quod afferebat Pliniū Secundum fuisse Proconsulem in Bithynia, idque accidere debuisse anno post consulatum proximo, & quidem ex more institutó-

que maiorum; respondeo nihil istorum triū satis conforme esse veritati. Primò enim Plinius non fuit in Bithynia Proconsul, sed Proprætor: nec Bithynia fuit prouincia Proconsularis, sed Prætoria. Quod probatur ex clarissimis rerū Romanorum Scriptoribus, nimirū Alexandro ab Alexādro, Paullo Manutio, Carolo Sigonio, quódque potissimū est, ex antiquis inscriptionibus. Igitur Alexāder libro 2. Genialium dierū, cap. 27. ita scribit: *Illud quoque admonitu non inutile duxerim, quasdam prouincias proconsulares fuisse, ad quas soli mittebantur Proconsules; quasdam consulares, nonnullas præsidiales, plerásque prætorias; quibus Consules, Præsides, Prætorésque præfecti erant. Nam Carthago proconsularis erat prouincia. Numidia, Libya, & Asia citra Taurum, & Cyrene, consulares. Tripolis & vtraque Mauritania atque Ægyptus sub Præsidibus fuere. Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricus, Achaia, Creta, & Bithynia, prætoriæ.* Ac de Bithynia quidem confirmat, in suis ad eum locum annotationibus, Andreas Tiraquellus, proferens Appianum lib. 4. bellorum ciuilium, *dum loquitur*, inquit, *de Apuleio prætore in Bithynia sub Bruto. Idq́; etiam videre licet ex Catulli epigr. 10. de Varro.* Sic ille. Versus porrò Catulli sunt hi:

Huc vt venimus, incidêre nobis
Sermones varij: in quibus quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Et quantum mihi profuisset; è re
Respondi id quod erat: mihi nec ipsi,
Nec Prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret.

Vbi *Prætoribus*, idem est, quod Prętoris asseclis, & qui instar quorundam Prætorum se gererent, ita vt prouinciales appellarent eos vulgò Prætores.

Iam Paullus Manutius in libro *De legibus Romanis*, ante medium, agens de quodam senatusconsulto, quod Coelius ad Ciceronem miserat, *In quo S.C.* inquit, *hæc sunt: senatui placere in Ciliciam prouinciam, inq́; VIII. reliquas prætorias mitti. Regebantur IIX. prouinciæ, quæ in eo S. C. prætoriæ vocantur, à magistratibus IIX. prætorijs, Sicilia, Sardinia, Ionia, Asia, Macedonia, Bithynia, Creta, Mauritania. Et cum Sardinia Corsicam simul fuisse, cum Bithynia Pontum paullo ante dictum est.* Sic ille.

Sigonius autem lib. 1. *De antiquo iure prouinciarum*, cap 13. disertè & nominatim Plinium appellat Prętorem, non Proconsulem. *Pompeius* inquit, *ex senatus sententia Pontum vtrumque à Sangario vsque ad Halym vnà cum Bithynia in prouinciæ formam redegit: vt Liuius & Appianus auctores sunt; legémque Ponticis ac Bithynis ex decem Legatorum sententia dedit. Cuius meminit in epistolis ad Traianum Bithyniæ Prætor Plinius.* Ita Sigonius.

Accedit vetus illa inscriptio à multis laudata Scriptoribus:

C. PLINIVS. C. F. C. N.
CÆCILIVS. SECVNDVS.
COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRÆT. PROVINC. PONTI. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB. IMP. CÆS. NERVA. TRAIANO. AVG. GERMANICO. MISSVS. CVRAT. ALVEI. TIBERIS. ET RIPAR. PRÆF. ÆRARI. SATVRNI. PRÆF. ÆRARI. MILIT. LEG. LEG. VI. GALL. X. VIR. STLIT. IVDICANDIS.

Extat hæc inscriptio in pluribus Plinij epistolarum editionibus, tam nouis quàm antiquis: & nominatim in recentissima anni M. D. XCI. cum Notis Casauboni, (vbi vide etiam argumentum epistolæ 28. libri decimi præfixum) & in antiqua cum commentarijs Ioannis Mariæ Catanæi. Sed & in Iani Gruteri inscriptionibus pag. CCCC. LIV. num. 3. ex Appiano & Panuinio. Denique ipse Plinius satis indicat se non fuisse Proconsulem, cùm ita scribit libro X. epist. LXXVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Postulantibus quibusdam, vt de agnoscendis liberis, restituendísque natalibus, & secundùm epistolam Domitiani scriptam Minutio Rufo, & secundùm exēpla Proconsulum ipse cognoscerem; respexi ad senatusconsultum pertinens ad eadem genera caussarum; quod de his tantùm prouincijs loquitur, quibus Proconsules præsunt: ideóque rem integram distuli, dum tu Domine præceperis, quid obseruare me velis.

Ibi sanè Plinius indicat se non fuisse Proconsulem, nec Bithyniam fuisse ex ijs prouincijs, quibus Proconsules præessent. Quid enim alioqui caussæ extitisset, cur rem differret? Fateor tamen voluntate Imperatorū bonas leges arbitrio suo submittentium missos aliquādo esse Proconsules in prouincias prætorias, vti & ex Plinij aliquot litteris videtur colligi, & ex Cornelio Tacito, qui Petronium Arbitrum à Nerone in Bithyniam Proconsulem missum scribit, etiam ante cōsulatum. Sic enim de illo, Annalium XVI. *Illi dies per somnum, nox officijs & oblectamentis vitæ transigebatur: vtque alios industria, ita hunc ignauia ad famam protulerat: habebatúrque non ganeo & profligator, vt plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factáque eius quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratiùs in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox consul, vigentem se ac parem negotijs ostendit: dein reuolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumptus est elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentiâ putat, nisi quod ei Petronius approbauisset.* Ita Cor. Tacitus.

Secūdum, quod supponebatur, erat Proconsules

consules semper ire in prouincias proximo post consulatum anno. Nec enim aliter inferri posset Plinium tunc iuisse. Ad hoc ergo dicitur, plurimis exemplis probari contrarium. Quidam enim in prouincias mittebantur, antequam fuissent Consules; vt iam in Petronio patuit: quidam diu postquam defuncti essent consulatu: & in vnam eandémque prouinciam modò pro consulibus, modo pro prætoribus mittebantur. De quo vide Paullum Manutium suprà citatum, & alios rerum Romanarum Scriptores; aut pro omnibus Ioannem Rosinum lib. 7. Antiquitatum Romanarum cap. 42. *Quod si qui proximo anno*, inquit, *à consulatu in vrbe gesto (quemadmodum sæpe fiebat) in quinto, vel sexto, vel alio post consulatum anno in prouincias proficiscerentur: si etiam Prætores non proximo à gesta in vrbe prætura, sed aliquanto post in prouincias proficiscerentur; tum priuati in prouincias ire dicebantur, ab ordinarijs verò Proconsulibus vel Proprætoribus nihil discrepabant*. Et lib. 10. cap. 24. ad finem: *Sub Imperatoribus prouinciæ ita ordinabantur, vt aliæ essent populi, quas Proconsules à populo, vel potius à senatu missi; aliæ Imperatorum, quas Proprætores ab Imperatoribus designati administrabant*, Hactenus è Rosino.

Tertium denique, quod de more maiorum afferebatur, quasi scilicet Plinius iuxta morem antiquum, (quo Consules sortiebantur prouincias, aut inter se comparabant) in prouinciam Bithyniam abijsset, prorsus vanum est: nec hîc locum vlla habuit seu sortitio, seu comparatio; sed sola Imperatoris Traiani voluntas & electio: teste ipsiusmet epistolâ. Sic enim ipse Plinio epistola 118. libri 10. inter alia: *Sed ego ideo prudentiam tuam elegi, vt formandis istius prouinciæ moribus moderareris, & ea constitueres, quæ ad perpetuam eius prouinciæ quietem essent profutura*. Sic ille.

Quocirca obseruandum est sub Imperatoribus, qui ad se cuncta traxerunt, omnem maiorum morem circa prouinciarum dispositionem antiquatum fuisse, legésque omnes antiquitus latas exoleuisse. Nam fuerat lex Cornelia olim à L. Cornelio Sylla Dictatore lata, ne quis plus anno prouinciæ præesset. Verùm Iulius Cæsar, ea non obstante, Galliarum administrationem in decennium obtinuit: quæ origo fuit amittendæ Romanæ libertatis. Nero autem Imp. nullo respectu omnia confudit: socijs inertiæ aut nequitiæ suæ tã prouincias, quã honores alios detulit: viros bonos & moderatos è medio sustulit. Alij deinde Imperatores, quibus item voluerunt, prouincias dederunt; & in quot annos collibitum fuit, ibi eos detinuerunt. De Traiano quidem probant Plinij epistolæ: primò quidem vicesima octaua, in qua scribit se eius natalem in prouincia celebrasse: deinde octogesima nona, vbi & alium natalem celebrat, vouétque felicissimum: *Opto, Domine*, inquit, *& hunc natalem, & plurimos alios quàm felicissimos agas, æternáque laude florentem virtutis tuæ gloriam, & incolumis & fortis, alijs super alia operibus augeas*. Item centesima prima, vbi sic nuntiat: *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætique persoluimus, nouáque rursus curante commilitonum & prouincialium pietate suscepimus*. &c. Itaque plures annos in ea prouincia commissum sibi à Traiano munus gessit. Igitur ordinarium non fuit quotannis in prouincias nouos mittere, seu Proconsules, seu Proprætores, seu Præfectos, seu Præsides. De Antonino autem Pio Imp. ita Iulius Capitolinus: *Factus Imperator nulli eorum, quos Hadrianus prouexerat, successorem dedit: fuitque ea constantia, vt septenis & nouenis annis in prouincijs bonos præsides detineret*. Quid mirum si & Traianus idem fecit?

Ex his igitur omnibus, ac multis item alijs, quæ addere liceret, si liberet; clarum est iuxtà & certum non potuisse colligi è consulatu Plinij, quo ipse anno in prouinciam Bithyniam missus fuerit, nedum quando ex illa litteras de Christianis ad Traianum miserit; sed potiùs (id quod facere conati sumus.) ex ipsis vtriusque tam Plinij, quàm Traiani compluribus epistolis & rescriptis inter se collatis id colligendum fuit.

Dato igitur & admisso (quod nobis concedit Baronius) Plinium anno Traiani quinto abcessisse in Prouinciam Bithyniam, planum iam est eum perdiu fuisse in itinere. Licet enim Ephesũ vsque minoris Asiæ vrbem clarissimam prospera nauigatione vsus fuerit, inde tamen vehiculis iter faciens, grauissimis æstibus & febriculis vexatus, Pergami coactus est subsistere, indéque postea conscensis orarijs nauiculis cùm abscessisset, contrarijs quoque ventis retentus tardè cursum confecit: vt ipsemet testatur libro 10. epist. 28. Faciamus ergo attigisse prouinciam anno Traiani sexto circiter, iam minimè mihi dubiũ est attendenti totius Bithyniæ & Põti amplitudinem, vrbésq; plurimas & maximas & maritimas & vectigales (inter quas erat & Byzantium, postea Constantinopolis appellatum) simúlque perpendenti quantum temporis opus sit, ad singularum rerum publicarum rationes excutiendas, & mores emendãdos (quod Traianus volebat) minimè, inquam mihi dubiũ est, quin ad has res, & ad ista quoque opera, quæ suprà memorauimus, perficiẽda, sex septémue annos minimũ in prouincia retentus sit. Ac ne dicatur statim atque ingressus in eam fuit, perquirendis Christianis adiecisse animum, atque mox de illis ad Imperatorem scripsisse, satis liquet contrarium. Præterquam enim, quòd

minimè prudentis viri factum fuisset, primo aduentu suo, (quo prouincialium amor & beneuolentia humanitate & clementiâ demerenda est) speciem edere voluisse seueritatis aut immanitatis; etiam ipsa Plinij verba apertè repugnant sic scribentis citatâ nūc epistola: *Quintodecimo calend. octob. Domine prouinciam intraui: quam in eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inueni. Dispice Domine, an necessarium putes mittere huc mensorem. Videntur enim non mediocres pecuniæ posse reuocari à curatoribus operum, si mensuræ fideliter agantur. Ita certè prospicio ex ratione Prusensium, quam cum Maximo tracto.* Ecce igitur quas res primò tractauerit Plinius. Sed & Traiani rescriptum planissimè nostris aduersarijs aduersatur, quod est tale.

TRAIANVS PLINIO S.

Cuperem sine querela corpusculi tui & tuorum peruenire in Bithyniam potuisses: ac simile tibi iter ab Ephesò, & nauigationi fuisset, quam expertus vsque illo eras. Quo autem die peruenisses in Bithyniam, cognoui, Secunde carissime, litteris tuis. Prouinciales, credo, prospectum sibi à me intelligent. Nam & tu dabis operam, vt manifestum sit illis electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum excutiendæ sunt. Nam & esse eas vexatas satis constat. Mensores vix etiam ijs operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, sufficienter habeo: sed in omni prouincia inueniuntur, quibus credi possit; & ideo non deerunt tibi, modo velis diligenter excutere.

Hactenus tota Traiani epistola. Ex qua collige, quas primas esse voluerit Plinij curas, nēpe excutiendi rationes rerū publicarum, pecuniarias scilicet, non autem persequendi Christianos. Atque hæc dicta sint & pro Eusebio & pro Metaphraste & pro me: quo S. Ignatij vita nobis sarta tecta remaneat. Ad alteram veniamus super eodem Plinio Secundo iuniore quæstionem.

QVÆSTIO II.

An Plinius Secundus iunior tandem ad Christi Fidem conuersus sit, ac piè mortuus, & Sanctis adscriptus?

ANsam huic quæstioni attulit FLAVIVS LVCIVS DEXTER, vir antiquus, & qui temporibus S. Hieronymi Presbyteri floruit, & Præfectus Prætorio Orientalis imperij fuit. Is enim Plinium à Tito Paulli discipulo conuersum scripsit in suo Chronico. Franciscus autem Biuarius eiusdem Chronici commentator doctissimus Flauij DEXTRI auctoritatem tuendam ac diuulgandam suscepit. Alij diuersa sentiunt. Quid tenendum?

PRIMA OPINIO.

Tenet prima opinio PLINIVM SECVNDVM Iuniorem, dum è prouincia Bithynia reuerteretur Romam, descendisse in Cretam insulam, ibique in Titum eius insulæ Episcopum incidisse, atque ab eo ad Christi fidem esse conuersum. Quin & martyrij gloria condecoratum fuisse nonnulli sunt arbitrati.

Probatur autem hæc opinio auctoritate Flauij Dextri, qui in Chronico omnimodæ historiæ, ad annum Christi 220. Romæ autē 971. ita scribit agens de TITO Paulli discipulo: *Is TITVS conuerterat ad Fidem Plinium Iuniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula: vbi iussu Traiani Iouis templum erexerat. Nec desunt, qui putent septimâ Sextilis ad Nouocomum esse passum.*

Confirmatur ex actis ipsius Titi à Zenâ Legisperito & Paulli Apostoli discipulo cōscriptis. Meminit autem huius Zenæ Paullus ipse in epistola ad Titum cap. 3. ver. 13. his verbis: *Zenam legisperitum & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil illis desit.* In istis igitur Zenę Actis (illi enim attribuit Franciscus Biuarius ea, quæ apud Equilinum Episcopum libro 7. Catalogi Sanctorum, cap. 108. leguntur: & certè videtur idem Equilinus ipsa Acta memorare) in istis inquam Actis ita scriptū est inter alia: *Post hæc Titus ad Cretam deuenit: vbi gratiosè de Fide Christi disputans, tandem cùm increduli persisterent, orauit ad Dominum, statimque idolum Dianæ, quod colebant, cecidit, & in puluerem redactum est: & mox crediderunt animæ quingentæ in Christo, & baptizati sunt. Consecrauit autē Titus Presbyteros & Diaconos: ipse verò metropoli præsidebat. Cùm die quadam transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul iussu Imperatoris in Iouis nomine construebat, maledixit illud, & statim opus funditus dissipatum est. Tunc Secundus venit ad Titum cum lachrymis, rogans se indemnem ab opere conseruari. Cui Titus imposuit, vt opus in nomine vnius Dei Christianorum inciperet, & sic opus perficere posset. Quod & factum est. Completo verò opere Secundus cum filio suo baptizatus est. Dum igitur Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos, & resplenduit facies eius sicut sol: qui spiritum suū & plebem sibi commissum Domino commendans in pace quieuit ætatis suæ anno XCIIII. octauo cal. Semptembris: sepultúsque est in metropoli Cretæ: vbi & quiescit miraculis coruscans.* Hæc ibi. Quæ omnia idcirco posui, quòd ex omnibus aliquid elici ad veritatis indagationē possit, vt mox videbitur.

Suffragatur etiam huic opinioni idem Franciscus Biuarius, qui & Acta approbat, &

& cum allatis à Dextro concordare ostendit.

4. Deinde nonnulli, vt auctor est idem Biuarius, existimant Plinium hunc nostrum esse illum SECVNDVM martyrem, cuius meminerunt martyrologia ad diem VII. Augusti, & qui Nouocomi cum multis alijs passus est. De quibus sic Romanum: *Nouocomi, passio SS. martyrum Carpophori, Exanthi, Cassij, Seuerini, Secundi, & Licinij, qui in confessione Christi capite truncati sunt.*

5. Quintò afferri potest eundē Plinium aliqua motum erga Christianos pietate litteras illas ad Traianum misisse, quas suprà laudauimus, sicque sensim ad Fidem recipiendam se disposuisse: præsertim cùm & multis esset præditus (vt scripta eius omnia præferunt) morum honestorum egregijs virtutibus.

6. Accedit, quòd fuerit consanguineus S. Antoniæ Maximillæ martyris, cuius libertis petit à Traiano Imp. dari ius Quiritium, epistolâ 4. libri decimi his verbis: *Item rogo des ius Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ ornatissimæ feminæ, Heliæ & Antoniæ Harmeridi. Quod à te, petente patrona, peto.* Et de eodem iure Quiritium ipsis concesso gratias agit epist. 22. ad eundem Traianum istis verbis: *Ago gratias, Domine, quòd & ius Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & ciuitatem Romanam Harpocrati iatraliptæ meo sine mora indulsisti.* De consanguinitate testis est Flauius Dexter ad annum Christi 100. in quo sic notauit: *Antonia Maximilla* (sic enim legendum esse conuincit Plinius & martyrologia, non autem *Antima*, vt vult Franciscus Biuarius) *coniux Ægeæ Patrarū in Achaia Proconsulis, à B. Andrea conuersa in antrum se abdidit, mortem post mariti. Fuit hæc Nouocomensis, Plinij Iunioris consanguinea. Pòst nupsit C. Fonteio Capitoni, inque Nicomediam delata, pro Christi Fide, quarto Maij patitur,* Vide Biuarij commentarium in hunc locum. Est igitur probabile, dictam Antoniā Fidei nostræ sacris initiatam duas seruas suas, Heliam & Antoniam Harmeridem donasse libertate, eas autem iam libertas etiam iure Quiritium donari petijsse, atque ad id ab Imperatore obtinendum, Plinij Iunioris consanguinei sui iam Christiani, aut certè Christianorum studiosi operâ vsam esse, ac facile impetrasse.

6. Postremò, si viri graues non pauci de ipso Traiano Imp. tenuerunt, peccatorum suorum gratiam & à pœnis liberationem à Deo, per S. Gregorij magni deprecationem, obtinuisse: quanto magis de Plinio bene sperandum est, qui mitigandæ aduersus Christianos persecutionis illi auctor fuit? & de cuius expressa ad Christum conuersione Acta vetera contestantur? Ac de Traiani quidem salute disertè omnem historiam descripsit S. Ioannes Damascenus vir non minùs doctrina quàm Fide & pietate egregius. Extat autem in eius oratione, De his qui in Fide obierunt: vbi & hanc adijcit publicæ confirmationis clausulam: Καὶ ὅτι τοῦτο γνήσιον πέλει καὶ ἀδιάβλητον, μάρτυς ἑῴα πᾶσα καὶ ἑσπέριος. *Quódque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur.* De oriente quidam éxtat auctoritas in Græcorum Euchologio, cap. 96. vbi Sacerdos sic orat; Ὡς ἐπήκουσας τῇ θελήσει σου Θέκλῃ τῇ πρωτομάρτυρι, τῇ ἐπὶ μητρὶ αὐτῆς εἰδωλολατρίδι, καὶ οὐ παρεῖδες τὴν δέησιν αὐτῆς· ἀλλ' ὡς ὑπεράγαθος καὶ εὐδιάλλακτος ἔδωκας αὐτῇ τὴν συγγνώμην· Καὶ ὡς ἔλυσας τῆς μάστιγος Τραιανὸν δι' ἐκτενοῦς ἐντεύξεως τοῦ δούλου σου Γρηγορίου τοῦ Διαλόγου, ὑπάκουσον καὶ ἡμῶν δεομένων σου, οὐκ ἐπὶ εἰδωλολατρίδι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ πιστῷ σου δούλῳ παροργίσαντί σε δι' ἀσθένειαν. *Vt voluntate tua exaudisti Theclam, primam martyrem pro matre suâ idolorum cultrice orantem; nec preces eius despexisti; sed vt summè bonus ac reconciliari facilis ei veniam concessisti: ac quemadmodum Traianum per intentam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem pœnâ liberasti: exaudi etiam nos te deprecantes non pro idolorum cultrice, sed pro fideli seruo tuo, qui te propter imbecillitatem, ad iracundiam prouocauit.* Sic ibi. In Occidente quoque receptam fuisse eandem historiam colligitur ex magnis Theologis, qui nihil de eius veritate dubitauerunt, & modos eius tuendæ ac defendendæ pertractarunt. In his est S. Thomas, velut prælustris quædam sacræ Theologiæ pharus, qui in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. quærens: *Vtrum suffragia prosint existentibus in inferno?* affert pro quinto argumento partis affirmatiuæ, S. Ioannis Damasceni de Traiano à pœnis inferni liberato auctoritatem. Cui postea sic respondet, vt veram admittat ac supponat esse historiam. Ita enim scribit: *Ad quintum dicendum est, quòd de facto Traiani hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna. Sicut etiam apparet in illis omnibus, qui fuerunt miraculosè à mortuis resuscitati: quorum plures constat idololatras & damnatos esse. De omnibus enim similiter dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati, sed secundùm præsentem iustitiam propriorum meritorum: secundùm autem superiores caussas, quibus præuidebantur ad vitam reuocandi, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum secundùm quosdam, quòd anima Traiani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta: sed eius pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet vsque ad diem iu-*

iudicij. Nec tamen oportet, quòd fiat hoc communiter per suffragia: quia alia sunt, quæ omnibus accidunt, & alia quæ singulariter ex priuilegio aliquibus conceduntur. Sicut alij sunt humanarum limites rerum: alia diuina signa virtutum: vt Augustinus dicit in libro, De cura pro mortuis agenda. Huc vsque S. Thomas. In his est & Durandus à sancto Portiano, insignis quoque Theologus, qui super eodem libro & dist. paria ferè sentit D. Thomæ. Postquam enim sibi pro tertio argumento obiecit S. Gregorij magni preces Traiano profuisse; tum sic respondet: *Ad tertium dicendum, quod aut Traianus fuit vita miraculosè restitutus, & tunc remissionem peccatorum consecutus est; nec priùs erat sententia finali damnatus, sed conditionali. Vel dicendum, quòd illud fuit singulare priuilegium diuinæ gratiæ, quod non est trahendum ad consequentiam. Quia de lege communi sit oppositum.* Sic ille. Consentit Richardus de media villa, ibidem.

Beatus item Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, *vir doctissimus & sanctissimus* (vti eum appellat Bellarminus in scriptoribus ecclesiasticis) eandem S. Ioannis Damasceni sententiam suscipit, approbat, explicat, parte 2. tit. 12. capitulo 3. §. 8. vbi docet communiorem Theologorum explicandi modū super 4. sententiarum esse; Traianum ad vitam resuscitatum fuisse, atque conuersum & baptizatum pœnas inferni euasisse. *Nec erat*, inquit, *in inferno finali sententia Dei condemnatus, sed ad tempus, quousque Gregorius pro eo oraret. Et quod dicitur, in inferno nulla est redemptio, intelligitur de his, qui finali Dei sententia ibi sunt adiudicati, non autem ad tempus, vt iste.* Sic ibi.

Versibus eandem historiam persecutus est Gotfridus Viterbiensis, parte 15. sui chronici, in Traiano. Et qui eadem vixit ætate, Sigebertus Gemblacensis monachus, nihil de rei veritate dubitans, sic in suum immisit Chronicon, ad annum Domini 592. *Gregorius Romanæ ecclesiæ LXIII. præsidet. Hic inter cetera pietatis opera animam Traiani, Romanorum quondam Imperatoris, quamuis pagani, à pœnis inferni liberari, miserando & plorando, à Deo obtinuit.*

Sed longè ante hos omnes Latinos Ioannes Diaconus in vita magni Gregorij Papæ, lib. 2. cap. 44. idem tenuit, qui tamen ita factum omne interpretatur, vt Traiani animam cælo receptam esse non concedat, sed tantùm inferni cruciatibus liberatam. *Quod videlicet potest videri credibile*, inquit. *Quippe cùm ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire; sicut vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere; & per Dei iustitiam cunctos non valet æqualiter exurere. Nam vniuscuiusque quantum meruit culpa, iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna.* Hæc ille.

Atque ista hactenus pro Plinio Secundo Iuniore, & ex incidenti, pro Traiano Imp. allata sint. Nec enim validiora, vt arbitror, afferri solent, aut possunt. Nunc mihi aperiendum est, de vtroque quid sentiam.

SECVNDA OPINIO.

Tametsi de Plinio Secundo Iuniore nonnulla species probabilitatis appareat Fidem suscepisse; multo tamen probabilius videtur contrarium.

QVod ad prioré parté de specie probabilitatis attinet, id ob rationes illius opinionis suprà adductas satis clarū est, nec amplioris probationis indiget. Probatur autem pars posterior.

1. Quia magnorū virorum & summis honoribus in vrbe Roma functorum, & tanta apud Imperatores gratia, quāta apud Traianū fuit Plinius, pollentiū, minimè obscura esse potuit aut debuit ad Christi fidem conuersio. Solitæ enim sunt eiusmodi clarorum atque illustriū virorū mutationes, præsertim in ipsis Ecclesiæ initijs, spargēte atque etiā in maius extollēte fama euulgari, ac per Christianorum ora secundis sermonibus volitare, adeoq; non paucorum litteris ad memoriam posteritatis tradi. Atqui de Plinio Secundo nihil auditum illis temporibus tale, nihil à quoquam vel eiusdem vel posterioris sæculi monumentis traditum simile. Erat tamen ipse vir Consularis: Bithyniam prouinciam bene magnam, & laboris atque industriæ plenam, summa cum laude administrārat: caussas Romæ admirabili eloquentiâ & Quiritium plausu egerat: denique innocentiæ suæ atque virtutis fama (qualis quidem à Gentili virtus expectari debuit) populos implerat. Quis ergo Scriptorum Christianorum, si talis tantusque vir Ecclesiæ accessisset, tam optandæ, tam memorandæ rei silentium egisset?

2. Si quis aliquando persecutor Christianorum, post quæstiones & tormēta & neces ipsis illatas, ad Christi fidem conuertitur, id pro rei nouæ miraculo in hominum sermoné mox abit, atque etiā in litteras mittitur: nēpe è lupo ouem factā, ex accipitre columbā, è miluo turturem. At de Plinio Secundo, qui acerbè Christianos in Ponto atque Bithynia infestauit, qui ancillas ipsas ecclesiæ famulas in quæstionem dedit, qui timidos è fratribus perculit, qui fortes ac constantes duci, hoc est, occidi iussit, de illo, inquam, ad fidē conuerso nihil scriptū reliquerunt ij, qui eodem aut altero pòst sæculo de rebus Christianis scripserunt. Vnde igitur tota rei fides?

3. Erat ipsiusmet Plinij, si conuersus ad fidem Christi fuisset, culpam persecutionis exemplo S. Paulli (quem procul dubio Christianus voluta[s]set) deprecari; & mutationis suæ, instar

instar clarorum virorum, caussam afferre, & eloquentia sua reparare, quod ignorantia destruxerat. At huius rei nullum vsquam in cunctis eius scriptis vestigium apparet.

4. Obijt Plinius secundo Christi sæculo: de ipso scripsit initio tertij sæculi Tertullianus, & litterarum quidem eius de Christianis ad Traianum Imp. & huius item ad ipsũ mentionem fecit: at de conuersione ad Christum (vbi tamen locus & res maximè exigebant) ne verbum. Valde enim caussæ Tertulliani profuisset, non modò mitigatũ fuisse Christianis Imperatorem in medio ponere, sed Plinium quoque ipsorum inquisitorem & occisorem, è numero ipsorum factum esse.

Nec sunt hæc, (vt nescio qui Dialecticuli ad similes rationes præcipiti impetu iactitant) argumenta ab auctoritate negatã, sed in re maximè fundata, & ita cum re coniuncta, vt propè necessariò cohæreant. Tacere enim, cùm maximè loquendum est, turpiter præuaricari est. Et Tertullianus, dum aduersus Gentes agit, & Plinij ac Traiani scripta recitans ac sugillans neutrius ad Christum conuersionem loquitur, certè sic tacendo altissimè clamat, neutrum ipsorum ad Christum esse conuersum. Quod sanè de Plinio magis sciri tunc potuit, quàm pluribus post sæculis, nescio vnde, intelligi.

Nunc argumentis aduersæ partis respondendum est.

Ad 1. igitur ductum ab auctoritate Flauij Dextri quod attinet, dico illud argumentũ ex multis capitibus valde debile deprehẽdi, nec satis liquere, ea quæ ibi apud Dextrum reperiuntur, esse ipsius Dextri. Nam scripta sunt ad annũ Christi 220. hoc modo: *Titus cognomẽto Iustus, Episcopus factus, sequutus primò S. Paullũ, mox Eugeniũ prædicat in Carpetania: vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus conuerterat ad Fidẽ Plinium Iuniorem.* &c. vt antè in argumẽto. Atqui Titus minimũ annis centũ, ante hunc annum obierat: & quæ de illo dicuntur post annum Christi ducentesimum, dicenda erant circa ducentesimum vigesimum. Itaque contra legem chronici annis centum tardiùs posita sunt, & planè extra locũ suũ, ac propterea fortassis ab alio intrusa. Hoc primum refutationis caput. Alterũ est, quòd dicatur Titus Episcopus, ille Paulli antiquus discipulus, & tantæ vir auctoritatis, sequutus Eugeniũ: qui tamẽ Eugenius in morte Paulli tantùm Sacerdos erat. Igitur, quod simile monstri est, Episcopus sequebatur Sacerdotem. Tertiũ, quòd dicatur prædicare in Carpetania: nempe anno post mortẽ suam saltẽ centesimo. Sed dicet aliquis scopũ Auctoris hoc loco tantùm fuisse, dicere *Titi memoriã & magnitudinẽ miraculorũ sub hoc tempus celebrari in Carpetania*, reliqua verò ex huius occasione addita esse. Esto ita. Nunquid & hoc valde absurdum est, & contra naturã ordinẽmque rerũ, facere vt principale sequatur suũ minus principale, vti vulgo loquuntur? Principale enim est in Chronographo, quo quis tempore vixerit, florueritue, suis annis assignare. Et certè Plinij ad Christi Fidẽ cõuersio tanti erat, vt suo anno, saltẽ suo sæculo assignanda esset, non in alterum sæculũ tanquam rei minoris appendix imperitè differri. Iam quod dicitur: *Is Titus cõuerterat ad Fidẽ Plinium iuniorem ex Bithynia Põtóque redeuntẽ in Creta insula, vbi iussu Traiani Ioui templum erexerat;* quid probabilitatis habet Plinium, qui post multos annos administrationis prouinciæ Bithyniæ, missionẽ à Traiano petierat, obtinuerat, gratias egerat, totusq; Romam anhelabat, eum, inquã, in reditu ac per Cretã transitu ibi detentum, vt in aliena prouincia templũ Ioui construeret? Habebat enim & Creta suũ Prætorem: ad cuius spectabat munus templorum in prouincia ædificatio. Deinde additur: *Nec desunt, qui putẽt septimã Sextilis ad Nouocomũ esse passum.* Nẽpe, quòd illa die in martyrologijs legatur inter alios *Secundus*, & Plinius noster tam *Secundus* nomine, quàm patriâ Nouocomensis fuerit, vbi & illi dicuntur passi: quemadmodũ in quinto argumento suprà productum fuit. Verum & ista perquam infirma est argumentandi ratio: *Vnus ex ijs, qui Nouocomi passi sunt, appellatus est Secũdus, ergo verisimile est eum esse Pliniũ Iuniorẽ, qui Nouocomẽsis fuit & Secũdus appellatus.* Immo longè verisimilius est non esse Plinium iuniorẽ: quandoquidẽ & ipsi Nouocomenses hactenus alium esse crediderint, & in illa inscriptione, quam pro valuis templi beatissimæ Virginis, anno Salutis 1498. in æs inciderunt, nullam fidei Christianæ, (in quâ fuisset laudum omnium principatus) mẽtionem fecerint. Sic enim eam inscriptionem è Volaterrano producit Franciscus Biuius ad annum Christi 220.

C. PLINIO CÆCILIO SECVNDO
Qui Consulatu, Auguratu, militiæ gestis,
Ac orãdis caussis, poematibus & historijs cõficiẽdis,
Cæsare Traiano Augusto luculẽtissimè laudãdo,
Adficiendáque immensa liberalitate patriã suã,
Eidem immortale contulit ornamentum,
Ordo Comensis concius suo desiderabilis, honore
accepto, monumentum posuit,
M. CCCC. LXXXX. VIII. Kal. Maj.
Functus eram, sed tum veteri præclarus honore,
Viuebam, perij: nunc quoque vita mihi est.

Quis nunc dubitet, quin Comenses (vtpote Christiani) si vllo modo credidissent, vel traditione quapiã à maioribus accepissẽt, Plinium conciuem suum fuisse Christianum atque martyrẽ (ecquorũ autẽ id scire magis intererat?) quis, inquã, dubitet, quin hãc laudẽ inter primas posituri fuissẽt? Atqui, vt hic videre est, minimè id fecerunt. Ex quo, quidnam sentiendum sit, clarum manife-

sus, vti habent græca Eusebij. Nec enim scripsit S. Ignatius, dum egrederetur Smyrnâ, sed postquam inde digressus peruenisset Troadem: vt disertè habet non modò Eusebius loco citato, sed etiam ipsemet Ignatius in extremis illis epistolis. Nam in duabus quidem, ad Philadelphiēses scilicet & ad Smyrnæos, sic habet totidem fere vtrobique verbis: Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐν Τρωάδι, ὅθεν καὶ γράφω ὑμῖν διὰ Βούρρου. *Salutat vos caritas fratrum, qui sunt Troade: vnde & scribo vobis per Burrum.* In epistola quoque ad S. Polycarpum idem innuit, vt ex verbis proximè citandis obseruabitur.

c FVERAT QVIDEM ILLI ANIMVS INDIDEM AD PLVRES ECCLESIAS SCRIBERE] Id ex epistolâ ad S. Polycarpum extrema liquet, vbi sic ait: Ἐπεὶ οὖν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἠδυνήθην γράψαι, διὰ τὸ ἐξαίφνης πλεῖν με ἀπὸ Τρωάδος εἰς Νεάπολιν, ὡς τὸ θέλημα προστάσσει, γράψεις ταῖς ἔμπροσθεν ἐκκλησίαις. *Quoniam autem mihi integrum non fuit ad omnes ecclesias scribere: quod a Troade subitò Neapolim nauigare iussus sim, scribes ipse vlterioribus ecclesiis.*

CAPVT XII.

IN capite 12. describitur S. Ignatij iter à Troade in Macedoniam, & è Macedonia per vtrumque mare superum & inferum in Italiam, ac denique Romam.

a *MORARI TROADE HAVD DIV LICVIT*] Coactus est enim subitò inde nauigare Neapolim, vt paullò antè citata verba ex eius ad S. Polycarpum epistola fidem faciunt. Troade item olim fuerat & S. Paullus *Actorum 16. ver. 9.* cum talis *visio illi per noctem ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit,* [inquit S. Lucas eius comes] *statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis.* Ita ergo nec S. Paullus quiuit diu morari Troade. Reliquit autem ibi penulam apud S. Carpum, quam iussit à transeūte Timotheo accipi atque ad se referri 2. ad Timotheum 4. Sed Paullus citò transijt aliò benignè à Deo euocatus: Ignatius autem ab hominibus ferociter coactus.

b *QVORVM RECENTIS IN SE CARITATIS*] Declarat hoc ipsa S. Ignatij ad ipsos epistola, quam sic inchoat: Μεμνημένοι τῆς ἀγάπης ὑμῶν &c. *Memores caritatis vestræ* &c. quam scilicet erga me exhibuistis.

EPIDAMNVM] Aliqui Dalmatiæ, aliqui Macedoniæ attribuunt. Caussa est tum vicinitas regionum, tum subiectionis vicissitudo, ex diuersitate scilicet temporū & dominorū. Mutato enim aut variato dominatu, & nomina ipsa mutantur & variantur. Romani eam vrbem omninis caussâ maluerunt appellare Dyrrachium. Cauebant enim eò proficiscentes dicere, se ire Epidamnum, ne viderentur dicere in damnum se ire & in perniciem suam. Ita erat superstitio. Hinc Plinius lib. 3. hist. nat. cap. 23. *In orâ verò Dendá*, inquit, *ciuium Romanorum, Epidamnum colonia propter inauspicatum nomen Dyrrachium appellata.* Et Comicus in Menæchmis, Act. 2. sc. 1.

Nam ita est hac hominū natio hîc Epidāni:
Voluptarij atque potatores maximi.
Tum sycophantæ & palpatores plurimi. &c.
Propterea huic vrbi nomen Epidāno inditū est:
Quia nemo fermè huc sine damno deuortitur.

Et infrà: *Ne mihi damnum in Epidāno duis.*

Hanc vrbem præterijt B. Ignatius, vt indicant Acta martyrij apud Metaphrasten. Quin & hinc epistolam illam, quæ ad Philippenses scripta est, missam fuisse nonnullorū videtur fuisse opinio. Nam in quibusdam antiquis exēplaribus, (vti eruditissimus Pamelius in suo codice, quem Brugis Flandriæ in Collegio Societatis IESV asseruatum ad me misit meus ille Achates, OTHO ZILIVS, manu sua annotauit) talis titulus ei præfixus fuit: *AD PHILIPPENSES DE BAPTISMO, SCRIPTA de Endanno, per Euphanium Lectorem.* Vbi minimè dubium est, quin pro *Endanno*, corruptâ ac nihili voce, primitus scriptū fuerit *Epidamno*. Quia nimirum scriptam inde existimauerit titulorum illorum adiector istam ad Philippenses epistolam: propterea quòd non clarè in ea inueniret, vnde missa esset, satis autem ex Actis martyrij constaret à Philippis B. Ignatium per Epidamnum transijsse, ac proinde vero simile esse, inde ad Philippenses (à quibus maxima exceptus caritate fuerat) eum istas litteras gratiarum plenas remisisse. Nam & illas ita incipit: *Memores caritatis vestræ*, &c. Quemadmodum igitur in alijs titulis inscripsit, quisquis eos primus latinæ versioni addidit (nam in græcis codicibus nulli sunt tales tituli) *Ad Trallianos ex Smyrna. Ad Smyrnenses ex Troia. Ad Tarsenses ex Philippis*; sic credibile est, vel illum, vel quempiam alium vltimò scriptis litteris inscripsisse: *Ad Philippenses ex Epidamno*. Pro quo deinde vitiosè scriptum fuerit, *de Endanno*. Errauit tamen etiam is, qui *ex Epidamno* addidit. Non enim ea epistola Epidamno missa est, sed Rhegio; vti fusè & plenè in eiusdem epistolæ commentario ad calcem disputaui.

c *IBI EVM FERVNT, ATQVE IN VICINA ITEM NEAPOLI*) Puteolis & Neapoli fuisse S. Ignatium & fidem Christianam ibi annunciasse, saltem per transennam, vix dubitari potest. Certè Petrus Galesinius in suis ad Martyrologium Notationibus, de hac loquens Neapoli, *Cuius vrbis*, inquit, *primus Episcopus à beato Petro Apostolorum principe consecratus fuit Asprenus: qui*

Nea-

Neapolitanā ecclesiam sibi concreditam, euangelij prædicatione, fidei Christianæ præceptis instruxit: sanctúmque Ignatium beati Ioannis Euangelistæ discipulū hoc loco, sicut Puteolis, religionem Christianam disseminasse, ex Simone Logotheta cognosci licet.

CAPVT XIII.

CONtinet hoc caput 13. descriptionem martyrij, sumptam partim ex ipsiusmet Martyris scriptis, partim ex antiquis Actis, partim è varijs martyrologijs.

a *FRVMENTVM CHRISTI SVM* &c.] Hanc ignitam sentētiam in epistola ad Romanos scriptam, & à S. Irenæo laudatam, (vt in Veterum de S. Ignatio testimonijs ante vitam posui) totæ ecclesiæ admiratæ sunt, & faustis sermonibus celebrarunt. Memor fuisse videtur B. Ignatius sermonis illius Domini IESV Christi, quo se granum frumenti non obscurè appellauit Ioannis 12. ver. 24. *Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quæ etiam verba ipsi Ignatio, tam in precum canonicarum, quàm in sacro Missæ officio (quod meruit idem sanctus habere proprium) diuinitus inspirata accommodauit Ecclesia. Super isto B. Martyris dicto, *Frumentum Christi sum: dentibus bestiarum molar*, eleganter lusit Iacobus Corn. à Marca, hoc carmine, in Diario Sanctorum, calendis Februarij.

Fremit cruenta bellua, Assyrius leo,
Scintillat oculis, pectore inflato tumet,
Spargitque arenam pedibus, & iubas quatit:
Stat cōtrà, & orat MARTYR, & rictū inuolat:
Quærit molares dentium, quærit molam:
Sic immolatur ille frugi-filius.

VT A DVRIORIBVS AC SOLIDIORIBVS OSSIBVS] Acta martyrij eius id expresse continent, nempe à leonibus deuoratum, præter nonnulla ossa solidiora. Vide vitam ipsius per Metaphrastē. Consentit Menæum suprà, præsertim in illis verbis: Ὑπὸ τῶν ἀφεθέντων ἐπ' αὐτὸν λεόντων διεσπάσθη, καταλιπόντων μόνον τὰ παχύτερα τῶν ὀστέων αὐτοῦ. *A dimissis in eum leonibus discerptus est: qui solùm crassiora eius ossa reliquerunt.* Idem innuit Euagrius lib. 1. hist. eccl. cap. 15. vbi de istorum ossium (quæ ἀδρότερα *robustiora* appellat) agit translatione, de qua & nos egimus suprà, cap. XV.

SCIO TAMEN NON DEESSE AVCTORES, QVI SCRIBANT &c.] Venerabilis Beda in martyrologio ad VIII. Cal. Decemb. & Ado Viēnensis in libello De festiuitatibus Sanctorum, ad cal. Februarij, & S. Antoninus 1. p. tit. 7. cap. 1 §. 11. scribunt S. Ignatium à leonibus in eum incumbentibus tantùm fuisse præfocatum, carnibus aliter intactis. Et quidem Vincentius Bellouacensis libro 10. Speculi historialis, cap. 57. & Martinus Polonus in Traiano, & Antoninus suprà, addunt inuentum esse in corde eius nomen IESVS CHRISTVS aureis litteris inscriptum. Verba Vincentij sunt: *Huius cor cùm minutatim diuisum esset, nomen Domini IESV CHRISTI litteris aureis, vt legitur, in singulis partibus inuentum est. Dixerat enim se habere Christum in corde.* Sed fusiùs Antoninus, qui dicit aperiendi cordis caussam fuisse, quòd cùm IESV nomen assiduè vsurparet, rogaretúrque à satellitibus, quamobrem id faceret, responderit se illud cordi inscriptum habere, proptereáque non posse ab eius inuocatione desistere. Hubertinus de Casali, libro 2. de arbore vitæ, cap. 2. hortatur nos, vt exemplo beati Ignatij in centro & circumferentia cordis nostri sculpamus IESVM. vbi sic de Ignatio: *Qui Ignatius*, inquit, *ipsum IESVM viuens & moriens eructabat de corde pleno, & mortuus reliquit intra se scriptum litteris aureis in corde corporeo.* Est quoque hæc opinio sacrorum Poëtarum carminibus celebrata: Ioannis quidem Baptistæ Mantuani lib. 2. Sacrorum dierum, hisce heroicis versibus:

In Latios tandem Traiano Principe campos
Ductus, & ærumnas, tanquam solatia, læto
Amplectens animo, ferrum exantlauit & ignē:
Expositúmque feris gemini extinxere leones
Non laniare ausi, quanquam ieiunia passi,
Importuna forent. Hic à lictore rogatus,
Cur toties in tormentis clamaret IESVM,
Nomen id inscriptum cordi sibi sæpe relabi
Dixit in os: id post fatum perquirere lictor
Nixus, in excisi conspexit vulnere cordis
Nomen id ex auro ductis splendere elementis.

Matthiæ autem Casimiri Sarbieuij hoc epigrammate, quod est numero CXIII.

Aurea in IGNATI fulgent cognomina corde:
Hic tua tu tecum nomina CHRISTE locas.
Sparserat effuso Martyr cor sanguine: de quo
Aurea te referens littera facta fuit.
Vnde potest fuluum mutari sanguis in aurum!
Sed tamen est sanguis Martyris: ergo potest.

Potuerunt sanè hæc fieri, & in gloriam Dei, atque in famam bonam tanti martyris procul dubio redundassent, haud inficias eo; sed facta esse, ob caussas suprà allatas, & ob altissimū totius antiquitatis in re tanta silentiū, non concedo, non assentior. Vincit enim Veritas Pietatem: Quare quod Martinus Polonus in suis supputationibus, ad tempora Traiani Imp. de B. Ignatio scribit: *Huius cor cùm minutatim diuisum esset, nomen Christi in singulis particulis, aureis litteris scriptum inuentum est*, hoc inquam, minimè omniū probabile existimandum est. Alioqui B. Ignatiū sæpissime in ore, sempérque in corde habuisse Iesum minimè dubito. Sic habuit & 2. Genesius martyr, *qui Diocletiani Imp. iussu fustibus crudelissimè cæsus, deinde in equuleo suspensus,* Martyr. Rom. 14. Augusti.

pẽsus, & vngularum diutißima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflãmatus, in fide Christi persistens dicebat: NON EST REX præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis.

d *VT NIHIL NISI IESVM SPIRARET*) Quod enim suadebat alijs, multo magis ipse præstabat. Ad Ephesios autem ita scribebat: *Absque Christo IESV ne respirare quidem vnquam velitis. Ille enim spes mea: ille gloriatio: ille inexhausitæ diuitiæ.* &c.

ANNO CHRISTI CIRCITER 110. &c.) Passum esse S. Ignatium Christi Domini anno 110. & Traiani Imp. XI. (hi enim anni apud Eusebium, Baronium & alios concurrunt) affirmant principes Chronographi, & nominatim Eusebiani Chronici exemplaria emendatissima. Vide Arnaldum Pontacum & Aubertum Miræum. Expressissimè item hunc annum notat S. Hieronymus in libro de Scriptoribus eccl. in Ignatio. *Passus est*, inquit, *anno vndecimo Traiani*. Itaque minùs considerate Petrus Opmeerus hæc de illo scripsit in opere suo chronographico: *Martyrio coronatur Calendis February, tertio anno Traiani*. Nec multo meliùs Galesinius in martyrologij Notationibus ad Cal. Februarij, super illis verbis: *Traiano ecclesiã Dei oppugnante*: vbi sic addit: *Surrano & Marcello Coss. anno scilicet Domini C. VI. IGNATIVS Antiochia Episcopus Romæ bestijs traditur, vt priscis annalibus proditum est.* Paullo propinquius accedit Chronicon Alexandrinum attribuens anno Traiani VIII. Candido & Quadrato Coss. sed metam non attingit. Itaque victor Eusebius.

POSTQVAM ECCLESIÆ ANTIOCHENÆ CLAVVM &c.) Annos 40. gubernasse solus ecclesiam Antiochenam ab excessu S. Euodij reperitur è supputatione Eusebij. Nam ab anno Neronis 14. (quo obijt S. Euodius) vsque ad annum Traiani vndecimum tot facilè anni inueniuntur. Vnde error ingens irrepsit in Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani catalogum, in serie Põtificum Antiochenorum; vbi ponitur rexisse Episcopatum annos 4. duntaxat. Græcè est, enim ἔτη δ'. Sed errorem puto, & restituendum μ'. quod est 40. Corrigendus est & Eysengreineus centenario 1. parte 1. dist. VII. vbi annos tantùm XXXVII. illi attribuit. Quot autem annos idem sanctus martyr vnà cum S. Euodio collega sedi Antiochenę præfuerit, non est diiudicatu facile. Ego minimùm quindecim sexdecimue annos præfuisse crediderim. Quippe qui sciam esse non paucos, qui credant eum à S. Petro Romam primùm petente (quod Claudij temporibus ante Neronem accidit) datum Antiochiæ Episcopum.

CAPVT XIV.

Continet hoc caput ea, quæ post mortem sanctissimi martyris ad laudem ipsius facientia acciderunt. Quorum hæc sunt præcipua: 1. apparitiones eius. 2. studia Christianorum in colligendis ipsius sacris Reliquijs, & scriptis ab eo epistolis requirẽdis. 3. persecutionis mitigatio. 4. Persecutorum ecclesiæ punitio. 5. ipsius S. Ignatij post mortem sacri honores.

Ad apparitiones quidem quod attinet, continent Acta martyrij eius apud Metaphrasten, ipsum post mortem nonnullis fratribus Romæ apparuisse, eósque consolatum esse. Sic enim habent: Λέγεται οὖν, ὅτι μετὰ τὴν μαρτυρικὴν τοῦ ἀνδρὸς τελείωσιν, πενθούντων τὴν ἐκείνου στέρησιν τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ πιστῶν, καὶ οὐδὲν ὅλως τῆς ὀδύνης παραμύθιον δεχομένων, ὕμνοις τε σχολαζόντων, ἐπιταφίοις τε καὶ παννυχίσιν, αὐτοὺς ὄναρ ἐπιφαινόμενος, καὶ οἱονεὶ περιβάλλων αὐτοὺς καὶ περιπτυσσόμενος &c. *Ferunt igitur post viri martyrium, lugentibus eius priuationem ijs, qui Romæ erant, fidelibus, nullamque omnino doloris consolationem admittentibus, & hymnis, epitaphijsq́, & peruigilijs incumbentibus ipsum in sõnis apparuisse, atque eos velut amplexu atque osculo dignatum esse.* &c. Item paullo post: Ἕτεροι δὲ πάλιν ἰδεῖν αὐτὸν ἔφησαν ἱδρῶτι καταρρεόμενον, καθάπερ ἄρτι τὸν τῆς ἀθλήσεως ἀναπεπτωκότα πόνον, καὶ σωτηρίαν τῇ τε πόλει, καὶ πᾶσι πιστοῖς ἐπευχόμενον. *Alij rursus dixerunt se vidisse illum sudore diffluentem, quasi iam à certaminis laboribus respirantem, & salutem ciuitati, cunctisque fidelibus apprecantem.* De collectione Reliquiarum aut requisitione epistolarũ nihil opus hic notare, præter id quod in vita expressum est. Sed de mitigatione persecutionis tempore martyrij S. Ignatij, & de scriptis à Plinio Secundo eadem prorsus tempestate litteris ad Traianum Imp. super statu Christianorum, difficultas è Baronij auctoritate exoritur. Is enim epistolas Plinij contendit esse scriptas anno Domini cẽtesimo quarto & Traiani quinto. Vnde consequeretur imminui cœptam esse persecutionem non eo tempore, quo subijt martyrium B. Ignatius, sed sex annis priùs: ita vt ea res vel nihilum vel certè minimum ad eundem Ignatium attineret. Quocirca eruendæ veritatis gratia non erit abs re vnam atque alteram quæstionem super hoc Plinio efformare. Sit igitur.

QVÆSTIO I.

Quonam tempore C. Plinius Secundus litteras ad Traianum pro Christianis dederit.

Prior sentẽtia antiquiorũ Scriptorũ est, dedisse anno Christi 110. & Traiani 11.

Proba-

Probatur primò, auctoritate Eusebij in Chronico, qui ad eũdem annum refert tam epistolas Plinij, quàm martyrium Ignatij. Nam è regione anni XI. Traiani Imp. hæc omnia sequentia, tanquam ad vnum eundemque annum spectantia, annotat; quæ omissis græcis ex versione S. Hieronymi in medium profero: *Ignatius quoque*, inquit, *Antiochenæ ecclesiæ Episcopus Romam perductus bestijs traditur: post quem tertius Episcopus constituitur Heron. Plinius Secundus, cùm quandam prouinciam regeret, & in magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus quæsiuit à Traiano, quid facto opus esset, nuntians ei, præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo, vt Deo; nihil apud eos reperiri. Præterea ad conferendam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quæ commotus Traianus rescribit: hoc genus quidem inquirendum non esse, oblatos verò puniri oportere. Tertullianus refert in Apologetico.* Ita ex Eusebio interpres Hieronymus: quamuis à sensu Eusebij nonnihil aberrarit. Nec enim habet Eusebius Pliniũ plurimos Christianorum in suo magistratu interfecisse; sed tantùm, *aliquos condemnasse & dignitate spoliasse*, seu (vt Tertulliani verbis vtar) *gradu pepulisse*. Sic enim græca: καταχρίνας Χριστιανούς τινας, καὶ τῆς ἀξίας ἐκβαλλών. *condemnatis quibusdam Christianis, & dignitate deiectis*, seu vt dixit Tertullianus (cuius mox ipsa verba laudabo) *gradu pulsis*. Deinde quod hic habetur, *ad conferendam disciplinam*, (quẽadmodum in omnibus ferè Chronicis antiquioribus reperitur, & à Pontaco, & à Baronio, & à Claudio Minoë, ad Plinij epistolas retinetur) in græco est πρὸς τὸ φυλάττεσθαι, *ad conseruandam*. Sed Iosephus Scaliger & Aubertus Miræus in suis Chronici Eusebiani editionibus, magis habito respectu ad Tertullianum, vnde sumpsit Eusebius, quàm ad ipsius verba Eusebij, reposuerunt *ad confœderandam disciplinam*: eâ fortè de caussâ, quòd existimauerint ita fuisse ab Hieronymo scriptum. Iam verba Tertulliani, vnde, vt à fonte, omnia deriuata sunt, ita leguntur & legi debent: *Atqui inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem; allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de eorum sacramentis comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo, vt Deo; & ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam & cetera scelera prohibere: Tũc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse: oblatos verò puniri oportere*. Cùm autẽ hodiéque extent vtriusque tam Traiani, quàm Plinij epistolæ, non pigebit eas pro leuando lectorum in ijs requirendis labore, hic apponere. Sic ergo habent.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Solemne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest meliùs vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nũquam: ideo nescio, quid & quatenus, aut puniri soleat aut quæri. Nec mediocriter hæsitaui, sitne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant? detúrne pœnitentiæ venia? an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit? nomen ipsum, etiamsi flagitijs careat, an flagitia nomini cohærentia puniantur? Interim in ijs, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogaui ipsos, an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogaui, supplicium minatus: perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam (qualecumque esset, quod faterentur) peruicaciam certe & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alij similis amentiæ, quos (quia ciues Romani erãt) annotaui in vrbem remittendos: mox ipso tractu, vt fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarẽt se esse Christianos, aut fuisse; quum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ (quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent; præterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicũtur, qui sunt re vera Christiani. Ergo dimittendos putaui. Alij ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt: & mox negauerunt: fuisse quidem, sed desijsse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos: non nemo etiam ante viginti quinque: omnes & imaginem tuam, Deorúmque simulacra venerati sunt, & Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris: quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carménque Christo, quasi Deo dicere, secum inuicem, (éque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium: quod ipsum facere desijsse post edictum meum, quo secũdum mãdata tua hetærias esse vetueram. Quo magis credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni quam superstitionem prauam & immodicam: ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerũ. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est: quæ videtur sisti & corrigi posse. Certe satis constat propè iam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa

missa reperi, passimque venire victimas: quarum adhuc rarissimus emptor inueniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.

Hactenus tota Plinij epistola: ex qua nos attestante FIDEI nostræ aduersario hæc condiscimus. Primò quanta iam tum fuerit initio secundi sæculi Christianorum in Bithynia totáque regione Ponticâ multitudo: quippe quæ non ciuitates tantùm, sed etiam vicos & agros peruasisset, atque omnis generis, ætatis, sexus homines comprehendisset: ita vt Gentilium tam sacra & victimæ, quàm templa ipsa negligerentur. Secundò qualia fuerint Christianorum exercitia, quàm pia, quam sancta, quàm ab omni peccato atque spurcitie aliena. Tertiò, quanta Plinij ipsius, qui tamen vnus è Gentilium sapientissimis habebatur, cæcitas, iniquitas, immanitas, qui Christianos cogeret mutis simulacris, adeoq; Traiani ipsius statuæ etiam tum viuentis, thure ac vino supplicare: & contrà Christo maledicere: qui & ancillas, *quæ ministræ dicebantur*, hoc est, vt ego quidē arbitror, Diaconissæ, veritatis extorquendæ gratiâ, quæstioni daret. Eius litteris ita rescripsit Traianus:

TR. PLINIO S.

Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis caussis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in vniuersum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt: ita tamen vt qui negauerit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Dijs nostris, quamuis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore verò propositi libelli nullo crimine locum habere debent. Nā & pessimi exempli, nec nostri seculi est.

Sic Traianus. De cuius rescripto iuuat audire Tertulliani exclamationem & iustam querimoniam. *O sententiam*, inquit, *necessitate confusam! Negat inquirendos, vt innocentes; & mandat puniendos, vt nocentes: parcit & sæuit; dissimulat & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & absoluis? Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur: in reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios vsque inquisitio extenditur: solum Christianum inquiri non licet, offerri licet: quasi aliud actura esset inquisitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum: qui, puto, iam non inde meruit pœnam, quia nocens est, sed quia non requirendus inuentus est.* Vide ibi plura.

Nunc ad propositā quæstionem redeamus.

Probatur 2. hæc sententia ex alijs, qui Eusebium secuti sunt, Chronographis, qui omnes vsque ad Baronium tenuerunt illas Plinij litteras sub tempus martyrij S. Ignatij esse conscriptas. Vide Marianum Scotum lib. 2. ætate 6. in Traiano, & Hermannum Contractum in eodem Traiano, & alios.

3. Fauent scriptores vitæ S. Ignatij tam Græci, quàm Latini. Vide Metaphrasten, qui licet nominatim Plinij non meminerit, tamen rerum ipsarum, quæ in eius litteris continentur, Traiano indicatarum commeminit.

Altera sententia est Cæsaris Baronij, tenentis litteras illas Plinij in Christianorum caussa ad Traianum missas, non vndecimo aut duodecimo, sed quinto potiùs aut sexto anno Traiani, in Bithynia prouincia scriptas esse. Sic enim scribit ad annū Traiani quartum: *C. Plinius Iunior & Cornutus Tertullus honorarium consulatum gesserunt, designati anno superiori atque allecti.* Et paullo pòst: *Hæc autem pro certâ ratione temporum consignanda breuiter attigisse voluimus: quod magni interesi ex consulatu Plinij pariter intelligere, quando item Proconsulem egerit in prouinciâ.* Quasi dicat: cùm Plinius fuerit Consul anno Traiani quarto; sequitur, vt eius in prouincia Bithynia proconsulatus acciderit anno quinto, eodémque litteras de Christianis ad Imperatorem miserit. Quod ipsum clariùs ad annum Domini cētesimum quartum & Traiani quintum repetit, vbi ait: *Anno sequenti, qui numeratur Domini centesimus quartus, Sura II. & Seruiano COSS. C. Plinius Secundus post functionem superioris anni consulatus, more maiorum, prouinciam suscepit administrandam: tributa est autem illi Bithynia: vt ipse suis ad Traianum de aduentu suo in prouinciam litteris datis affirmat.* &c. Deinde ipsas litteras Plinij de Christianis, hoc ipso anno Traiani quinto (quo datas censet) recitat: quas & nos, ex ipso Plinio quàm emendatissimas paullo antè protulimus.

Ratio itaque huius sententiæ est hæc: Plinius Secundus fuit Proconsul in Bithynia: ergo id accidit anno proximo post suum cōsulatum. Ita enim habet mos maiorum. Atqui Consul fuit anno Traiani quarto: ergo prouinciam Bithyniam inijt eiusdem Traiani anno quinto. Nihil autem prius habuit in prouincia, quàm curam sacrorum: igitur intellecto propter Christianos deseri Deorum templa, cōfestim ad Traianum scripsit, quidnam circa eosdem Christianos fecisset, et insuper vnà consuluit, quemadmodum aduersus illos deinceps procedere deberet. Itaque id fecit Traiani quinto, non autem, vt volunt alij, vndecimo aut duodecimo, aut circa martyrium S. Ignatij.

Secunda ratio afferri potest ex historia Eusebij & aliorum: qui distinguunt tempora litterarum Plinij & martyrij S. Ignatij. Nam Eusebius quidem de litteris agit lib. 3. hist. eccl. cap. 33. græcæ editionis, de martyrio autem cap 35. Nicephorus simi-

autem, alijs rebus interiectis, cap. 19. ita vt videantur insinuare priùs accidisse ea, quæ de Christianis à Plinio scripta sunt, quàm vlla de S. Ignatij martyrio mota esset quæstio.

Verùm consideratis vtriusque sententiæ rationibus, momentisque earum sedulò perpensis sic statuo:

Prior Sententia, quæ tenet inter Traianum Imp. & Plinium Secundum, super statu Christianorum, mutuas litteras, sub ipsum tempus martyrij S. Ignatij interuenisse, tenenda est, vt probabilior.

Nam præter rationes pro ea in medio positas, videtur etiam ex nonnullis tam Plinij ipsius quàm Traiani epistolis colligi, eum in Bithynia prouincia Proprætoris munus gessisse anno Traiani Imp. decimo. Cùm enim Plinius libro X. epist. XL. scripsisset ad Traianum in plerisque Bithyniæ ciuitatibus, & maximè Nicomediæ & Nicææ aliquos olim in opus damnatos, nunc publicorum seruorum officio ministerióque fungi, atque etiam, vt publicos seruos, annua accipere, quæsissetque in tali negotio, quid faciendum sibi esset, rescripsit Imperator his verbis, inter alia: *Qui igitur intra hos proximos decem annos damnati, nec vllo idoneo auctore liberati sunt, hos oportebit pœnæ suæ reddi: si qui vetustiores inuenientur, & senes ante decem annos damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quæ non longè à pœna sint. Solet enim eiusmodi ad balneum, ad purgationes cloacarum, item ad munitiones viarum & vicorum dari.* Quod igitur dicit, *intra hos decem annos*, hoc nobis planè videtur intelligendũ relinquere, *quibus ego imperiũ tenui* scilicet. De illis enim ad eũ maximè spectabat ita disponere, vt quę ipse seu per se, seu per Prætores suos, aut Proprætores statuisset, non temerè mutarentur; sed firmiter constarent Nam quid sub alijs factum esset Imperatoribus, præsertim sub Domitiano, altero Nerone, cuius proinde acta à Senatu rescissa sunt, curare cordi habuit scilicet. Nerua autem Domitiani successor & Traiani pater (qui altero ãno quàm imperium accepit, extinctus est) tantum abest, vt aliquos damnârit; vt potiùs damnatos restituerit.

Deinde cùm ex vtriusque & Traiani & Plinij mutuis litteris satis constet, complures annos in Bithynia resedisse Plinium (quò & familiam traduxerat, vt liquet ex epistola eius 121. libri decimi ad Traianum, & epist. 122. Traiani ad ipsum) videntur potiùs illæ de Christianis litteræ postremis annis scriptæ esse, quàm primis. Sunt enim in codice litterarum ad Traianum inter postremas positæ. Et quamuis libro 1. epistolarum ad familiares, epistolà primâ profiteatur se non seruare temporis ordinem, dum ait se collegisse epistolas, *non seruato temporis ordine, sed vt quæque in manus venerat;* tamen in libro decimo, qui nullas continet alias epistolas quàm ipsius ad Traianum & Traiani vicissim ad ipsum, necesse omnino fuit seruare ordinẽ & seruauit: vt vnicuique eas legenti & consideranti manifestum est. Seruauit autem hoc modo: collocauit primo loco eas, quibus non respondit Traianus, siue quibus non adiectæ sunt Traiani responsoriæ; sunt autem eæ numero vndeuiginti: deinde à vicesima vsque ad centesimam vicesimam secundam posuit amœbæas, hoc est, alternis, suas & Traiani; suas quidem, quibus vt plurimum de rebus agendis consilium facultatémue exposcit; Traiani autem, quibus ad petita rescribit. Deinde tam multa & tam magna opera in diuersis Bithyniæ & Ponti ciuitatibus, vt templa, vt pontes, vt aquæ ductus, vt amplissimũ lacum mari committendum, opus à Regibus inchoatum, aliáque eiusmodi, facienda suscepit, & quidem consulto priùs Traiano, & expectato responso, & postulatis ab vrbe Roma architectis & aquilegibus; vt non vno duobúsue annis confici potuerint, sed opus longè pluribus fuerit. Nam aquæ ductus quidem, pro commoditate Sinopensium, vsque à sextodecimo milliario erat inchoandus. De quo sic scribebat ad Traianum epistola 91. *Sinopenses, Domine, aquâ deficiuntur; quæ videtur & bona & copiosa ab sextodecimo milliario perduci posse. Est tamen statim à capite paullo amplius mille passibus locus suspectus & mollis: quem ego interim explorare modico impendio iussi, an recipere & sustinere opus possit.* &c. Cui respondet Traianus epistolâ 92. in hæc verba: *Vt cœpisti, Secunde carissime, explora diligenter, an locus ille, quem suspectum habes, sustinere opus aquæ ductus possit. Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem* &c. Vide etiam de aquæductu Nicomediensi, in quem olim immensa impendia malè impensa sunt, epist. 46. ad Traianum, vbi inter alia: *Nouo*, inquit, *impendio est opus, vt aquam habeant, qui tantam pecuniam malè perdiderunt. Ipse perueni ad fontem purissimum, ex quo videtur aqua debere perduci, sicut initio tentatum erat, arcuato opere.* &c. Et infrà suadet, persuadétque, vt perficiatur. *Et in primis necessarium est*, inquit, *mitti à te vel aquilegem vel architectum; ne rursus eueniat, quod accidit. Ego illud vnum affirmo, & vtilitatem operis & pulchritudinem sæculo tuo esse dignissimam.* Itaque Traianus hortatur Pliniũ epistolâ proximâ, vt opus istud perficiat.

Nunc argumentis secundæ sententiæ respondendum est. Nam & hinc magis magisque dilucescet prioris veritas.

Ad primum igitur, quod afferebat Pliniũ Secundum fuisse Proconsulem in Bithynia, idque accidere debuisse anno post consulatum proximo, & quidem ex more institutó-

que maiorum; respondeo nihil istorum triũ satis conforme esse veritati. Primò enim Plinius non fuit in Bithynia Proconsul, sed Proprætor: nec Bithynia fuit prouincia Proconsularis, sed Prætoria. Quod probatur ex clarissimis rerũ Romanorum Scriptoribus, nimirũ Alexandro ab Alexãdro, Paullo Manutio, Carolo Sigonio, quódque potissimũ est, ex antiquis inscriptionibus. Igitur Alexãder libro 2. Genialium dierũ, cap. 27. ita scribit: *Illud quoque admonitu non inutile duxerim, quasdam prouincias proconsulares fuisse, ad quas soli mittebantur Proconsules; quasdam consulares, nonnullas præsidiales, plerásque prætorias; quibus Consules, Præsides, Prætoréſque præfecti erant. Nam Carthago proconsularis erat prouincia. Numidia, Libya, & Asia citra Taurum, & Cyrene, consulares. Tripolis & vtraque Mauritania atque Ægyptus sub Præsidibus fuere. Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricus, Achaia, Creta, & Bithynia, prætoriæ.* Ac de Bithynia quidem confirmat, in suis ad eum locum annotationibus, Andreas Tiraquellus, proferens Appianum lib. 4. bellorum ciuilium, *dum loquitur*, inquit, *de Apuleio prætore in Bithynia sub Bruto. Idq́; etiam videre licet ex Catulli epigr. 10. de Varro.* Sic ille. Versus porrò Catulli sunt hi:

Huc vt venimus, incidère nobis
Sermones varij: in quibus quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Et quantum mihi profuisset; è re
Respondi id quod erat: mihi nec ipsi,
Nec Prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret.

Vbi *Prætoribus*, idem est, quod Prętoris asseclis, & qui instar quorundam Prætorum se gererent, ita vt prouinciales appellarent eos vulgò Prætores.

Iam Paullus Manutius in libro *De legibus Romanis*, ante medium, agens de quodam senatusconsulto, quod Coelius ad Ciceronem miserat, *In quo S.C.* inquit, *hæc sunt; senatui placere in Ciliciam prouinciam, inq́; VIII. reliquas prætorias mitti. Regebantur IIX. prouinciæ, quæ in eo S. C. prætoriæ vocantur, à magistratibus IIX. prætorijs, Sicilia, Sardinia, Ionia, Asia, Macedonia, Bithynia, Creta, Mauritania. Et cum Sardinia Corsicam simul fuisse, cum Bithynia Pontum paullo ante dictum est.* Sic ille.

Sigonius autem lib. 1. *De antiquo iure prouinciarum*, cap 13. disertè & nominatim Plinium appellat Prętorem, non Proconsulem. *Pompeius* inquit, *ex senatus sententia Pontum vtrumque à Sangario vsque ad Halym vnà cum Bithynia in prouinciæ formam redegit: vt Liuius & Appianus auctores sunt; legémque Ponticis ac Bithynis ex decem Legatorum sententia dedit. Cuius meminit in epistolis ad Traianum Bithyniæ Prætor Plinius.* Ita Sigonius.

Accedit vetus illa inscriptio à multis laudata Scriptoribus:

C. PLINIVS. C. F. C. N.
CÆCILIVS. SECVNDVS.
COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRÆT.
PROVINC. PONTI. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM.
AB. IMP. CÆS. NERVA. TRAIANO.
AVG. GERMANICO. MISSVS.
CVRAT. ALVEI. TIBERIS. ET RIPAR.
PRÆF. ÆRARI. SATVRNI. PRÆF.
ÆRARI. MILIT. LEG. LEG. VI. GALL.
X. VIR. STLIT. IVDICANDIS.

Extat hæc inscriptio in pluribus Plinij epistolarum editionibus, tam nouis quàm antiquis: & nominatim in recentissima anni M. D. XCI. cum Notis Casauboni, (vbi vide etiam argumentum epistolæ 28. libri decimi præfixum) & in antiqua cum commentarijs Ioannis Mariæ Catanæi. Sed & in Iani Gruteri inscriptionibus pag. CCCC. LIV. num. 3. ex Appiano & Panuinio. Denique ipse Plinius satis indicat se non fuisse Proconsulem, cùm ita scribit libro X. epist. LXXVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Postulantibus quibusdam, vt de agnoscendis liberis, restituendisque natalibus, & secundùm epistolam Domitiani scriptam Minutio Rufo, & secundùm exẽpla Proconsulum ipse cognoscerem; respexi ad senatusconsultum pertinens ad eadem genera caussarum; quod de his tantùm prouincijs loquitur, quibus Proconsules præsunt: ideóque rem integram distuli, dum tu Domine præceperis, quid obseruare me velis.

Ibi sanè Plinius indicat se non fuisse Proconsulem, nec Bithyniam fuisse ex ijs prouincijs, quibus Proconsules præessent. Quid enim alioqui caussæ extitisset, cur rem differret? Fateor tamen voluntate Imperatorũ bonas leges arbitrio suo submittentium missos aliquãdo esse Proconsules in prouincias prætorias, vti & ex Plinij aliquot litteris videtur colligi, & ex Cornelio Tacito, qui Petronium Arbitrum à Nerone in Bithyniam Proconsulem missum scribit, etiam ante cõsulatum. Sic enim de illo, Annalium XVI. *Illi dies per somnum, nox officijs & oblectamentis vitæ transigebatur: vtque alios industria, ita hunc ignauia ad famam protulerat: habebatúrque non ganeo & profligator, vt plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factáque eius quanto solutiora, & quandam sui negligentiam praferentia, tanto gratiùs in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox consul, vigentem se ac parem negotijs ostendit: dein reuolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumptus est elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum & molle affluentiá putat, nisi quod ei Petronius approbauisset.* Ita Cor. Tacitus:

Secũdum, quod supponebatur, erat Proconsules

consules semper ire in prouincias proximo post consulatum anno. Nec enim aliter inferri posset Plinium tunc iuisse. Ad hoc ergo dicitur, plurimis exemplis probari contrarium. Quidam enim in prouincias mittebantur, antequam fuissent Consules; vt iam in Petronio patuit: quidam diu postquam defuncti essent consulatu: & in vnam eandémque prouinciam modò pro consulibus, modo pro prætoribus mittebantur. De quo vide Paullum Manutium suprà citatum, & alios rerum Romanarum Scriptores; aut pro omnibus Ioannem Rosinum lib. 7. Antiquitatum Romanarum cap. 42. *Quod si qui proximo anno*, inquit, *à consulatu in vrbe gesto (quemadmodum sæpe fiebat) in quinto, vel sexto, vel alio post consulatum anno in prouincias proficiscerentur: si etiam Prætores non proximo à gesta in vrbe prætura, sed aliquanto post in prouincias proficiscerentur; tum priuati in prouincias ire dicebantur, ab ordinarijs verò Proconsulibus vel Proprætoribus nihil discrepabant*. Et lib. 10. cap. 24. ad finem: *Sub Imperatoribus prouinciæ ita ordinabantur, vt aliæ essent populi, quas Proconsules à populo, vel potiùs à senatu missi; aliæ Imperatorum, quas Proprætores ab Imperatoribus designati administrabant*, Hactenus è Rosino.

Tertium denique, quod de more maiorum afferebatur, quasi scilicet Plinius iuxta morem antiquum, (quo Consules sortiebantur prouincias, aut inter se comparabant) in prouinciam Bithyniam abijsset, prorsus vanum est: nec hîc locum vlla habuit seu sortitio, seu comparatio; sed sola Imperatoris Traiani voluntas & electio: teste ipsiusmet epistolâ. Sic enim ipse Plinio epistola 118. libri 10. inter alia: *Sed ego ideo prudentiam tuam elegi, vt formandis istius prouinciæ moribus moderareris, & ea constitueres, quæ ad perpetuam eius prouinciæ quietem essent profutura*. Sic ille.

Quocirca obseruandum est sub Imperatoribus, qui ad se cuncta traxerunt, omnem maiorum morem circa prouinciarum dispositionem antiquatum fuisse, legésque omnes antiquitus latas exoleuisse. Nam fuerat lex Cornelia olim à L. Cornelio Sylla Dictatore lata, ne quis plus anno prouinciæ præesset. Verùm Iulius Cæsar, ea non obstante, Galliarum administrationem in decennium obtinuit: quæ origo fuit amittendæ Romanæ libertatis. Nero autem Imp. nullo respectu omnia confudit: socijs inertiæ aut nequitiæ suæ tā prouincias, quā honores alios detulit: viros bonos & moderatos è medio sustulit. Alij deinde Imperatores, quibus item voluerunt, prouincias dederunt; & in quot annos collibitum fuit, ibi eos detinuerunt. De Traiano quidem probant Plinij epistolæ: primò quidem vicesima octaua, in qua scribit se eius natalem in prouincia celebrasse: deinde octogesima nona, vbi & alium natalem celebrat, vouétque felicissimum: *Opto, Domine*, inquit, *& hunc natalem, & plurimos alios quàm felicissimos agas, æternáque laude florentem virtutis tuæ gloriam, & incolumis & fortis, alijs super alia operibus augeas*. Item centesima prima, vbi sic nuntiat: *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætique persoluimus, nouáque rursus curante commilitonum & prouincialium pietate suscepimus*. &c. Itaque plures annos in ea prouincia commissum sibi à Traiano munus gessit. Igitur ordinarium non fuit quotannis in prouincias nouos mittere, seu Proconsules, seu Proprætores, seu Præfectos, seu Præsides. De Antonino autem Pio Imp. ita Iulius Capitolinus: *Factus Imperator nulli eorum, quos Hadrianus prouexerat, successorem dedit: fuitque ea constantia, vt septenis & nouenis annis in prouincijs bonos præsides detineret*. Quid mirum si & Traianus idem fecit?

Ex his igitur omnibus, ac multis item alijs, quæ addere liceret, si liberet; clarum est iuxtà & certum non potuisse colligi è consulatu Plinij, quo ipse anno in prouinciam Bithyniam missus fuerit, nedum quando ex illa litteras de Christianis ad Traianum miserit; sed potiùs (id quod facere conati sumus) ex ipsis vtriusque tam Plinij, quàm Traiani compluribus epistolis & rescriptis inter se collatis id colligendum fuit.

Dato igitur & admisso (quod nobis concedit Baronius) Plinium anno Traiani quinto abcessisse in Prouinciam Bithyniam, planum iam est eum perdiu fuisse in itinere. Licet enim Ephesū vsque minoris Asiæ vrbem clarissimam prospera nauigatione vsus fuerit, inde tamen vehiculis iter faciens, grauissimis æstibus & febriculis vexatus, Pergami coactus est subsistere, indéque postea conscensis orarijs nauiculis cùm abscessisset, contrarijs quoque ventis retentus tardè cursum confecit: vt ipsemet testatur libro 10. epist. 28. Faciamus ergo attigisse prouinciam anno Traiani sexto circiter, iam minimè mihi dubiū est attendenti totius Bithyniæ & Pōti amplitudinem, vrbésq; plurimas & maximas & maritimas & vectigales (inter quas erat & Byzantium, postea Constantinopolis appellatum) simúlque perpendenti quantum temporis opus sit, ad singularum rerum publicarum rationes excutiendas, & mores emendādos (quod Traianus volebat) minimè, inquam mihi dubiū est, quin ad has res, & ad ista quoque opera, quæ suprà memorauimus, perficiēda, sex septémue annos minimū in prouincia retentus sit. Ac ne dicatur statim atque ingressus in eam fuit, perquirendis Christianis adiecisse animum, atque mox de illis ad Imperatorem scripsisse, satis liquet contrarium. Præterquam enim, quòd

minimè prudentis viri factum fuisset, primo aduentu suo, (quo prouincialium amor & beneuolentia humanitate & clèmentiâ demerenda est) speciem edere voluisse seueritatis aut immanitatis; etiam ipsa Plinij verba apertè repugnant sic scribentis citatâ nūc epistola: *Quintodecimo calend. octob. Domine prouinciam intraui: quam in eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inueni. Dispice Domine, an necessarium putes mittere huc mensorem. Videntur enim non mediocres pecuniæ posse reuocari à curatoribus operum, si mensuræ fideliter agantur. Ita certè prospicio ex ratione Prusensium, quam cum Maximo tracto.* Ecce igitur quas res primò tractauerit Plinius. Sed & Traiani rescriptum planissimè nostris aduersarijs aduersatur, quod est tale.

TRAIANVS PLINIO S.

Cuperem sine querela corpusculi tui & tuorum peruenire in Bithyniam potuisses: ac simile tibi iter ab Epheso, & nauigationi fuisset, quam expertus vsque illo eras. Quo autem die peruenisses in Bithyniam, cognoui, Secunde carissime, litteris tuis. Prouinciales, credo, prospectum sibi à me intelligent. Nam & tu dabis operam, vt manifestum sit illis electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum excutiendæ sunt. Nam & esse eas vexatas satis constat. Mensores vix etiam ijs operibus, quæ aut Romæ, aut in proximo fiunt, sufficienter habeo: sed in omni prouincia inueniuntur, quibus credi possit; & ideo non deerunt tibi, modo velis diligenter excutere.

Hactenus tota Traiani epistola. Ex qua collige, quas primas esse voluerit Plinij curas, nēpe excutiendi rationes rerū publicarum, pecuniarias scilicet, non autem persequendi Christianos. Atque hæc dicta sint & pro Eusebio & pro Metaphraste & pro me: quo S. Ignatij vita nobis sarta tecta remaneat. Ad alteram veniamus super eodem Plinio Secundo iuniore quæstionem.

QVÆSTIO II.

An Plinius Secundus iunior tandem ad Christi Fidem conuersus sit, ac piè mortuus, & Sanctis adscriptus?

ANsam huic quæstioni attulit FLAVIVS LVCIVS DEXTER, vir antiquus, & qui temporibus S. Hieronymi Presbyteri floruit, & Præfectus Prætorio Orientalis imperij fuit. Is enim Plinium à Tito Paulli discipulo conuersum scripsit in suo Chronico. Franciscus autem Biuarius eiusdem Chronici commentator doctissimus Flauij DEXTRI auctoritatem tuendam ac diuulgandam suscepit. Alij diuersa sentiunt. Quid tenendum?

PRIMA OPINIO.

Tenet prima opinio PLINIVM SECVNDVM Iuniorem, dum è prouincia Bithynia reuerteretur Romam, descendisse in Cretam insulam, ibique in Titum eius insulæ Episcopum incidisse, atque ab eo ad Christi fidem esse conuersum. Quin & martyrij gloria condecoratum fuisse nonnulli sunt arbitrati.

Probatur autem hæc opinio auctoritate Flauij Dextri, qui in Chronico omnimodæ historiæ, ad annum Christi 220. Romæ autē 971. ita scribit agens de TITO Paulli discipulo: *Is TITVS conuerterat ad Fidem Plinium Iuniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula: vbi iussu Traiani Ioui templum erexerat. Nec desunt, qui putent septimā Sextilis ad Nouocomum esse passum.*

Confirmatur ex actis ipsius Titi à Zenâ Legisperito & Paulli Apostoli discipulo cōscriptis. Meminit autem huius Zenæ Paullus ipse in epistola ad Titum cap. 3. ver. 13. his verbis: *Zenam legisperitum & Apollo sollicitè præmitte, vt nihil illis desit.* In istis igitur Zenę Actis (illi enim attribuit Franciscus Biuarius ea, quæ apud Equilinum Episcopum libro 7. Catalogi Sanctorum, cap. 108. leguntur: & certè videtur idem Equilinus ipsa Acta memorare) in istis inquam Actis ita scriptū est inter alia: *Post hæc Titus ad Cretam deuenit: vbi gratiosè de Fide Christi disputans, tandem cùm increduli persisterent, orauit ad Dominum, statímque idolum Dianæ, quod colebant, cecidit, & in puluerem redactum est: & mox crediderunt animæ quingentæ in Christo, & baptizati sunt. Consecrauit autē Titus Presbyteros & Diaconos: ipse verò metropoli præsidebat. Cùm die quadam transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul iussu Imperatoris in Iouis nomine construebat, maledixit illud, & statim opus funditus dissipatum est. Tunc Secundus venit ad Titum cum lachrymis, rogans se indemnem ab opere conseruari. Cui Titus imposuit, vt opus in nomine vnius Dei Christianorum inciperet, & sic opus perficere posset. Quod & factum est. Completo verò opere Secundus cum filio suo baptizatus est. Dum igitur Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos, & resplenduit facies eius sicut sol: qui spiritum suū & plebem sibi commissum Domino commendans in pace quieuit ætatis suæ anno XCIIII. octauo cal. Semptembris: sepultúsque est in metropoli Cretæ: vbi & quiescit miraculis coruscans.* Hæc ibi. Quæ omnia idcirco posui, quòd ex omnibus aliquid elici ad veritatis indagationē possit, vt mox videbitur.

Suffragatur etiam huic opinioni idem Franciscus Biuarius, qui & Acta approbat,

&

& cum allatis à Dextro concordare ostendit.

4. Deinde nonnulli, vt auctor est idem Biuarius, existimant Plinium hunc nostrum esse illum SECVNDVM martyrem, cuius meminerunt martyrologia ad diem VII. Augusti, & qui Nouocomi cum multis alijs passus est. De quibus sic Romanum: *Nouocomi, passio SS. martyrum Carpophori, Exanthi, Cassij, Seuerini, Secundi, & Licinij, qui in confessione Christi capite truncati sunt.*

5. Quintò afferri potest eundē Plinium aliqua motum erga Christianos pietate litteras illas ad Traianum misisse, quas suprà laudauimus, sicque sensim ad Fidem̄ recipiendam se disposuisse: præsertim cùm & multis esset præditus (vt scripta eius omnia præferunt) morum honestorum egregijs virtutibus.

6. Accedit, quòd fuerit consanguineus S. Antoniæ Maximillæ martyris, cuius libertis petit à Traiano Imp. dari ius Quiritium, epistolâ 4. libri decimi his verbis: *Item rogo des ius Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ ornatissimæ feminæ, Heliæ & Antoniæ Harmeridi. Quod à te, petente patrona, peto.* Et de eodem iure Quiritium ipsis concesso gratias agit epist. 22. ad eundem Traianum istis verbis: *Ago gratias, Domine, quòd & ius Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & ciuitatem Romanam Harpocrati iatraliptæ meo sine mora indulsisti.* De consanguinitate testis est Flauius Dexter ad annum Christi 100. in quo sic notauit: *Antonia Maximilla* (sic enim legendum esse conuincit Plinius & martyrologia, non autem *Antima*, vt vult Franciscus Biuarius) *coniux Ægeæ Patrarū in Achaia Proconsulis, à B. Andrea conuersa in antrum se abdidit, mortem post mariti. Fuit hæc Nouocomensis, Plinij Iunioris consanguinea. Pòst nupsit C. Fonteio Capitoni, inque Nicomediam delata, pro Christi Fide, quarto May patitur.* Vide Biuarij commentarium in hunc locum. Est igitur probabile, dictam Antoniā Fidei nostræ sacris initiatam duas seruas suas, Heliam & Antoniam Harmeridem donasse libertate, eas autem iam libertas etiam iure Quiritium donari petijsse, atque ad id ab Imperatore obtinendum, Plinij Iunioris consanguinei sui iam Christiani, aut certè Christianorum studiosi operâ vsam esse, ac facile impetrasse.

6. Postremò, si viri graues non pauci de ipso Traiano Imp. tenuerunt, peccatorum suorum gratiam & à pœnis liberationem à Deo, per S. Gregorij magni deprecationem, obtinuisse: quanto magis de Plinio bene sperandum est, qui mitigandæ aduersus Christianos persecutionis illi auctor fuit? & de cuius expressa ad Christum conuersione Acta vetera contestantur? Ac de Traiani quidem salute disertè omnem historiam descripsit S. Ioannes Damascenus vir non minùs doctrina quàm Fide & pietate egregius. Extat autem in eius oratione, De his qui in Fide obierunt: vbi & hanc adijcit publicæ confirmationis clausulam: Καὶ ὅτι τοῦτο γνήσιον πέλει καὶ ἀδιάβλητον, μάρτυς ἑῴα πᾶσα καὶ ἑσπέριος. *Quódque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur.* De oriente quidam éxtat auctoritas in Græcorum Euchologio, cap. 96. vbi Sacerdos sic orat; Ὡς ἐπήκουσας τῇ θελήσει σου Θέκλῃ τῇ πρωτομάρτυρι, τῇ ἐπὶ μητρὶ αὐτῆς εἰδωλολατρίδι, καὶ οὐ παρεῖδες τὴν δέησιν αὐτῆς· ἀλλ' ὡς ὑπεράγαθος καὶ εὐδιάλλακτος ἔδωκας αὐτῇ τὴν συγγνώμην· Καὶ ὡς ἔλυσας τῆς μάστιγος Τραϊανὸν δι' ἐκτενοῦς ἐντεύξεως τοῦ δούλου σου Γρηγορίου τοῦ Διαλόγου, ὑπάκουσον καὶ ἡμῶν δεομένων σου, οὐκ ἐπὶ εἰδωλολατρίδι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ πρὸς σοῦ δούλῳ παροργίσαντί σε δι' ἀσθένειαν. *Vt voluntate tua exaudisti Theclam, primam martyrem pro matre suâ idolorum cultrice orantem; nec preces eius despexisti; sed vt summè bonus ac reconciliari facilis ei veniam concessisti: ac quemadmodum Traianum per intentam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem pœnâ liberasti: exaudi etiam nos te deprecantes non pro idolorum cultrice, sed pro fideli seruo tuo, qui te propter imbecillitatem, ad iracundiam prouocauit.* Sic ibi. In Occidente quoque receptam fuisse eandem historiam colligitur ex magnis Theologis, qui nihil de eius veritate dubitauerunt, & modos eius tuendæ ac defendendæ pertractarunt. In his est S. Thomas, velut prælustris quædam sacræ Theologiæ pharus, qui in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. quærens: *Vtrum suffragia prosint existentibus in inferno?* affert pro quinto argumento partis affirmatiuæ, S. Ioannis Damasceni de Traiano à pœnis inferni liberato auctoritatem. Cui postea sic respondet, vt veram admittat ac supponat esse historiam. Ita enim scribit: *Ad quintum dicendum est, quòd de facto Traiani hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna. Sicut etiam apparet in illis omnibus, qui fuerunt miraculosè à mortuis resuscitati: quorum plures constat idololatras & damnatos esse. De omnibus enim similiter dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati, sed secundùm præsentem iustitiam propriorum meritorum: secundùm autem superiores caussas, quibus præuidebantur ad vitam reuocandi, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum secundùm quosdam, quòd anima Traiani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta: sed eius pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet vsque ad diem iu-*

instar clarorum virorum, caussam afferre, & eloquentia sua reparare, quod ignorantia destruxerat. At huius rei nullum vsquam in cunctis eius scriptis vestigium apparet.

4. Obijt Plinius secundo Christi sæculo: de ipso scripsit initio tertij sæculi Tertullianus, & litterarum quidem eius de Christianis ad Traianum Imp. & huius item ad ipsũ mentionem fecit: at de cõuersione ad Christum (vbi tamen locus & res maximè exigebant) ne verbum. Valde enim caussæ Tertulliani profuisset, non modò mitigatũ fuisse Christianis Imperatorem in medio ponere, sed Plinium quoque ipsorum inquisitorem & occisorem, e numero ipsorum factum esse.

Nec sunt hæc, (vt nescio qui Dialecticuli ad similes rationes præcipiti impetu iactitant) argumenta ab auctoritate negatã, sed in re maximè fundata, & ita cum re coniuncta, vt propè necessariò cohæreant. Tacere enim, cùm maximè loquendum est, turpiter præuaricari est. Et Tertullianus, dum aduersus Gentes agit, & Plinij ac Traiani scripta recitans ac sugillans neutrius ad Christum conuersionem loquitur, certè sic tacendo altissimè clamat, neutrum ipsorum ad Christum esse conuersum. Quod sanè de Plinio magis sciri tunc potuit, quàm pluribus post sæculis, nescio vnde, intelligi.

Nunc argumentis aduersæ partis respondendum est.

Ad 1. igitur ductum ab auctoritate Flauij Dextri quod attinet, dico illud argumentũ ex multis capitibus valde debile deprehẽdi, nec satis liquere, ea quæ ibi apud Dextrum reperiuntur, esse ipsius Dextri. Nam scripta sunt ad annũ Christi 220. hoc modo: *Titus cognomẽto Iustus, Episcopus factus, sequutus primò S. Paullũ, mox Eugeniũ prædicat in Carpetania: vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus conuerterat ad Fidẽ Plinium Iuniorem.* &c. vt antè in argumẽto. Atqui Titus minimũ annis centũ, ante hunc annum obierat: & quæ de illo dicuntur post annum Christi ducentesimum, dicenda erant circa ducentesimum vigesimum. Itaque contra legem chronici annis centum tardiùs posita sunt, & planè extra locũ suũ, ac propterea fortassis ab alio intrusa. Hoc primum refutationis caput. Alterũ est, quòd dicatur Titus Episcopus, ille Paulli antiquus discipulus, & tantæ vir auctoritatis, sequutus Eugeniũ: qui tamẽ Eugenius in morte Paulli tantùm Sacerdos erat. Igitur, quod simile monstri est, Episcopus sequebatur Sacerdotem. Tertiũ, quòd dicatur prædicare in Carpetania: : nempe anno post mortẽ suam saltẽ centesimo. Sed dicet aliquis scopũ Auctoris hoc loco tantùm fuisse, dicere *Titi memoriã & magnitudinẽ miraculorũ sub hoc tempus celebrari in Carpetania*, reliqua verò ex huius occasione addita esse. Esto ita. Nunquid & hoc valde absurdum est, & contra naturã ordinémque rerũ, facere vt principale sequatur suũ minus principale, vti vulgo loquuntur? Principale enim est in Chronographo, quo quis tempore vixerit, florueritue, suis annis assignare. Et certè Plinij ad Christi Fidẽ cõuersio tanti erat, vt suo anno, saltẽ suo sæculo assignanda esset, non in alterum sæculũ tanquam rei minoris appendix imperitè differri. Iam quod dicitur: *Is Titus cõuerterat ad Fidẽ Plinium iuniorem ex Bithynia Põtóque redeuntẽ in Creta insula, vbi iussu Traiani Ioui templum erexerat;* quid probabilitatis habet Plinium, qui post multos annos administrationis prouinciæ Bithyniæ, missionẽ à Traiano petierat, obtinuerat, gratias egerat, totúsq; Romam anhelabat, eum, inquã, in reditu ac per Cretã transitu ibi detentum, vt in aliena prouincia templũ Ioui construeret? Habebat enim & Creta suũ Prætorem: ad cuius spectabat munus templorum in prouincia ædificatio. Deinde additur: *Nec desunt, qui putẽt septimã Sextilis ad Nouocomũ esse passum.* Nẽpe, quòd illa die in martyrologijs legatur inter alios *Secundus*, & Plinius noster tam *Secundus* nomine, quàm patriã Nouocomensis fuerit, vbi & illi dicuntur passi: quemadmodũ in quinto argumento suprà productum fuit. Verum & ista perquam infirma est argumentandi ratio: *Vnus ex ijs, qui Nouocomi passi sunt, appellatus est Secũdus, ergo verisimile est eum esse Pliniũ Iuniorẽ, qui Nouocomẽsis fuit & Secũdus appellatus.* Immo longè verisimilius est non esse Plinium iuniorẽ: quandoquidẽ & ipsi Nouocomenses hactenus alium esse crediderint, & in illa inscriptione, quam pro valuis templi beatissimæ Virginis, anno Salutis 1498. in æs inciderunt, nullam fidei Christianæ, (in quã fuisset laudum omnium principatus) mẽtionem fecerint. Sic enim eam inscriptionem è Volaterrano producit Franciscus Biuius ad annum Christi 220.

C. PLINIO CÆCILIO SECVNDO
Qui Consulatu, Auguratu, militia gestis,
Ac orãdis caussis, poematibus & historijs cõficiẽdis,
Cæsare Traiano Augusto luculẽtissimè laudãdo,
Adficiendáque immensa liberalitate patriã suã,
Eidem immortale contulit ornamentum,
Ordo Comensis concini suo desiderabili, honore accepto, monumentum posuit,
M. CCCC. LXXXX. VIII. Kal. Maij.
Functus eram, sed tum veteri præclarus honore,
Viuebam, perij: nunc quoque vita mihi est.

Quis nunc dubitet, quin Comenses (vtpote Christiani) si vllo modo credidissent, vel traditione quapiã à maioribus accepissẽt, Plinium conciuem suum fuisse Christianum atque martyrẽ (ecquorũ autẽ id scire magis intererat?) quis, inquã, dubitet, quin hãc laudẽ inter primas posituri fuissẽt? Atqui, vt hic videre est, minimè id fecerunt. Ex quo, quidnam sentiendum sit, clarum manife-

stúmque relinquitur.

2. arg. refutatio. Ad 2. argumentum, quod ex S. Titi Actis profertur, respondeo, illa, vt nunc quidem apud Episcopum Equilinum extant, mihi non videri vsquequaque sincera, nec posse quicquam contra nos facere. 1. Quia videtur ibi de aliquo Secũdo Cretæ Proconsule loqui. Atqui Plinius ibi Proconsul non fuit: & multi fuerunt Secundi appellati: quòd autem hic Secundus vocatus sit Plinius, nusquam ibi scribitur. 2. dicitur Secundus ille destructum solo S. Titi maledicto, Iouis templum defleuisse, & aliud in nomine vnius Dei Christianorum, eiusdem Titi hortatu incepisse & absoluisse, ac demum vnà cum filio baptizatus esse. Atqui Plinius Secundus nullos habuit liberos, quamuis vxores duas habuerit. Hinc & *ius trium liberorum, à Traiano per Iulium Seruianum optimum & exactissimum virum impetrauit*: vt in eiusdem Plinij vita notauit Ioannes Maria Catanæus. Solebant enim carentes liberis, ius liberorum ab Imperatoribus petere: quo scilicet fruerentur commodis eorum, qui susceperant liberos, & hereditates testamento relictas adire possent. Nec enim ex cuiusquam testamento Cælibes & Orbi capere poterant, vt patet ex L. I. C. De infirman. pœn. cæl. Vide Barnabam Brissonium lib. X. De verborum significatione. Tale ius liberorum petierunt ab Impp. multi viri libris scriptis clari (nescio enim quo pacto plurimi illorum, vt ingenio valuerunt ad edendos libros, sic viribus corporis caruerunt ad producendos liberos) M. Valerius Martialis, Plinius noster, Suetonius Tranquillus, & alij. Primi quidem extat elegantissimum epigramma, quo ius trium liberorum à Cæsare Domitiano expetijt, éstque huiusmodi:

Lib. 2 epig. XCI.

AD CÆSAREM DOMITIANVM.

Rerum certa salus, terrarum gloria Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse Deos;
Si festinatis toties tibi lecta libellis,
Detinuere oculos carmina nostra tuos;
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Vbi sic notat Commentator: *Iis qui ex matrimonio legitimo tres liberos aut plures suscepissent, multa erant in spectaculis, honoribus petendis, diuisionibus publicis priuilegia.* Adde, & *in priuatis hereditatibus.*

Lib. X. epist. XCV. Plinius porrò noster, cùm à Traiano Imp. idem ius trium liberorum Suetonio Trãquillo peteret, post eius laudes (quibus eum probissimum, honestissimum, eruditissimum virum appellat) has itidem petitionis caussas adiungit: *Huic,* inquit, *ius trium liberorum necessarium faciunt duæ caussæ. Nam & iudicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus est: impetrandumque à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegauit.* Easdẽ porrò etiam in seipso caussas valuisse insinuauit in illo actionis gratiarum epistolio: quod in rem præsentem facit.

C. PLIN. TR. IMP. S.

Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attuleris: quòd me dignum putasti iure trium liberorum. Quamuis enim Iuly Seruiani, optimi viri atque amantissimi precibus indulseris; tamen etiam ex rescripto intelligo, libentius hoc ei te præstitisse, quia pro me rogabat. Videor ergo summam voti mei consecutus, cùm inter initia felicissimi principatus tui probaueris me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere: eóque magis liberos concupisco, quos habere etiam illo tristissimo sæculo volui, sicut potes duobus matrimonyis meis credere. Sed Dy meliùs, qui omnia integra bonitati tuæ reseruarunt. Malui hoc potiùs tempore me patrem fieri, quo futurus essem & securus & felix.

Tentauit ergo Plinius, vt hinc liquet, suscipere è duobus matrimonijs liberos, & quidem Domitiani Imp. temporibus, quæ vocat tristissimum sæculum, impietatis eius scilicet atque immanitatis gratiâ: sed sublata illorum spe & iam senior expetijt habere priuilegio, quod naturâ non potuit: maluítque potiùs Traiani tempore pater fieri, hoc est, ius paternum indulgentiâ Principis obtinere, quàm sæculo tristissimo Domitiani, à quo idem ius petere potuisset. Itaque nõ video, qui stare possit eius cum filio simul in Ecclesia Dei, salutaris ablutio.

Ad 3. Francisci quidem Biuarij studium atque industriam in concordandis duorum Auctorum scriptis approbo: sed si tam infirma sint singula, vt per se corruãt, parum certè coniuncta & concordantia proficient. Quàm autem infirma, conatus sum ostendere. Fateor quidem Plinium construxisse templum, at non in Creta; sed Tiferni, oppido Vmbriæ, vt patet ex epist. 1 libri 4. In quo tamen templo statuas Imperatorum, intérque alias, ipsius quoque superstitis Traiani ipso concedente collocauit, vt videri potest lib. 10. epist. 24. & 25. Tum igitur minimè Christianus.

Ad 4. respondeo in martyrologijs quidem Secundum inter Nouocomi passos recenseri, sed non indicari esse hunc Secundum, de quo agimus. Multi enim sunt & alij Secundi martyres in martyrologijs, & in Romano quidem vsque ad duodecim, numero varijs locis passi reperiuntur. Neque iuuat, quòd vnus Nouocomi passus sit, vt suprà ostendi: cui addo, licet oriundus Como seu Nouocomo fuisset, tamen non illic, sed Romæ in Exquilijs habitasse, & ciuem Romanum extitisse, ibique honores gessisse, atque etiam vt probabilissimum est, obijsse. Vide eius epistolam vltimam libri tertij, quæ incipit *Audio Valerium Martialem decessisse & molestè*

lestè fero. Erat homo, ingeniosus, acutus &c.

Ad 5. non eo inficias, quin egregijs inter Gentiles virtutibus excelluerit, quæ iuuare illum aliquatenus ad lumen recipiendum potuissent, sed arguo deesse idonea argumenta, quòd iuuerint.

Ad 6. admitto Flauij Dextri auctoritatē de Plinij cum S. Antonia Maximilla consanguinitate, (nam vnde refutem nec res, nec otium suppetit) sed consanguinitas, vt ad promouendum rem faciendam iuuat, sic ad probandum rem factam robore deficit. Multi enim infidelium à cōsanguineis Christianis ad fidem amplexandam incitati sunt (vti & nunc multi hæreticorum à Catholicis) sed pauci sanis consilijs aures dederunt, pauciores assensum præbuerunt. Quare ex S. Maximillæ consanguinitate haud multū pro Plinio Secundo, quem valde Deorum superstitioni addictum constat, confici potest.

Ad 7. & postremum, quod è suppositâ Traiani Imp. salute deductum est, respondeo id, quod ad probationem assumitur, multo incredibilius esse eo, quod probandū est. Nam Traianum Christianæ gentis acerbum infestatorem, Deorum non Deorum, pietatis titulo, acerrimū vindicem; & vnius ac solius veri Dei ignarum simul & contemptorē, in peccatis suis & gentilitijs erroribus demortuū, eum, inquam, Traianū quingētos ferè post annos à pœnis ad quietem, à morte ad vitam, ab erebo ad cælum, (si id fas est vel cogitare) translatum esse, non mihi simile somnio videtur, non prodigio par ac portento, (quæ quamuis rarò sint, aliquando tamen sunt) sed pro merissima fabula, & figmento quod nunquam fuit, nunquam erit, certissimò tenendum videtur. Est enim procul dubio ea de Traiano saluato sententia rebus Fidei admodum periculosa & perniciosa. Nam si Deum pro illo precari licuit, si preces tanto pòst iuuerunt; quidni & pro quolibet alio in peccatis suis mortuo precari liceat? Dici enim de Nerone, de Domitiano, de alijs persecutoribus potest, (ac si de illis, de quo non?) idem ferè quod de Traiano; nempe si huic profuere vnius sancti viri preces ac gemitus, atque exigui quidem temporis: quanto magis prodesse possent plurium simul sanctorum virorum coniunctæ & continuatæ orationes? quanto magis totius ecclesiæ vota, ieiunia, vigiliæ, aliàque bona opera in vnum hunc scopum directa? Et hæc si admittantur, quis non videt, quantum de salutari illo inferorum metu ponderis detrahatur? & quàm prona pandatur via in fallacem de Dei misericordia præsumptionem? At enim viri magni & sancti eam sententiam tenuerunt & tenent. Quin & hac nostra ætate Alphonsus Ciaconus expressam pro eius propugnatione Apologiam Romæ edidit. Verùm quo fructu ipse viderit. Nam vllum sanctorum eam sententiam expresse tenuisse aut tenere (si vnum fortè Damascenum cum euchologio Græcorum excipias) difficulter ostenderis. Aliud est enim expresè tenere; aliud sibi ab alijs obiectum, vt Philosophi loquuntur, pro vero supponere, eique respondere. Ita S. Thomas, alijque Theologi eum secuti minimè docuerunt veram esse historiam, sed supposito ac dato veram esse, quid respondendum esset, docuerunt. Quod autem exprese non negauerint, sed concesserint, fecit auctoritas S. Ioannis Damasceni, quem Theologorum schola, ac præsertim S. Thomas, (vtpote antiquiorum Patrum reuerentissimus) magni fecit. Alioqui si seposita tantisper auctoritate, ad exquirendam accuratiùs historiæ veritatem sese applicuisset; haud dubium est, quin istis ingenij sui viribus vel fugientem, vt sic dicam, comprehendisset veritatem. Quam enim veri habere potest similitudinē, vel S. Gregorium magnum orasse pro anima hominis Ethnici tot iā sæculis in idololatria defuncti, pro qualibus nec orādum esse ipsemet docuit, vti nec pro diabolo: vel si orauit & impetrauit, ita illius sæculi Romanos Scriptores & ipsius Gregorij laudatores eam rem latuisse, vt ne vnus illo sæculo attigerit Latinorum; neque item posteriore sæculo, ante S. Ioannē Damascenū quispiam Græcorum? vel si non latuit, sed eius rei testis totus Oriens fuit & totus Occidens, vt idē ait Damascenus, quî factum est, vt homo Græcus nec vnum protulerit, vel proferre potuerit Scriptorem Græcum tantæ, tamq; vulgatæ rei testem? Nimirum is, qui ipsi narrauit, faciliùs Orientem & Occidentem adducere in testimonium potuit, vt ipsi fides haberi posset, quàm certum producere auctorem: apud quem si non inueniretur, refelli erubesceret. Nam Euchologium Græcorum, quod nunc habemus (ne fortè quis ex illo plus arroget) Damasceno est recentius: ita vt illud ex hoc, non hic ex illo desumpserit. Quare non aliunde huius propagatio fabulæ vires sumpsit ac vigorem, quàm ex simplici credulitate, primò Ioannis Damasceni, deinde aliorum eum secutorum, Sigeberti, Thomæ, & aliorum, qui eius auctoritatem nimio plus sanè quàm oportebat, in narratione tam incredibili simul & tam audaci æstimarunt: incredibili quidem, propter assertam hominis damnatissimi à peccatis absolutionem: audaci autem, propter citatum totius Orientis atque Occidentis de re fabulosissima testimonium: cùm scilicet nec vnus Scriptor, vti antè insinuaui, seu Orientis, seu Occidentis prolatus sit; nec hactenus, licet multum quæsitus, inueniri potuerit; qui vel priùs Damasceno, vel ætate Damasceni rem tantam ac tam insolentem,

miniméque tacendam scripserit. Iam quòd Ciacconus proferre se dicit testimonium Petri & Ioannis Diaconorū S. Gregorij, conuincit Bellarminus l. 2. De purgatorio, cap. 8. non esse ipsorum: itémque Baronius tomo annalium octauo, ad annum Christi 604. & ipsius Gregorij magni 14. vbi post citata testimonij illius verba, subdit: *Sed vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Ita iure dixerim cum Ieremia. Non ista Petrus atque Ioannes S. Gregorij Papæ Diaconi dixere vel scripsere: neque istius temporis scriptio illa esse probatur, sed longè posterioris sæculi.* &c.

Ieremiæ 8. ver. 8.

Vide ibidem plura, vti & apud Bellarminū: qui ambo nonnullis quoque respōdent S. Birgittæ & S. Mathildi falsò attributis & earum sanctimonia indignis visionibus. Quarū primi collectores vana & curiosa & mendacia, seu per imprudentiam, seu per obliuionem, seu per aliam quamcumque caussam vel occasionem addiderunt. Vt enim in illis libris plurima sint vera & bona; non tamen omnia.

Quare, vt hanc totam quæstionem concludamus, minimè valet id, quod de Traiani salute, vtpote falsâ & ementitâ, ad Plinij Secundi Iunioris fidem atque martyrium traducitur. Neque verò, quamuis vera esse donarentur, quæ in vulgus de Traiano iactata sunt; neque tamen idcirco, inquam, de Plinio res confecta esset. Cùm enim dona huiusmodi à purâ putâ dependeant Dei opt. max. misericordia; nihil est necesse vnum consequi ex altero: sed vtrumque, seu coniunctim, seu diuisim, diuinæ est sapientiæ, potentiæ, liberalitatis. Potuit enim Traiano plurium facinorum reo cuncta misericorditer condonare, & Plinio minus obnoxio nihil indulgere. Moysi enim dixit: *Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* id est, miserebor, cuiuscumque misereri voluero. Nam in Exodo cap. 33. ver. 19. (vnde hic locus sumptus est) habetur: *Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placauerit.* Hinc etiam fuerunt nonnulli, quibus plurima dimisit Deus, ita vt vbi abundauerat iniquitas, superabundaret & gratia: & fuerunt alij, quibus vel pauca non dimisit, vt ostenderet peccatorum remissionem non debiti esse, sed misericordiæ. *Beatus* proinde *homo, qui semper est pauidus*: & qui aliorum vel enormia peccata non attendit & ponderat, vt infletur; sed sua vel minima considerat & plangit, vt saluetur.

Ad Rom. 9 ver. 15.

Prou. 28. ver. 14.

ITAQVE APVD ORIENTALES &c.] Menologium Græcorum die vicesima decembris sic habet: *Natalis sacrosancti martyris Ignatij.* Menæi verba cum Menologio consentientis posita sunt suprà, cap. 28. vitæ.

APVD OCCIDENTALES VERO &c.] Omnia fere Latinorum martyrologia diem B. Ignatij natalem assignant ipsis Calendis Februarij. Vetus Romanum quidem his verbis: *Antiochiæ, Ignatij Episcopi & Martyris.* Nouum autem, siue ordinarium, hoc modo: *Natalis S. Ignatij Episcopi & Martyris: qui tertius post beatum Apostolum Petrum Antiochenam rexit ecclesiam, atque in persecutione Traiani damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur: vbi præsēte Traiano, circūsedente Senatu, immanissimis pœnarum supplicijs primò affectus, leonibus dehinc obijcitur: quorum dentibus præfocatus hostia Christi efficitur.* Reliqua item martyrologia, Venerabilis Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Rhabani, Maurolyci, Galesinij, eadem die. Sed hoc malè Maurolycus, quòd quartum numeret à Petro. *Qui quartus*, inquit, *à Petro Apostolo Antiochenam rexit ecclesiam.* Nam summum tertius poni potest: nempe post Petrum & Euodiū. Quod autem in Romano ordinario dicitur: *vbi præsente Traiano, circumsedente Senatu* &c. quantum quidem ad Traiani præsentiam attinet (qui tum Romæ non erat) minimè probari potest. Quod mirum est in suis ad martyrologium Notationibus effugisse Baronium. Nam is sanè tomo secundo Annalium haudquaquam omisit idem ipsum ab Adone dictū in libello de festiuitatibus SS. reprobare his verbis, ad annum Traiani vndecimum. *Verùm*, inquit, *cùm hæc scribat acta coram Traiano Imp. haud probantur: cùm constet eum in Oriente egisse his temporibus cum exercitu.* Sed nimirum editio martyrologij cum eius Notationibus, prior fuit editione annalium, & *posteriores cogitationes, vt aiunt, sapientiores solent esse.* Cic. Phil. lipp. 12.

NVLLVM OMNINO &c. FIT SACRIFICIVM, IN QVO] In omnibus Latinæ Ecclesiæ liturgijs, nomen S. Ignatij post Commemorationem pro Defunctis, inter primos martyres in Canone nominatur: nēpe in illis verbis: *partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino.* &c. vbi post duos primos martyres S. Ioannem Bapt. & S. Stephanum Diaconum, & post duos Apostolos à Christi Domini Ascensione electos proximè ponitur. Cuius rationem affert Haymo Halberstatensis Episcopus, vir pari sanctitate & eruditione egregius, libro 4. *De Christianarum rerum memoria*, cap. 5. his verbis: *Qui bene in Canone Missæ, post accelerationem sanctorum Apostolorum, cū egregijs Martyribus ponitur. Nam qui validè Deum & Christum eius, ob insignem Fidei confessionem, ob clarissima scripta & facta promeruit, valde potest pro nobis supplicare, vt verè dignissimus heres Petri Apostoli, tam morum, quam cathedræ successione.* Hæc ille in laudem S. Ignatij perquam rectè. Sed quidnā sibi vult ista locutio *post accelerationem sanctorum Apostolorum?* an

forte

fortè mendum irrepsit,& legendum, *post allegationem*? Nam verè ac propriè ad Deum allegantur duodecim Apostoli nominatim in eodem Canone, *Infra actionem*, vt vocatur, vt pro viuis orent. An magis idiotismo quodam Germanico accelerationem appellat, celeriorem ac maturiorem eorundem Apostolorum commemorationem; vtpote factā multo citiùs,& ante ipsam sacrosancti Corporis ac Sanguinis Domini consecrationem? Si quid verò ab his sit aliud, è manu scriptis exemplaribus, si qua modò supersint, requirendum est.

CAPVT. XV.

In hoc actum est de sacrosanctis B. Ignatij Reliquijs.

QVAS IPSE NVLLAS SVPERESSE] Optasse sanctissimum Martyrem, vt nullæ corporis sui post mortē superessent Reliquiæ, sed totus & omnino à bestijs deuoraretur, certa testis est ipsiusmet ad Romanos epistola in illis verbis: *Quin vos potiùs bestias pellicite, vt mihi sepulchrum fiant, ac nihil corporis mei reliquum faciant, vt ne mortuus cuipiam grauis existam.* &c. Metuebat nimirum, ne Christiani laborem ac molestiā aut periculum quoque aliquod in requirendis, colligendis, referendis Reliquijs subirent. Verùm Deus, cui sanctorum honos, præsertim humilium (qualis fuit in paucis Ignatius) cordi esse solet, noluit totum à belluis deuorari, sed ossa quædam crassiora, tantæ honori virtutis reseruari. Et quamuis visus sit beatus martyr tantùm id spectasse, quod verbis præ se tulit, nimirū vt nihil propter suas reliquias paterentur ij, qui recolligere laborarent: tamen duo quoque potissimè ipsum attendisse mihi persuadeo: vnum, vt totus fieret Deo verum holocaustum, nullâ extra feruentissimi amoris ignem parte reseruatâ: alterum, vt qui humilitatem in omni vita profundissimam ostenderat, eandem & in ipsa morte præstaret: & qui laudes & honores summopere viuus refugerat; nullos, Deo eius votis indulgente, susciperet mortuus. Sic magistro eius B. Petro Apostolo, vt in vita, sic in morte, humilitas curæ cordique fuerat; cùm non recto statu, sed inuerso, vitandæ paritatis cum Domino suo gratia, in cruce suffigi depoposcerat. Eandē virtutem, qua minimus esse in vita studuit, etiam in morte retinuit magnus ille Antonius, qui referente æquè magno Athanasio, inter alia, quæ suis mandata moriens dedit, *Hæc cogitate*, inquit, *hæc sapite, hæc retexite: & si qua mei vobis cura, si qua patris memoria est, si mihi vicarium repræstatis affectum; nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore seruetur; ne vituperati, vt nostis, à me ritus etiam circa me seruentur obsequia. Huius enim rei gratiâ maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite: vos patris operite corpusculum: & illud quoque senis vestri custodite mandatum, vt nemo præter vestram dilectionem, locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum.* Sic ibi interprete Euagrio Presbytero, S. Athanasius in vita Antonij. Quis autem ille ritus, quem à se vituperatum dicit Antonius? nempe is, quo Ægyptij mortuorū cadauera redolentibus condita vnguentis penes se in penetralibus reseruabant, mensisque ipsis interdum adhibebant saxo affabrè facto inclusa. Quem morem attigit Silius Italicus lib. 13. in his versibus:

- - - - Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corporà: & à mensis exsanguem haud separat vmbram.

Simili prioribus humilitate ac religione tactus B. Arsenius, cùm morti appropinquaret, turbatósque intueretur discipulos dixit: *Necdum hora mea venit: cùm autem venerit, non tacebo. Sed tamen stabitis mecum in diuino iudicio ante tribunal Christi, si alicui de meo corpusculo aliquid velut reliquias dederitis. Illis autē respondentibus: Et quid faciemus, pater, quia nescimus hominem sepelire? Respondit ille: Nunquid nescitis funem in pedibus meis mittere, & ita me ad montem trahere?* Ita in Vitis Patrum lib. 3. per Ruffinum Presbyterum, num. 163. Sic & noster S. Ignatius de Loiola, Societatis IESV fundator, incredibili eiusdem virtutis studio perpetim retinendæ incensus peroptabat, vt suum demortui corpus vel feris & volucribus obijceretur deuorandum, vel in fimetum aliquod aut sterquilinium abijceretur ab omnibus despicandum. Quo autem ipsi magis latere ac deprimi studuerunt, hoc magis in luce & ipsi & eorum facta extiterunt. Ac de S. Ignatio martyre quidem nominatim bene dixit Georgius Bartholdus Pontanus loco suprà laudato: *cùm desiderasset bestiarum ventres sibi sepulcrum efficere, in piorum virorum animis magis habitat*; nempe illorum in primis, qui eum sibi patronum delegerunt, quique illud aureum eius dictum, AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST, identidem in ore habuerunt, atque ad iugem memoriā in museis suis (quod de Leonardo Lessio præceptore meo oculatus testis memini) vncialibus litteris parietibus inscriptum ob oculos statuerunt.

HAS RELIQVIAS EXTRA VRBEM DELATAS &c.] Continent Acta martyrij apud Metaphrasten statim peracto certamine recollecta B. Ignatij ossa, & extra vrbem à Romanis Fidelibus religiosè condita. Sic enim in græco Medicææ Regis Francorum bibliothecæ manu scripto: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἐπέβη καὶ τέλος ἔλαβεν, οἱ καὶ κατὰ Ῥώμην πιστοὶ, οἷς

καὶ

καὶ ζῶν ἔτι ὁ Θεόφορος ἐπέστειλε, μετὰ τὸ διαλυθῆναι τὸ θέατρον, συνελθόντες τὰ ὀστᾶ προθύμοις χερσὶν ἀνελόμενοι, καὶ σεβασμίως αὐτὰ περιστείλαντες ἔξω τῆς πόλεως ἐν ἐπισήμῳ κατέθεντο τόπῳ εἰκάδα τότε τοῦ Δεκεμβρίου μηνὸς ἄγοντος. *His autem ita peractis ac consummatis Fideles Romani (ad quos Theophorus adhuc superstes scripserat) postquam dissolutum fuit theatrum, conuenientes ossa cupidis manibus sustulerunt, eáque religiosè obuoluta extra vrbem in loco accõmodato deposuerunt, ad diem Decembris vigesimam.* Ille est igitur verus dies natalis B. Ignatij, quem Græci solemnem seruant, & in quo cœtus honori eius faciunt: vti suprà notatum est ex Menæo, cap. 28. Cur autem à Latinis celebretur ipsis Calendis Februarij, caussa me fugit. Nam fatetur Baronius Acta martyrij à Græcis excepta esse & seruata: Romani autem ostendere nulla possunt: nisi fortè quæ ab istis sunt mutuati. Igitur in veris Actis notata est dies vicesima Decembris, vt diximus. Nec dici potest à Græcis illo die celebrari Reliquiarum translationem; cùm illam alio die celebrent, nempe vicesimâ nonâ Ianuarij, vt antehac in Menæo obseruauimus. Idem habet græcum Breuiarium iussu Clementis VIII. Romæ editum, quod inscribitur: Νέον ἀνθολόγιον. *Nouum florilegium.*

PHILO ET AGATHOPVS] Hi fuerunt fidissimi comites B. Ignatij in itinere Romano, qui & in sanctos relati sunt. Extat eorum memoria in martyrologio Rom. ad 25. Aprilis, sub hoc elogio: *Antiochiæ, sanctorum Philonis & Agathopodis Diaconorum.* Ad quæ verba sic annotauit Baronius: *Hi esse videntur, qui ex Syria Romam comitati sunt S. Ignatium Episcopum Antiochenum, eiusque Reliquias Antiochiam retulerunt: vt constat ex Actis ipsius martyrij. Fuit Philo Tarsensis ecclesiæ, Agathopus Antiochenæ Diaconus.* Egi de ijsdem suprà cap. IX.

VT ENIM GENEROSVM ATHLETAM. &c.] Hæc è græco verti. Nam Francisci Zini versio, quę extat tomo 5. S. Ioannis Chrysostomi, cum inscriptione: *In S. martyrem Ignatium &c. Laudatio*, aliquot locis vitiosa est, etiam in editione græcolatina. Quæ vitia vt à lectoribus animaduertantur & vitentur, non pigebit ipsum sanctissimi Patris locum exscribere, deinde quid in versione corrigendum sit, admonere. Sic igitur habent græca: Καθάπερ γὰρ ἀθλητὴν γενναῖον τοὺς ἀνταγωνιστὰς καταπαλαίσαντα ἅπαντας, καὶ μετὰ λαμπρᾶς ἐξελθόντα δόξης ἀπὸ τοῦ σκάμματος εὐθέως δεχόμενοι οἱ θεαταὶ, οὐδ᾽ ἐπιβῆναι τῆς γῆς ἀφίασι φοράδην ἀπάγοντες οἴκαδε, καὶ μυρίοις βάλλοντες ἐγκωμίοις· οὕτω δὴ καὶ τὸν ἅγιον τότε ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς Ῥώμης αἱ πόλεις ἑξῆς διαδεχόμεναι, καὶ ἐπ᾽ ὤμων φέρουσαι μέχρι τῆς πόλεως ταύτης παρέπεμπον, ἐγκωμιάζουσαι τὸν στεφανίτην, ἀνυμνοῦσαι τὸν ἀγωνοθέτην, καταγελῶσαι τοῦ διαβόλου· ὅτι εἰς τὸ ἐναντίον αὐτοῦ περιετράπη τὸ σόφισμα, καὶ ὅπερ ἐνόμισε κατὰ τοῦ μάρτυρος ποιεῖν, τοῦτο ὑπὲρ αὐτοῦ γέγονε. Quæ sic vertebat Zinus: *Quemadmodum pugilem generosum, qui omnes deuicerit aduersarios, spectatores è cauea cum plausu consurgentes sublimem statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur; sed humeris sublatum innumerabilibus laudibus ornantes domum reportant: sic vtique & sanctum illum omnes ex ordine ciuitates ab vrbe relatum suscipientes, humerisque gestantes, Antiochiam vsque sunt comitatæ, martyrem coronatũ concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes: quòd è contrario illi versutia successisset. Quod enim in martyrem struxerat, in se recidisse animaduertebat.* Sic ille. In quibus errauit 1. quòd σκάμμα verterit *caueam*. 2. quòd illud ἀπὸ τοῦ σκάμματος, id est, *è scammate*, seu *è certaminis loco* retulerit ad sequentia, nempe ad εὐθέως δεχόμενοι οἱ θεαταὶ i. *confestim accipientes spectatores*, cùm esset referendum ad vocem ἐξελθόντα. i. *egressum*, quæ præcesserat: vt mox videbitur ex vero sensu, quem subijciam. 3. quòd μετὰ λαμπρᾶς δόξης reddiderit: *cum plausu*: quod reddendũ erat: *cùm illustri gloria*. & quod attribuerit ipse spectatoribus, quod attribuendum erat Ignatio. 4. quòd ἀγωνοθέτην interpretatus sit *victorem*, & retulerit ad Ignatium, cùm debuerit vertere *munerarium*, aut, *propositorem certaminis*, aliquidue eiusmodi, & attribuere Deo. Itaque primum membrum, in quo erratum est aliquoties, sic vertendum aut simili modo fuit: *Quemadmodum enim generosum athletam, deuictis aduersarijs, & cum illustri gloria de scammate egressum spectatores cõfestim excipientes nõ sinũt terrã contingere* &c. vt in vitâ posui. Deinde paullo inferius: pro *collaudantes victorem*: dicendum fuit, *agonothetam celebrantes*. Deum scilicet. quod opponitur illi, quod mox subijcitur: *diabolum irridentes*. Itaque retinui in mea versione tres græcas voces *athletam, scamma, & agonothetam*, vt latinis Auctoribus satis visitatas: vti iam modò ostendam.

Erat igitur græcè apud S. Ioannem Chrysostomum vox ἀθλητὴς *athleta*, qui non est propriè *pugil*, sed certator quilibet gymnicus; siue luctâ, qui παλαιστὴς; siue cursu, qui δρομεὺς; siue pugnis, qui πύκτης, id est *pugil*; siue disco, qui δισκοβόλος; siue saltu, qui ἁλτικὸς dicitur, decertaret. Sunt enim tot certaminum genera, quinque scilicet: in quibus omnibus qui se exercebat, Græcis πένταθλος, Latinis quinquertio appellabatur: qui autẽ in cunctis vincebat, παγκρατιαστὴς pancrastiates vocabatur, vt sensit Hermolaus, quasi πᾶν κρατῶν omnia vincens, seu, omnium certaminum victor. Alijs tamen simpliciter pro quinquertione accipi placet. Α᾽θλητὴς, porrò, etiam ἀσκητὴς & ἀγωνιστὴς dicitur. Vnde Iulius Pollux in Onomastico lib. 3. cap. 30. vbi de gymnicis & musicis certaminibus agit, ita

ita notat: Καὶ οἱ γυμνικοὶ μὲν κυρίως ἀθληταὶ καλοῦνται καὶ ἀσκηταὶ καὶ ἀγωνισταί. καὶ ἀντίπαλοι αὐτῶν, ἀνταγωνισταί. *Et gymnici quidem propriè vocantur athletæ, & asceta, & agonistæ: & aduersary eorum, antagonistæ.* Vtitur autem voce *athletæ* passim M. Tullius. In Catone Maiore sic: *Quæ enim vox potest esse contemptior*, inquit, *quàm Milonis Crotoniatæ? qui cùm iam senex athletas se exercentes in curriculo videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansque dixisse: At hi quidem mortui iam sunt.* Et lib. 2. Tusculan. 44 ferè extremo: *Amiculæ sæpe inediam biduum aut triduum ferunt: subduc cibum, vnum diem, athletæ; Iouem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit: ferre se non posse clamabit.*

Iam vox *scamma* (quæ locum certaminis significat, & à σκάπτω, fodio, dicitur: quòd fossâ esset circumcinctus) SS. Patribus Latinis, haud ferè minus quàm Græcis vsurpata est; Tertulliano, Ambrosio, Hieronymo, Paullino, Petro Chrysologo, pluribus alijs. Ac primi quidem horum & antiquissimi insignis est locus in libro Ad martyres, ex quo quid scamma, quid agonothetes, quid alia eodem pertinentia, intelligi detur. Sic ergo alloquitur feminas martyres designatas: *Proinde vos benedictæ*, inquit, *quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem subituræ estis; in quo agonothetes, Deus viuus est: xystarches, Spiritus sanctus: corona, æternitatis brauium, Angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester, Christus IESVS, qui spiritu vos vnxit, & ad hoc scamma produxit; voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere: vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ segregantur in strictiorem disciplinam: vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lautioribus, à potu iucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.* Sic ille.

Hinc igitur patet primò, quid sit agonothetes, nempe (vt & ipsa prodit etymologia) ὃς ἀγῶνα τίθησι, *qui certamen proponit*, præsertim statutis victori præmijs: nec tātū is, qui proponit certamē, sed etiam qui præsidet, qui moderatur. Iulius Pollux, vbi suprà, hæc eiusdem significati conglobat: ἀγωνοθέται, ἀθλοθέται, ἀγώνων διαθέται, ἄθλων ἐπιμεληταί, ἔφοροι, ἐπίσταται, ἐπιστάται, ἐπίσκοποι: *certaminum propositores, curatores, præsides, inspectores, præfecti, episcopi.* Dicit ergo Tertullianus: *Agonothetes, Deus viuus est.* i. propositor certaminis. Ita Cyrillus Alexandrinus hom. 1. Paschalium, præmia nostrorum certaminum cùm profanis conferens, Ὁ δὲ τῶν δικαίων ἀγωνοθέτης Θεὸς, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε &c. *At iustorum agonothetes Deus, quæ oculus nō vidit;* &c. τοῖς εὐσεβέσι χαρίζεται, *pys elargitur.* Et Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum: *Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostēdit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat & bibat: qui potest capere, capiat.* Secundò patet, quid sit scamma, dum ait: *qui spiritu vos vnxit, & ad hoc scamma produxit.* Vngebantur enim athletæ, tum ad certaminis locum producebantur. S. Ambrosius l. 1. officiorum: *Adhuc athletæ in scammate sunt, & tu iam otium petis?* Sic S. Paullinus Seuero epistola ad eum 2. *Noli interim, dum in scammate sumus, dum foris pugnæ, intus terrores, alta pro nobis sapere aut loqui,* Adiunxit porrò Hieronymus verbi interpretationem, epist. 61. ad Pammachium, ante medium: *Cùm ergo ista quærantur,* inquit, *cur tu omissis, super quibus pugna est, de scammate & loco certaminis egrediens, in peregrinis & longè alienis disputationibus immoraris?*

Hesychius in Lexico, σκάμματα, inquit, ἀγῶνες, στάδια: idēq; habet Phauorinus in suo: ita vt scamma non tantùm certaminis locū, sed etiā certamen ipsum significet: vti & Petrus Chrysologus videtur accepisse serm. 33. vbi hæmorrhoissæ describens verecundiam, morbum suum & immunditiam & fimbriæ attactum reticentis, *Dicere*, inquit, *non est ausa: ne circumstantium confunderet & oneraret auditum: ne fieret populorum fabula, quæ tot annis stadium & σκάμμα fuerat passionum.* Id est, certamen dolorum, siue, quæ annos duodecim in corpore suo velut stadio, cum fluxu sanguinis decertarat. Duæ restant voces in loco Tertulliani explicandæ xystarches & Epistates, hæc Christo, illa Spiritui sancto attributa.

Xystarches igitur idem est, quod xysti præses, hoc est, porticus, seu loci, vbi athletæ, per hyemem, sub tecto exercebantur: ita vt à Tertulliano admodum aptè Spiritus sanctus appelletur xystarches eorum Fidelium, qui per hyemem & tempestatem persecutionis, pro Fidei veritate in custodijs detinebantur. Illis enim præsidebat inclusis: illis auxilio humano destitutis bonus aderat consolator: illis consilia, verba, vires inspirabat.

Agit de Xystarcha pluribus Hieronymus Mercurialis. 1. De arte gymnastica, cap. 12. vbi & duas profert inscriptiones, vel vnam duarum instar tenentem, eámque ineptè satis (quisquis eius auctor fuerit) consutam. Latinam è græca fecit idem Mercurialis, solámque latinam edidit: fecisset meliùs, si & græcam reddidisset.

Epistates autem generatim cuicunque rei præfectum significat: hoc loco autem Tertulliani, præfectum athletis. Quæ quidem præfectura cui meliùs congruat, quàm Domino nostro IESV Christo athletarum Fidei ac religionis principi, per omnia tentationū certamina probato, & certè, vt nullus vnquā fuit alius, vero pancratiastæ, & in omni pugna

pugna atque conflictu victori, quique, si natura non fuisset, tamen certaminibus atque victorijs meritò epistates dici & esse meruisset. Adde quòd vox ἐπιστάτης etiam magistrũ & pastorem significet, extantibus apud Sophoclem in Aiace & in Electra exemplis. Noster autem magister & pastor quis est, nisi qui dixit? *Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est Christus.* Et rursum: *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Et qui dixit ijsdem sæpius: *Ego sum pastor bonus.* Hic igitur etiam de caussis aptè dixit Tertullianus: *Itaque epistates vester, Christus IESVS.*

Matt. 23.
Ioannis 13.
Ioan. 10.

Postremò in ijsdem Tertulliani verbis suprà productis, alia mihi κατὰ μέρος videtur esse debere distinctio & sensus, quàm nonnullis placet. Nam sic lego: *In quo agonothetes, Deus viuus est: xystarches, Spiritus sanctus: corona, æternitatis brauium, Angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum:* ita vt sint tantùm tria membra, nec velit aliud ille vetustissimus Pater in ijs verbis, quàm explicare, quis sit noster *agonothetes*, quis *xystarches*, quæ *corona*: hanc autem esse brauium æternitatis, & Angelicam conuersationem in cælis, & gloriam in sæcula sæculorum. Quæ distinctio cum suo sensu nihil sanè obscuri, nihil ambigui habet. Nam aliorum, qui quatuor membra faciunt, nec tam obuia est, nec tam expedita ratio. Sic enim legunt: *corona æternitatis; brauium: Angelicæ substantiæ politia in cælis; gloria in sæcula sæculorum.* Quæ duo membra cum duobus suprà positis de agonotheta & de xystarche, efficiunt quatuor; sed quę inter se & cum antecedentibus malè cohæreant. Nam cùm intendat Tertullianus ostẽdere ea, quæ reperiuntur in certaminibus Gentilium, abundantius reperiri in certaminibus Christianorum pro Christo; ea in tribus membris notauit nomina, quæ apud ipsos reperiuntur talibus ludis familiaria, *agonotheten*, *xystarchen*, στέφανον; siue, *coronam*. Non est autẽ vsus gręcâ voce *stephanus*, quòd nemini latinorũ esset vsurpata, sicuti aliquę. Alioqui στέφανος, *corona*, & στεφανίτης, *athleta coronatus*, & μέχρι στεφάνου ἀγωνίσασθαι, *vsque ad coronam decertare*, Græcis sunt vsitatissima. Vide S. Chrysostomi homiliam de S. Ignatio, vbi & ipsum στεφανίτην *victorem*, seu, *athletam coronatum* appellat: & multiplices eius coronas, siue, στεφάνους (vti ipse vocat) eleganter persequitur. In quarto autem membro (si quod esset quartum) debuisset similiter poni aliquod nomen illis Gentilium ludis proprium. Atqui nullum hîc ponitur. Nam illud: *Angelicæ substantiæ politia in cælis:* nullo modo illis conuenit, sed solis Christianis. Neque dici potest, quod *politia* sit quartum nomen. Nemo enim illud vnquam, vt proprium athletis, assignauit: & si esset athletis proprium, debuisset poni, non vltimo loco, sed tertio, ante vocem *coronam*, seu (si quis hoc malit) ante *brauium*. Mihi enim perinde fere est, siue dicatur brauium, esse coronam æternitatis, siue coronam, esse æternitatis brauium: sed rectior & facilior oratio, & quæ membris superioribus magis respondeat, est ea quam antè posui: *corona, æternitatis brauium:* vt nomina Gentilibus propria semper ponantur initijs singulorum membrorum. Politia denique, si locum habet in certaminibus, ita sanè habet, vt magis spectatoribus congruat, quàm athletis. Atqui de athletis tantùm agit Tertullianus. Inter spectatores autem hæc erat politia, vel ordo potiùs, quod sciret quisque, quo loco sedere aut stare deberet in spectaculis. Nihil tale habemus de athletis. Nunc ad nostra redeamus.

Eodem cap. 15. referuntur tres sanctarum Ignatij Reliquiarum translationes: quarum prima est ab Vrbe Roma cõfestim à peracto certamine in Syriã & ad vrbẽ Antiochenã: quã Menæum ca. 29. suprà vocat ἀνακομιδὴν, *reportationem*: Quia scilicet beatus vir eò, vnde venerat, reportatus est. Ac tum quidem non in vrbe, sed in cœmeterio extra portam Daphniticam sacra eius ossa deposita sunt.

SECVNDA, CVM INDE EXTREMIS THEODOSII IVNIORIS] Hanc secundam translationem Reliquiarum S. Ignatij è cœmeterio vicino in ipsam vrbẽm Antiochenã sub Theodosio iuniore, describit Euagrius Scholasticus, lib. 1. hist. eccl. cap. 16. his verbis: Τότε καὶ Ἰγνάτιος ὁ θεσπέσιος, ὡς Ἰωάννῃ τῷ ῥήτορι σὺν ἑτέροις ἱστόρηται, ἐπειδή γε ὡς ἐβούλετο, τάφον τὰς τῶν θηρίων ἐσχηκὼς γαστέρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης ἀμφιθεάτρῳ, καὶ διὰ τῶν ὑπολειφθέντων ἁδροτέρων ὀστῶν, ἃ πρὸς τὴν Ἀντιόχου ἀπεκομίσθη ἐν τῷ καλουμένῳ κοιμητηρίῳ, μετατίθεται πολλοῖς ὕστερον χρόνοις, ὑποθεμένου τοῦ παναγάθου θεοῦ Θεοδοσίῳ τὸν θεοφόρον μείζοσι τιμῆσαι τιμαῖς, ἱερόν τι πάλαι τοῖς δαίμοσιν ἀνειμένον· τυχαῖον τοῖς ἐπιχωρίοις ὠνόμαστο, τῷ ἀθλοφόρῳ καὶ μάρτυρι ἀναθεῖναι. Καὶ σηκὸς εὐαγὴς καὶ τέμενος ἅγιον τῷ Ἰγνατίῳ τὸ πάλαι τυχαῖον γέγονε, τῶν ἱερῶν αὐτοῦ λειψάνων μετὰ πομπῆς ἱερᾶς ἀνὰ τὴν πόλιν ἐπ' ὀχήματος ἐνεχθέντων, καὶ κατὰ τὸ τέμενος τεθέντων. Ὅθεν καὶ δημοτελὴς ἑορτὴ καὶ πάνδημος εὐφροσύνη μέχρις ἡμῶν τελεῖται, πρὸς τὸ μεγαλοπρεπέστερον τοῦ ἱεράρχου Γρηγορίου ταύτην ἐξάραντος. Quæ sic verto: *Tum & diuinus Ignatius (vt à Ioanne Rhetore & alijs est proditum memoriæ) postquam, vti quidem volebat, in Romano amphitheatro ferarum ventres sepulchrum habuit, tum, inquam, per ossa crassiora, quæ relicta fuerant, & Antiochiam in cœmeterium quod vocant, reportata, multis postea temporibus translatus est: Deo scilicet ter optimo suggerente ipsi Theodosio, vt Theophorum amplioribus decoraret honoribus; & templum olim dæmonibus sacrasum (Tychæum indigenæ appellabant) victori & martyri dedicaret. Itaque quod olim Fortunæ templum,*

templum, nunc sacrũ sanctuarium & templum sanctum effectum est, sacris eius reliquijs cum augusta pompa in vrbem curru inuectis, & in eo templo positis. Vnde & publicus dies festus, & communis totius populi lætitia hodieq; agitur: quando & Gregorius Pontifex eum diem multò augustiorem reddidit. Ex his corrigendus est Ioãnes Christophorsonus Euagrij interpres, qui mala verborum transpositione sensum intulit falsum, præcipuè in istis verbis: *Maiora robustioráque Ignatij, viri planè diuini ossa à bestijs relicta &c. regnante iam Theodosio, quod fuit longo tempore post eius martyrium, in cœmeterium translata sunt.* Nam falsum est ossa S. Ignatij translata esse in cœmeterium regnante Theodosio: falsum item est translata eò esse multo tempore post martyrium. Nam breui post martyrium eò trãslata sunt, vt suprà docui. Et sanè ibi fuisse non modò ante Theodosium iuniorem, de quo loquitur Euagrius, sed etiam ante seniorem, siue Theodosium Magnum inde confirmatur; quòd Hieronymus viuẽte hoc Theodosio librum De scriptoribus ecclesiasticis scripserit, & in eo ita de Ignatio: *Reliquiæ corporis eius Antiochia iacent extra portam Daphniticam in cœmeterio.* Non igitur illuc transtulit Theodosius iunior, quandoquidem ibi erant tempore Theodosij senioris. Deinde S. Ioannes Chrysostomus (is est, opinor, quem Euagrius vocat Ioannem Rhetorem) in homilia de S. Ignatio, quàm habuit eiusdem Theodosij Magni ætate, dum adhuc Sacerdos Antiochiæ degeret, dicit Ignatiũ exiguo tẽpore ab vrbe Antiochia abfuisse, eodẽque haud multò post martyriũ suũ magna cum gloria relatũ esse: quod de nullo potest alio loco intelligi, quã de dicto cœmeterio extra portã Daphniticam, cùm & de hoc loquatur Hieronymus Chrysostomo contemporalis, & de alio loco nullus.

TERTIA DENIQVE, CVM ROMAM] Tertiæ translationis ossium B. Ignatij Romã mẽtio est in Romano martyrol. ad 17. Decẽbris, licet ibi non ea translatio celebretur, sed prima; si quidem Petro Galesinio fidem accommodauerimus, qui de illa sola ad dictam diem meminit. Nam è verbis Romani martyrologij non satis intelligi potest, de vtra agatur: quãdoquidem vtramque cõplectatur & primam & tertiam. Verùm è veteri Romano post Baronij mortem reperto difficultas soluitur. Cùm enim illa die tantùm sic habeat: TRANSLATIO IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS ANTIOCHIÆ, planũ fit de prima intelligi, quæ Antiochiam facta est, cùm nulla hîc Romæ sit mentio. Baronij porrò verba in Notationibus Martyrologij ad 17. Decembris sunt hæc: *De tertia autem, quando Romam delatum est, nihil mihi hactenus compertum habetur. Opinor tamen tũc inde ablatas sanctissimi Martyris Reliquias, cùm Iustiniano imperante ciuitas illa à Cosrhoë Rege Persarum igni ferroq; vastata est anno Domini 540. Agit Procopius de eadem clade lib. 2. De bello Persico.* Ita Baronius.

VIDI EGO IN LÆTIENSI] S. Ignatij Reliquias, quas habet Lætiẽse Benedictinorum monasterium, eas olim Henricus Orientis Imperator Constantinopoli Lætias miserat, anno humanæ Salutis M.CC.VIII. vti nuper me docuit eiusdem Lætiensis cœnobij Abbas D. Antonius de VVinghe: quas postmodũ, vt antè scripsi, vnà cum diuersis aliorum Beatorũ Reliquijs, insigni argentea theca inaurata inclusit D. Ludouicus Blosius ibidem Abbas dignissimus: quippe vir egregia doctrina & admirabili pietate cunctis venerandus, & in illa temporum ruina Ecclesiæ adiuuandæ natus.

IN MONASTERIO ITEM ARROASIENSI] Testatur Arnoldus Rayssius, vir de Belgio nostro, propter curam amplificandi honoris Sanctorum qui hic vixerunt, optimè meritus; testatur, inquam, in suo Belgico Hierogazophylacio, vbi de sacris Arroasiæ Reliquijs agit, ibi Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini, inter alias Reliquias, etiã asseruare *Costas duas sanctissimi & fortissimi athletæ Ignatij Archiepiscopi Antiochensis.*

CAPVT XVI.

TOtum hoc caput in laudem Heronis Diaconi sic effunditur, vt totum quoque in B. Ignatij honorem, tanquam magistri & educatoris, meritò refundatur. Vt enim filius sapiens gloria est patri, sic discipulus magistro, sic Diaconus Episcopo.

Extat Heronis honorifica mentio in compluribus Ignatij epistolis: è quibus etiam virtus & sanctimonia ipsius à puero cognosci potest. Nam ita se gessit in pueritia, vt admodum adolescens ab Ignatio susceptus sit, & citò in Diaconum (ita mores suos ecclesiæ probauerat) assumptus. Nam in epistola ad Mariam, quæ tempore persecutionis Domitiani scripta est, ita de Herone illam salutante Ignatius: *Salutant te Presbyteri & Diaconi, & præ omnibus sacer Heron.* Grçcè est vox ἱερὸς quæ tam *sacrum*, quàm *sanctum* significat: ita vt vel ordo eius inter sacros Ministros, vel certè pietas ac sanctimonia innuatur. Credibile est autem iam tum fuisse Diaconum, atque in eo permansisse ordine vsque ad annũ Traiani 11. Nam sub illud tempus scripta ad ipsum Ignatij epistola Diaconũ appellat, tã in ipsa inscriptione, quã alibi. Et in ea, quam ad Antiochenos dedit, tacito nomine inter Diaconos salutat, præcipuique in eum amoris ac beneuolẽtiæ verbis vtẽs: *Saluto, inquit, sacros Diaconos, & illud optabile mihi nomen, quẽ loco meo videã in Spiritu sancto, cũ adeptus Christũ fuero! pro cuius anima libẽs exposuerim meã. Quibus in verbis innuit suis Antiochensibus,*

quem ab excessu suo eligere debeant Episcopum. De qua electione etiam cum S. Polycarpo in vrbe Smyrna tractauerat: cui & totam huius negotij curam discedens reliquerat. Itaque illo agente, non multò post S. Ignatij martyrium, communibus populi Antiocheni suffragijs, eius vrbis Episcopus & magistri sui successor electus est. Denique eam ecclesiam viginti annos egregiè administrauit: tandémque, vt bonus pastor, animam suam ponens pro ouibus suis, insignem martyrij lauream reportauit.

SACERDOS ET ASSERTOR SAPIENTISSIME] Precatio est ipsius S. Heronis, ad magistrum suum & patrem Ignatium iam martyrem, reperta in codice epistolarum eiusdem S. Ignatij Vaticano, ad ipsius libri calcem adiecta. Credibile est B. Heronem habuisse S. Ignatij epistolas in vno codice conscriptas, quibus hanc suam precatiunculam ex ardenti cordis affectu ebullientem subscripserit: eos verò, in quorum manus idem codex postea venerit, illam simul precationem exscripsisse. Vtinam porrò multa eiusmodi & ab Herone scripta essent, & à posteris diligenter exscripta! Nam hæc quidem, quantulacunque sunt, merum spirant sanctæ caritatis nectar, meram fundunt diuinæ pietatis ambrosiam.

IMMACVLATA STOLA INDVTE] Hoc propter seruatam ab infantia innocentiam, & ipsius Christi contactu condecoratam afferre videri potest. Nam & in sequentibus, ad proprias eius dotes, & dona peculiaria, quantum ego quidem iudico, singularem respectũ habet: vti parebit ex proximè afferẽdis.

PERENNI FONTE SATVRATE] Alludit procul dubio ad illam fruendi Dei incensam sitim, atque ad ardentissimum subeũdi pro Christo martyrij desiderium, quod in eius Ad Romanos epistola expromptum est: atque etiam ad illa verba: *Nec est in me ignis rei vllius terrenæ amãs: sed aqua viua in me saliens intrinsecus mihi clamat: Huc ad Patrem.* Illius igitur viuæ aquæ in vitam æternam salientis perenni fonte saturatum dicit magistrum suum germanus ille discipulus.

CVM ANGELIS LAVDEM CANENS] Refert hęc quoque ad illos Angelorũ cantus, quos sanctus martyr olim in cælesti viso audierat, atque in ecclesiam suam diuinus ipse præcẽtor induxerat Id enim quasi tacitè dicit: Cecinisti hactenus Dei tui laudes cum hominibus.

PRIMOGENITI CERTE AMICE] Non potes sanè, inquit, non amicus esse primogeniti, Christi scilicet, cuius iura *primogeniti in multis fratribus, primogeniti omnis creaturæ, primogeniti mortuorum & principis Regum terræ,* aduersus falsos Iudæos, aduersus cæcos Gentiles, aduersus perfidos hæreticos, tanto studio zelóque defendisti. Et verò ita est.

Rom. 8. Coloss. 1. Apocal. 1.

Nam in omnibus propè epistolis hoc egit, vt Christo contra hos aut istos, vel Deo assereret humanitatem, vel homini adstrueret diuinitatem. Quidam enim sic Deum esse fatebantur, vt negarent esse hominem: quidam sic hominem esse fatebantur, vt negarent esse Deum. Ignatius igitur vtrorumque tela fortiter retudit, & duas in Christo naturas, Dei peræquè ac hominis, coiuisse ostendit. Vide suprà cap. 17. §. 2. & cap. 26. ex epist. ad Trallianos.

PATER IGNATI, CVRRVS ISRAEL ET AVRIGA EIVS.] Hæc oratio hunc sensum habet: Ego ad te Pater mi Ignati, iisdem nunc vti verbis possum, quibus olim vsus esse ad Eliam magistrum suum Elisæus legitur, cùm eum à se curru igneo abreptum in cælum ascendentem intuitus exclamauit: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius.* Nam quod illi Elias fuit, hoc & tu mihi. Quod ille ei præstitit, hoc & tu mihi. Ille pater, ille educator, ille magister & præceptor ei fuit: hoc & tu mihi. Ille propheta: & tu quoque. Ille discipulum suum & domesticum successorem destinauit, & prædixit, impetrauit: tu me quoque discipulum tuum & domesticum successorem destinasti, prædixisti, impetrasti. Atque vt ille Israëli, seu populo Iudæorum, instar currus simul & aurigæ erat, hoc est, omne præsidium ad hanc mortalem vitam feliciter percurrẽdam, aduersariósque deuincendos: sic & tu toti Syriæ, & omni ecclesiæ Orientali velut fortissimus currus & auriga certissimus extitisti, hoc est, omne necessarium subsidium tam ad euadenda huius vitæ, quasi viæ à plurimis insidiatoribus obsessæ, pericula, quàm ad cursum versus cælestem patriam rectè ac securè dirigẽdum. Accepit igitur in hoc sensu B. Heron illa Elisæi prophetæ verba: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius.* Quæ alium quoque simpliciorem sensum in loco illo quarti Regum, cap. 2. habere possunt, nempe hunc: Pater mi, pater mi Elia, ecce video currum Israël & aurigam eius, & te in illo curru abeũtẽ. Quare concede mihi quod à te postulaui, & quod te cõcessurũ promisisti, si te viderem, cũ à me tollereris: concede mihi, inquam, duplicem spiritum tuum, quo & fortiùs resistere omnibus aduersarijs Dei mei & tui possim, & Israëlitas à vitijs suis & cõcupiscentijs in viam virtutũ reuocare, atque etiam plurimos alienigenarum atque infidelium ad sanctam vnius Dei legem atque cultum efficaciùs pertrahere. Atque hæc longè iustissima fuit tantæ postulationis caussa: quæ proinde nec Eliæ magistro displicuit, nec displicere potuit, neque vlli omnino alteri displicere debeat aut possit, quærenti quidem non sua, sed quæ Dei sunt. Atque vtinam omnes discipuli mei duplicẽ eius, quẽ ego habeo, immo triplicẽ & quadruplicem

4. Reg. 2.

plicem

plicem & centuplicem spiritum habeant! Meum enim sentio quàm sit exiguus, & tamen eo ipso quantulocumque quàm miserè vtar, video & doleo. *Deus, Deus misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.*

Memento eius, quem nutriuisti] Respicit beatus Heron ad illa S. Ignatij verba ad se scripta: *Nosti, quomodo te educauerim. Tametsi minimus sum, æmulator mei esto. Imitare conuersationem meam. Non in mundo glorior; sed in Domino. Heronem, filium meum adhortor. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. O si te fruar, fili amabilis! cuius custos sit ille solus ingenitus Deus & Dominus IESVS Christus!* Hinc etiam est, quod idem Heron confidenter eum vocat patrem, vt suprà ostensum est, & se filium, in istis verbis: *Memor esto mei, fily tui Heronis: vt & ego vita exiens sanctis connumerer: vt dignum nomen merear adipisci.* Quod autem illud nomen? an proprium suum Heronis; quasi, herois? prout ad ipsum alluserat ipse Ignatius ita scribens: Ἔχου ὦ Ἥρων ἡρωϊκῶς καὶ ἀνδρικῶς. *Heroicè & viriliter age, ô Heron.* An potiùs nomen sancti? aut martyris? aut Christiani? sicut & B. Ignatius in epist. ad Romanos sibi robur corporis & animi à Deo postulabat, vt non solùm appellaretur, sed etiam esset Christianus. Magis propendeo, vt primum postulauerit, nempe per magistri preces gratiam obtinere gerendi se heroicè, & implendi virtute nomen suum, ad quod eum magister hortatus fuerat.

CAPVT XVII.

Continet hoc caput, præcipuarum aliquot B. Ignatij virtutum testimonia ex ipsiusmet litteris desumpta: quæ tanto plus habere debent apud fideles ponderis, quanto excellentius fuit beatum illud os, quod ea protulit; fortissimi scilicet martyris, & Apostolorum discipuli, in nullo à quoquam magistrorum degeneris. In quibus quòd nihil admodum difficile occurrat, aut dubium, in quo hærendum sit, vltrà transilio.

CAPVT XVIII.

Complectitur documenta beatissimi martyris, de occulto sanctissimæ Trinitatis mysterio. Vbi ille in primis locus excellit, qui ex epistola eius Ad Philippenses producitur, in quo pauculis in verbis tres immanes hæreses interficit: vnam, quæ negabat tres esse in diuinitate personas inter se distinctas, sed vnicum esse Deum, vnicámque personam, licet tria haberet nomina: secundam, quæ tres personas docebat esse incarnatas: tertiã, quæ asserebat Filium seu secundam sanctissimæ Trinitatis personam non re vera esse incarnatam, sed opinione tantùm & imaginatione. Prima hæresis, quãtum ad negationem trium personarum, fuit iam olim & nunc esse perseuerat Iudæorum; quantum ad nomina autem, fuit hæreticorum nimis iudaismo fauentium: inter quos præcipuè caput extulit Sabellius, licet ab Ignatij temporibus longè distans. De quo alias sua ætate occurret agendi locus. Secunda hæresis fuit Patripassianorũ, sic à Romanis appellatorum, nomine desumpto ab ea persona, quam dicere incarnatam longè absurdissimum esse videbatur, cùm alioqui etiam Spiritum Sanctum dicerent incarnatũ. Aliquos extitisse eiusmodi temporibus S. Ignatij, ex ipsis eius verbis colligitur mox citandis. In concilio autem quodam apud Socratem, lib. 2. hist. eccles. cap. 19. iuxta exẽplar græcum, aut 15. iuxta latinum Christophorsoni, non fit distinctio inter Patripassianos & Sabellianos: de quibus vtrisque hæc ibi sunt verba: Τοιοῦτοι γάρ εἰσιν οἱ Πατρoπασιανοὶ παρὰ Ῥωμαίοις· Σαβελλιανοὶ δὲ παρ' ἡμῖν λεγόμενοι. *Cuius generis sunt, qui Patripassiani apud Romanos: apud nos autem Sabelliani dicũtur.* Meliùs scripsisset Socrates Πατροπασσιανοί, quandoquidem fiat ex *Pater* & *Passus*: quòd dicerent Patrem passum esse mortem. Desũpsit autem Socrates eam vocem à Latinis & græcam fecit. Hæc tamen erat inter ipsos differentia, quòd hi tantùm vnam personam admitterent, illi autem tres: atque ita dicerent tres incarnatos & passos, cùm alij vnicum quamuis tribus nominibus appellatum. Tempore S. Anselmi Cantuariensis renouatus est in Gallia idem error de tribus personis incarnatis, sed eius auctorem nescio quẽ clericum coëgit Reynaldus Rhemensis Archiepiscopus, indicto ea de caussa concilio, errorem reuocare. Atque ea occasione scripsit idem Anselmus librum *De incarnatione Verbi*, in quo hæresim illam doctè ac subtiliter refutat. Tertia hæresis fuit eorum, qui ex re ipsa Græcis appellati sunt Δοκηταὶ, Latinis Opinatores vocari possunt, non quòd falsa opinentur (hoc enim omnibus hæreticis competit, non autem his propriè) sed quòd filium Dei opinione incarnatum, opinione passum, opinione mortuum, & alia similiter contenderent. De quâ hæresi fusius in vita S. Serapionis Antiochiæ Episcopi & Scriptoris in secundo sæculo agimus. Tres igitur illas hæreses Magnus Ignatius paucis quidem verbis, sed graui auctoritatis pondere deijcit ac prosternit, dum ita dicit: *Neque igitur tres Patres, neque tres fily, neque tres Paracleti: sed vnus Pater, & vnus filius, & vnus Paracletus. Propterea mittens Dominus Apostolos ad docendum omnes Gentes, præcepit illis, vt baptizarent in nomine*

mine Patris & Filij & Spiritus sancti: non in uno trinomine, neque in tribus incarnatus; sed in tribus honore paribus. Vnus enim est incarnatus; non Pater, non Paracletus, sed solus Filius: non opinione, non imaginatione, sed veritate. VERBVM ENIM CARO FACTVM EST. Ita B. Ignatius in epistola Ad Philippenses.

CAPVT XIX.

HOc capite elucet in beatissimo martyre Ignatio incredibilis amor Crucis, & contra eius osores mira, sed iusta, indignatio. Ceteri SS. Patrum eius erga Crucem studium atque zelũ sunt imitati; nec est ferè ipsorum quispiam, qui non ad eius laudem suum velut symbolum contulerit. Hæretici contrà ex iudicij deprauatione, velut corrupto stomacho, eius virtutem minimè sapiunt: immo & auersantur, si non & execrantur. Cuius proinde spiritus sunt? Nihil porrò in verbis Ignatij obscurum, nihil difficile, neque in hoc, neque in sequentibus capitibus, quod me hîc debeat demorari. Quare ad breuem pro Scriptis S. Ignatij apologiam me accingo. Est enim retundenda nonnullorum hæreticorum, qui in beatissimi martyris planè aureas epistolas canino dente lacerandas inuolarunt, impudens audacia.

FINIS NOTATIONVM IN VITAM S. IGNATII THEOPHORI.

APOLO-

APOLOGIA
PRO EPISTOLIS S. IGNATII.

AD epistolarum B. Ignatij commendationem nullum potest fortius afferri elogium, quàm quod à sanctissimo martyre Polycarpo eius æquali allatū est. Illud proinde, vt ratio & æquitas mandat, principe loco & græcis ipsiusmet verbis proferemus, quæ ita habent:

Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε· αἵ τινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ. ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

Ignatij epistolas nobis ab eo missas, & alias, quotquot penes nos habuimus, vobis, sicut mandastis, misimus: quæ ipsæ huic epistolæ subiectæ sunt: quibus multum iuuari poteritis. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Scripsit hæc S. Polycarpus in epistola sua ad Philippenses, quæ etiamnum extat: & cuius bona pars cum verbis modò citatis refertur ab Eusebio Cæsariensi, lib. 3 hist. eccl. cap. 36. in græcis exemplaribus, apud Christophorsonum verò interpretem, capite 30.

Nunc omissis aliorum, (quandoquidem vna S. Polycarpi martyris sufficit) auctoritatibus, ipsas S. Ignatij epistolas, quæ hodie ab omnibus Catholicis absque controuersia illi tribuuntur, dabo in medium: postea verò quænam ex illis à grege hæreticorum reijciantur, indicabo: tum ad arma & manus venietur.

Epistolarum S. Ignatij inter Catholicos minimè controuersarum catalogus.

AD MARIAM, vulgò Cassoboliten 1.
AD TRALLIANOS. 1.
AD MAGNESIOS. 1.
AD TARSENSES. 1.
AD PHILIPPENSES. 1.
AD PHILADELPHIENSES. 1.
AD SMYRNÆOS. 1.
AD POLYCARPVM. 1.
AD ANTIOCHENOS. 1.
AD HERONEM ecclesiæ Antiochenæ Diaconum. 1.
AD EPHESIOS. 1.
AD ROMANOS. 1.

Sunt igitur numero 12. in omnibus græcis exemplaribus à prima editione, itémque in latinis, post earundem è VALENTINO PACEO interpretationem, hoc ipso quem posuimus ordine, in lucem emissæ, quamuis alio conscriptæ. Scio in quibusdam antiquis editionibus addi nonnullas alias, partim ad Virginem Deiparam, partim ad S. Ioannem Euangelistam: sed cùm hæ non sint æquè certæ, & ambiguum sit de illis inter Catholicos iudicium, liberaq; in vtramque partem sententia, ijs in præsentia tantisper semotis, tantùm de prioribus duodecim modò digladiandum est. Agite igitur. Nos Catholici tenemus B. Ignatium martyrē duodecim minimum scripsisse litteras: vos hæretici quid dicitis? *Hæreticus.* Nos dicimus scripsisse tantùm septem. *Catholicus.* Reijcitis ergo quinque? *Hæret.* Tot omnino. *Catholicus.* Sed qua de caussa, amabo, vel quo auctore? *Hæret.* Auctore Eusebio Cæsariensi, historiæ ecclesiasticæ scriptore præcipuo, & Hieronymo Presbytero, in libro De viris illustribus. *Cathol.* Boni sunt Auctores: sed docéntne illi expressè S. Ignatium scripsisse tantùm septem epistolas? Aut, dicúntne hoc saltem? Ignatius scripsit septem epistolas? *Hæret.* Nihil est opus expressè vel hoc vel alterum dicere: sed satis est, tacitè id indicare, & re ipsa insinuare. *Cathol.* Audiamus igitur, rogo te, quemadmodum id tacitè indicent, ac re

ipsa insinuēt. *Hæret.* Adi illos & videbis. Quid enim quæris, quod satis nosti? Nescis illos mentionem facere septem epistolarum, & non plurium? *Cathol.* Scio equidem. *Hæret.* Quid ergo vis? *Cathol.* Hoc, inquam, volo, vt ostendas hoc sequi: Eusebius facit mentionem septem epistolarum Ignatij, & non plurium: ergo dicit illum scripsisse tantùm septem. Neque enim ibi, neque vsquam alibi profitetur Eusebius se eorum, de quibus scribit, omnes libros enumeraturum, aut omnes Scriptores ecclesiasticos recensiturū, immò contrà alicubi testatur se plurimorum omisisse lucubrationes, quòd nulla se offerret occasio de ijs dicēdi. Quare cùm ex professo res ecclesiæ tractet, & præclara Sanctorum acta præcipuè prosequatur, tantùm autem ex incidenti eorum scripta (quod ex primo totius historiæ capite, vbi illius operis promissum continetur, addisci potest) breuiter attingat; nihil sanè mirum, si non omnes eorum libros, tractatus, epistolas recenseat: epistolas autem potissimè; propterea quòd eæ vt plurimum ab ijs qui scripserunt, non cōseruentur, sed cùm aliò missę fuerint, in eorum sit potestate, qui receperunt, illas vel conseruare vel abijcere, vel saltem neglectui habere. Ex quo fit, vt sæpe nec reperiri omnes possint, nec eę quę reperiuntur, facilè eodem tempore & ab vno homine recolligi, sed modò aliquæ, aliàs aliæ: ita vt diuersissimis interdum temporibus & à diuersis collectoribus diuersæ collectiones fiāt. Quas collectiones græci *συναγωγὰς* appellāt. Hinc M. Tullius scribens Attico de suarum collectione litterarum, *Mearum,* inquit, *epistolarum nulla est συναγωγὴ, sed habet Tiro instar septuaginta: & quidem sunt à te quædam sumendæ. Eas ergo oportet perspiciam, corrigam: tum denique edentur.* Ecce igitur quomodo & ipsi Ciceroni, vt in corpus aliquod suas posset redigere epistolas, laborandum fuit, vt illas ab ijs, ad quos miserat, requireret. Quanto magis post S. Ignatij mortem laborandum credetis, siue B. Polycarpo Smyrnæ episcopo, siue cuiuis alteri Ignatianarum collectori, vt eas requirerent, quas maximam quidem partem nesciebant, ad quos ipse Ignatius misisset? Quare cùm idem Polycarpus duas in promptu haberet, vnam ad se, alteram ad Smyrnæos sibi subditos missam, ac præterea sciret, ad quasnam ecclesias S. martyr, cùm esset Smyrnæ, scripsisset (nam & ipse illi omnia ad scribendum necessaria hospes hospiti suppeditarat) nēpe ad Romanos, ad Trallianos, ad Magnesios, ad Ephesios; facilè eas potuit recolligere, & recollegit: & quia illæ duæ quas ipse recepit, vnam pro se, alteram pro sua Smyrnensi ecclesia, Troade scriptæ fuerant, illisque altera adiuncta, quæ ad Philadelphienses trāsmittenda erat (indidem enim & eodem tempore missa fuit testibus

Lib. 5. cap. 20.

Cicero l. 16. ad Atticum, epist. 5

Eusebio & Hieronymo) has septem satis liquet in primā fuisse litterarum sanctissimi martyris recollectione. *Hæret.* Satis id liquet: neque de his vlla ex parte quicquam dubitamus. Sunt enim eæ ipsæ, quas nos solas contendimus Ignatij esse germanas: & de quibus noster Guilielmus Perkinsus vir grauis & doctus ita iudicauit: *Eusebius,* inquit, *libro 3. cap. 35. & 36. & Hieronymus septem Ignatij numerauit epistolas: at nunc sub illius nomine habentur duodecim: quinque ergo spuriæ. Ad Mariam, ad Tarsenses, ad Heronem, ad Antiochenos, ad Philippenses. Cathol.* Redit igitur primum argumentum, sed grauitate & doctrina Guilhelmi Perkinsi scilicet exaggeratum: nempe has quinque iam nominatas ad Mariā &c. esse spurias, quia Eusebius & Hieronymus non numerarunt. Itaque redibit & prima solutio, nimirum eos illas non numerasse; quia nulla fuit Eusebio necessitas, nulla obligatio numerandi: Hieronymo autem eum sequuto nulla hic occasio à ducis sui vestigijs discedendi: aut certè, si occasio fuit, quandoquidem non fecerit, voluntas defuit. *Hæret.* Mira, ædepol, narras: non fuisse Eusebij institutum numerare omnes libros Scriptorum ecclesiasticorum, de quibus scribit; non fuisse Hieronymo idem propositum, omnes, inquám, libros quos nancisci quidem potuerint; ne fortè tu hîc mihi aggeres tricas. Scio enim, scio non omnes antiquorum codices venire in eorum manus potuisse: sed hoc doce, si potes, non conatos esse illos recensere, quotquot ipsis in manus venerint, aut ab alijs auditu acceperint. Nam certè Hieronymus in proœmio sui operis *De viris illustribus* studium suum atque diligentiam satis profitetur, dum de prætermissis ita se excusat: *Si qui autem de his, qui vsque hodie scripserunt, à me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quàm mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua, de his quæ non legi, nosse potui: & quod alijs forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum.* De Eusebio quoque, licet tam expressum non habeamus testimonium, tamen ipsa eius recitatio tot codicum à viris ecclesiasticis exaratorum fidem abundè facit. *Cathol.* Fateor equidem ambos illos egregiam huic rei nauasse operam, adeóque tam vtilem, vt magnas illis propterea debeat Ecclesia gratias (absque illis enim foret, Scriptoribus plurimis careremus) sed tamen minimè tantam adhibuerunt, (dicam enim liberè, quod sentio) quantā ad satisfaciendum vobis hæreticis opus fuit: & quantam nonnulli fortè Catholici, licet pauci, desiderassent. Ac Eusebius quidem (qui nunquam professus est se omnes illustrium virorum, quorum mentionem faceret, libros enumeraturum) quòd aliquos omiserit, extra culpam est; quòd verò multos protulerit, etiam laudem meruit.

Scripsit

Scripsit is rerum ab Ecclesia gestarum historiam, non librorum catalogum, & eam quidem teste Hieronymo bellè contexuit. Ipse autem Hieronymus ex professo quidem librum *De viris illustribus* composuit, sic tamen, vt in prioribus ante se sæculis, ex Eusebij historia (vbi dispersè prout singulorum incurrit mentio, eorundem scripta saltem ex parte referuntur) temporum secutus ordinem, collegerit, atque in vnum corpus redegerit. Verum haud ita in istorum recensione librorum diligens fuit, vt tales vellet admittere aut valere argumentationes: Hieronymus diligẽs fuit librorum perscrutator, & conatus est omnes virorum illustrium codices recensere: recensuit autem S. Ignatij epistolas septem duntaxat: igitur non plures scripsit: igitur quæ supra septem proferuntur, spuriæ sunt. Egit item de beatissimo Polycarpo Smyrnę Episcopo, & vnius duntaxat eius ad Smyrnenses epistolæ meminit: ergo non plura scripsit: ergo si plura illi scripta attribuantur, adulterina sunt. Minimè, inquam, illi placerent tales argumentatores, atque, vt acri, feruidóque erat ingenio, ita si nunc existeret, sanè aduersus istos SS. Patrũ hostes satis indignabundus exsurgeret, ac diceret: Quid hoc rei est atque litigij? Quid me conatum esse dicitis, quod nunquam proposui, nunquam cogitaui? Quos viros illustres habuisset, haberetq; Ecclesia, prodere Gentibus volui: quàm multa autem scripsissent, vel quot restrictè libros edidissent, litteris consignare nec volui, nec potui. Non illius hoc est opus, qui in vno terræ angulo absconditus latet; sed qui præclaras quasque lustraturus bibliothecas totum mundum liber solutúsque perambulat. Descripsi tamẽ, quos apud Eusebium in sua historia inueni: addidi etiam nonnullos, præsertim ab illius excessu & nostra ætate in lucem datos: non omnes tamen. Quis enim omnium scrinia excutiat? quis omnia tabularia, pulpita exquirat? Sed satis multos tamen recensui, vt discere possint *Celsus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduersus Christum canes, atque eorum sectatores, qui putant ecclesiam nullos philosophos & eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti & quales viri eam fundauerint, extruxerint, ornauerint: & desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suámque potiùs imperitiam agnoscant.* Hæc, inquam, aduersus istos diceret, immo ex parte iam dixit Hieronymus. Itaque magis studuit idem sanctus Pater Ecclesiæ sacros scriptores enumerare, quã ipsorũ libros omnes percensere: exẽplo scilicet Ciceronis in Bruto, qui non orationes, sed Oratores ipsos in medium duxit. Se enim idem Hieronymus in illo ad DEXTRVM procemio illius imitaturum rationem profitetur, cùm sic ait: *Itaque Dominum IESVM Christum precor, vt quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ stetit, non est facere dedignatus in Bruto, Oratorum latinæ linguæ texens catalogum, id ego in ecclesiæ eius Scriptoribus enumerandis dignè cohortatione tua impleam.* Dicit igitur Hieronymus se Scriptores enumeraturum, non scripta: quemadmodum & Cicero in libro, qui *Brutus* inscribitur, Latinorum Oratorum texuit catalogum, non autẽ orationum ab ipsis habitarum, aut librorum in lucem editorum. Vultisne porrò cõdiscere, nihil quoque amplius ipsum sibi proposuisse Eusebium? legite caput ipsius primum historiæ, quod procemij vicem habet, omnémque eius scopum explicat: ibi videbitis nihil aliud eum operæ polliceri, quàm descripturum se SS. Apostolorum successiones à Christo Domino ad sua vsque tempora deuolutas, & res ab Ecclesia interim præclarè gestas, & illustres viros, qui celeberrimis in locis ecclesias administrarint, aut qui verbo vel scripto, quibusque temporibus, Verbum Dei insigniter adstruxerint, aliáque eiusmodi, quæ cerni illic possunt. Sed posterius illud membrum, quod maximè in rem facit, ita græcè extulit: ὅσοι τε κατὰ γενεὰν ἑκάστην ἀγράφως ἢ καὶ διὰ συγγραμμάτων τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον. *Et qui quantiue per singulas ætates sine scripto, aut etiam scripto diuinum verbum prædicarint.* Quare ipsos Scriptores se celebraturum, non eorum scripta computaturum ait. Nec enim ibi aliud Eusebius, ô antagonistæ nostri, quod pro vobis faciat, habet. Conceditísne igitur, neque illum, neque Hieronymum in animo habuisse omnes illustrium Ecclesiæ virorum codices recensere? *Hæret.* Negare non possumus. Sed hoc tamen etiam certum est, vt quàm maximè obuium sit plurimos reperire, qui pauciora præstent, quàm promiserint; ita nonnunquam aliquos esse inuenire, qui plura. In quorum numero vt nominati auctores ponantur, ipsorum sedulitas & de rep. Christiana bene merendi voluntas facit. Nam satis diligenter singulorũ Auctorum volumina (quoniam ea non parum tam ad ipsorum, quàm ad Ecclesiæ gloriam spectare intelligebant) videntur memorando persecuti. Ostende igitur nobis saltem illorum alterutrum (sed extra rem præsentem) vel negligentia, vel obliuione, vel quapiam simili ex caussa codices aliquos illustris cuiuspiam personæ præterijsse immemoratos, quos tamen ab ea scriptos omnibus sit in confesso. *Cathol.* Ostendam equidem (nec enim ostensu difficile est) & in eo quidem, à quo minùs expectandum putetis: nempe in S. Hieronymo, cuius procul dubio magis interfuit nullos pręterire, quàm alterius. Nam alter in historiâ suâ multa alia, & quidem præcipuè, est complexus: hic autem vnum illud egit, vt illustres viros & eorum scripta commemoraret: quamuis, vt ante dixi, de omnibus non sit professus. Nolo

enim

enim quod caussæ nostræ erit emolumento, id eius gloriæ esse fraudi. Quare vt non lōgè ab Ignatio abeamus, exemplum capiemus in consodale eius Polycarpo Ioannis Apostoli & Euangelistæ discipulo. Quot ergo eius scripta enumerat Hieronymus? certè vnicum. Nam post alia de sanctissimo illo viro breuiter dicta, *Scripsit*, inquit, *ad Philippenses valde vtilem epistolam, quæ vsque hodie in Asiæ conuentu legitur.* Nihilne præterea? Nullius sanè alterius in Hieronymo apparet mentio. Atqui & alia eum scripsisse manifestum est. Nam S. Irenæus eiusdem Polycarpi discipulus aliarum, quas partim ad vicinas ecclesias, partim ad quosdam fratres miserit, in sua ad Florinum epistola commeminit. & S. Maximus martyr vnius ad Athenienses ab ipso datæ, & aliarum ad alios alij mentionem fecerunt. De quibus ad vitam ipsius S. Polycarpi proximè huic subiunctam fusiùs ago. Quemadmodum ergo non licet è verbis Hieronymi vnicam S. Polycarpi epistolam referentis argumētari, plures ab eo scriptas non esse; aut, si quæ eius nomine proferantur, esse spurias: ita de Ignatio ratiocinandum est. Septem enim sunt ab antiquis memoratæ: sed eæ, quæ postea ab alijs repertę sunt non sunt exclusæ. *Hæret.* Quāuis diuersam possimus ostendere rationem esse vtriusque epistolarum, Ignatij & Polycarpi (nam huius, si non Hieronymus, saltē alij antiqui meminerunt; Ignatij autem illarum, quas spurias esse dicimus, nulli antiquorum) tamen, vt ne diutius super isto pūcto altercemur, dabimus vobis non sequi ex eo solo, quòd antiqui earū non meminerint, habendas esse pro spurijs. Neque enim illo dumtaxat argumento nitimur, sed quòd in ipsis epistolis recentiùs inuentis nonnulla deprehendantur haud dubiæ suppositionis indicia. *Cathol.* Quænam illa? *Hæret.* Quæris? Illa, quæ Perkinsus noster, & Scultetus, & multi alij vobis obiecerunt: & quibus qui sufficienter responderet, adhuc è vestris nemo inuentus est. Quantæ autē est illud confidentiæ, noua in lucem procudere; eáque ipsa veterrimis Patribus attribuere, quæ probare non possis? & illa è contrario respuere, quæ refellere non ausis? *Cathol.* Quisquis hoc faciat; permagnæ, fateor, atque intolerādæ etiam, non confidentiæ modò, sed etiam impudentiæ ac proteruiæ arguatur, necesse est. Sed hoc in nobis hærere vitium, haudquaquam est vestrarum virium ostendere. Quin ego ipse, licet omnium in nostro agmine minimus, haud verear in tam bona caussa, cuiuscunque vestrorum gigantum quantoscumque impetus sustinere. *Hæret.* Tu scilicet homuncio & nouitius scriptor, manus conseres cum Abrahamo Sculteto, duce veterano, qui PP. omnes Græcos, Latinos peruoluit, examinauit, discussit? qui Medullam Theologiæ eorundem Patrum infatigabili studio expressit, exsuxit, orbi famelico & ægrotanti degustandam, & depellendis prauis errorum humoribus hauriendam propinauit? qui singulorum librorum perfectissimas Analyses, improbo labore, sed vtilitate incomparabili, tam apta atque exacta methodo digessit; vt vno propè aspectu videre possis vniuscuiusque tractatus scopū, argumenta, dispositionem, acumina, victorias? qui libros germanos ab illegitimis; qui Patrum næuos à doctrinæ sinceritate; qui dubias & inconstantes sententias à certis & stabilibus admirabili iudicio discreuit, dispunxit, disterminauit? Ac ne quid insuper intactum magna illa mens relinqueret, etiam Notas apprimè vtiles dissipandis quibusdam errorum vestrorum reliquijs adiunxit. Tu lege scripta eius, si sapis, & sapientior eris. Nam aliò me negocia auocant, nec possum meliùs, quàm is quem tibi nominaui, satisfacere. *Cathol.* Ne ita festines, quæso, sed morare etiam pauxillulum, & profer singillatim quænam sint, ea, propter quæ illas alteras Ignatij epistolas iudices spurias. *Hæret.* Necessaria, inquam, negocia me aliò auocāt: satis sit, quod ego tibi digitū, vt aiunt, ad fontem: ibi sitim sedabis. Vale. *Catholic.* Isthic homo valde festinus & mirè negotiosus est, qui vel tantillum nobis neget otij, quo tria verba suæ obiectioni respondeamus: aut si bellator audire malit; leuis profectò admodum armaturæ est, qui telum vnum iecit, & fugit. Quid faciemus homini illi, qui audiri vult, audire non vult? Verùm hoc saltem ab illo extorsimus vel inuito, vt etiam Perkinsum suum, quem satis laudarat, haud satis argutè argumentatum esse agnosceret atque desereret; in eo nimirum, quod dixerat Eusebium & Hieronymum septem Ignatij numerasse epistolas, & cùm nunc habeantur duodecim, quinque esse spurias: quod hic noster fugitiuus non rectè concludi admisit. Quando autē à Perkinso ad Scultetum perfugit; certum nobis est, illud ipsum instauratis viribus inuadere perfugium.

Quid ergo de S. Ignatij epistolis sentit Scultetus? *Lib. 11. Medull. c. 1.*

Inter dubia & incerta, inquit, *numero epistolas Ignatij & Polycarpi.*

Quamobrem verò inter dubia & incerta?

Nondum enim, inquit, *inter orthodoxos* [sic tribules suos hæreticos appellat] *conuenit: sintne epistolæ istæ celeberrimorum martyrum Ignatij & Polycarpi, an aliorum.*

Deinde tres proponit hæreticorū opiniones: quarū prima est eorum, qui tenēt quinque esse spurias: qualis est cū suo Perkinso is, qui iam modò mecum disputabat. Secunda est tenentium cunctas esse legitimas, qui proinde toti à nobis sunt. Tertia est mediorum, qui fatentur quidem omnes 12. epistolas esse Igna-

Igna-

Ignatij, sed tamen adulteratas & interpolatas, non verò puras & integras, vti ab eo scriptæ sunt: in quorum numero se ponit ipse Scultetus.

Primæ igitur & pessimæ opinionis auctores sic introducit loquentes, aut ipse potiùs ipsorum nomine sic scribit:

SCVLTETI VERBA PRO PRIMA SENTENTIA

Non videntur epistolæ istæ ab Ignatio Antiocheno confectæ: & quia nuper admodum typis mādata in lucem prodierunt: & quia in ijs non reperiuntur, quæ Ignatij ex epistolis Hieronymus olim & Theodoretus allegarūt. Taceo, quod plures hodie exstant, quàm vel Eusebij vel Hieronymi ætate: in quibus de Quadragesima & Sabbati ieiunio seuerissimè præcipitur. Quam superstitionem eo tempore natam esse incredibile multi existimant. Sic ille.

Hanc pessimorum hæreticorum opinionē refutat secunda opinio, non fauens tantùm Catholicis, sed hac in re (si verbū vnum excipias) prorsus consentiens: ideóque licet paullò longior; quia tamen caussæ nostræ commodat, integra & totidem verbis reponetur. Sic ergo habet:

SCVLTETI VERBA PRO SECVNDA SENTENTIA.

Sed enim, qui contrariam tuentur sententiam; & epistolas, quæ hodie leguntur, Ignatio martyri attribuunt, rationes æquè graues opinionis suæ proferre possunt. Fauet enim illorum iudicio materies epistolarum, quæ maximam partem est de hac quæstione: Christus ἀληθῶς an δοκητικῶς sit passus? Quæ quidem controuersia primos illos doctores exercuit. Patrocinatur ijsdem & hoc: quòd ipsa orationis forma simplicitatem quandam sanctam redolet: & loquendi de Deo, aliisq; fidei articulis modi cum phrasibus vetustissimorum Patrum pulchrè cōsentiunt. Neque vero mirum cuiquā videri debet superstitionē de Quadragesima & ieiunio ab Ignatio probatā, præceptámque: quādo Apostolorum temporibus ipsis erant, qui ritus & cærimonias vrgebant. Nec obstat, quod citatum à Theodoreto ex epistola ad Smyrnenses testimonium cōtra hæreticos, de eucharistia, in nostris exemplaribus non legitur: cùm quæ idē pater paullo superiùs ex eadē epistola probat de veritate carnis Christi post resurrectionem, integra in nostris editionibus habeamus.*

* Religionem Catholici appellant.

Ita hæretici secundæ opinionis, qui quātum ad epistolas toti nostri sunt, hoc est, vt fateantur germanas esse Ignatij, neque ea quæ in illis de Quadragesima & ieiunio continentur, ab alijs intrusa esse, sed ab ipso scripta Ignatio: in hoc autem tantùm à nobis alieni sunt, quòd illa superstitionem vocent: nos pietatem, religionem, deuotionem. Videant porrò, quàm consequenter ipsi loquātur: dum fatentur Ignatium esse martyrem sanctissimum ac fortissimum, & simul tamen docere non verentur illum ipsum non modò probasse superstitionem, sed etiam præcepisse.

Non benè conueniunt tam sanctus Martyr & error.

Quanto meliùs autem sensissent, sibique & famæ suæ cōsuluissent, si considerata viri antiquitate, dignitate, sapientia, sanctimonia, acceptis à Deo reuelationibus, ardentissimo Christi amore, & super hæc omnia, nobilissimo omniū martyrio; si istis, inquam, consideratis, tum attentè cum animis suis perpendissent fieri nequaquam posse, vt talis Apostolorum discipulus, talis Dei amicus, talis veritatis Christianæ testis, hodieque ab omnibus etiam hæreticis honoratus, vel minimum errorem aut superstitionem in ecclesia sua permiserit, multo minùs docuerit, minimè omnium præceperit. Quin potius credendum esse omnia, quæ tantus Ecclesiæ magister ac doctor (cui fortè secundùm Apostolos par vnquam non fuit) quæ is, inquam, præceperit, docuerit, permiserit, nō posse non sanctissima esse atque verissima, & cunctis ea sequentibus longè tutissima.

Venio ad tertiam hæreticorum de ijsdem S. Ignatij epistolis à Sculteto productam opinionem; quam his verbis effert:

Verba Sculteti pro tertia sententia hæreticorum.

Rationibus his in omnem partem probè diligēterque excussis, in tertiam nonnulli secesserunt sententiam: statueruntq; esse quidem epistolas hasce Ignatij; sed adulteratas, sed interpolatas. Quorum in iudicio & nos acquiescimus.

Ita Scultetus, hæreticorum à Caluino non minimus veterator. Accipiemus igitur de his epistolis, quod nobis dat; aut retinebimus potiùs, quod non aufert: nempe illas epistolas omnes, hoc est, 12. esse re vera Ignatij. De illis enim omnibus agit & intelligit. Verùm quòd addit adulteratas & interpolatas, hoc sanè, prout ipse intelligit, non facilè illi concedemus; & vbi quidem ipse maximè vult, ibi nos omniū minimè: vt paullò postea ostendemus. Vnum hoc omittere non possum, vt ab inimico acceptum, sic tanto fortius pro nobis contra illos, super cælestibus S. Ignatij donis testimonium. Sic ergo Sculteus: *Illud constat, Ignatium antecelluisse plerisque alijs admirabili præstantia ac varietate donorum Spiritus sancti. Quod non tantùm suæ ætatis iudicia; verùm etiam propagata in multa sæcula memoria nominis eius ostendunt.*

Hæc enimuero memoria nominis eius nō solum propagata in multa sæcula, sed etiam propagāda in omnia post futura, facere meritò debuisset, vt Sculteus animum suum ad eius diuina scripta examinanda, probanda, defendenda magis, quàm fecerit, applicuisset. Verùm id est omnium fere hæreticorum ingenium, vt proniùs ad quaslibet SS. Patrum improbandas sententias, quàm ad suas semel conceptas opiniones reprobandas, quodam violenti erroris impetu deferantur. Quid autem afferat idem Sculteus, quamobrem sanctissimi martyris epistolas putet adulteratas aut interpolatas, tempus nunc est exquirendi. Ad quod meliùs præstan-

ſtandum, ac ſimul ad clariùs diſcernendum, vtra in parte ſtet veritas, ſtatui per ſingulas epiſtolas, totidem, quot ipſæ ſunt, in capita diuiſas pedetentim incedere; & primum noſtra confirmare, deinde aliena refutare.

CAPVT I.

DE EPISTOLA S. IGNATII AD MARIAM VVLGO CASSOBOLITEN DICTAM.

HAnc epiſtolam eſſe S. Ignatij probatur his argumentis:

Primò ſtat pro hac ſententia communis omnium Catholicorum auctoritas: cui hac in parte volens lubens ſubſcribit Iſaacus Caſaubonus, licet à Chriſtianis placitis nō rarò, vt ſatis notum eſt, alienior. Is igitur lib. XVI. Exercitationum, cap. CLI. à Scriptis S. Dionyſij Areopagitæ, (quem oſtendere conatus eſt ſuper quadam controuerſia à ſuis ſtare partibus) ad epiſtolas S. Ignatij tranſiens, quas itidem pro ſe citat, ſic ſcribit: *Idem dicimus de epiſtolis Ignatij, quas negare eſſe antiquiſſimi illius martyris & Epiſcopi Antiocheni, hæreſis hodie fuerit. Et vero nonnullarum ex illis antiquitatem nouis rationibus tuebimur nos alibi, ſi Deo placuerit. Hic igitur Ignatius in ſingulis ferè ſuis epiſtolis dignitatem Epiſcopalem miro ſtudio aſſerit: & totum ordinem eccleſiaſticū in illis epiſtolis eſt inuenire. Anacleti etiam mentio habetur in epiſtola ad Mariam: & nominatur μακάειος Πάπας, beatus Papa.* &c. Itaque hæc ad Mariam epiſtola illi probatur nominatim.

Secundò. Quia reperta eſt in antiquiſſimis exemplaribus, tam græcis, quàm latinis connumerata cum alijs S. Ignatij epiſtolis; nec apparet cauſſa, cur magis reijcienda ſit quàm reliquæ. Nam ea quæ afferebatur ex Euſebij & Hieronymi ſilētio, reiecta eſt non tantùm à Noſtris, ſed etiam bonam partem ab hæreticis, atque etiam ab ipſo Sculteto, qui nihil in hac nec adulteratum, nec interpolatum animaduertit: ſolummodò contra veterem latinum interpretem ſubdidit notatiunculam, de quâ nonnihil infrà dicendum erit: vt appareat, quàm vera illi laus ab Antagoniſta noſtro attributa ſit.

Tertiò. Quia materies eadem ferè eſt, quę aliarum epiſtolarum, de quibus ambigi non licet. Agit enim de ſtatu ſuo in perſecutione: de vitandis hæreticis qui Chriſti paſſionē & natiuitatem eius ſecundum carnem negant: & vſitatam animi præ ſe fert magnitudinem, & ſententijs vtitur valde conformibus ijs, quæ in epiſtola ad Romanos, & in alijs eiuſdem notæ reperiuntur. Illam quoque ex more ſibi conſueto, Preſbyterorum & Diaconorum ac præcipuè Heronis nomine ſalutat hoc modo: Ἀσπάζονται σε οἱ Πρεσβύτεροι, καὶ οἱ Διάκονοι, καὶ πρὸ πάντων ὁ ἱερὸς Ἥρων. *Salutant te Presbyteri, & Diaconi, & præ omnibus ſacer Heron.* Sententiæ porrò in hac epiſtola ſimiles aliarum epiſtolarum ſententijs ſunt hæ: Ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι, ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. *Quin ipſorum potiùs iniurijs erudior, vt Chriſtū IESVM conſequar.* Cuius mēbrum poſterius bis eſt in epiſtola ad Romanos: prius autem ſemel. Item: Ὀναίμην τῶν δεινῶν, τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων. *O ſi grauibus illis, quæ mihi parata ſunt, fruar!* In epiſtola autem ad Romanos: Ὀναίμην τῶν θηρίων &c. *O ſi fruar feris!* &c. Quam ſententiam ex eo citat S. Chryſoſtomus homilia in ipſius laudem. Cur autē ibi δεινῶν, hic θηρίων dixerit, cauſſa non defuit. Nam cùm ad Romanos ſcriberet, ſciebat ſe damnatum ad leones: cùm autem multo antè tempore in Domitiani perſecutione eſſet in vinculis, optabat generatim per grauia tormenta obire pro Chriſto mortem: quippe ignarus quali afficiendus eſſet, & quibus tormentis ſubijciendus. Quod etiam argumentum eſt epiſtolas illas diuerſis temporibus datas. Si enim eodem, tum & ibi ferarum, ſeu leonum, vt in alijs epiſtolis fecit, meminiſſet. Talis eſt & illa: Ἀντίψυχός σου γενοίμην ἐγώ. ὅτι φιλεῖς Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. *Quàm velim animam meam pro te ponere; quia IESVM filium Dei viui amas!* Cuiuſmodi locutio in compluribus eiuſdem Ignatij epiſtolis reperitur, ſed apud alios ſacros Auctores cum iſtis verbis in illo ſenſu vix vnquam: quæ proinde non obſcura eſt nota epiſtolarum S. Ignatij. Sic enim ferè cognoſci dicuntur Scriptores è ſtilo, & ab alijs ſecerni & internoſci; cùm aliquos habent loquendi modos ſibi perquam familiares ac proprios, qui vix vnquam apud alios inueniri poſſunt. Quales ſunt Ignatio, quas nunc produximus.

Quartò. Spiritus Ignatij Apoſtolicus perinde in hac epiſtola atque in alijs clarè promicat, vt facile eſt eam legenti animaduertere, præſertim ab eo loco: *Ego verò, ò beata, non tam mei iuris, quàm aliorum tam factus* &c. vide ſuprà, cap. 7. vitæ; vbi eam epiſtolam inſeruimus.

Quintò. Ipſa inſcriptio, vt amoris & laudis plena, ita & prolixa ac ceteris reſpondens, planè ſuum auctorem prodit Ignatium. Quam inſcriptionem quiſquis improbat, aut ſancto martyri abiudicat, næ is improbus & malè ſanus iudex eſt.

Hæ igitur rationes ſunt pro hac prima epiſtola. Quam & Scultetus fatetur eſſe Ignatij, & quidem nihil habere adulteratum, vt ſuprà dixi, nihil interpolatum. Id enim debuiſſet (vti in quibuſdam alijs epiſtolis fecit) oſtendere. Hic autem non fecit. Neque itē eius ſimius Andreas Riuetus, in Critico ſacro, hoc eſt, execrando, vbi conatur magiſtros ſuos non tam ſcientiâ ſuperare, quàm impu-

impudentiâ: non eâ solùm impudentiâ, quâ erga nos vtitur in calumniando: sed etiam quâ erga suos abutitur in furando. Nam Scaligeri, Sculteti, & aliorum dicta totidem ferè verbis sublegit, & pro suis venditauit. Pro eo igitur, quod dixerat absolutè Scultetus: *Intertiam nonnulli secesserunt sententiam, statuerúntque esse quidem epistolas hasce Ignatij, sed adulteratas, sed interpolatas:* ipse de ijsdem loquens lib. 2. cap. 1. sui Critici: *In hanc*, inquit, *sententiam secesserunt, esse quidem plerasque illas epistolas Ignatij, sed adulteratas & interpolatas multis in locis*. Circa hanc epistolam autem Ad MARIAM nullum talem locum notat.

Sed ecce nouum nobis bellum exoritur: Nicolaus enim Vedelius Minister Geneuensis, vt audacior Sculteto, vt Riueto impudétior videatur, omnino ac penitus hanc epistolam reijcit, vti & quatuor alias, & contra quam isti nihil afferunt, ipse prodigus plurima dispergit, & sua nequicquam disperdit. Quin & in ipsas, quas admittit, genuinas epistolas, *non pauca irrepserunt*, inquit, *Hellionum audacissimorum vestigia: ideo eam etiam curam habui, vt hæc à genuinis secernerem.* O canem sagacem ad odoranda stellionum vestigia! O prouidum & curatum plenū ad secernenda à genuinis suppositititia, & ad prospiciendum, ne synagoga Caluiniana aliquid detrimenti patiatur! Audite prouidentiam. *Dico igitur*, inquit, *non omnes illas duodecim epistolas genuinas esse; sed septem tantùm germanas, quinque autem suppositititas. Non ego auctor sum huius opinionis: debemus eam in primis ABRAHAMO SCVLTETO, Theologo eximio.* Ita homo callidus & versutus debere se ait absurdam suā opinionē Abrahamo Sculteto. An hanc illi Scultetus seu viuēs seu moriens in aurem dixerit, nescio. Nā scripta eius, quæ verbo tenus citaui, aliud sonant. An fortè iudicauit sibi licitum esse, pro tam bonæ opinionis assertione, splendido vti mendacio, & eximij Theologi fictam auctoritatē eo iure, quo amicorum omnia sunt communia, vsurpare? An magis arbitratus est tantum esse vbique nomen suum, vt sibi & iniurato & verba auctorum fraudulenter reticenti aut commutanti, quicquid de quocunque diceret, omnes crederent? Non ostendit, non probat Scultetum eius opinionis esse auctorem, sed dicit tantùm: ego contrà non dico tantùm, sed etiam ostendo, non solùm non esse illum eius opinionis auctorem, sed etiam docere contrarium. Verba enim eius, quæ suprà posui, extant in suæ Medullæ Theologiæ Patrum parte prima, libro vndecimo, cap. primo: ac si quis requirat, cuius editionis, & vbi, & quo anno, ecce ex ipsomet codice, vbi sic inscriptum est in fronte: *Editio quarta, prioribus emendatior, & Analysi Actorum concilij Nicani auctior. Cū præfatione Dauidis Parei D.* Et de loco atque anno sic: *Amberge. Prostat in officina Abrahami Vetteri. Anno M. DC. XIII.*

Pro epist. contra Vedel.

At enim Scultetus inter dubia & incerta scripta epistolas numerauit. Verum est, ac proinde non absolutè inter suppositititia, vt Vedelius: & quidem inter dubia posuit, non quòd ipse dubitaret, sed quòd homines suæ sectæ non conuenire diceret: quos cùm diuisisset in tres ordines, quorum vnus ordo assereret illas esse Ignatij, tantùmque illas adulteratas & interpolatas, hoc est, additione, aut detractione, aut aliqua etiam commutatione variatas, non autem (vt Vedelius vult) planè spurias & confictas; tum, inquam, istorum se opinioni dixit accedere. Quòd autem quinque essent spuriæ, septem germanæ, Scultetus ne verbum quidem; sed omnes 12. epistolas absque vllo discrimine, in eodem loco & numero posuit. Vedelius autem locis & libris discreuit. Fundamentum autem, quo ipse nititur, non est aliud, quàm quod initio huius apologiæ euertimus, nempe in Eusebij & Hieronymi silentio malè & maliciosè ab eo constitutū. Quare nihil necesse est instaurare pugnam. Nihil necesse est quidem; sed tamen quia irruit & locum dat vulneri, non parcam. Quid ergo ais Vedeli? An quinque epistolarum non meminisse Eusebium, non Hieronymum, non alios? Quid tum? si quidem aliter fuisse constet, & probari possit? Omittam enim, quod dictum sufficere posset, non meminisse scilicet, quia noluerint, aut occasionem non habuerint, aut etiam esse nesciuerint. Hoc enim & ipsi fassi sunt. Tu autē Vedeli, cū scias illas quinque epistolas, aut saltem quatuor ex illis fuisse iam ipsis temporibus S. Hieronymi aut etiam antè: quid tu aut tui potestis de illarum nouitate obtendere? Nam cùm S. Hieronymus vixerit extremo quarto sæculo atque etiam quinti initio, & tu ausis asserere saltem quatuor ex illis confictas fuisse quarto sæculo, necesse est fatearis illas fuisse temporibus Hieronymi, vel etiam antè. Sic enim scripsisti in *Apologia pro Ignatio* (meliùs autem inscripsisses *contra Ignatium*, quando suis illū scriptis exspolias) sic, inquam, ibi scripsisti cap. 3. *Quare mirum non est, si Adone antiquior aliquantulum interpres, vt vult Mæstraus, inuenit iam epistolas suppositititias. Libenter enim cōcedo iam diu ante interpretem eas extitisse: quandoquidem & ante Damascenum, qui vixit circa annum 731. legebātur. Immo ausim asserere quarto sæculo post Christum iam ad minimum quatuor confictas fuisse.* Age modò. Constat eas tunc fuisse, sed tuo iudicio confictas; nostro autem, verè ab Ignatio conscriptas. Et probatio nostra est, vt de thesauro. Sicut enim is multis pòst sæculis inuentus quàm abditus fuit; prodit se ex inscriptione, ex imagine, ex notis cuius sit, qua ætate, quo Imperatore defossus

Nicolai Vedelij.

defossus fuerit:ita & inuenti codices: ita & epistolæ S.Ignatij. Nam eius inscriptum nomen habuerunt,& imaginem virtutum scriptis expressam,& notas illustrium personarum tunc viuentium, atq; etiam hæreseon tunc vigentium, & viri eximiæ pietati ac fortitudini conformem stilum. His enim ferè vestigijs(vt viri docti & prudentes ac moderati norunt) ad certam librorum recens inuentorum explorationem cuncti vulgò gradimur.

Iam verò, vt ad nostram B. Ignatij primã epistolam reuertamur, hæc omnia, quæ iam dixi, in illa reperiuntur, & omnibus quidem consentientibus Catholicis, & hæreticorũ non paucis: dissentiente autem ferè in omnibus peruicace Vedelio,qui & ipsam inscriptionem (licet inscriptionibus alijs tam sit similis,quàm ouũ ouo,& lac lacti, vt dicitur) haud veritus est calũniari.Idẽ de stilo fecit,ob elegantiam & nitorem vnius atque alterius periodi supra epistolas alias eminentis. Quasi verò in scribendis litteris eadem semper sit aut esse possit sermonis elegantia,nec ea pro rebus ipsis,pro personis, pro temporibus,pro ipsius scribentis ætate ac dispositione varietur. Hãc scribebat S. Ignatius multo iunior, vtpote temporibus Domitiani, scribebat ad sanctissimam ac pudicissimam atque sapientissimam virginem, multis iam pro ecclesia laboribus claram, scribebat eius litteris & pietate prouocatus. Vocat πάνσοφον sapientissimam,propter multam ipsius in sacris litteris eruditionem,qua & alios erudire poterat. Quæ eadem vox in Menæo Græcorum non rarò ad Sanctorum laudes adhibetur, & à doctissimo Philone in prosa, atque ab alijs vsurpatur, ita vt nec pro Deo solum, nec à Poëtis tantùm(vti visus est idem innuere calumniator) à bonis Auctoribus vsurpetur. Addit S. Martyrem in similitudine à purissimis fontibus ad piorum animas accommodatâ, non loqui more Christiano, sed philosophico: verùm ipse bis fallitur: semel, mentiendo, dum dicit eum non loqui more Christiano: & altera vice, distinguendo morem Christianum à philosophico: quippe cũ mos Christianus sit maximè philosophicus, ita vt sancti Patres Græci religionem Christianam sæpissimè philosophiam appellent.

Deinde displicet illi duos viros à sancta illa femina commẽdatos esse B.Ignatio. *Vbi mirum eos potiùs*, inquit, *à muliere Christiana, quàm à viris Christianis, aut ab Episcopo, aut ab ecclesia commendatos fuisse.* Nihil aliud respondendum est, quàm istam admirationem esse hominis stulti,& ignorãtis quã sæpe accidat, vt petãtur à feminis cõmẽdationes: quòd ita res exigant. Debuisset scire Vedelius, quinã essent isti viri, quænam ista femina,cuius rei caussâ commendarentur; vnde venirent,quò tenderent, & alia eiusmodi: ac tum si quid appareret absurditatis, id demum indicare. Iã autem eũ reprehendere id quod nesciat, cuius est & stultitiæ & malignitatis? Quid si enim res eiusmodi erat, vt nec Episcopi, nec ecclesię testimonium aut commendationem requireret? Quid si illorum probi ac honesti mores, nulli notiores quàm isti sanctæ virgini essent? Quid si eius quàm vllius alterius commendationem viri isti mallent? Multa enim huiusmodi in dies eueniunt. Ponit & alia, quæ similiter ignorans qualia essent, & quam ad rem dicta; æquè temere ac superiora reprehendit, & quidem pro omni refutatione his vtitur friuolis: *Quam*, inquit, *id friuolum est!* Et infrà: *Friuolum est etiam, & affectatum, quod vbi loquitur de Papa Cleto, addit: cui nunc successit beatissimus Clemens.* Atqui id sanè minimè friuolũ est. Indicare enim, quis recenter creatus sit Pontifex,omnium interest non parum, sed præsertim magnarum ac sanctarum personarum, & quæ precibus suis iuuant ac sustentant ecclesiam, qualem inter alias extitisse hanc Mariam, & ex epistola ad Heronem, & ex ipso Paullo cognosci licet. Probo enim in commentario epistolarum, eandem esse. Sed nimirum noster iste tenebrio mentis oculos tetro inuidiæ atque odij veneno suffusus, aliter res cernit, quàm sint, & in deteriorem cuncta interpretãs partem, imaginatur iam diu Clementem inijsse Pontificatum, dum illa S. Ignatius scriberet, & virginem illam multò antè id sciuisse: quod vtrúmque falsum est: cùm, vt dixi, epistolã illam sub Domitiano scripserit. Redit postremò rursus ad stilum, & dicit: *Phrasis affectata & alienissima à stilo Ignatij per se apparet, vt non opus sit id ostendere. Si autem quidam loquendi modi sunt in ea epistola, qui in genuinis Ignatij reperiuntur; ij studiosè & callide inserti sunt à stellione, vt Ignatij genuina epistola videatur. Sic epistolam ad Mariam patet esse suppostitiam.* Hactenus cum suis aranearum telis,fictorum à se stellionum persecutor Vedelius. Quis autem isto modo non plurimas suis auctoribus epistolas auferat? Vbi enim fuerit acumen aliquod extraordinarium & rotundiùs ducta periodus, quamuis multi proprij ac familiares modi epistolam suo auctori astruant, dicet aliquis Vedelianus araneus: isti loquendi modi studiosè & callidè inserti sunt à stellione: alioqui *phrasis affectata & alienissima à stilo*, verbi gratiâ, Chrysostomi, Hieronymi, aut cuiuscunque voluerit, *per se apparet, vt non opus sit id ostendere.* Hæc enim semper magis obuia sunt,& cuiuis calumniatori magis in promptu, quàm bonæ ac solidæ rationes. Verùm age Caluinista. Soléntne homines probi ac docti facilè ferri ad disperdendũ frustra & sine vllo fructu tempus suũ in scribendis epistolis, quas alicui alteri affingant? An te vnquam vlla cepit cupido eius rei faciendæ?

ciendæ. Nam illi ferè magis suspicaces sunt aliquid ab aliquo factum esse, qui hoc ipsi audeant. Túne igitur hoc aliquando ausus es? Ego verò te hoc lubés libero crimine. Nec de te hoc credam, nec de vllo tuorum facile mihi persuadebo; tantum scilicet vobis abundare temporis, vt talia vacet & lubeat scribere. Cui igitur bono fuit istam epistolam nomine S. Ignatij ad Mariam confingere? An vt quispiam hæresim aliquam tanti viri auctoritate oppugnaret? Quamnam? an eam cuius in illa epistola fit mentio? At illa fusè in alijs eius epistolis refutata est: hic autem nomine tantùm tenus est expressa, vt videtur. Hoc enim scribenti ad mulierem satis fuit. Nam si quis hoc propositi habuisset, vt eã hæresim latè refelleret, & Ignatio nomen pareret; longiorem sanè epistolam, nec illam quidem ad mulierem; sed ad virum quempiam alicuius nominis exarasset. Denique nihil apparet caussæ, quamobrem ea dici possit esse conficta. Nam quæ commentus est Vedelius, ea non sunt flocci.

Hæc in eius epistolæ defensionem. Restat vna Sculteti notatiuncula, non contra epi- SCVLTETI NOTATIVNCVLA CÆCITATIS PLENA.
stolam Ignatij (eam enim, vt dixi, totam approbat) sed contra interpretem Vairlenium, qui illam sententiam: Ἀντίψυχές σου γενοίμην ἐγώ. verterat sic: *Faxit Deus, vt tui similis sim;* reprehendit ergo illam versionem Scultetus, & simul reprehensionis caussam addidit his verbis: *Malè. Qui enim τὰ ἀρεστὰ Θεῷ ποιεῖ πάντοτε, (quod de se scribit auctor ad Ephesios) qui potuit optare, vt vitam haberet ad exemplum feminæ quamlibet piæ compositam?* Et quantum ad reprehensionem attinet, benè reprehendit. Malè enim verterat illo loco Vairlenius, cùm vertere debuisset, sicut alibi: *Vtinam pro vestra liceat animam meam commutare?* si quidem accipiat pro *animam meam pro te ponere.* Quantum verò ad rationem reprehensionis spectat, operæ precium est attendere hominis, qui Ss. Patrum medullas attigit, & qui singulorum librorum perfectissimas (vt priùs ab aduersario dicebatur) analyses digessit, incredibilem in scriptis S. Ignatij oscitantiam, aut cæcitatem potiùs: nimirum qui illa verba, quæ S. Ignatius Deo attribuit, dicat ab illo de semet prædicari. Nam verba S. Ignatij, in epistola ad Ephesios, sub initium sunt hæc: Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς πάντα κατὰ γνώμην πράττει τοῦ πατρός. ὡς αὐτός που λέγει· Ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε. *Et IESVS Christus omnia facit secundùm Patris voluntatem: sicut ipse quodam loco dicit: EGO, QVÆ PLACITA SVNT EI, FACIO SEMPER.* Quæ postrema verba quis non videt IESV Christo attribui, & non Ignatio? Sunt enim ipsissima Christi verba in euangelio S. Ioannis cap. 8. ver. 20. vbi sic ait: *Et qui me misit, mecum est: & non reliquit me*
Ioannis 8. ver. 29. *solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* id est, Pater meus, qui me misit in terras, non est à me separatus; sed semper mecum est, & mecum operatur, vtpote eiusdem mecum substantiæ, potentiæ, operationis. Et hoc est quod dicit: *Non reliquit me solùm:* quasi sim sine illo scilicet, aut ille sine me: *quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper:* non post illum, sed cum illo. Non enim similia ijs, quæ facit, ego facio; sed
eadem, iuxta illud eiusdem Ioannis 5. ver. 19. Ioannis 5. ver. 19.
Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Vbi illud *similiter*, & græcè ὁμοίως, id est, *iisdem & peræquè facit.* Scultetus igitur verba paullò superiùs posita, & ab Ignatio personæ Christi (cuius ab ore sanctissimo prodierunt) attributa, dixit ipsum de se Ignatium pronunciasse. Ex quo collige, quàm diligenter eius epistolas legerit, & quàm altè in earum medullas penetrarit: & quàm exactè totam illam suam Medullam Theologiæ Ss. Patrum confecerit. Quomodo autem fieri potuit, vt ex tot eiusdem sanctissimi viri locis purissimam eius ac sincerissimam animi humilitatem atque modestiam testantibus, non viderit illa verba prorsus ab eo esse aliena? nec animaduerterit, quàm hæc inter se pugnent, dicere in epistola Ad Trallianos: *Non vt Apostolus quicquam constituo: sed meo me modulo metior, vt ne in gloriatione peream;* & eundem in epistola Ad Ephesios dicere: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, attribuendo sibi scilicet ipsa Christi Filij Dei verba. Sed de hac prima epistola satis: venio ad secundam.

CAPVT II.

DE EPISTOLA AD TRALLIANOS.

RAtiones pro prima epistola in medio positæ militant pro secunda: itémque pro alijs sequentibus, atque eo quidem fortius; quod in his tanquam prolixioribus, tam materies, quàm stilus, & aliæ harum epistolarum notæ clariùs se prodant, latiúsque diffundant. Pro hac autem præterea accedit auctoritas Eusebij, Hieronymi, Ruffini, Theodoreti, S. Maximi martyris, Antonij Melissæ, S. Ioannis Damasceni, S. Antiochi, aliorũque plurimorũ.

Hanc epistolam ipsi quoque hæretici inter germanas admittunt; sed tamen aliquot locis interpolatam esse contendunt: è quibus Scultetus duo profert his verbis, & hoc planè modo: prius sic: Epistola secunda: *Ego etiam cælestia intelligere possum, Angelicos ordines, Archangelorum, Militiarúmque cælestium discrimina &c.* Valde hæc sententia suspectas reddit has epistolas. Quis enim Apostolorum tantã se, támque distinctam cælestium cognitionem assecutum gloriari potuit? Nisi PRIOR LOCVS SCVLTETI CONTRA EPIST. AD TRALLIANOS.

fallor, quia Socrates *lib.6.cap.8.* historiæ Ecclesiasticæ scripsit Ignatium Antiochenum vidisse visionem Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium; arripuit inde occasionem siue compilator, siue interpolator harum epistolarum, inferendi verba ista: vt hoc faciliùs lectori persuaderet, ab antiquissimo illo doctore Ignatio fragmenta hæc profecta. Hactenus prior eius tota notatiuncula totidem verbis, & eodem quo scripsit charactere.

Considera nunc, lector, si placet, quâ fide verba Ignatij, siue eius interpretis Vairlenij (nam eius editione passim vtitur) citet hoc loco fraudulentus Caluinista. Nam Vairlenius habet sic: *Etenim & ego, non, quatenus vinctus sum; etiam cælestia intelligere possum, Angelicos Ordines, Archangelorum, Militiarumque cælestium discrimina* &c. Omittit ergo Sculteтus primam illam partem, in qua continetur negatio, & citat alteram affirmatiuè in contrario sensu, quàm habeat Ignatius & interpres Ignatij, dicendo: *Ego etiam cælestia intelligere possum:* cùm è contrario Ignatius ex innata sibi humilitate dicat, se non perinde ac vinciri potuit, etiam posse intelligere cælestia: quemadmodum Apostoli videlicet, quibus vtrumque contigit; vt & ipsi à tyrannis vincirentur, & à Deo cælestia intelligerent. Nec verò patitur B. Ignatij modestia atque animi nota submissio, totis eius epistolis elucens, verba hæc aliter accipi. Sicut ergo Scultetus in prima epistola dicebat Ignatium sibi attribuere verba, quæ is manifestè Christo attribuerat: ita hic dicit eum gloriari de intelligentia Angelorum, & de cognitione discriminis, quod inter diuersos ipsorum Ordines reperitur, cùm S. Ignatius dicat planè contrarium. Ac si fortè ad græca prouocet, habeo in manibus primam & antiquissimam Valentini Pacei editionem, vbi doctissimus Vueltcappellius in suo exemplari, è regione horum verborum, manu sua annotauit minio hæc verba: *Ignatius quæ de Angelis nesciat.* Habeo & nouissimam Martialis Mestrei, habeo & tres medias Guilielmi Morelij, Ioannis Brunneri, & Hieronymi Vairlenij, quæ omnes negationem illam habent, quam omisit Scultetus. Sic enim omnes conformiter: Καὶ γὰρ ἐγὼ, οὐ, καθ' ὅτι δέδεμαι, καὶ δύναμαι νοεῖν τὰ ἐπουράνια, καὶ ἀγγελικὰς τάξεις &c. *Nam & ego, non, quemadmodum vinctus sum, etiam possum intelligere cælestia & Angelicos Ordines* &c. Illud enim καὶ δύναμαι significat, *etiam possum, ita possum*. Qui sensus est facillimus, maximéque obuius, & modestiæ sanctissimi martyris longè conuenientissimus. Alioqui non reperitur, quò illa negationis particula οὐ siue *non*, referatur. Quòd autem particula καὶ sicut latina *&*, significet *etiam*, idque passim tam apud Græcos, quàm apud Latinos Scriptores, qui à græcis desumpserunt, nefas est dubitare. Hinc rectè liber *De præcipuis græcæ dictionis idiotismis*, sectione VII. regula II. sic annotauit: Καὶ plerumque vsurpatur pro *etiam*, non modò cum ἀλλὰ coniunctum (quod nemo nescit) sed etiam, quod raro tirones aduertunt, per sese solum. Itaque cùm occurrit, nec sensus patitur, vt reddatur per *&*, statim cogitent sumi pro *etiam*: vt, Καὶ ἀναίτιος δίκην ὑπέμεινε. *Etiam innocens pœnas dedit*. Exempla passim. Demosthenes pro corona: Ἐμοὶ τὴν εὔνοιαν καὶ νῦν παράσχετε. *Etiam nunc mihi vestram beneuolentiam concedite*. Sic ibi. Nos verò, ne longè ab Ignatio nostro abeamus, ex ipsius epistola ad Romanos exemplum domesticum proferamus. Sic ergo inter alia: Ὅπως μὴ μόνον λέγωμαι Χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εὑρεθῶ. ἐὰν γὰρ εὑρεθῶ, καὶ λέγεσθαι δύναμαι. καὶ τότε πιστὸς εἶναι, ὅτε κόσμῳ μὴ φαίνωμαι. *Vt non solùm vocer Christianus, sed & sim. Si enim fuero; etiam vocari potero, ac tum fidelis esse; cùm in mundo non apparuero.* Sicut igitur hic dicit Ignatius: καὶ λέγεσθαι δύναμαι. *etiam vocari potero*: ita superiùs: καὶ δύναμαι νοεῖν *etiam cognoscere possum*. Quam regulam si cognosset, aut cognoscere voluisset Vedelius, (potuisset enim è tribus interpretibus Morelio, Vairlenio, Mæstræo condiscere) nunquam euomuisset illud arrogantis ignorantiæ dictum: *Hic se torqueat lector, quantum volet, & se vertat, quò volet, nunquam commodum sensum inuenerit horum verborum:* Οὐ καθ' ὅτι δέδεμαι, καὶ, &c. *Non quemadmodum vinctus sum & possum* &c. Vidisset enim Vedelius etiam ad se spectare, quod de tironibus dicitur. Atque hoc ego tam in illo, quàm in alijs suis socijs miror, quòd cùm aduerterint & notauerint suam illam interpretationem καὶ pro *&*, non admittere commodum sensum; non requisiuerint aliam. Deinde quod addit, idem Vedelius, *tantam sibi rerum cælestium cognitionem tribuere, alienissimum esse ab admiranda illa & ordinaria humilitate Ignatij, quæ in scriptis eius elucescit*, id illi concedimus, aut ipse potiùs nobis. Nostri enim diu ante illum id viderunt, ac propterea sensum alium inuenerunt, quia quæsiuerunt. Habebant enim illi in animo laborare, vt tanti martyris scripta tuerentur: Vedelius autem cum socijs negligere, vt calumniarentur. Quare hi antiquorum hæreticorum more fecerunt, qui non reperientes in quibusdam Scripturæ sacræ verbis sensum genio suo & gustui conuenientem, ea reciderunt: immo & in tantum impudentiæ nonnunquam euaserunt, vt etiam libros integros summo sacrilegio detruncarint: sic isti præclari ortho-

orthodoxi in optimis SS. Patrum scriptis adhuc fecerunt & faciũt. Si quid est enim, quod apertè Catholicis faueat, & suæ sectæ deroget; spurium est, adulteratum est, interpolatum est, clamant. Ita se euadere miseri homines existimant, & in errores grauissimos prolabuntur.

At enim, dicet aliquis, importuna videtur hæc de rebus mysticis & de Angelorum ordinibus ac differentijs interpositio, neque satis cum antecedentibus & consequentibus cohærens. Respondeo non deesse sufficientem epistolæ cohærentiam, & longè aliam esse rationem epistolæ, aliam orationis: & in hac quidem multo maiorem requiri, non rerum modò, sed etiam sententiarum atque verborum collocationem, quàm in illâ. Nam in epistola sæpenumero res diuersissimæ, aliæ post alias, sine ordine vllo, ita ipsis exigentibus negotijs pertractantur. Deinde quis requirit, vt epistola hominis captiui, & furtim ac præfestinè scribentis eam rerum, ordinisue curam habeat, quàm hominis soluti ac liberi? Quæ dum nostri aduersarij non considerant, næ perquam imprudentes sunt & inconsiderati. Potest tamen duplex caussa attendi, quare S. Ignatius in dicta epistola ad Trallianos hanc Occupationem seu excusationem non scribendi de rebus sublimioribus vsurparit. Vna quidem, quòd ex eorum Episcopo intellexisset nonnullos ipsorum percupidos esse intelligendi, quænam esset inter Angelos (quorum multa extet in sacris litteris mentio) diuersitas: ipsum enim, si quempiam alium, id scire posse; vtpote totius Syriæ principem & Apostolorum discipulum, & iam martyrij candidatum, ac pro Christo vinctum: ipse autem responderit faciliùs esse vinciri pro Christo, quàm ista præcelsa & mystica intelligere, quæ tametsi intelligeret & diceret, ipsi non caperent. Altera, quòd sponte primùm incitatus fuisset, ad nonnulla de Angelis declaranda, propter Basilidis iam tum per ora volitantis hæresim, qui peruersa & de Deo & de Angelis docere populos aggrediebatur: sed quòd longum id esset ac perdifficile, adeóque ipsis, ad quos scriberet, periculosum negotium (quia nimirum altius ipsorum captu, & quod in maiorem eos curiositatem, & fortè in disputandi studium contra Basilidis sectatores impelleret) propterea inhibuerit sese, ac melius esse iudicarit, ipsos efficaciter à familiaritate & colloquio cùm hæreticis absterrere: quod in eadem ipsa epistola facit: dum eos ad fugiendas hæreses seriò adhortatur, & dicit: *Quare fugite impias hæreses. Diaboli enim sunt inuentiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem decepit Adam, primum generis nostri patrem. Fugite & malas eius propagines, Simonem, primogenitum eius filium, & Menandrum, & Basilidem, & totam illius malicia colluuiem, hominum adoratores, quos & Ieremias Propheta maledictos appellat.* Ieremiæ 17. ver. 5.

Quòd si quis rursus obijciat, planè videri S. Ignatium (si quidem hic locus illi attribuendus sit) sibi arrogare rerum cælestium cognitionem, & Angelorum discrimina, ex eo quòd proximè subijciat: *Hæc ego cognoscens non statim omnino perfectus sum.* &c. Fatetur ergo se cognoscere.

Respondeo verba illa sanctissimi martyris non ita esse accipienda, quemadmodum à ceteris verbis abrupta præ se ferunt, sed cum respectu ad præcedentia, hoc sensu: *Hæc ego licet cognoscerem, tamen non statim omnino perfectus essem.* Quo exemplo, inquies, ita capi possunt? Isto, inquam, quo frequenter vtimur, cùm dicimus: *Nescio, quæ à me sciscitamini: & sciens dicere non possum.* i. etsi scirem, dicere mihi non liceret. *Non habeo, quæ à me petitis: & habens vobis dare non possum: quia non expedit.* id est, etiamsi haberem.

Sed hæc abunde contra Vedelium de hoc loco: reuisendus modò nobis est Scultetus, qui ex deprauata, vt dixi, versione probare nititur suspectas esse has epistolas. *Quis enim*, inquit, *Apostolorum tantam se, tamque distinctam cælestium cognitionem assecutum gloriari potuit?* Quasi dicat, si non Apostoli, nec ipse. INTERROGATIONIS SCVLTETI REFVTATIO.

Respondi iam antè, non fuisse gloriatum Ignatium, immo & laudem ac gloriam huius cognitionis à se amolitum esse: nunc autem ad id, quod de Apostolis quærit, respondeo non solùm Apostolos, Petrum, Paullum, Ioannem & ceteros, talem assecutos cognitionem, qualem illo loco exprimit Ignatius; sed etiam ipsorum discipulos S. Dionysium Areopagitam, S. Carpum, S. Polycarpum, atque vt de pluribus alijs eius æui taceam, hunc ipsum quoque de quo loquimur Ignatium; licet, vt dixi, eam laudem sit à se amolitus. Quemadmodum enim sibi talem cognitionem non arrogauit, ita etiam expresse non negauit: sed tantùm dixit, sibi non esse perinde facile illa cælestia capere & comprehendere, sicut pro Christo vinciri & pati. Quod verissimum est: Quàm multi enim hactenus pro Christo vincti sunt & passi, quibus talium rerum tam sublimis cognitio non obtigit? Obtigisse autem ipsis Apostolis, quibus perfectissima Scripturæ sacræ cognitio concessa est, quibus primitiæ Spiritus datæ sunt, quibus eximia illa dona scientiæ, sapientiæ, consilij, intellectus &c. plenâ manu impertita sunt, dubitare quis potest? Et vos enimuero hæretici nonne gloriamini vos habere cognitionem Dei, vos scire

personarum ter sanctissimæ Trinitatis distinctionem? Estne igitur maior Angelus Deo? Estne accessu, estne & intellectu difficilior? Et discrimen inter ipsos Angelos estne magis arduum & obscurum, quàm inter personas Patrem & Filium & Spiritum sanctum? Id vero cùm dictu nefas est, tum & auditu graue. Sed enim hoc dices fortasse, facilius esse rei difficilioris obtinere obscuram aliquam atque imperfectam cognitionem, quàm rei longè facilioris claram atque perfectam: & discrimen similiter qualecúmque inter res sublimiores atque diuiniores mente percipere, quàm exactum inter inferiores, minúsque diuinas. Age verò. Sit ita. Hoc est enim ipsum, quod ego audire expectabam. Cedo nunc mihi Scultete, vbi dixerit Ignatius se perfectè cognoscere cælestia, se exactè intelligere naturas Angelicas, se ad amussim earum inter se percallere discrimina. Simplici enim voce νοεῖν (quod nihil est aliud quàm, *intelligere, cognoscere, mente assequi*) vsus est, non autem addidit ἀκριβῶς, τελέως, *accuratè, perfectè*, aut aliud quippiam eiusmodi. Quare si tu alijque hæretici aliquam vos dicitis habere ipsius Dei opt. max. personarúmque diuinarum & cognitionem & distinctionem, nósque idem de nobis Catholici profitemur, ecquid tanta dignum admiratione habet, si nos talem tam veteri, támque sancto Patri cognitionem tribuamus Angelorum ipsi Deo ministrantium, qualem nos ipsos habere profitemur principantis Dei? Sed immanis sanè hæc sit iniuria, si non multo plus illi, quàm nobis, (vti nos proinde illi tribuere verum est) tribuamus. Quidnam porrò de Angelis, eorúmque inter se discriminibus nouerit S. Dionysius Areopagita, aliique post eum SS. Patres ac Theologi, & Scripturæ sacræ interpretes; ex ipsorum scriptis addiscendum est.

Post Sculteti interrogationem, attendenda est & eiusdem coniectura. Conijcit igitur compilatorem seu interpolatorem epistolarum S. Ignatij, ansam accepisse inferendi verba suprà dicta de ordinibus Angelorum in epistolam eiusdem Ignatij, ex eo quòd legisset apud Socratem Historicum *vidisse eum visionem Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium*. O stolidam & somniculosam coniecturam! Scripsit Socrates Historicus Ignatium vidisse visionem Angelorum, sanctam Trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudantium: ergo credibile est aliquem compilatorem finxisse totam illam hic subiectam periodum: *Nam & ego non, quemadmodum vinctus sum, ita possum intelligere cælestia, Angelicos Ordines, Angelorum & Militiarum diuersitates, Virtutum & Dominationum discrimina, Thronorum & Potestatum differentias, Principatuum magnificentiam, Cherubim & Seraphim excellentiam, & Spiritus sublimitatem, & Domini regnum, & super omnia incomparabilem Dei Patris omnipotentis maiestatem*. Quæ est enim, quæso, inter hæc & illa verba Socratis similitudo aut connexio? Certè si quis hæc confinxisset è Socrate, atque in Ignatium intrusisset; ita loco debito & verbis conuenientibus adaptare studuisset, vt nullum eius rei suspicioni seu Sculteto, seu cuiuis alteri locum relinqueret. Nam solent eiusmodi homines plus curæ & sollicitudinis suscipere in conuertendo aliena, quàm ipsi veri auctores in concinnando sua. Deinde conatus etiam fuisset non solùm nomina Angelicorum Ordinum recensere, sed etiam ipsius visionis mentionem aliquam inducere, quò Socratis relationem ex ipsomet Ignatio redderet certiorem. Denique nemo debet ad asserendas tales locorum in aliena scripta intrusiones accedere, nisi validis & planè inexpugnabilibus munitus argumentis: cùm interim Scultetus sine ferro, sine scuto accesserit: solâ scilicet futilis interrogationis arundine innixus, & vanissimo leuis coniecturæ somnio illusus. Ego proinde multò diuersam inibo ratiocinandi viam. Quia enim Socrates, antiquus rei ecclesiasticæ Historicus, eam visionem S. Ignatij de qua iam dictum est, conscripserit; & post illum Georgius quoque Patriarcha Constantinopolitanus, & Leo Sapiens Imperator, vterque in encomio S. Ioannis Chrysostomi; propterea mihi persuadeo illa verba epistolæ ad Trallianos, de Angelis, eorúmque inter sese discriminibus, verè esse Ignatij, atque ipsum in illa visione, de qua tres viri isti meminerunt, aut certè in quapiam alia simili, choros Angelorum, atque etiam nomina, eorúmque distinctionem didicisse: quamuis ipse pro sua humilitate atque modestia dissimulauerit.

De priore loco Sculteti ad hanc epistolam nunc satis: alter ab eodem sic producitur: *Eadem in epistolâ*, inquit, *hæc de Christo legimus*: Καὶ κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος. *Et descendit ad infernum solus. Si epistola hæc Ignatij genuina est*, inquit, *magno nobis argumento est vetustissimos Patres per descensum Christi ad inferos nihil aliud quàm sepulturam intellexisse. Hic certè locus aliam expositionem non admittit, siue antecedētia spectes, siue consequentia*. Ita ille.

Age igitur modò, attendamus antecedentia & consequentia: vt videamus, num hic saltem verum dicat, an potiùs more suo mentiatur. Verba ergo B. Ignatij sic habent: Ἀληθῶς γὰρ, καὶ οὐ δοκήσει ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανε, βλεπόντων οὐρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. οὐρανίων μὲν, ὡς τῶν ἀσωμάτων φύσεων· ἐπιγείων γὰρ, Ἰουδαίων καὶ Ῥωμαίων, καὶ τῶν παρόντων κατ' ἐκείνην καιροῦ ἀνθρώπων, σταυρουμένου τοῦ κυρίου· καταχθονίων δὲ

δὲ, ὡς τοῦ πλήθους τοῦ συναναστάντος τῷ κυρίῳ· Πολλὰ γάρ, φησι, σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη, τῶν μνημείων ἀνεῳχθέντων. Καὶ κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος· ἀνῆλθεν δὲ μετὰ πλήθους, καὶ ἔσχισε τὸν ἀπ' αἰῶνος φραγμὸν, καὶ τὸ μεσότοιχον αὐτοῦ ἔλυσεν· καὶ ἀνέστη διὰ τριῶν ἡμερῶν, ἐγείραντος αὐτὸν τοῦ πατρός. Καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας συνδιατρίψας τοῖς Ἀποστόλοις ἀνελήφθη πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, περιμένων ἕως ἂν τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. Τῇ οὖν παρασκευῇ, τρίτῃ ὥρᾳ ἀπόφασιν ἐδέξατο παρὰ τοῦ Πιλάτου, συγχωρήσαντος τοῦ πατρός. ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη· ἐννάτῃ ἀπέπνευσε. πρὸ ἡλίου δύσεως ἐτάφη. τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν μένει ἐν τῷ μνημείῳ, ᾧ ἀπέθετο αὐτὸν Ἰωσὴφ, ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας. ἐπιφωσκούσης κυριακῆς ἀνέστη ἐκ τῶν νεκρῶν. *Verè autem, & non opinione, crucifixus & mortuus est videntibus cælestibus & terrenis & subterraneis: cælestibus quidem, vt incorporeis naturis: terrenis verò, vt Iudæis & Romanis, & ceteris qui tum aderant, cùm Dominus crucifigeretur: subterraneis autem, vt turbâ quæ cum Domino surrexit. Multa enim, inquit, corpora Sanctorũ, qui dormierant, surrexerũt, monumẽtis apertis. Et descendit ad inferos solus; regressus verò est cum multitudine, & dirupit maceriam, quæ erat à sæculo, & medium eius parietem dissoluit, & post tres dies resurrexit, suscitante eũ patre. & quadraginta dies cum Apostolis conuersatus, assumptus est ad Patrem, & sedet à dextris eius, expectans donec ponãtur inimici eius sub pedibus eius. Parasceue igitur, horâ tertiâ sententiam accepit à Pilato, permittente Patre: sextâ horâ crucifixus est: nonâ expirauit: ante solis occasum sepultus est: sabbato sub terra manet in monumento; vbi deposuit eum Ioseph ab Arimathæa: illucescente dominicâ resurrexit à mortuis.*

Ecce antecedentia & consequentia, quibus spectatis dicebat hæreticus illa verba: *& descendit in infernum solus*, non admittere aliũ sensum, quàm de sepulturâ. Atqui nihil eiusmodi apparet. Quin ego ex istis antecedentibus contendo & ostendo agi de limbo Patrum, quem vocamus, hoc est, de loco, vbi serui Dei olim in pace & amicitia cælesti mortui, donec à Christo via aperiretur in cęlum, sub terram detinebantur; corporibus eorum interea in monumentis sub terrâ factis remanẽtibus. Nam animæ sub terram in limbum ibant; corpora verò in monumenta, quæ etiam sub terra erant, deferebantur. Et hoc probant illa verba, quibus dicitur Christus verè crucifixus & mortuus, cernentibus non tantùm cælestibus & terrenis, sed etiam subterraneis. Nam certè per subterraneos intelligi nõ possunt corpora quæ in monumentis erant: siquidem mortua erant & nihil videbant: sed animæ sub terram, siue in inferno, seu limbo patrum detentæ.

Nec obstat, quòd dicantur multa Sanctorum corpora resurrexisse monumẽtis apertis. Nã animæ de limbo in corpora sua regressæ monumenta aperuerant, ad Christi gloriã atque virtutem declarandam. Neque vel Sculterus, vel Sculteti patronus quispiam poterit vnquam ex antecedentibus aut aliud ostendere, aut hanc catholicam sententiam infirmare.

Vertamus nunc oculos ad consequentia. Proximè ergo post verba ista: *Descendit in infernum solus*, ita sequitur: *Ascendit verò cum multitudine; & dirupit maceriam, quæ erat à sæculo, & medium eius parietem dissoluit & tertia die resurrexit.* Quæ est autem maceria ista quę erat à sæculo, quam Christus dirupit? siue, quod septum illud (hoc enim φραγμὸς quoque significat) quod Christus perrupit? quis ille paries medius, quem dissoluit? Non habemus sanè, quòd Christus sepulcra aut monumenta diruperit: non inuenimus quòd parietes sepulcrorum dissoluerit. Quæ ergo maceria? quod septum? nisi istud, quo animæ sanctorum inclusæ vsque ad aduentum Saluatoris detinebantur? Perrupit enim inferos, & inde *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.* Istud autem septum à sæculo fuit, hoc est, à mundi initijs: siquidem in eo Adam, Eua, & illorum posteri, patriarchæ, legislatores, prophetæ, ceteriq; bene vitâ functi, vsque ad Christum tenebantur. Nam si quis de Christi sepulcro, aut de ijs monumentis, quæ Hierosolymis eo mortuo aperta sunt, velit hæc intelligi; quomodo ostendet illa fuisse à sæculo?

Nec contra nos facit, quod infrà sequitur: *Sabbato sub terra manet in monumento.* Hoc enim nihil vult aliud, quã quòd Christi corpus sepultum sit in monumento, quod erat sub terrâ. Ita enim condebantur monumenta, vt sub terra occulerentur, ne sub dio extarent neu aëris iniurijs corrumperentur. Hinc descendere in monumentum. Itaque grecè hic habetur: πρὸ ἡλίου δύσεως ἐτάφη. τὸ σάββατον ὑπὸ γῆν μένει ἐν τῷ μνημείῳ. *Ante solis occasum sepultus est: sabbato sub terrâ manet in monumento.* Antè, cùm ageret de inferno seu limbo, habebat εἰς ᾅδην, quod non modò apud Catholicos, sed etiam apud Ethnicos, Homerũ, Hesiodum, alios, magis inferorum locum significat, quàm sepulcrum: nunc autem, cùm agit de monumento, non dicit εἰς ᾅδην, sed ὑπὸ γῆν *sub terram*: & cùm addit, ἐν τῷ μνημείῳ, ostendit se de sepulcro loqui subterraneo. Itaque distinguit Ignatius inter infernum & sepulcrum. Vidimus antecedentia & consequentia, nunc ipsam sententiam videamus: quam item pro se facere & consequenter antiquos Patres gloriatur Sculterus: rationem verò nullam, expositionem nullã adfert, sed tantùm more puerorum, qui quod inueniunt, suum esse putant, clamat suum esse, quod dixit Ignatius. Quid autem dixit? Hoc nimirum: Καὶ κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος. *Et descendit in infernũ solus.* Quę verba nihil prorsus illi

illi fauent: immo aduersantur plurimùm. Nã si de sepulturâ agitur, nec descendit in sepulcrum, nec solus. In eo enim positus est à Ioseпho ab Arimathiâ, vt scribit hoc loco Ignatius, & testatur euangelium; non autem ipse solus in illud descendit: in infernum autem bene solus, hoc est, virtute sua, & nullius auxilio vel comitatu dicitur descendisse, atque detentas ibi animas eruisse. Iuit enim illuc cum potestate & auctoritate. Non solus autẽ Ignatius dixit aut scripsit Christum solum descendisse ad inferos, & cum magna turba ascendisse; sed etiam ante illum S. Thaddæus Christi discipulus & Apostolus, qui inter alia, quæ se Regi Abagaro de Iesu explicaturum dixit, etiam hæc addidit: Ὅσα θ' ὑπὸ Ἰουδαίων ἔπαθεν, καὶ πῶς ἐσταυρώθη, καὶ κατέβη εἰς τὸν ᾅδην, καὶ διέσχισε φραγμὸν τὸν ἐξ αἰῶνος μὴ σχισθέντα, καὶ ἀνέστη, καὶ συνήγειρε νεκροὺς τοὺς ἀπ' αἰώνων κεκοιμημένους· καὶ πῶς κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ πολλοῦ ὄχλου πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ. &c. *Quæ à Iudæis passus sit, & quomodo crucifixus sit, & descenderit in infernum, & maceriem à sæculo non diuisam diuiserit, & resurrexerit, & mortuos qui à sæculis dormierant, resuscitarit: & quomodo descenderit solus, ascenderit autem cum magna turba ad patrẽ suum* &c.

Sic S. Thaddæus apud Eusebium lib. 1. historiæ ecclesiasticæ cap. vltimo. Accedit Tertullianus libro De Animâ, cap 55 vbi & quid sint inferi, ad quos Christus descendit, & quâ caussa descenderit, disertè explicat. *Nobis inferi*, inquit, *non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terra & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Siquidem Christum in corde terra triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo. Quòd si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundum Scripturas, & sepultus secundum easdem hic quoque legi satisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus, nec antè ascendit in sublimiora cælorum, quàm descendit in inferiora terrarum: vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret; habes & regionẽ inferûm subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbè non putent animas fidelium inferis dignas, serui super Dominum, & discipuli super magistrum, aspernati si fortè in Abrahæ sinu expectandæ resurrectionis solatium carpere.* Vult igitur in his verbis Tertullianus nos cubito pellere Sculterum & Vedelium & similes, qui nihil aliud per inferos intelligi volunt, quàm sepulcra. Quid? S. Hilarius, præclarum illud ecclesię lumen, & Galliarum singulare decus, aliudne sentit? minimè verò. Nam in psalmũ 138. ad illa verba: *Si descendero in infernum, ades*, ita scribit: *Humana ista lex necessitatis est, vt sepultis corporibus animæ ad inferos descendãt: quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.* Quin & irridet idem sanctus pater eos, qui dicunt corpus descendisse ad inferos: quod sanè dicunt hæretici, cùm per inferos intelligunt sepulcrum. Verba Hilarij libro 10. *De Trinitate*, sunt ista: *Nunquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro iacuit, dicetur?* Idem clarè docet magnus Athanasius in libro de incarnatione Christi contra Apollinarem, non semel sed sæpius. En locum vnum: Πειθόντες οὖν, ὅτι ὁ ἔσωθεν ἡμῶν ἄνθρωπός ἐστιν ἡ ψυχή. τοῦτο καὶ τῆς πρώτης πλάσεως δεικνυούσης, καὶ τῆς δευτέρας διαλύσεως δηλούσης. οὐ μόνον ἐφ' ἡμῖν τούτων δεικνυμένων, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ θανάτῳ τοῦ Χριστοῦ ἐδείκνυτο. τὸ μὲν τοι μέχρι τάφου φθάσαν, ἡ δὲ μέχρι ᾅδου διαβᾶσα· διαιρετῶν δὲ ὄντων τῶν τόπων πολλὰ μέτρῳ, καὶ τοῦ μὲν τάφου σωματικὴν ἐπιδεχομένου τὴν ἐπίβασιν· ἐκεῖσε παρῆν τὸ σῶμα· τοῦ δὲ ᾅδου ἀσώματον. *Credite igitur*, inquit, *interiorem nostrum hominem esse animam: tam demonstrante id prima creatione, quam secunda resolutione ostendente: quæ non solum in nobis commonstrantur, sed etiam in ipsa Christi morte: dum corpus ad sepulcrum vsque delatum est: anima verò vsque ad infernum descendit. Cùm autem magno interuallo ipsa distent loca, sepulcrum corporalem excepit ingressum, (ibi erat corpus) infernus autem incorporalem.*

Ibi ergo Athanasius manifestè distinguit τάφον & ᾅδην, *sepulcrum & infernum*, dicitque lõgis spacijs dissita: & vnum excepisse corpus, alterum animam. Aliquot alia loca vide ibidẽ inferiùs. Idẽ & multi alij Patres, quorum testimonia aduersus Benedictum Turrettinum egregiè in aciem deducit Petrus Cottonus, vir tam exquisitæ eruditionis, quàm exactæ virtutis, in opere quod inscripsit: *La recheute de Geneue plagiaire, en la 2. partie, dialogue 13.*

CAPVT III.

DE EPISTOLA AD MAGNESIOS.

HÆc epistola quin sit germana B. Ignatij, nullus, quod sciam, dubitat: cùm præter rationes pro prima allatas, etiam Eusebius & S. Hieronymus eam ipsi adscribant. Quorum auctoritati recentiores omnes verum est suffragari.

Contra hanc nihil annotarũt, neque Sculterus, neque Perkinsus, neque Riuetus, hæretici. Vedelius tamen vult aliqua esse inserta è codice Constitutionum Apostolicarum. Quamuis autem aliqua sint & hic & ibi similia, nihil est necesse id concedere, cùm potuerint & S. Ignatius, & ille, quisquis fuit, Cõstitutionum collector, ex eodem Scripturæ sacræ fonte hausisse. Sunt enim exempla inde sumpta. Vel etiam dici potest illum potius ex Ignatio, quàm ex illo sumpsisse Ignatium. Credibile est enim illas Constitutiones non ab vno homine, nec vno tempore, sed a diuersis hominibus, & varijs temporibus esse conflatas: idemque de illis teneri posse, quod certissi-

certissimò de martyrologijs tenendum est, creuisse temporum successu.

Ex hac epistola citauit locum bene longũ *De non contemnenda adolescentia*, Antonius Melissa lib. 2. sermone 19.

CAPVT IV.

DE EPISTOLA AD TARSENSES

VAlent pro hac epistola rationes allatæ pro prima, hócque ampliùs hæc præ illa habet, quod possessionem habeat magis pacificam, minúsque ab hæreticis impugnatã. Nihil aduersus eam protulit Scultetus, ne illud quidem valde Catholicis fauens monitum: quod in illa reperitur: Τὰς ἐν παρθενίᾳ τιμᾶτε, ὡς ἱερείας Χριστοῦ. *Eas, quæ in virginitate degunt, honorate, vt Sacerdotes Christi.*

Quod tamen haud scio an omnes probaturi sint hæretici: sed multo magis dubito, an talia monenti sanctissimo martyri morem gesturi sint, & virgines eo pacto, aut saltem quoquo modo honoraturi. Nam illis longè honorabilius, vti & multo gratius, videtur matrimonium.

Hanc porrò epistolam mirè despicit despicatissimus Vedelius: licet ipsa statim ab initio auctorem suum spiritu & stilo præferat, cùm ait: *A Syria Romam vsque cum bestijs pugno* &c. & quæ consequuntur, pari tenore ad finem vsque totum spirent Ignatium. Quare qui tã certa contemnit, meliùs contemnetur ipse, quàm refutabitur.

Meminit huius epistolę Anastasius Presbyter in Eclogę γνωστικῶν τῶν δογματικῶν cap. 14. his verbis: Ἰγνάτιος Θεόφορος ἐκ τῆς ἐπιστολῆς πρὸς τοὺς ἐν Ταρσῷ. *Ignatius Theophorus ex epistola ad Tarsenses.* Et quamuis locus, quem subijcit, non reperiatur in epistola ad Tarsenses, sed ad Philippenses; tamen ex ipsa citatione colligitur vtramque epistolam fuisse illi notam, & S. Ignatio Theophoro attributam: ipsum verò Anastasium in epistolæ citatione, vt fit, memoriâ vacillasse. Ipsum græcum fragmentum, (quod ex eodem Anastasio ad me misit noster Iacobus Sirmondus) in epistolam ad Philippenses differetur.

CAPVT V.

DE EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

HAnc esse Ignatij epistolam Catholici nulli dubitamus. Quippe qui colorem & lineamenta Ignatij in traditis hic documentis clarius quam in speculo recognoscamus.

Hîc (vt in epistolâ ad Trallianos) Christũ verè natum, verè passum, verè crucifixum, non autem opinione tantùm & imaginatione docet, verbísque prorsus similibus.

Hic etiam illa sibi solita fundit monita: *Subiecti estote episcopo, Presbyteris, Diaconis. Inuicem vos diligite in Domino, sicut Dei simulacra.* Et alia eiusmodi.

Iam illa verba nonne Ignatij? *Orationes vestræ ad Antiochenam vsque ecclesiam extendantur, vnde & vinctus abducor Romam.*

Item illa nonne stili eius sunt? Ἀσπάζομαι τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον Πολύκαρπον. ἀσπάζομαι τὸν ἅγιον ἐπίσκοπον Βιτάλιον, καὶ τὸ ἱερὸν πρεσβυτέριον, καὶ τοὺς συνδούλους μου τοὺς διακόνους, ὧν ἐγὼ ἀντίψυχος γενοίμην.

Saluto sanctum episcopum Polycarpum. Saluto sanctum episcopum Vitalium, & sacrum Presbyterorum collegium, & conseruos meos Diaconos, pro quibus velim animam ponere!

Item illa: Μέμνησθε μου τῶν δεσμῶν, ἵνα τελειωθῶ ἐν Χριστῷ. *Mementote vinculorum meorum, vt consummer in Christo.*

Quare, quamuis huius epistolæ Eusebius & Hieronymus non meminerint, vti nec primæ ad Mariam Cassoboliten, nec quartæ ad Tarsenses, nec nonæ ad Antiochenos, nec decimæ ad Heronem (multorum enim celeberrimorum Auctorum scripta præterierunt) quamuis, inquam, harum non meminerint; *tamen ob stili similitudinem* (vt rectè Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis annotauit) *& spiritum verè Apostolicum, à viris doctis omnino recipiuntur.*

Ego quidem sanè, tametsi hodie primùm eæ epistolæ reperirentur, (quæ tamen multis antè sæculis extiterunt) consideratâ materie, stilo, spiritu, haud vererer asseuerare eas esse germanos fœtus Ignatij.

Neque verò Scultetus ipse, vt antè ostendi, diffitetur has omnes duodecim epistolas esse B. Ignatij, sed tantùm adulteratas dicit atque interpolatas. Vbi autem? nimirum vbi præsertim contra sui generis homines hæreticos manifestè faciunt. Tria circa hanc epistolam annotat:

Primum his verbis: *Epistola ad Philippenses*, inquit, *hæc habet inter alia*: Πολλὰ γάρ σε λανθάνει, ἡ παρθενία Μαρίας, ὁ παράδοξος τοκετὸς, &c. *Multa te latuerunt*, ((inquit diabolum compellans) *Mariæ virginitas, & admirandus ille partus*. &c. tum subijcit: *Heccine beati illius Ignatij esse putauerim? Detrahit satanæ scientiam & notitiam omnium ferè eorum, quæ Christo homini acciderunt. Quod scripturæ è diametro repugnat. Auctor Matthæus est, cap. 8. diabolos agnouisse Christum, Dei filium. Qui potuerunt igitur ignorare Mariæ virginitatem, Christi temporalem natiuitatem, migrationem in Ægyptum; aliáque, quæ vel egit, vel passus est humana, quibus diuina Christi virtus non fuit abscondita?* 1. NOTATIO SCVLTETI HÆRETICI.

Hactenus ipsa Sculteti verba. Quod ergo, dicit, & quidem indignabundè, *Heccine beati illius Ignatij esse putauerim?* verba sunt hominis vel admodum ignorantis, vel iudicio suo præfidentis ac superbi. Credo tamen ignorantis esse

esse. Nam licet medullas Theologiæ SS. Patrũ exscripserit, aut exscripsisse præ se tulerit, tamen multa & perquam turpiter ignorauit. Nec enim, credo, dixisset se non putare illa esse beati Ignatij, quæ illi sciuisset ab ipso Origene viro in scientiâ, (vt aliud nihil dicam) incomparabili, itémq; à S. Hieronymo, attribui. Nec indigna Ignatio reputasset, quæ isti duo suis scriptis, & ante vtrumque S. Theophilus doctrinâ æquè & sanctimoniâ præstabilis,& tertius à S. Ignatio in Antiochena sede successor digna suis commentarijs iudicauit.

Verba S. Theophili libro 1. commentariorum in euangelia sunt hæc: *Quare non ex simplici virgine, sed ex desponsatâ concipitur Christus? Primò, vt per generationem Ioseph, origo Mariæ monstraretur. Secundò, ne lapidaretur à Iudæis, vt adultera. Tertiò, vt in Ægyptum fugiens haberet solatium viri. Quartò, vt partus eius falleret diabolum putantem eum de vxore, non de virgine natum.* Sic ille.

Sanctus autem Hieronymus lib. 1. commentar in cap. 1. S. Matthæi, fere totidem verbis locũ S. Theophili vsurpauit, nisi quòd quartam rationem insinuet depromptam à Theophilo fuisse ex Ignatio, cum post tres priores rationes ita scribit: *Martyr Ignatius etiam quartam addidit caussam, cur à desponsatâ conceptus sit: vt partus, inquiens, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum.*

Vbi non verba Ignatij, sed verborum duntaxat sensum attulit: vti & ante ipsum Origenes homilia 6. in Lucam: *Eleganter*, inquit, *in cuiusdam martyris epistolâ scriptũ reperi, Ignatium dico, episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnauit ad bestias. Principem seculi huius latuit virginitas Mariæ.*

Deinde idẽ Origenes fusiùs explicat, quo pacto illum latuerit.

Latuit, inquit, *propter Ioseph; latuit propter nuptias; latuit, quia habere virum putabatur.* &c. Et infrà; *Quare & in alia Scriptura, & reperies voluntatis Christi fuisse, vt aduentum Filij Dei diabolus ignoraret.* &c.

Ex his porrò Auctoribus nouum sumo argumentum pro hac Ignatij epistola ad Philippenses: siquidem locus, quem isti citant in eâ epistolâ reperitur. Nã licet Theophilus S. Ignatium non nominet, tamen D. Hieronymus quartam eius rationem B. Ignatio refert acceptam.

Nunc perpendendum est, an rectè ignorantia tribuatur Diabolo, cùm sancto quidem Ignatio, & S. Theophilo, & S. Hieronymo, & post illos alijs quàm plurimis ita videatur: verùm Sculteto, magno hæretico non item. An igitur Scultetus cum vno illorum aliqua ex parte est comparandus?

Sed enim bonam fortè habet rationem. *Detrahit*, inquit, *satanæ scientiam, & notitiam omnium ferè eorum, quæ Christo homini acciderunt: quod scriptura è diametro repugnat.*

Hic rursus suo more Scultetus verba primò oblata arripuit, nec quo sensu dicerentur, examinauit; nec quæ postea sequerentur, attẽdit. Non enim absolutè negat Ignatius diabolum nesciuisse ea, quæ Christo homini acciderunt; sed tantùm nesciuisse illa, tanquam Deo & homini facta; & ignorasse, an is in quo, aut erga quem talia fierẽt, esset Deus. Nam cùm dixisset illum ignorasse Mariæ Virginitatem, & admirandum partum, & stellã ducentem magos, & Archangeli salutationẽ, & virginis desponsatæ extraordinarium conceptum, & præcursoris, ob Christi nasciturí præsentiam, in vtero subsultationem; & Angelorum hymnos ob natum puerum, & annuntiationem pastoribus factam, & Herodis timorem, & parricidale mandatum. &c. postea subiecit idẽ Ignatius: *Hæc videns*, inquit, *dubitatione æstuas, & virginem esse quæ parit, ignoras. Te quidem Angelorum concentus laudis, & Magorum adoratio, & exortus stellæ obstupefaciebant; verùm ad ignorantiam, ob ea quæ cernis vilia, recurris. Parua enim tibi videntur, fasciæ, ærumnæ, circumcisio, lactatio. Indigna hæc Deo, tibi apparebant. Rursus cernebas hominem quadraginta dies & noctes ieiunum sine humano alimento permanentem; ministrantes Angelos, quos & horrebas.* &c.

An non ex istis posterioribus fatetur Ignatius diabolũ vidisse, obstupuisse, horruisse ea, quæ circa Christũ hominem fiebant? An nõ etiã apertè indicat diabolum ex ijs, quæ gloriosa erant, dubitasse an esset Deus? ex ijs autem qua vilia & ignominiosa, an non tantùm esset homo? Quare vel cæcus fuit Scultetus, vel esse voluit. Qui quidem, si rem non examinauit, & tamen iudicium tulit; imprudenter ac temerè, sin examinauit, & veritatem tacuit, prorsus impudenter atque improbè fecit.

Quod autem dicit ea quæ ab Ignatio dicta sunt de Diaboli ignorantiâ, Scripturæ è diametro repugnare; ego hoc ipsum, quod dicit, contendo repugnare è diametro veritati. Nã & è sacrâ scripturâ satis colligitur ignorasse diabolum, an Christus esset filius Dei. Nam cap. 4. Matthæi propterea dicit: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Volebat enim scire, an esset filius Dei: quod si volebat scire, certè nesciebat.

Atque hoc ipsum argumentum non modò plurimorum aliorum Patrum est, sed ipsius quoque Ignatij in hac eadem epistola & prope illa verba, quæ vidit & reprehendit Scultetus, sed piguit fortasse oculos eò vsque protendere, aut saltem, quid ea significarent, attendere.

Sic enim Ignatius τὸ γὰρ, Εἰ υἱὸς εἶ, ἀγνοίας ἐςίν. Illud enim, *Si Filius Dei es, ignorantiæ est.*

Idem

Idem & S. Augustinus sensit lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 21. cuius hæc sunt verba: *Dubitauit de illo dæmonum princeps, eúmque tentauit, an Christus esset, explorans.* Et intrà ibidem: *Magis magísque innotescebat dæmonibus, quantus esset.*

Probat tamen Sculterus è diametro Scripturæ repugnare ex S. Matthæo sic: *Auctor Matthæus est*, inquit, *cap. 8. diabolos agnouisse Christum Dei filium.*

At certè non Matthæus est auctor, (nec enim hoc in persona sua dicit Matthæus) sed diabolus apud Matthæum. Nam si omnia, quæ sunt apud Matthæum, essent Matthæi; essent etiam illa de Christo: *Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiā.* Habetur enim Matthæi 26. Quare, si Matthæus non est auctor Christum blasphemasse, eò quòd non in personâ suâ hoc dicat, sed ex personâ principis sacerdotū: ita nec debet cap. 8. esse auctor, quòd diabolus Christum cognouerit esse Filium Dei. Non enim in suâ persona hoc dicit Matthæus, sed in personâ diaboli. Refert enim tantùm, quid clamauerint diaboli, cùm à Christo eijcerentur. *Et ecce clamauerunt dicentes*, inquit, *Quid nobis & tibi, IESV, Fili Dei? Venisti huc ante tēpus torquere nos.* Quæ verba profectò non auderet Sculterus defendere omnia esse vera. Nam deberet fateri Christum nō fecisse omnia in tempore, sed intempestiuè aliqua, cùm diabolus dicat: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Atqui venit Christus maximè in tempore. Quare ego Sculterum libens fraternè monuerim, vt ne nimium credat diabolo, neque ex eius dictis mendacibus contra SS. Patres frequenter argumentetur, ne vt eius partium aliquis (quod minimè velit) reputetur. Poterat verò (nisi maluisset diaboli vsurpare verba) multo clariore & efficaciore vti testimonio, siue Marci, cap. 1. siue Lucæ, cap. 4. ac potissimùm isto Lucæ: *Exibāt autem dæmonia à multis clamantia & dicētia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans [Iesus] non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

Nam posterior pars ista, vbi de increpatione Iesu, & de dæmoniorum scientiâ agitur, est ipsius S. Lucæ: quod homo cæcus non vidit. Alioqui hoc potiùs attulisset, quod in rem faciebat, quàm istud, quod nihil. Adiuui ergo Sculterum, haud scio, an volentem: nūc mihi contra me respondendum est, siue rationi, non ab illo nobis obiectæ, sed illi à nobis suggestæ. Quid igitur dicimus? quomodo illud S. Lucæ interpretamur? *Quia sciebant ipsum esse Christum.* Hoc enim fauere videtur Sculteto, & aduersari Ignatio.

Respondeo tamen minimè hanc scripturam, nec aduersari Ignatio, nec fauere Sculteto: sed illum optimè ratiocinari, & hunc pessimè hallucinari. Nam hic tempora non distinguit, quæ si distingueret, videret scripta Ignatij & Scripturam Euangelij nihil prorsus discordare. Loquitur enim Ignatius de primis Christi annis, quibus dæmon in mysteriorum, quæ ad Christi extraordinariam conceptionem, natiuitatem, mortem, resurrectionem spectāt, ignoratione versabatur. Quæ ignoratio vel ex Scriptura ipsa liquet Matthæi 4. vbi satan varias init vias, Christi Domini, quis sit, quis futurus sit, quibus viribus polleat, quarum rerū satagat, cognoscendi. Post tentationes autem & varia Christi miracula, quibus & virtutem eius præpotentem & suā recognouit infirmitatem, venire in perfectiorem naturæ ipsius cognitionem potuit: ita vt eum non hominem modò, sed etiam Deum esse agnosceret. Sentiebat enim, à qua virtute corporibus pelleretur. Videbat quantis pœnis, quámque natura sua indignis supplicijs torqueretur. Satis etiam aduertebat, non Angelico ministerio, sed diuino in se imperio & tota potestate agi. Eadem porrò, quæ S. Ignatius, etiam alij Patres de eadem diaboli ignorantia sensere. Paucula quædam, alijs pluribus omissis, huc inducam, sed ea eiusmodi, vt proximè ad sanctissimi martyris imitationē accedant. E quibus est illud S. Maximi ecclesiæ Taurinensis Episcopi, homilià 1. in Epiphania: *Et quidem videbat diabolus*, inquit, *infantem pannis obsitum; sed ignorabat ipsum esse, qui remotis initio tenebris mundum luce vestiuit. Videbat eum mortalis matris vbera sugentem; sed nesciebat ipsum esse, qui esurientem Hebræum populum Angelico fecit pane, velut cælesti lacte, pinguescere. Videbat paruulum angustis incunabulis quiescentem; sed videre non poterat ipsum esse, quem non capit mundus.* Vide ibidem multo plura. Et homilia 1. De ieiunio Quadragesimæ, insigni prosopopœia inducit diabolum stupentem ac dicentem: *Quis iste est, qui nesciente me hunc ingressus est mundum? Noui quidem, quia de femina natus est: sed nescio, vnde conceptus. Adstat ecce mater; sed patrem inuestigare non possum. Partum video; sed non agnosco nascentem: & quod stupori meo accrescit, inconsueta lege partendi, etiam edito filio, mater exultat, vt virgo.* Vide illic cetera. Nam Leo magnus huc accedit, & quasi leonino passu incedit. Sic ipse in sermone 9. De passione, diaboli arguit ignorantiam: *Nec itaque diabolus intellexit, quod sæuiendo in Christum, suum destrueret principatū: qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini sanguine contineret. Sed malitiâ nocendi auidus dum irruit, ruit; dum capit, captus est; dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* Sed idem ipse in serm. 2. De natiuitate (siue ea viderit, quæ B. Ignatius de satanæ ignorantia perscripsit, atque eadem suo calculo approbata esse voluerit: siue illa non ex ipsius Ignatij lectione, sed ex vnius eiusdémque Spiritus suggestione atque inspiratione conscripserit) certè gemina ac prope eadem in litteras retulit, quæ tanto antè S. ille mar-

tyr exarauit. *Hoc ipsum autem*, inquit, *dilectissimi, quod Christus nasci elegit ex virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis? Vt scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quem non alium videret quàm alios; non aliter crederet natum esse quàm ceteros. Cuius enim similem cum vniuersis aduertit naturam, parem habere arbitratus est cum omnibus caussam: nec intellexit à transgreßionis vinculis liberum, quem ab infirmitate mortalitatis inuenit alienum* Et infrà: *Quum igitur misericors, omnipoténsque Saluator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inseparabilis à suo homine Deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet; illusa est securi hostis astutia, qui natiuitatem pueri in salutem humani generis procreati, nō aliter sibi, quàm omnium nascentium putauit obnoxium. Vidit enim vagientem atque lachrymantem: vidit pannis inuolutum, circumcisioni subditum, & legalis sacrificij oblatione perfunctum. Agnouit deinceps solita pueritiæ incrementa, & vsque in viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hæc intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, conuitia, omnem postremo in ipsum vim sui furoris effudit, omnia tentamentorum genera percurrit, & sciens quo naturam humanam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgreßionis exortem, quem tot documentis didicisset esse mortalem.* Hęc S. Leo Papa.

2 notatio Sculteti. Secundum, quod annotat Sculretus circa hanc S. Ignatij ad Philippenses epistolam, est eiusmodi:

Ibidem, inquit, τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε. Μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας *&c. Totus hic locus de ieiunio Quadragesimæ, & quarta, sextaq́ feria post paßionis Dominicæ septimanam, ex Constitutionibus Clementis transcriptus, & huic epistolæ assutus est.*

Hactenus verba Sculteti: ad quę hæc est in promptu responsio. Aut mentitur Scultetus, aut ignorat quid sit transcribere, ducendúsque est ad Grammaticum, vt istud ære dato condiscat. Nescit enim, cùm de scriptis agitur, id dici verè ac propriè transcribi, quod ijsdem verbis, quibus primò scriptum fuit, exscribitur. Ostendat ergo nobis in Constitutionibus Clementis ista B. Ignatij verba, si potest: Τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε. &c. tum trāscripta & assuta confitebor. Nam si res eadem est tantùm, id conformem doctrinam comprobat, non arguit transcriptionem. Alioqui quàm multas erit in SS. Patribus, qui eodem acti spiritu eadem documenta tradiderunt, transcriptiones & assumenta reperire? Et verò parum abesse iudicabitur cum tali SS. Patrum censura Scultetus, quin & ipsis SS. Euangelistis conuiti etur, & S. Ioannem è S. Luca transcripsisse multa dicat, & S. Marcum è S. Matthæo plurima. Denique nec ipse, qui tam multa è veteribus, aut saltem se antiquioribus hæreticis sumpsit, & eadem cum illis docuit, nec ipse, inquam, scriptor vocandus erit, sed transcriptor: nec vllus omnino nostrûm, qui scribimus, aliud ferè quam transcriptoris nomen, Sculteto iudice, merebimur. Apage, apage eiusmodi nomenclatores, inscientes rerum, ignaros verborum. Fuerunt B. Clemens & S. Ignatius eodem sæculo, & eorundem Apostolorum discipuli, nec fuit necesse alterum ab altero eādem haurire doctrinam, cùm ex eodem fonte potuerint ambo bibere. Vsi sunt autem verbis partim similibus, partim dissimilibus: quippe & res talis erat. Satis habuit Ignatius hortari Christianos, ne Quadragesimam contemnerent: alter plus aliquanto dixit: *Vobis obseruandum est ieiunium Quadragesimæ*: & græcè sic: ὑμῖν φυλακτέα ἡ νηστεία τῆς τεσσαρακοστῆς. quæ differunt à verbis Ignatij paullo superiùs positis. Rationes etiam vtriusque nonnihil discrepant. Dicit enim Ignatius: *Continet enim imitationem vitæ Domini*. Dicit Clemens: *Quod vitæ Domini & lationis legis memoriam continet*. Quę sunt quidem aliquā tenus similia; sed etiam aliquā tenus dissimilia. Nam hic paullo plus quam ille, & aliud quàm ille: quandoquidem hic memoriam latæ legis post ieiuninm 40. dierum meminerit; alter autem minimè: & alter imitationem Domini prætenderit; hic autem minimè. Hinc & Andreæ Riueti propugnatoris eius & hyperaspistæ despuenda est impudentia, & sicut ipsius magister ad Grammaticum, sic ipse ducendus est ad Arithmeticum. Dicit enim dictum Ignatij locum totidem verbis in Clemente reperiri. Atqui iam ostendimus nec totidem, nec ijsdem. Verùm illa, quæ Riuetus affert, longè veriùs illi possent dici assuta ex Sculteto, cùm magis totidem & ijsdem verbis apud vtrumque repeperiantur. Hæc enim sunt Riueti verba: *In eadem epistola totus locus de ieiunio Quadragesimæ & quarta sextaq́ feria post paßionis dominicæ septimanam ex Constitutionibus Clementis assutus est.* Conferantur ista Riueti verba cum Sculteti verbis paullò antè hic citatis, & videbitur quanta sit paritas. Addit Riuetus: *vt videre est lib. 5. cap. 13. & lib. 7. cap. 24. in quibus eadem totidem verbis habentur*. Sed id de Quadragesima falsum esse ostendi. De alijs ieiunijs eadem est apud vtrumque, Clementem & Ignatium, ratio & similitudinis & diuersitatis, quę de Quadragesima. Quare de hoc genere satis. Alia aduersarij tela retudit Martialis Mæstræus.

Tertium eiusdem Sculteti punctum fauet Virginitati. Sic enim scribit: *Ibidem*, inquit, Ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων. *Saluto collegium virginum. Ergóne in illo Ecclesiæ flore fuerunt, quæ castitatem & continentiam perpetuam profiterentur virgines? Fuerunt omnino. Nam vt ex 4. libro Eusebij De vita Constantini, ex lib. 1. epist. 11. Cypriani, ex Tertulliano denique vt nihil adducam;*

adducam; Iustinus martyr, Athenagoras, & Tatianus antiquissimi Patres gloriantur contra gentiles, permultos Christianos vtriusque sexus ad extremum vsque spiritum incorruptos & cælibes perdurasse.

Hactenus pro nobis Scultetus: sed cauda est scorpionis. Ita enim subijcit: *Pietas illa Christianorum primæ ætatis fuit spontanea: quæ tantum habuit cum votis continentiæ Pontificiæ monasticis conuenientiæ; quantum ardentissima Deo placendi & seruiendi cupiditas cum luxuriosa desidia habet commercij.* Sic ille.

Quasi verò & hodierna inter Catholicos virginitas non sit voluntaria. Quis enim vouet, nisi volens? immo vnde votum, nisi ex ardentissima voluntate? Nam tunc ferè aliquid vouemus, cùm in illud toto impetu ferimur, & ne alicunde optatum impediatur, formidamus. Nam quòd castitatem monasticam, luxuriam desidiosam vocat, maledictum est hominis intemperati arreptum è triuio: qualia in probos & castos ab improbis & impuris vulgò iactari solent, nec probari: proinde nec refutari.

Laudabatur virginitas, inquit, *sed ita, vt sua coniugio laus integra maneret & salua.*

An igitur integra & salua apud Catholicos non manet? Vbi magis? aut vbi omnino? nempe apud quos pro sartâ tectâ sacrosancti matrimonij lege conseruandâ non pauca extent Pastorum Ecclesiæ atque Conciliorum scita atque decreta: & quibus non sacramentum modò, sed etiam magnum sacramentum & est, & appellatur. Quin & Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 10. de illo & de nuptijs agens, *Quas Episcopi*, inquit, *vt ea, quâ decet, modestia & honestate fiant, curabunt. SANCTA ENIM RES EST MATRIMONIVM, ET SANCTE TRACTANDVM.*

Liceat nunc mihi illud vltimum Sculteti dictum conuertere, ac multò veriùs dicere: *Laudabatur matrimonium: sed ita, vt sua virginitati laus integra maneret & salua.* Nam certè apud multos hæreticos iam nō manet. Quippe qui primas dent matrimonio, secūdas aut tertias virginitati: cùm tamen dicat Paullus: *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, meliùs facit.* Apud istos verò ita contrarium in vsu est, vt si verbis non dicant, certè factis clament: *Qui matrimonio non iungit virginem suam, bene facit: & qui iungit, meliùs facit.*

1. ad Cor. 7. ver. 38.

Virgo apud hæreticos coruo nam rarior albo.

Quin & reperias inter illos, qui in peccati loco ponant, si maturi nuptijs vxorem non duxerint. Nam & ego ipse in eiusmodi hominem aliquando in Transsiluania incidi. Erat is vt ætate admodum matura & prorsus virili, ita eruditione non vulgari, & linguis quidem non alijs modò, sed etiam hebraica apprimè eruditus: quicum amicitia & familiaritate per eiusdem itineris & rhedæ societatem contracta quæsiui inter alios sermones, an vxorem duxisset: tum ille velut grauis sibi peccati cōscius, erubescens, *non duxi*, inquit; *atque hoc est maximum peccatum ex ijs, quibus me obstrictum agnosco:* Hui, inquam. Atqui tale peccatum in aliquibus Apostolis fuit. Deinde in alias atque alias, & nominatim de Paulli cælibatu disputationes deuoluti sumus; eò vsque in dies inualescente inter nos amicitia, vt meo vnius rogatu & impulsu scribere Grammaticam Hungaricam aggressus sit, in qua quid illi cum Hebraica lingua conueniret (hoc enim vtriusque linguæ amans singulariter postularam) eâdem operâ complecteretur: & iam aliquò progressus erat, ac nisi me necessarius è Transsiluania abscessus ab illo diuellisset, futurum erat, vt propediem absolueret. Scit ille, si adhuc est superstes, (& vt sit ac bene sit, velim!) quia non mentior. Ego autem sperabam illum, vt amicitia, sic & fide iunctum iri: nec enim longè, vt mea erat opinio, abesse à regno Dei videbatur. Quid nunc eo factum sit, me latet. Deus opt. max. pro eius labore mea caussa suscepto bonam illi vicem rependat. Ego mori pro illo velim. Sed epistolæ nostræ iter relegamus.

Ex hac epistola desumptus est locus ille, quem suprà ex Origene attulimus. Ille item Anastasij Presbyteri, cuius facta est antè mentio, quem è codice græco descriptum ad me misit P. Iacobus Sirmondus in eiusmodi antiquorum scriptis, si quis alius, nobiliter & fructuosè versatus. Sic autem habet:

Εἰ γὰρ ᾔδεις, ὅτι θεοῦ υἱὸς εἶ, ἐγίνωσκες ὅτι τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀνενδεὲς ποιήσας τὸ φθαρτὸν σῶμα, καὶ εἰς τὸ διηνεκὲς ἠδύνατο τοῦτο ποιῆσαι. Διὰ τί οὖν πεινᾷ; ἵνα δείξῃ, ὅτι ἀληθῶς ἀνέλαβε σῶμα ὁμοιοπαθὲς ἀνθρώποις. Διὰ μὲν γὰρ τοῦ πρώτου ἔδειξεν, ὅτι θεός· διὰ δὲ τοῦ δευτέρου, ὅτι καὶ ἄνθρωπος. *Si enim Filium Dei esse cognouisses; & illud quoque cognouisses, eum qui fecerat, vt quadraginta dies corpus corruptibile cibo non indigeret; etiam in perpetuum id facere posse. Quamobrem igitur esurit? nempe vt demonstret se verè corpus patibile similiter atque homines suscepisse. Ita enim per prius quidem se Deum, per posterius verò se hominem esse ostendit.* Qui locus & re & verbis (pauculis duntaxat exceptis) cum eo, qui est in epistola Ad Philippenses consentit. Hæc autem pauculorum verborum diuersitas arguit exscriptores magis de re, quàm de verbis fuisse sollicitos. Nec mirum, si id in Patribus fiat, cùm & in Scripturis sacris, & ab ipsis Apostolis factum esse recognoscatur. In Ignatio est, *quadraginta dies & totidem noctes*: hîc tantùm est, 40. *dies*. In Ignatio non est vox φθαρτὸν *corruptibile*, nec est necessaria: immo (vt ex sequentibus videre est) superuacanea apparet. Posterior periodus vtrobique est eadem, excepta voce ἀληθῶς, *verè*: pro qua in Ignatio est κατ' ἀλήθειαν, eodem sensu. Ex his porrò manifestum fit non ignotam fuisse antiquis

tiquis hanc sanctissimi martyris ad Philippenses epistolam. Accedamus ad alias.

CAPVT VI.

DE EPISTOLA AD PHILADELPHIENSES.

HÆc epistola est vna ex ijs, quas recensuerunt Eusebius & Hieronymus, proptereáque ab omnibus passim, vt germana Ignatij recipitur. Notat tamen nonnulla Sculteius, quæ aliena esse velit ab Ignatio, & ab aliquo compilatore in epistolam intrusa. Verùm in illis ipsis planissimè ostendit, quàm nullius, aut certe quàm corruptissimi sit iudicij. Nam si sanctus Ignatius verba aliqua Scripturæ sensui suo accommodet (quod libenter & sæpenumerò tam ipse quàm alij SS. Patres factitant) id à compilatore aliquo iudicat aliunde subreptum atque huc intrusum. Sic initiũ huius epistolæ, quod pulcherrimum ac sanctissimum est, & beatissimi viri germanissimum, illius esse non credit, sed à compilatore aliquo immissum. Cur autem? Quia duo verba habet in prima periodo, quæ apud Paullum in simili locutionis forma reperiuntur. Neque enim profectò plura simul iuncta reperiet, quæ sint eadem. Citat scilicet versionem Martialis Mastræi, quæ est talis: *Conspecto vestro Episcopo cognoui, quòd non à seipso, neque per homines ad dignitatem euectus est.* tum subdit more suo, hoc est, mendaci & impudenti: *Apparet hæc verba ex epistolis Paullinis transcripta, quæ nullo iudicio Compilator ad Episcopum Philadelphensem traducit.* Ita ille semper audacter & impudenter mentiens, & nihil probans. Debuisset sanè locum S. Paulli proferre, ac deinde eundem re & verbis, vt ante illum docui, in Ignatio ostendere: sicque transcriptum persuadere. At horum nihil facit, & Pythagoram confidenter agit. Atqui illa verba: *Conspecto vestro Episcopo cognoui,* nusquam in Paullo ostendet: neque item illa, *quòd non à seipso:* neque etiam ista: *neque per homines.* nec denique illa: *ad dignitatem euectus est.* Quidnam igitur? nempe illas tres particulas, *non neque, per,* Non sunt enim plures, quæ sint prorsus eædem, Vnde multo melius dicere potuisset Sculteius illam periodum è Calepino transcriptam esse aut Lexico, quàm è Paullinis epistolis. Nam omnes voces ibi reperire possemus: in Paullo autem minimè possumus: siue latinam interpretationem, quam attulit, respiciamus: siue græca ipsa Ignatij consideremus. Sed nimirum locutionis forma illum decepit, & fefellit memoria. Legerat apud Paullum initio epistolæ ad Galathas: *Paullus Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deũ Patrem, qui suscitauit eum à mortuis) & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesia Galathia.* &c. Putauit igitur idem esse illud Ignatij, *non à seipso,* quod Paullus dixit *non ab hominibus.* Nam in eo quod vnus dixit, *neque per hominem;* alter, *neque per homines* non tanti facio: licet non sint prorsus eadem, maximè vbi de transcriptione agitur. Et oblitus est addere aliqua verba Ignatij, quæ pòst sequuntur Paullinis similia. Sed neque sic possunt dici transcripta, & nullo iudicio ad alterum traducta: cùm & in ipsis Apostolis reperiantur alij alijs habere, in suis epistolis simillima: & Apostolorum discipulis laudi potiùs quàm fraudi esse debeat magistrorum tam in verbis, quàm in rebus imitatio.

Habet & alia, quæ similiter intrusa arbitratur, & similiter vt superiora refutantur: de quibus in commentario nostro fusiùs. Sed illud extremum eius in hanc epistolam notarum est intolerabile. Nam ad illa B. Ignatij verba: EX TROADE HÆC SCRIBO, sic notat: *Quantum,* inquit, *his epistolis tribuendum sit, vel hinc conijcere est. Nam, vt bene Historiographi Magdeburgenses iudicant, ipsa peregrinationis ratio non paruum lectori scrupulum inijcit consideranti, quam longum iter sit Antiochia ad littus Ægæi pelagi se recipere, ibique rectà sursum versus Septemtrionem ascendere, & præcipuas ciuitates in littore sitas vsque ad Troadem perlustrare, cùm Romanum iter destinatum sit versus occasum.* Ita ille. Verùm nec bene Historiographi Magdeburgenses iudicant, neque Sculteius: si quidem ex his verbis, aut ex itinere Ignatij velint eius epistolas in dubium reuocare. Nam certè iudicant vt cæci, & vt terræ marisque expertes, & rerum simul ignari. Quis enim nescit in longis itineribus ac molestis (quale procul dubio hoc fuit) tam terrâ viatores, quàm mari vectores, vulgò solitos esse, non tam periculosa viarum compendia, quàm tuta & salubria diuerticula & portus opportunos sectari? ac tum quidem maximè, cùm nulla itineris accelerandi premat necessitas? Accedit, quòd tota huius viæ ratio non in arbitrio, voluntateque Ignatij, sed in manu ac potestate militum seu Decurionis ipsorũ sita fuerit. Quod genus mirè curiosum est, cùm præclararum vrbium visendarum, tum præcipuè locorum, vbi famosa ac celebria commissa sint prælia, lustrandorum. Ita Smyrnam omnium Asiæ vrbium longè pulcherrimam & amœnissimam (vbi & mora longior fuit) petierunt. Sic Troadem Græcorum & Troianorum decennali bello famosissimam, *& campos, vbi Troia fuit,* inuiserunt. Sic Philippos geminis Romanorum bellis ciuilibus illustres pertransierunt. Sic alias atque alias, vt libido impulit, accesserunt. Non enim huius itineris ductor ac director Ignatius, vt dixi, sed Traiani Imp. Decurio fuit: quamuis & ipse Ignatius talium opportunitate vrbium, ad suam & ecclesiarum, quæ in illis erant, vtilitatem, Deo ita disponente, sit vsus.

vſus. Sed & multa alia ſæpenumero incidũt, quæ iter facientes cogant à recto curſu deflectere, vt principum mandata, nauarchorum neceſſitates, piratarum incurſiones, prædonum latrocinia, infeſtæ peſtilentiâ regiones, aliáque eiuſmodi innumera: quorum ignoratione vel inconſiderantiâ Magdeburgenſes centuriatores, tanquam ſi in itineribus nunquam fuiſſent, certas & teſtatas hiſtorias non dubitant incertare. Nam ijdem Euſebius & Hieronymus, quorum ipſi auctoritate pro ſeptem epiſtolarũ germanitate nituntur, ijdem, inquam, & vna cum illis Actorum martyrij deſcriptores diſertè illud iter, quod illis litteris continetur, memoriæ prodiderunt. Et quia hic de Troade orta eſt quęſtio; ecce, multorum inſtar, vnius Euſebij clara auctoritas lib. 3. hiſt. eccl. c. 36. textus gręci, vbi de Ignatij epiſtolis ſic inter alia: Ἤδη δ᾽ ἐπέκεινα τῆς Σμύρνης γενόμενος, ἀπὸ Τρῳάδος τοῖς τε ἐν Φιλαδελφείᾳ αὖθις διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ, καὶ τῇ Σμυρναίων ἐκκλησίᾳ, ἰδίως τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ Πολυκάρπῳ. *Iam verò vltra Smyrnam profectus rurſum è Troade Philadelphienſibus ſcribit, & eccleſiæ Smyrnenſi, & ſpeciatim eius Antiſtiti Polycarpo*. Tranſeamus hinc opportunè ad epiſtolam illam ad Smyrnæos, quorum hic mentio.

CAPVT VII.

DE EPISTOLA AD SMYRNÆOS.

PRo hac epiſtola, præter Euſebium & Hieronymum, habemus etiam auctoritatem Theodoreti in tribus dialogis, S. Maximi Abbatis in Sententijs, S. Antiochi Monachi in homilijs, S. Ephræmij Patriarchæ Theopolitani, ſiue Antiocheni in defenſione Chalcedonenſis concilij, S. Ioannis Damaſceni in parallelis. Habet igitur Theodoretus dialogo 1. tres locos diuerſos ex hac epiſtola, ſed breuitatis cauſſa, vbi longiores erãt, (quemadmodum in citationibus aſſolet) nonnihil contractos.

Notandum porrò apud eundem Theodoretum vitiosè in quibuſdam exemplaribus legi ἐκ τῆς πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῆς, ex epiſtola Ad Romanos. Legendum enim eſt Σμυρναίους *Smyrnæos*. Qui error, non Theodoreto, ſed librarijs ſeu deſcriptoribus eſt attribuendus. Facilis enim illis lapſus fuit in duobus totidem & propè ſimilium ſyllabarum vocabulis, vt Ῥωμαίους pro Σμυρναίους ſcriberent: nõ item B. Theodoreto, qui ſciebat in epiſtola ad Romanos ne verbum quidem vnum eſſe diſputationis atque litigij aduerſus hæreticos: contra quos tamen hi loci ab eodem Theodoreto afferuntur, qui in epiſtola ad Smyrnæos reperiuntur. Ex quâ & alios duos citat locos dialogo 2. qui etiam in citata extant epiſtola. Dialogo autem tertio alium quoque locum hinc citat, qui tamen hic non reperitur. Eſt autem his verbis ab eo exſcriptus: Τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου Ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ μάρτυρος, ἐκ τῆς πρὸς Σμυρναίους ἐπιστολῆς· Εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. *Sancti Ignatij Epiſcopi Antiochiæ & martyris ex epiſtola ad Smyrnæos: Euchariſtias & oblationes non admittunt: quia non confitentur Euchariſtiam eſſe carnem Saluatoris noſtri IESV Chriſti, eam quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater bonitate ſua reſcitauit.*

Quid igitur afferamus, quamobrem recuſemus has epiſtolas non eſſe adulteratas, non interpolatas? Duo nimirum probabiliſſimè dici poſſunt. Vnum quidem, excidiſſe hunc locum negligentia deſcriptorum, qui non modò periodos, ſed etiam paginas ipſas interdũ ſeu incuria, ſeu citò abſoluendi cupidine trãſiliunt. Quod ego cùm alibi, tum in Appiano quondam deprehendi, & hoc ipſo anno ſibi accidiſſe in recenti ac prorſum muſtea editione cuiuſdam ſui tomi conqueſtus apud me eſt æqualis quidam meus. Nec ipſe tamen idcirco, nec quiſquam, opinor, alius dicet illius ſcripta eſſe aut adulterata, aut interpolata; ſed tantùm imperfectè ac vitiosè edita. Quod nos facilè de S. Ignatij epiſtolis concedimus. Alterum, videri S. Ignatium plura ſcripſiſſe, quàm nunc extẽt. Nam ſi in vnico Romam itinere vndecim litteras ſcripſit, quò animos Chriſtianorum, tempore perſecutionis, in fide roboraret; quis dubitare poteſt, quin & alias complures alio tempore, & alijs in perſecutionibus (quamuis vnicas tantummodo nunc proferre poſſimus, quas ſub Domitiano ad Mariam ſcripſit) varijs occaſionibus exararit? Neque enim illud dũtaxat Theodoreti fragmẽtum extra epiſtolas Ignatij eſt: ſed alia quoque ab alijs citata Patribus, antiquiſue Scriptoribus. Quæ ſanè ita accipere debemus, ac multo maiori religione, quàm paſſim vel in auctoribus profanis accipimus fragmenta Ennij, Pacuuij, Ciceronis, aliorum; vel in Scriptoribus ſacris, Tertulliani, Origenis, Arnobij, taliumque non paucorum: è quibus fragmentis minimè argumentamur ipſorum ſcripta eſſe ſpuria, adulterina, interpolata: ſed colligimus plura illos ſcripſiſſe, quàm nunc extent, & vicem tam bonorum Auctorum condolemus, & eorum tabulas naufragij recolligentes adamamus.

Eſt quoque extra eaſdem Ignatij duodecim epiſtolas id, quod ex eo laudat S. Hieronymus lib. 3. Aduerſus Pelagianos ſub initium his verbis: *Ignatius vir Apoſtolicus & martyr ſcribit audacter: Elegit Dominus Apoſtolos, qui ſuper omnes homines peccatores erãt: de quorũ celeri conuerſione Pſalmiſta canit: MVLTIPLICATÆ* Pſal. 15. ver. 4.

SVNT INFIRMITATES EORVM, POSTEA ACCELERAVERVNT. Quibus *testimonijs si non vteris ad auctoritatem; vtere saltem ad antiquitatem, quid omnes ecclesiastici viri senserint.* Ita Hieronymus. Qui & in libro aduersus Heluidium extremo recenset Ignatium & Polycarpũ inter eos, qui aduersus Ebionē & alios hæresiarchas *plena* (vt ait) *sapientia volumina conscripserunt*. Quibus verbis aliud præter epistolas videtur indicare; aut certè plus aliquanto quàm nunc habeamus. Est & illa sub S. Ignatij nomine citata ab Ioanne Damasceno sententia lib. 3. Parallelorum, cap. 64. Μὴ ἀλειφέσθω δυσωδίαν, διδασκαλίαν τοῦ αἰῶνος τούτου, ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία· μὴ αἰχμαλωτισθῇ ὑπὸ τῆς πανουργίας αὐτοῦ, ὡς ἡ πρώτη γυνή. *Non vngatur tetro odore, doctrinâ huius sæculi, sancta Dei ecclesia: ne captiuetur ab eius astutia, vt prima mulier.*

Sed hanc sententiam nihil est necesse excidisse ex epistolis, sed aliũde, cũ nulla citetur à Damasceno epistola, sed solũ nomẽ Ignatij: quemadmodum nec in isto eiusdem Ignatij monito, quod refertur eodem lib. cap. 95. istis verbis è versione Billij, (nam nancisci græca non potui.) *Nemo vestrûm aduersus proximum quicquam habeat: ne occasionem Gentibus detis, vt paucorum stultorum culpâ fiat, vt multitudo sancta ac diuinâ quadam virtute prædita maledictis impetatur.* De alio loco ex epistola ad Polycarpum, qui iam in illa non comparet, dicemus sequenti capite. Nam cùm aduersus epistolam ad Smyrnæos nihil à Perkinso, nihil à Sculteto, nihil à Riueto afferatur, quamobrem non censeatur legitima, ad sequentem transibimus.

CAPVT VIII.

DE EPISTOLA AD POLYCARPVM.

B. Ignatium scripsisse vnam aut plures epistolas ad Polycarpum satis manifestũ est, non solùm ex Eusebio in historia, & Hieronymo in Scriptoribus ecclesiasticis; sed etiã ex Antiocho Monacho in homilia 124. & Antonio Melissa, lib. 2. serm. 23. & 43. & S. Ioanne Damasceno lib. 2. Parallelorum, cap. 25. (vbi amplus & insignis locus hinc citatur, qui & in ipsa epistola reperitur) & lib. 3. eorũdem Parall. cap. 15. vbi ista sentẽtia, sub nomine incerti (deficiente cũ memoriâ) citata est: *Christianus sui ipsius potestatem non habet, sed Deo vacat.* Est enim Ignatij in hac epistola. Sed ipse Polycarpus de scriptis ad se ab Ignatio litteris instar mille testium est: cùm id ipse testetur in suâ ad Philippenses, quæ nunc extat, epistolâ, his verbis: Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε. *Epistolas Ignatij ad nos ab eo missas, & alias quotquot penes nos habuimus, vobis misimus, quemadmodum mandastis.* Ex quibus videtur posse colligi plures ab Ignatio ad ipsum missas; deinde hanc saltem, quæ extat, vnam ex illis esse, ex alijs eiusdem Polycarpi verbis datur intelligi, quibus in dicta ad Philippenses epistola sic ait: Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα, ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγώ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. *Scripsistis mihi & vos & Ignatius, vt si quis eat in Syriam, is etiam vestras perferat litteras: quod equidem faciam, si opportunam occasionem nactus fuero, siue egomet ipse, siue is quem mittam legatione functurum etiam pro vobis.* Ita S. Polycarpus. Istud autem B. Ignatij mandatum continetur in hac eius ad Polycarpum epistola.

Constituto igitur & fixo manente, quod negari non potest, hanc epistolam, saltem ex ex parte non parua, esse Ignatij: quæritur an sint aliqua, & quænam illa, quæ aliunde adscita meritò videri possint. Respondeo primò ipsam epistolæ inscriptionem alienam esse à more S. Ignatij, immo & à modestia. Sic enim habet:

IGNATIVS Episcopus Antiochiæ, qui & martyr IESV Christi, POLYCARPO Ecclesiæ Smyrnensis Inspectori, immo magis inspecto à Deo Patre & IESV Christo plurimam salutem.

Non est solitus suas epistolas sic inscribere humillimus & modestissimus Ignatius, sed simpliciter: *Ignatius, qui & Theophorus* &c. Deinde, cùm aliæ inscriptiones plenæ sint eorum laudibus, ad quos scribit; hæc nullas Polycarpi laudes (qui tamen ex omnibus eas merebatur quàm maximè) sed terrorem potiùs continet, dum ipsum inspici à Deo magis quàm alios inspicere commonet. Vnde mihi multa suspicio est S. Polycarpum ex singulari modestia sustulisse veram inscriptionem suis laudibus plenam, & hanc eius vice reposuisse, quæ ipsius Ignatij iam martyris laudem & titulum complecteretur. Hæc mea quidem est coniectura, parati, si quis meliorem proposuerit, ei concedere.

Respondeo 2. nonnulla esse in ipsa epistola, quæ non minimam suspicionis ansam afferant, aliqua in eam aliunde irrepsisse: primò quidem monita ipsa, quæ magis decere videantur iuuenem Episcopum, quàm tali ætate & auctoritate, quali tum erat Polycarpus. Secundò ista verba: *Attendite Episcopo, vt & Deus vobis*, & quæ sequuntur, potiùs subditis conuenientia, quàm Polycarpo, qui ipse erat Episcopus. Tertiò multa verba barbara, & è latinis vocabulis deflexa, quæ in milites magis quàm in alios omnes quadrent. Qualia sunt ista: Ἀρέσκετε, ᾧ στρατεύεσθε, ἀφ' οὗ καὶ τὰ ὀψώνια κομίσεσθε. Μήτις ὑμῶν δεσέρτωρ εὑρεθῇ· τὸ βάπτισμα ὑμῶν μενέτω ὡς ὅπλα, ἡ πίστις ὡς περικεφαλαία, ἡ ἀγάπη ὡς δόρυ, ἡ ὑπομονὴ ὡς πανοπλία· τὰ δεπόσιτα ὑμῶν, τὰ ἔργα ὑμῶν· ἵνα τὰ ἄκκεπτα ἄξια Θεοῦ κομίσησθε. *Et placete, cui*

tui militatis: à quo & stipendia referetis. Nemo vestrum desertor sit. Baptismus vester maneat, vt arma; fides, vt galea; caritas, vt hasta; patientia, vt omnis armatura. Deposita vestra, opera vestra sint: vt accepta vestra Deo digna reportetis.

Vbi notandum vocem illam δεσερτορευθῇ à latino *desertor* formatam esse: δεποσιτα autem & ἄκκεπτα, prorsus latinas esse, *deposita, accepta*. Vnde igitur tales voces? inquiunt. An S. Ignatius græcè nesciuit? Hi sunt igitur duo loci, qui præcipuè ab hæreticis notantur, vt spurij; nec sine aliqua in aliter sentientes cõtumeliosa mordacitate. Catholici è contrario, cùm sciant Scripturæ sacræ primos honores citra controuersiam deferendos; sanctorum autem Patrum scriptis ab illa proximos, idcirco & ad illam totis viribus propugnandam studio feruntur præcipuo; & hæc quoque, si qua possint, conãtur bonis ac congruis interpretationibus ab iniuria vindicare. Est enim procul dubio iniuria, si quis temere alienis scriptis vel addat quippiã, vel adimat. Quare volentibus quippiam adimere, aut vt spurium denotare, priùs firmis rationibus probandum est id adiectum esse. Nam aliqua dolo malo intrudere, hoc maius quoque facinus est: ac proinde & creditu minùs facile. Hinc minimè mirum videri debet, si à nobis, cùm aliqua exoritur suspicio loci cuiuspiam iniecti aut adulterati, magna diligentia adhibeatur in perquirendo, num is locus non sit verè ipsius Scriptoris? num excusari nullo modo possit? Quod lõgè profectò modestioris est animi, quàm in contrariũ ire præcipitẽ, & sine accurato examine id statim arripere, quod prima fronte occurrit. Sic antiqui hæretici contra sacras Scripturas grassati sunt: sic hodierni aduersus SS. Patres grassantur. Apud nos autem valet illud non mali poëtæ: *Cuncta priùs tentanda: sed immedicabile vulnus Ense recidendum est.*

Tentemus igitur & nos, non cuncta sanè, sed saltem aliqua. Quare quod in epistola ad Polycarpum Episcopum habetur: *Attẽdite Episcopo, vt & Deus vobis.* &c. vsque ad aliquot periodos, in quibus nõ Polycarpũ Episcopum affatur, sed eius subditos, dici non incongruè potest, statuisse Ignatium *de vnâ fideliâ*, quod aiunt, *duos dealbare parietes*, & vna eadémque epistola ob temporis penuriã, simul & B. Polycarpo satisfacere, & subditis illi Smyrnæis, ideóque in illa epistolæ parte quæ improbatur, apostrophen esse ad Smyrnæos; postea verò, cũm sibi satis superesse tẽporis vidit, tũ ad easdẽ Smyrnæos speciatim aliã scripsisse epistolã. Erat enim in itinere, versabatur inter satellites, viæ discessúsque ratio in aliena erat potestate, tẽpus illi preciosum, nec liberæ cogitationes, & scriptio accelerata. Quid faceres tu Scultete, tu Riuete, tu Perkinse, tali in re ac tẽpore? Animúsne cuiquam vestrũm esset de rotundis, de connexis, de tessellatis periodis cogitare? An potiùs quicquid vobis in buccam veniret, scriberetis? An non ad plebẽ vestram scribentes, derepente aliò amore abrepti, modò vxores, modò filias vestras aliósque liberos affaremini? Nõ erat, nõ erat Ignatij inter leopardos scribentis, aut vrbanitatis litteras exarare, aut res afferre meditatas, aut de membrorum orationis cogitare iunctura. Quod petijt Polycarpus, quod postularunt Smyrnæi, vltima scilicet properantis ad mortem patris monita; hæc simplici stilo; hæc, si vultis, sermone inter barbaros milites semibarbaro, & Romanis ac militaribus vocabulis confuso, vel scripsit, vel dictauit. Adde corruptam Romanorũ commercio Antiochensem linguam, & simul cũ Ignatio Antiocheno reprehende, si audes, & S. Lucam medicũ Antiochensem, quòd ipse quoque deformatas è latina lingua voces, tam in euangelio, quàm in Actis Apostolorũ nobis obtruserit; & dic de illo Sculteto, & tu Sculteti simie Riuete, quod dixisti de Ignatio: *Itáne græca lingua fuit rudis scriptor Græcus, vt nesciret quid* sudarium, *quid* semicinctium *sermo Græcus vocet?* Illis enim vsus est S. Lucas, locis iam iam indicatis: in euangelio quidem cap. 19. ver. 20. vbi seruus nequam dicit se mnam suam habuisse repositã in sudario, quod idẽ Euangelista græcè sic extulit: ἰδοὺ ἡ μνᾶ σου, ἣν εἶχον ἀποκειμένην ἐν σουδαρίῳ. *Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.* In actis autem cap. 19. ver. 12. vbi de miraculis S. Paulli agit, ita loquitur: ὥστε καὶ ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἐπιφέρεσθαι ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια ἢ σιμικίνθια. *Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia.* Denique in Syria (vbi supremus Antistes erat Ignatius) adeo Romana quædam vocabula fuerunt indigenis & inquilinis familiaria, vt illorum esse crederentur, non Romanorum. Vnde Nonnus Panopolita existimauit σουδάριον esse vocem Syriam, idque in græcâ suâ euangelij S. Ioannis paraphrasi, duobus locis testatus est, semel cap. 11. ver. 44. ad illud: *Et facies illius sudario erat ligata:* quod Ioãnes græcè habet: Καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο, ipse Nonnus in versu suo sic posuit:

Καὶ λινέῳ πτύχασο καλύμματι κυκλάδα κόρσην
Σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα. ——
Et caput obnuptum lini velamine habebat,
Sudarium vulgò appellat quod lingua Syrorum.

Semel iterum cap. 20. ver. 7. ad illud: *Et sudarium, quod fuerat super caput eius:* quod græcè apud eundem Ioannem est: Καὶ τὸ σουδάριον, ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. sic idem Nonnus carmine reddidit:

Καὶ κεφαλῆς ζωστῆρα παλίλλυτον ἅμματι χαίτης
Σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων ἐπιδήμιος αὐδή.
Et cinctum capitis resolutum à fune comarum:
Sudarium dixit popularis lingua Syrorum.

Quod igitur ad illas voces δεσερτορεύομαι, δεπόσιτα & ἄκκεπτα attinet, dico illas, tãquã militiæ familiarissimas, à Syris fuisse passim vsurpatas.

patas. Nam qui signa deserebant, vocabantur à Romanis *desertores*, quod cùm identidem in milites ignauos contumeliæ caussa iaceretur, crebróque in Syria audiretur, inde factum est, vt ibi à Græcis & alijs populis eadem vox *δεσέρτωρ* in vsum tracta sit, & ex ea *δεσερτωρεύω* & *δεσερτωρεύομαι. i. desero exercitum, desertor fio.* Cùm autem milites in expeditionem irent, tum ipsi in ciuitatibus peculia sua castrensia deponebant; quæ reuersi recipiebant. Illa igitur *deposita* appellabãtur ab eo, qui deponebat, *accepta* autem ab eo, qui accipiebat. Confectis ergo bellis illi deposita repetebant, hi accepta restituebant. Vnde nihil mirum videri debet, si eędē voces Ignatio Syro notissimæ fuerint, & illo tempore vsurpatę, quo Syria & Asia tẽporibus Traiani Imp. milite Romano plenæ erant; & ipse Ignatius inter milites vinctus hasce litteras scribebat aut dictabat. Adde latinam linguã hoc sæculo, non in Syria tãtùm; sed in omnibus fere populis fuisse vsitatam: cùm ipse Plutarchus, (qui eadem cũ Ignatio ætate vixit) disertè id testetur in Platonicis quæstionibus sub finem, ita scribens: *ὡς δοκεῖ μοι περὶ Ῥωμαίων λέγειν, ᾧ μὲν λόγῳ νῦν ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται. Vt mihi videor de Romanis posse dicere: quorum quidem lingua omnes fere homines hodie vtuntur.* Hinc & in euangelio S. Matthæi græco multæ sunt latinæ voces, ac nonnullæ item in Marci & Ioannis. Nã de S. Luca suprà ostendimus. Ac de talibus quidem vocibus barbaris hactenus.

Iam quod admonet Ignatius in eadem epistola Smyrnæos (est enim ad illos seu ad vniuersam B. Polycarpi plebem apostrophe) vt simul laborent, certent, surgant, quiescant &c. hoc tantùm vult sanctus martyr, vt ordinatè omnia inter illos fiant: nempe vt simul surgant ad cœtus antelucanos: inde simul ad labores exeant: simul ad quietem corporis cõcedant: hoc est, vno eodémque, quãtum fieri potest, tempore omnia faciant, atque in varia diuisi domicilia sic viuant, quasi fratres vnanimes vna in domo. Quam rem optimam & laudatissimam ineptissimè reprehendit Vedelius in sua Notarum Criticarum appendice, his vtens verbis aliquam stoliditatem indicantibus: *Tertiò*, inquit, *inter alia Smyrnenses scilicet hîc monentur, vt simul & cubitum eant & surgant: quod siue de quiete mortis & resurrectione spirituali, siue de corporali quiete & resurrectione intelligatur, perinde ridiculum est.*

Nequaquam, mi homo, nequaquam perinde ridiculum est: nam prius illud, quod stultè posuisti dicens, *siue de quiete mortis & resurrectione spirituali intelligatur*, infinitè ridiculum est, & stolidissimè à te excogitatum. Quasi verò illa verba *Simul cubitum ite & simul surgite*, possint intelligi de quiete mortis & resurrectione spirituali, & sit in hominum potestate simul mori & simul resurgere. Quis non videt illa simpliciter intelligenda de nocturno somno & surrectione matutina? præsertim cùm & Plinius ipse docuerit Christianos conuenire solitos ad cœtus antelucanos ad canendũ Christo, vt Deo. Quibus autem simul ad eos cœtus surgendũ fuit ante lucem, nonne & bonum fuit simul ad quietem capessendam se conferre? quò scilicet, quoad eius fieri posset, æqua sors omnibus foret, tam quietis, quàm vigilantiæ.

Pergit idem Minister Geneuensis: *Ratio quàm addit ibi, etiam inepta est. inquit: simul cubitum ite & simul surgite, tanquam Dei œconomi, & assessores & ministri.*

Immo aptissima est ratio, & ineptissima reprehensio. Nã vult B. Ignatius perinde illos esse diligentes in officio suo diuini cultus, & Christiani ordinis obseruandi, ac si essent ipsius Dei œconomi & assessores & ministri, siue cogitantes se in eius præsentia & conspectu esse & omnia facere. Nam Regis oculi nec indiligentes patiuntur, nec inordinatos ferũt. Nouam adiungit præterea ineptiam, dum dicit: *Vbi quintò hoc ineptum est, quòd cùm nominet Smyrnenses Dei œconomos & ministros, eos etiam assessores illius nominet.* Sic ille.

Ego autẽ non hoc ineptum esse dico, sed hoc in Vedelio lõgè ineptissimũ iudico, quod existimet non posse congruere eidem, esse simul Dei assessorẽ & ministrum atque œconomũ siue dispensatorem. Quid? An non hæc omnia Apostolis congruerũt? Ipsi enim assessores Dei fuerunt, ipsi ministri, ipsi dispẽsatores. Quæ omnia è Scripturis patent. An nõ & Angeli in cęlo hæc etiam sunt omnia? Nã cũ semper adsint Deo (nihil enim fingere debet Vedelius in ijs aliud esse, assidere, aut astare, quàm adesse) etiam ministrant & dispensant, quæ ipsis à Deo iniungũtur. Vnde Paullus ad Hebræos cap. 1. ver. vltimo: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capient salutis?* Et apud Principes & Magnates quis nescit eosdẽ sæpe esse œconomos & ministros & assessores? Nã eò quòd assideant Regi, non idcirco desinunt eius esse ministri. Adde Ignatium non dicere Smyrnæos esse hæc omnia; sed monere tantùm, vt ita se gerant in omnibus, tanquam sint ipsius dispensatores, ministri, assessores. Est enim græcè particula *ὡς, tanquã.* Nec dũ est finis in Vedelio ineptiarũ atque nugarum. Nam & vitio tribuit patiẽtiam in hac ad Polycarpum epistola vocatã esse *πανοπλίαν armaturã*, & fidem, *galeã*: cùm Paullus aliter vocauerit. *At noster ineptus deprauator*, inquit, *tãtùm patientiã vocat πανοπλίαν. Quid? Anne patientia est tota armatura spiritualis? Aut anne patientia est genus virtutum omnes eas sub se, tanquam species, continens? Ergóne fides, veritas, iustitia, verbũ Dei sunt species patientiæ? Rursus Paullus galeæ appellationẽ tribuit τῇ σωτηρίᾳ: at corruptor eam tribuit fidei, cùm tamen Paullus clypei appellationem fidei tribuat.* Hæc ille.

Ad Hebræos cap. 1. ver. vlt.

Nempe

Nempe multa verba in ventum iactata. Quasi verò nihil aliud virtutem, aliquam appellare liceat, quàm Paullus appellauerit. Aut quasi per solius os Paulli Spiritus sanctus locutus sit; ac non etiam per aliorum ora Apostolorum atque Martyrum varia rerum sensa expresserit. Visum est Spiritui sancto per os Paulli hortari Ephesios ad induendam armaturam Dei, & nullam facere mentionem patientiæ, licet maximè necessaria sit armatura: visum est eidem Spiritui per os S. Ignatij ad arma tempore persecutionis assumenda cohortari Polycarpum & subditos ei Smyrnæos, atque alia inter arma nominare patiētiam, & vocare eam πανοπλίαν, quod propriè sonat, *omnem armaturam* licet in epistola Paulli ad Ephesios vetus interpres bis verterit *armaturam* tantùm. Nempe alio atque alio tempore & aduersus alios atque alios hostes alia atque alia sunt arma capienda. Paullus autem præcipuè cōtra inuisibiles hostes armabat Ephesios: Ignatius verò potissimè contra visibiles: idcirco & patientiam aduersus tales hostes maximè necessariam maximè commendauit.

Ad Ephesios cap.6. ver.11.

Neque parcior in eiusdem virtutis commendatione fuit vetus & sāctus Poëta Prudētius, qui in sua psychomachia sic patientiā extulit:

Prudentius in psychomachia.

——— Lex habet istud
Nostra genus belli, furias, omnémque malorum
Militiam, & rabidas tolerando extinguere vires.

Et paullo pòst non obscurè indicans patiētiam verè quandā esse & dici posse πανοπλίαν seu *omnem armaturam*, quòd omnes firmet fulciátque virtutes, ita eam dilaudat:

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliúmque suum fortis PATIENTIA miscet.
Nulla anceps luctamen init virtus sine ista
Virtus. Nam vidua est, quam non patientia firmat.

Dic porrò, Vedeli, quid sibi vult Iacobus Apostolus, cùm dicit cap.1. epistolæ suæ: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectū habet.* Dic nunc illa tua. *Anne patiētia est genus virtutum, omnes eas sub se tanquam species continēs? Ergóne fides, veritas, iustitia, verbum Dei, sunt species patientiæ?* Nam qui dicit patientiam opus perfectum habere, id propemodum dicit, quod Ignatius, ipsam esse quandam πανοπλίαν. Quod si fortè Iacobum non tanti facias, quid dicis ad illud Domini, *In patientia vestra possidebitis animas vestras?* Dic modò illud tuum: *Anne patientia est genus virtutum* &c. Quid? Tam rudis es Minister, vt nescias tam verba SS. Patrum, quàm sacræ Scripturæ commodè & scienter accipienda esse? Nescis videri illos modò omnia tribuere fidei, modò caritati, modò eleemosynæ, modò patientiæ? De fide & de caritate tot sunt Scripturæ testimonia, támque obuia, vt putidum fururum sit, si quid proferre voluero: de eleemosyna verò ita Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et Christus ipse, Lucæ 11. ver. 41. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Dic etiam nunc Vedeli: *Anne eleemosyna est genus virtutū, omnes eas sub se tanquā species continens?* Deinde quàm absurdū est existimare ad hoc, vt aliquid vocetur πανοπλία seu *omnis armatura*, necessarium esse, vt sit genus virtutū omnes eas sub se tanquā species continens? Ista est *absurditas Vedeliana*, quæ capi potest loco prouerbij, vt intelligatur omnium maxima. An Christus ipse vocari non potest omnis armatura? & is qui IESVM Christū induerit, vt Paullus hortabatur, an dici nō potest omnem induisse armaturam?

Tob 4. ver. 11.

Reprehendit etiam quòd in hac Ignatij epistola cōparetur fides *galeæ*, cùm à Paullo comparetur *scuto*. Sed quid obest vnum idémque pluribus aptè & æquè aptè cōparari? Certè, vt nihil plus dicam, nō minus aptè comparatur fides *galeæ* quàm *scuto*: cùm galea muniat caput præcipuam hominis partē, quam & serpētes potissimè muniunt, eáque de caussa adeo prudentiæ nomē indepti sunt, vt dixerit Dominus: *Estote ergo prudentes sicut serpētes, & simplices sicut columbæ.* Ad quę verba S. Isidorus Pelusiota scribēs Hermino Comiti, epist. 126. libri primi egregiè his verbis prudētiam illam explicat: Φρονίμους ἡμᾶς εἶναι κατὰ τὸν ὄφιν κελεύει ὁ Κύριος, ἐν παντὶ πειρασμῷ συντηροῦντας τὴν κεφαλὴν ἡμῶν, ἥτις ἐστὶν ἡ πίστις ἡμῶν εὐμαθέστατε. Ὅσαις γὰρ ἂν πειράσεσι καὶ πληγαῖς ὁ ὄφις συνέχηται, τὴν ἑαυτοῦ φυλάττει κεφαλὴν ἀβλαβῆ. *Dominus nos prudentes vt serpentes esse iubet, vir ingeniosissime: sic nempe vt caput nostrum, hoc est, fidem in Christum in omni tentatione conseruemus. Etenim quibuscumque aduersis casibus ac plagis serpens prematur, incolume atque illasū caput seruat.*

Matthæi 10. ver. 16.

Sed vide rursus, homo inconsiderate, quid agas. Nam sanè parum abest, quin & temeritas tua Scripturam sacram violet, & isthæc argumentandi ratio in Ecclesiasticum ipsum, adeóque & in Dauidis & in Salomonis sapiētiam inuolet. Si enim malè Ignatius fidem *galeæ* contulit, multo peiùs ipse Ecclesiasticus eleemosynam *scuto*. Audi quid ipse dicat cap. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Atqui Paullus non eleemosynam, sed fidem *scuto* comparat; Dauid autem lib. 2. Regum, versu 3. ipsum Deum vocat *scutum suum* dicens, *Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ.* Iam Sapientiæ cap. 5. *scutum* vocatur æquitas; *galea*, iudicium certum; *thorax*, iustitia. *Accipiet*, inquit Sapiens, *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiā, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Ecclesiastici cap. 29. versu 15.

Sapientiæ 5.

Ex quibus colligitur quanta temeritate Vedelius locum illum in hac epistola reprehenderit, in quo aliter quam apud Paullum Christiani hominis armatura producta est: quandoquidem & in sacris litteris aliter vno loco, aliter in alio reperiatur diuersis virtutibus aut sacris mysterijs adaptata. Ex hac porrò Ignatij ad S. Polycarpum epistola citat locum vnum Ignatianæ testem eloquentiæ Nicolaus Caussinus, vir longè diuersi à Vedelio, inter Musas graculo, ingenij atque iudicij. Citat autem in suis vtriusque eloquentię parallelis libro decimo quinto; vbi de sacris agens Oratoribus hæc profert de Ignatio: *Alter totus ardet, & instar ignei torrentis perlabitur in animos oratione non incultâ. Nisi fortè, (vt vnum afferam pro multis) hæc idiotæ verba existimas, & non figurati oratoris:* Ὧδε γάρ ἐστι τὸ στάδιον. ἐκεῖ δὲ οἱ στέφανοι. Προσδόκα Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν ἄχρονον ἐν χρόνῳ· τὸν ἀόρατον τῇ φύσει, ὁρατὸν δὲ ἐν σαρκί· τὸν ἀψηλάφητον καὶ ἀναφῆ ὡς ἀσώματον, δι' ἡμᾶς δὲ ἁπτὸν καὶ ψηλαφητὸν ἐν σώματι· τὸν ἀπαθῆ ὡς θεὸν, δι' ἡμᾶς δὲ παθητὸν ὡς ἄνθρωπον, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. *Nam hic est stadium, illic autem coronæ. Expecta Christum Dei Filium, intemporalem in tempore; inaspectabilem naturâ, sed aspectabilem in carne: impalpabilem & insensilem, tanquam incorporeum; propter nos verò & palpabilem & sensilem in corpore: impatibilem vt Deum; patibilē verò propter nos, vt hominē: eum denique qui tanta propter nos omnimodè sustinuit.* Hæc diuinè diuinus Ignatius. Quæ si audet Vedelius dicere affectata, næ ille ipse perquam affectatæ est nequitiæ. Sed cùm de hac epistola disceptatum sit satis, ad proximam pari passu progrediemur.

CAPVT IX.

DE EPISTOLA AD ANTIOCHENOS.

TAmetsi hanc epistolam nec Eusebius nominarit, nec recēsuerit Hieronymus, tamen Catholici omnes, & magnam quoque partem hæretici, verè esse S. Ignatij consentiunt. Et sanè id probant tam spiritus ipse Scriptoris ex alijs cognitus litteris, & se eūdem hîc manifestans, quàm ipsum scriptionis argumentum, de Christi scilicet diuinitate, de incarnatione, de passione, aliisque eiusmodi mysterijs ab eo tractari solitis: ac præterea familiares illi aduersus hæreticos præmunitiones simul & præmonitiones. Quibus accedūt personæ ipsæ, quarum in hac epistola fit mentio; nempe Euodius, Cassianus hospes (de quo & alibi) Polycarpus, Onesimus, Demas, Philo, & alij: deinde & stilus atque inscribendi & salutandi modus.

Nihil contra hanc epistolam nominatim nec Magdeburgenses, nec Abrahamus Scultetus, nec Perkinsus, nisi quòd non contineatur inter septem epistolas ab Eusebio memoratas. Riuetus autem hoc speciatim notat, quod in ea salutet *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores;* deinde subdit sic: *At tempore illo tot Ordines in ecclesia fuisse constitutos vel cognitos negabit ipse Magister sententiarum libro 4. dist. 25. ad lib. 1. Canones, duos tantùm sacros Ordines excellenter appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus: quia hos solos primitiua ecclesia legitur habuisse. Subdiaconos & Acoluthos procedenti tempore ecclesia sibi constituit. Vixit autē Ignatius Apostolorum temporibus sub maxima ecclesiæ persecutione, qua grassante tot officia in ecclesia fuisse constituta nemo paullo humanior existimabit.* Ita Riuetus.

Respondeo tempore illo, quo hanc scripsit epistolam Ignatius, hoc est, secundo post Christum sæculo, fuisse in ecclesia Antiochena istos Ordines, nec quicquā aduersari Magistrum sententiarum, qui tantùm agit de sacris Ordinibus excellentioribus, vti clarè verba eius indicant. Quod autem dicit: *quia hos solos primitiua ecclesia legitur habuisse:* id verum est, accipiendo ecclesiam primitiuam, pro ea quę fuit primo sæculo, superstitibus etiam tū Apostolis. Post illos autem, multiplicatâ secūdo sæculo ecclesiâ, necessarium fuit & Ministros multiplicari, quemadmodum in ipsa Ignatij vita deduximus. Nec verò dicimus simul vbique terrarum & in omni ecclesia fuisse illos Ordines siue ministeria; sed primò quidem in ijs locis, vbi maximè florebat Religio & numero & pietate, vti Antiochiæ floruisse constat; deinde verò & sensim in alijs. Iam autem prouidum fuisse Ignatium ad sufficientia ecclesię ministeria procuranda, & ijsdem ministerijs noua nomina tribuenda, vel ex hoc satis datur intelligi, quod in ipso itinere Romano & profectione ad martyrium, cùm intellexisset redditam ecclesiæ Antiochenæ pacem, mox aliquem eligi mandauerit, qui gratulatum ei mitteretur, cui & nomen nouum ab officio indi iussit, vt Θεοδρόμος vocaretur, quasi *Dei cursor*, propterea quòd ad Dei honorem curreret. Quod ipsū officiū ad mādata ecclesiæ huc illuc deferenda illi mansisse, atque ad alios postea transijsse, saltem in Asia & Syria, haud est incredibile. Præterea illi ordines infra diaconatum ab Ignatio instituti, non fuerunt maiores seu excellentes ordines, sed tantùm ministeria quædam, vt liberè ab ipso instituta; sic liberè à successoribus, si ita vellent, vel mutanda, vel abroganda.

Notat item Vedelius cap. 3 suæ Apologiæ, contra hanc epistolam simul & eam quæ est ad Heronem, notat, inquam, idem quod Riuetus, & alia quædam minutula circa quasdā voces & locutiones, dicitque stilum esse interdum Ignatij, interdum non. Quando autem non? *Vt cùm de Episcopo dicit eum* ἄρχειν, *seu dominari,* inquit. *Item affectatum illud:* Γ...

οὖν ὦ Ἥρων ἡρωϊκῶς, cùm de ordinibus minoribus agit, & alia quædam, quæ suo loco notauimus. Item cum vetat maritos appellari proprio nomine ab vxoribus: quod absurdum interdictum est. Ita ille.

Ad primum respondeo Vedelium græcè nescire: ac proinde ignorare, omnes qui alijs præsunt, passim vocari *ἄρχοντας*, qui autem subsunt, appellari *τοὺς ἀρχομένους*.

Ad secundum, vbi de hortamento Ignatij cum allusione ad nomen Heronis, dicit *affectatum illud* &c. quasi illa adhortatio sit affectata, dico eum nescire quid dicat, nec sapere quicquam sancti ac feruidi amoris, ac planè rudem ac imperitum videri litterarum & consuetudinis humanæ. Non perdam hic tempus, vt colligam quoties & quàm variè sancti viri ad nomina gratiosè alluserint. Id alio loco feci, & potuit Vedelius alia in ipso Ignatio exempla animaduertere: vt in epistola ad Ephesios, quam admittit esse Ignatij germanam.

Ad tertium de Ordinibus minoribus iam responsum est Riueto. Accipiat ab illo responsionem, sicut ab eodem accepit & obiectionem ex Magistro sententiarum, quam in suam exercitationem vndecimam cap. 3. iniecit.

Ad quartum, in quo dicit: *Et alia quædam, quæ suo loco notauimus*. Respondeo esse alias quasdam nugas, quibus noster Iacobus Gretserus, ne viderentur esse res seriæ, respondit.

Ad quintum, quo Ignatij ad feminas monitū carpit de non appellādis maritis proprio nomine, quod *absurdum interdictum* vocat, dico Vedelium videri malle habere vxorem impudentem, quàm verecundam, & quę dicat: *Veni huc Vedeli*, quàm quæ cum Sara dicat, *Domine mi*, aut cum alijs ingenuis, *marite mi*. Vocet itaque Vedelium vxor sua, prout is volet; ego quidem sanè magis probo cum S. Martyre Ignatio, vt mulieres nostræ Catholicæ viros suos vel appellent dominos, quod agnitę subiectionis est signum, vel vocent maritos, quod amicæ societatis est indicium.

Hactenus de epistola Ad Antiochenos: sequitur Ad Heronem.

CAPVT X.

DE EPISTOLA AD HERONEM.

HÆc epistola, quamuis non sit vna è septem ab Eusebio productis, tamen vna est ex ijs quæ minus ab hęreticis oppugnantur, & contra quam vix est aliquis, qui quicquam obijciat. Mihi sanè inter omnes duodecim longè integerrima, & pura puta Ignatij, ne verbo quidem vno excepto, comprobatur. Adeo eius spiritum Apostolicum atque Propheticum omnia passim spirant. Nec vlla rationum, quas pro epistola proxima posuimus, hic desideratur.

Hanc epistolam quisquis æquus lector & pius legerit, cùm eam Ignatij germanissimam cognoscet, tum etiam ampliorem pietatem lucrifaciet, & spiritum meliorem (ita mihi persuasum est) à Domino hauriet.

Hic sunt illa stili Ignatij vera & solita indicia: *Ἀντίψυχός σου ἐγὼ ὁ δέσμιος*. *Ego vinctus animam pro te libens posuero*. *Ὀναίμην σου παιδίον ποθεινόν*. *O site fruar fili mi exoptate!*

Et de grassantibus illa ætate hæresibus: *Εἴ τις ἀρνεῖται τὸν σταυρόν, καὶ τὸ πάθος ἐπαισχύνεται, ἔστω σοι ὡς αὐτὸς ὁ ἀντικείμενος.* *Si quis Crucem negat, & passionem erubescit, esto tibi sicut ipse aduersarius*, id est, tanquam antichristus. Item: *Εἴ τις ψιλὸν ἄνθρωπον λέγει τὸν Κύριον, Ἰουδαῖός ἐστι χριστοκτόνος*. *Si quis dicit Dominum esse tantum hominem, is est Iudæus Christicida*. Iurij enim erant eo sæculo hæretici, qui cum Iudæis in hoc consentiebant, quòd Christum dicerent esse tantùm hominem, non verò simul Deum. Quos in alijs quoque epistolis frequenter pungit & refellit Ignatius.

Monita quoque, vt in alijs epistolis, more Apostolico, de augendo & intendendo virtutum cursu, de habenda concordiæ cura, de honorandis viduis, de virginibus custodiendis, de pauperibus adiuuandis, & alia his similia germanam hanc spondent epistolam. Deinde prædictiones de successu in thronū Antiochenum, & commendationes eius ecclesiæ sapienter ac fortiter administrandæ. Quæ omnia & plura eiusmodi tacitè quodammodo clamant, è spirituali se sanctissimi martyris officina processisse.

Adde quòd post illas sibi familiares Presbyterorum, Diaconorum, Cassiani hospitis sui, & aliorum salutationes, MARIAM quoque illam sanctissimam & sibi carissimam (ad quam missa est prima epistola) sic salutat: *Πρόσειπε δὲ καὶ τὴν σεμνοτάτην ΜΑΡΙΑΝ, τὴν θυγατέρα μου τὴν πολυμαθεστάτην, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῆς ἐκκλησίαν. ἧς ἀντίψυχος γενοίμην· τὸ ἐξεμπλάριον τῶν εὐσεβῶν γυναικῶν*. *Saluta verò & pudicissimam MARIAM, & quæ in domo illius est ecclesiam (pro qua lubens animam posuerim) quæ exemplar est piarum feminarum*. Quam & in prima epistola ex nomine Heronis salutauit.

Nihil aduersus hanc epistolam attulit Scultetus, nihil Riuetus, nec alij speciatim præter suprà dictum Eusebij & Hieronymi silētium. Solus ex his, quos refellere suscepi, Vedelius ex hac epistola protulit illud adhortatorium dictum: *Heroicè & viriliter age, ô Heron*, quod dixit esse affectatum. Sed hoc repulimus superiori capite, in responsione Ad secundum. Et verò multa exempla antiquissimorum Patrum in promptu habeo, qui simillimis vsi sunt allusionibus, quæ breuitatis caussa prætereo, atque ad aliam epistolam transeo.

C A-

CAPUT XI.

DE EPISTOLA AD EPHESIOS.

EST hæc epiſtola S. Ignatij germaniſſima. Quippe non Euſebio tantùm & Hieronymo nota, ſed etiam magno Athanaſio, B. Theodoreto, Gelaſio Cyziceno, Antonio Meliſſæ, S. Ioanni Damaſceno, multiſque alijs lecta & commendata. Præter quorum auctoritatem hoc etiam accedit, quòd omnibus coloris Ignatiani notis atque inſignibus ſit inſtructiſſima, quæ latere lectorem nequaquam poſſunt.

Magni Athanaſij verba in libro De ſynodis Arimini & Seleuciæ, verſus finem, ſunt hæc: Ἰγνάτιος οὖν ὁ μετὰ τοὺς Ἀποςόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ καταςαθεὶς Ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς τοῦ Χριςοῦ γενόμενος, γράφων περὶ τοῦ Κυρίου εἴρηκεν. Εἷς ἰατρός ἐςι σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος ἐν ἀνθρώπῳ θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ ΜΑΡΙΑΣ καὶ ἐκ θεοῦ. Τινὲς δὲ τῶν μετὰ Ἰγνάτιον διδάσκαλοι καὶ αὐτοὶ γράφουσιν. Ἓν τὸ ἀγέννητον ὁ Πατὴρ, καὶ εἷς ὁ ἐξ αὐτοῦ υἱὸς γνήσιος, γέννημα ἀληθινὸν, λόγος καὶ σοφία τοῦ πατρός. &c. *Ignatius igitur ille poſt Apoſtolos Antiochiæ conſtitutus Epiſcopus, & Martyr Chriſti factus, de Domino ſcribens dixit: Vnus eſt medicus, carnalis & ſpiritalis, genitus & ingenitus in homine Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo. Quidam porrò poſt Ignatium magiſtri etiam ipſi ſcripſerunt: Vnus ingenitus eſt Pater. & vnus ex eo germanus Filius, verum germē, Verbum & Sapientia Patris.* Quòd autem S. Athanaſius epiſtolam B. Ignatij non citauerit, veri ſit ſimile eum citaſſe non ex libro, ſed ex memoria, ſimúlque Ignatij locum acceptis tantùm neceſſarijs decurtaſſe. Et hanc adiuuat coniecturam, quòd B. Theodoretus hunc eundem locum referens, & hanc nominatim epiſtolam citans, itémque Gelaſius Cyzicenus, paullò aliter referant, quàm ſit tam apud Ignatium, quàm apud Athanaſium: atque adeo ipſi inter ſe quoque Theodoretus & Gelaſius nonnihil differant. Quod ipſorum trium inter ſe & cum Ignatio diſcrimen magno argumento eſt, ipſos nec integrè, nec verbo tenus locum citauiſſe; ſed memoriter ea dumtaxat, quæ neceſſaria ſuo propoſito erant, contraxiſſe. Nam aliquanto diffuſius, quàm apud ipſos, legimus apud Ignatiū. Qui Epheſios admonens de cauendis hæreticis, rationem affert & deducit per allegoriam à morbo & medicina tractam hoc modo: Ἀνίατα γὰρ νοσοῦσιν. Ἰατρὸς δὲ ἡμῶν ἐςιν ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς ὁ ἀγέννητος &c. *Inſanabiliter enim laborant. Medicus autem noſter eſt ſolus verus Deus ingenitus* &c. In quibus primò de Patre medico agit, deinde de Chriſto Ieſu item medico, corporali ſimul & ſpirituali, non vſurpans quidem voces illas σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, ſed alias idem ſignificantes. Quod ſatis fuit contra aduerſarios, ſi quidem obijcere voluiſſent, non ita eſſe apud Ignatium, vt ipſi citaſſent. Res enim ſpectantur in diſputationibus, non verba. Omnes porrò tres loci, quos producit nonnihil contractos Theodoretus dialogo primo, reperiuntur in hac ad Epheſios epiſtola ſub finem.

Nihil contra hanc epiſtolam nec Scultetus affert, nec Vedelius: audent tamen Perkinſus & Riuetus aliquid (propter locos nunc allatos, qui aliter atque aliter à SS. Patribus citati ſunt) contrà afferre: ſed inuerecundiùs Riueto Perkinſus. Dicit enim ſic: *Epiſtola ad Epheſios ſpuria vel ſaltem corrupta.* Abunde erat, immo nimium, dicere, *aliquantum corrupta.* Nam nec corruptam neceſſe eſt dicere: cùm iam dictum ſit & dici meritò poſſit, propter longiores Ignatij periodos, non verba ab ipſis citata eſſe, ſed ſenſum. Nam vel ſuſpicari eſſe ſpuriam, præſertim è tam leuibus argumentis, ſanè nimis eſt temerariū. Quid enim affert, amabo, Perkinſus? Nempe hoc ſolùm: *Theodoretus Cyrenſis,* inquit, *in Eraniſte, dialogo 1. & Gelaſius in libro de duabus in Chriſto naturis contra Eutychen, citant ex eo teſtimonium, quod in editis exemplaribus non habetur.* Iam reſpondimus teſtimonium haberi in editis exemplaribus, ſed iuxta ſenſum & rem ipſam, immo & ſecundùm aliqua verba, tametſi non omnia. Sed faciamus nullo modo reperiri, an igitur idcirco epiſtola ſpuria? Nam iſthoc argumenti genere, ſi in altera Perkinſi impreſſione locus hic quem ex ipſo citaui, negligentia typographorum excideret, totus eius liber, vnde citaui, eſſet ſpurius aut corruptus. At verò nō ita res geritur: non tam læua fiunt de libris iudicia: nec ij libri, in quibus vna aut altera deeſt periodus, ſpurij dicuntur, nec corrupti: ſed inemendati, ſed imperfecti. Et ſanè quàm ſit facilè in citationibus aberrare, diſcat ex ſemetipſo Perkinſus. Nam vt hinc longè non abeamus, paucula verba citauit hac ipſe in re Perkinſus, & aberrauit. Illa enim eius quatuor duntaxat verba modò poſita: *Theodoretus Cyrenſis in Eraniſte,* hallucinationem vnam continent. Falſum eſt enim, quòd illa Theodoretus habeat in *Eraniſte,* non ibi habet, nō, ſed in *Orthodoxo.* Cùm enim in primo Theodoreti dialogo duo colloquantur, vnus ſub nomine Eraniſtæ, alter ſub nomine Orthodoxi, Perkinſus vni attribuit, quę attribuere debuit alteri. Paruus quidem hic error: admitto. Sed idoneus, vt Horatianum illud ei refricare valeat:

Quàm temerè in noſmet legem ſancimus iniquam!

Iam autem Riueto circa verba hærenti non dabo equidem verba; ſed monebo duntaxat, vt ad res deinceps magis attēdat, quàm ad verba; ſciátque ſanctos Patres, cùm de rebus diſceptarent, minimè laboraſſe de verbis. Verùm de hac epiſtola ſatis: ad vltimam è duo-

decim properemus.

CAPVT XII.

DE EPISTOLA AD ROMANOS.

HÆc omnium B. Ignatij epistolarum, vt nobilissima est, sic & certissima: contra quam quicumque venire ausus fuerit, nemo recusare potest, quin lapideâ (vt homericè loquar) dignus sit tunica. Adeo est ab omnibus recepta, laudata, atque, vt viua ardentissimi martyris imago, contestata. Loquor de ipso epistolæ corpore, vbi suum erga Christum amorem, & ingẽs eius perfruendi desiderium, verbis ac sententijs velut ex ipsa totius amoris fornace eductis, aptissimè explicat. Nam inscriptio quidem, cùm diuersè à diuersis referatur, multóque breuiùs ac pressiùs à Simeone Metaphraste edita sit, quàm à Valentino Paceo, qui græcũ exemplar omniũ Ignatij epistolarum primus typis subiecit; haud ita apud omnes liquet, vtra sit germanior. Mihi certè multo magis probatur illa Metaphrastæ, quæ sic habet; vti ipse ait, ἐπὶ λέξεως, *ad verbum*:

Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεόφορος, ἐπίσκοπος τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, τῇ ἠλεημένῃ ἐν μεγαλειότητι πατρὸς ὑψίστου, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ αὐτοῦ, ἐκκλησίᾳ ἡγιασμένῃ καὶ πεφωτισμένῃ ἐν τῷ θελήματι τοῦ ποιήσαντος τὰ πάντα, ἅ ἐστι κατὰ ἀγάπην Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἥτις καὶ προκάθηται ἐν θρόνῳ χωρίου Ῥωμαίων· ἣν καὶ ἀσπάζομαι ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ σάρκα καὶ πνεῦμα ἡρμοσμένην πάσῃ ἐντολῇ αὐτοῦ, πεπληρωμένῃ χάριτος Θεοῦ· ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Θεῷ χαίρειν.

Ignatius, qui & Theophorus, sanctæ Dei ecclesiæ Antiochiæ Episcopus, ecclesiæ misericordiam consecutæ in magnificentia Patris altissimi, & Domini Iesu Christi filij eius vnigeniti, sanctificatæ & illuminatæ in voluntate eius, qui fecit omnia quæ sunt, secundùm caritatem IESV Christi Dei nostri, præsidenti in throno regionis Romanæ (quam & amplector in nomine IESV Christi, carne & spiritu cunctis eius mandatis coaptatam, & gratia Dei repletam) in Christo IESV Deo salutem.

Quæ inscriptio fere altero tanto est breuior, quã ea quæ in vulgatis exẽplaribus habetur, vbi post illa verba, *in throno regionis Romanæ* hæc sunt addita: ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπής, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιοεπίτευκτος, ἀξίαγνος, καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης, χριστώνυμος, πατρώνυμος, πνευματοφόρος. Quæ vetus Interpres sic vertit: *Deo digna, eminentia digna, beatitudine digna, laude digna, fide digna, fundata in dilectione & fide Christi, paternum nomen habens, spiritifera*. Quæ nihil aliud sunt, quàm coaceruata & malè congesta laudis epitheta. Deinde & paullò pòst quædam alia habet, quæ similiter non vidit Metaphrastes. Quare meritò pro vera & sincera inscriptione habenda est ea, quam ex ipso suprà posui. Satis enim alijs respõdet inscriptionibus. Quod si quis dicat in alijs non reperiri ista: Ἐπίσκοπος τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. *Sanctæ Dei ecclesiæ Antiochiæ Episcopus*, respondeo caussam, cur hic addiderit & aliàs omiserit, hãc fuisse: quòd alijs, quibus scribebat, notus esset: Romanis verò, vtpote alienigenis & lõgè remotioribus, non item. Hinc & in hac ipsa epistolâ se Episcopum Syriæ appellat, quod in alijs litteris nusquam. At enim, si hæc tam multa verba in ipsam inscriptionem vulgatis in exemplaribus intrusa sunt; quid est, inquiet aliquis, quòd pugnamus hasce litteras nec spurias esse, nec corruptas? Quia scilicet, vt plures alicuius litteræ dicantur spuriæ aut corruptæ, non satis est, si in inscriptionibus sit vitium, sed in ipsismet litteris esse debet. Deinde, sicut alias dixi, non omnis additio aut detractio aut mutatio epistolas aut libros adulterat vel corrũpit (alioqui nihil sanctum, nihil integrum, ne sacrarum quidem Scripturarum volumen esset, quod sæpe emendandum est & fuit) sed si qua maioris momenti, & sensum varians, & pluribus in locis, & quidem quæ aut certò aut admodum probabiliter conuinci possit. Nam ad aliquorum scriptorum tam grauem & acerbam denotationẽ leuiter prosilire, (quod non semel, sed sæpius ij fecere, quos argui) id procul dubio ingenij intemperantis est. In quam culpam & in extrema hac epistola, non sine ingenti impudentia, se ingessit Vedelius, dum ad illa Ignatij verba Ἔγραψα δὲ ὑμῖν] sic notauit: *Puto neminem sanum esse, qui non hanc temporis, quo scripserit, commemorationem irreptitiam videat*. Nempe sic putat homo insanus, & ad agnatos atque gentiles deducendus.

Sed quid caussæ, quæso, quamobrem id putet, neminem sanum esse, qui non videat eam temporis commemorationem esse irreptitiã? An quia vsus est voce calendarum, quas Græci nullas habent? Sic enim scripsit B. Ignatius: Ἔγραψα δὲ ὑμῖν ταῦτα τῇ πρὸ ἐννέα καλανδῶν σεπτεμβρίων. *Scripsi autem hæc vobis ante IX. calendarum Septembris*. Quid tum, si Græci calendas non habeant, dum Romani, ad quos scribebat, habeant? Ab illis enim se volebat intelligi. Vix autem, aut ne vix quidem intellectus fuisset, si græcis vocabulis in designatione mensis vsus esset. Quid enim Septembrem vocasset? an Βοηδρομιῶνα, Boëdromionem? Sic enim aliqui vocant. Verùm alijs Βοηδρομιὼν est Augustus, alijs est Iunius. Itaque incertum Romanis tempus designasset. Quid ergo? μαιμακτηριῶνα appellasset? Sed hũc quoque, licet nonnulli Septembrem, alij tamen Augustum, alij Ianuarium vocant. De qua varietate videri potest, præter alios, immo præ alijs, Petrus Castellanus Gerardimontensis, vir vtriusque linguæ & antiquitatis peritissimus, in syntagmate de mensibus Atticis. Quare B. Ignatius, vt latinæ Linguæ in Syria vsitatissimæ

vsitatissimæ (quod antea monstrauimus) minimè rudis, maluit vocibus vti iam toto fere orbe peruulgatis; quàm ijs, quæ iuxta varias regiones multifariam variantur. Denique ista temporis commemoratio, quam calumniatur Vedelius, non tantùm in Paceo & vulgatis omnibus exemplaribrs, tam Græcis, quàm Latinis hactenus editis reperitur; sed etiam octingentis circiter antè annis à Simeone Metaphraste è veteribus descripta codicibus, & totidem quidem verbis, quot hodie inuenitur.

At necesse non fuit, inquies, *vllum scripta huius epistolæ nominare tempus. Nusquam enim notauit in alijs.*

Respondeo non ea duntaxat fieri, quæ fieri necesse est. Sunt enim aliqua necessitatis, quædam vtilitatis, plurima arbitrij. Caussa tamen maior hîc fuit, quàm alibi. Nã ipse alias epistolas ad eos scribebat, quos iam prætererat, & qui scire poterant, quo tempore scriptæ essent: nunc autem scribebat ad eos, qui illum expectaturi erant, & quorum intererat scire, vnde & quando scripsisset. Denique cõformauit se ijs, ad quos scribebat: cùm satis constet magis familiare atque ordinariũ Latinis fuisse, adijcere epistolis suis mensem & diem, quàm Græcis. Debebit autem Vedelius his esse contentus: quia de SS. Patribus tam malè merenti plura non addam. Quare hîc finis esto Apologię pro duodecim S. Ignatij epistolis, quę hodie non tantùm græce & latine extant, sed etiam varijs aliarum gentiũ vernaculis circumferuntur. Iam de nonnullis alijs epistolis, quæ sub eiusdem S. Ignatij nomine, latinâ tantùm linguâ, non etiam græcâ prostant, maior est difficultas, de qua breuiter agendum.

QVÆSTIO SINGVLARIS.

An præter duodecim epistolas S. Ignatij iam dictas, sint & aliæ, quæ illi iure adscribi possint?

Est aliquorum sententia sanctum martyrem Ignatium scripsisse alias tres epistolas, præter suprà dictas. Nam Ioannes Tritthemius cum nonnullis alijs, in libro De Scriptoribus ecclesiasticis refert eum scripsisse duas ad S. Ioannem Euãgelistam, & vnam ad beatissimam Virginem Mariam.

Aliorum autem opinio est, nihil plus scripsisse, quàm quod in superiore Apologia protulimus, & eas litteras, quæ nunc illi ad geminum illud par omnis sanctimoniæ atque virtutis, ad Ioannem, inquam, & ad Virginem eius contubernalem scriptæ dicuntur, ab otiosis hominibus esse confictas. Ad cuius controuersiæ decisionem est operæ precium, aut necessitas potiùs, ipsas, de quibus litigatur, cognoscere litteras. Nihil enim iudicatur incognitum: nihil deciditur non discussum. Quare illas hîc apponam, prout in veterrimis reperiuntur exemplaribus. Prioris igitur ad S. Ioannem Apostolum & Euangelistam exemplum est eiusmodi:

IOANNI SANCTO SENIORI SVVS IGNATIVS, ET QVI CVM EO SVNT.

Frater, de tua mora dolemus grauiter, allocutionibus & consolationibus tuis roborandi. Si tua absẽtia protẽdatur, multos de nostris destituet. Properes igitur venire, quia credimus expedire. Sunt & hîc multæ de mulieribus nostris MARIAM IESV videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum IESVM aluerunt: & quædam eius secretiora percontentur ipsam MARIAM IESV. Est & Salome, quam diligis, filia Hierosolymis anno & quinque mensibus apud eam commorata. Et quidam notificauere eandem matrem Dei omnium gratiarum abundantem, & omnium virtutum, more virginis; virtutis & gratiæ fecundam: quæ, vt dicunt, in persecutionibus & afflictionibus est hilaris: in penurijs & indigentijs non querula: iniuriantibus grata, & modesta in re latâ. Miseris & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit. Nostra nouæ religionis & pœnitentiæ est magistra: & apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotiùs humiliatur: & mirùm ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis & Pharisæis ei detrahatur. Præterea multi multa referunt de eadem: tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre: sed sicut nobis à fide dignis narratur, in MARIA matre IESV humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra: & cogunt valde desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cælestis prodigij, & sacratissimi spectaculi. Tu autem diligenti modo disponas super desiderio nostro & valeas. Amen.

Hactenus prior epistola: posterior autem sic habet:

IOANNI SANCTO SENIORI IGNATIVS.

Si licitum est mihi à te, ad Hierosolymæ partes volo ascendere, & videre fideles sanctos, qui ibi sunt: & præcipuè MARIAM IESV, quam dicũt vniuersis admirandam, & cunctis desiderabilem. Quem enim non delectet videre eam & alloqui, qui verum Deum de se peperit, si nostræ sit fidei & religionis amicus? Similiter & illum venerabilem IACOBVM, qui cognominatur Iustus: quem referunt Christo IESV simillimum facie & vita & modo conuersationis, ac si eiusdem vteri frater esset gemellus; quem dicunt si videro, video ipsum IESVM secundùm omnia corporis eius lineamenta. Præterea ceteros sanctos & sanctas. Heu quid moror?

ror? quid detinear? Bone præceptor properare me iubeas, & valeas.

Hæ sunt duæ Ignatij, vt aiunt, ad S. Ioannem litteræ: tertia verò est ad beatissimam Virginem Deiparã: cuius hoc est exemplum.

CHRISTIFERÆ MARIÆ IGNATIVS.

Me neophytum, Ioannisque tui discipulum confortare & consolari debueras. De IESV enim tuo percepi innumera dictu & stupefactus sum ex auditu. A te autem, quæ semper ei fuisti familiaris & coniuncta & secretorum eius conscia, desidero animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiam alias, & rogaui de ijsdem. Valeas: & neophyti qui mecum sunt, ex te, & per te & in te confortemur. Amen.

Huic epistolæ respondisse dicitur ipsa Virgo beatissima tali succincto & succulento epistolio:

IGNATIO DILECTO DISCIPVLO HVMILIS ANCILLA CHRISTI.

De IESV, quæ à Ioanne audisti & didicisti, vera sunt. Illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem vna cum Ioanne, te & qui tecum sunt, visura. Sta in fide, & viriliter age: nec te commoueat persecutionis austeritas; sed valeat & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

Hæ sunt epistolæ, quarum dubia est inter Auctores germanitas.

Eorum porrò, qui illas reprobant, duplex est genus. Vnum eorum, qui absolutè & velut Pythagoreo more, nullo allato argumento illas reijciunt: cuiusmodi sunt ferè omnes hæretici. Alterum eorum, qui verecundiùs circa illas se gerunt, & qui opinionis suæ rationes aliquas in medio ponunt: quales sunt nonnulli Catholici. Ex hoc numero sunt Baronius tomo 2. Annal. eccles. anno Christi 110. Bellarminus libro De Scriptoribus, in Ignatio, Christophorus de Castro in historia Deiparæ, & plures alij.

Baronij verba: *Leguntur eiusdem Ignatij titulo tres epistolæ, quarum priores duæ ad S. Ioannem Apostolum & Euangelistam, tertia verò ad sanctissimam Deiparam datæ habentur: cui nouissimo loco positæ iuncta est epistola sanctissimæ Mariæ Virginis ad ipsum reddita. Quæ cuius fidei sint, iudicium esto penes prudentem piumque lectorem. Scimus tamen eas S. Bernardum citasse aliquando, earumque meminisse alios recentiores.*

Bernard. Ps. 90. serm. 7.

Bellarmini de ijsdem: *Harum primus, quod sciam, meminit S. Bernardus sermone 7. in psalmum,* Qui habitat: *sed neque in codicibus græcis habentur, neque grauitatem eloquij S. Ignatij omnino redolent.*

Christophorus autem de Castro in hist. Deiparæ, cap. 23. *Has epistolas,* inquit, *ab antiquiori aliquo pio & Virgini dedito confictas fuisse, ex ipsa temporum, rerumque serie, facile erit colligere. Ab Ignatio enim neophyto, & Ioannis tamtum discipulo non potuisse scribi, non erit difficile ex his, quæ de Ignatio ab historijs traduntur, comprobare: cùm non constet, quando degente in hac vita Deipara Ioannis discipulus esse potuerit.* Et infra: *Colligitur ergo Ignatium non potuisse esse discipulum Ioannis, nisi cùm fuit condiscipulus Polycarpi & Papiæ (vt ait Eusebius in Chronico anno Christi 103.) & postquam Ioannes profectus est in Asiam. Sed Ioannes non est profectus in Asiam, ad eam ecclesiam administrandam, nisi post mortem Apostolorum Petri & Paulli, aut post obitum, vt minimum, Deiparæ.* Et paullo inferius: *Ergo nec neophytus Ignatius, nec Ioannis discipulus potuit esse, dum viueret Virgo. Cum falsa ergo contineant epistolæ, nec potuit illa à Deipara scribi, nec hæ ab Ignatio.* Ita Christophorus de Castro inter alia. Quibus quid respõderi aptè possit, postea videbitur. Nunc altera sententia expendenda est, & quorum fulciatur auctoritate Scriptorum, breuiter ostendendum.

2. SENTENTIA.

Secunda igitur sententia, quæ germanas esse existimat suprà propositas Ignatij epistolas, non tam exiguã, neque tam recenti quàm nonnulli opinati sunt, auctoritate nititur. Nã Flauius Lucius Dexter S. Hieronymo æqualis, & qui quarto vixit sæculo, censet eas verè esse Ignatij, cùm ad annum Christi 116. & vrbis Romæ 867. ita scribit: *Epistolæ S. Ignatij ad B. Virginem celebres habentur.* Didicit igitur Dexter ex antiquis monumentis eas epistolas secundo Christi sæculo, & sex circiter annis post ipsius Ignatij martyrium, repertas & celebratas fuisse. Agnouit easdem epistolas & prædicauit S. Bernardus in sermone paullò superiùs laudato: cuius ipsamet verba recensui cap. 15. huius vitæ, cùm de sanctissimi Martyris agerem Reliquijs. Deinde easdem susceperunt Æneas Syluius, qui creatus postea Põtifex, appellatus est PIVS II. Dionysius Rikelius Carthusianus, Marcus Michaël Presbyter Cortonensis, Symphorianus Champerius, Marianus Victorius, Sixtus Senensis, Petrus Canisius, Franciscus Arias, Andreas Valladerius, & alij quàm plurimi: adeo vt si refelli allata in oppositum argumenta possint, minimè improbabilis hæc censeri debeat sententia. Age igitur, hoc experiamur.

Ad prius Bellarmini, quo dicebat in codicibus græcis eas epistolas non haberi, respondeo id verum esse, sed non inde satis firmiter colligi, non esse ab Ignatio scriptas: cùm potuerint græca interire exemplaria, præsertim in tot rudibus litterarum græcarum sæculis, & talium negligentibus atque incuriosis: latina autem (vtpote lectu & intellectu facilia) conseruari. Nam & aliorum SS. Patrũ multò citiùs in lucem venerunt latinæ interpretationes, quàm ipsa eorundem græca scripta: immo & multa perierunt, quorum nunc solæ

super-

superſunt interpretationes. Vbi hodie ſunt S. Irenæi aduerſus hæreſes tam docti, tam antiqui Patris græci codices? nuſquam reperiuntur. At latinam verſionem, licet oppidò malam, etiamnum habemus. Idem de compluribus alijs dici poteſt. Nam de præſtantiſſimis laborioſiſſimi ſimul & ingenioſiſſimi Origenis ſcriptis, quantula eſt portio quam græcè nunc tenemus ſi cum latinæ interpretationis editione conferatur?

Ad poſterius, quòd grauitatem eloquij S. Ignatij non redoleant, Reſpondeo Ignatianũ eloquium non ex interpretamentis ponderandum, ſed ex primi ac proprij ſermonis cõditione. Quare deficientibus græcis originibus, non facile eſt de eloquij paritate iudicium. Nam quæ aliena fortaſſis a grauitate reputantur, hæc amori & deſiderio femineo maximè ſunt conſentanea. Quale deſiderium & in illa muliere crediderim extitiſſe, quæ audito Christi eloquio exclamauit: *Beatus venter qui te portauit; & vbera quæ ſuxisti.* Perlubenter enim ea vbera contrectaſſet & oſculata eſſet. Adde has epiſtolas ab eodem veteri interprete videri latinè redditas, à quo & priores duodecim. Quod ſi non vtatur inſcriptionibus, quæ alijs epiſtolis reſpondeant, nec vſurpet illud ſibi viitatum, *Ignatius qui & Theophorus*, & alijs laudum epithetis careat, quarum eſt alibi in alios munificus, ratio in promptu eſt; quòd ſcilicet in his poſtremis litteris ad perſonas ſcriberet multo ſe illuſtriores atque digniores; in primis autem ad inferiores & ætate & dignitate. Præterea diuerſitas materiæ, & alia ſcribẽtis ætas, alium quoque requirunt ſcribendi modum. Nam ad B. Ioannem & ad beatiſſimam Virginem ſcribebat iunior, ad alios autem graui & extremâ ętate, atque honoris & auctoritatis plenâ: & ad illos vota tantum ſua & deſideria; ad hos autem præcepta & documenta, & aduerſus varios hæreticorum errores antidota & munimenta.

Luc. 11. ver. 27.

Iam vt ad Chriſtophori de Caſtro rationes accedamus, prima illarum erat: quòd non non conſtaret, quando degente in hac vita Deiparâ Ioãnis diſcipulus eſſe potuiſſet Ignatius. Ad illam reſpondeo, ſatis conſtare eum potuiſſe S. Ioannis eſſe diſcipulum intra tempus ab anno Chriſti 50. vſque ad 58. Nec enim ante hunc annum deceſſit è vita mater illa viuentium, conſentiente eodem Chriſtophoro. Itaque potuit eius eſſe diſcipulus anno Chriſti 50. potuit 51. potuit aliquo ex ſequentibus, licet quonam ex illis fuerit, incertum ſit. Nam quin aliquando eius fuerit diſcipulus, nemo dubitat. Chriſtophorus dicit fuiſſe poſt mortem beatiſſimæ Virginis: ego autem etiam antè. Si à me petit quo anno antè: peto ſimiliter ab illo quo anno pòſt. Non poteſt ipſe certum annum determinare, neque item ego. Recurrit igitur ad tempus incertum & indeterminatum? recurro & ego. Quare, vt vincat, neceſſe habet oſtendere nullo anno ex illis, quos aſſignaui, potuiſſe Ignatium eſſe B. Ioannis diſcipulum. Ego autem facile potuiſſe oſtendo ex eo, quòd vterque eſſet in Syria, & in propinquis prouincijs, ita vt facilis eſſet Hieroſolyma Antiochiam & contrà commigratio. Nam opinari S. Ioannem ob beatiſſimæ virginis curam ita fuiſſe Hieroſolymæ affixum, vt nuſquam inde in vicinas regiones euangelij cauſſa excurreret, & tot annos, quot ipſa vixit, intra vnius vrbis mœnia ſe contineret, nimiæ eſt ſimplicitatis. Neque profectò, ſi Ioannes id voluiſſet, virgo ipſa ſapientiſſima permiſiſſet. Adeo in eius corde ardebat dilatationis euangelij, in quo filij ſui honos maximè agebatur, deſiderium. Quocirca mihi planè perſuadeo S. Ioannem etiam viuente Virgine, exemplo magiſtri ſui (de quo dicitur Matthæi cap. 15. *Et egreſſus inde IESVS ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.*) eaſdem illas partes viſitaſſe: cúmque ab illis Antiochiam vſque minima ſit traiectio, etiam illuc traieciſſe, atque ibi Ignatium eius ab ore pendentem diſcipulum habuiſſe. Quin & viciſſim ipſum Ignatium audito Ioannem eſſe in partibus Tyri aut Sidonis, illuc properaſſe, atque aliquamdiu ipſius diſciplina perfruitum eſſe duco perquam probabile. Nec aliter, opinor, iudicabit quiſquis ſecum reputauerit, quanti ab omnibus fierent illi Chriſti IESV Apoſtoli, illa eccleſiæ columina, illæ totius fidei baſes, & omnis virtutis viua ſimulacra. Ipſe teſtis Ignatius, ad quem Smyrnæ cùm eſſet, tam multi è diuerſis regionibus Epiſcopis cucurrerunt. Potuit igitur Ignatius eſſe diſcipulus Ioannis, tam ante epiſcopatum ſuum, quàm tempore epiſcopatus, ſeu dum idem Ioannes verſaretur in Syria, & nouellas circúmquaque eccleſiæ plantas iret irrigatum; ſeu dum migraret in Aſiam, aut in ea diœceſes viſitaret. Et verò fuiſſe mihi multo videtur veri ſimillimum. Nam quin fuerit vnà cũ S. Polycarpo in Aſia, nemo reuocat in dubiũ: ſed & in Syria multo prius eiuſdem S. Ioannis auditorem fuiſſe id mihi perſuadet, quòd multo illi facilius fuerit & iuueni & minùs occupato proficiſci Antiochiâ ad Ioannem in Syria verſantem, nec adeo procul degentem, quàm ſeniori & multo magis ob amplificatas eccleſias varijs curis diſtricto, in minorem Aſiam. Nec habet quicquam incommodi, quòd dicatur Ignatius bis fuiſſe S. Ioannis diſcipulus, cùm ſe ad eum audiendum diuerſis temporum interuallis, & ad diuerſas vrbes prouinciaſue ſe contulerit: vbi & diuerſos condiſcipulos habuerit. Qui enim vel modico tempore cum aliquo Apoſtolorum fuerant, eiúſque diſciplinam exceperant, illius ſe diſcipulos & auditores fuiſſe prædicabant.

Secunda ratio Chriſtophori erat, non potuiſſe Ignatium eſſe diſcipulum S. Ioannis,

nisi vnà cum Polycarpo; Polycarpum autem non potuisse eiusdem Ioannis esse discipulum, nisi post mortem beatissimæ Virginis, cùm Polycarpus vixerit tantùm 86. annos, & mortem obierit anno Christi 170. Marci Antonini 7. vnde retrocedendo per 86. annos, colligatur eum non potuisse esse discipulum S. Ioannis, nisi ab anno Christi 85. & Domitiani Imp. 2.

Responsio ad hoc argumentum ex parte continetur in responsione ad priorem rationem, vbi ostendimus Ignatium potuisse esse discipulum S. Ioannis absque Polycarpo, & rursus cum illo. Quòd autem sumitur Polycarpum vixisse tantùm 86. annos, id non est verum simpliciter, sed tantùm si intelligatur de annis, quibus Christo seruiuit. Nam vixit priùs aliquamdiu in infidelitate: vt patet ex eius vita. Vide infrà hoc eodem tomo.

Iam autem quo modo Ignatius ad Virginem MARIAM scribens se neophytum appellet, docui in Notationibus suprà cap. 4.

CONCLVSIO DICTORVM SVPER HIS EPISTOLIS.

SVpra positæ epistolæ S. Ignatij ad B. Ioãnem Euangelistam, & ad sanctissimam Virginẽ, & Virginis item ad Ignatiũ, nec ita certæ sunt, vt indubitatã fidem apud omnes mereantur; nec ita incertæ, vt omnem perdant. Nam cùm ab immemorabili tempore S. Ignatio adscriptæ reperiantur, minimè æquum est absque grauissimis & inuictissimis rationibus eas ipsi abrogare. Ego quidem, tametsi multas esse videam caussas, quamobrem suspectæ haberi possint; tamen nullas etiamnum video, quare prorsus despici debeant; aut cur iudicia illorum, qui ijs vtuntur, contemni. Libera igitur interim (donec aliquid alterutrã in partem certius afferatur) facultas vnicuique sit de his, quodcumque voluerit, opinandi. Nos hîc finem statuemus, & magno Ignatio litabimus.

AD MAIOREM
DEI,
B. VIRGINIS MARIÆ,
ET S. IGNATII GLORIAM.

Rr SANCTI

SANCTI POLYCARPI EPISCOPI ET MARTYRIS VITA.

EX HIS AVCTORIBVS DEDVCTA.

S. Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta.
Dionyſio Areopagita Epiſcopo & martyre.
Ignatio Theophoro Epiſcopo & martyre.
S. Irenæo Lugdunenſi Archiepiſcopo & Mart.
Q. Septimio Tertulliano Presbytero.
Euſebio Pamphili Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo.
S. Hieronymo Presbytero.
B. Theodoreto Cyri Epiſcopo.
Gilda Sapiente.
S. Gregorio Turonenſi Epiſcopo.
S. Maximo martyre.
Photio Patriarcha Conſtantinopolitano.
Adone Viennenſi Epiſcopo.
Ioanne Zonara.
Nicephoro Calliſto.
Chronico Alexandrino.
Martyrologijs Latinorum, vetere Romano, & alijs.
Menæo Græcorum, & Menologio.

VETERVM

VETERVM DE S. POLYCARPO ELOGIA.

S. Ignatij Theophori.

Ἀσπάζεται ὑμᾶς Πολύκαρπος ὁ ἀξιοπρεπὴς Ἐπίσκοπος, ᾧ καὶ μέλει περὶ ὑμῶν· ᾧ καὶ παρέθέμην ὑμᾶς ἐν κυρίῳ. *Epist. ad Antiochenos.*

Salutat vos Polycarpus Antistes dignissimus: cui & vos curæ estis, & cui vos commendaui in Domino.

S. Irenæi Lugdunensis Archiepiscopi.

Ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου. [Πολύκαρπος] ταῦτα διδάξας ἀεὶ, ἃ καὶ παρὰ τῶν Ἀποστόλων ἐμαθεν· ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν· ἃ καὶ μόνα ἐστὶν ἀληθῆ. *Lib. 3. contra hæreses, cap. 3.*

Martyrio gloriosissimè atque illustrissimè exantlato cessit è vita: [Polycarpus] cùm ea semper docuisset, quæ ab Apostolis didicerat: & quæ ecclesia tradit: & quæ sola vera sunt.

Q. Septimij Tertulliani Presbyteri.

Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert. *Lib. De præscriptionibus, ca. 32.*

Eusebij Cæsareæ Palæstinæ Episcopi.

Διέπρεπέ γε μὴν κατὰ τούτους ἐπὶ τῆς Ἀσίας τῶν Ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ κυρίου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. *Lib. 3. hist. eccl. cap. 30.*

Floruit circa eadem tempora in Asia Polycarpus Apostolorum discipulus, qui Smyrnensis ecclesiæ episcopatum ab ijs, qui Dominum viderant, eique ministrârant, suscepit.

S. Hieronymi Presbyteri.

Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant Dominum, magistros habuerit & viderit. *Lib. De Scriptoribus eccl.*

Gildæ Sapientis.

Quis ex vobis, ut Smyrnensis ecclesiæ pastor, egregius Polycarpus, Christi testis, qui mensam humanè hospitibus ad ignem auidè eum trahentibus apposuit, & obiectus flammis pro Christi caritate dixit? Qui dedit mihi ignis ferre supplicium, dabit ut sine clauorum confixione flammas immobiliter perferam. *In castigatione in ecclesiasticum ordinem.*

Chronici Alexandrini.

Πολύκαρπος Σμύρνης Ἐπίσκοπος, ἀνὴρ θαυμάσιος, καὶ τῶν Ἀποστόλων ἀκουστὴς, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῶν Ἐπίσκοπος καταστάς. *Olympiade 234. anno 12.*

Polycarpus Smyrnæ Pontifex, vir admirabilis, & auditor Apostolorum, & ab ipsis constitutus Episcopus.

Iudæorum & Gentilium ex odio veritatem parientium.

Οὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας διδάσκαλος· ὁ πατὴρ τῶν Χριστιανῶν· ὁ τῶν ἡμετέρων θεῶν καθαιρέτης· ὁ πολλοὺς διδάσκων μὴ θύειν, μηδὲ προσκυνεῖν. *Apud Eusebium, lib. 4. hist. eccl. cap. 14.*

Iste est Asiæ doctor: iste Christianorum pater: iste Deorum nostrorum euersor: iste qui multos docuit non immolare, non adorare.

VITA SANCTI POLYCARPI SMYRNÆORVM EPISCOPI ET MARTYRIS.

DICTVM S. POLYCARPI.

ΤΟ' ΘΕ'ΛΗΜΑ ΤΟΥ' ΚΥΡΙ'ΟΥ ΓΕΝΕ'ΣΘΩ.

FIAT VOLVNTAS DOMINI.

PRÆFATIO.

Vitam S.[a] Polycarpi multis eminentium virtutum fructibus grauem,[b] primus, quòd sciam, latinis litteris integram trado. Martyrium quidem eius perillustre, sed illud ferè solum, Eusebius & alij quidam scriptis mandauêre; idq; linguâ græcâ & perpaucis hoc æui nctâ. Interpretatio quoque à multis expetita, quæ græcè ignorãtibus subsidio esset, nihil fermè nisi idem martyrium commodauit: cetera, quæ aliunde sumi poterant, si quærendi labor placeret, intacta permansere, & nostris hominibus incognita. Hæc ego varijs dispersa locis velut racematim collegi, & in vnum vitæ corpus pro ingenij mei tenuitate compegi. Ac ne laboris me mei pœniteret; spes fuit fore, vt tanti Martyris prima ætas tot sæculorum interuallis hactenus abdita, atque è tenebris nunc serò erumpens, non modò legentium animos reficeret ac recrearet; sed etiam ad Dei ipsius, tanquam pupillorum ac derelictorum (qualis hic fuit Polycarpus) patris ac patroni, singularem amorem atque laudem inuitaret. Vt enim quondam in Iosepho Patriarcha, sic & in B. Polycarpo mirabilis eluxit Dei opt. max. prouidentia. Nam vt ille alienigenis venditus seruitutem seruiuit: sic & puer Polycarpus. Ac sicut ille ab hero suo vniuersæ domui fuit præpositus: sic & ab herâ suâ Polycarpus. Cuius quidem heræ exemplo nouo & raro, ex asse constitutus est heres. Atque vt ille fratrum & inuidiam & calumniam est passus: ita hic conseruorum suorum liuorem & criminationem: cui quidem ea ipsa non minùs quàm illi in honorem & gloriam cessere. Quòd si ille semel grauißimâ in tentatione castitatis tenax fuit; at hic maximâ in libertate & periculosißimâ perpetuus fuit Angelicæ custos cultórque virginitatis. Adde verò, quòd non minùs in tota Asia Polycarpus, quàm in vniuersâ Ægypto Iosephus ille dominatus sit: immo hoc noster, quàm ille, gloriosiùs; quòd ille corporibus duntaxat;[c] hic etiam animis præfuerit ac prospexerit. Denique omnis Polycarpi vita tam bonarum artium studijs, quàm egregiarum virtutum exemplis, & illustrium miraculorum signis ac prodigijs, & floruit à puero, & cum ætate creuit, & ad senectutem vsque, immo ad mortem, aut ad immortalitatem potiùs, cõstanter perseuerauit. Hãc ego felicem ac beatam principis Asiæ vitam (sic enim à sanctis appellatur) quoad eius quidem facere potero, vniformi orationis stilo, & rerum serie, temporúmque conformi, auxiliánte per ipsiusmet beati Polycarpi allegationem Deo Opt. Max. exarare in præsenti aggrediar.

S. POLYCARPVS IOSEPHO PATRIARCHÆ COMPARATVS.

Hieron. lib. de Script. eccl.

CAPVT

CAPVT PRIMVM,

Polycarpi pueritia & ſeruitus.

SANCTIS primi ſæculi Patribus meritò S. Polycarpus accenſetur: quippe illo natus, illo Chriſtianæ militiæ adſcriptus, illo Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum auditor factus. Cuius natiuitas, vt è coniecturâ quàm maximè probabili colligere licet, [a] ſaltem ad prima Neronis tempora, vel paullò ſuprà referri poteſt.

NATVS EST POLYCARPVS SVB TEMPORA NERONIS.

De parentibus autem, maioribus, patriâ, nihil in particulari ſatis compertum eſt. Hoc tantùm generatim, & ex vero dicere habeo; [b] Polycarpi patriam, quæ paruulum excepit & eduxit, Smyrnam fuiſſe; quæ verò in lucem edidit, tractum aliquem magis Orientalem. Nam genus illi eſſe ab Oriente [c] ex relatu Angeli (vt dubitari nullo modo poſſit) cognitum eſt.

EDVCATVS SMYRNÆ IN ASIA.

Is porrò adhuc puer, (iuréne, an iniuriâ?) [d] ſeruitutem ſeruiuit. Sed Deus (apud quem liberi & ſerui, diuitis & pauperis, nobilis & obſcuri nullus eſt reſpectus, nullúmque diſcrimen) inſigne volens ſuæ benignitatis ac miſericordiæ exemplum edere, Angelum ſuum miſit, qui venalem puerum ſeruaret, atque in tuto collocaret.

SERVIVIT SERVITVTEM.

ANGELVS PVERI POLYCARPI CVRAM GESSIT.

Nam cùm illum à patriâ ſuâ abductum viri duo Smyrnam petentes, ſeu verum mancipium, ſeu mancipij inſtar ſecum agerent; mulier quædam Smyrnæa, Calliſto nomine, pia & timens Deum, conditione vidua, ſorte diues, ſed ſanctis operibus ac benefactis conuenienter ſtatui ſuo præcipuè laudabilis, de eo perquirendo in ſomnis eſt admonita. Nempe miſſus à Deo Angelus per viſum illi adſtitit, & nomine compellans, vt actutum ſurgeret, atque ad portam Epheſinam vulgò dictam ſe conferret, imperauit: illìc duos viros ei occurſuros, certum puerum ducentes, nomine Polycarpum: ex ijs quærendum, ſitne venalis, & venalem proponentibus impertiendum eſſe, quodcumque popoſcerint, precium, atque emptum in ædes proprias iure mancupij abducendum: ab Oriente eſſe illi genus. Quâ auditâ voce mulier partim metu, partim gaudio, corde ſubſultante excitata confeſtim exilit, & exequendi mandati ſtudioſa curſim ad portam illam accelerat: vbi haud aliter, quàm Angelus nuntiârat, ſimul viros, ſimul puerum reperit; & hunc quidem, dato quod popoſcerât precio, abducit domum.

EMPTVS EST POLYCARPVS A CALLISTONE VIDVA CHRISTIANA.

Erat is puer cum ingenuo ac liberali vultu, tùm facilibus & commodis moribus: quæ duo vel abſque alienâ cõmendatione ſatis ſuâ ſponte gratiam apud probos conciliarent. Itaque proba & frugi mulier, de accepto diuinitus pignore admodum læta, eum non vt ſeruum emptitium, nec vt hominem alienigenam, ſed vt domi & è ſuo ſanguine natum honeſtè liberalitérque educauit. Ac primò quidem (quæ ſemper princeps cura heris eſſe debet) imbuendum ſinceræ fidei rudimentis, & accurata domini doctrina atque optimis vitæ

S. POLYCARPI INGENVA EDVCATIO.

præceptis instituendum curauit. Quæ cùm ille prompto imbiberet animo, & maiora in dies optimæ indolis atque ad pietatem & Dei cultum non idoneæ modò, sed etiam singulariter propensæ exempla ostenderet; præ omnibus conseruis suis heræ animum sibi arctè deuinxit. Denique cùm ætatis accessione premicarent in adolescentulo rara quædam maturioris prudentiæ cum insigni modestiâ coniunctæ specimina; hæc illum religiosæ matronæ adeo carum reddiderunt, vt iam & affectu filius esset, & spe heres destinaretur. Hinc illi & annis iam grandiusculo, & virtute supra annos progresso

ILLI DOMVS ADMINISTRATIO COMMITTITVR.

præcipua copiarum & rei familiaris administratio commissa est, & claues apothecarum concreditæ; nec in vllo fides maior, aut prouidentia certior, quàm in vno Polycarpo esse visa. Peculiari interim affectu erga egenos & pauperes ferebatur: quem tum præcipuè demonstrauit, cùm dominâ suâ peregrè ad longiusculum tempus profectâ, & vniuersæ domus custodiâ sibi vni commēdatâ, hanc expromendæ benignitatis ansam, magno inopum auxilio atque solatio, arripuit.[f] Pergentem enim ipsum ad dimetienda domesticis alimenta consequebantur viduę, orphani, & è fidelium grege vicini plurimi: quorum ille panem, hic vinū, iste oleum, alius aliud, cuius quisque indigebat, efflagitabant. Hic autem tam piæ heræ exemplo,

S. POLYCARPI IN PAVPERES MISERICORDIA ET LIBERALITAS.

quàm sortis suæ admonitu, Deíque prę sertim interno instinctu beneficentiam à puero edoctus, nihil quibat poscentibus denegare. Vnde accidit, vt egenis omnibus, quæ quisque opus haberet, largiter dispertiendo, totas euacuaret apothecas. Quamobrem viduę aliquanto postea reuertenti occurrens vnus è famulitio, rem omnem aperit, & acerbis querimonijs factum exasperans, *Tu quidem, ô Domina,* inquit, *omnes domesticos tuos præ vno alienigena parui faciens, isti ex Oriēte profecto cuncta in manus tradidisti. atqui scito eum à tuo hinc discessu res tuas conturbasse, omniáque prodegisse. Ita nihil domi nunc relictum est.*

POLYCARPVS INSIMVLATVR PRODIGENTIÆ.

Tam graui accusatoris voce perculsa mulier (erat enim ea calumnia, quæ vel tranquillum, sedatúmque animum quatefaceret) valdè mirari factum, & non mediocriter commoueri, præsertim secum reputans, quanta hæc foret fundi calamitas, si adolescens aliàs pius ac modestus, & quidem sibi à Deo traditus, tam subitò in alium mutatus hominem cuncta conturbasset (necdum enim quid tantis rebus fecisset, quósue in vsus absumpsisset, acceperat) propterea varijs distracta cogitationibus, accersito quamprimum Polycarpo, *Quid hoc,* inquit, *rei est, Polycarpe? quid hoc audio de te? Profer actutum mihi claues apothecarum.* Quibus prolatis, mox illa, an vera essent, quæ de cellis exinanitis nunciata fuerant, exploratum vadit: interea Polycarpus ad precationes, tanquam ad optimum & præsentissimum in re tali refugium, deproperans, cum gemitu atque suspirijs diuinam opem implorat. Mira vis precum: mira diuinæ benignitatis promptitudo: simul fusæ preces, simul horrea repleta sunt. Nam

PRECATIONE POLYCARPI REPLENTVR DIVINITVS HORREA.

Nam Callisto apertis apothecis nihil inane, nihil vacuum, sed plena omnia frumenti, vini, olei reperit: ac proinde tanquam sibi obtrusis ab impudenti seruo mendacijs, conuersa in eum indignatione pœnam denuntiat: & sanè quàm grauiter vapulasset, nî se interponens Polycarpus, rem omnem, vti trãlacta fuerat, simpliciter ac verè denarrasset. Nã de conserui cute agi sentiens, *Ne quæso*, inquit, *ne alium meâ caussâ malè multaueris, sed in me potiùs animaduertas, licet. Non enim ille quicquam mẽtitus est, sed beneuolum erga Dominam animum præ se tulit, laudémque magis, quàm reprehensionem commeruit. Ego autem, quòd res tuas haud malè prodegerim, sed in egenos & pauperes profuderim, hinc Deus & Pater Domini nostri IESV Christi simul & esurientes impleuit bonis, & misso Angelo tua tibi restituit: quò scilicet etiã-num habeas, vnde pro more tuo egenis distribuas.* Tali læta & attonita spectaculo bona femina, mirari in animo suo Polycarpum, & amare magis magísque in dies, & illi deinceps tutò confidere: quin & recenti hoc diuinę largitatis exemplo, largiri quoque ipsa largiùs, & omnem de Deo & Dei seruis bene merendi occasionem auidè arripere, ac denique optimum sibi per pauperũ alimoniam ad cælos viaticum præparare: quo denique bellè instructa & vitæ muneribus egregiè perfuncta, filium Polycarpum (tali enim eum loco habebat) cunctorum heredem ex asse constituit, piéque excessit. Beata sanè quidem illa, & immortali prædicatione dignissima, quæ præclarum illud Ecclesiastici monitum: *Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua: non defraudes illum libertate: neque inopem derelinquas illum*; tam cumulatè obseruauit. Quæ proinde æternâ atque ad omnem posteritatem proferenda memoriâ, omnibus diuitibus matronis exercendæ in pauperes caritatis ac beneficentiæ exemplum nobile in medio proponitur. His enim potissimè virtutibus promeruit illa sancta mulier, vti & loquentem audiret Angelum, & eius admonitu fidelem seruum, & grande domus suæ adiumẽtum inquireret & inueniret: atque, vt verbo dicam, vt educatrix & quasi parens magni Polycarpi fieret, nec illius tantùm, sed & per illum bonę etiam partis Smyrnensis ecclesiæ. Vnde & omnium meritorum, quæ Polycarpus non modò Smyrnæ, & in ceteris Asiæ partibus, sed etiam quæ in omni ecclesia, per longissimum vitæ cursum, plurima accumulauit, iure optimo particeps fuit. Siquidem illi dux ad Christianam religionem & veram pietatem extitit: illi facultatem discendi, illi commoditatem docendi suppeditauit, illi denique materiam instrumentáque virtutum, immò & miraculorum copiam subministrauit. Lubet proinde ad solatium pauperis cuiuslibet ac fidelis serui, seu iustam seu iniustam seruitutem, Polycarpi instar, seruientis, illud Ecclesiastici hîc vsurpare: *Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei honestare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in horâ*

CALLISTONIS FEMINÆ LAVDES.

POLYCARPVS HERÆ SVÆ HERES INSTITVITVR.

Ecclesiastici 7.

Ecclesiastici cap. 11.

râ veloci processus illius fructificat. Ita enim ſanè in Polycarpo fructificaſſe, & quidem conformiter nomini ſuo, multùm fructificaſſe cernimus: ſed hactenus in fortunæ bonis potiſſimè: pòſt autem in maioribus & perennioribus animæ diuitijs, vt deinceps videbitur.

CAPVT II.

Polycarpi iuuentus, libertas, ſtudia.

[a] IAm ætatem eam attigerat Polycarpus, quæ libertate & opibus freta frenos cupiditatibus ac varijs deſiderijs laxare ſolet.[b] Annum enim natus circiter viceſimum, in amplâ re atque fortunâ conſtitutus, & plenæ libertatis potens, facile erat vt turba impellente, in abrupta vitiorum præceps raperetur, ſi vel incautus in ſodalium ſocietate deligenda, vel remiſſus in virtutis ſtudio proſequẽdo exiſteret: verùm permagnam in vtroque cautelam atque attentionem adhibuit;[c] ac de ſodalitio quidem, dicti illius ſapientiſſimi diligens obſeruator: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum, ſimilis efficietur*, ſedulam dedit operam, vt qualis eſſet ipſe, aut eſſe vellet, tales eligeret, admitterétue conſortes. Hinc tria cùm animaduerteret æqualium eſſe genera, qui ſuam conſuetudinem amicitiámque appeterẽt; vnum quidem eorum, qui probis eſſent ſpectatiſque moribus, iíque vel Chriſtiani, vel ſtudentes Chriſtianis; ſecundum autem impiorum improborúmque, quibus præſentia duntaxat intuentibus, nihil extra ludos & voluptates & annexa his vitia, cordi eſſet: tertium denique velut medium, vt nec omnino prauum & diſſolutum, ita nec ad virtutem & honeſta ſtudia ſatis pronum ac propenſum; ſed leue, inconſtans, nugax: ita ſe cum ſingulis eorum generibus habebat, vt eius omnifariam eluceſceret aut prudentia, aut zelus, aut probitas. Nam leues quidem & loquaces & irriſores & nugiuendulos vel cautè declinabat, ſi poſſet; vel ſi non poſſet, ſaltem ſicut imprudens vel inuitus in eorum coronam incidebat; ita prudens & volens, quàm poterat citiſſimè, ſe expediebat. Nonnullos enim cum ijs ſermones, ne contemptor aut ſuperbus haberetur, blandè ac familiariter & cum aliquo ſale ac lepore miſcebat, qui neminem offenderent: tum ſpecie maioris negotij (vt verè amanti tẽporis nunquam non ſuppetit in otio negotium) bonâ cum venia ſe ſubducebat. Cum improbis autem & voluptuoſis & lurconibus tanta illi intercedebat conſuetudo, quanta ſapienti cum canibus rabidis, & feris agreſtibus, & venenoſis ſerpẽtibus amicitia. Vt nihil enim ab huiuſmodi hominibus ſperari poteſt boni; ſic contrà mali plurimum & timeri debet & caueri. Itaque cùm ſolis probis aſſiduus erat: eos in ſuã, & ſe in illorum familiaritatem inducebat; iiſque præcipuè vtebatur plurimùm; è quorum non modò verbis, ſed etiam factis fructum aliquem eſſet decerpturus. Rectior enim

Prouerb 13.

POLYCARPI PRVDENTIA IN DELIGENDIS SODALIBVS.

LEVIVM ADOLESCENTIVM SOCIETAS VT EXCVTIENDA SIT.

IMPROBORVM CONVERSATIO QVAM FVGIENDA.

&

& planior ad virtutem alia via est nulla, quàm si quem audis docentem & commonentem, illum ipsum videas eadem ipsa facientem; sed ita quidem, vt & cupidè condiscas, quæ audieris; & gnauiter imitère, quæ videris. Quod vtrumque tam in litterarum, quàm in virtutum studio atque profectu egregiè præstitisse Polycarpum, indicio erunt ea, quæ pòst dicentur. Iam verò si viuente adhuc hera vitam frugi & modestam & diligentem duxit; certè illâ ad cælos translatâ, quamuis modò sui iuris, & opibus atque amicis florens, tamen tãtum abfuit, vt de suscepto virtutum studio quidquam remitteret, vt etiam multum adiungeret. Quæ enim alijs inertiæ ac vitiorum esse solent irritamenta, ipse sibi maiorum laborum ac perfectiorum virtutum voluit esse incitamenta. Nam libertatem quidem ad hoc duntaxat vsurpauit, vt Deo, cùm vellet, & quantum vellet, liberiùs vacaret: hereditatem verò eâ de caussâ adijt, vt (quemadmodum adhuc seruus cùm esset, inceperat) multorum ex ea inopiam nunc dominus subleuaret. Nolebat enim parcus esse in suis, qui tam largus fuisset in alienis. In se enimuerò nihil ob ampliorem fortunam immutauit: nisi fortè, quòd colendi animi curam auxit, corporis imminuit. Vestitus quidem erat permodestus, victus tenuis & facilè parabilis, incessus grauis & maturus, adspectus virilis, sermo prudens & consideratus: denique ea totius oris & morum omnium conformatio, quæ vel primæ eius iuuentuti, honorem & reuerentiam grandioris ætatis conciliaret. Smyrnæ, vt plurimum, habitauit; nec natale solum, postquam semel reliquit, magnopere desiderauit: quippe sapienter intelligens, neque hunc, neque illum locum, sed totum orbem probi hominis esse & censeri: vnámque omnium veram esse patriam, cælestem Hierusalem; quò omnia & consilia & studia & vota dirigenda sint. Nec enim mundi nos esse ciues, vt hic perpetuò simus: sed hospites & aduenas, vt breui emigremus. Itaque eam vrbem habuit in terra carissimam, in quam diuino consilio à puero traductus fuit: ibi creuit, ibi consenuit, ibi certauit, ibi vicit. Neque tamen sic inhæsit, quin sæpenumero, cùm vtilitas publica postularet, in varias orbis plagas se transferret, & magnos itinerum labores vltro susciperet: quippe qui vel extremâ senectute, pro communi Ecclesiæ bono (vt pòst narrabitur) Romam vsque peregrinatus sit. Verùm, vt dixi, domicilium Smyrnæ habuit, ibique receptus sui sedem fixit, ibi fundamenta pietatis iecit, ibi futuræ sanctitatis signa, quæ admodum adolescens exhibuerat, iuuenis confirmauit, & vir auxit, & senex coronauit. Ac iuuenis quidem, vel in vrbe cum paucis, vel solus foris sacrarum litterarum studio & meditationi intendebat. Nam ludos, spectacula, publicos cœtus, tumultúsque populares vel propterea vehemẽtius defugiebat; quòd probè sciret, quàm variæ ex illis, & quàm difformes; simul per visum, simul per auditũ, perceptæ imagines in animam penetrarent: quæ illam deinde, ne in

LIBERTAS ET DIVITIÆ IVVENI POLYCARPO INSTRVMENTA VIRTVTVM.

MODESTIA POLYCARPI.

SMYRNÆ FIXIT DOMICILIVM.

vno

vno, quod solum esset necessarium, figi tenerísue posset, distraherent ac conturbarent. Quarè, vt statum animæ quietum stabilẽq; custodiret, sensus corporis ab inutilibus ac curiosis diuagationibus reprimebat. Sedatis autem & compositis animæ facultatibus id percipiebat cõmodi, quòd diuinæ lucis radios & reciperet promptius, & retineret firmiùs. Neque verò illos tenuis ac ieiunæ cognitionis caussa duntaxat, sed vel exercendæ caritatis & pauperum adiuuandorum gratia potissimè excipiebat. In viduas quidem & senes propensiore quodam studio ferebatur.[c] Itaque haud rarò accidebat, vt è suburbanis exercitationibus reuertenti[d] cùm senes quipiam lignorum onusti fascibus occurrerent, ille eorum vices fraternâ beneuolentiâ condolens, illis iuxtà & viduis, simul & leuamen afferret & solatium. Nam misellos hosce baiulos per viam comitans, priórque appellans: *Heus tu,* inquiebat, *bone senex? ecquò te confers cum isthoc tam graui onere? in vrbem Domine mi. At in vrbem cùm introieris, an statim onus illud depositurus es, & emptorem inuenturus? Minimè verò. Nam subinde ad vesperam vsque circumeo, & hominem, qui digno pretio emat, inuenio neminem.* Ita nonnunquam labor omnis mihi frustra est, & sine vllo compendio. Quibus auditis motus commiseratione Polycarpus. *Veni igitur,* aiebat, *mecum ad viduas huic portæ vicinas, & pecuniam connumerabo*; sícque hominem lætum deducẽs, duorum eadem operâ benefactorum gratiam colligebat; vnius quidem erga senem, ex oneris leuamine, atque alimenti suppeditatione; alterius autem erga viduas, in lignorum necessariorum subministratione. Talibus porrò caritatis muneribus gnauiter occupatum, tacitè adrepens virilis ætas, velut aure vellicatâ commonebat, tempus iam adesse, quo aut de coniugio, aut[e] de certo vitæ genere ineundo cogitaret: quod sanè perquam diligenter fecit. Neque enim, quod plerique factitant mortalium, solas corporis cupiditates, & vltrò occurrentes blandientium voluptatum dulcedines, in rei tantæ consilium adhibuit: sed rectę rationi sanctísque inspirationibus, primas ac potissimas hoc in negocio partes dedit: à quibus cùm didicisset, eam planè sibi esse sectandam semitam, quæ nec decus libertatis auferret, sed augeret; nec animæ ad finem suum tendenti, atque ad cęlos nitenti impedimenta & retinacula obijceret; sed alas potiùs adderet, volatúmque subleuaret: tum verò mentis aciem seriò constantérque intendere, quanam ex parte hæc ostenderentur: nihil enim tali Spiritus libertati atque internæ paci anteponendum. Obuersante igitur coniugij specie, cùm multâ simul eius incommoda & virtutum obstacula menti occursarent, à coniuge seruitus; à liberis sollicitudo; à cognatis molestię; à totâ denique domo, multa distractio, & frequens indignatio: statim agnouit non esse ibi quod quæreret: nec in tantâ curarum importunarum turbâ vllum vitę serenitati relictum esse locum. Itaque aliorsum se conuertere, & vitæ

CARITAS S. POLYCARPI ERGA PAVPERES.

CONSVLTATIO DE STATV VITÆ DELIGENDO.

VITÆ CÆLIBIS LAVDES.

cælibis

cælibis atque continentis modestam ac serenam frontem speculari, ac præcipuè animi pacem ac tranquillitatem curis omnibus solutam ac liberam in eà pellucentem animaduertere, ac magni facere: denique ita eius capi formâ ac pulchritudine, vt hanc vnam spretis omnibus adamaret, atque vt sponsam carissimam ambiret & duceret. Videbat enim amatorum eius eximiam inter sese caritatem: videbat eorundem cum suis & alienis iucundam societatem atque pacem: simúlque animaduertebat ad omnes in Christi visceribus amplectendos, mirificam animorum & studiorum consensionem. Atque in mentem quoque nõ rarò subibant hęc atque alia diuinę Scripturæ verba: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizãtium bona!* Quibus omnibus non tam blandè pellectus, quàm fortiter attractus, demum matrimonij vinculis facessere iussis, castimoniæ se dedidit, totúmque ad Christi & Apostolorum eius sectanda vestigia transportauit. Quibus autem in hac sanctissimæ religionis via ducibus ac magistris potissimè sit vsus, quorum amicitia & familiaritate adiutus, quemadmodum ad sacros Ordines promotus, iam exequemur.

Ad Roman. cap. 10. ver. 15.

CAPVT III.

Polycarpi Magistri, Sodales, Amici. Ad Ordines sacros promotio.

VSus est dehinc Polycarpus tam magistro studiorum, quàm informatore morum, [b] in primis quidem annis B. Bucolo Smyrnæ Episcopo, eximiæ sanctitatis viro: [c] postmodùm autem S. Ioanne Apostolo & Euangelistâ: [d] fortè & alijs quoque Apostolis aut Domini discipulis, quemadmodum Scriptores nonnulli tradidère. A quibus magistris Dei spiritu & cælesti sapientiâ plenis, quid potuit anima purissima & æternæ lucis appetentissima haurire aliud, quàm diuini Verbi clarissimos radios, & omnigenæ virtutis viuas spirantésque imagines? Et sanè hausisse quàm copiosissimè, tam ipsorum magistrorum ineluctabili testimonio, quàm non paucis ipsiusmet egregiorum factorum exemplis euidenter infrà monstrabitur. [e] Bucolus quidem ipse (à quo Polycarpum, beatâ Callistone adhuc superstite, salutaribus vndis ablutum fuisse prorsus credibile est) non tantùm raræ pietatis famâ, sed etiam illustrium miraculorum gloriâ illustris fuit. Cuius etiam mortui & sepulti tumulum, enata inde planta virtutis aduersus morbos efficacissimæ, multis sæculis perpetim condecorauit. Hunc igitur admirabilem virum non audiuit tantùm & suspexit, vt præceptorem Polycarpus; sed coluit quoque & amauit, vt patrem: à quo ipse vicissim paternâ curâ, affectúque est sustentatus. Ita inter illos mutua caritas & beneuolentia, & bonorum vtrorumque communio, tam ęternorum, quàm externorum intercessit. Cùm enim copias suas Polycarpus in egenos quosli-

S. BVCOLI EPISCOPI LAVDES.

S. POLICARPI LIBERALITAS.

quoslibet pro inolitâ consuetudine profunderet, tum præsertim in patrem, pastorémque animę suę id factitabat prolixiùs: tametsi quidem ille paucis contentus recusanti propior, quàm admittenti, vt plurimum erat. Nam discipuli sui in alios benignitate, tanquam si ipsemet beneficio afficeretur, mirificè exultabat. Hic autem conformiter Domini mandatis in eos præcipuè erat beneficus, qui reponendo non erant beneficio. Sunt enim nonnulli, qui conferendis beneficijs arte quadam seruili maiora venentur, quàm dederint; & paruis honoribus ampliores aucupentur. At verò Polycarpus noster, instar Iacobi Patriarchæ, simplex omnino & sincerus, omnia sine fuco, sine fumo facere, atque ijs duntaxat, quæ corporis sustentatio exigebat, necessariò reseruatis, cetera liberaliter egentibus amabat dispertiri. Nec sanè eorum sermones quidquam curabat, qui ea iam esse dicebant tempora, quibus non solùm à dando, sed etiam à commodando temperandum esse videretur.

EIVSDEM MIRACVLA.

Quin etiam diuina interdùm humanis beneficijs adiungebat, & vi cælitùs concessâ ab alijs morbos, ab alijs dæmonia exigebat. Quæ S. Antistes Bucolus cùm minimè ignoraret (celante enim eo qui opem tulerat, haud celabant ij, qui opem senserant) tum verò & per visum de eodem Polycarpo multa præcognouit, quibus futura eius claritas diuinitùs monstrabatur.

POLYCARPVS FIT DIACONVS.

[a] Quarè in ordinem Diaconorum, licet ætate adhuc iuuenẽ, tamen vitæ grauitate eo loco dignissimum, tota comprobante Ecclesia aggregauit. Ac beatus quidem vel hoc etiam nomine S. Bucolus meritò prędicandus est, quòd tali capiti manum imponere, quòd tam felici ecclesiæ germini benedicere ac benè precari dignus habitus sit. Nam promotorum ad Ordines insignis in virtute ac sanctimonia progressus, eorum qui elegerunt ac promouerunt, tam apud homines inculpata est gloria, quàm tutum atque innocens in propria conscientia gaudium. Quod quidem gaudium quanti sit, & & quàm animum reficiat, ij nouerunt Episcopi, qui commonitionis Apostolicæ memores, nemini citò manum imponunt, sed acceptis priùs & vitæ & doctrinæ idoneis experimentis ac testimonijs, tum demum super candelabrum dignos eleuant: quósque ita eleuarint, eorum spectatis postmodùm vel auditis in ecclesia Dei fructibus, iure in Domino gloriantur. Erat sub hoc tempus B. Ioannes Apostolus adhuc in Asia: nempe primis Domitiani Imperatoris temporibus.

S. IOANNIS APOSTOLI IN ASIA RES GESTÆ.

[b] Nam inde (incertum, quo anno) Romam ab eodem trãslatus, atque in feruentis olei dolium missus, neque multò pòst in Patmon Insulam relegatus, septem Ecclesias ab se in eadem Asia fundatas Apostolica & principali cura dirigebat: nempè Ephesinam, Smyrnensem, Pergamenam, Thyatirensem, Sardianam, Philadelphenam, Laodicensem. Quæ Ecclesiæ pari ferè interuallo, nec admodum magno, inter se distabant: sed Epheso tamen proximum tenebat locum Smyrna: vt hinc commodè illò adiri, & huc illinc vicissim

eiſdem facilè tranſiri poſſet. Vnde admodùm ſit probabile ac propè certum, inde Polycarpum celebratiſſimâ B. Ioannis famâ excitum, ad eius diſciplinam (quippe Apoſtoli & tam propè diſtantis) Epheſum aliquando commigraſſe. In ea enim vrbe præcipuum erat S. Ioannis domicilium, & ordinarium à viſitatis eccleſijs receptaculum. Illic ſub eius magiſterio, Polycarpi ſocius & contubernalis fuit ſanctus Papias, is qui poſtea Hieropolitanus Epiſcopus: de quo nos in eius vita fuſius. Sed magna præcipuè arctaque inter Polycarpum & Ignatium amicitia & neceſſitudo, ex iiſdem profecta ſtudijs atque virtutum exercitijs intercesſit: cuius amicitiæ luculenta in vtriuſque epiſtolis ſignata ſunt veſtigia. Fuit verò etiam Polycarpo cum S. Dionyſio Areopagitâ nonnullus amicitiæ vſus, & litterarum communicatio. Quod ex ijs, quæ nunc extant, Dionyſij litteris datur intelligi: quibus in litteris, partim Apollophanis Philoſophi coniectis in ſe conuicijs reſpondet, partim ipſum hortatur Polycarpum, vt ſi qua fortè ad conuiciorum perfectam refutationem epiſtolæ deſint, ea ſuppleat, & hominem gẽtilitijs adhuc erroribus inuolutum, quaquà poſſit, Deo lucrifacere contendat. Sic enim ipſum Polycarpum extremâ epiſtolâ affatur B. Dionyſius magni Paulli diſcipulus: *Tu verò*, inquit, *ea quæ deſunt, ſupplere potes, & perfectè Deo offerre atque conſecrare virum, qui magnâ ſapientiâ eſt præditus, & qui forſan religionis noſtræ ſapientiſſimam veritatem placidè addiſcere haud grauabitur*. Sic ille. Et ſanè ita fuit, vt ſperauit, prædixítque Dionyſius. Nam Polycarpus acceptis eius litteris, quamuis & per ſeſe aliàs ſatis ardens, tamen hoc quaſi ſtimulo maiorem in modum ad eiuſdem Apollophanis ſalutem incubuit, ac tandem ita peruicit; vt euidentius perſpectâ falſorum Deorum vanitate, in vnius veri Dei cultum lubens, volénſque conceſſerit. Super quâ mutatione habentur Dionyſij ad eundem Apollophanem litteræ, amoris & gaudij plenæ, quibus illi, vt antiquo ſodali, felicem nouæ vitæ inſtitutionem medullitus congratulatur. Sed illis alibi in medio poſitis, nec in præſentia reponendis, ad eius ſacros labores & docendi impoſitum munus gradum faciam.

S. PAPIAS POLYCARPI SOCIVS.

ITEM ET PRÆCIPVE IGNATIVS.

DIONYSIVS AREOPAGITA ET APOLLOPHANES POLYCARPO FAMILIARES.

CAPVT IV.

Polycarpi labores in Diaconatu, & tradenda doctrinæ Christianæ munus.

QValis ſub initia naſcentis eccleſiæ deſcribitur S. Stephanus, nempe corona & gloria Diaconorum, & quidem zelo diſſeminandi Euangelij nihilo Apoſtolis inferior; talem ſe ſuo Epiſcopo præſtabat ac probabat Polycarpus. Quippe qui & ſermonis gratiâ egregiè inſtructus, & bonis mirandíſque factis

DIACONI EXIMII.

admodum clarus, magnâ cum fiduciâ & libertate, non modò Gentiles, sed Iudæos quoque & Hæreticos coarguebat. Quo in munere cùm verè Dei spiritu afflatus, & diuinæ scientiæ dono illustratus, à B. Bucolo homine rerum eiusmodi scientissimo iudicaretur: eâ tamen erat ipse modestiâ & animi submissione, vt illi difficulter assentiri, & quamuis multum hortanti ac suadenti, vix tamen ad suscipiendum in communi cœtu fidelium docendi munus, siue, vt Græci vocant, Catechesin, posset acquiescere. Et verò à Domini spiritu edoctus, sic fidei mysteria plerisque omnibus abscondita pertractabat, ita clarè ac dilucidè res diuinas exponebat, vt cerni potiùs res ipsæ, quàm audiri, ipsorum qui eas audiebant, testimonio viderentur. Doctrinæ porrò, quam tradebat, summa in eo præcipuè versabatur, vt cuncti agnoscerent Deum esse vnum, eúmque omnipotentem, inaspectabilem, immutabilem, immensum. Hæc enim cognitio certa falsorum & fictorum Deorum ruina est. Deinde illam primam ac summam maiestatem è cælis Filium suum siue Verbum misisse, qui naturam humanam indueret, & vniuersos homines ab æterno exitio vindicaret. Itaque eundem vnigenam Dei Filium, iuxta Prophetæ vaticinium, è purâ atque intactâ Virgine, per virtutem Spiritus sancti, hominem natum esse, & pro fratrum incolumitate ac salute acerba supplicia & immeritam mortem passum,[b] vti & Pater ipse de Filio,[c] & ipse de se Filius prænũtiauit. Addebat etiam quomodo suscitasset eum Deus ex mortuis, & talem vidissent discipuli suscitatum, qualem, antequam pateretur, viderant;[d] eodem scilicet corpore humano cõuestitum; adeóque talem assumptum esse ad cælum in nube lucidâ, iisdem ipsis discipulis contemplantibus. Atque itẽ de Spiritu sancto, eiúsque donis multiplicibus ita disserebat,[e] vt negaret extra ecclesiam Catholicam, ad alienos trãsfundi; haud magis scilicet, quàm ad resecta mẽbra virtutem, vigorémque corporis.

DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PVNCTA PRÆCIPVA.

VIRGINITATIS LAVS.

[f] Quum autẽ de virginitate illi sermo esset, disputabat non alieni eã esse imperij, sed propriæ electionis; nec parentum, Dominorúmue iussa; sed suam cuique ad certandum alacritatem spectãdam esse: ceteroqui virgineum illum statum, æternæ illius atque incorruptæ beatitudinis esse antecursorem, & ipsas voces græcas, quibus ea puritas denotatur, sic solebat interpretari: vt nomen quidem εὐνοχίας ex eo, quòd virgines multâ Dominum prosequerentur beneuolentia, assumptum diceret: παρθενίας verò, quòd virginum cogitationes ad Deum tenderent, eíque soli intentæ essent. Quippe qui eam vitæ puritatem sectantur, ij ardentes cupiditatis faces in se extinguunt, & inde erumpentes prauarum cogitationm fumos dissipant, lõgeque à castimoniæ finibus exterminant. Dicebat quoque inde à primis conditi hominis exordijs monogamiam, siue vnius cum vna coniugium, à Deo ipso omnium conditore factis ipsis

MONOGAMIÆ ANTIQVITAS.

ipsis edocente institutum: [a] siquidem vnam vni ab initio efformarit, vxorémque tradiderit: [b] quòd autem Lamech è stirpe Cain duas sibi accepit vxores, illas voces *sibi accepit* interpretabatur significare, illum ex suo arbitrio & perfruendæ voluptatis caussâ, non ex Dei voluntate, neque ex solius generationis studio accepisse. Itaque polygamiam siue vxorum turbam sub honesto matrimonij nomine personatum esse adulterium dictitabat. Objicientibus autem illi nonnullis Gentilium, hoc admodum difficile & onerosum in lege Christianâ videri, ita proprium premere ac domare corpus, & suis cupiditatibus dominari; sicut in ecclesia traderetur, *Immo stultum est*, aiebat, *hæc esse apud nos adeo difficilia, aut supra vires existimare; cùm ista Dominus ipse in nobis efficiat, & carnis petulantes atque effrenes impetus magnis suis habenis cohibeat atque comprimat*. Ita istos homines nihil nisi terrena sapientes, & humano pede omnia metientes, illud Christianum edocebat: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*: & illud Apostolicum: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Denique omnem castimoniam in tres gradus partiebatur. Ac primum quidem & infimum gradum ponebat eum, qui in statu coniugali conquiescit, nec alias quàm vnius legitimi tori meditatur voluptates. Nam cùm nonnulli mortalium, vel gente, vel lege barbari, cæcis atque immoderatis rapiantur motibus, ac iumentorum instar fœda libidine plerumque insaniant; ij soli, qui Dei Verbum ac cælestem doctrinam audiuerunt, & tanquam omnium iudicem ac vindicem cum metu susceperunt; ij, inquam, soli vnico ad liberorum procreationem matrimonio contenti sunt, nec multas simul vxores, nec multiformia oblectamenta perquirunt: quemadmodum & ipsæ eorum mulieres vno se toro, & marito vnico affatim beatas censent: nec quemquam, data vni fide, alienum admittunt. Alter gradus, primo altior & nobilior est eximia & veneranda Viduitas: vtpote quæ illecebrarum haud inexperta, secundis & ijs quidem permissis amoribus ac voluptatibus renuntiet, séque deinceps ad excessum vsque puram intactámque conseruet. Tertius verò, & supremum attingens fastigium perfectissimæ puritatis, est ipsa Virginitas: optimum scilicet ac laudatissimum vitæ Christianæ decus atque ornamentum: quæ omnia excludit & amolitur terrenæ cupiditatis vincula & irritamenta; & quæ facili, leuíque saltu priores duos gradus transiliens, in Angelicum ordinem tam nitore ac pernicitate animi, quàm corporis puritate atque integritate peruolat. Nam præterquàm quòd longè maius castimoniæ studium is exhibet, qui omni renuntiat thalamo, quàm qui vel vno contentus est, pari superstite; vel qui illo orbatus alterum non desiderat; hic tertius id præterea habet peculiare, quòd Domini Dei tantæ gratiæ largitoris exsuperantem vim atque potentiam, velut animata quædam statua, singulariter profiteatur. Et verò Christus ipse hanc

MONOGAMIÆ ANTIQVITAS.

Luca 18. vers. 27.

Ad Philipp. 4. vers. 13.

CASTIMONIÆ TRES GRADVS. 1. CONIVGII.

2. VIDVITATIS.

3. VIRGINITATIS.

CHRISTI DOMINI DE VIRGINITATE PRÆCONIVM.

eximiam virginitatis excellentiam ita deprædicauit, vt & planè liberam hominis electionem in ea complectenda, & omnipotentis Dei benignitatem in eadem tradenda insinuaret. Sic enim dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*: Ecce Dei donum. Deinde addidit: *Sunt eunuchi, qui de matris vtero nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum; qui potest capere, capiat.* Ecce in tertijs eunuchis, hoc est, in virginibus electionis arbitrium, & libertas, & voluntaria propter regnum cælorum castratio, hoc est, omnis corporeæ voluptatis, etiam legitimæ & aliàs permissę abdicatio. Sic igitur sentiebat, sic suos edocebat, sic de tribus castimoniæ gradibus in Matrimonio, in Viduitate, in Virginitate, conformiter doctrinæ Christi & Apostolorum ratiocinabatur vir planè Apostolicus Polycarpus. Quæ licet nunc vsitata & satis decantata sint: tamen in principio ecclesiæ & apud Gentiles, quos sanctus ille vir erudiebat, prorsus noua erant, & crebrâ præconis voce indigebant. [k] Nam & hodie nihil populos Infideles à Christiana religione magis absterret, quàm nostris legibus strictè indicta & patrijs ipsorum moribus insueta, inamabilis, etiámque inhumana, vt ipsis videtur, Ecclesiæ castitas. Verùm satis in Polycarpi Diaconatu versati sumus, hinc iam ad Sacerdotium ascendamus.

Matt. 19. ver. 12.

CAPVT V.

Polycarpi ad Sacerdotium diuina electio & promotio.

[a] ATque vt magnorum virorum, quo est quisque sanctior & perfectior, hoc etiam modestior atque ab omni ambitione cernitur remotior: ita Polycarpus, quo maiores in virtute & sanctimoniâ passus fecerat, eò magis, cùm ab omni honore, [b] tum etiam à sacerdotij dignitate abhorrebat. Nec minus tamen & Sacerdos & Episcopus fuit. Quos enim æterna Dei sapientia ad eiusmodi gradus olim destinauerit, eos tempore opportuno, quamuis latentes, quamuis refugientes, [c] è latebris suis ac profugijs, in lucem & solem nouit educere, atque ad ecclesiæ suæ gubernacula miris modis admouere. Sic in multis, sic & in Polycarpo fecit. Quippe quem B. Bucolus Antistes iam ætate maturum, sed virtute etiam longè maturiorem, sacerdotióque dignissimum cernens, ac potissimè tam domi fidum consiliarium, quàm in ecclesia bonum administrum, siue in explicandâ fidei doctrinâ, siue in opera sacris mysterijs adhibenda expertus, cùm in altiore loco collocare decreuisset, in eáque adhuc cogitatione versaretur, diuina affectus illustratione est, quæ & eius consilium approbaret, obsignarétque, & eundem Polycarpum capi & consecrari Sacerdotem imperaret. Hoc

S. BVCOLI EPISCOPI VISIO.

igitur

igitur Domini mandato per visum accepto, sacrauit eum Bucolus Sacerdotem, omni vnanimiter applaudente, & cum incredibili gaudio suscipiente Ecclesia. Solus ipse Polycarpus rei magnitudinem cum animo suo reputans ac sollicitè expendens timebat magis, quàm gaudebat, idque duabus, vt aiebat, de caussis; vnà, quòd sibi satis esset, atque etiam omnino satius foret, de vnico sacro Ordine reddendam suscipere rationem, quàm de pluribus: alterâ, quòd siue indignus esset, vt eum in locum adscisceretur, siue dignus; vtrauis ex parte aut periculum sibi impenderet, aut damnum. Si enim indignus, & tamen audaci confidentia tantum munus susciperet; hoc ipso semetipsum iudicij reum statuere: sin dignus admitteret, ita quoque præteritorum operum mercedem videri recipere. Ita quidem secum Polycarpus ratiocinabatur. Quæ ratiocinatio tametsi in alijs quidem nonnullis, & nimis fortasse pro rei tãtæ dignitate multis, locum habeat, (qui sic nimirum inferioribus in Ordinibus ambulant, vt vel malâ vitâ ad altiores gradus sibi aditum præcludant; vel certè, quamuis aliàs bonâ, tamen ad eosdem honores nimio plus inhient, & quasi præmium aliquod, sacerdotium sibi mente præsumant) in Polycarpo tamen nihil aliud ea consideratio loci habuit, nisi vt cautè ac circumspectè inter vtrumque graderetur: & vitam quidem eam degeret, quæ quamuis maxima mereretur, in minimis tamen remanere præoptaret. Via nimirum hæc est regia ad primos honores, & quidem admodum tuta; verùm, vt sunt nunc homines, parum trita. Quo fit, vt ex istis haud sanè pauci, cùm ad altiora conscenderint, iubeantur tandẽ, iustissimo magni Censoris Dei iudicio, longè inferius descendere, & cum rubore nouissimum locum tenere. Polycarpo autem in postremis delitescenti, cùm & per multa monita, & per visa diuina dictum esset atque ingeminatum sæpius: *Amice, ascende superius*, ascendit is denique, sed tanquam ad montes laborum: in quibus multo etiam magis, quàm antehac fecerat (vti res & locus iam requirebant) vires atque industriam exercuit. Itaque cùm ad sacræ Scripturæ lectionem, & diuini verbi explicationem, non mediocre adiecisset ex illo tempore additamentum; tanto magis glorificabant omnes Dominum Iesum Christum, quãto hic crebrius & de illo, & de alijs cælestibus mysterijs, apud eos verba faciebat. Nam sanè in dicendo mirè clarus & distinctus erat: & partitionibus, tanquam ad docendum aptissimis, vt plurimùm vtebatur; sicque aliquod sacræ Scripturæ membrum varijs demonstratum, illustratúmque rationibus, in oculis animísque defigebat, vt ea, quæ diceret, cerni potiùs, quàm audiri crederentur. Quippe & mens eius, & vita, & affectio cum ijs, quæ dicebat, consentiebant: primúsque in se experiebatur, quod excitare in auditoribus conabatur. Quemadmodum enim Christus & Apostoli in omnem affectum ibant, atque animo, voce, sermone, gestu, cunctos aut pelliciebant, aut attra-

SACERDOTIS CONSECRATIO.

HVMILITAS POLYCARPI.

Lucæ 14. vers. 10.

POLYCARPI ELOQVENTIA CHRISTIANA.

hebant, aut perterrebant; sic & Polycarpus in omnium salutem & profectum sedulò excubans, in omnem se partem variatis affectibus ac motibus versabat, atque eiusdem piæ ac religiosæ artis documenta discipulis suis atque auditoribus, exemplo magis, quàm verbo ingerebat. Quorum quidem documentorum è cunctis eius discipulis primus ac præcipuus obseruator B. Irenæus extitis; is scilicet, qui postmodùm ab eodem in Gallias dimissus Lugdunensem Ecclesiam nobilissimâ fide & gloriosissima martyrij coronâ decorauit. O si & hodie multi tales in Ecclesiâ Dei reperirentur diuini verbi præcones! quos scilicet alienæ salutis ardor, pro rerum ac personarum varietate, in matres, in patres, in patruos; hortando, docendo, coarguendo transformaret! næ, vt Polycarpi multi, sic & fructus animarum essent permulti. Sed de doctrinæ dono, quod à Domino acceptum benignè & scienter cum alijs Polycarpus communicauit, hactenus satis: alia quæ in ordine sacerdotij multa & præclara præstitit, ob quæ altiùs in ecclesia euehi meruit, non extant illa quidem speciatim; sed pro illis, duorum sanctissimorum virorum, Ioannis scilicet Euangelistæ, & Bucoli Antistitis (quorum præiudicijs & quasi manibus in episcopalem thronum euectus est) abundè sunt testimonia. Cuius Bucoli veri iuxta nomen suum Pastoris excessum, vnà cum S. Polycarpi in thronum eius ascensu iam contemplabimur.

B. IRENÆVS S. POLYCARPI DISCIPVLVS.

CAPVT VI.

S. Bucoli Episcopi beata mors, & Polycarpi successio.

[a] SAncto Bucolo, post ætatem in rectè factis feliciter consumptã, idem quod sapientibus & frugi patribus vsu venit. Nam vt his bene moratos liberos post se relinquentibus grata & accepta mors est; itáque moriuntur, vt magna ex parte in suis videantur filijs esse superstites: ita illi beato Antistiti, cùm Polycarpum iam Sacerdotem, & non sui tantùm regendi, sed etiam ecclesiæ administrãdæ potentem atque industrium sibi cælitus destinatum esse successorem cognouisset; perquam læta ac iucunda emigrationis suæ hora accidit. Habuit enim in ambobus locum istud Ecclesiastici: *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similẽ enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo. In obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.* Nam certè Polycarpus nihil patri & magistro suo Bucolo, nec sanctimoniæ gloriâ, nec aduersariorum refutandorum arte ac robore concessit: immo haud paullò fortasse antecelluit. Nec verò excellens illa vis & præstantia discipuli sanctum senem latere potuit. Quippe qui vicinus morti [b] adductum ad se propiùs Polycarpum manu prehensans, ac dexteram eius tenens primò ad pectus suum illam applicuit, deinde per faciem & capitis sensus perduxit, siue eius sanctitatem hoc facto indicare ac participare voluerit;

Ecclesiastici 30. vers. 4.

S. BVCOLI DE S. POLYCARPO TESTIMONIVM.

luerit; ſiuè ſui in eum amoris integritatem ac ſinceritatem teſtari (quaſi eum videlicet toto, vt dicitur, pectore diligeret, atque in oculis ferret) ſiue etiam inſinuare cupiuerit, ſe totum ſpiritum ſuum in eum transferre; ſiue poſtremò cor ipſum & omnia ſenſuum inſtrumenta cordi connexa fore in Polycarpo ad Deum excipiendum, guſtandum, tractandum conſecrata. Quòd cùm feciſſet, [c] tum lætus & gaudens, tali ſcilicet fretus ſucceſſore, qualem illi ſæpius per viſum Dominus præmonſtrarat, & tanquam in prudenti herede acquieſcens, hac demum vltimâ voce prolatâ, [d] *Gloria tibi Domine*, feliciter obdormiuit. Nihil minus intereà Polycarpus, quàm de tali ſucceſſione & loco cogitare: quippe qui totus in deſiderio æternorum, alia omnia diuinæ quieti poſthabebat: cùm tamen alij qui aderant & circumſtabant fideles, ea quæ Bucolus fecerat, cum animis ſuis perpendentes, nequaquam dubitarent; quin illi Polycarpus, vt vitæ atque doctrinæ: ſic & loci atque dignitatis heres exiſteret. Nam & ipſi eum paſtorem optabant quàm maximè & ſperabant. [e] Delato igitur in vrbem Smyrnam Bucoli corpore (quippe in ſuburbanis mortem oppetierat) atque in cœmeterio non procul ab Epheſina porta tumulato, vna fuit omnium ſententia, partes offerēdi ſacrificij (prout in exequijs ſolet) Polycarpo deferendas. Quem ille honorem cùm totis viribus amoliretur, haud paſſi ſunt ij, quos ea tangebat cura, in alium transferri. Itaque rem diuinam alieno magis, quam ſuo arbitrio tum peregit Neque longo poſt hæc interuallo, conuocati ad conſecrationem è circumuicinis opidis Epiſcopi adfuère: ad quorum famam, præſertimque Polycarpi, ex vrbibus atque agris longè plurimi confluxère, ſiue qui eum antè norant, ſiue qui auditu tantùm acceperant. Quippe virtutum eius odore capti, magno illius videndi deſiderio tenebantur, de quo tam magna & glorioſa audierant. Veniſſe quidem & B. Ioannem Euangeliſtam ad manum Polycarpo imponendam, tametſi vero eſt ſimillimum, haud tamen eſt prorſus exploratum: ſed eius ſaltem auctoritate ac ſuffragio dictum fuiſſe, aſſignatumque illi vrbi Antiſtitem, [f] multorum eſt grauium & antiquorum Patrum ſententia. Siue igitur interfuerit B. Ioannes Apoſtolus & præfuerit, ſiue per alios in ea ſede illum conſtituerit, certè cùm præſto cuncti adeſſent, ad quos huius conſecrationis munus pertinebat, & multa in eodem cœtu circumfuſa turba ſpectandæ celebrandęque ſolemnitatis ſtudio conueniſſet, lux magna de cælo dilapſa turbam vniuerſam colluſtrauit: vtque non pauci in eo choro animi puritate præſtabant & ſanctimonia, ſic dedit illis Deus [g] circa perſonam ſacrandi Antiſtitis mirifica quædam ſigna lucidioribus oculis intueri. Nam fuit ex ijs vnus, qui circa ipſum Polycarpi caput, candidam colūbam radianti lucis orbe circumſeptā conſpexerit. Fuit alius, qui eū antequam thronum cōſcendiſſet, iam in throno ſedentem ſit contemplatus. Fuerunt quoque nōnulli, qui

S. BVCOLI SANCTA MORS.

S. POLYCARPVS IN EXEQVIIS B. BVCOLI SACRIS OPERATVR.

PRODIGIA DIVINA ANTE EPISCOPI CONSECRATIONEM.

ipſum

ipsum habitu militari & cingulo flauo succinctum viderint. Non nemo item eum circumiecta purpura, & lumine faciem percurrente prælustrem animaduertit. Denique virgo quæpiam fidelis ac veneranda duplam eius quã haberet magnitudinẽ permensa oculis, amictum quoque coccineũ dextro aptũ humero, & ceruicẽ instar niuis splendicantem, & anulum signatorium in eius digito emicantem annotauit. Nimirum clara hæc fuêre, miniméque dubia multiplicis eius virtutis ac sanctimoniæ indicia. Nam primo quidem signo nihil aliud quàm sanctissimi viri sinceritas, & vitæ candor, & castimoniç integritas ostensa est: secundo autem diuina eiusdem ad Episcopalem Smyrnæ thronum prælectio: vti & tertio nihil planè aliud quàm eximium robur ac fortitudo in fidei militia, simúlque egregia ad denunciandum cunctis Christianæ legis hostibus bellum acerrimum promptitudo: quarto autem illustris martyrij in igne & sanguine decor & gloria visa est præmonstrari. Denique virgini illi oculatissimæ, meritorum eiusdem Antistitis sublimitas, & diuinarum gratiarum copia, ac plenitudo sacræ potestatis, è coniecturâ probabili creditur indicata. Iam verò post longam in sabbato precationem ac genuflexionem, ad legendam ex more sanctam Scripturam cùm assurrexisset, omnium oculis & auribus in se intentis, legit ex epistolis Paulli ad Timotheum, & ad Titum, ea quæ B. ille Apostolus de necessarijs Episcopo virtutibus præscribit: quæ, tametsi Polycarpus eò produceret, explicarétque animo; vt earum in se virtutum penuriam defectúmque ostenderet, ac tanto impares oneri humeros comprobaret; tamen alia omnia cogitabant ij, qui præsentes ibi aderant; atque adeo inter sese mussitabant nullam earum, quas commemorasset, virtutum in ipso desiderari: nec alium quemquam in quouis genere ei adæquari aut comparari posse. Et talis quidem sermo atque existimatio de Polycarpi ad Episcopatũ promotione, in magnis, in mediocribus, in paruis erat. Quàm optandum verò, Deus bone, etiamnum esset! vt quoties aliquis ad tãtam ac tam sublimem ecclesiæ perquiritur dignitatem; priusquam ei tantum nomen, tantáque summi honoris maiestas committeretur, totus virtutum Episcopi catalogus è Paulli epistolis recenseretur, atque nonnullâ morâ in singulis factâ exquireretur, num in eo, qui proponitur, ista & ista virtus reperiretur? nũ etiam illa & illa? ac tum demum, vbi de cunctis constaret, in thronum meritis suis parem assumeretur! Nam regeret sanè vir talis Ecclesiam planè diuinitùs. Perlectis ergo ijs, quæ muneris sunt Episcopi, & alijs quoque, prout tali in re ac tempore fieri assolet, ritè & conuenienter peractis,[h] missi sunt ad populum in suo loco & ordine stantem Diaconi, qui interrogarent: *Quem vultis vobis Episcopum?* qui continuò voce vnâ & animo vno acclamarunt; *Polycarpum, Polycarpum*. Annuente igitur pronis studijs omni sacro ordine, susceperunt eum Diaconi, ac licet multa in cõtrarium suppli-

PRODIGIORUM EXPLICATIO.

POLYCARPI HUMILITAS IN SUBTERFUGIENDO EPISCOPATU.

RITUS ELIGENDI EPISCOPUM.

supplicantem, atque onus magna vi deprecantem erexerunt, atque ad excipiendam (vti ratio & consuetudo officij Episcopalis exigebat) impositionem manuum adduxerunt. Ibi verò cùm sese coram Episcopis humiliter submisisset, ipsum [h] locum, in quo tunc erat, multis lackrymis ab insigni pietate ac modestia manantibus irrigauit. Quippe qui stantes ibidem loci pedes Christi Domini, ad inunctionem sacerdotij, sibi adstantis, internâ mentis acie contemplaretur. Post ritum autem impositionis manuum rogatus, vt verba ad circumstantes faceret (siquidem in more ita positum erat, maximáque officij Episcopalis pars censebatur ipsum docendi munus) tum voce timorem cordis annuntiante sic exorsus est: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pontificis & Pastoris & Magistri & Regis sempiterni, cui gloria in sæcula sæculorum, qui in omnibus nos probat, & scrutatur corda, vti & olim patrum nostrorum & sanctorum prophetarum, quibus præcepta dedit & iudicia, mandauítque, vt fidem suam ceteris patefacerent: qui & nunc paruitatem meam ad eiusmodi assumpsit ministerium, cuius magnitudini sentio quàm impares sint vires meæ: nec est quisquam, sat scio, qui tale munus dignè obire valeat, nisi eius rei facultatem prius à Domino acceperit. Quod ipsum sanè & B. Paullus Apostolus in epistolis suis rectè ostendit: qui vel vnico quidem verbo totam eius, qui ordinatur, vitæ rationem, qualis esse debeat, conclusit, cùm dixit oportere Episcopum esse irreprehensibilem: quod verbum haud equidem existimo aures vestras præteruolasse, sed totis potiùs admissum atque infixum esse præcordijs. Quamobrem magnopere conuenit, dilecti mei, vt pro me ad Dominum precationes spargatis, quò is mihi facultatem tribuat, vt immaculatæ suæ sponsæ Ecclesiæ gratum, acceptúmque ministerium exhibere valeam; nec mihi tantum, sed & omnibus conseruis meis atque ministris, quos commonere coram Deo & vobis necesse habeo, vt cum omni alacritate & sincerâ caritate ad propòsitum nobis certamen mecum vnà collaborent. Quippe quorum neminem lateat ita omnibus esse currendum, vt omnes brauium recipiamus: quemadmodum & omnibus proposita est immortalitatis corona, Deo scilicet eum duntaxat*, qui legitimè certauerit & vicerit, *sine respectu personarum, coronante: cui gloria & honor, & fortitudo, & erat, & est, & erit in sæcula sæculorum, Amen.* Hæc & alia eiusmodi Polycarpus, tam vera ingenij de se modestè sentientis argumenta, quàm animi sui magna olim pro Christo ausuri certa indicia verbis ardentibus depromebat. Quod quemadmodum ipse præstiterit, deinceps videndum.

EPISCOPI MVNVS EST AD POPVLVM CONCIONARI.

EPISCOPVS DEBET ESSE IRREPREHENSIBILIS.

CAPVT VII.

Polycarpi in regenda Smyrnensi ecclesia, sub Domitiano Imperatore & deinceps, insignis vigilantia.

[a] IN tempora episcopatus Polycarpi graues aliquot aduersus Ecclesiam tempestates ab impijs Imperatoribus inciderunt. Prima quidem

ECCLESIÆ PERSECVTIO ANTISTITVM EST PROBATIO.

quidem à Domitiano: secūda ab Vlpio Traiano: tertia verò, (in qua & coronam meruit) à M. Aurelio Antonino & Lucio vero Impp. In his autem omnibus, (perinde atque in maris exæstuantibus procellis ars periti gubernatoris) ita maximè probata fuit, & plurimum commendata huius sanctissimi Antistitis virtus atque industria. Nam sub Domitiano quidem violentissimo reip. Christianę turbine, cùm præcipuus Asiæ oculus, B. Ioannes Apostolus [b] in Patmon insulam relegatus esset, atque inde tanquam è speculâ fluctuantes populos, & eorum Rectores in medijs persecutionum vndis laborantes sollicitâ mente respectaret, nullius ipse tam suspexit, commendauitque fortitudinem atque constantiam, quàm vnius inter omnes Polycarpi. In quo ferè solo è septem Episcopis Asiæ, nihil prorsus quod argueret, animaduertit; nihil quod reprehenderet, inuenit. Et tamen idem Ioannes, non tam aurium oculorúmue indicio in denotandis Episcoporum moribus, quàm propheticâ mentis aciе, & certissimo spiritus sancti admonitu vtebatur. [c] Nam die quadam dominica in dicta Patmo insula cùm esset; vidit, audiuitque Deo inspirante mirabilia; in quibus præter alia vocem etiam excepit vnius Angeli, tubæ instar sonantis ac præcipientis, vt ea quæ audiret verba, in libro exararet, ac septem ecclesijs, quæ erant in Asia, hoc est, Ephesinæ, Smyrnensi, Pergamenæ, Thyatirensi, Sardianæ, Philadelphiensi, Laodicensi mitteret: nempe illa, quæ ad bonam earundem ecclesiarum administrationem spectare diuinitus conspiceret. Exarauit ergo, & misit Episcopis ea, quæ mandabat Angelus, siue potiùs per Angelum ipse Christus Dominus. Ea autem fuerunt eiusmodi; vt quæ ad alios destinabantur Episcopos (quamuis non pauca in eorum laudem continerent) tamen haberet quoque nonnulla, quæ ad iustam muneris episcopalis mensuram tali in re ac tempore desiderarentur. Verùm in ijs, quæ ad Polycarpum spectabant, nihil vitij tangitur, nihil officij requiritur; sed sola paupertatis eius cùm veris cæli diuitijs coniunctæ, & laborum quos in præsenti toleraret, & ad mortem vsque toleraturus esset, honorifica mentio inducitur. Nam quæ B. Ioanni de Polycarpo dictauit Angelus, hæc fuerunt: *Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit. Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt; sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Hactenus ad Polycarpum. Neque enim in dubio esse cuiquam debet, quin S. Ioannis verba in Apocalypsi contenta, ad illos septem ecclesiarum Angelos siue Episcopos scripta & missa sint, qui id temporis, quo illa scribebat, easdem regebant

POLYCARPVS INTER OMNES ASIÆ EPISCOPOS MAXIME LAVDATVR A S. IOANNE APOSTOLO.

SEPTEM ECCLESIÆ ASIÆ QVIBVS SCRIPSIT S. IOANNES.

POLYCARPI SMYRNENSIS EPISCOPI LAVS.

Apocalypsis c. 2. ver. 8.

bant ecclesias;quos nimirum, persecutionis atrocitate rem Christianam euertere funditus moliente,tanquã duces ac principes tuẽdæ religionis,æquum erat perquã efficacibus verbis, ad diligẽtiam, feruorem,magnanimitatem,constantiam,in vigilijs, in laboribus, in tormentis,in morte denique ipsa præstandam cohortari. Tum ergo Ephesinam,id est,minoris Asiæ principalem,& Patmo insulæ,(vbi B. Ioannes detinebatur relegatus) proximam ecclesiam administrabat Timotheus ille Paulli Apostoli magisterio & epistolis clarus, atque etiam nobili martyrio longè postea cælo clarior. At certè illi vicinam Smyrnæorum ecclesiam regebat Polycarpus, iam tum miraculis & virtutibus in paucis præstans. Quinam autem alias tum rexerint ecclesias nimis obscurum est, & hactenus incertum. De Polycarpo quidem sanè (quando id iam negocij præcipuè agitur) tam ex sacris historijs, quàm ex ipsis dilecti Christo IESV discipuli verbis, (si quis ea diligenter attendat) videbit satis certò & liquidò id quod asserimus, colligi posse. Nam verba quidem S. Ioannis Apostoli ad Smyrnæ Episcopum directa præmunitionem atque exhortationem continent ad martyrij coronam,eiusdémque velut tacitam pollicitationem. Iam verò S. Bucolus,qui ante beatum Polycarpum proximus Smyrnæ Antistes fuit,placidam & sine tormentis mortem obijt, atque obiens Polycarpum successorem nominauit: idque ipso Ioanne non modò suffragante, sed quasi manu suâ in throno episcopali eum collocante. Post Polycarpum autem nullus alius Ioanne superstite fuit Smyrnæ Episcopus: siquidem plurimis post Ioannem annis idem superfuit, & tandem gloriosam martyrij coronam abstulit. Quare si Domitiani Imp. tempore nullus alius fuisse potest Smyrnæ Episcopus, quàm aut S. Bucolus, qui primus fuit illius ecclesiæ Antistes, aut hic noster Polycarpus, qui secundus: & si præterea S. Ioannis Apostoli verba magis S. Polycarpo, quàm B. Bucolo congruere, omnium Scriptorum testimonio sine controuersia cognoscũtur (nam plerique omnes Apocalypseos interpretes verba illa ad Angelum Smyrnæ missa, Polycarpo attribuunt, S. Bucolo nullus; certè consequitur, vt dicta Apostoli verba & egregiæ illæ laudes eidem Polycarpo iure bono adiudicentur; præsertim cùm nihil planè in iis sit, quod non optimè ac meritissimò illi valeat accommodari. Nam tribulatio, paupertas, diuitiæ, patientia, Iudæorum odia, magnanimitas, constantia, fides vsque ad mortem, corona vitæ; cuncta hæc in B. Polycarpo eminenter præfulserũt. Et ipsum fuisse Episcopum Domitiani Imp. temporibus, ex eo quoque fit credibile, quòd eius auditor ac discipulus Irenæus illum ab Apostolis constitutum Smyrnæ Episcopum scripserit: velut tacitè insinuans, non ab vno tantum Ioanne, sed à pluribus Apostolis eum esse constitutum Episcopum. Quod si ita est, necessariò ante Domitiani tempora eum Smyrnensi ecclesiæ præfuisse dicendum est;

S. TIMOTHEVS TEMPORE APOCALYPSEOS ERAT EPHESI ANGELVS.

VISA APOCALYPSEOS DE ANGELO SMYRNÆ CONVENIVNT S. POLYCARPO.

quan-

quandoquidem vno excepto Ioanne, qui ad ætatem Traiani peruenit, alij omnes Apoſtoli ante Domitianum terris exceſſerant. Itaque B. Ioannes è ſua inſula, velut è ſublimi quadam ſpeculâ (vt antè indicauimus) quid in omnibus eccleſijs Aſiæ gereretur, gerendúmue foret, pro Apoſtolica cura proſpiciens, atque in gubernationem ſingulorum ibi Epiſcoporum aciem propheticam ſic intendens, vt futura perinde atque præſentia perſpicaci mentis oculo intueretur, nó tantum præſentem Polycarpi ſtatum & labores ſub Imp. Domitiano partim toleratos, partim tolerandos; ſed totam quoque eius vitam & perſeuerantiam, vnà cum extrema martyrij gloria contemplatus & vaticinatus eſt. Ita igitur Polycarpus integrè & illibatè per immanis Domitiani tempora eccleſiæ ſuæ nauem rexit: an itidem per Traiani, mox conſiderabimus.

CAPVT VIII.

Polycarpi ſub Traiano & deinceps virtutes & miracula.

VT [a] autem Polycarpi initia præclarè ſe habuerunt; ita in totius vitæ & Epiſcopatus progreſſu, nihil prorſus neque de labore excolendæ prouinciæ, neque de miraculorum efficaci benignitate vnquam diminutum eſt: ſed pari ferè veſtigio cuncta proceſſere, anni, labores, miracula. Itaque dum acceptam ab Apoſtolis veræ fidei, germanæque pietatis doctrinam in ſubditum ſibi populum ſumma cura ſtudióque transfundit; tam florentem omni virtutum genere eccleſiam ſuam reddidit, vt eam B. Ignatius, (quum Romam Traiano Imperatore ad propoſitum æternæ vocationis brauium cõtendens, Smyrnà tranſiret) & præſens admodum miratus ſit, & abſens plurimum collaudârit. Nam litterarũ, quas idem Ignatius Troade ad eam eccleſiam miſit, tale fuit exordiũ ſimul & Polycarpi elogium: [b] *Glorifico Deum & Patrem Domini noſtri IESV Chriſti, qui per Polycarpum ita vos erudiuit. Cognoui enim vos perfectos in fide ſtabili, tanquam cruci Domini noſtri IESV Chriſti confixos carne & ſpiritu, atque in caritate fundatos, in ſanguine Chriſti, & veriſſimè inſtructos in Domino noſtro IESV Chriſto, filio Dei, primogenito omnis creaturæ.* Hinc etiam idem ille martyrij candidatus, dum ad mortem properaret, huic vni præcipuè Polycarpo, [c] ex omnibus Epiſcopis, quos multos norat & recens ſalutarat, Eccleſias Aſiæ, & nominatim Syriæ (adeo de virtute eius & ſedulitate confidebat) ſingulariter commendauit. Cui etiam ſuas ſiue ſcribendi, ſiue rebus alijs, à quibus auellebatur, proſpiciendi partes delegauit. Quod vel ex illis epiſtolę ad eum miſſę verbis datur intelligi, quibus eum ſic eſt affatus: *Decet te, beatiſſime Polycarpe, ſacroſanctum cogere conſilium, & vnum deligere, ſi quem valde dilectum habeas atque impigrum* ([d] *qui poterit Theodromus appellari*) *quem*

ECCLESIÆ SMYRNENSIS LAVS.

S. IGNATII DE POLYCARPO INSIGNIS EXISTIMATIO.

quem in Syriam mittas, vt illò profectus sedulam caritatem tuam ad Dei gloriam celebret. Christianus sui potestatem non habet, sed Deo vacat: hoc autem Dei opus est, & vestrum: si quidem illud executi fueritis. Confido enim gratia, paratos esse vos ad ea, quæ spectant ad Deum, benefacta. Perspectam porrò habens vestram in veritate firmitatem, breuibus litteris vos sum cohortatus. Postquam autem integrum mihi non fuit ad omnes ecclesias perscribere, quòd à Troade subitò Neapolim nauigare iussus sim, scribes ipse vlterioribus ecclesiis, tanquam qui Dei voluntatem teneas, vt illæ idem faciant, ac pedites mittant, quæ quidem poterunt, aliæ autem litteras per eos, quos tu miseris: vt in opere æterno glorificemini. Et paullò pòst ibidem: *Saluto eum qui profectione in Syriam dignus censebitur: erit cum illo gratia semper, & cum eo qui ipsum mittit Polycarpo.* Præterea cùm idem Martyr sibi in episcopatu Antiocheno successurum Heronem Diaconum diuinitus accepisset, eundem Polycarpo præcipuè, cùm apud eum Smyrnæ esset, commendauit. Sic enim ipsi Heroni scripsit: *Polycarpo vos commendaui in Domino IESV Christo.* Et in epistola ad Antiochenos: *Salutat vos Polycarpus Antistes dignissimus, cui & vos curæ estis, & cui vos commendaui in Domino.*[c] De qua item commendatione ita cum vtriusque, tam Ignatij commendantis, quàm Polycarpi, (cui eadem Antiochena ecclesia commendabatur) insigni laude & honore historia ecclesiastica commeminit: *Cui Polycarpo*, inquit, *cùm eum virum spectatum & Apostolica virtute præditum probè cognosceret, suum ecclesiæ Antiochenæ gregem, tanquam bonus ac fidelis pastor Ignatius commendauit, arbitratus eum omni studio ac diligentia illius curam suscepturum.* Neque sanè dubium, quin ita fecerit, & tam ecclesiam amicissimi Ignatij, quàm Heronem illi carissimum maximè commendatum habuerit; operámque omnem adhibuerit, vt in episcopalem thronum & Dei & Ignatij voluntate eleuaretur: vti & postea factum est. Ex Diacono enim episcopus Antiochiæ quartus à Petro Apostolo creatus est. Siquidem secundus fuit Euodius, tertius Ignatius, quartus Heron: omnes Sanctorum adscripti catalogo, vti & post ipsos alij complures eiusdem Antiochenæ sedis Episcopi. Virtutem porrò B. Polycarpi, non tantùm Ignatij viri laudatissimi, aliorúmue sanctissimorum testimonia; sed etiam diuinitùs patrata miracula multùm illustrarunt: è quibus nonnulla eximiæ caritatis ac beneuolentiæ plena (quandoquidem sub hæc accidisse tempora suadet ratio) hic opportunè subijciam. Dum ergo Polycarpus suas per Asiam inuisit ecclesias, Vrbem Teon ingressus (est hæc vrbs in regione Ionià, distans à Lebedo circiter centum viginti stadijs) ibi apud Daphnum eius vrbis Episcopum hospitatus, cùm sub cenam, vt fit, inter alios sermones, de paupertate rei familiaris inducta esset mentio; tum pauper Episcopus, quales

EVSEBII CÆSARIENSIS DE B. POLYCARPI VIRTVTE TESTIMONIVM.

ANTIOCHENÆ ECCLESIÆ SANCTI EPISCOPI.

MIRACVLA S. POLYCARPI.

les ferè omnes ea tempeſtate erant(virtutibus enim magis ſtudebant, quàm opibus, & multarum tunc animarum ſalus atque in virtute progreſſio, præcipuus Epiſcoporum cenſus computabatur) ſuam victus penuriam & exiguam ſementem amicè & familiariter cùm expoſuiſſet, atque illi doliola ſua tantùm non vacua oſtendiſſet; tum diuino impulſus Spiritu Polycarpus immiſſa in hæc manu, *In nomine IESV Chriſti*, inquit, *vtere* Cuius dicti ea vis atque efficacia fuit,[i] vt frumentum ex ea hora ſic multiplicatum fuerit, non modò vt ad ſufficientem domus alimoniam, ſed ad ſementem quoque faciendam, immò & ad ſtipem pauperibus conferendam abundè ſuppeteret. Aliquanto autem pòſt tempore, reuerſo ad eundem Daphnum Polycarpo, cùm is & ingentes illi de tanto beneficio gratias ageret, & eodem ſpectante, multis fratrum ex eodem cumulo frumentum diſpertiret, nouum acceſſit veteri miraculum. Nam cùm vaſculum quoddam vino ſemiplenum eſſet appoſitum, mandarétque Daphnus, vt apportato aliunde vino repleretur, *Relinque ſic*, ait Polycarpus, *neque enim deficiet.* Hauriebatur ergo vinum & bibebatur, nec deficiebat; ſed continenter potiùs ſuccreſcebat. Verùm, vt doceret Deus dona ſua reuerenter & cum gratiarum actione ſuſcipienda eſſe & conſeruanda, non verò inſolenter & ridiculè iactanda; cùm famula quædam adoleſcentula non modò abſque metu, ſed etiam cum riſu & ioco leuiter exclamaſſet. *Hem dolium inexhauſtum* ! mox digreſſo miraculi patratore Angelo, vinũ quoque ipſum defecit, & euanuit. Pręclarè enim (quod & Polycarpus monuerat) à Dauide dictum eſt. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Vnum verò inſuper accidit, in quo paternam ac ſingularem de ſuis curam atque prouidentiam Deus Opt. Max. fideli ſuo ſeruo declarauit. Viſitabat aliquando Polycarpus extra Smyrnam [k] cum Camerio Diacono (is eſt qui ab eo tertius poſt Papirium fuit Smyrnæ Epiſcopus) ſparſas per pagos ſibi commiſſos eccleſias: cùm ecce ex vno procurrens certa vidua paruum quidem munuſculum, vnam ſcilicet auiculam, ſed magnum affectus ſui ſpecimen ei exhibet: quam ille quidem primò recuſauit, verùm vrgente illa, [l]atque ad oblationem vſui fore ingeminante, tandem ceſſit, & munuſculum ſuſcepit. Veſperi autem ex multo itinere & labore defatigatus cùm in certam cauponulam diuertiſſet, atque à cena quietem petens, celeriter in ſomnum lapſus eſſet (nam ſuſcepti labores facilè quietem feſſis membris præſertim in ſolitudine conciliant) ecce intempeſta nocte adſtans illi Angelus, ac latus pulſans, *Polycarpe*, inquit. Et ille; *Quid enim eſt rei? Surge*, ait, *protinus, & ex hoc diuerſorio egredere; futurum eſt enim, vt concidat*. Surgit igitur extemplo, & Camerium voce excitat: qui ſomno & labore prægrauatus, vix quidem ſanè, ſerò tamen exaudit, & indicanti Polycar-

FRVMENTI MVLTIPLICATIO.

VINVM PRODIGIO E AVCTVM.

MIRACVLA BENEFICA, LEVITATE ABVTENTIVM DEFICIVNT.

VIDVÆ MVNVSCVLVM ACCIPIT S. POLYCARPVS.

ANGELI CVRA DE S. POLYCARPO.

po

SACRARVM LITTERARVM STVDIVM.

po imminens istic periculum, monentíque vt actutum surgeret; hic contrà, (quippe qui primum somnum necdum edormiuerat) *Ecquonam, amabo*, inquit, *ô* ° *beate papa, nunc eamus? Tu semper in meditatione Scripturarum pernoctas: hinc fit, vt nec oculis somnum capias.* Quibus dictis rursus in quietem caput inclinat, donec secundùm adstante Angelo, & mandatum perurgente, imperauit denuò Polycarpus, vti confestim ac sine mora surgeret: casurum enim breui diuersorium. At ille: *Confido equidem Deo*, inquit, *istum, quoad tu domi fueris, parietem non casurum*: Cui Polycarpus: *Et ego quidem*, ait, *Deo confido; sed parieti non confido*. Neque tamen hac vice (adeo deuinctus erat somno) surrexit Camerius, sed rursum obdormiuit: donec postremò ab ipsomet Angelo increpitus, quòd surgere cunctaretur, tandem exiluit. Paullulum igitur domo progressi, nempè lapidis iactu, vel haud multo longiùs, relictæ in domo auiculæ redierunt in memoriam. Et Polycarpus Diacono; *Accelera*, inquit, *& relictam require auiculam. Nam in oblationem à beata vidua accepimus*: iuit, rediuit, celeriter exijt: nec longa exinde mora, cùm diuersorium à fundamentis labefactum corruit, cunctósque intus perdidit. Tum verò resistens in via paullulum Polycarpus, atque in cælum suspiciens, *Domine Deus omnipotens*, inquit, *benedicti filij tui IESV Christi Pater, qui subuersionem Niniuitarum per Ionam magnum Prophetam tuum prædixisti, & euitandi periculi facultatem tribuisti, ego te verè & ex corde laudo ac celebro, qui nobis per Angelum tuum istud tam præsens discrimen pranuntiasti & auertisti*. Atque in isto quidem seruum suum ruinæ subduxit Dominus: in proximo autem per eiusdem serui preces, iam ° conflagrantis vrbis restinxit incendium. Nam noctis intempestæ silentio, omnibus in soporem versis, inflammata infausto casu pistoris cuiusdam officina, in vicinas primò ædes, deinde & in remotas traduxerat incendium; ita furente igni & serpente, vt iam magnam vrbis partem comprehenderet: concurrente igitur, magno cum clamore & tumultu, populi multitudine, iubet militum Præfectus comparata aduersus incendium instrumenta expediri: expediuntur: in commune laboratur: adsunt Ethnici: adsunt & Iudæi: sine his enim, (vt ipsi quidem aiunt) nullum restingui potest incendium. Quippe hic est eorum dolus & hoc commentum, ad ea, quę in domibus sunt, diripienda callidè excogitatum. Sed neque sic flammarum erat modus. Itaque (vt casus casum & calamitas calamitatem in memoriam reducit) recordatus tunc est Præfectus virtutis Polycarpi, alio in genere mali, quondam expertæ; auctórque fuit, vt requireretur. Referebat enim, vt nuper in prætorio correptus à malo dæmone adolescens quidam famulus, cùm inconditis clamoribus & insanis motibus omnia nocte conturbaret, atque adeo non pauca absumeret,

DIVERSORII SVBITA RVINA.

Ionæ 3.

INCENDII FORTVITI ET A POLYCARPO RESTINCTI NARRATIO.

CORREPTVS A DÆMONE CVRATVR ADVENTV S. POLYCARPI.

à Iudæis malum illud excantare conatis ſanari non quiuerit: immo plurimos illorum ipſe vnicus ita diuerberauerit; vt eos dilaceratis veſtibus nudos & cruentatos & ſemineces reliquerit: donec tandem vno quopiam è familia, qui Chriſtianus erat, ſuggerente eum à Magiſtro quodam Chriſtianorum, Polycarpo nomine, domari ac ſubigi poſſe; eo accito, atque adhuc procul diſtante vociferari cœperit: *Venit ad me Polycarpus: venit ad me Polycarpus: mihi fugiendum eſt. Quando ergo*, inquit Præfectus, *neque per nos, neque per Iudæos reſtingui incendium poteſt, is nobis accerſendus eſt, ſi fortè huic malo mederi queat*. Ne multa. Inuentus & inuitatus adfuit, preces fudit,[q] ignes inhibuit. Alteri quoque malo partim præſenti, partim impendenti, eodem remedij genere obuiam iuit.

FAMIS TEMPORE RECVRSVS AD POLYCARPVM.

Cùm enim ciuitas magnâ annonæ penuriâ premeretur, atque ingens & permoleſta fames timeretur, congregatis ſuper hac re primoribus, & Præfecto palam exponente non modò frumentum deſiderari, ſed nec vnde coëmatur, quamuis numeratâ pecuniâ, inueniri: tum ſurgens quidam è ſenioribus; *Viri*, inquit, *quicumque tempore illo adfuiſtis, cùm nocte media, orto derepente incendio, hæc vrbs periclitata eſt, meminiſtis, opinor, neque noſtrâ neque Iudæorum ope aut operâ reprimi ignis impetum tunc potuiſſe, donec accerſitus à nobis homo quidam verè pius ac religioſus, & eorum qui Chriſtiani appellantur, ſacerdos ſtans coram omnibus nobis, atque in cælum ſuſpiciens, certa verba protulit, quibus prolatis confeſtim conuoluta flamma in ſphæræ modum, atque illius vocem, neſcio quo pacto, reuerita, in ſeipſam recidit: ac me ſæpenumero ea ſubijt animi cogitatio;[r] vt exiſtimarem hominem illum eſſe Deum.*

GENTILIVM DE VIRTVTE S. POLYCARPI EXISTIMATIO.

[s] *Nam ſcitis Poëtas noſtros & Scriptores tradere Deos è cælo hominibus aſſimilatos terras petijſſe, partim ad vltionem proborum ab improbis oppreſſorum, partim ad punitionem improborum*. Quæ audientes ij qui aderant, & hæc itidem meminerant, iudicarunt cœtum populi conuocandum: nec mora; conferti omnes ad theatrum confluxère. Quippe oppreſſi fame neceſſitatem atque ærumnam præſentem intuebantur, ita vt vnum eſſe Deum omnes vno ore vociferari cogerentur. Quæſitus ergo atque inuentus Polycarpus omni conclamante populo in concionem adductus eſt: ad quem ita viri primarij:

SMYRNÆI ROGANT POLYCARPVM, VT IMPETRET IPSIS A DEO PLVVIAM.

Cernis Polycarpe, quibus in anguſtijs vrbs hæc, (quam & tu inhabitas, & cuius ſi non morum, certè præſentis, ob ſiccitatem, penuriæ particeps es) iam verſetur. Quare à te Smyrna in præſenti efflagitat, vt Dei tui neceſſariam opem implores, pluuiámque è cælo ad irrigandam & educandam ſementem impetres. Polycarpus ex tali ſupplicatione totus rubore ſuffuſus, primò mentem colligere, atque interno animi motu ad Deum ſe erigere: dein breuiter quidem & compendiosè, ſed prudenter & conſideratè ſic reſpondere:

POLYCARPI PLENA MODESTIÆ RESPONSIO.

Viri vrbis huius perpulchræ habitatores, audite me inquilinum & aduenam (vrbs enim omnis præ cæli domicilio extranea eſt & peregrina,

na, "totúsque mundus Dei dono, qui cuncta est fabricatus, vrbs est vna) haud equidem talem tantúmue ipse me facio; qualem & quantum ipsi existimatis: nec sum is sanè, qui totius gentis suæ commissa nunc luentis deprecari pœnas, ac suppliciũ amoliri valeam: veruntamen, quod in me erit, libenter experiar. Mecum enim sunt Presbyteri, viri pij ac religiosi, quibus & ego, cùm aliquid obtinere diuinitus contendo, vti apud Deum deprecatoribus soleo: hos ego, si ita vobis videtur, adducam, vt & ipsi pro vobis ad Deum precationes spargant. Interea vos hortor, bono vt animo sitis, & vniuerso mandetis populo, vti conscriptam dæmoni syngrapham abrogent, irriténtque, ac deinde sperent meliora. Est enim Deus noster longanimis, & hominum generi tempus ad pœnitentiam præbet. Post hæc præfectus sumpta fiducia, tam ex pristinis Polycarpi miraculis, quàm ex hoc ipso eius sermone ad suos conuersus; *Scitis*; inquit, *omnes tam vrbani quàm peregrini, nos secundùm ritus ac leges nostras per sacrificia & cærimonias, & altarium erectiones, & thuris suffitus, numen adorare ac placare solitos: quare & huic concedendum est, vt vnà cum ijs, quos habere se dicit, Ministris ac Sacerdotibus, extra turbam ac tumultum, ad sacra suis moribus atque institutis conuenienter instituenda, & animo constanti & imperturbato peragenda, precésque puras ad Deum suum fundendas se conferat.* Quibus annuente populo confestim Polycarpus abijt, atque ad ædem sacram, vbi Christianorum conuentus agi soliti erant, properauit: móxque per Diaconos cunctis annuntiauit, vt se ad vnam precationem concordibus animis profundendam compararent. Iam autem id ipsum facere Diaconi, (propterea quòd ductum ad theatrum Polycarpum scirent, & esset parasceue) suâ sponte inceperant. Itaque illis celeriter congregatis, ita loquutus est Polycarpus: *Memores sumus, fratres, promissionum Domini nostri IESV Christi, qui dixit: Petite & dabitur vobis.* Et rursus. *Si enim duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Cum fide igitur postulemus, nec animis diuisi inter nos simus. Nam postulantis precatio velut bilance expenditur; & quorsum eius mens inclinet, examinatur. Quod & Petri super fluctus gradientis exemplo palam fit. Credens enim ambulabat; metuens autem mergebatur: nempe vt hinc disceremus, quantum his inesset in alterutram partem momentum. Nam Moyses quidem tali fretus fiducià dixit trepidanti populo: NOLITE TIMERE: STATE ET VIDETE MAGNALIA DOMINI, QVÆ FACTVRVS EST HODIE. Stare enim reuera oportet firmos super petram, & immobiles atque inconcussos, per fidem Saluatoris Domini nostri IESV Christi persistere, qui & Eliæ prophetæ postulàti dedit pluuiam, CVM CLAVSVM ESSET CÆLVM ANNIS TRIBVS ET MENSIBVS SEX.* Et hæc dicens primus flexit genua & cum illo simul omnes, atque in hæc ferè verba precatus est: *Domine Deus & pater Domini nostri IESV Christi, omnium creator, sis in sæcula*

SMYRNÆI SERVITVTIS SYNGRAPHAM DÆMONI DEDERVNT.

Lucæ 11. Matth. 18.

PRECATIO PLENA DEBET ESSE FIDVCIÆ.

Exodi 14.

Lucæ 4. versu 25.

PRECATIO POLYCARPI.

cula benedictus: tu, cui ministrant beatæ mentes: qui cælum & terram & mare & omnia, quæ in eis sunt, condidisti; qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam efformasti; qui illius caussâ Filium tuum in terras misisti; & nasci è Virgine opera Spiritus Sancti, & in mortali corpore, ad genus humanum æternæ morti eripiendum, acerbam mortem perpeti voluisti, tu nos Domine in præsenti respice: tu sanctæ tuæ ecclesiæ precibus & votis aurem benignam adhibe: impertire expectatam & expetitam pluuiam: vt clientes tui in ærumnis suis cognoscant te; & intelligant aduersarij nostri, & qui iustitiam & æquitatem à nobis exigunt, nos tibi meritò diuinos honores impendere. Talia precante Polycarpo effusa mox cælo pluuia cunctorum ora & linguas in Dei omnipotentis laudes excitauit. Alia beatissimi viri miracula (nam longè plura designasse, cùm penè à puero eorum potens fuerit, existimandum est) nancisci nulla potui: nisi hoc vnum præterea, quod in Menæo strictim duntaxat & tribus verbis attingitur: cum scilicet non modò aquas, cùm vsus posceret, precibus elicuisse; sed nimias quoque & exitiali copia depluentes interdum repressisse: atque ita non minùs eas arcendo, quàm accessendo reipublicæ commodasse. Sed de prodigijs atque miraculis hactenus. Nam B. Ioannes euangelista cum adolescente ad Polycarpum accedens me ad se vocat.

PLVVIA POLYCARPI PRECIBVS IMPETRATA.

EADEM OPORTVNE REPRESSA.

CAPVT IX.

Polycarpus adolescentem Ethnicum à S. Ioanne Euangelistâ sibi commissum fidei præceptis, moribúsque Christianis imbuit: quem postea latronum ducem idem S. Ioannes Christo recuperat, & vni ecclesiæ pastorem præficit.

Hisce beati Polycarpi miraculis [a] narrationem vnam ad hæc Traiani tempora, de quibus nunc agitur, pertinentem, & cum eiusdem Polycarpi rebus maximè coniunctam, debere mihi videor hoc loco annectere. Est enim eiusmodi, quæ & Episcopos ardentiore officij sui zelo incendat, & adolescentes ab improborum societate absterreat, & viros in gurgitem vitiorum delapsos ad spem vitæ melioris reuocet ac reducat. Ita autem res habet: S. Ioãnes Apostolus imperante Nerua, Patmi exilio, (quo Domitianus Imp. eum relegarat) solutus, cùm redijsset Ephesum, non desistebat, tametsi ætate grauis, amplificandæ fidei caussa vicinas adire vrbes, finitimos inuisere populos, ibíque partim constituere Episcopos, vbi non essent: partim confirmare atque ad magna animare vbi essent, ac simul eorum ecclesias exemplo peræque & doctrina adiuuare. Ad vrbem igitur Epheso vicinam profectus cõuenit eius loci Episcopum Polycarpum, eíque (vt omnium maximè in huiusmodi rebus confidebat) certum iuuenem, corpore validum, vultu elegantem, ani-

S. IOANNIS EVANGELISTÆ DILIGENTIA IN VISITANDIS ECCLESIIS.

mo acrem ac feruidum (quem, licet adhuc gentilem, tamen ad magna idoneum præsenserat) maiorem in modum commendauit. Sic enim dixisse fertur: *Hunc tibi omni studio coram ecclesia & Christo teste commendo.* Quem cùm suscepisset Episcopus, & omnia prolixè promisisset, Ioannes eadem rursus inculcauit & contestatus est. Deinde hic quidem Ephesum repetijt: ille verò iuuenem sibi traditum domi nutrijt, continuit, fouit, demúmque lauacro salutis abluit, & Christi militiæ adscripsit. Sed aliquanto pòst, dum tuta omnia Antistes arbitratur, & satis in iuuene roboris esse ac gratiæ ad euincenda contraria confidit, sicque de cura eius atque custodia nonnihil remittit, (ratus scilicet [b] sigillum Domini seu collatum baptismi sacramentum perfectam illi deinceps fore custodiam) [c] ad eum accedunt socij quidam inertes, dissoluti, vitijs assueti, ac primò quidem ad sumptuosas epulas abducunt: inde ad nocturnas grassationes, & ad furtorum societatem pelliciunt: postremò ad maxima quæque secum audenda pertrahunt. Hic verò paullatim istis assuescere, atque vt excelso erat animo, tanquam equus effrenis & validus à rectâ deuians, & frenum mordens, in præcipitia maiore impetu ferri, denique de salute desperabundus, nec vitijs mediocribus contentus, robustiora in dies aggredi, & quando semel perijt, similia æqualibus suis perpetrare. Immo illos ipsos, factus è discipulo magister tãdem superat, atque ad latrocinia comites sibi adsciscens, [d] dux fit latronum, & violentia, cædibus, immanitate inter eos facilè principatur. Inciderunt interea temporis quædam ecclesiarum negotia, quæ Ioannem in eas ipsas partes, vbi eum reliquerat, reuocarent. Quò vt venit, rebus alijs ex animi sententia constitutis, suum illum iuuenem (cuius excidere non poterat memoria) ab Episcopo reposcit. *Age*, inquit, *Episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus, ecclesia teste, cui præsides, credidimus.* Hic autem primò attonitus & pecunias, quas non accepisset, reposci arbitratus hærebat, pendebátque animi; verùm posteaquam Ioannes clarè elocutus dixit: *Iuuenem illum reposco, & animam fratris*, tùm verò ille vultum demittere, & cum gemitu illachrymans dicere: *Ah, ille mortuus est*. Et Ioannes: *Quo enim modo? quâ morte?* *Deo*, inquit, *mortuus est. Nam homo improbus euasit ac perditus, & in summâ, latro: & nunc ecclesiæ loco cum sui similium grege montem occupat.* Apostolus igitur disrupta veste & magno cum gemitu percussâ fronte, *Egregium*, inquit, *custodem animæ fratris te reliqui. Sed age: equus mihi iam iam præsto sit, & dux itineris*: quibus adductis statim ab ecclesia, vt tunc erat, equum conscendit, in viam se dedit: iam ad locum, vbi subsederant, peruenerat; cùm à primis latronum excubijs inuaditur: nec ille verò detrectat capi, nec fugam meditatur, sed offert sese vltro potiùs & clamat: *Ad hoc ipsum veni: ad principem vestrum me deducite.* Qui princeps interim vti erat armatus, quidnam hic negotij gereretur, expectabat:

COMMENDATIO EFFICAX.

PRAVI CONSORTII NOCVMENTA.

EGREGIVS ALIENÆ SALVTIS ZELVS.

POENITENTIÆ RARVM EXEMPLVM.

verùm vbi accedentem propiùs Ioannem recognouit, pudore vultum suffusus mox capessit fugam: sed persequitur, quoad potest, fugientem suæ oblitus ætatis Ioannes, & acclamans, *Quid me*, inquit, *fili parentem tuum fugis, armatus & iuuenis inermem & senem? Miserere mei, fili: ne formides: tibi adhuc spes aliqua vitæ superest: ego enim Christo pro te rationem reddam: mortē, si opus sit, lubens pro te oppetam: atque vt pro nobis Dominus, sic ego animā meā pr. tua dabo. Siste ergo cursum, crede, confide, Christus me misit.* Quibus ille auditis, primò defixis humi oculis nonnihil consistit: dein arma abijcit: pòst totis membris tremens amarè lachrymatur: ad extremum solo mœrore & gemitibus, vt tunc potest, caussam suam agit, accedentem propiùs senem complectitur,[e] & vndis lachrymarum vice alterà baptizatur: dexteram tantùm suam occultat, veritus scilicet cædium suarum consciam atque designatricem ostendere: verùm Apostolus vltro spondens ac iurans se illi peccatorum remissionem à Saluatore precibus suis impetraturum, tandem persuadet, vt eam exhibeat; móxque submisso genu, illam ipsam dexteram, velut modò pœnitentiæ aquis expiatam vir sanctus exosculatur, & hominem ad ecclesiam reducit. Exindè verò crebris pro illo precationibus insistit, continuis cū illo ieiunijs se macerat, & varijs colloquijs ac documentis animum eius velut incantat ac erudit. Quid multa? Non priùs inde aliò abscessit, quàm illum ecclesiæ cuipiam pastorem præfecisset. Quid hic magis mirêre? Ardentémne in Apostolo caritatem? an inundantem in latrone pœnitentiam? Dei, Dei hoc opus fuit: quo nobis & præclarum boni pastoris exemplum, & insigne veri pœnitentis specimen, & ante hæc inæstimabile infinitæ benignitatis suæ argumentum exhiberet. Hactenùs de illo iuuene. Qui si Episcopo Smyrnensi (vt disertè scribit Chronici Alexandrini Auctor ad annum Traiani quartum) ab Ioanne traditus fuerit, is sanè tum erat Polycarpus. Verùm quamuis nonnulla in eo hærere culpa negligentis custodiæ credi possit; nihil tamen videtur esse caussæ, quamobrem eidem sancto Polycarpo potiùs vitio tribui debeat iuuenis illius à via virtutis deflexio, quàm eidem & accepta referri ad Deum conuersio, & à pietate deuiatio excusari: cùm nulla queat interdum tanta adhiberi ardentibus ingenijs aut improbis naturis custodia; quin & emergētibus hinc inde varijs occasionibus (vt vel è collegio liquet Apostolico, vbi à Christo ipso nullà eius culpà vnus defecit, magistrúmque prodidit) quin & à bonis, inquam, desciscant, & prauo vincente sodalitio in præceps ruant. Sit igitur hoc pro Polycarpi defensione in præsentia per transennam dictum: nunc eum Romam licet longo pòst hæc tempore proficiscentem prosequemur.

S. IOANNES EVANGELISTA LATRONIS POENITENTIS DEXTERAM EXOSCVLATVR.

CA-

CAPVT X.

Polycarpi in Italiam profectio, & Romæ communicatio cum S. Aniceto Pontifice, & alia ibidem pro veræ fidei augmento gesta.

TAmetsi aliarum rerum à B. Polycarpo gestarum, tam Traiani, quàm Hadriani (qui vicenos annos singuli imperarunt) temporibus, adeóque toto Antonini Pij imperio, pars multo maxima cum ipsius, & antiquorum scriptorum libris interciderit: tamen quàm laboriosus in ecclesiæ negotijs, quàm pacificus in Catholicorum dissidijs fuerit, vel hinc perspici manifestò potest; quòd diuina fretus gratia, nullos omnino quamuis graues ac molestos, pro ecclesiæ bono & pace ac tranquillitate communi, labores & ærumnas & defatigationes vel detractârit vnquam, vel defugerit.

POLYCARPI ACTA PLVRIMA INTERCIDERVNT.

[a] Quippe qui extrema etiam senectute, hoc est, sub annum ætatis suæ circiter centesimum, pro nonnullis quæ iam tum ecclesias distrahebant controuersijs; tam de solemni ac legitimo celebrandi paschatis die (in quo Asiani & alij quidam populi à Romanis discrepabant) quàm alijs de rebus ac traditionibus ab Asiâ Romam vsque, tanta scilicet, tamque longa ac difficili nauigatione profectus sit. Ibi Anicetum Pontificem, virum sanctissimum conuenit: de rebus inter se & ipsum controuersis egit, mansitque inter eos, quamuis discrepantibus sententijs, firma animorum consensio. Neuter enim illorum Dei seruorum rem suam agebat, sed ecclesiæ: neuter, quod suum erat, quærebat, sed quod IESV Christi: cuius proinde nomen atque gloriam ambo consequentibus temporibus profuso fortiter sanguine conscripserunt.

Euseb. l. 5. hist. c. 24.

Cùm ergo de alijs rebus, de quibus inter se dissrepabant, pauca contulissent, haud difficulter consensêre: sed de Paschatis controuersia non potuit, neque Aniceto Polycarpus, neque Anicetus Polycarpo, contrà quàm vterque à maioribus suis traditione se accepisse dictitabat, persuadere.

DE DIE PASCHATIS CONTROVERSIA.

Nolebat enim Polycarpus receptum atque vsitatum in ecclesijs Asiæ morem celebrandi paschatis decima quarta luna, quem cum B. Ioanne Euangelista, aliísque Apostolis, (quibuscum versatus fuerat) ad id temporis tenuisset, immutare: neque item Anicetus, quem Romæ à maioribus suis, viris quoque Apostolicis, hactenus seruatam asserebat, Resurrectionis dominicæ in die dominicâ percolendæ consuetudinem in tempus aliud transmittere. In temporis igitur ratione dissidebant, sed non in lege caritatis: in more festorum discrepabant, sed non in amore cordium. [c] Hinc semper & inter sese familiariter & amicè communicârunt; & Anicetus Polycarpo celebrandæ in ecclesia sua Eucharistiæ principem locum, tanquam hospiti & seniori & notissimæ sanctitatis, ex reuerêtia concessit. Magnus enim in illis temporibus

S. ANICETI PONTIFICIS LENITVDO ET BENIGNITAS.

poribus antiquitatis respectus habebatur atque sanctitatis. Pacem igitur sartis tectis vtrobique seruatis consuetudinibus hæ atque illæ ecclesiæ agitârunt: Deus autem pacificos suos & verè filios Dei nominandos celebris martyrij laureâ in sempiternum coronauit. Sed quonam pacto eadem dissensio, sub Victore Papa, inter horum martyrum posteros, Romanos, inquam, & Asianos, maioribus animorum motibus recruduerit, in vita S. Irenæi, Deo, vti speramus, propitio explicabimus.

POLYCARPI FRVCTVS IN ITALIA.

Quemadmodum autem virtus omni loco splendescit, & caritas ipsa solis instar calorem suum & radios quoquouersus dispergit: ita S. Polycarpi fides & doctrina, præsertim venerandæ senectutis præsidio, & sacræ dignitatis auctoritate suffulta, seu Romæ, seu alibi, aut illuc eundo, aut inde redeundo, fragrantissimum Christianæ suauitatis odorem diffudit, quò & prauarum hæreseon scarabei enecarentur, & sinceræ piorum fidelium mentes recrearentur.

Iren. l. 3. cap. 3. Euseb. l. 4. c. 13.

[d] Ac Valentino quidem & Marcioni, potentibus hæresiarchis viriliter se opposuit, multósque ab eorum erroribus in viam veritatis reduxit. Quippe qui hanc vnam & solam veritatem, quæ tum ab ecclesia traderetur, se accepisse ab Apostolis quos viderat & audierat, palam prædicaret. Nam ad hæreticos quod attinet, vnum eundémque & ipse & B. Ignatius martyr à magistro suo S. Ioanne spiritum hauserant: nempe vt eorum congressus quàm studiosissimè deuitarent, & suis populis quàm cautissimè deuitandos præscriberēt.

HÆRETICI QVAM FVGIENDI.

[e] Referebat enim Polycarpus B. Ioannem illum dilectum Christi discipulum, cùm aliquando Ephesi ad balneum lauādi caussa accessisset (*propter imbecillam quippe valetudinem,* vt auctor est Theodoretus, *balneo vtebatur*) ibidémque intus Cerinthum hæreticum cōspexisset; mox se illotum foras proripuisse atque dixisse: vereri se, ne balneum illud concideret, in quo Cerinthus lauaret inimicus veritatis. *Fugiamus hinc,* inquiebat, *ne si balneum propter Cerinthum corruerit, nos quoque eadem ruina inuoluamur.* Quare cùm magistrum hunc suū martyr noster ita auersari hæreticos animaduertisset, vt sub eodem tecto ne vel minimo quidem temporis spatio simul esse vellet, hinc ipse quoque maiorem in modum eos est auersatus.

Theodoretus l. 2. hæreticarum fabul.

MARCION PRIMOGENITVS SATANÆ.

Quo etiam factum est, vt sibi occurrenti in vrbe Romā Marcioni, dicentíque, [f] *Cognosce nos Polycarpe* (ægrè enim ferebat se pertrāsiri insalutatum, responderit Polycarpus: *Cognosco primogenitum satanæ.* Quæ tanti viri verba magno sanè illis terrori esse debent, qui cum hæreticis, (quos Satanæ primogenitos à tanto viro dici audiant) nimis familiariter & amicè conuersantur. [g] *Talem enim cùm Apostoli, tum eorum discipuli* (inquit sacer ecclesiæ historicus) *cautionē in his adhibebant, vt ne sermone quidem, cum vllo eorum, qui adulterarent veritatem, communicare vellent: quemadmodum & Paullus admonuit: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus*

Eusebius l. 4. histor. eccl. cap. 14.

Ad Titum ca. 3. ver. 10.

Sic

Sic ille. Denique idem Polycarpus adeo ab hæreticis, eorúmque dictis malè dictis abhorruit, vt auditor eius & admirator Irenæus, postmodum Lugdunensis Archiepiscopus & illustris martyr, in epistola quam ad Florinum, suum olim sub B. Polycarpo discipulum, sed iam in Valentini hæresiarchæ opiniones deuolutum dedit; post multa quibus eum à prauâ conatus est sententiâ deducere, ita subiecerit: *Possum ipse,* inquit, *coram Deo testari beatum illum & Apostolicum Presbyterum Polycarpum, si quod tale dogma audiuisset,*[h] *exclamaturum fuisse, atque aures suas obturaturum, & quod in more habebat, fuisse dicturum: Deus bone! ad quæ me tempora reseruasti, vt hæc patiar? fugisset verò etiam protinus ex eo loco, in quo talia vel stans vel sedens audiuisset. Atque hæc ita se habere,* inquit idem Irenæus, *licebit ex eius epistolis, tam ijs, quas ad vicinas ecclesias, vt in fide eas corroboraret, destinauit; quàm ex illis, quas ad quosdam fratrum, siue admonendi, siue cohortandi gratia misit, manifestè intelligi.* Ita Irenæus. Qui quanti præceptorem suum Polycarpum, eiúsque dicta & facta omnia fecerit, luculentè in eadem testatus est epistolâ. nempè ea, quæ tum adhuc puer in eo notauerat, obseruauerátque, ita inhæsisse memoriæ, vt plurimis pòst annis sibi videretur exactè referre posse, & locum in quo sedebat Polycarpus, cùm dissereret; & illius eò aduentum, ingressúmque; & vitæ formam ac modum, & corporis effigiem, & disceptationes ac sermones, quos ad multitudinem habebat; & quomodo necessitudinem ac vitæ vsum cum Ioanne & reliquis, qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narraret; necnon quo pacto eorum sermones memoraret, & quæ ab illis de Domino audiuisset, itémque quomodo miraculis eius & virtutibus ac doctrina, sicut ab illis, qui fuissent verbum vitæ oculis suis conspicati, omnia scripturis verè consentientia enarrasset, hæc, inquàm, omnia sic memoriæ infixerat, vt plurimis pòst annis ea sibi videretur exactè posse recensere. Tâta videlicet in ijs temporibus regnabat inter homines Christianos caritas, tanta minorum erga maiores, iuniorum erga seniores reuerentia: vt quidquid ab illis proficisceretur, summa ab his religione & obseruantia susciperetur: nec efficacius ferè quidquam ad subditos in officio continendos vulgò existimaretur, quàm allegata minoribus maiorum suorum auctoritas atque doctrina. Sic S. Polycarpus B. Ignatij Epistolas diligenter recollegit, eiusdémque, & beatorum item Zosimi & Rufi virtutem ac patientiam in litteris, quas ad Philippenses scripsit, (quò nimirum viridior validiórque sua esset cohortatio) commemorauit. *Rogo itaque vos omnes,* inquiebat, *vt obediatis verbo iustitiæ, & omnem patientiam exerceatis, cuius exemplum oculis ipsis vidistis, non solum in beatissimis illis Ignatio & Zosimo & Rufo, sed in alijs quoque è vobis, & in Paullo, ac ceteris Apostolis; persuasum habentes, non incassum eos cucurrisse; sed in fide atque iustitia, atque nunc in locum sibi debitum peruenisse, Dominóque (cuius fuerunt passionis participes) assistere.*

HÆRETICIS AVRES OBTVRANDÆ.

S. IRENÆI ERGA PRÆCEPTOREM POLYCARPVM AMOR ET OBSERVANTIA.

MAIORVM AVCTORITAS QVANTI APVD POSTEROS SIT PONDERIS.

Neque

Neque enim sæculum amabant, sed Dominum; qui & pro nobis passus est, & propter nos à Deo suscitatus est. Ita S. Polycarpus. Cuius tam sancta & tam pia beneuolentissimi patris admonitio non Philippẽsibus tantùm, sed etiam populis omnibus Christianis, præsertim vbi flagrauerit ecclesiæ persecutio, in animis versari debeat. Verùm quando satis quid in Asia & in Italia Polycarpus per se effecerit, cognouimus; nunc quid in Gallia religioni Christianæ per suos profuerit, attendamus.

CAPVT XI.

Discipuli S. Polycarpi ab eo in Gallias missi, eorúmque fructus in Ecclesiæ horrea reportati.

VT per se Asiam, sic per discipulos suos terram Galliam idem vir sanctus illustrauit. Quæ proinde Gallia plurimũ se debere S. Polycarpo, post magnum illum Dionysium Areopagitam regni sui Apostolum, gratissimo animo, celebratà quotãnis eius memoriâ, meritò præ se tulit. Quippe è cuius disciplina, nec paucos, nec ignobiles acceperit ipsa Sacerdotes, Episcopos, Martyres. Nam præter illum magnum Irenæum, Ecclesiæ Lugdunensis, immo totius ecclesiæ lumen clarissimum, (de quo iam aliquid diximus, & cuius vitam seorsum scribemus,) alios quoque plures beatus ille senex, cùm in Galliam ipse proficisci non posset, essétque fax eruditionis eius & sanctimoniæ toti Asiæ pernecessaria; alios, inquam, complures magnæ virtutis viros in Gallias dimisit; vt quod per se non poterat, hoc per suos saltem perficeret, terrámque illam tametsi satis remotam, vnà cum sacris Euangelij fluentis, etiam suorum discipulorum præclaris exemplis, & obsignatis ipsorum sanguine, rectæ fidei testimonijs irrigaret atque confirmaret. In his igitur præter Irenæum eius principem discipulum, fuerunt isti insignes Christi pugiles, S. Benignus Episcopus. S. Andochius Presbyter, S. Thyrsus Diaconus, S. Andeolus Subdiaconus. & S. Felix, quibus eam peregrinationem prona voluntate amplectentibus, atque ad labores & pericula omnia pro Dei honore subeunda optimè animatis, cùm in ipso nauigij conscensu vale vltimum vir sanctus diceret, velut prophetico spiritu quæcumque ipsis euentura erant, prænũtians, *Ite*, inquit, *viri fortes, in fortitudine Christi fortiter dimicantes, per sanctam Christi confessionem plures commilitones acquirite; cum quibus de victoria triumphantes, nomen & dignitatis gloriam possitis adipisci sempiternam: fructus laboris vestri multiplici opulentia cumulentur: iustorum sedes per vos de sanctarum animarum acquisitione eximiè lætentur.* Et sanè tam ipsi, quàm alij ab eodem in eas oras cum faustis apprecationibus dimissi, Deo ipsorum studia & labores & conatus prosperante ita decertarunt;

PRÆCIPVI DISCIPVLI S. POLYCARPI.

certarunt; vt post alia præclara operæ precia, etiam insignes martyrij laureas, diuersis in Galliæ partibus reportarint. Nam S. Benignus quidem nullis à fide abductus blanditijs, nullis commotus minis, nullis quatefactus tormentis, tandem post contusam ferreo vecte ceruicem, & corpus lancea perfossum fortiter occubuit, & Castrum Diuionense (ibi enim & euangelij sementem fecit, & gloriam martyrij messuit) suo sanguine pro fidei confirmatione fortiter effuso nobilitauit. Cuius dies natalis in ipsas calendas Nouembris incidit. Huius porrò egregij athletæ illustria miracula, ne à posteris nescirentur, S. Gregorius Turonensis Sanctorum studiosissimus ab obliuione vindicauit. Atque inter alia, id quod ad S. Benigni gloriam non parum facit, ita memorat: *Cum ad Aruernam regionem lues illa inguinaria adueniret, quæ sancti Galli Episcopi oratione depulsa est, & in subitâ contemplatione parietes domorum atque Ecclesiarum signarentur atque caraxarentur, matri meæ apparuit*, inquit, *in visu noctis, quasi vinum quod in apothecis nostris habebatur, sanguis effectus esset, cui lamentanti ac dicenti, væ mihi, quia signata est plaga domus mea; ait vir quidam, Nosti, quòd postridie (quod erit in Calendis Nouembris) passio Benigni Martyris celebrabitur? Noui ait. Vade, inquit, & vigila totam noctem in honorem eius, ac reuoca missas, & liberaberis à plagâ: Expergefacta autem à somno impleuit quæ sibi fuerant imperata, signatisque vicinorum domibus, domus nostra inuiolata permansit.* Ita S. Gregorius. Qui & alterum miraculum in eiusdem S. Benigni honorem ita perscribit: *In alio autem pago Turonico erat inter vepres & rubos sepulchrum positum, in quo ferebatur Episcopum quendam fuisse sepultum (nomen ignorabant) contigit verò, vt pauperis cuiusdam filius moreretur, quo sepulto cùm opertorium sarcophagi non inueniret, ad hunc locum accessit, ablatóque de hoc sepulchro cooperculo, (quod tam immane erat, vt tribus duceretur paribus boum) texit corpusculum filij, furto alterius sepulchri: quod cùm fecisset, surdus, mutus, cæcus ac debilis est effectus, mansitque in hoc supplicio integrum ferè annum. Dehinc apparuit ei quidam Sacerdos per visum dicens: Quid, inquit, tibi tuisque vim intuli, ò vir? quia detexisti me auferendo opertorium tumuli mei? Vade nunc, si vis sanus fieri, iube ipsum velociter reuocari: quòd si nolueris, protinus morieris. Ego enim sum Benignus Episcopus, qui in hanc vrbem peregrinus adueni. At ille suis innuens accessit ad monumentum filij sui, eleuatúmque lapidem plaustro imposuit, reportatúmque vt sarcophago reddidit, illicò sanus effectus est. Nam in redeundo ita lapis leuis erat, vt quem tria paria boum euexerant, boues deinceps duo reuocarent.* Hactenus de sancto Benigno Polycarpi discipulo. Iam autem tres alij Andochius, Thyrsus & Felix vrbi Augustoduno post optima fidei Christianæ semina & collectam ex ijs copiosam messem, celeberrimam sui memoriam admirabili tormentorum patientia re-

S. BENIGNI LAVDES.

Gregorius Turonensis lib. 1. miraculorum, cap. 51.

LVES INGVINARIA PRECIBVS S. GALLI DEPVLSA.

Gregor. Tur. lib. De gloria Confessorum cap. 17.

SEPVLCHRI VIOLATOR PVNITVS.

MARTYRIA SS. ANDOCHII, THYRSI ET FELICIS.

liquerunt. Flagellis crudelissimè verberati cæsi, & diem integrum sæuo suspendio vexati atque in rogum proiecti demum innocuis flammis cùm exissent illæsi, nouissimè immanium ictibus vectium tamdiu pulsati sunt, donec tandem beatas victricésque animas cælo exhalarent. Quorum solemnem memoriam octauo Kalendas Octobris signatam tabulæ ecclesiasticæ recolunt hisce verbis: *Augustoduni, natalis SS. Martyrum Andochij Presbyteri, Thyrsi Diaconi, & Felicis, qui à beato Polycarpo Smyrnensi Episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam ibidem flagellis durißimè cæsi, ac tota die inuersis manibus suspensi, & in ignem mißi, sed non combusti, tandem vectibus eorũ colla feriuntur, & ita gloriosißime coronantur.* Denique beatus Andeolus Subdiaconus agrum Viuariensem in ijsdem Gallijs egregio profusi sanguinis testimonio purpurauit, qui ita crucis martyrium obijt, vt non tam ipse affixus cruci, quàm ipsi affixa crux fuerit. Nouo enim supplicij genere homines feri & barbari (persequebatur tũc Ecclesiam Septimius Seuerus Imperator) afficiendũ hunc sanctum Subdiaconum censuerunt. Nam primò spinosis fustibus eũ perquam atrociter ceciderunt: deinde sacrum eius caput gladio ligneo in formam crucis quadrifariam diffiderunt: viámque ei latam ad cęlum aperuerunt. Cuius dies natalis ad Kalendas Maij in martyrologijs adscriptus reperitur. Tales igitur viros, tales martyres terra Asia terræ Galliæ obtulit, & martyr Orientis Polycarpus Occidenti dedit. Ac proinde beatam eius memoriã fuisse Gallis admodum caram (credo ipsis etiamnum singulariter esse, atque in posterum semper fore) S. Gregorius Turonensis Episcopus scriptũ reliquit. Quippe qui eius Acta martyrij in ecclesijs Galliæ publicè legi solita perscribat. In quibus & ipse eũdem sanctum Polycarpum honoris gratia magnũ martyrem appellat. *Nam recolo,* inquit, *quod in adolescentia mea gestum audiui. Dies paßionis erat Polycarpi martyris magni, & in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ, eius solemnia celebrabantur. Lectâ igitur paßione S. Polycarpi cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit. Acceptáque turri Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingreßúsque templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedens nunquam eam manus Diaconi potuit aßequi. Quod non alia credimus actum de caussa, nisi quia pollutus erat in conscientia.* Sic ille. Ex quibus sanè colligitur permagno in honore iam olim Gallis fuisse S. Polycarpum; cui & diem festum tribuerint anniuersarium, & eius acta martyrij publicè in ecclesiâ legi voluerint. Quam ego solemnitatem crediderim ab ipsius S. Polycarpi discipulis, nempe B. Irenæo & alijs primò introductam, ac deinceps quasi per manus posteris traditam, atque ad consequentia tempora (quibus eam vniuersa suscepit ecclesia) deriuatam. Fuit enim, fuit quondam id cordi

ILLÆSI IN FLAMMIS.

S. ANDEOLI MARTYRIVM.

S. POLYCARPI ACTA MARTYRII IN ECCLESIIS LEGI SOLITA.

Greg. Turonensis l. 1. miraculorum, cap. 8.

id cordi sanctis viris, beatos Christi martyres piè colere, & patres suos, à quibus veræ ac salutaris doctrinæ præcepta acceperant, religiosis honoribus non tantùm priuatis, sed etiam solemnibus & publicis venerari. Enimuero hæc solemnitatis & cultus S. Polycarpi memoria, in quam me discipulorum eius acta detulerunt, in ordinem reuocat, ac ne gloriæ triumphum ante martyrij victoriam persequar, me admonet. Quare ijs omissis, quæ tangere inceperamus, ad præclaram fortitudinis eius materiem, siue ad illustrem gloriosi certaminis commissionem aggrediamur.

CAPVT XII.

Martyrium S. Polycarpi, & quorundam aliorum eodem tempore illustria certamina.

TEMPVS MARTYRII S. POLYCARPI.

IMperabant Marcus Aurelius Antoninus & Lucius Verus Fratres, regebátque ecclesiæ Romanæ habenas Anicetus, cùm anno natalis Domini centesimo circiter & sexagesimo nono, sæua atque horribilis in Christianos persecutionis procella desæuijt. Nam blanditijs iuxtà & minis, donis peræquè & supplicijs, generosos Christi athletas profundo infidelitatis pelago nitebatur infanda Gentilitas immergere. Et quosdam quidem immania ob oculos posita tormenta & terribiles carnificinæ perterrefaciebant: alios verò quorundam martyrum illa fortiter tolerantium, ac pro nihilo ducentium robur ac fortitudo, vehementiùs accendebat. Quam fortitudinem etiam ipsi hostes ac tortores, tam insolenti inusitatæ virtutis spectaculo attoniti non mediocriter obstupescebant. Nempe nonnullos ex ijs intuebantur ita flagris ac verberibus ad intimas vsque corporis venas atque arterias discissos ac dilaceratos, vt ipsa viscera, aliáque in imis recessibus abstrusa membra per latas immanium viscerum rimas in conspectum procurrerent. Sed præsertim vnius adolescentis inusitatam magnanimitatem, velut extra serapti non capiebant, qui hortantem & enixiùs flagitantem Proconsulē, vt ætati suæ parceret (erat enim in viridi iuuentutis suæ flore) excelso ac constanti animo sic aspernabatur; vt etiā bestijs obiectus nihil magis timere videretur, quā ne instanti carnificinæ eriperetur. Quare ne ipse sibi parcendo, ætatem potiùs & animam perderet, feram ipsam suis ad se manibus attrahere, atque ad sese deuorandum irritare, ac propemodùm cogere instiit: ratus videlicet nihil esse satius, quàm vt ab hac iniqua & misera vita ad bonum illum Dominū quàm citissimè transmigraret. Quam egregij adolescentis (Germanico ei nomē erat) stupendā virtutem atque cōstantiam tametsi pagana ferocitas demiraretur, ac totum genus Christianum ob

FORTITVDO MARTYRVM STVPORI GENTILIBVS FVIT.

S. GERMANICI MARTYRIVM.

eiuſmodi facinora vehementer ſuſpiceret; tamen iſta perſecutorum peſtilens turba immani furore cæca, & ſæuo maligni aduerſarij œſtro percita vociferari contentiùs cœpit: *Tolle impios:*

POLYCARPVS AD NECEM POSTVLATVR.

Quæratur Polycarpus. Videbat, credo, callidus ille ſerpens, ſanctiſſimi illius ſenis precibus & vim adoleſcentibus obtineri, & robur imbecillibus impetrari, & totam denique vnius Pontificis auctoritate Smyrnenſem eccleſiam ſuffulciri. Relata ſunt ergo ad ſanctum ſenem omnia, ſeu quæ dicta, ſeu quæ facta eſſent: quanta in illum adoleſcentem, quanta in alios immanitas eſſet exprompta: quãta denique in ipſummet, (vt quidem vulgi clamor & vociferatio declaraſſet) niſi maturè fugà ſibi conſuleret, ſupplicia forent ex-

PHRYX QVIDAM, NOMINE QVINTVS A F. DEFICIT METV TORMENTORVM.

promenda. Nam Phrygem quendam aiebant, Quintum nomine, è Phrygià nuper illuc profectum, ad terribilem ferarum conſpectum & horrendas earum minas perterrefactum, emollito animo ſuccubuiſſe, & animi ſalutem ad extremum prodidiſſe. Audiuit ſenex iſta omnia tacitus ac ſilens; nihilo magis, quàm ſi de alijs rebus locuti eſſent, animo vultúque commutato, ſed intrepido prorſus atque conſtanti, veréque Philoſophico, & purè Chriſtiano: ſtatuítque illos, qui ſe ad tormenta & mortem quærerent, eo ipſo in loco, vbi tum erat, opperiri. Verùm eius familiares ac ſubditi, vitæ Paſtoris ſui peramantes, multis illum precibus rogare atque ob-

POLYCARPVS TANTISPER DECLINAT PERICVLVM.

teſtari, demúmque peruincere, vt tantiſper huic calamitati cederet, ſéque ſuis perneceſſarium, in aliud tempus reſeruaret. Itaque ad villam quandam non procul ab vrbe diſtantem eſt progreſſus, vbi cum paucis amicorum aliquanto tempore commoratus, nihil ferè aliud dies noctéſque, quàm aſſiduas preces ad Deum ſupplex fundebat, impensè ab eo efflagitans (hoc enim pro conſuetudine habebat) vt pacem ac tranquillitatem eccleſijs redderet. Triduo autem priuſquam ab iniquis ſatellitibus com-

VISIO POLYCARPI GENVS INDICANS MARTYRII.

prehenderetur, noctu Deum deprecanti, tale obiectum eſt viſum: culcitra nimirũ, cui indormiebat, ſubitò flammis corripi, conſumíque eſt viſa. Qua ex re expergefactus ſtatim ijs, qui ſibi aderãt, viſum expoſuit, & quid de ſe futurum eſſet, præſagijt: manifeſtè ſcilicet neceſſarijs ſuis prædicens, oportere ſe propter Chriſtum vitam inter flammas amittere. Quocirca in Dei ac Domini ſui purum holocauſtum ſeſe totus iam denuo comparabat: cùm ecce rur-

LATEBRAS MVTAT POLYCARPVS SVORVM ROGATV.

ſus incredibili gregis ſui ad nouam loci mutationem, propter inſtantes exploratores, ſollicitantis ſtudio atque amore victus, in aliam villam ſe tranſtulit: ſed huc quoque haud multo pòſt venatici illi canes properè acceſſerunt, opimâ, vti ſperabant, prædâ potituri. Duos igitur eius loci pueros ad exprimendas extorquendáſue beati viri latebras apprehenderunt: ac denique ex altero ipſorum extorto verberibus indicio, rectà ad eius diuerſorium contenderunt. Erat tum Polycarpus in ſuperiore domus conclaui, vnde

facile

facile erat, si collibuisset, aliò transmigrare: verùm noluit, sed illud tantùm dixit, quod nobis omnibus, cùm aduersis premimur, dicendum est: *Fiat voluntas Domini.* Cùm ergo isti adhuc in parte domus inferiore inquirerent, descendit beatus senex, & se quærentibus, Christi exemplo, sponte obuiam iuit, salutauit, blando vultu compellauit, & quidem tã amicè ac benignè, vt homines aliàs feri, & qui virũ antea non norant, nunc canam eius barbam, & grandem ætatem, ac venerabilem constantémque vultum, & sermonis suauitatem secum attẽtiùs perpendentes, miram sibi rem videre, & planè inusitatum prodigium conspicere crederent, dicerëntque alter alteri; *Tantáne ad hunc senem comprehendendum nobis festinatione opus fuit?* Ipse autem perinde quasi res suæ optimo loco starent, & lætũ aliquem nuntium recens accepisset, illic confestim apponi mensam iubet, satellitésque hortatur, vti corpus curent, & se cibo potúque reficiant: interim, si quidem permiserint, se horam vnam precationi impensurum. Quibus annuentibus, exsurgit senex, & exuberãte Dei gratia plenus, tam ardenter precationi insistit, vt qui propè aderant, precãtémque audiebant, præ admiratione toti obstupescerent, compluresque eorum incepti iam pœnitentes seriò dolerent, tam spectatum, & tam eximiâ ac diuinâ virtute præditum senem de medio esse tollendum. Hic autem reuocabat, isto horę spatio sibi concesso, in memoriam, quæcunque in vita sibi aliquando contigissent, siue parua, siue magna, siue bona, siue mala, déque omnibus Deum collaudabat. Deinde totam ecclesiam per vniuersum orbem diffusam votis flagrantibus Deo opt. max. commendabat. Postremò cùm precandi finem fecisset, tempúsque abeundi instaret, illi pientissimum Martyrem asino impositum, vrbem versus ipso magni sabbati die deduxerunt. Cui venere obuiam Herodes Irenarcha & pater eius Nicetes, qui eum in rhedam suam acceptum & proximè assidentem multis inducere conati sunt, vti spreto Saluatore, dijs sacrificaret, seque Imperatori accommodans, salutem & incolumitatem redimeret. *Quid enim habet mali,* inquiebant, *hoc tantummodo dicere: Domine Cæsar, & immolare, ac seruari?* Tacebat his auditis Polycarpus, & nihil ipsis responsi dabat: sed magis magisque vrgentibus tandem apertè mentem aperiens, *Nunquam equidem,* inquit, *istud, quod mihi suadetis, faciam.* Ergo illi spe sua frustrati conuicia in eum iactare, onerare contumelijs, ac denique tantâ vi è curru deturbare, vt crura eius non mediocriter sauciãrint. Veruntamẽ bonus ac veteranus Christi miles, nihil de hoc vulnere laborans, perinde ac si nihil esset passus, animosè atque alacriter in stadium gloriosi certaminis properabat; in quod ingrediẽti vox de cælo insonuit: *Fortis esto Polycarpe, & viriliter age.* Eum autem, à quo vox esset profecta, vidit nemo; sed vocem audiuerunt multi. Adducto igitur in stadium, & audito per vrbem ac regionem com-

OBVIAM VENIT QVÆRENTIBVS SE SATELLITIBVS.

IISDEM MENSAM APPONIT.

OMNIVM IN VITA ACTORVM RECOGITATIO.

TENTATVR AD SACRIFICANDVM DIIS.

VOX E CÆLO AVDITA MARTYREM ANIMANS.

IVRARE PER GENIVM CÆSARIS.

VOX GENTILIVM, TOLLE IMPIOS.

DICTVM CELO ET CALO DIGNVM

CHRISTIANVS SVM.

NON TIMET IGNES MVNDI, QVI FLAMMAS ATTENDIT IVDICII.

PRÆCONIS VOX ADVERSVS MARTYRES.

comprehensum esse Polycarpum, mox tumultus magnus est concitatus. Ceterum ita ad eum Proconsul. *Tune es*, inquit, *Polycarpus? Sum verò*, ait ille. *Age ergo*, inquit, *venerande senex, reuerere ætatem tuã: iura per genium Cæsaris: resipisce & dic: Tolle impios*: Polycarpus autem graui ac constanti vultu totam, quæ in stadio erat, multitudinem contuens, intentáque in eam manu, cum gemitu, & oculis in cælum sublatis, clarà voce, sed alio sanè quàm ipsi volebant & opinabantur, sensu; *Tolle*, inquit, *impios*. Nec enim Christianos intelligebat: quippe in Deum pientissimos; sed eos, qui ob idolorum cultum & veri Dei contemptum essent verè impijssimi. Vrgebat deinde Proconsul: *Iura & dimittam te: maledic Christo, & absoluam te*: Cui Polycarpus; *Octoginta*, inquit, *sex annos illi iam seruiui, nec vllo hactenus me affecit incommodo; ecquomodo igitur Regi meo, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, maledicere potero?* Instanti verò Proconsuli & dicenti: *Iura per genium Cæsaris, Si ad inanem*, inquit, *ostentationem requiris, vt iurem, quemadmodum dicis, per genium Cæsaris, & te, quinam sim, ignorare simulas, audi quod ego liberè & confidenter dicam, Christianus sum: atque, si Christiani professionem audire velis, da diem & audies.* Tum Proconsul, *Populo*, inquit, *persuade*: Polycarpus autem, *Tibi ipsi*, ait, *rationem & sententiam meam aperire haud grauabor, (Magistratibus enim, & à Deo constitutis potestatibus honorem consentaneum, qui nobis fraudi non sit, exhibere docti sumus) illos verò non satis dignos existimo, quibus de fide nostrà respondeam. At enim bestiæ*, inquit, *mihi in promptu sunt, quibus te ego, nisi te maturè pœniteat, dilaniandum obijciam. Age, age*, ait Polycarpus, *illas aduoca. Stat enim fixa nobis sententia, nunquam à melioribus ad deteriora transilire: sed à prauis ad iusta trãsgredi, id verò pulchrum & honestum est. At ego te*, inquit ille, *si bestias despicis, igni te domandum, nisi resipueris, tradam. Ignem scilicet minaris*, ait Polycarpus, *iam ardentem, mox extinctum; illum autem, illum futuri iudicij, & æternorum suppliciorum ignem impijs reseruatum, prorsus ignoras. Verùm enimuerò quid cunctaris? profer quidquid lubet pœnarum: ad omnia me tormenta paratum inuenies.* Hæc & alia vir sanctus cùm diceret, tantâ simul perfundi lætitiâ & animi gaudio cernebatur, tantóque eius facies splendore & gratia coruscare; vt non modò non succumbere, ijs, quæ dicerentur, conturbatus; sed vt ipsum è contrario Proconsulem tam admirabili sua constantia perturbare cognosceretur. Qui Proconsul nihil sibi in hoc sene futurum lucri prospiciens, præconem mittit, qui ter in medio stadio proclamet: *Polycarpus se Christianum esse professus est*: idque diuino, vt suspicari licet, consilio: nimirum vt tali voce, ij qui longiùs abstabant Christiani, neque audire cuncta, quæ fierent, poterant, cognita insigni pastoris sui virtute & exemplo animarentur: & tam egregij athletæ, atque inuicti veterani laus & gloria clarissimo hostium præconio, non semel, sed sæpius buccinaretur. Iudæi verò & Gentiles, qui Smyrnam inco-

incolebant, vniuersi, hac eadem voce velut in furorem ac rabiem acti, & iræ simul ac sui impotentes, nec sine laude eius, cuius sanguinem sitiebant, cœperunt, quantum poterant, vociferari & dicere: *Iste est Asiæ doctor: iste Christianorum princeps: iste nostrorum Deorum euersor: iste qui multos docuit, Dijs non sacrificate, idola non adorare.* Quibus contenta voce proclamatis, deprecari Philippum munerarium instíterunt, vti leonem ad discerpendum Polycarpum emitteret: quo negante id nunc sibi esse integrum: peracta enim iam esse ferarum certamina, *Viuus igitur*, acclamant, *in rogum proijciatur, viuus comburatur.* Nempe ita fieri cælitus destinatum fuerat: ita visum ipsum de ardenti culcitra effectum reddi oportebat: quam ille, vti priùs meminimus, cùm ardentem vidisset, nonnihílque precatus esset, ad suos conuersus, spiritu prophetico dixit: *Me oportet viuum comburi.* Post istum igitur populi clamorem, tanta celeritate expedita sunt instrumenta & fomenta incendij, vt dictu propè sit incredibile. Ita cuncti densatim, alij ex officinis, alij ex balneis, alij aliunde sarmenta confertim & confestim coaceruabant. Quo in officio tam inofficioso præcipua fuisse fertur Iudæorum diligentia, qui principalem hic operam nauauerunt, vt proinde non immeritò videatur à dilecto Christi discipulo illud Apocalypseos huc directum: *Et blasphematus ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* Cùm autem iam extructus esset rogus, ignísque ad accendēdum paratus, ac sola deesset victima, B. Polycarpus soluto cingulo, exutísque vestibus, calceamenta quoque ipsa sibi detrahere cœpit. Deus bone! qui tum luctus Christianorum fuit? qui dolor animi? cùm se id officij præstare sancto seni, quod antea semper soliti erant, & certatim omnes appetebant, iam non posse conspexerunt? Nec enim antehac sibi vnquam Polycarpus calceos detrahebat, sed ipsi fideles honori sibi non paruo ducentes, hoc illi præstare obsequij, certatim alij alijs id præripere officij studebant, sanctum eius corpus attingere & attrectare connitentes, & beatos se illius attactu reputantes. Nam in omni ætatis suæ curriculo, etiam ante caniciem, propter insignem vitæ eius probitatem atque sanctimoniam magnoperè ab omnibus colebatur. Cum magno igitur omnium Christianorum eminus id aspectantium luctu & suspirijs, calceamenta sibi senex sanctissimus detrahebat. Cùm verò carnifices, rebus omnibus expeditis, eum in mediam pyram inductum clauis affigere ad palum vellent, ne se scilicet, vt fit, commoueret, ille generoso animo, *Missa inquit, hac facite: nihil mihi istis est opus. Nam qui mihi pro sua clementia vires ad flammas suppeditauit, idem quoque, vt sine clauorum confixione, constans immotúsque in rogo permaneam atque emoriar, suppeditabit.* Quare non clauis illum affixerunt, sed vinculis duntaxat adstrinxerunt: ipse autem reuinctis post tergum manibus, velut eximius & è magno grege delectus aries, & grata acceptáque Imperatori

POLYCARPI LAVS COMMVNI HOSTIVM VOCE TESTATISSIMA.

AD LEONEM.

MINISTRORVM DIABOLI ARDOR ADVERSVS MARTYRES.

CHRISTIANORVM ERGA POLYCARPVM REVERENTIA ET VENERATIO.

GENEROSITAS POLYCARPI IN FLAMMIS SVBEVNDIS.

ratori Deo victima, illi se cum gratiarum actione, de acceptis ad illam vsque horam beneficijs, tam alijs, quàm hoc ipso nouissimo, ita

POLYCARPI SE DEO VICTIMAM DEVOVENTIS PRECATIO.

se deuouit: *Pater dilecti & benedicti filij tui IESV Christi, per quem & tui notitiam accepimus, Deus Angelorum, & Potestatum, & omnis creaturæ & vniuersi generis iustorum coram te viuentium, ego te laudo & benedico, quòd me hac die & hac hora dignatus es in martyrum tuorum numerum assumere, & calicis Christi tui participem efficere, ad vitæ æternæ resurrectionem, tam animæ, quàm corporis, in Spiritus sancti incorruptione. Quos inter martyres suscipiar abs te, quæso, hodie in opimam acceptámque hostiam, quemadmodum ipse præparasti, præmonstrasti, perfecisti, Deus fidelis & verus. Propterea & te de omnibus laudo, benedico, glorifico per æternum Pontificem IESVM Christum, dilectum filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto, gloria & nunc, & in futura sæculorum sæcula. Amen.* Hac voce, Amen, emissa, precationéque absolutâ, pyram satellites accenderunt, è quâ, ingenti flamma emicante, simul egregium eluxit miraculum: quod ij quidem spectarunt, quibus id à Deo concessum est: quíque, vt ceteris renuntiarent, superfuerunt.

POLYCARPVS INTER FLAMMAS ILLÆSVS.

Nam flamma ipsa in fornicis figuram diducta, & tanquam aliquod nauigij velum spirantibus ventis tumefactum, vndique Martyris corpus obuallabat: ipse verò, non vt caro ambusta, sed vt aurum argentúmue ignis ardore in camino depurgatum, medias inter flammas consistebat illæsus. Quin tantus ac tam fragrans ex isto sacrificio odor expirabat, vt quasi thuris exhalantis, aut alterius preciosi aromatis suauissimus spiritus afflari videretur. Tandem cùm impij isti huius necis arbitri non posse flammis absumi corpus sacri Antistitis animaduerterent, carnifici mandarunt, vt accedens ad rogum

POLYCARPVS FERRO CONFODITVR.

stricto ferro beatum virum confoderet. Quo facto tanta derepente cruoris copia emanauit, vt & ignem prorsus extingueret, & vniuersa multitudo admirabunda quæreret; *Ecquænam ista esset inter electos & inter incredulos tanta differentia, vt hæc fierent? E quorum numero vnus ille erat Polycarpus, vir illis temporibus Doctor Apostolicus & Propheticus, Catholicæ Smyrnæorum ecclesiæ Antistes, cuius ex ore quodcumque exiret verbum, vel statim expleretur, vel certò posteà explendum cognosceretur.* Hic igitur finis, hic beati martyris exitus fuit, non Catholicis modò, sed Ethnicis quoque & Iudæis admirandus, & si saperent, etiam inuidendus. Mortuus est autem anno ætatis suæ circiter centesimo sexto, episcopatus verò ex probabili coniectura sexagesimo quarto, in vrbe Smyrna, Tatio Quadrato Proconsule, Herode Irenarcha, Christi Domini anno centesimo sexagesimo nono, Marci Aurelij Antonini & Lucij Veri Impp. septimo, Aniceti Pontificis nono, ipsa die magni sabbati, hora octaua: qui nunc in longitudinem dierum & in æterna sæcula, post paucorum & prauorum vitæ huius dierum fluxam vanitatem, cum Deo inter Sanctos dominatur. Quomodo autem & in hoc mundo gloriosa eius viuat memoria,

ria, nihil abs re futurum reor, breuiter attingere.

CAPVT XIII.

Sancti Martyris Polycarpi, aliorúmque Sanctorum Reliquiæ quanti à Christianis, ipsorum etiam Ethnicorum testimonio, sint æstimatæ.

INterea verò iuratus ille generis humani perduellis, ac piorum præsertim atque innocentium testatus hostis, cùm martyrij huius claritatem atque splendorem sibi plurimùm officere non ignoraret, cúmque integram simul atque incontaminatam vsque à prima ferè pueritia viuendi rationem, æterna iam immortalitatis adorea remuneratam conspiceret, in hoc omni ope ac studio incubuit; vt ne tanti ac tam gloriosi martyris corpus à Christianis (quos eius tollendi ac venerandi percupidos sciebat) auferri posset. Nam certi homines illo instigante, Nicetem Herodis patrem, Dalcæ autem germanum iuere sollicitatum, vti Præsidem exoraret, ne cuiquã mortaliũ illius corporis copiã faceret. *Ne Christiani* (inquiebant) *illo suo Crucifixo derelicto* [IESVM Dominum scilicet intelligebant] *hunc Polycarpum venerari incipiant.* Iudæi porrò tali negotio minimè omnium indormientes summa cura aduigilabant, ne Christiani (quibus maximè cordi erat tantum religionis pignus ex incendio ablatum suffurari) illud clandestinò surriperent. *Ignorabant videlicet miseri, nequaquam fieri posse* (vtar enim hîc ipsis ecclesiæ Smyrnensis verbis) *vt vel Christum, qui pro totius mundi salute passus est, deseramus; vel alium quempiam aliquando, tanquam Deum, adoremus. Nam illum, qui verè Dei filius est, adoramus: Martyres verò, tanquam discipulos Domini & imitatores meritò adamamus, propter excellentem scilicet ipsorum erga proprium Regem ac Magistrum beneuolentiam: quorum & nos ipsi consortes & discipuli euadere peroptamus. Cernens igitur Centurio Iudæorum importunitatem, corpus in medio poni, atque (vti mos ipsis erat) vstulari mandauit. Nos autem postmodum collecta eius ossa preciosis lapillis cariora, & auro puriora loco consentaneo deposuimus: vbi & nobis, quoad licebit, in gaudio & exultatione congregatis dabit olim Deus, vt diem eius martyrij natalem, tam ad eorum qui fortiter depræliati sunt, memoriam; quàm ad eorum, qui in posterum deprælaturi sunt, calcar & incitamentum celebremus.* Ita Smyrnenses Christiani in ea epistola, quam adhuc recenti re, & quasi etiam tum calente martyrio, ad ceteras ecclesias conscripserunt. Quibus in litteris apertè declaratur, quanti primis illis sæculis Sanctorum Martyrum Reliquiæ fuerint æstimatæ. Quod nec se ignorare Iudæi atque Gentiles, (tantoperè scilicet vrgendo, vt prorsus in cineres redigerentur) præ se tulerunt. Passi referuntur vnà cum B. Polycarpo, & alij duodecim, de quibus ita sacet historicus: *Ista, inquit, de B. Polycarpo dicta sint, qui*

GENTILIVM DE S. POLYCARPO INCREDIBILIS EXISTIMATIO.

ECCLESIÆ SMYRNENSIS DE DIVERSO CHRISTI ET SS. MARTYRVM CVLTV DOCTRINA.

NATALES MARTYRVM ANTIQVITVS IN ECCLESIA CELEBRATI.

DVODECIM E PHILADELPHIA PROFECTI, SIMVL CVM B. POLYCARPO MARTYRIVM SVBIERVNT.

Smyrnæ

Smyrnæ, cum alijs duodecim Philadelphia vrbe profectis martyrium obijt. Deinde virtutis eiusdem Polycarpi ipsis hostibus admirandæ laudem ita subijcit: *Qui solus*, inquit, *tanta præceteris viget celebritate nominis, vt ipsis quoque Gentibus, vbique locorũ, in ore atque sermone versetur.* Et rursum ibidem: *Talem quidem exitum res ab admirabili & Apostolico Polycarpo, tandem consecutæ sunt: cuius historiam in eâ, quam nos declarauimus, epistolâ, fratres Smyrnensis ecclesiæ denarrarunt.* Quemadmodum autem S. Ignatij (vt in eius vita notauimus) sic beati Polycarpi mors pacem ac trãquillitatẽ ecclesiæ videtur acquisiſſe. Quod ipsum ijdem Smyrnenses in eadem sua Epistola indicarunt, de qua sic in historia ecclesiastica: *Est autem epistola ex personâ Smyrnensis ecclesiæ, cui præfuit Polycarpus, ecclesiis Ponti scripta, quæ ea, quæ ad eius martyrium spectant, præcipuè docet his verbis:*

EPISTOLA SMYRNENSIS ECCLESIÆ AD ECCLESIAS PONTI.

Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, ecclesiæ quæ est Philomelij, & alijs omnibus sanctis & Catholicis ecclesijs, quæ vbique gentium sunt, misericordia, pax, & caritas Dei Patris, & Domini nostri IESV Christi adaugeatur.

Scripsimus vobis, Fratres, quæ videbantur pertinere, cùm ad alios Martyres, tum ad B. Polycarpum; qui quidem persecutionis flammas contra ecclesiam succensas, sanguine suo copiosè per martyriũ effuso restinxit. &c.

Quænam porrò cædis S. Polycarpi, aliorúmque SS. Martyrum impios ac sacrilegos auctores consecuta sit vltio (quandoquidem ea non parum ad diuinæ prouidentiæ commendationem pertineat) silentio non est prætereundum.

CAPVT XIV.

Vltio diuina ob effusum S. Polycarpi, aliorúmque Martyrum sanguinem.

MAgno autẽ stetit, cùm vniuerso imperio Romano generatim, tam prodigè atque immaniter effusus Christianorum sanguis, tum etiam speciatim Smyrnæ vrbi, tam atrox ac violenta Polycarpo illata nex. [a] Mox enim lues ac pestilentia per omnes ferè imperij Romani prouincias tam furiosè grassata est, vt contra ingruentes impetus Barbarorum vix miles necessarius inueniretur; essentque armanda seruitia, & gladiatores, aliique eius generis in aciem educendi. Cuius pestilentiæ, præter alios auctores, tam sacros, quàm profanos, etiam Galenus, qui tùm viuebat, & honore artis medicinæ apud ipsos Imperatores præcipuè pollebat, commeminit. Quòd si autem vrbs aliqua aut prouincia profusi Christiani sanguinis pœnas dedit: certè longè [b] plus omnibus vna Smyrna: quę pro igni ignem recepit, & pro confessione tam sancti viri, suorum simul & ædificiorum, & incolarum, ex horribili & perquàm inusitato terræ motu, confossionem & suffocationem vidit. Testis locuples huius clãdis est Aristides, Orator illius tẽporis longè clarissimus,

Iulius Capitolinus in vita Marci Imp. Galenus Medicus.

clarissimus, homo quidem ille fidei nostræ ignarus, sed qui incendiorum & ruinarum verus spectator & relator fuit, pro eadem Smyrna instauranda ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Impp. monodiam, seu lamentabilem simul & supplicem libellum misit. Cuius quidem, vtpote ad cladis magnitudinem expressiùs declarandam plurimùm facientis, non pigebit membrum aliquod in testimonium producere. Sic ergo dixit: *Iacet Smyrna, ornamentum Asiæ, vestri decus imperij, igni ac terræ motibus contrita. Præbete opem, per Deos, præbete quantam vos decet. Si quidem Smyrna, quæ maximis quondam beneficijs, & à Dijs, & à vobis, & ab omnibus Imperatoribus, & à communi concilio est locupletata, nunc longè maximum accepit infortunium. Illud tamen vnum ipsi à fortunâ reseruatum est velut salutis symbolum: vidistis vrbem, intelligitis cladem. Memores eorum estote, quæ partim in itinere, dum ad illam respiceretis, partim in eam ingressi dixeritis: quomodo tum & ipsi affecti fueritis, & alios affeceritis. Ac ceteri quidem Theoxenia celebrabant: vos autem vt in placidissimo totius imperij loco requiescebatis. Quis oculorum coniectus non iucundiores vos reddidit? quid ex omnibus cum silentio, & non cum digna vobis acclamatione spectastis? Quorum vos neque post discessum vestrum cepit obliuio. Hæc nunc omnia sunt in cinere. Clausus est portus: perierunt fori ornamenta: viarum decora euanuerunt: gymnasia cum ipsis viris & pueris interierũt.* Sic ille. Vnde autem illud, amabo, profectũ est (lubet enim tanti mali verã caussam exquirere) vnde, inquam, illud, profectũ est: *Gymnasia cum ipsis viris & pueris interierunt*? nisi ex illo, quod importuni homines à sãcto Polycarpo extorserunt, vt diceret? *Tolle impios.* Horrenda est enim Sacerdotum Dei imprecatio, nec fere vnquam in vanũ cadit: præsertim vbi iusta illos caussa, & diuini honoris ardens studium ad eiusmodi acerbitatem impellit. Sustulit ergo terra impios, cùm se commouit & aperuit, vt eos absorberet. Quia verò & vis religioni facta est, & sacri Christianorum cœtus impediti; propterea Deus quoque tam ipsorum Iudæorum synagogas, quàm Gentilium fana subuertit; ac ne conuentus ad sacra sua execranda facerent, impediuit. Ita enim lamentationem suam prosequitur idem ille Orator: *Templa*, inquit, *partim iacent, partim submersa sunt: vrbs denique spectatu iucundissima, & pulchritudinis cognomento apud omnes insignis, tristissimum est effecta spectaculum, ruinarum & cadauerum tumulus, & nunc eam Zephyri desertam perflant? Ad quas voces vltimas lachrymis perfusi fuisse dicuntur Imperatores. Postremò*, inquit, *cùm ad magnitudinem cladis respicio, nulla mihi sufficere videtur oratio, quin infra mediocritatem subsistat.* Sic ille, vt pro patria sua, & pro cladis magnitudine, satis lamentabiliter. Ita nimirum Deus Opt. Max. quos amat viuos, vlciscitur interemptos: ita & fana eorum profana subuertit, qui vera templa demoliri student. Nec illud est tacendum Dei hac in re

iudicium,

iudicium, quod ij videlicet qui præcipuum Asiæ viuum decus Polycarpum sustulerant; ipsi primam Asiæ gloriam, quæ in delubro suo posita erat, amiserunt. *Quod enim nunc submersum est templum* (verba sunt eiusdem Aristidis) *adeò fertur splendidum fuisse, vt contentione quondam instituta, Asia quidem reliquis gentibus prælata sit, ceteris autem Asiæ vrbibus Smyrna in tantum, vt reliqua quidem Asia septem duntaxat calculos, vrbs autem sola quadringentos ferret.* Ita ille. Sic ergo pulcherrima vrbium Asiæ, igni, aqua, terræ motu, velut omnibus contra parricidas conspirantibus elementis, miserrimè corruit. Cuius Smyrnææ cladis etiam Dio Cassius in M. Antonino Philosopho mentionem facit, à quo & eam vrbem instauratam scribit. Denique si quis obseruare, vel in his sanctorum vitis, vel in alijs Scriptorum ecclesiasticorum historijs accuratiùs velit, inueniet omnia ferè prælustrium virorum martyria ingenti persecutorum clade, (ita Deo opt. max. suos famulos vindicante) affatim fuisse compensata. Ac licet non statim à Polycarpi martyrio, sed aliquot pòst annis ea Smyrnæ clades acciderit, non minùs tamen in eius cæsi pœnam, atque item in aliorum, qui deinde secuti sunt, vindictam, (tardè scilicet Deo ad pœnas ex caussa infinitæ bonitatis suæ procedente) completâ iam peccatorum summâ accidisse credenda est. Verùm vt à pœnis atque supplicijs ad iucunda lectu & factu salubria transeamus, nonnulla hic egregia virtutis S. Polycarpi exempla præcipuè imitanda, simul cum nonnullis aliorum sanctorum martyrum conformibus incitamentis proponemus.

CAPVT XV.

Quænam præcipuè in vita S. Polycarpi sint imitanda.

LEctores veræ virtutis studiosos, post decursam huius vitæ planiciem, valde addecere arbitror, pro degustanda saluberrimorum fructuum, ex arbore Polycarpi, suauitate, conniti ad imitationem. Tametsi autem & alia permulta ad imitandum proponi possint: tamen duo tantùm hoc loco, eáque singularia, & quemadmodum spero, gustui non ingrata proponam: vnum in mensâ, alterum apud mensam. Illic enim spectanda est hospitalis mensa Polycarpi, quâ scilicet bonus senex, venerandâ opertus canicie, & centum annis maior, persecutores suos & immeritæ necis satellites perbenignè excepit, tractauit, & currendo quærendoque defatigatos recreauit. Hic autem apud mensam ipsemet Polycarpus in vno angulo profundè meditans, & calidas ad Deum preces fundens, ac vitam omnem præteritam animo repetens, attentè considerandus est; sed & salutifera doctrina nouo exemplo data, ardenter amplectenda, & sollicitè retinenda. Hæc sunt nimirum duo fer-

cula cunctis præferenda Regum delicijs, & cælesti Sanctorum mēsa epulóque dignissima: vnum quidem; ante horam mortis omnem vitam suam seriò attentéque coram Deo recolligere: alterum autem, inimicos suos etiamnum persequentes non tantùm non odisse, sed pascere etiam & recreare. Vtrumque fecit, vtrumque Deo conditori suo obtulit beatus Polycarpus: & vtriusque nos esse oportet (siquid de sensu Sanctorum sapimus) studiosos imitatores. De vtroque igitur nunc agendum.

§. 1. *S. Polycarpi, de totius vitæ antè actæ, sub horam mortis, pia recognitione, exemplum Christianis omnibus imitatione dignißimum.*

POlycarpus igitur iam adesse tempus extremi certaminis, & vicinæ mortis, aut victoriæ potiùs, optabilem horam sentiens, apposità satellitibus (à quibus ad cruentam necem quærebatur, & iam iam abducendus erat) hospitali mensà, sese in angulum quendam recepit, atque ibi coram Deo totam à primis pueritiæ annis vitam suam recollegit, & quæcunque sibi ad eam horam acciderant, seu bona, seu mala; seu parua, seu magna cum animo suo meditatus, cuncta ad Dei laudem & gloriam retulit: ac de beneficijs quidem hactenus receptis immensas gratias, de peccatis verò dolorem ac pœnitentiam ex intimis cordis sui medullis expressit: neque hoc solùm, sed officij quoque sui & curæ pastoralis memor, tam pro suâ, quàm pro vniuersâ ecclesiâ toto orbe diffusâ feruentes ad Deum preces & vota ardentia, tanquam amantissimus pater pro carissimis liberis largiter effudit. Quis autem fructus recollectionis istius & precationis fuit! Nempe ipsos hostes in admirationem suæ virtutis traxit, fecitque, vt sui ipsos ministerij ac laboris in tali viro persequendo suscepti tæderet ac pœniteret. Sed hoc tamen boni potissimè illa totius vitæ suæ consideratio importauit: quòd ex tot tantorúmque Dei beneficiorum recordatione, cùm iuberetur in Christum impia verba iacere, in istas protinus cygnæas voces eruperit: *Octoginta sex annos illi iam seruiui: nec vllo me hactenus affecit incommodo: quonam igitur pacto Regem meum, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, impijs lacessere dictis potero?* Sic ille. Agite modo quicumque amatis boni sanctorum esse æmulatores: hæc etiam vobiscum seriò ante extremum tempus recogitate: hæc diligenter ac studiosè imitamini. Quippe quę & vim maximam ad bene moriendum, & ingens pondus ad vitam verè vitam sibi comparandam habeant. Cùm enim sub mortis tempus, (quam, si longè aut propè absit, nescimus) duo in primis sint necessaria, doloris intimi actus scilicet, & actus veræ caritatis; istos quidem ex aceruo peccatorum nostrorum ob oculos proposito, vna cum fontibus lachrymarum haurimus: hos autem è cumulo ingentium Dei erga nos beneficiorum atque gratiarum, non sine ardentibus pietatis flammis, expromimus. Ecquam multos mihi esset numerare, si locus esset hic immo-

randi, quorum æterna salus, cùm in acie versaretur nouaculæ, nullâ re aliâ magis firmata est, quàm extremâ illâ totius vitæ recognitione, & omnium ad illud tempus admissorum humili confessione ac sincerâ deploratione! Ac felices quidem illi & ter felices, qui supremum illum vitæ articulum anteueniunt, neque periculosum istud ineuitabilis iudicij momentum opperiuntur, quo anceps illa benefactorũ & malefactorum bilanx attollitur & vibratur: quæ cùm ad æternitatem inclinatura sit aut pœnę, aut salutis; tam certi & absoluti est iudicij, vt nullã post se relinquat quomodocunque latæ appellationem sententię. Licet igitur nunc quidem magna redimere modico precio: sed tunc, non dicam, maximo, sed nullo. Vtendum igitur tempore, dum habetur. Erit enim, erit cùm *tempus non erit amplius*. Et sanè, si tantum est boni huius, quo de agimus, precium & ęstimatio, tunc cùm extrema nos necessitas cogit; quantum etiam tunc esse credendum est, cùm voluntarius & feruens in Deum amor vltrò ac citra necessitatem impellit? Tum enim & gratior pœnitentia, & eius lucrũ multo, quàm aliàs, est copiosius. Senserat huius boni magnitudinem ille Rex Iuda, qui vberem expertus in suâ infirmitate Dei misericordiam, inter alia cantici sui resonabat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hoc Ezechias quidẽ Rex pius & dixit & fecit. Sed ante illũ ipse Propheta Dauid multo magis. Quippe cuius diuini psalmi nihil sæpius atque ardentiùs, quàm istam Dei misericordiam & benignitatem (cuius scilicet certũ in se experimentum ex frequenti peccatorum recognitione senserat) in cælum tollunt. Idem quoque factitasse magnum illum Augustinum tam libri eius Confessionum passim testantur, quàm vitæ ipsius auctor Possidius diligenter scribit. Nec verò Fulgentius Ruspensis Episcopus, licet diuinâ virtute multò fulgentissimus, id prętereire voluit. Nam anno vno ante mortẽ (quod & in vita reliquâ crebrò fecerat) longè accuratiùs, & qualis ipse Deum, & qualis in ipsum Deus extitisset, partim cum intimâ animi pœnitudine, partim cum grata Dei laude secum perpendit. Alios, qui idem officij celebrarũt, complures omitto: nihílque ampliùs de hac in re pręsentia dico: cùm me iam pridem ad se inuitet ac trahat beata illa Polycarpi mensa: quam quidem multi sic adamarunt, vt & studiosè imitati sint, & illi consimiles itidem persecutoribus suis mensas strauerint. Quas proinde & talium studiosus animus spectare aueat, & fortassis etiam degustare gaudeat.

§. 2. *Mensa S. Polycarpi.*

QVum iam ergo præsentiret animo Polycarpus eam esse Dei voluntatem, vt quam luculentè hactenus verbo docuerat fidei Christianæ doctrinam, nunc luculentiùs martyrij exemplo confirmaret; noluit is quidẽ, tametsi posset, vitãdæ mortis caussâ vlteriores latebras (quod aliqui suadebãt) quærere: sed satellitibus

qui

qui in domo inferiore adhuc erant, vltrò è superiore tecto descendens obuiam iuit, salutem, vt amicis, dixit, benignè appellauit, se esse, quem quærerent, indicauit; mensam sterni iussit; ad vescendum inuitauit: denique tantâ illos beneuolentiâ & caritate excepit; vt plus ab amicissimo & antiquissimo hospite desiderare non possent: multúmque adeo mirarentur & ætatem viri & verborum grauitatē & cordis latitudinem: ita vt qui ad prædam, velut lupi famelici aut rugientes leones, accurrerant, iam inuentâ, & in manibus posita præda (tantus scilicet ex senis vultu spirabat honos & virtutis fragrantia) suæ ipsos amentiæ admodum dispuderet. Quin & aliquem fortassis daturi fuissent effugio locū, si vel ipse optasset; vel timor magistratus, qui iam in via erat, nō præpedisset. Verùm pijssimi athletæ votum id temporis aliud nullum erat, quàm vt aliam mensam in aliquo domicilij angulo conditori suo atque seruatori optimo gratā apponeret: mensam scilicet deuotæ mentis, & integrum totius animæ & corporis holocaustum, vitam omnem, vt ante dixi, recolligendo, & ex omnibus tam Dei beneficijs, quàm suis ipsiusmet precibus & lachrymis acceptissimum cælo ferculum præparando. Quare ad hanc ipsam beatissimi martyris mensam omnibus Regum & Imperatorum mensis immane quanto præferendam multi Christianorum respectarunt, non pauci etiam clarorum virorum imitari studuerunt: quorum aliquot præcipua imitamenta (nam vndequaque pietatem in hoc opere colligimus & spargimus) voluptati, vt opinor, erit non fastidiosis lectoribus, velut breui in tabella, recognoscere.

§. 3. *S. Mamantis Martyris mensa.*

IMitatus est igitur S. Polycarpum beatus Mamas. Vixit is sub Aureliano Imp. hoc est, vno circiter sæculo post mortem Polycarpi, vir tam magnus, quàm magnis viris laudatus, Basilio scilicet & Gregorio Nazianzeno, quorum erat ipse popularis, & apud quos situs fuit, nimirum Cappadox apud Cappadoces. Is ergo prima in adolescentia, cùm & fide feruens, & multa dicendi gratia præstans inter Christianos floreret, premente iurati hostis inuidia, apud Aurelianum Imperatorem accusatus, quòd suos æquales & condiscipulos à Deorum cultu auerteret, comprehēdi ac puniri iussus est. Quare placuit eum primò flagris cædi, deinde lampadibus ardentibus torreri, posteà etiam, cùm hæc minus succederent, lapidibus pertundi, denique plumbo ad collum appenso in mare præcipitari: sed territis diuinitus, cùm iam abduceretur, & fuga dilapsis satellitibus, in montem Cæsareæ Cappadociæ vicinum Angeli admonitu conscendit, ibíque progressu temporis, mensæ nouis persecutoribus apponendæ insignem occasionem nactus prima fronte arri-

puit & obseruauit. Nam cùm feræ ad eum inibi commorantem posita feritate accederent, feminarum quidem ad mulctram vltrò venientium demulso lacte caseos conficiebat, & necessario sibi ex ijs sumpto alimento, reliquum ad vrbem Cæsaream in pauperum atque egenorum stipem conferebat. Hinc larga eius caritas atque eximia in Deum pietas sensim celebrari, & demum crescente magis magísque nominis famâ, ad Præsidis aures deferri. Erat ei Præsidi nomen Alexandro, qui confestim, vt singulari feruebat in pios impietate simul & immanitate, certos equites ad perquirendum atque ad se pertrahendũ hominem expedit. De horum igitur aduentu beatus Mamas certior factus prodit obuiam, & illis ex se sciscitantibus, an ipse Mamantem nosset, ac si quidem nosset, diceret, vbinã is ageret, *Descendite*, inquit, *ô amici ex equis, & cenam priùs mecum sumite: tum ego vobis eum ostendam*. Nec mora: bonus hospes apparat, quam potest, mensam, & solita sibi fercula panem & caseum apponit. Adueniunt intereà ad Mamantem pro more suo illæ animantes, & nouis istis hospitibus satis apportant improuisi terroris: sed Mamas trepidos atque ad se confugientes bono esse animo iubet: nihil enim passuros mali, securè vescantur appositis, & de perquirendo Mamante nihil sint solliciti: se enim illum ipsum esse Mamantem, quem quærerent, ac breui se ad vrbem illos secuturum. Nec fefellit fidem. Volens enim & lubens ad mortem omni vita cariorem tetendit, & speratam martyrij palmam acquisiuit. Multa hic quamuis pulchra, tamen quia minus necessaria, prætermitto: hoc tantùm dico, sanctum illum virum, cui & leones obsequebantur, & feræ aliæ ad nutum parebant: cùm illis vti ad persequentium terrorem atque fugam, & simul ad sui tutelam salutémque potuisset; tamen ad exercendam dũtaxat erga illos caritatem, & ad martyrij lauream sibi adipiscendam vti voluisse. Eam porrò, post alia multa carnificinæ tormenta fortiter tolerata, demum ferro per intestina adacto gloriosè adeptus est. De quo inter Sanctos martyres ob inuictam pro fide constantiam relato ita Romanum martyrologium ad XVII. Augusti: *Cæsareæ in Cappadocia, Natalis S. Mamantis Martyris, qui à pueritiâ ad senectutem vsque longum martyriũ duxit: & tandem imperante Aureliano, sub Alexandro Præside illud feliciter consummauit: quem sancti Patres Basilius & Gregorius Nazianzenus summis laudibus celebrarunt*. Vide Simeonem Metaphrasten, Aloysij Lipomani tomo sexto, & Surij tomo 4. Templa pluribus in locis S. Mamanti constructa sunt, & sacræ eius Reliquiæ magno in honore habitæ: è quibus digitum vnum in Gallias delatum meminit in S. Radegundis Actis Venantius Fortunatus. Nunc ad aliam mensam tendimus S. Anthimi floribus conuestitam.

§. 4. *S. Anthimi Nicomediensis Episcopi & Martyris Mensa.*

SImilē quoque mensam & consimili caritate persecutoribus suis apposuit S. Anthimus Nicomediensis Episcopus, qui iuxta nomen suum verè florebat *sicut oliua fructifera in domo Dei*, cùm subitò Maximianus Imp. quasi ventus quidam turbinis, ad eū prosternendum vehementius incubuit. Nec enim ferebat à Christianis Deos suos negligi, & præ multis vnum coli. Misit igitur, qui auctores facti perquirerent: & nominatim qui Anthimū Nicomediæ Episcopum ad se adducerent, vicenos circiter equites ablegauit. Hi ad pagum, vbi is erat, cùm peruenissent, in ipsummet Anthimum, ignari quisnam esset, inciderūt: & de Anthimi latebris ex Anthimo quæsiuerunt. Hic autem nihil aspectu hostium territus, nihil instanti periculo permotus, ipsos ad hospitij sui angustias, si quidem accedere non dedignarentur, humaniter inuitauit: mensam strauit: panem & fabas apposuit: plus denique beneuolentiæ, quàm opulentiæ exhibuit. Satis autem cibo refectis, & ampliùs quoque animo recreatis tum denique Anthimum, hoc est, seipsum illis ostendit. Illi verò hospitis constantiam non mediocriter admirari, & ex recenti beneficio plusculum amare, nec iam vllatenus tam sancti hospitij iura violare in animo habere: postremò permittere, immo & suadere vt liber, quò velit, abeat: se enim Imperatori renunciaturos, Anthimum totâ perquisitum Nicomediâ nusquam inueniri potuisse. Verùm hic bonus Christi miles tam martyrij cupidus, quàm alienus à mendacio, *Absit, ô viri amici*, inquit, *absit vt meâ caussâ quicquam mentiamini: nec vos facere hoc conuenit, nec me pati: immo vobiscum ego voluntarius & lubens ad mortem proficiscar. Nec enim parua est palma, ad quam vocor.* Denique cum illis vnà abijt: viam salutis per iter edocuit: de nouissimis disseruit, idoneos fidei reddidit, ad extremum occurrente in via fluuio, aquis salutaribus emundauit, ac cælo destinatos gratiarum cælestium participes fecit. Hos igitur primos tulit mensæ suę fructus: hæc Deo bellissima obtulit bellaria verè floridus ac vernans Anthimus: neque multo pòst præciso capite insignem martyrij palmam reportauit.

Vide Eusebium lib. 8. hist. cap. 6. Et Nicephorum l. 7. cap. 6. & 16. & Metaphrastem apud Surium tomo 2. April. 27.

§. 5. *S. Melæ Rhinocoruræ in Ægypto Episcopi & Martyris Mensa.*

NEc dissimile conuiuium suis fideíque hostibus instruxit sanctus Melas, vir tam animo hospitalis, quàm censu pauper. Imperabat tum Valens sectâ Arianus, & ecclesiæ vineam immanis instar ferę immisericorditer deuastabat, cū hic sanctus Melas è

monasticæ vitæ fastigio ad tenendas ecclesiæ, quæ erat Rhinocoruræ, habenas deuocatus, insignia suæ sanctitatis documenta suis peræquè & alienis daret. Quarè cùm ex edicto Imperatoris Catholicos acerbe persequentis, Episcopi omnes, quotquot sectæ & factioni Arianæ resisterent, procul à suis sedibus in exilium pellerentur: ventum est ad scrutanda S. Melæ vestigia. Erat is ea tempestate, vt re pauper, ita vestitu despicabilis, nec ad internoscendum facilis, & tũ quidem, cùm iniustitiæ admininistri (vocare enim iustitiam, quod aduersus pietatem mittitur, est nefas) cùm iniustitiæ, inquam, administri ad eum comprehendendum venissent, in templo erat, circa lãpades, quibus lychnos immittebat, occupatus: ab eo proinde, tanquam ab vno ex infimis ecclesiæ ministris, de Episcopo sciscitati sunt, vbinam is esset, in vr ne, an ruri, an alibi? respondit in hac ipsa vrbe esse, & se illos ad eius ædes ducturum, & quis esset, monstraturum. Confestim igitur ad Episcopi domum deduxit: mensam apposuit: epulis, quæ tum suppetebant, excepit: epulantibus ministrauit: expleto deinde ministerio manus lauit: ac demum se esse eũ ipsum quem quærerent, indicauit. Illi autem hominem admirati, & hospitalem eius mensam reueriti, caussâ quamobrem venissent expositâ, aufugiendi, si vellet, fecerunt potestatem. Verum vti eâ potestate vir fortis & pro Christo non modò exulare, verùm etiam mori promptus ac percupidus nequaquam voluit, sed exilium pro fide Catholica omni se antehabere libertati professus, lubens volens in illud abijt. De quo proinde inter cælites relato ita Romanum Martyrologium, ad diem decimam sextam Ianuarij: *Rhinocorura in Ægypto, S. Melæ Episcopi, qui sub Valente exilium & alia grauia pro fide Catholica passus in pace quieuit.*

Vide Sozomenum lib. 6. cap. 31. & Cassiodorum in Tripartita lib. 8. cap. 1.

§. 6. *S. Phocæ hortulani & hospitalis, ac demum martyris mensa.*

NIhilo dispares epulas hominibus sanguinis humani sitientibus ac se ad necem perquirentibus apparauit sanctus Phocas, ille plurimorum linguis celebratus. Olitor hic fuit & hospitalis, fecítque, vt non modò vulgatum illud:

Sæpe etiam est olitor verba opportuna locutus,

In se locum haberet, dum verbis in tempore suo prolatis hospites suos ad pietatem accerseret, & subinde accenderet: verùm etiam vt factis magis quàm dictis virum bonum & fortem præstaret. Quippe qui *mittere panem suum super transeuntes aquas* & pauperes ac peregrinos aquarum more per terram decurrentes cibo pascere solitus erat: qui nec diligentior in excolendo hortulo suo, quàm liberalior in exercendâ aduersus quoscunque viatores beneficentia passim audiebat. Fama igitur boni nominis in malum malos accendit, & eo

Ecclesiastici 11. vers. 1.

maxi-

maximè titulo quòd Christianus esset, & inter Christianos quidem feruore fidei clarus. Missi sunt igitur lictores, qui hominem comprehenderent: hi Phocam ignorabant, & à Phoca perinde ignorabantur: ac proptereà dissimulantes illi, qui essent, & quâ de caussâ venissent (veriti scilicet, ne, si resciret Phocas aduentare persecutores suos, fugâ elaberetur, & ipsis præda de manibus excideret) gratiam hospitij ab hortulano sibi ignoto petierunt: is, vt solebat, libenter concessit: vescebatúrque simul lupus cum agno; & hic confidenter cum illis agebat. Quærit denique à suis hospitibus, dante mensâ fiduciam, quinam sint? cuius caussâ venerint? quò tendant? illi petito priùs secreti seruandi silentio, referunt se ad certum hominem perquirendum venisse, Phocam nomine; si quid autem ipse ad eum inueniendum vel auxilij vel consilij præstare possit, apud se gratiam non paruam meriturum. Phocas igitur nihil eiusmodi nuntio licet terribili territus, ac ne minimum quidem mente concussus, adeòque, quamuis lata pateret ad effugium via, nihil prorsus de illa cogitans, *Et ego*, inquit, *in hoc vobis libens gratificabor. Nam hominem noui, & facilè inueniam: tantummodò hac nocte, si lubet, in hoc paupere habitaculo requiescite, & cras vobis eum, quem quæritis, ostendam.* Intereà & illis, quæ ad quietem opus erant, præparat: & sibi effossâ terra extemporale sepulchrum morituro disponit. Postridie igitur lictores conueniens, *Hem viri*, inquit, *inueni Phocam, & in breui, si quidem vultis, potestis eum comprehendere, præda est in manibus:* Qui gaudio exilientes, *Vbi vbi est*, inquiunt. *Non procul*, ait ille, *sed vobiscum: ego ipse sum Phocas.* Tum illi stupore pleni, dilabēte quod inaniter præsumpserant gaudio, membris animísque velut obrigescere: donec ille sui securus & laureatæ mortis appetens, eósque ad opus suum animans, *Eia, agite* dixit, *parete Imperatorum iussis, neu me optatâ martyrij palmâ defraudate.* Ita bonus olitor, & melior hospes, & optimus fidei testis, voti sui omnibus inuidendi compos fuit. De quo ita Rom. martyrologium ad diem quintam Martij notatum habet: *Antiochiæ, natalis S. Phocæ Martyris, qui post multas, quas pro nomine Redemptoris passus est, iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur; quòd si quispiam à serpēte morsus fuerit, vt ianuam basilicæ Martyris credens attigerit, confestim euacuatâ virtute veneni sanatur.* Desumptū est hoc è S. Gregorio Turonensi lib. 1. de gloriâ Martyrum, cap. 99. superiora autem è S. Asterio Amaseæ Episcopo, apud Surium tomo 5. ad 22. Septembris. Hactenus de germanis mensæ S. Polycarpi imitatoribus, quantum in præsentia è plurium cumulo proferendum iudicaui. Quorum ergà inimicos caritatem & beneuolentiam si proximè & simili in genere imitari non possumus, saltem perferendis modestè ac patienter iniurijs conemur, quoad possumus, aliqua saltem tenus adumbrare. Si quis videlicet tanquam amicus ad ædes nostras accesserit, qui

tamen

tamen occultas aduerſus nos gerit alítque inimicitias, ne illum tanquam inimicum reijciamus, ſed admittamus vt amicum, tractemus vt fratrem, donis proſequamur vt hoſpitem. Non eſt Chriſtianis alia nobilior cum hoſte pugna, non eſt glorioſior de inimicis victoria; quàm hic vnus certandi modus, quàm hæc ſingularis vincendi ratio. Sic enim Chriſtus, ſic Apoſtoli, ſic Martyres decertarunt & vicerunt. Nam certare odijs, & viribus ac violentiá vincere, hoc cum immanibus feris & agreſtibus belluis commune eſt. At beneuolentia expugnare maleuolentiam, & vincere in bono malum, hoc demum hominis eſt, hoc verè Chriſtiani, hoc Regis opus, hoc Dei: nec illò proinde, niſi magnis laboribus & ſolidis virtutibus; poteſt perueniri. Sed iam tempus eſt à menſa ſurgere, atque ad Polycarpi ſcripta & ingenij fetus intuendos tantiſper ſecedere.

CAPVT. XVI.

S. Polycarpi ſcripta.

POſt B. Polycarpi laudatam & imitatam menſam ad colligendas eius accedo ſacratæ mentis reliquias: ſcripta, inquam, & ſanctorum ingenij laborum ſacra monumenta, è quibus tametſi paucula tantùm (quæ nimis dolenda ſanè iactura eſt) nunc ſuperſint: tamen haudquaquam dubium eſſe debet, quin longè plura magno quondam eccleſiæ bono ſcripſerit: cùm & B. Ignatius ei curam ſcribendi ad multas Orientis Eccleſias, (quemadmodum in eius vitá ſcripſimus) commiſerit, & S. Irenæus ipſius B. Polycarpi diſcipulus plurium eius epiſtolarum, in ſuâ ad Florinum epiſtolâ, mẽtionem fecerit. Nam de eiuſdem Florini in hæreſim prolapſi peruerſis dogmatibus agens ita ſcribit: *Poſſum certè coram Deo conteſtari, illum beatum & Apoſtolicum Presbyterum Polycarpum, ſi eiuſmodi dogmata fortè audiuiſſet, continuò exclamaturum, & aures obturaturum, ac de more ſuo dicturum fuiſſe: O bone Deus, in qua me tempora reſeruaſti, vt hæc patiar! atque ex eo loco, in quo vel ſedens vel ſtans ea audiuiſſet, extemplò planè aufugiturum. Idem & ex epiſtolis,* inquit, *quas cum ad vicinas eccleſias, quò eas confirmaret, tum ad quoſdam fratres, quò admoneret & cohortaretur, miſit, iſta ſic ſe habere manifeſtò cognoſci poterit.* Ita de magiſtro ſuo Irenæus.

Hæc igitur, quantum reperio, ſunt eius ſcripta:

Epiſtola vna ad Philippenſes.

Vna ad S. Dionyſium Areopagitam.

Vna ad Athenienſes.

Varia ad diuerſas Aſiæ Eccleſias.

Nonnulla ad quoſdam fratrum ſpeciatim.

Quædam explicationes in ſacram Scripturam,

Ex his omnibus ſola eſt nunc ſuperſtes epiſtola ad Philippenſes: de qua

de qua multi meminerunt, Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Photius, Suidas, Nicephorus, alijque complures. Irenæus quidem libro tertio aduersus hæreses, cap. tertio, his verbis: Ἔστι δὲ καὶ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας δύνανται μαθεῖν. Quæ vetus interpres ita reddidit: *Est autem & epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima: ex qua & characterem fidei eius, & prædicationem veritatis, qui volunt & curam habent suæ salutis, possunt discere.*

Eadem refert Eusebius libro IV. historiæ ecclesiasticæ, cap. XIII. quibus hæc addit: Ὁ μέν τοι Πολύκαρπος ἐν τῇ δηλωθείσῃ πρὸς Φιλιππησίους αὐτοῦ γραφῇ φερομένῃ εἰς δεῦρο, κέχρηταί τισι μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Πέτρου προτέρας ἐπιστολῆς. *Polycarpus quidem in eâ epistolâ, quam dictum est ab eo ad Philippenses scriptam, & quæ hodie extat, quibusdam è priore Petri epistolâ testimonijs vsus est.* Ita Eusebius. Cuius verba in hoc nobis prosunt, vt certi simus eam epistolam, quæ sub nomine Polycarpi extat, verè esse Polycarpi, (licet græcè non extet integra, sed tantùm latinè, vt pòst videbitur) cùm præter eius stilū, qui talis est, qualem describit Photius, etiam testimonia è dictâ Petri Apostoli epistolâ, quæ indicauit Eusebius, inibi reperiantur, vt infrà patebit.

Eandem Polycarpi epistolam in Asiæ ecclesijs vsque ad sua tempora legi solitam scribit Hieronymus, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis: *Scripsit ad Philippenses,* inquit, *valde vtilem epistolam, quæ vsque hodie in Asiæ conuentu legitur.*

Eam quoque a se perlectam scribit Photius, refertámque esse multis admonitionibus, cū perspicuitate & simplicitate, iuxta ecclesiasticam interpretationis formam. Ita enim habet numero CXXVI. vbi de Clementis Papæ agit epistolis: Ἐν τῷ αὐτῷ δὲ βιβλιδαρίῳ ἀνεγνώσθη καὶ Πολυκάρπου ἐπιστολὴ πρὸς Φιλιππησίους, γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος, κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τρόπον. Λέγει δὲ καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῖς Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου ἀπεσταλκέναι, καὶ αἰτεῖται ἀναδιδαχθῆναι παρ' αὐτῶν, εἴ τι περὶ ἐκείνου διακούσαιεν. *Lecta est in eodem libello,* (vbi scilicet S. Clementis Papæ epistolæ continebantur) *etiam epistola Polycarpi ad Philippenses, referta multis admonitionibus, cum perspicuitate & simplicitate, iuxta ecclesiasticam interpretationis formam. Dicit verò se & epistolas Ignatij Theophori ad eos misisse, petítque ab illis, si quid de eo inaudierint, edoceri.* Ita Photius. De illa autem, quæ ab eodem Polycarpo ad S. Dionysium Areopagitam scripta est, ac simul de alijs ad varias ecclesias, ita Suidas in Lexico: Πολύκαρπος Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ καὶ θεολόγου ἀκροατὴς, διάδοχος δὲ Βουκόλου, τοῦ πρώτου ἐπισκοπήσαντος τῆς Σμυρναίων ἐκκλησίας, ὃς καὶ μετ' αὐτὸν δεύτερος τῆς ἐπισκοπῆς ἐκράτησε, καὶ μαρτυρίῳ τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ τετελείωται ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου, ἔγραψεν ἐπιστολὴν πρὸς Φιλιππησίους πάνυ θαυμαστήν. Καὶ πρὸς τὸν μέγαν Διονύσιον τὸν Ἀρεοπαγίτην. Καὶ πρὸς ἄλλας ἐκκλησίας. *Poly-*

carpus Ioannis Euangelistæ & Theologi auditor, Bucoli autem primi ecclesiæ Smyrnæorum Episcopi successor, qui & post ipsum secundus tenuit episcopatum, & pro Christo sub Marco Antonino perfunctus est martyrio, epistolam scripsit ad Philippenses prorsus admirandam. Et ad magnum illum Dionysium Areopagitam. Et ad alias ecclesias. Ita Suidas: qui & eiusdem S. Polycarpi dictum in Marcionem hæresiarcham, conformiter Irenæo, ibidem commemorat.

De ea verò, quam idem B. Polycarpus ad Athenienses dedit, ita S. Maximus martyr in prologo ad libros S. Dionysij Areopagitæ. Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Meminit autem Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum episcopus, & Polycarpus in suâ ad Athenienses epistolâ.*

De alijs porrò ad nonnullos fratres litteris, testimonium S. Irenæi hic suprà posuimus: nec de illis, tanto teste, dubitari potest.

De explicationibus denique in sacram scripturam, cum fragmẽta responsionum eius (quæ infrà subdentur) tum verò & præcipuè illa S. Hieronymi verba fidem faciunt: *Porrò Iosephi libros,* inquit, *& Sanctorum Papiæ & Polycarpi volumina falsus ad te rumor pertulit à me esse translata. Quia nec otij mei, nec virium est, tantas res eâdem in alteram linguam exprimere venustate.*

Ita ille tomo 1. epist. 28. quæ est ad Lucinium Bæticum. Vbi per volumina Polycarpi, non modò epistolæ, sed alia quoque eius scripta videntur esse intelligenda.

Pionius quoque, qui vitam S. Polycarpi græcè scripsit, auctor est eundem Polycarpum multos scripsisse tractatus, & homilias, & epistolas. Fertur & integrum librum de obitu S. Ioannis Euangelistæ magistri sui composuisse, qui hodiéque extet manu scriptus in bibliotheca Abbatiæ S. Floræ in Gallia Cisalpina. E quo libro nonnulla producit Franciscus Humblot in concione de S. Ioanne Euangelistâ, sub finem. Quòd si verè is liber huius S. Polycarpi est, quæ hæc inuidia, Deus bone, thesaurum tantum in occulto detinere, & vsumfructum publico inuidere? Epistolam porrò, quàm ad Philippẽses dedit, nunquam antehac græcè editam (quoad quidem intelligere potui) nunc primum græcè & latinè hic subiungo. Tametsi enim gręcè integra non sit, tamen quantulacunque sit, certè vt tanti martyris sacrum quoddam anathema magno in honore ac precio esse debet. Hanc ego, veteri ac vitiosa translatione derelicta, veriore sensu & aliquanto commodiore stilo reddidi. Sed vbi gręca S. Polycarpi verba defecerunt, ibi veterem interpretationem necessariò retinui, & locum, vnde ea incipit, annotaui.

CAPVT XVII.

ΤΟΥ ἁγίου Πολυκάρπου Ἐπισκόπου Σμύρνης καὶ ἱερομάρτυρος πρὸς Φιλιππησίους Ἐπιστολή.

S. Polycarpi Smyrnæ Episcopi & Martyris ad Philippenses Epistola.

Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ παροικούσῃ Φιλίπποις. ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ θεοῦ παντοκράτορος, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη.

POlycarpus, & qui cum eo sunt Presbyteri, ecclesię Dei, quæ est Philippis. Misericordia vobis & pax à Deo omnipotēti, & à Domino IESV Chisto Saluatore nostro multiplicetur.

Συνεχάρην ὑμῖν μεγάλως ἐν κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, δεξαμένοις τὰ μιμήματα τῆς ἀληθοῦς ἀγάπης, καὶ προπέμψασιν, ὡς ἐπέβαλεν ὑμῖν, τοὺς ἐνειλημμένους τοῖς ἁγιοπρεπέσι δεσμοῖς, ἅτινά ἐστι διαδήματα τῶν ἀληθῶς ὑπὸ θεοῦ καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν ἐκλελεγμένων.

Vobis mirificè congauisus sum in Domino nostro IESV Christo, qui veræ caritatis imitamenta (Martyres) excepistis, & deduxistis (vt vobis Dominus inspirauit) compeditos vinculis quæ decent sanctos, & quæ verè sunt diademata electorū à Deo & Domino nostro.

Καὶ ὅτι ἡ βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων, μέχρι νῦν διαμένει, καὶ καρποφορεῖ εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς ὑπέμεινεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἕως θανάτου καταντῆσαι· ὃν ἤγειρεν ὁ θεὸς λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου. εἰς ὃν οὐκ ἰδόντες πιστεύετε, πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ· εἰς ἣν πολλοὶ ἐπιθυμοῦσιν εἰσελθεῖν, εἰδότες, ὅτι χάριτί ἐστε σεσωσμένοι οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλὰ θελήματι θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Et quòd firma fidei vestræ radix à primis annuntiata temporibus, hodiéque permanet, & fructificat in Domino nostro IESV Christo, qui sustinuit pro peccatis etiam morti se offerre. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni.* (Act. 2. ver. 24.) *In quem non videntes creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata:* (1. Pet. 1. ver. 8.) in quam multi desiderāt introire: cognoscētes, quòd *gratia estis saluati, nō ex operibus,* (Ephes. 2. ver. 8.) sed voluntate Dei per IESVM Christum.

Διὸ ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας δουλεύσατε τῷ θεῷ ἐν φόβῳ καὶ ἀληθείᾳ, ἀπολιπόντες τὴν κενὴν ματαιολογίαν, καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην, πιστεύσαντες εἰς τὸν ἐγείραντα τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δόντα αὐτῷ δόξαν καὶ θρόνον ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ. ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα ἐπουράνια καὶ ἐπί-

Propterquod succincti lumbos (1. Petri. 1. ver. 13.) seruite Deo in timore & veritate: dimisso inani vaniloquio & vulgi errore: credentes in eum, *qui suscitauit Dominū nostrum IESVM Christum à mortuis, & dedit ei gloriam,* (Ibidem. ver. 21.) & thronum ad dexteram suam: cui omnia subiecta sunt cæle-

cæleſtia & terreſtria: cui omnis ſpiritus ſeruit; qui venit iudex viuorum & mortuorum: cujus ſanguinem requiret Deus ab ijs, qui non credunt in eum. Qui autem ſuſcitauit eum à mortuis, & nos ſuſcitabit: ſi faciamus eius voluntatem, & in mandatis eius ambulemus: & diligamus ea quæ dilexit, abſtinentes ab omni iniuſtitiâ, fraudatione, auaritiâ, detra-

1. Petri. 3. verſu 9.

ctione, falſo teſtimonio, *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*, pugnum pro pugno, execrationẽ pro execratione. Memores autem eſtote eorum, quæ dixit Dominus docens:

Matthæi 7. vers. 1.

Nolite iudicare & non iudicabimini. Dimittite & dimittetur vobis. Miſeremini, vt miſericordiam conſequamini.

Ibidem, vers. 2.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Et beati pauperes, & qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum Dei.*

Hæc fratres, non ex meo arbitrio vobis ſcribo de iuſtitia: ſed quoniam vos me prouocaſtis. Neque enim ego, neque alius mei ſimilis beati & glorioſi Paulli ſapiẽtiam conſequi poteſt; qui cùm eſſet apud vos aliorum hominum more, qui tunc erant, verbum veritatis certò ac firmiter docuit: qui & abſens vobis epiſtolas ſcripſit: ad quas ſi reſpiciatis, poteritis ædificari in fide quæ data eſt vobis, quæ eſt mater omnium noſtrum, ſpe ſubſequente, præcedẽte caritate in Deum, & in Chriſtum, & in proximum.

Si quis enim hæc in ſe habuerit, præcepto iuſtitiæ ſatis fecerit. Qui enim habet caritatem, longè

γεια· ᾧ πᾶσα πνοὴ λατρεύει· ὃς ἔρχεται κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν· οὗ τὸ αἷμα ἐκζητήσει ὁ Θεὸς ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων αὐτῷ. ὁ δὲ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ ἡμᾶς ἐγερεῖ, ἐὰν ποιῶμεν αὐτοῦ τὸ θέλημα, καὶ πορευώμεθα ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, καὶ ἀγαπῶμεν ἃ ἠγάπησεν, ἀπεχόμενοι πάσης ἀδικίας, πλεονεξίας, φιλαργυρίας, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας· μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ, ἢ λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας, ἢ γρόνθον ἀντὶ γρόνθου, ἢ κατάραν ἀντὶ κατάρας. μνημονεύσαντες δὲ ὧν εἶπεν ὁ κύριος διδάσκων· μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε. ἀφίετε, καὶ ἀφεθήσεται ὑμῖν. Ἐλεεῖτε, ἵνα ἐλεηθῆτε. Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρῆτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. Καὶ ὅτι μακάριοι οἱ πτωχοὶ, καὶ οἱ διωκόμενοι ἕνεκεν δικαιοσύνης· ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

Ταῦτα ἀδελφοὶ οὐκ ἐμαυτῷ ἐπιτρέψας γράφω ὑμῖν περὶ τῆς δικαιοσύνης, ἀλλ᾽ ἐπεὶ ὑμεῖς, προεπεκαλέσασθέ με. Οὔτε γὰρ ἐγὼ, οὔτε ἄλλος ὅμοιος ἐμοὶ δύναται κατακολουθῆσαι τῇ σοφίᾳ τοῦ μακαρίου καὶ ἐνδόξου Παύλου, ὃς γενόμενος ἐν ὑμῖν κατὰ πρόσωπον τῶν τότε ἀνθρώπων, ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ βεβαίως τὸν περὶ ἀληθείας λόγον. ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς. εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν· ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν, ἐπακολουθούσης τῆς ἐλπίδος, προαγούσης τῆς ἀγάπης, τῆς εἰς θεὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ εἰς τὸν πλησίον.

Ἐὰν γάρ τις τούτων ἐντὸς ᾖ, πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης. Ὁ γὰρ ἔχων ἀγάπην, μακράν ἐστι πάσης ἁμαρτίας.

Ἀρχὴ

Ἀρχὴ δὲ πάντων χαλεπῶν φιλαργυρία. Εἰδότες οὖν ὅτι οὐδὲν εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, ἀλλ' οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι ἔχομεν, ὁπλισώμεθα τοῖς ὅπλοις τῆς δικαιοσύνης· καὶ διδάξωμεν ἑαυτοὺς πρῶτον πορεύεσθαι ἐν τῇ ἐντολῇ τοῦ κυρίου. ἔπειτα καὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν ἐν τῇ δοθείσῃ αὐταῖς πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγνείᾳ στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ, καὶ ἀγαπώσας πάντας ἐξ ἴσου ἐν πάσῃ ἐγκρατείᾳ. Καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Θεοῦ. τὰς χήρας σωφρονούσας περὶ τὴν τοῦ κυρίου πίστιν, ἐντυγχανούσας ἀδιαλείπτως περὶ πάντων, μακρὰν οὔσας πάσης διαβολῆς, καταλαλιᾶς, ψευδομαρτυρίας, φιλαργυρίας, καὶ παντὸς κακοῦ. γινωσκούσας ὅτι εἰσὶ θυσιαστήρια θεοῦ. Καὶ ὅτι πάντα ἡμῶν σκοπεῖται, καὶ λέληθεν αὐτὸν οὐδὲν, οὔτε λογισμῶν, οὔτε ἐννοιῶν, οὔτ' ἔτι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας.

est ab omni peccato. Initium autem omnium malorum est auaritia. Scientes igitur, *quòd nihil intulerimus in hunc mundum, sed quòd nec auferre quid possumus*, armemur armis iustitiæ, & doceamus nos ipsos primum ambulare in mandatis Domini: deinde & vxores vestras in fide quæ data est eis, & in caritate, & castitate, amantes viros suos in omni veritate, & diligentes cunctos æqualiter in omni continentiâ, & erudientes filios suos in disciplina timoris Dei. Viduæ sint prudentes circa fidē Domini, orantes sine intermissione pro omnibus, longè absistētes ab omni calumniâ, detractione, falso testimonio, auaritia, & omni malo; scientes se esse altaria Dei. Et quòd Deus omnia nostra consideret: nec eum quicquā lateat, neque cogitationum, neque intētionum, neque etiam occultorum cordis. 1. ad Tim. 6. v. 7.

Εἰδότες οὖν, ὅτι θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, ὀφείλομεν ἀξίως τῆς ἐντολῆς αὐτοῦ καὶ δόξης περιπατεῖν. Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης, ὡς θεοῦ ἐν Χριστῷ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων· μὴ διάβολοι, μὴ δίγλωσσοι, ἀφιλάργυροι, ἐγκρατεῖς περὶ πάντα, εὔσπλαγχνοι, ἐπιμελεῖς. πορευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ κυρίου, ὃς ἐγίνετο διάκονος πάντων· ᾧ ἐὰν εὐαρεστήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀποληψόμεθα καὶ τὸν μέλλοντα, καθὼς ὑπέσχετο ἡμῖν ἐγεῖραι ἡμᾶς ἐκ νεκρῶν. καὶ ὅτι ἐὰν πολιτευσώμεθα ἀξίως αὐτοῦ, καὶ συμβασιλεύσωμεν αὐτῷ. εἴγε πιστεύομεν. Ὁμοίως καὶ νεώτεροι ἄμεμπτοι ἐν πᾶσι, πρὸ παντὸς προνοοῦντες ἁγνείας, καὶ χαλιναγωγοῦντες ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ. Καλὸν γὰρ τὸ ἀνακύ-

Scientes igitur, *quòd Deus non irridetur*, debemus dignè mandato eius & gloria ambulare. Diaconi similiter in conspectu iustitię eius sint irreprehensibiles, tanquā ministri Dei in Christo, & non hominum: non calūniatores, non bilingues; non auari: sint autem cōtinentes in omnibus, misericordes, diligentes, ambulantes in veritate Domini, qui omniū factus est minister: cui si placuerimus in hac vitâ; recipiemus & futuram: sicut nobis promisit, se nos excitaturum à mortuis: & si dignè ipso conuersati fuerimus, cum eo itidem nos regnaturos, si quidē credimus. Iuuenēs itē inculpati sint in omnibus: ante omnia curam casti- ad Gal. 6. v. 7.

castitatis habentes, & se ab omni malo refrenantes. Bonum enim
1.Petri 2.v.11. est à concupiscẽtijs in hoc mundo absistere. Quia omnis concupiscentia militat aduersus spiritũ.
1.Cor.6.v.10. *Neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei poßidebunt*: neque qui absurda faciunt.

πλεσθαι ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν ἐν τῷ κόσμῳ· ὅτι πᾶσα ἐπιθυμία κατὰ τοῦ πνεύματος στρατεύεται: Καὶ οὔτε πόρνοι, οὔτε μαλακοὶ, οὔτε ἀρσενοκοῖται βασιλείαν θεοῦ κληρονομήσουσιν, οὔτε οἱ ποιοῦντες τὰ ἄτοπα.

Quapropter ab his omnibus debetis abstinere, subiecti Presbyteris & Diaconis, vt Deo & Christo. Virgines etiam oportet in immaculata & casta conscientia ambulare. Presbyteri autem sint erga omnes piè affecti, misericordes,
Ad Rom 12. ver.17. reducentes eos, qui aberrauerint, visitantes omnes infirmos, non negligẽtes viduam, aut orphanũ, aut pauperem; sed bonum semper prouidentes corã Deo & hominibus: abstinẽtes ab omni iracundiâ, acceptione personarum, iudicio iniusto: remoti ab omni auaritia: non citò credentes aduersus quempiam: non rigidi in iudicio: scientes nos omnes peccato obnoxios esse. Si igitur Dominum deprecamur, vt nobis dimittat, debemus & nos dimittere. Coram oculis enim Domini & Dei sumus: & omnes oportet *stare ante tribunal Christi*, &
Rom.14.v.10. vnumquemque pro se rationem reddere. Sic igitur seruiamus illi cum timore, & omni reuerentia, quemadmodum ipse præcepit, & qui nobis euãgelizauerũt Apostoli, & Prophetę, qui aduentum Domini nostri prẽnuntiarũt: bonorũ æmulatores, à scandalis cauẽtes, & à falsis fratribus, & ab ijs qui nomẽ Domini ferũt in hypocrisi, qui vanos homines seducũt.

Διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, ὡς θεῷ καὶ Χριστῷ. Τὰς παρθένους ἐν ἀμώμῳ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει περιπατεῖν. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα, ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς, μὴ ἀμελοῦντες χήρας, ἢ ὀρφανοῦ, ἢ πένητος. ἀλλὰ προνοοῦντες ἀεὶ τοῦ καλοῦ ἐνώπιον θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀπεχόμενοι πάσης ὀργῆς, προσωποληψίας, κρίσεως ἀδίκου. μακρὰν ὄντες πάσης φιλαργυρίας. μὴ ταχέως πιστεύοντες κατά τινος. μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει· εἰδότες ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας· εἰ οὖν δεόμεθα τοῦ κυρίου, ἵνα ἡμῖν ἀφῇ, ὀφείλομεν καὶ ἡμεῖς ἀφιέναι. Ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ ἐσμὲν ὀφθαλμῶν, καὶ πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι· οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας· καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμᾶς Ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ κυρίου ἡμῶν· ζηλωταὶ περὶ τὸ καλὸν, ἀπεχόμενοι σκανδάλων, καὶ τῶν ψευδαδέλφων, καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου. οἵ τινες ἀποπλανῶσι κενοὺς ἀνθρώπους.

Πᾶς

Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί. Καὶ ὃς ἂν μεθοδεύῃ τὰ λόγια τοῦ κυρίου πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ.

Omnis enim qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, antichristus est. Et qui nō confitetur martyrium crucis, ex diabolo est. Et qui deflexerit eloquia Domini ad sua desideria, & dixerit neque resurrectionē esse, neque iudicium, hic primogenitus est satanæ.

Διὸ ἀπολιπόντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν, καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας, ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν νήφοντες πρὸς τὰς εὐχὰς, καὶ προσκαρτεροῦντες νηστείαις, δεήσεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην θεὸν, μὴ εἰσενεγκεῖν ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, καθὼς εἶπεν ὁ κύριος· Τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής.

Quare derelicta hominum imperitorū vanitate & falsa doctrinâ, ad traditam nobis ab initio disciplinam conuertamur: *vigilātes in orationibus*, instantes ieiunijs, obsecrationibus: rogantes omnium inspectorem Deum, ne nos inducat in tentationem: sicut dixit Dominus: *Spiritus quidem prōptus est, caro autem infirma.*

1. Petri 4.
Matt. 26. v. 41.

Ἀδιαλείπτως οὖν προσκαρτερῶμεν τῇ ἐλπίδι ἡμῶν, καὶ τῷ ἀρραβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, ὃς ἀνήνεγκεν ἡμῶν τὰς ἁμαρτίας τῷ ἰδίῳ σώματι ἐπὶ τὸ ξύλον· ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· ἀλλὰ δι' ἡμᾶς, ἵνα ζήσωμεν ἐν αὐτῷ, πάντα ὑπέμεινε.

Indesinenter igitur adhæreamus spei nostræ, & pignori iustitiæ nostræ, qui est Christus IESVS: *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius:* sed propter nos, vt in ipso viuamus, omnia sustinuit.

1. Petri 2. v. 41.
Ibid. vers. 22.

Μιμηταὶ οὖν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ· καὶ ἐὰν πάσχωμεν διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, δοξάζομεν αὐτόν· τοῦτον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' ἑαυτοῦ· καὶ ἡμεῖς τοῦτο ἐπιστεύσαμεν.

Imitatores igitur simus patientiæ eius. Et si patiamur propter nomen eius, glorificamus illum. Hoc enim exemplum nobis posuit in seipso: & nos illud credidimus.

Apud Euseb. l. 3. hist. cap. 30.

Παρακαλῶ οὖν πάντας ὑμᾶς πειθαρχεῖν τῷ λόγῳ τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπομονὴν, ἣν ἴδετε κατ' ὀφθαλμοὺς, οὐ μόνον ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ· ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις, πεπεισμένοι, ὅτι οὗτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον· ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δικαιοσύνῃ· καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπα-

Rogo igitur vos omnes, vt obediatis verbo iustitiæ, & omnem patientiam exerceatis, quam oculis ipsis vidistis, non solū in beatis illis Ignatio & Zosimo & Rufo, sed in alijs quoque ex vobis, & in ipso Paullo, & reliquis Apostolis, pro certo persuasi, quòd hi omnes non in vanum cucurrerunt, sed in iustitia, & quod ad debitum sibi locum apud Dominum decesse-

runt, cui & compassi sunt.

Neque enim hoc sæculum amarunt: sed eum qui pro nobis mortuus est.

Hinc incipit vetus interpretatio.

In his ergo state & Domini exemplar sequimini, firmi in fide & immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes inuicem, in veritate sociati, mansuetudinem Domini alterutri præstantes, nullum despicientes. Quum potestis benefacere, nolite differre. *Eleemosyna de morte liberat*: Omnes vobis inuicem subiecti estote: *conuersationem vestram inter gentes habentes bonam*: vt ex bonis operibus vestris & vos laudẽ accipiatis, & Dominus in vobis nõ blasphemetur. Væ autẽ illi, per quẽ nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes: in qua & vos conuersamini.

Tobiæ 12. ver. 9.

1. Petri 2. v. 12.

Nimis cõtristatus sum pro Valẽte, qui Presbyter factus est aliquãdo apud vos: quòd sic ignoret locũ, qui datus est ei. Moneo itaque vos, vt abstineatis ab auaritia, & sitis casti, & veraces. Abstinete ab omni malo. Qui autem in his nõ potest se gubernare; quomodo alij pronũtiat hoc? Si quis nõ abstinuerit ab auaritia, ab idololatria coinquinabitur; & tãquam inter gentes iudicabitur. Quis ignorat iudiciũ Domini? *An nescitis, quoniã sancti de hoc mũdo iudicabũt?* sicut Paullus docet. Ego autẽ nihil tale sẽsi in vobis, vel audiui, in quibus laborauit beatus Paullus, qui estis in principio epistolę eius. De vobis etenim gloriatur in omnibus ecclesijs, quæ Deum solæ tũc cognouerant, nos autem nõdum noueramus. Valde ergo fratres

1. ad Cor. 6. v. 2.

θον.

Ο'υ γδ τὸν νῦν ἠγάπησαν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα.

Græcum exemplar epistolæ S. Polycarpi, quod nactus sum, nihil amplius continebat, quàm quod hic suprà positum est. Quippe vitio descriptoris (qui totam epistolam non descripsit, sed per errorem aut oscitantiam aliena subiecit) exemplar illud mutilum mansit.

Latina autem versio veteris interpretis (vtpote integrum exemplar græcum nacti) integra est atque perfecta. Nec dubium quin latina epistola, quod ad rem ac sensum attinet, sit vera ac germana S. Polycarpi, siue è græco exemplari vero ac germano translata. Verùm de hac pluribus agetur infrà in Notationibus ad hoc caput XVII. Hic autem in vacuis paginis nihil notabo aliud, nisi græca desiderari: donec tandem è latebris suis (si quas habeant, & non penitus interierint) eruantur.

Desiderantur Græca S. Polycarpi.

De-

Latina, quibus ex aduerso non respondent Græca, sunt veteris interpretis: quæ, licet nonnihil vitiosa, sine Græcis non possunt corrigi.

contristor pro illo & coniuge eius: quibus Dominus det pœnitẽtiam vestram. Sobrij estote & vos in hoc, & non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia mẽbra & errantia eos reuocate, vt omnium vestrum corpus saluetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis. Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris litteris: & nihil vos latet: mihi autem non est concessum modò, vt his scripturis dictum est: *Irascimini & nolite peccare.* Et, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Beatus qui meminerit: quod ego credo esse in vobis. Deus autem & Pater Domini nostri IESV Christi, ipse sempiternus Pontifex, Dei filius, Christus IESVS ædificet vos in fide & veritate, & omni mansuetudine, & sine iracundia, in patientia & longanimitate & tolerantia & castitate, & det vobis sortem & partem inter sanctos suos, & nobis vobiscum, & in omnibus qui sunt sub cælo, qui credituri sunt in Dominum nostrum IESVM Christũ, & in ipsius Patrem, qui resuscitauit eũ à mortuis. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro Regibus & Potestatibus & Principibus, atque pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis, vt fructus vester manifestus sit in omnibus, vt sitis in illo perfecti.

Psal. 4. ver. 5.

Ad Ephes. 4. ver. 6.

Desiderantur Græca S. Polycarpi.

Illa quæ græcè hic sequuntur, sunt ipsissima S. Polycarpi verba, quæ Eusebius Cæsariensis ex epistola eius exscripsit, atque in suam historiam ecclesiasticam lib. 3. cap. 30. transtulit.

Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα. ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ

Scripsistis mihi & vos & Ignatius, vt si quis eat in Syriam, vestras etiam perferat litteras. Quod equidem faciam, si tempus opportunum nactus fuero, siue egomet ipse, siue is quem mittam legatione functurum etiam pro vobis.

Ignatij epistolas nobis ab eo missas, & alias quotquot penes nos habuimus, vobis, sicut mandastis, misimus: quę quidem huic epistolæ subiectæ sunt: quibus multum iuuari poteritis. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.

Hæc vobis scripsi per Crescentem, quem in præsentem diem commēdaui vobis, & nunc commendo. Conuersatus est nobiscū inculpabiliter: credo, quia vobiscum similiter. Sororem autem eius habebitis commendatam, cùm venerit ad vos. Incolumes estote in Domino IESV Christo, Gratia cum omnibus vobis. Amen.

ἄλλας ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε. αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ, ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχουσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν.

Desiderantur græca S. Polycarpi.

Hactenus S. Polycarpi epistola: nunc ad quædam eiusdem scriptorum fragmenta (quæ S. Victoris Episcopi Capuæ beneficio adhuc conseruata sunt, & nuper à FRANCISCO FEV-ARDENTIO in publicum data) veniamus.

CAPVT XVIII.

DIVI POLYCARPI SMYRNENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, B. IOANNIS EVANGELISTÆ QVONDAM DISCIPVLI RESPONSIONVM FRAGMENTA.

MAtthæus Dominum dixisse testatur, quod Moyses scribit Adam loquutum fuisse hoc modo: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem* &c. Sed concordant Domini verba cum Moysi sermonibus. Quia enim Adam præbens officium inspiratione diuina prophetauit, ipse à Moyse hoc dixisse refertur. Deus verò, quia per inspirationem diuinam in corde Adam ista verba formauit, ipse Pater à Domino rectè loquutus fuisse refertur. Nam & Adam hanc prophetiam protulit; & Pater, qui eam inspirauit, rectè dicitur protulisse.

Gen. 2 ver. 23. & 24.

Matt. 19 ver. 5.

IDEM AD HÆC VERBA CHRISTI: *Calicem meum bibetis.* &c. Matthæi 20.

Act. 12. ver. 2.

Per huiusmodi potum significat passionem: & Iacobum quidem nouissimum martyrio consummandum, fratrem vero eius Ioannem transiturum absque martyrio: quamuis & afflictiones plurimas & exilia tolerarit: sed præparatam martyrio mentem Christus martyrium iudi-

iudicauit. Nam Apostolus Paullus, *Quotidie*, inquit, *morior*: cùm impossibile sit quotidie mori hominem ea morte, quâ semel vita hæc finitur. Sed quoniam pro euangelio ad mortem iugiter erat preparatus, se mori quotidie sub ea significatione testatus est. Legitur & in dolio feruentis olei pro nomine Christi beatus Ioannes fuisse demersus. 1 ad Cor. 15. ver. 31.

IDEM DE INITIO EVANGELII SECVNDVM MARCVM.

Rationabiliter euangelistæ principijs diuersis vtuntur, quamuis vna eadémque euangelizandi eorum probetur intentio. Matthæus, vt Hebræis scribens, genealogiæ Christi ordinem texuit, vt ostenderet ab ea Christum descendisse progenie, de qua eum nasciturum vniuersi Prophetæ cecinerant. Ioannes autem ad Ephesum constitutus, (qui legem tanquam ex Gentilibus ignorabant) à caussa nostræ redemptionis euangelij sumpsit exordium: quæ caussa ex eo apparet, quòd Filium suum Deus pro nostra salute voluit incarnari. Lucas verò à Zachariæ sacerdotio incipit, vt eius filij miraculo natiuitatis, & tanti prædicatoris officio, diuinitatem Christi Gentibus declararet. Vnde & Marcus antiqua prophetici mysterij competentia aduentui Christi declarat: vt non noua, sed antiquitus prolata eius prædicatio probaretur. Aut per hoc Euangelistis curæ fuit, eo vti procemio; quod vnusquisque iudicabat auditoribus expetere. Nihil ergo contrarium reperitur, vbi, licet diuersis scriptis, ad eandem tamen patriam peruenitur.

IDEM IN ILLVD: *Noli vocare amicos tuos, sed pauperes & debiles* &c. Lucæ. 14. versu 12.

Præcepit non amicos, sed infirmos quosque vocandos ad prandium. Quòd si claudus, aut quilibet eorum sit amicus, sine dubio talis pro amicitia minimè est rogandus: vnde ipsa quasi videntur se impugnare mandata. Nam si non amici, sed claudi & cæci sunt inuitandi, si ipsos quoque amicos esse contingat, nequaquam rogare debemus. Sed amicos arbitror intelligi hoc loco debere illos, quos pro mundi huius terrenâ consideratione diligimus; non pro diuinæ contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi. Denique ideo debilium exẽpla proposuit, quòd eos pro nullius possimus appetere necessitate negotij, nisi tantùm pro fructu retributionis æternæ.

IDEM IN ILLVD: *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam*. Ioannis 17. versu 4.

Quomodo opus salutis humanæ adimplèsse commemorat, cùm necdum crucis vexillum conscenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta venerandæ passionis insignia adire decreuerat, iure se opus perfecisse significat. &c.

Ita citauit hæc fragmenta, & primus in lucem protulit vir egregiè doctus, nec minus caritate ardens, & nomini suo compar Franciscus Feu-ardentius, in suis ad S. Irenæum annotationibus libro 3. cap. 3.

Quibus

Quibus fragmentis idē ita subijcit: *Hæc VICTOR CAPVANVS vir græcè & latinè doctus, circa annum Domini 480. ex græco Responsionum capitulorum B. Polycarpi, quem nactus erat, codice à se latina facta recensuit, & in suprà nominata Catena manuscripta, quam penes me habeo, & cùm per Typographos licebit, studiosis communicabo, citantur. Quæ in hunc locum inserere, atque publicare visum est: quòd hactenus nondum euulgata fuisse nouerim.* Ita diligens & de SS. Patribus bene meritus Feuardentius. Qui & proximè ante ipsa Fragmenta annotarat se illa Virduni in quadam vetustissimis characteribus manu descripta super Quatuor Euangelistas Catena inuenisse: *Ut à Victore Episcopo Capuano,* inquit, *ante mille & centum annos ibidem laudantur.*

Verùm de hisce beatissimi Polycarpi fragmentis in præsenti satis: nunc ad ea, quæ nobis Ecclesia Græca in suo Menæo ad eiusdem gloriosi Martyris honorem reliquit, transeamus.

CAPVT XIX.

Menæi Græcorum de S. Polycarpo sacra Monumenta.

COlit Menæum S. Polycarpi solemnem memoriam die 23. Februarij: vbi post notationem diei duos iambicos senarios & vnum heroicum subijcit: deinde quoddam vitæ compendiolum, profert: quemadmodum hic sequitur.

Eodem mense, 23. memoria sancti Martyris Polycarpi, Smyrnæ Episcopi.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, κγ. μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Πολυκάρπου, Ἐπισκόπου Σμύρνης.

Tibi Polycarpus Christe totus vstus est.

Ex igne fructum (mira res) dans vberem.

Vicenâ & trinâ Polycarpus luce crematur.

Σοὶ ὁ Πολύκαρπος ὁλοκαυτοῦται Λόγε.

Καρπὸν πολὺν δοὺς ἐκ πυρὸς ξενοτρόπως.

Εἰκάδι καὶ τειτάτῃ κατὰ φλὸξ Πολύκαρπον ἔκαυσεν.

Fuit hic Ioannis Theologi & Euangelistæ vnà cū Ignatio Theophoro discipulus, & post Bucolū sanctissimum Smyrnæ Episcopū, qui prædixerat ei sacerdotium, ab Episcopis est consecratus. In persecutione autem Decianâ comprehensus atque Proconsuli oblatus, per ignem certamen consummauit, atque excellentium patrator miraculorum fuit. Nam & ante sacerdotium, mulieris, quę eum

Οὗτος ἐμαθητεύθη τῷ θεολόγῳ Ἰωάννῃ καὶ εὐαγγελιστῇ σὺν Ἰγνατίῳ τῷ Θεοφόρῳ, καὶ μετὰ Βουκόλον τὸν ἁγιώτατον ἐπίσκοπον Σμύρνης χειροτονεῖται παρὰ τῶν ἐπισκόπων, προθεσπίσαντος αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην τοῦ μακαρίου Βουκόλου. Ἐν δὲ τῷ κατὰ Δέκιον διωγμῷ συλληφθεὶς προσήχθη τῷ ἀνθυπάτῳ, καὶ διὰ πυρὸς τὸν ἀγῶνα διήνυσε, καὶ θαυμάτων ἐξαισίων δημιουργὸς γέγονε. Πρὸ γὰρ τῆς ἱερωσύνης τῆς θρεψαμένης αὐτὸν γυναικὸς τοὺς σιτῶνας ἐπλήρωσε δι' εὐχῆς,

εὐχῆς, οὓς πρότερον εἰς τὴν τῶν δεομένων χρείαν ἐκένωσε· καὶ πυρὸς καταφλέγοντος ἐπέσχεν ὁρμὴν μετὰ τὴν τῆς ἱερωσύνης ἀνάῤῥησιν, καὶ δι' ἱκεσίας ὑετὸν αὐχμώσῃ τῇ γῇ κατήγαγε, καὶ πάλιν τούτου τὴν ἀμετρείαν ἀνέστειλε· τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ.

aluerat, horrea precationis auxilio repleuit, quæ in vſus egenorum ipſe prius euacuauerat; & à ſuſcepto ſacerdotio ignis accenſi impetum inhibuit: & pluuiam arenti ſolo induxit: ac rurſus immoderatam eius copiam repreſſit. Celebratur eius ſolemnitas in ſãctiſſima magna eccleſia.

Hoc eſt ibi vitæ S. Polycarpi compendium. Nunc ſacra in eiuſdem honorem elogia, vt ibidem deſcripta reperiuntur, proponemus: quorum nonnulla diſiuncta ſunt: quædam in acroſtichin coniuncta. Prius de diſtinctis agemus, poſtea de alijs.

ELOGIA.

1.

Ὅτε τῆς παρθένου ὁ καρπὸς καὶ ζωαρχικώτατος σπόρος εἰς γῆν ἐνέπεσε, τότε σε Πολύκαρπον στάχυν ἐβλάστησε τοὺς πιστοὺς διατρέφοντα τοῖς τῆς εὐσεβείας λόγοις τε καὶ δόγμασι, καὶ τῆς ἀθλήσεως τούτους ἁγιάζοντα θείῳ αἵματι, καὶ ἱερωσύνης μύρῳ καθαγνίζοντα Πολύκαρπε.

1.

Quum virginis fructus & ſemẽ quod extitit vitæ principium, in terram cecidit: tum te vberem fructu ſpicam edidit, ô Polycarpe, pietatis ſermonibus & documentis fideles enutrientem, & diuino ſanguine certaminis ſanctificantem, atque vnguento ſacerdotij purificantem.

2.

Ἔδυς ἐκ τοῦ κόσμου πρὸς θεὸν τὰς μαρμαρυγὰς ἀποστίλβων τοῦ μαρτυρίου σου, ἐς τῆς ἐφέσεως τὸ ἀκρότατον ὀρεκτῶν φθάσας ὅσιε, καὶ τῆς μακαρείας αἴγλης ἐμφορούμενος. ἧς νῦν ἱκέτευε πάντας ἀξιωθῆναι σὺν πίστει νῦν τὴν σὴν πανίερον μνήμην μάκαρ ἑορτάζοντας Πολύκαρπε.

2.

E mundo ad Deum diffuſis martyrij tui fulgoribus, ô ſancte demigraſti, ſumma votorum aſſecutus, & beata luce exſatiatus: quâ vt omnes donentur, quicunque ſanctiſſimam tui memoriam in fide nunc celebrant, ô beate Polycarpe, iam ſupplica.

3.

Ὅτε ἐπὶ ξύλου τοῦ σταυροῦ ἡ ἀληθινὴ κρεμασθεῖσα ὑψώθη ἄμπελος, τότε σε κατάκαρπον κλῆμα ἐξέτεινε τῇ δρεπάνῃ τεμνόμενον σεπτοῦ μαρτυρίου, καὶ τοῖς τῶν κολάσεων ληνοῖς πατούμενον. οὗπερ εὐφροσύνης κρατῆρα πίστει συγκεράσαντες, πάτερ, σοῦ σεπτοὺς ἀγῶνας σου δοξάζομεν.

3.

Quum vera vitis in ligno Crucis ſuſpenſa, exaltata eſt, tum te fructiferum palmitem nobilis martyrij falce reſectum, & ſuppliciorum torculari expreſſum eduxit. Cuius craterem lætitiæ cum fide miſcentes, tua, ô Pater, certamina honoramus.

4.

Τὸν τῆς χάριτος βότρυν ἐν τῇ ψυ-

4.

Gratiæ racemo in anima tua

verè

rè exculto, pater ſapiens, verbum fidei tanquam vinum fideliũ omnium mentes lætificans effudiſti, ac miraculorum quoddam infinitum pelagus apparuiſti. Vnde & martyrum decus demonſtratus es Polycarpe, igni conſecratus & æterna luce dignatus. Chriſto Deo ſupplica, vt nobis ſanctam tui memoriam ex amore celebrantibus remiſſionem indulgeat delictorum.

χῆ σου ἀληθῶς γεωργήσας, πάτερ σοφὲ, ὡς οἶνον ἐξέβλυσας τὸν τῆς πίστεως λόγον, τὸν εὐφραίνοντα πάντων πιστῶν διάνοιαν, καὶ θαυμάτων ὤφθης ἀπέραντον πέλαγος. ὅθεν καὶ μαρτύρων καλλονὴ ἀνεδείχθης πυρὶ τελειούμενος, καὶ φωτὸς ἀξιούμενος ἀϊδίου Πολύκαρπε. πρέσβευε Χριστῷ τῷ θεῷ τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

5.

Mentis fructus per virtutes diuinas Domino producens, ô ſapiens Polycarpe, eximij ac Deo digni Pontificis nomen aſſecutus es. Vnde hodie tuis illuſtrati ſermonibus laudabiliſſimam tui memoriam celebramus, glorificantes Dominum.

5.

Καρποὺς τοὺς λογικοὺς τῷ κυρίῳ προσφέρων, Πολύκαρπε σοφὲ, ἀρετῶν δι' ἐνθέων, δῖος καὶ ἀξιόθεος ἱεράρχης δεδόξασαι. Ὅθεν σήμερον οἱ φωτισθέντες σοῖς λόγοις ἀνυμνοῦμέν σου τὴν ἀξιέπαινον μνήμην, δοξάζοντες κύριον.

6.

Poſtquam ſapientiæ hauſiſti bonitatem, per illam, ô pater, gregẽ tuum, & Dei cognitione repleſti, & ſanctiſſimæ atque ineffabilis diuinitatis Trinitatem perſonarum dilucidaſti, Patris quidem vim non generabilem, Filij verò generationẽ, Spiritus autem proceſſionem, vnam deitatem, vnam gloriam certò condocens, & idolorum impietatem procul amoliens: fructus denique maturos credentium animas, ô glorioſe, ei offerens, in quo baptizati ſumus; in quem & credimus glorificantes Dominum.

6.

Τὴν τῆς σοφίας χρηστότητα ἀρυσάμενος, ἐξ αὐτῆς πάτερ ἔπλησας θεογνωσίας τὴν ποίμνην σου, καὶ τῆς παναγίας καὶ ἀρρήτου θεότητος τὸ τρισήλιον ἤστραψας· τοῦ πατρὸς τὸ ἀγέννητον, υἱοῦ δὲ τὴν γέννησιν, καὶ ἐκπόρευσιν πνεύματος, μίαν θεότητα, μίαν δόξαν τρανῶς ἐνδιδάξας, καὶ εἰδώλων ἀθείαν ἐκποδὼν ἀποποιήσας· καρποὺς δὲ ὡρίμους ψυχὰς πιστευόντων προσάγων τούτῳ ἔνδοξε, ἐν ᾧ βεβαπτίσμεθα· εἰς ὃν καὶ πιστεύομεν δοξάζοντες κύριον.

7.

Multos Domino fructus obtuliſti, homines per te ab errore dæmonum liberatos, ô ſapiens Polycarpe, glorioſe martyr, par Angelis, Apoſtolorum contuber-

7.

Πολλοὺς καρποὺς προσήνεγκας Χριστῷ σοφὲ Πολύκαρπε τοὺς διά σε σεσωσμένους βροτοὺς ἐκ πλάνης δαιμόνων ἱερομάρτυς ἔνδοξε, Ἀγγέλων ἰσοστάσιε, καὶ Ἀποστόλων σύσκηνε· μεθ' ὧν

ὧν μνημόνευε πάτερ τῶν σε τιμώντων ἐκ πόθου.

nalis: quibuſcum vnà, ô Pater, noſtrûm eſto memor te ex amore colentium.

Hactenus ſeiuncta elogia: nunc ad Acroſtichin, hoc eſt, ad ea elogia, quorum ſingulorum principes litteræ, ſeu (vt vulgo appellantur) initiales verſum hexametrum efficiunt.

ACROSTICHIS.

Τὸν θεῖον Πολύκαρπον ἐν ᾄσμασιν εὐφημήσω.

Diuinum cantu Polycarpum concelebrabo.

Θεοφανοῦς.

Theophanis.

Τῇ τοῦ Χριστοῦ φωταγωγίᾳ λαμπόμενος, καὶ τῆς αὐτοῦ ἐλλάμψεως πάτερ πληρούμενος τὴν ζοφώδη ψυχήν μου καταύγασον θεόφρον ταῖς ἱκεσίαις σου.

Chriſti lumine reſplendens, atque eius illuſtratione plenus, tenebroſam animam meam, ô Pater religioſiſſime, tuis precationibus illuſtra.

Ὁ φωτισμὸς τοῦ σωτηρίου κηρύγματος τὴν καθαρὰν καρδίαν σου, καθάπερ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον, πάτερ, ἀστράψας τὰς ἀκτῖνας πᾶσιν ἐξέλαμψεν.

Lux ſalutiferæ prædicationis, puram animam tuam, ô Pater, quaſi ſpeculum nitidiſſimum, colluſtrans, radios in omnes diffudit.

Νόμου καινοῦ στηλογραφία σὺ γέγονας, ἐγγεγραμμένον ἔχουσα, πάτερ, οὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι θείῳ τῆς χάριτος τῆς θείας τὸ εὐαγγέλιον.

Nouæ legis inſcripta columna extitiſti, ô Pater, inſcriptum gerens, non atramento, ſed ſancto Spiritu, diuinæ gratiæ euangelium.

Θεὸν ἐκ σοῦ σωματωθέντα γινώσκομεν ἄνευ σαρκὸς θελήματος, τὸν πρὸ τῆς κτίσεως, καὶ πρὸ πάντων αἰώνων κυρίως θεοτόκον ὁμολογούντων σε.

Deum ex te corporatum agnoſcimus [ô Deipara] ſine voluntate, carnis, eum qui ante creationem & ante omnes æonas te propriè Deiparam confitentes extitit.

Ἐλαία, ψαλμικῶς εἰπεῖν, κατάκαρπος ἐγένου, Πολύκαρπε θεοφάντως, ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ κυρίου σου ἱλαρότητα φέρων τοῦ κηρύγματος.

Oliua fructifera, vt pſalmi voce vtar, *fuiſti in domo domini tui*, ô Polycarpe diuiniloque, hilaritatem proferens præconij.

Ἰθύνας ἐμμελῶς θεομακάριστε τὸν νοῦν σου προστάγμασι τοῦ σωτῆρος, ἐπαξίως ἐχρημάτισας τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας ποιμὴν ἄριστος.

Mentem tuam Saluatoris præceptis ſtudioſè dirigens, ô beatiſſime, optimus paſtor eius eccleſiæ meritò nuncupatus es.

Ὁλόκληρον σαυτὸν Χριστῷ προσήγαγες, ὡς ζῶσαν θυσίαν, τῷ μαρτυρίῳ

Totum teipſum Chriſto, tanquam viuentem hoſtiam martyrio

rio obtulisti, ô beatissime, consciẽtiæ testimonium per exercitationem præmeditatus.

Mortalitatis nostræ puluerem excussisti, ô virgo, dùm verè immortalitatem peperisti, & generatione tuâ incorruptionis stolas nobis texuisti.

Multifera plantatio vbertatem virtutum proferens Domino apparuisti, ô Pater Polycarpe.

Perfectum holocaustum & purùm sacrificium, omnium Saluatori oblatus es, Pater Polycarpe.

Populum ad diuinæ cognitionis lucem piè deducens, impietatis tenebras, ô sancte, depulisti.

Firmam animæ tuæ constantiam, & tuorum certaminum vim inexpugnabilem, ô gloriose, celebramus.

O intaminata, quæ lumen subsistens peperisti, tenebrosam animã meam lumine tuo illumina.

Spiritus splẽdore collustratam gerens mentem, ô sancte pientissime, per ignem ardentem tuam per flammas consummationem symbolicè edoctus es.

Vitæ fluentum, quasi è torrente deliciarum, excepisti, ô sancte, à dilecto discipulo edoctus, qui abyssum sapientiæ hauserat.

Diuitias, & illustrem gloriam, & longitudinem vitæ, & æuum immortale tibi Christus vera sapientia, ô Pater, tanquam ipsum eximiè diligenti, elargitus est.

Antiquus dierum, ô castissima, in sanctificatum vterum tuum tanquam pluuia in vellus descendit, & hominum amator nouus Adam apparuit.

Toti mundo mortuus, ô diui-

συνειδήσεως μαρτύριον προαθλήσας παμμάκαρ δι' ἀσκήσεως.

Νεκρώσεως ἡμῶν τὸν χοῦν ἐτίναξας τεκοῦσα τὴν ὄντως ἀθανασίαν, καὶ στολὰς ἡμῖν ἐξύφανας ἀφθαρσίας, παρθένε, τῇ γεννήσει σου.

Πολυκαρπίαν φέρουσα τῶν ἀρετῶν πολύκαρπος φυτεία τῷ δεσπότῃ ὤφθης πάτερ Πολύκαρπε.

Ὁλοκαύτωμα τέλειον, καὶ καθαρὰ θυσία προσηνέχθης τῷ σωτῆρι πάντων, πάτερ Πολύκαρπε.

Λαὸν εὐσεβῶς ὅσιε καθοδηγῶν πρὸς φῶς θεογνωσίας, τὸν τῆς ἀθεΐας ζόφον ἀπήλασας.

Ὑμνολογοῦμεν ἔνδοξε τὴν τῆς ψυχῆς στεῤῥάν σου καρτερίαν, καὶ τῶν σῶν ἀγώνων τὸ ἀκαθαίρετον.

Καταλάμπρυνον ἄχραντε τὴν ζοφερὰν ψυχήν μου τῷ φωτί σου ἡ τὸ φῶς τεκοῦσα τὸ ἐνυπόστατον.

Αἴγλῃ τοῦ πνεύματος καταλαμπόμενος τὸν νοῦν, ὅσιε, συμβολικῶς πυρὶ φλεγομένῳ τὸν νοῦν ἐμυήθης τὴν διὰ πυρός σου θεόφρον τελείωσιν.

Ῥεῖθρον ἐδέξω ζωῆς, ὡς ἐκ χειμάρρου τῆς τρυφῆς, ὅσιε τῷ μαθητῇ τῷ ἠγαπημένῳ μεμαθητευμένος, τῷ ἀρυσαμένῳ σοφίας τὴν ἄβυσσον.

Πλοῦτον καὶ δόξαν λαμπρὰν καὶ μῆκος βίου, καὶ ζωὴν ἄφθαρτον ἡ ἀληθὴς σοφία Χριστός σοι δεδώρηται, πάτερ, ὡς διαφερόντως αὐτὸν ἀγαπήσαντι.

Ὁ παλαιὸς ἡμερῶν, ὡς ἐπὶ πόκον ὑετὸς, πάναγνε, ἐπὶ τὴν σὴν γαστέρα κατῆλθε τὴν ἡγιασμένην, καὶ νέος ἐφάνη ἀδὰμ ὁ φιλάνθρωπος.

Νεκρωθεὶς, θεηγόρε, τῷ κόσμῳ παντί,

τί, μόνῳ δὲ Χριστῷ ζῶν καὶ πολιτευόμενος πρὸς τὸν Χριστὸν μεθέστηκας. ζωτικὴν ἀφθαρσίαν καρπούμενος.

niloque, soli autem Christo viuens, & cum illo versans, ad Christum migrasti æternitatem vitæ adeptus.

Εὐσχημόνως ὁδεύων, μακάριε, τέκνον φωτός τε καὶ εἰρήνης δεικνύμενος, τὸν τῆς νυκτὸς πρωτότοκον καὶ πολέμιον ἔγνως Μαρκίωνα.

Honestè ambulans, ô beate, & lucis ac pacis filius audiens, noctis primogenitum & aduersariũ cognósti Marcionem.

Νουθετούμενοι, πάτερ, τοῖς λόγοις σου, πᾶσαν ἐκτρεπόμεθα βέβηλον αἵρεσιν, καὶ πονηρὰ συνέδρια τῶν διττὰς πρεσβευόντων ἀρχὰς δυσσεβῶν.

Tuis, ô Pater, sermonibus admoniti cunctam auersamur profanam hæresim, improba conciliabula impiorum bina principia constituentium.

Ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου τὸν αἴροντα ἄχραντε ἀμνὸν συλλαβοῦσα, πανάμωμε, ἁμαρτιῶν συγχώρησιν ἐκδυσώπει δοθῆναι τοῖς δούλοις σου.

O immaculata, quæ agnum innocentissimum concepisti, peccatum mundi auferentem, noxarum condonationem seruis tuis impetra.

Στερρῷ λογισμῷ καιομένης τῆς φλογὸς ἐπέβης ἔνδοξε, ὡς οἱ τρεῖς παῖδες οἱ τὸν κάμινον πυρὶ ἀΰλῳ δροσίσαντες· μέσος δὲ πυρὸς ἀνακράζων, ἀκατάφλεκτος ἔμεινας, εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Firmo proposito ardentes flammas, ô gloriose, ingressus es, velut tres pueri igne spirituali caminum irrorantes: medius autem ignium incombustus permansisti clamans: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Μακάριος εἶ, καὶ καλῶς σοι ἔσται νῦν κατασκηνώσαντι, ἔνθα μαρτύρων στρατεύματα, ἔνθα τῶν σοφῶν Ἀποστόλων αἱ χορεῖαι κραυγάζουσιν· εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Beatus es, & bene tibi nunc erit, habitanti, vbi iustorum tabernacula, vbi martyrum agmina, vbi sapientum Apostolorum chori clamant: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Ἀκάρπους τὸ πρὶν πολυκάρπους τῷ Χριστῷ ψυχὰς προσήνεγκας τῇ γεωργίᾳ τῇ τοῦ πνεύματος καθομαλίσας καὶ εὐστάχυν ταύταις καταθέμενος σπόρον, καὶ κραυγάζειν ἐπαίδευσας. εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Infructuosas priùs Christo, admodum fructuosas spiritus culturâ obtulisti animas, digesto ipsis & confirmato semine, & clamare docuisti: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Σὺ μόνη θεοῦ τὰ σύμπαντα σοφῶς δημιουργήσαντος μήτηρ ἐδείχθης ἀπειρόγαμος, παρθενομήτορ πανάχραντε. Ὅθεν εὐσεβῶς σοι παρθένε ἀνακράζομεν λέγοντες· Εὐλογημένη ἡ θεὸν σαρκὶ κυήσασα.

Tu sola, Dei omnia sapienter architectati mater constituta es, intacta simul virgo, & mater prorsus intaminata. Vnde tibi, ô Virgo, piè acclamamus dicentes: Benedicta, quę Deum carne genuisti.

Chriſti myſtico ſacrificio à te piè peracto, ô ter beate Polycarpe, rationale ſacrificium ipſe oblatus es Deo, victima accepta, & bene placens holocauſtum.

Ἱερουργήσας εὐσεβῶς τοῦ Χριστοῦ τὴν μυστικὴν ἱερουργίαν, λογικὸν ἱερεῖον αὐτὸς προσηνέχθης Θεῷ, θυσία δεκτὴ καὶ εὐάρεστος ὁλοκαρπουμένη Πολύκαρπε τρισμάκαρ.

Iuuenilem in canicie & maximam fortitudinem demonſtraſti, virtute Crucis tuã ad diuina certamina mentem exſuſcitãs, ô ſanctorum Chriſti martyrum decus, vir pientiſſime.

Νεανικὴν ἐν πολιᾷ καὶ βαθύτατον ἀνδρείαν ἐπεδείξω, τοῦ σταυροῦ τῇ δυνάμει διαναστήσας σαυτοῦ πρὸς θείους ἀγῶνας τὸ φρόνημα, ἱερομαρτύρων Χριστοῦ κλέος, θεόφρον.

Innixus cruci, & Pontificium ornatum dignè indutus, ô Pater, in Dei templum tuo ſanguine, appariturus Chriſto principi paſtorum, ingreſſus es.

Ἐπερειδόμενος σταυρῷ, καὶ τὸν ἱεραρχικὸν κόσμον ἀξίως ἐνδυσάμενος, πάτερ, εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ εἰσῆλθες ἰδίῳ σου αἵματι, τῷ ἀρχιποιμένι Χριστῷ ἐμφανισθῆναι.

Pro Chriſto immolatus tanquã eximius aries, ô ſacrorum interpres, imitator eius paſſionis extitiſti, & gloriæ particeps factus, & regni eius coheres.

Ὑπὲρ Χριστοῦ σφαγιασθεὶς, ὡς ἐπίσημος κριὸς, ἱεροφάντορ, μιμητὴς ἀνεδείχθης τῶν παθημάτων αὐτοῦ, καὶ δόξης ἐγένου συμμέτοχος, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ συγκληρονόμος.

Luminoſa ignis columna, & nubes lucida viam ad cæleſtem ſortem præmonſtrans mihi ſis, ô caſta Deipara, & virgo immaculata, in hac vitæ ſolitudine oberrãti.

Φωτοειδὴς στῦλος πυρὸς, καὶ νεφέλη φωτεινὴ προηγουμένη πρὸς οὐράνιον κλῆρον, θεογεννῆτορ ἁγνὴ γένου μοι παρθένε πανάμωμε, τῷ ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ βίου πλανωμένῳ.

Exorta tui lucifera memoria, ô Pater admirande, animas eam piè celebrãtium illuminat, & participes diuinæ illuſtrationis cunctos efficit: quam meritò hymnis, ô pientiſſime, magnificamus.

Ἡ φωσφόρος σου μνήμη ἀνατείλασα, πάτερ, φωτίζει τὰς ψυχὰς τῶν εὐσεβῶς ταύτην τελούντων θεσπέσιε, καὶ μετόχους τῆς θείας φωτοφανείας πάντας ἐκτελεῖ· ἣν ἀξίως θεόφρον ἐν ὕμνοις μεγαλύνομεν.

Cum ſuperno ſanctorum Angelorum choro, Domini throno aſſiſtens, illum exora, vti nos eius ſalutaris paſſionis & reſurrectionis, cùm virtutis formas multiformes hilarè exercuerimus, compotes ſimus.

Μετὰ τῆς ἄνω χορείας τῶν ἁγίων Ἀγγέλων τῷ θρόνῳ τοῦ δεσπότου παρεστὼς, τοῦτον δυσώπει τοῦ φθάσαι ἡμᾶς τὸ σωτήριον πάθος, καὶ τὴν αὐτοῦ ἀνάστασιν φαιδρῶς ἀρετῆς πολυτρόπους ἰδέας ἐκτελέσαντας.

Sanctę Trinitatis intelligentia, ô beate Pater Polycarpe multò fortunatiſſime, tibi non in ænigmatibus, vt priùs, ſed manifeſtè, tanquam puro & cor totum ex-

Ἡ τῆς ἁγίας Τριάδος κατανόησις, πάτερ, τρανῶς· οὐκ ἐν αἰνίγμασιν, ὡς πρίν· ὡς καθαρῷ τὴν καρδίαν σοι διαχόντι τὴν ὅλην, καὶ τῶν δεσμῶν λυθέντι τῆς φθορᾶς, κατεπείγεται μάκαρ Πολύ-

καρπε

καρπε πανόλβιε.

pandenti, & corruptionis vinculis exoluto conſpicitur.

Στεφηφοροῦντά σε, πάτερ, καὶ βραβεῖον τῆς νίκης δεξάμενον ἐκ θείας δεξιᾶς, καὶ τοὺς ἀγῶνας τελέσαντα, καὶ φωτὸς πληρωθέντα πιστεύοντες, Πολύκαρπε σοφέ, πρεσβευτὴν τῷ Χριστῷ σε προθύμως προβαλλόμεθα.

Coronatum te, ô ſapiens Pater Polycarpe, & brauio victoriæ manu diuinâ donatum, & confectis certaminibus luce repletum credentes, deprecatorem te ad Christum animo confidenti mittimus.

Ὡς θεοτόκον σε κόρην καὶ μητέρα τοῦ Λόγου καὶ πρόξενον ὑπάρχουσαν ἡμῖν τῆς ἀϊδίου καὶ θείας ζωῆς, ὡς τῆς δικαιοσύνης τὸν ἥλιον ἐκλάμψαν ἡμῖν οἱ πιστοὶ ὁμοφρόνως ἐν ὕμνοις μεγαλύνομεν.

Nos te, ô Virgo, tanquam Deiparam & Verbi matrem, & æternæ ac diuinæ vitæ nobis conciliatricem & ſolis iuſtitiæ productricem, fideles vnanimiter in hymnis magnificamus.

Hactenus acroſtichis: in quam nonnullæ Virginis Deiparæ laudes ex more Græcorum inſertæ ſunt: nempe in littera Θ. quæ numero quarta eſt, & littera N. numero octaua, & littera K. numero decimatertia, & littera O. numero decimaſeptima, & littera A. numero vigeſimaprima, & littera Σ. numero vigeſimaquinta, & littera Φ. numero trigeſima, & littera Ω. numero vltima. Ex quibus intelligi poteſt, quanta olim fuerit eccleſiæ Græcorum erga ſanctiſſimam Dei matrem pietas ac reuerentia. Nos porrò in eiuſdem ſanctiſſimo nomine, vt in portu opportuniſſimo acquieſcentes, hic vitæ & ſcriptis & laudibus S. Polycarpi cum Deo finem imponemus.

AD GLORIAM
DEI OPT. MAX.
ET S. POLYCARPI.

NOTATIONES.
AD VITAM
S. POLYCARPI
SMYRNÆORVM EPISCOPI
ET MARTYRIS.

AD PRÆFATIONEM.

POLYCARPI] Tres huius nominis insignes sanctitate viros habemus in martyrologijs; vnum quidem, eumque precipuum, hunc de quo in præsentiâ scribimus, Episcopũ & Martyrem: alterum autem, Presbyterum duntaxat, sed egregio spiritu & fidei martyriique amore præferuidum: quippe qui cum S. Sebastiano Martyre competitor & corriualis martyrij fuit. Nam cùm eorum alterutri in persecutione Diocletiani ad confirmãdos in fide Christianos remanendum Romæ esset, ac de vita periclitandum, alteri autem ad immanem sæuientis persecutionis rabiem tantisper declinandam, vnà cum grege Catholico vrbe excedendum, (Chromatius enim vir illustrissimus ex vrbe in possessionem suam, quam habebat in Campano littore, migraturus, secum adducere in tutum Christianos, qui sequi ipsum vellent, statuerat) tum sancta contentio inter Polycarpum & Sebastianum orta est, vter ipsorũ in vrbe remaneret, vter cum Chromatio emigraret. Nam vterque ibi esse maximè appetebat, vbi spes martyrij maior affulgebat: in vrbe Româ videlicet, æstuante illic maiorem in modum persecutionis acerbitate. Sed Caius Papa piam altercantium contentionem suâ auctoritate decidit, his vsus verbis: *Dum ambo coronam passionis appetitis, populum Domini solatio destituitis. Vnde mihi videtur, vt tu frater Polycarpe, qui & sacerdotij rectũ tramitem tenes, & scientiæ Dei repletus es donis, proficiscaris simul ad confortandas recenter credẽtium mentes, & animos dubios confirmandos.* Quibus ille auditis acquieuit, & blandum Papæ imperium æquanimiter tulit. Huius Polycarpi sacrum corpus, multo pòst tempore, ab vrbe Româ ad Altumuillarense monasterium (quod est in diœcesi Rhemẽsi) delatum est: vt auctor est Flodoardus lib. 2. historiæ ecclesiæ Rhemensis, cap. 8. Vide plura in Actis SS. Martyrũ Sebastiani & sociorũ, tomo 1. Surij. Terti⁹ Polycarpus, martyr fuit Antiochiæ, cuius memoriam retinent Martyrologia 7. Decembris, sed eius Acta, nec ibi, nec vsquam alibi hactenus inuenire potui.

b *FIAT VOLVNTAS DOMINI*] Hoc dictũ vsurpabat præcipuè B. Polycarpus, in rebus asperis & aduersis: vt cũ se quæri ad necem à satellitibus, & iam eos appropinquare intellexit. De eiusdem dicti vsu & efficacia vide infrà cap. XII.

c *PRIMVS, QVOD SCIAM, LATINIS LITTERIS INTEGRAM TRADO.*] Latinè enim nemo adhuc integrè edidit: sed aliqui martyrium duntaxat, alij paucula quædam ex Eusebio desumpta adiunxerũt: sed primã eius ætatem, progressum ad ordines, virtutes miraculorum nequaquam attigerunt. Quæ Pionius homo græcus admonitu diuino perquisiuit & perscripsit. Hæc autem hactenus non edita, sed tantùm in manu scriptis codicibus conseruata sunt. Quorum exemplar vnum atque alterum nactus cũ Menæo Græcorum contuli, & quidquid vtrobiq; ad præsentem vitam facere comperi, latinè reddidi atque concinnaui: ita vt duplo auctior hæc vita nunc prodeat, quàm vlla hactenus, seu græcè, seu latinè, seu gallicè, seu alio quouis idiomate in lucem edita sit.

d *NON MINVS IN TOTA ASIA POLYCARPIS*] Nam post mortem B. Ioannis Euangelistæ præcipuus ecclesiarum Asiæ pastor & custos fuit hic Polycarpus. De quo ita Hieronymus in Catalogo Script. Ecclesiasticorum, cap. 17. *Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit.*

e *HIC ANIMIS QVOQVE PRÆFVERIT.*] Polycarpus verbi pabulo animas, eleemosynarum largitate corpora refecit ac iuuit, vt patet cap. 1. Ioseph autem Patriarcha solam corporis famem, neque tamen gratis depulit: vt liquet è Genesi cap. 41. & 47. vbi non tantùm pecunias, sed illis deficientibus, etiam pecora & possessiones pro dispertito frumento exegisse cognoscitur.

AD CAPVT I.

VITÆ S. POLYCARPI.

a SALTEM AD PRIMA NERONIS TEMPORA, VEL PAVLLO SVPRA REFERRI POTEST.] Videtur hæc S. Polycarpi ætas satis probabiliter posse colligi, tum ex eius cum S. Ignatio, sub Apostolorum disciplina, consuetudine, & familiaritate, cui eum ferè æqualem Auctores passim faciunt: tum ex eius episcopatu, quem verisimile est ei commissum à S. Ioanne Euangelista, priusquam in Patmon insulam exsularet: siquidem ad eum iam Episcopum directa esse illa verba Apocalypseos quæ Angelo Smyrnæ scribuntur cap 2. plurimorum est opinio, quæ & multis argumentis à me infrà probabitur. Quare si Eusebius & alij rerum Ecclesiæ scriptores ita eum cōponunt Ignatio, vt vel ætate parem, vel certè supparem facere videantur: nihil profectò magnum cēseri debet, si tum saltem dicatur esse natus, quando S. Ignatius dicitur factus esse Episcopus. Certū est autē Ignatium vel sub Nerone, vel (quod aliqui volunt) etiā ante Neronem creatum esse Episcopum: quamuis ego magis crediderim sub Nerone. Iam si ante S. Ioannis relegationem in Patmon insulam creatus fuerit Episcopus, cùm ea relegatio Domitiani Imperatoris anno 14. ex sententia Eusebii, vel ex aliorum, 13. (nam Baronij sententia ponentis eam relegationem anno Domitiani nono, noua est, & sine auctore; proindeque minus probabilis) si accipiamus à 13. Domitiani anno triginta quinque annos Polycarpi ante episcopatum (tot enim pro illo æuo. & pro Apostolorum cura idoneos pastores atque vndiquaque perfectos requirentium, accipiendi videntur) facilè ad illud tempus natiuitatis Polycarpi veniemus, quod suprà posui. De quo plura inferiùs ad cap. 7. Nec obstare debet, quòd hac recensione ampliùs centum annis vixerit; cùm longissima illi ætas, tum à Smyrnæis in epistola martyrij ipsius attribuatur, tum à S. Ireneo eius discipulo: qui lib. 3. aduersus hæreses cap. 33 dum dicit eum ab se in prima ætate visum, addit: *Multùm enim perseuerauit, & valde senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vitá*; sed græcè aliquanto significantiùs hoc modo: Ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος ἦν. id est (vt Iacobus Billius vertit) *perdiu enim vixit, natúque admodum grandis erat.* Quæ verba de extraordinaria senectute dici vulgo solent. Atqui & ipse Irenæus vir erat Apostolicorum temporum, vti eum D. Hieronymus appellauit. Immo non desunt, qui ferant eū S. Ioānis Euangelistę fuisse etiam discipulum, vti ad eius vitam annotabimus: vbi tamen hoc posterius tanquam improbabile refutabitur. Porrò de relegatione S. Ioannis anno Domitiani 14. expressum habemus S. Hieronymi testimonium, lib. De Script. eccles. in Ioanne, his verbis: *Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmon insulam relegatus scripsit Apocalypsin, quam interpretatur Iustinus Martyr, & Irenæus.* Item Eusebij in Canone chronico ad annum 14. Domitiani his verbis: Δομετιανὸς δεύτερος μετὰ Νέρωνα Χριστιανοὺς ἐδίωξεν. ἐπὶ αὐτοῦ καὶ ὁ Ἀπόστολος Ἰωάννης εἰς Πάτμον νῆσον ἐξορίζεται. ἔνθα τὴν ἀποκάλυψιν ἑώρακεν, ὡς δηλοῖ Εἰρηναῖος. Quæ ibidem S. Hieronymus sic latinè reddidit: *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, & sub eo Apostolus Ioannes in Patmon insulam relegatus Apocalypsin vidit, quam Irenæus interpretatur.* Ita ille. At verba græca non sonant Irenæum interpretatum Apocalypsin, & ipsemet Hieronymus in catalogo operum Irenæi, ne verbum quidem de hac interpretatione, vti nec Eusebius. Itaque pro illis verbis: *quam Irenæus interpretatur*, corrigendum est sic: *vt Irenæus indicat*, (hæc est enim vera interpretatio istorum verborum: ὡς δηλοῖ Εἰρηναῖος) scilicet in Patmon insulam relegatum vidisse Apocalypsin, non autem *quam interpretatur*. Nam δηλόω, solùm *indico, manifesto*, significat, aliaque eiusmodi, minimè autem *interpretor*. Hoc enim græcè ἑρμηνεύω dicitur, non δηλόω.

b *POLYCARPI PATRIAM, QVÆ PARVVLVM EXCEPERIT* &c.] Nam Polycarpo, vt multis alijs, duas contigit habere patrias, vnam natiuitatis, alteram habitationis. Qui enim à puero alibi, quam in natali solo educatur & viuit, eam meritò patriā appellat. Vnde Christus non solùm Bethlehemita, sed & Nazarenus est appellatus: quòd illic natus, hic educatus fuerit. De duplici porrò patria extat insignis locus apud Ciceronem, lib. 2. De legibus, sub initium, vbi sapienti Catoni & omnibus Romanis municipibus Romæ degentibus duas esse censet patrias, vnam naturæ, alteram ciuitatis; *Vt ille Cato*, inquit, *cùm esset Tusculi natus, in populi Rom. ciuitatem susceptus est. Itaque cùm ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* &c. Et paullò post:

pòst: *Sic nos,* inquit, *& eam patriam dicimus, vbi nati, & illam, quæ excepti sumus.* Ita ibi. Quare Polycarpo natiuitatis, seu, vt Cicero vocat, naturæ patria fuit locus in Oriente aliquis, incertum quis: patria autem educationis & habitationis fuit Smyrna. Smyrna autem vrbs est Ioniæ in minore Asiâ, & vrbs quidem ea tempestate, omnium Asiæ vrbium pulcherrima atque amœnissima: vti ex Strabone lib. 14. Geographiæ, & ex Aristide Rhetore multis in orationibus colligitur. Sita est ad mare, pars in monte, pars in campo iacet. Portus habet opportunissimos, pulcherrima gymnasia, templa, theatra, porticus, aliáque plurima ornamenta. *Ac lauacra quidem tot sunt,* inquit Aristides, *vt penè dubites, vbi lauare velis: curricula verò omnis generis, partim in vrbe mediâ, partim in finibus, eáque certantia inter se de præstantiâ. Fontes deinde tot sunt, quot ædes, ac plures etiam.* Vide apud eum plura in oratione De Smyrna, coram Imperatoribus habitâ, & in Monodia de Smyrna, & in Palinodia, & in Gratulatione de eadē. Sed laus maior, (quamuis & hæc profana) quòd, Homerum Poëtam, & Aristidē hunc ipsum Oratorem tulerit. Ac Homerum quidem tametsi multi sibi arrogent, iuxta illud apud Gellium l. 3. c. 11.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου.
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem vrbes certant de laude insignis Homeri:
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Iös, Argos, Athenæ.

tametsi, inquam, multi populi Homerum sibi ciuem arrogent, tamen eum sibi præcipuè vindicant Smyrnæi, teste, vt dixi, præter complures alios Strabone libro 14. Geographiæ, vbi inter alia sic de Smyrna: Ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη, καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου, καὶ ξόανον· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ. Καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς ὁμήρειον λέγεται· ῥεῖ δὲ πλησίον τοῦ τείχους ὁ Μέλης ποταμός. *Habet etiam bibliothecam, & Homereum; porticum scilicet quadratam, cum templo & statua Homeri. Nam & ipsi maximè hunc poëtam sibi vendicant. Vnde & numus quidam æreus Homereum appellatur. Meles autem mœnia præterfluit.* De templo meminit & Cicero in orat. pro Archia. Huc facit & illud Lucani lib. 9. de bello ciuili:

Inuidia sacra, Cæsar, ne tangere famæ.
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores;
Venturi me téque legent: Pharsalia nostra
Viuet, & à nullo tenebris damnabitur æuo.

Vbi per Smyrnæum vatem intelligit Homerum. De Aristide verò iuniore, & æquali S. Polycarpi testatur hoc subiectum epigramma antiqui, sed incerti auctoris, in eius statuam:

Νεῖκος Ἀριστείδης Ἑλλάδι κατέπαυσε πολλῶν,
Τὸ πρὶν ὁμηρείης εἶχον ὑπερφερέης.
Φασὶ γὰρ πᾶσαι. Σμύρνη τέκε θεῖον Ὅμηρον.
Ἣ καὶ Ἀριστείδην ῥήτορα γειναμένη.
Desine natales inquirere Græcia Homeri:
Et dubiam nixis frangere velle fidem.
Namque vt Aristidem tulit inclyta Smyrna disertum;
Sic eadem est docti patria Mæonidæ.

Magna igitur quidem Smyrnæ laus, quòd tales viros tulerit: sed multò maxima, itémque verissima, quòd S. Polycarpum exceperit, educarit, doctorem habuerit, martyrem tumularit. Nam & quanto virtus eruditione, & pietas ingenio habetur præstabilior; tanto ea laus debet censeri eminentior, quæ de vnius S. Martyris venit habita sanctimoniâ, quam quæ ex duorum fluxi & pereunte acquiritur doctrinæ gloriâ. Eandem tamen vrbem, præter S. Polycarpum ornauit S. Bucolus primus eius antistes, de quo mox dicetur. & S. Thraseas episcopus & Martyr, ibi sepulti. De hoc ita Polycrates Ephesiorum Episcopus, in epistolâ ad S. Victorem Papā, apud Eusebium lib. 3. histor. cap. 10. latinè autem 23. Καὶ Θρασέας καὶ ἐπίσκοπος, καὶ μάρτυς, ἀπὸ Εὐμενείας, ὃς ἐν Σμύρνῃ κεκοίμηται. *Thraseas quoque Episcopus & Martyr de Eumenia in eadem Smyrna requiescit.* Ita est interpretatus beatus Hieronymus de Script. eccles. in Polycrate. Item S. Germanicus adolescēs martyr. S. Pionius Presbyter & martyr, multique alij in persecutione M. Aurelij Antonini & L. Veri Impp. hanc vrbem maximè illustrarunt.

c *EX RELATV ANGELI*] verba Angeli in vita græca manu scripta sunt hęc. Ἔστι δὲ τούτῳ τὸ γένος ἀπὸ ἀνατολῆς. *Est autem illi genus ab Oriente.* An celauit vrbem, & nominauit Orientem, vt indicaret similem stellæ Orientali fore, qui ab Oriente ad Occidentem aliquando procederet, & totum orbem suæ virtutis atque doctrinæ radijs collustraret? Ita enim fecisse illum palam est.

d *SERVITVTEM SERVIVIT.*] Emptus enim à Callistone muliere piētissima, eidem seruiuit, vt in vitâ græca continetur. Talis etiam conditionis fuit S. Onesimus, ille insignis postea Paulli discipulus & Ephesiorum Episcopus & Martyr.

e *NAM CVM ILLVM A PATRIA SVA ABDVCTVM &c.*] Totus hic locus vsque ad cap. 2. partim è vitâ græcè scriptâ, partim è Menæo mihi collectus est. In vitâ quidem ab illis verbis. Γυνή τις ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἦν εὐλαβὴς καὶ φοβουμένη τὸν θεὸν, ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς ἀναστρεφομένη, ᾗ ὄνομα Καλλιστώ. *Mulier quædam id tēporis erat pia & timens Deum, bonis operibus intenta, cui nomen Callisto. &c.*

f *PERGENTEM ENIM AD DIMETIENDA DOMESTICIS ALIMENTA.*] Hanc Polycarpi liberalitatem, & consecutum

tura inde miraculum, quod hic fusè è M. S. posui, leuiter perstrictum habes in Menæo, quod sic in vitæ compendio, ad vicesimam tertiam Februarij refertur. Πρὸ γὰρ τῆς ἱερωσύνης, τῆς θρεψαμένης αὐτὸν γυναικὸς τοὺς σιτῶνας ἐπλήρωσε δι' εὐχῆς, οὓς πρότερον εἰς τὴν τῶν δεομένων χρείαν ἐκένωσε. *Ante sacerdotium enim, mulieris, quæ eum nutrierat, horrea interpositis precibus repleuit: quæ prius in vsus indigentium euacuarat.* Similem Polycarpo liberalitatem cum simili fere miraculo exhibuit ante suum sacerdotium S. Myro Episcopus Cretæ, à prodigijs Thaumaturgus appellatus. Quam refert Menæum Græcorum ad octauam Augusti, qua etiam die natalis eius memoratur in Romano martyrologio. Omissis græcis (quæ mihi non sunt iam in promptu) earum duntaxat latinam interpretationem, è Matthæi Raderi Viridario Sanctorum hic annectam: *S. Myro Aurace natus est ciuitate Cretæ, haud procul Gnosso: qui pietate singulari aduersus Deum genus exornauit. Primum ducta vxore terram coluit, frugésque labore partas in pauperes distribuit. Copia autem frumenti tanto magis aucta semper est & cumulata, quanto plura ille largiebatur. Commiseratio autem eius seu misericordia planè diuina fuit. Aiunt in arca quondam ipsius duodenos esse fures (frumentarios captos, qui culeos suos frumento implebant; pondere vero adeo pressos, vti neque leuare, neque auferre sacros potuerint. Quibus ipse pro pœna irroganda, & verberibus infligendis, potius ad onera tollenda succurrit, vltroque singulis suas sarcinas suis manibus leuatas in humeros imposuit, præcepitque, vt id nulli prorsus enuntiarent. Initiatur ergo sacerdotio in sancta Dei ecclesia. Deinde sedata persecutione ad Pontificatus thronum est euectus: multáque digna admiratione facta eius extant. Nam & serpentem dissonem illum peruastantem exegit, & Tritonis fluminis, quod traiecturus erat inundationem repressit.*

Eandem S. Polycarpi in egenos benignitatem, & horreorum mirificam repletionem quadam tenus adumbrauit B. puer Bonifacius, is qui Ferentinæ ciuitatis deinde fuit Episcopus: (solet enim Deus talia misericordiæ opera non tantum illustrare miraculis, sed etiam magnis in terrâ atque in cælo honoribus insignire) cùm è matris horreo totam penè annonam in pauperes exhausit, & exhaustam precibus restituit. Nam matrem ob vnius anni, vt putabat ipsa, iacturam miserabiliter sese excruciantem, paullisper vt horreo excedere dignaretur, cùm exorasset, protinus se in preces demisit, atque extemplo maiorem, quàm effuderat, frumenti copiam impetrauit. Reuocata igitur mater, & nouitate miraculi attonita non modò non permisit, sed etiam hortata est, vt deinceps daret: quippe qui ea quæ peteret, tam celeriter impetraret. Hoc posterius exemplum reperies vberiùs explicatum à S. Gregorio magno, lib. 1. dial. cap. 9. Huc quoque pertinet S. Seleuci Amasęorum Episcopi ad replenda diuinitus plurimo frumento horrea vis ingens fidei, & orationis mira efficacia. Cùm enim ea regio graui fame laboraret, & Episcopi horreum, vnde inopibus subueniebatur, exhaustum esset, neque interim postulantium importunitas deficeret, accessit custos ad S. Seleucum, & claues horrei reddidit: nec enim esse frumentum in horreo, & se flagitantium improbitatem ferre nō posse caussabatur: acceptas igitur claues vir sanctus in lectulo suo deposuit, & per totam noctem, vt solitus erat, precationi institit, Deū Opt. Max. vehementer deprecans, vti admirabilem suam ostenderet in populo sustentando potentiam. Postridie igitur manè, cum ad ipsum religiosissimi clerici de more aduenissent, ipse ad custodem *Accipe*, ait, *claues frater, & subueni pauperum necessitati*, At ille rursus iure iurando affirmauit nihil in horreo esse frumenti: cúmque obstinatus in incredulitate persisteret, ad Clericos conuersus vir magnus, *Benedictus*, inquit, *Dominus: abite cum illo vos, & cognoscite virum vera dicat, necne.* Cùm autem abijssent, & vellent ostium aperire, vix potuerunt introire prę frumenti multitudine. *Et manet ad hunc vsque diem* (inquit Eustathius Presbyter in vita S. Eutychij Patriarchę) inscriptum testimonium, *Centies mille frumenti modios ex horreo, sancti Seleuci precibus, exportatos*, Vide Surium tomo 2. in vitâ S. Eutychij.

AD CAPVT II.

a IAM ÆTATEM EAM ATTIGERAT] Huius capitis materies è vitâ M. S. maximam partem collecta est.

b ANNVM ENIM NATVS CIRCITER VIGESIMVM.] Haud minor esse potuit, cui integræ familiæ, & rei omnis familiaris regendæ ac conseruandæ cura iam commissa fuerit, vt cap. 1. scriptum est: neque item multò maior; quippe qui aliquantò pòst adscitus in numerum Diaconorum dicitur admodum iuuenis fuisse, vt liquet cap. 3.

c AC DE SODALITIO QVIDEM &c.] Notanda & imitanda est omnibus iuuenibus Polycarpi cura in deligendo sodalitio. Quam curam æquè fusè Scriptor græcus persequitur. Vide ab illo loco, Εἰώθει δὲ καὶ προσαποπίπτειν. *Solebat & accedentium &c.* De fuga improborum sic ibidem: Τοὺς δὲ κακοὺς καθάπερ κύνας λυσσῶντας, ἢ θῆρας ἀγρίους, ἢ ἑρπετὰ ἰοβόλα παρῃτεῖτο. *Improbos autem sicut canes rabidos, aut agrestes feras, aut serpentes venenosos refugiebat.* Nec sanè immeritò ita refugiebat. Nam in talium consortijs sæpe mors corporis, sæpius animi incurritur. Quod in se nimis expertus ille magnus Augu-

Augustinus miserabiliter luget ac deplorat lib.2. Confess.cap. 3. & sequentibus: Quæ quod lectu sint saluberrima, minimè continere me possum, quin hic referam. *Sed nesciebam, inquit, & præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent: & libebat malum facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam: & vbi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse, quod non feceram; ne viderer abiectior, quo eram innocentior: & ne vilior haberer, quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babylonis, & volutabar in cœno eius, tanquam in cinnamomis & vnguentis preciosis, & in vmbilico eius, quò tenaciùs hærerem, calcabat me inimicus inuisibilis, & seducebat me.* &c. Ibi longè plura, & sanè pulchra videri possunt de peste ac pernicie prauorum sodalium. Quorum necessariam esse fugam ita quoque Seneca Gentilis Philosophus egregiè probat, libro De tranquillitate animi, cap.7. *Serpunt enim vitia,* inquit, *& in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque, vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus. INITIVM MORBI EST AEGRIS SANA MISCERE.* Sic ille. Qui nec minus efficacia de fructu boni consortij epist.14. his effert verbis: *Nulla res magis animus honesto induit, dubiósque & in pronum inclinãtes reuocat ad rectum, quàm bonorũ virorum conuersatio. Paullatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus, me hercule, ipse sapientium iuuat: & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim, quemadmodum prosit, sicut illud intelligam profuisse.* Velim denique & illius loci apud Tullium lib. 2. de officijs; omnes meminisse adolescentes: *Facillimè, inquit, in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros & sapientes viros benè consulentes reip. contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum.*

d *ITAQVE HAVD RARO ACCIDEBAT, VT E SVBVRBANIS EXERCITATIONIBVS REVERTENTI.*] Hoc in senes & viduas piæ caritatis ac misericordię opus habes in græco M.S. in istis verbis, & deinceps: Ἐπανιόντι δὲ αὐτῷ ἐκ τῶν προαστείων εἰς τὴν πόλιν, εἴ ποτε συνετύγχανον ξυλοφόροι, καὶ μάλιστα πρεσβῦται, συνέπασχέν τε τῆς ἀχθοφορίας ἕνεκα, καὶ συμπορευόμενος ἀνηρώτα, εἰ ἅμα τῷ εἰσελθεῖν πιπράσκει τὸ φορτίον; *Reuertenti in vrbem è suburbanis, si quando ligniferi, & præsertim senes occurrerent, de oneris gestatione eorum miserebatur, & comitans interrogabat, si statim in vrbis ingressu onus diuenderent &c.* vt in vita.

e *CVM SENES QVIPIAM LIGNORVM ONVSTI FASCIBVS.*] In eiusmodi viros libenter officium caritatis exhibuit etiam S. Germanus Antisiodorẽsis Episcopus. Quippe in Italiam proficiscens cùm in ipsis alpibus tales aliquos offendisset, quos præter oneris grauitatem, torrentis quoque, qui prætereundus erat, impetus deterrebat; ipse qui ieiunijs, vigilijs, itineribus fractus ac debilitatus semetipsum vix ferebat, subito internæ caritatis igni concalefactus ad vnum ex his viatoribus claudum & senem iuuandum accingitur: nam primum quidem eius fascẽ in suos acceptum humeros vltra gurgitem deportat: deinde senem ipsum iterato trãsitu dorso excipit, ac trans torrentem deuehit. Vide eius vitam lib.2. cap. 9. apud Surium 31. Iunij.

f *DE CERTO VITAE GENERE INEVNDO COGITARET.*] Hanc de genere vitæ deliberationem, & incommodorum matrimonij æstimationem fusiùs in græco inuenies ab eo loco: Ἐπεὶ δ' ἧκεν εἰς τὴν τοῦ ἀνδρὸς ὥραν, ἔτι καὶ μᾶλλον &c. *Postquam ad virilem peruenit ætatẽ.* &c. Vtinã porrò eiusmodi deliberationes magis inter homines vsitatę essent! Haud sanè tam multa cernerentur in bonis familijs nec animorum dissidia, nec corporum diuortia.

AD CAPVT III.

VSVS EST DEHINC POLYCARPVS. &c.

a HOc caput partim è græco M. S. partim è Menæo, partim ex Eusebio, & quantum ad extremam partem, è S. Dionysij Areop. scriptis deductum est.

b *IN PRIMIS QVIDEM ANNIS B. BVCOLO SMYRNAE EPISCOPO.*] Liquet ex decursu vitæ B. Polycarpum S. Bucolo adhæsisse, vt magistro & institutori. De quo ita Petrus Galesinius in Martyrologij sui Notationibus, octauo idus Februarij: *In Græcia, S. Bucoli Smyrnæ Episcopi, vt in Menologio & Horologio scriptum est. Fuit is Ioannis Apostoli discipulus, habuitque in Episcopatu successorem B. Polycarpum.*

c *POSTMODVM AVTEM ET S. IOANNE APOSTOLO.*] Testis est sæpius Hieronymus: in catalogo quidem scriptorum ecclesiasticorum, cap.17. his verbis: *Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus* &c. in Chronico autem ad annum Christi centesimum primum, vbi agit de Ioanne Apostolo, sic habet: *Auditores eius insignes fuerunt,* inquit, *Papias Hierapolitanus Episcopus, & Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus.*

d *FORTE ET ALIIS QVIBVSDAM APO-*

APOSTOLIS) Insinuat S. Irenæus lib. 3. cap. 3. & B. Hieronymus in catalogo, vbi supra, his verbis: *Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant Dominum, magistros habuerit & viderit*; Vide verba Irenæi ante hanc vitam, inter Elogia.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, ϛ'.

Μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βουκόλου, Ἐπισκόπου Σμύρνης.

Σμύρνης ὁ ποιμὴν Βουκόλος, θνηκπέλος,
Ἄγρυπνός ἐστι, καὶ θανὼν, ποίμνης φύλαξ.

Οὗτος ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας ἑαυτὸν καθαγιάσας, δοχεῖον γέγονε τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὃν εὑρὼν δόκιμον καὶ ἄξιον ὁ πανεύφημος, καὶ φιλούμενος ὑπὸ Χριστοῦ θεῖος Ἰωάννης ὁ θεολόγος, Ἐπίσκοπον καὶ ποιμένα εὔχρηστον τῆς Σμυρναίων ἐκκλησίας προχειρίζεται· ὃς ἀπὸ τοῦ ἁγίου λαμπαδουχούμενος πνεύματος τοὺς ἐν σκότει πλάνης φωταγωγεῖ, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, υἱοὺς ἡμέρας καθιστᾷ, μυρίων θηρίων ἀνημέρων αὐτοὺς περισώζων. Αὐτὸς οὖν πρὸ τοῦ τὸν βίον μεταλλάξαι, τὸν μακάριον Πολύκαρπον ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ποιμένα καὶ διδάσκαλον τῶν λογικῶν προβάτων προχειρισάμενος, τοῦ βίου μεθίσταται. καὶ ὑπὸ γῆν τοῦ τιμίου σώματος τεθέντος φυτὸν ἀνατεῖλαι ὁ θεὸς ἐποίησε παρέχον ἰάσεις μέχρι τῆς σήμερον.

Hactenus è Menæo vitę S. Bucoli epitome: præter quam alia quoque nonnulla ibidem reperiuntur, cùm ad eiusdem, tum ad Polycarpi commendationem spectãtia, quibus nos infra suis locis vsuri sumus. Quale est & illud de eius tumulo:

Ἐξεβλάστησας ὡς φοίνιξ ἐν ταῖς αὐλαῖς τοῦ θεοῦ ὀφειλόμενον ὕπνον δικαίοις ὑπνώσας. φέρεις δὲ φυτὸν πρὸ τοῦ θείου μνήματος θαῦμα τοῖς ὁρῶσι Βουκόλε θεοκῆρυξ. Ἡ γῆ τὸ σῶμα σου τὸ μακάριον κρύπτει σαφῶς ἰάσεις ἀναβλύζον καὶ χάριτας. οὐρανὸς δὲ τὸ πνεῦμα σὺν τοῖς ἐκλεκτοῖς φέρει τοῖς ἀπ' αἰῶνος θείαις λαμπρότησι κατηγλαϊσμένον ἀληθῶς Βουκόλε ἔνδοξε. *Vt palma germinans in aula Dei debito iustis somno consopitus es, ô Bucole Dei præco. Nam ante diuinum tuum monumentum plantam producis miraculum videntibus. Terra quidem beatum corpus tuum obtegit, medelas & gratias manifestò emittens, ô gloriose Bucole, sed animam tuam simul cum electis, verè diuinis condecoratam splendoribus cælum obtinet.*

f *ABALIIS MORBOS, AB ALIIS DIABOLOS ABIGEBAT.*] M. S. Ἔστι τε καὶ πολλῶν διὰ τῆς δεήσεως αὐτοῦ παρὰ θεοῦ χάριτος ἀσθενούντων τε καὶ δαιμονώντων εἰς ὁλοκληρείαν ἀποκαθισταμένων. *Multos quoque per collatam sibi à Deo gratiam infirmos & dæmoniacos in pristinam restituit sanitatem.*

g *QVARE IN ORDINEM DIACONO-*

e *BVCOLVS QVIDEM IPSE*] Vitæ & sanctitatis Beati Bucoli breue compendium nobis exhibet Græcorum Menæum ad diem sextam februarij, quod hic ad multorum, quę in Polycarpi vitã continentur, confirmationem inserendum duxi. Sic igitur habet:

Eodem mense, sexta die Februarij.

Memoria Sancti Patris nostri Bucoli, Episcopi Smyrnæ.

Smyrnæ ille pastor Bucolus mystes sacer,
Vel functus æuo stat vigil custos gregis.

Hic à tenerã ætate Deo se consecrans vas Spiritus sanctifactus est: quem benedictus & Christo dilectus diuinus Ioannes Theologus cùm probum dignumq́; inuenisset, perutilem ecclesiæ Smyrnæorum Episcopum & Pastorem præfecit. Hic autem à spiritu Sancto acceptã lampade, in tenebris errorũ versantes collustrauit, & per sacrum baptisma filios lucis effecit, ab innumeris immanibus feris eos custodiens. Is igitur, antequam cum morte vitam commutaret, beatum Polycarpum in eadem ciuitate pastorem ac magistrum rationalium ouium constituit; sicque vitã functus est: è cuius precioso corpore sub humum deposito planta Deo volente enata est, vsque in hodiernam diem medelarum potens.

RVM, LICET ÆTATE ADHVC IVVENENIS.] M.S. De sancto Bucolo Polycarpum ordinante Diaconum: Ἔγνω οὖν, ὡς ἄξιος εἴη καὶ τὸ παρὸν, καὶ διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας τῷ τῶν διακόνων βαθμῷ συνηρίθμησε, πάσης τῆς ἐκκλησίας ἐπιμαρτυρούσης. *Agnouit igitur dignum esse etiam in præsenti tempore gradu diaconatus, & in ætate iuuentli diaconis connumerauit, omni approbante ecclesia.*

h *NAM INDE, INCERTVM QVO ANNO, ROMAM AB EODEM TRANSLATVS*] Hanc S. Ioannis translationem, & iniectionem in feruentis olei dolium profert & approbat Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 36. *Si Italiæ, inquit adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Felix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur.* Nota Pamelium ex vnius codicis Vaticani scriptione legere: *statu felix ecclesia*, cùm alij codices ipso confitente non haberent vocem *statu*, quæ nec est necessaria, & numerosam alioqui & lenem orationem exasperat. Cur autem loco illius *habes Romam*, nõ etiam dixit *Romanam*? cùm sic & codicem Vaticanum habere fateatur, atque etiam Quintinum. Quare, vt reti-

retinet *Romam*, & bene: sic poterat non adijcere *statu*, & meliùs. Nam crediderim illam vocem, *statu*, inde profluxisse, quòd aliquis tantam Romæ laudem ac felicitatem legens adiecerit margini è regione velut piũ votum *Sta tu*, ô Roma scilicet, optans nimirum atque apprecans, vt Roma æternũ staret, quæ trium præcipuorum Apostolorum confessione illustris ac beata prædicaretur: è duabus deinde vocibus quodam errore vnam conflatam, *statu*, & in textum intrusam. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, sub medium: *Refert autẽ Tertullianus*, inquit, *quòd Romæ missus in feruentis olei dolium purior & vegetior exiuerit, quàm intrauerit.* Ita Hieron. Huius confessionis memoriam celebrat ecclesia ad VI. Maij, quâ die ad portam latinam (vti & Prochorus & traditionis antiquitas testificantur) in oleum feruens Ioannes, vera oliua immissus est. Quo autem Domitiani anno id acciderit, dixi esse incertum: quia certò id colligi nec ab antiquis auctoribus potest, nec à nouis: cùm nec isti inter se conueniant, nec hi rationibus validis innitantur. Valde probabilis tamen est ea sententia, quæ tenet statim post felicem emersionem è feruenti oleo, relegatum fuisse B. Ioannem in Patmon insulam. Quare si hæc relegatio ex Eusebij Chronico accidit 14. anno Domitiani; vero sanè proximum erit eiusdem anni initio, aut saltem 13. iniectum fuisse Apostolum in olei feruentis dolium, móxque ab incolumi egressu in dictam insulam deportatum. Hieronymus in cap. 20. Matthæi, *Si legamus*, inquit, *historias ecclesiasticas, in quibus fertur, quòd ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statímque relegatus in Patmon insulam sit.* &c. Omnes porrò Historici & Chronographi ante Baronium Domitiani persecutionem assignant anno 14. eius imperij, aut summum 13. Ac 13. quidem Chronicon Alexandrinum, & Marianus Scotus. Eusebius autem & Hieronymus decimoquarto. Hic enim in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum cap. 9. siue in Ioanne Apostolo sic scribit: *Quartodecimo igitur anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmon insulam relegatus scripsit Apocalypsin* &c. Quæ verba Baronius in annalibus ad annum Christi 92. conatur ita explicare, vt contra ipsum non militent: sed frustrà; cùm S. Hieronymus tam hic, quàm in Chronico, nusquam ab Eusebij discedat chronologia; sed ferè solius exceptoris aut interpretis partes agat: & in Chronico sic verterit Eusebium, ad annum Domitiani 14. *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur.* Denique Arnaldus Pontacus, Episcopus Vazatensis (quo adhuc nullus Eusebij Chronicon edidit accuratiùs) locum D. Hieronymi in catalogo, adeo, sicut nos, intelligit; vt vel propter eum maximè, annotet Domitiani persecutionem è regione anni 14. licet aliquot manu scripta exemplaria ponerent è regione anni 13. Itaque sẽtentia Baronij ponentis eam persecutionem inchoatam anno Domitiani nono prorsus noua est, & sine auctore. Ratio autem, quam adfert, nimirum proptereà videri cœptam esse persecutionem anno 9. quia anno decimo Cletus martyr factus sit, facilè solui potest, etiam ex ipsiusmet Baronij principijs; qui non semel, sed sæpius ponit aliquos martyres sub ijs Imperatoribus passos esse, qui nullam excitarint persecutionem: ex malitiâ scilicet Præfectorum ac Præsidum, inscijs & incõsultis Impp. Quòd si sub pacificis Impp. fuerint martyria, antè decreta persecutionis, quanto magis sub tyrannis, qualis fuit Domitianus? Nam studia Imperatorum in Deos, quædam velut incitamenta ad cultorum vnius Dei infestationem, etiam absque decretis, existebant. De eadem persecutione Domitiani, anno 14. scripsit etiam Brutus, vetus auctor, de quo ita Chronicon Alexandrinum, olympiade 215. Indictione VI. Ἱστορεῖ ὁ Βρούτιος πολλοὺς Χριστιανοὺς κατὰ τὸ ιδ'. ἔτος Δομετιανοῦ μεμαρτυρηκέναι. *Refert Brutus multos Christianos ad annum 14. Domitiani passos esse martyrium.*

i *IN EA ENIM VRBE PRÆCIPVVM.*] Ephesi præcipuum fuisse S. Ioannis Euangelistæ domicilium, è multis SS. Patribus datur intelligi: ac præcipuè è S. Irenæo lib. 3. aduersus hæreses cap. 3. & Eusebio lib. 3. hist. ecclesiast. cap. 15. & 17. & Hieronymo de Scriptoribus ecclesiasticis in Ioanne Apostolo, & è S. Chrysostomo in argumento epistolæ ad Ephesios quod ita incipit: Ἔφεσος ἐστι μὲν τῆς Ἀσίας μητρόπολις. *Ephesus quidem est Asiæ metropolis:* Et paullò inferiùs: Καὶ ὁ μακάριος δὲ Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς τὰ πολλὰ ἐνδιέτριψεν ἐκεῖ καὶ γὰρ καὶ ἐξωρίσθη ἐκεῖ, καὶ ἐτελεύτησε. *Et beatus Ioannes Euangelista diu ibi versatus est. Nam & illinc in exilium missus est, & illic vitam finiit.* Quarè istic potiùs quàm alibi, aut saltem diutius quàm alibi auditorem eius fuisse S. Polycarpum, vero est quàm simillimum. Vrbem hanc Ephesum fusè describit Strabo lib. 14. geographiæ, & Eustathius in græcis commentarijs ad Dionysium de situ orbis, versu 826. Breuiùs autem Plinius, Ptolemæus, Pomponius Mela, & alij. Sed omniũ breuissimè iuxta & elegantissimè Solinus in descriptione Asiæ minoris: *Ephesus in ea*, inquit, *vrbs clarissima est. Ephesi decus templum Dianæ, Amazonum fabrica, adeo magnificum, vt Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercerit. Sed hæc Xerxis clementia sacras ædes non diu a malo vindicauit. Namque Herostratus, vt nomen memoria sceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu sua struxit, sicut ipse confessus est, voto adipiscendæ famæ latioris.*

Ita

Ita Solinus. Dionysius autem loco iam citato his eam versibus deprædicat:

Τάων ἀμφοτέρων γε βορειοτέρην ἐσίδοιο
Παρ̣αλίην Ἔφεσον, μεγάλην πόλιν Ἰοχεαίρης.
Ἔνθα θεῇ ποτε νηὸν Ἀμαζονίδες τετύχοντο
Πρέμνῳ ἐνὶ πτελέης περιώσιον ἀνδράσι θαῦμα.

His ambabus vrbibus [Mileto & Priena] *magis borealem cernes maritimam Ephesum, magnam vrbem Dianæ. Ibi Deæ olim templum fabricarunt Amazones, In stipite vlmi, ingens hominibus miraculum.* Vide in hos versus commentarium Eustathij græcè editum.

AD CAPVT IV.

a *QVALIS SVB INITIA NASCENTIS ECCLESIÆ* &c.] Totum hoc caput è græco vitæ exemplari M. S. deductum est, in quo & Polycarpi ratio docendi, siue ars catecheseos, & castimoniæ laus & & partes describuntur.

b *VTI ET PATER DE FILIO.*] Isaiæ 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Item Zachariæ 13. & Matthæi 26. versu 31. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.*

c *ET IPSE DE SE FILIVS.*] Matthæi 20. versu 18. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertiâ die resurget.* Et Lucæ 12. versu 50. *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsquedum perficiatur!*

d *EODEM SCILICET HVMANO CORPORE*] Quantum ad naturam scilicet & lineamenta, non quantum ad infirmitatem & ignobilitatem attinet. Siquidem præditum gloriosis dotibus resurrexit, impatibile, clarum, subtile, agile. De quibus dotibus S. Thomas & alij, sed non vidi hactenus, qui meliùs & exactiùs docuerit, quam P. Leonardus Lessius præceptor olim meus, in 1. 2. q. 4. art. 6 quamuis eam partem hodie necdum ediderit, sed tantum in scholis dictauerit. Veruntamen iam nuper istum de gloriosi corporis dotibus tractatum in lucem emanasse, saltem magnâ ex parte, in eius libro, quem *De summo bono* inscripsit, nunc denique animaduerto. Perdiu enim hasce vitas penes me, antequam ederetur, continui, & iam decimo fere pòst anno in publicum emitto.

e *VT NEGARET EXTRA CATHOLICAM ECCLESIAM.*] Meritò extra ecclesiam catholicam negantur esse dona Spiritus sancti; quandoquidem tanta dona non dentur mortuis, sed viuis: vita autem sit ex fide; fides verò extra ecclesiam nulla.

f *QVVM AVTEM DE VIRGINITATE.*] Ad laudem Virginitatis multùm potest tam illustris martyris testimonium, quod ita græcè inueni apud Pionium vitæ S. Polycarpi scriptorem: *Ἔλεγεν δὲ τὴν ἁγνείαν πρόδρομον εἶναι τῆς μελλούσης ἀφθάρτου βασιλείας, καὶ τὸ μὲν ὄνομα τῆς εὐνουχίας ἐντεῦθεν εἰληφέναι, ἐκ τοῦ εὔνοιαν πολλὴν πρὸς τὸν δεσπότην ἔχειν. παρθενίαν δὲ, ὅτι παρὰ τοῦ θεοῦ νενόμισμένον.* Latinè in vita posui. Sed nota hic in postrema parte nō tam *παρθενίας* etymologiam, quàm etymologiæ explicationem dari. Alioqui poterat sic pressiùs ratio nominis exprimi *παρθένια* dici, quòd virgo *παρὰ θεῷ νοῦν ἔχῃ. Mentem & cogitationem apud Deum habeat.* Earundem vocum aliæ etymologiæ videri possunt in magno Etymologico græco, vbi illa mihi satis arridet: *παρθενία· ὅτι παρὰ θεοῦ ἐδόθη. φησὶ γάρ. Ἔλαβε Κάϊν ἑαυτῷ γυναῖκα· τουτέστιν, οὐκ ἐκ θεοῦ. Virginitas græcè dicta est παρθενία, quòd à Deo data sit. Ait enim Scriptura: Accepit Cain sibi ipsi vxorem: hoc est, non a Deo.* S. Epiphanius hæresi LVIII. de etymologia *εὐνούχου*, sic habet agens contra Valesios: *Ὅθεν τάχα οἶμαι καὶ τὸ εὐνοῦχον καλεῖσθαι ἀπὸ τοῦ εὐνοεῖν δύνασθαι ἀφαιρουμένων τῶν μελῶν. Vnde sane arbitror eunuchum vocari, ab eo quòd possit εὐνοεῖν, beneuolus esse, seu fidem Domino suo aut hero seruare, ablatis membris.* Verùm, vt hæc etymologia & nominis ratio magis antiqua sit & litteralis: tamen ea, quam S. Polycarpus attulit, magis pia & spiritualis est.

g *SI QVIDEM VNAM VNI EFFORMAVIT.*] In græco Pionij M.S. *Καὶ τὴν μονογαμίαν ἐκ τῆς πλάσεως ἐδείκνυεν. ὡς μία ἑνὶ ἐπλάσθη. Διὸ καὶ ἡ ἀγομένη πρὸς τὸν ἄνδρα παρθένος ἐμφερὲς τὸ ὄνομα φέρει. Et monogamiam, siue vnius cum vnâ coniugium, ex formatione demonstrabat: quòd vna vni formata sit: propterea ad virum adducta virgo simile fert nomen.* Conformis est hæc doctrina, doctrinæ Ignatij martyris. cuius hæc sunt verba, in epistola ad Antiochenos, post medium: *Οἱ ἄνδρες στεργέτωσαν τὰς ὁμοζύγους, μνημονεύοντες, ὅτι μία ἑνὶ, οὐ πολλαὶ ἑνὶ ἐδόθησαν ἐν τῇ κτίσει. Viri diligant vxores suas, memores vnam vni viro, non plures vni datas esse in creatione.*

h *QVOD AVTEM LAMECH E STIRPE CAIN.*] Græcè: *Καὶ ὅτι πρῶτος Λάμεχ ὢν ἐκ τοῦ Καϊν ἔλαβεν ἑαυτῷ δύο γυναῖκας, τὸ δὲ ἑαυτῷ λαβεῖν, ἐστι τὸ μὴ κατὰ θέλημα θεοῦ. Et quod Lamech, qui fuit è stirpe Caïn, primus sibi accepit duas vxores, illud sibi accipere, non est, ex voluntate Dei.* Quasi dicat Polycarpus Lamechū, accipiendo sibi duas coniuges, non Dei, sed suę obsecutum voluntati; quippe cùm Deus monogamiam instituerit, ipse autem digamiam introduxerit, iusque naturæ primus violarit. De quo sic Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 5. *Numerus matrimonij a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus tres in vnam carnem effecit.* Huic Polycarpi doctrinæ similem locum inuenio in Hieronymi libro 1. aduersus Iouinianum ante medium, *Vbi numerus*, inquit, *marito-*

maritorum est, ibi vir, qui propriè vnus est, esse desijt. Vna costa à principio in vnam vxorem versa est. Erunt, inquit, duo in carne vnâ: non tres, neque quatuor: alioquin iam non duo, sed plures. Primus Lamech, sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores: fratricidium & digamiam eadem cataclysmi deleuit pœna. De altero septies, de altero septuagesies septies vindicatum est. Quantum distant in numero, tantum & in crimine. Ita Hieronymus. Qui in suâ Geneseos versione omisit illud pronomen, *sibi*, in quo tamen Polycarpus videtur aliquam vim ponere. Sed vocem illam habent Hebræa, & Septuaginta interpretes, & vetus latina versio. & Hebræa quidem, Genesis 4. versu 19. sic habent: ויקח לו למך שתי נשים. Vt antiqua versio, *Et accepit sibi Lamech duas vxores.* Septuaginta similiter; Καὶ ἔλαβεν αὐτῷ Λάμεχ δύο γυναῖκας. *Sibi* autem idem est, quod *suæ indulgens libidini & voluptati, non diuinæ obsequens voluntati.* Ita enim vocem illam accepit S. Polycarpus, ne quis fortè additam otiosè interpretetur. De monogamia integram & bene longam scripsit epistolam S. Hieronymus ad Ageruchiam viduam, quæ est vndecima numero, vbi Polycarpo habet simillima. *Primi hominis creatura*, inquit, *nos doceat plures nuptias refutare. Vnus Adam, & vna Eua: immo vna ex eo costa separatur in feminam, rursumque quod diuisum fuerat, nuptijs copulatur, dicente scriptura: Erunt duo in carnem vnam: non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: certè, non vxoribus.* Vide ibi plura: vbi & de Lamech. Multos porrò fuisse, adeóque effusos in virginitatis commendatione illos viros Apostolicos (exemplo scilicet Magistrorum suorum Petri & Paulli, aliorúmque eiusdem Apostolicæ sortis) probat Hieronymus, tum alibi, tum clarissimè libro. 1. aduersus Iouinianum ante medium, vbi sic inter alia: *Ad hos*, inquit, [spadonem scilicet Candaces Reginæ, & ipsam Reginam] *& Clemens successor Apostoli Petri (cuius Paullus Apostolus meminit) scribit epistolas, omnémque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit: & deinceps multi Apostolici & martyres tam sanctitate, quàm eloquentia viri: quos ex proprijs scriptis nosse perfacile est.* Ita Hieronymus. Quare de S. Polycarpo, quod iam productum est, nihil mirum ab eo dictum esse. Et verò cum Infideles toti in carne & sanguine volutarentur, pérque difficile esset ab assuetis. & quasi in naturam versis voluptatibus rudes ferósque homines auocare, prorsus necessaria erat illis temporibus, de contrarijs virtutibus multa & frequens, serióque inculcata commonitio.

i *ITAQVE POLYGAMIAM, SIVE VXORVM TVRBAM*] In græco M. S. Τὴν πολυγαμίαν σὺν ἔλεγεν γάμῳ αὐτὴν ἔχειν ὄνομα, εἶναι δὲ φιλευπρόσωπον πορνείαν. *Polygamiam igitur dicebat nomen quidem habere coniugij, sed esse pulchro prætextu velatum adulterium.* Quæret hîc aliquis, num hoc Polycarpi dictum vero sit consentaneum? nempè polygamiam siue plurium vxorum acceptionem, esse personatum adulterium, cùm etiam sancti Patriarchæ plures vxores duxerint: quos insimulare adulterij reuerentia & religio prohibet. Respódeo nihilominus verissimum esse viri sanctissimi dictum, pro illo scilicet tempore, quo id vsurpabat, nempè promulgatâ iam lege euangelicâ, & talis matrimonij licentiâ per Christum Dominum abrogatâ: immo polygamia nunquam fuit absolutè & simpliciter licita, sed tantùm ex diuina dispensatione. Vnde qui primus legitimi matrimonij, vnius cùm vnâ, à Deo primitus instituti normam excessit, enorme procul dubio peccatum admisit, & pessimæ consuetudini atque corruptelæ portam aperuit: nimirum ille, de quo iam dictum est, impius Lamech, de stirpe Cain, mali corui, malum ouum. Cui prauæ consuetudini etiam ante Christũ honestas morum reclamauit: & post Christum, leges Imperatoriæ auctoritatem derogarunt. Quin & ante leges, notâ infamiæ, & obiectu dedecoris id peccati notatum est. Nam id testatum habemus in Impp. Valeriani & Gallieni edicto, hisce verbis: *Eum, qui simul duas habuit vxores, sine dubitatione comitatur infamia.* Vide L. *Eum* C. Ad legem Iuliam: De adulterijs & stupro. Item Diocletianus & Maximianus Impp. ita decreuerunt: *Neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas vxores habere posse vulgo patet: cùm etiam in edicto Prætoris, huiusmodi viri infamia notati sint. Quam rem competens Iudex inultam esse non patietur.* Vide L. *Neminem* C. De incestis & inutilibus nuptijs. Quod autem & ante Christũ sublata sit praua illa plures vxores ducendi consuetudo, & è Romanis coniugijs patet: & ex eo quod inter Iulij Cæsaris vitia referatur, eum ad liberius exercendas, vel ad cautius obtegendas libidines legem ferre conatum esse, De vxorum multitudine, siue, De polygamia: vt refertur à Suetonio Tranquillo in eius vita, cap. 52. Quod certè non diceretur tentasse, si per legem, vel consuetudinem licuisset. Suetonij verba hæc sunt. *Heluius Cinna tribunus plebis plerisque confessus est, habuisse se scriptam, paratamque legem, quam Cæsar ferre iussisset, cum ipse abesset: vti vxores liberorum quærendorum causâ, quas & quot ducere vellent, liceret.* Cum Patriarchis autem naturæ Dominus (nec enim licet alteri) dispensauit. Vide S. Ioannem Chrysost. homilia 56. in cap. 30. Geneseos, & Innocentium III. cap. Gaudemus. De diuort. & D. Thomam in 4. d. 33. q. 1. & Doctores Scholasticos ibidem.

NAM

k *NAM ET HODIE NIHIL POPVLOS INFIDELES*] Siquis aueat cognoscere, quàm retardet Infideles ab amplexu nostræ FIDEI polygamia inter ipsos vsitata, & quàm difficilè restringi possint ad vnius cum vnica tantùm, indissolubile matrimonium, id egregiè scriptum reperiet à Christophoro Borri in Relatione nouæ missionis Patrum Societatis IESV in regnum Cocinsinense, parte 2. cap. 5. Nam quid ibi in hoc genere expertus sit, ipse summo Pontifici VRBANO VIII. id desideranti accuratè conscripsit.

AD CAP. V.

a ATQVE VT *MAGNORVM VIRORVM &c.*] Huius capitis materies è græco M. S. potissimè desumpta est, continétque Polycarpi promotionem ad sacerdotium, eiúsque nonnulla ad dicendum fructuosè ad populum, apta documenta.

b *A SACERDOTII DIGNITATE ABHORREBAT.*] Multi magnorum Sanctorũ, sacro quodam sacerdotij horrore correpti, tam honorem ipsum, quàm onus ei annexũ, maiorem in modum defugerunt: immo fuerunt, qui eâ de caussâ viciare corpora sua non vitiosum, sed sanctum reputarint. Ego sanctitatem quidem istam non probarim. Nam quòd Marco Euangelistæ à nonnullis tribuitur voluntaria hanc ob caussam pollicis amputatio: & Hieronymi, ad eius rei contestationem, adfertur auctoritas; vtrumquè fabulosum est: cùm nec Marcus id facere potuerit, quippe a Deo ad sacerdotium prædestinatus: nec id vsquam, quod illi affingitur, dixerit Hieronymus. Nam illa præfatio, quæ sub nomine Hieronymi, in quibusdam antiquis biblijs, Marci euangelio præfigitur, non est Hieronymi, & iam pridem in nouis & emendatis erasa est. Quidam factum istud non Marco Euangelistæ, sed Marco Anachoretæ tribuũt: verùm quis ille sit Anachoreta, necdum hodie reperi. Est quidem apud Ruffinum & Palladium, & Pelagium, in vitis SS. Patrũ, Marcus quidam Anachoreta longè laudatissimus, sed de fugâ sacerdotij, vel amputatione pollicis verbum ibi nullum. Quarè de Marco quidem Euangelistâ corrigendi sunt, Petrus Equilinus Episcopus lib. 4 catalogi sanctorum, cap. 86. & M. Marulus lib. 1. dictorum, factorúmque memorabilium, cap. 6. qui disertè factum istud tribuunt Euangelistæ. Qui autem M. Anachoretæ adscribunt, quis ille sit, aut quo auctore illi attribuant, debent exponere. Ammonius porrò magni Pambonis discipulus, vir in vitâ & post mortem admirabilis (nam qui Origenistam appellarunt, à Theophilo Alexandrino (vt fusiùs alibi docebitur, perinde atque in S. Chrysostomo, decepti sunt) aurem sibi dextram, ne fieret Episcopus, amputauit. Quo audito beatissimus Timotheus Patriarcha Alexandrinus, is qui Theophilum antecessit, viri cognitâ sanctitate, misit qui eum quamuis aure alterâ mutilum adducerent. *Hæc enim lex*, inquiebat, *in vsu sit apud Iudæos. Mihi autem si vel truncatum manibus adduxeritis qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo.* Sed cùm Ammonius vel ipsam linguam se execturum minaretur, qui missi fuerant, eum missum fecerunt. Ità rem gestam referunt Palladius lib. 8. cap. 12. Socrates lib. 4. hist. cap. 18. Cassiodorus in tripartita, lib. 8. cap. 1. Itaquè corrigendus duobus in locis Baronius. Primò quidem ad annum Christi 339. vbi de hoc loquens Ammonio, *Peruenit iste*, inquit, *vsque ad Theophili Alexandrini tempora, à quo creandus Episcopus cum Euagrio, auriculam sibi præcidit, nè, quod sibi videbatur, eligeretur indignus*, Atqui iam sub Timotheo præciderat, & hic illum creare episcopum voluerat, non autem Theophilus. Secundò corrigendus est ad annum Christi 385. num. XXX. vbi sic scribit: *Huius Timothei, cùm Ammonem sanctissimum monachum, ob auriculæ spontaneam amputationem effectum irregularem, nihilominus Episcopum ordinârit, sententia hæc fuit: A Iudæis lex ista seruatur, ego, si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo Episcopum facere.* Ita ille. vbi verba illa: *nihilominus Episcopum ordinârit*, sunt contra veritatem historiæ. Nunquam enim fuit ordinatus Episcopus.

c *E LATEBRIS SVIS AC PROFVGIIS*] Non paucos, qui humilitatis impulsu latebras ad euitandum episcopatum aut sacerdotium quæsiuerant; in lucem vis quædam diuina, atquè indicia cœlestia pertraxerunt. De quorum numero fuerunt in primis, S. Gregorius Thaumaturgus, & S. Alexander Carbonarius: quorum hic suâ sub fuligine mirabiliter à Thaumaturgo deprehensus est: ipse autem Thaumaturgus inter fugiendum, à S. Phędimo, vi quadam sacrorum verborum, velut occultâ & inaspectabili catenâ detentus & attractus est. Sed de his in ipsius Thaumaturgi vita cum Deo fusiùs. Ex eodem etiam numero fuerunt, S. Nicolaus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Cæsarius Arelatensis, S. Gregorius Papa, S. Fulgentius, S. Anselmus, alijque satis multi, quorum nonnulli in terra aliena ex improuiso arrepti, quidam vel è latibulis siluarũ, vel è spelæis ferarum, vel è sepulchris mortuorũ ad ecclesiæ habenas, Dei volũtate atque indicio educti, & pręter animi sentẽtiã consecrati sunt. Et quidem isti fuere, qui optimè in magnis tẽpestatibus rẽp. Christianã

gubernarunt; non ij qui se ingesserunt, & suis corriualibus magis esse idoneos contenderunt. Cùm enim ipsi semetipsos in tranquillo ac pacato ecclesiæ statu perdiderint, quomodo alios in æstuoso & tempestuoso conseruassent? Nam si oblatum & obiectum episcopatum admittentes vix saluantur; quid ijs fiet, qui tanto studio perquirunt non oblatum? qui tantâ contentione arripiunt non obiectum? O si istis ambitionis igni salutaris illa vox frigidam iniiceret. quam quidam S. Victoris Canonicus amico suo (cui post mortem ex condicto apparebat) vsurpauit! *Nunc scio*, inquit, *quòd si episcopatus cathedram ascendissem, in damnationis perpetuæ periculum incidissem*. Et is tamen ex ijs erat non qui ambitiosè illum peterent, sed qui sollicitè declinarent, & constanter recusarent. Vide Thomam à Cantiprato lib. 1. de proprietatibus apum, cap. 20. numero 4.

d *NAM SANE IN DICENDO MIRE CLARVS ET DISTINCTVS ERAT.*] Hęc omnia de modo & formâ concionum eius, è græcâ ipsius vitâ per Pionium descriptâ deduxi. Nec est dubium, quin optima sit atque ad docendum aptissima hæc Polycarpi forma, & ille partitionum, (quibus plurimùm vtebatur) frequens vsus. Sic enim & auditorum memoria initio excitatur, & in orationis decursu renouatur: cùm & certa mēbra in principio proponuntur pertractanda, & debito ordine modóque pertractantur. Nam quòd aliquorum concionatorum dicta ferè omnia retineantur, aliorum autem nihil fere non effluat, non alia opinor, (si modò attenti sint animi) caussa est, quàm quòd illi partitionibus vtantur oratorijs; hi autem cōtinuo quodam orationis filo labantur: nec tam feriant aut detineant aures, quàm cursim prætereant, ac nullo sui relicto vestigio præteruolent. Adde partitionem opportune adhibitam, plurimum orationi lucis & gratię dispertiri. *Neque enim* (vti rectè admonet Quintilianus lib. 4. Institutionis oratoriæ cap. 5.) *neque enim*, inquam, *id solùm efficit, vt clariora fiant, quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partiū fine: non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis nota inscriptis lapidibus spatia. Nam & exhausti laboris nosse mensuram voluptati est: & hortatur ad reliqua fortius exequēda, scire quantum supersit. Nihil enim videri longum necesse est, in quo quid vltimum sit, certum est. Nec immeritò multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius.* Ita ille.

AD CAPVT VI.

S. *BVCOLO POST AETATEM IN BENEFACTIS.*) Hoc caput indidem est, vnde & superiora, id est, è Græco M. S. Pionij descriptoris vitæ, continétque S. Bucoli Episcopi mortem & S. Polycarpi successionem. De qua successione præter ea quæ cap. 3. suprà attuli, etiam duo sunt illustria Menæi ad sextam Februarij testimonia. Prius quidem his verbis: Μεγάλως κοσμήσαντά σε τὴν Σμυρναίων ἱερὰν καθέδραν, πανεύφημε, μυσταγωγεῖ τὸ πνεῦμα τὸν μετὰ σὲ ποιμένα Πολύκαρπον τῇ χειρί σου, Βουκόλε, τελεσούμενον. *Postquam egregie administrasti sacram Smyrnaorum cathedram ô prorsus benedicte Bucole, Spiritus Polycarpum post te Pastorem manu tua consecrandum adduxit.* Posterius autem sic: Νοήσας τὴν κλῆσιν σου διὰ πνεύματος σοφὲ τὸν μετὰ σὲ ἐν χάριτι τῶν λογικῶν θρεμμάτων καθηγητὴν προσάγεις τῷ βήματι ἀρετῶν λαμπηδόσιν ἐξαστράπτοντα. *Cognitâ per Spiritum euocatione tua, ô sapiens Bucole, successorem tuum in gratia ducem rationalium ouium ad altare adducis virtutum fulgoribus coruscantem.*

b *ADDVCTVM PROPIVS POLYCARPVM PREHENSANS* &c.) Refert auctor vitæ græcæ M. S. Bucolum περὶ τὴν ὥραν τῆς ἐξόδου ἐπιλαβέσθαι τῆς Πολυκάρπου χειρὸς, καὶ πρῶτον μὲν ἐπὶ τὸ ἑαυτοῦ στῆθος ἐπαφεῖναι, ἔπειτα τῷ προσώπῳ &c. *Sub horam excessus sui accepisse Polycarpi manum, & primò superposuisse pectori suo, deinde faciei &c.* Quid autem in eo contactu fuerit mysterij, non omnino liquet: plures posui coniecturas, quarum postremâ est è laudato M. S. Vbi dicit Bucolum eo facto indicasse, ὅτι ὅσα χαρίσματα ἐν τοῖσδε τοῖς αἰσθητηρίοις διανοεῖται, καρδία μὲν συνιοῦσα, ὀφθαλμοῖς δὲ ὁρῶσι, καὶ ὠσὶν ἀκούουσι, καὶ ῥισὶ Χριστὸν ἀναπνέουσι, καὶ στόματι διὰ λόγου, θεὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν Ἰησοῦν Χριστὸν κηρύσσοντι, πάντα ἐστὶν ἐγχειρισθέντα ἐν αὐτῷ. *Quòd quacumque charismata in hisce sensuum organis operantur, dum cor intelligit, oculi cernunt, aures audiunt, & nares Christum respirant, & os per sermonem, Deum Patrem, & Filium Iesum Christum prædicat, omnia illi essent collata.* Haud infrequentem fuisse inter Christianos corporis totius aut præcipuorum membrorum consignationem, sæpe in vitis Sanctorum reperitur. Sic S. Nicon Abbas duos iuuenes, Ioannem Syrium, & Simeonem postea abbatem, totos signauit, vt scribit Leontius in vita eiusdem S. Simeonis Abbatis, hisce verbis: *Et cùm eorum frontes, & pectora, & totum corpus signasset, eos dimisit.* Sic S. Procopius martyr (vt est in eius vita tomo 4. Surij) dicitur totum corpus suum obsignasse. Sic beata Macrina Magni Basilij soror sibi in morte oculos & os & cor signauit. Sic

S. Eu-

S. Ephemia martyr ante vltimum certamen cum totum corpus suum signâsset, tum in aquam animantibus carniuoris oppletam sine metu insiluit, & tuta inter animantes fuit. Sic S. Anysia item martyr, quæ Thessalonicæ sub Maximiano Imp. virili animo decertauit, postquã precata esset, surrexit, & totam corpus suum cruce signauit.

c *TVM LÆTVS AC GAVDENS TALI SVCCESSORE, &c.*] Ita M. S. Ὁ μὲν οὖν Βουκολος, ἅτε δὴ προγνωρίσαντος αὐτῷ πολλάκις δι᾽ ὁράματος τοῦ κυρίου, ὅτι σχοίη τοιοῦτον διάδοχον, χαίρων, καὶ γεγηθὼς, ὡς ἐπὶ σώφρονι κληρονόμῳ ἀναπαυόμενος ἐκοιμήθη οὕτω &c. *Bucolus igitur, quemadmodum sæpè illi per visum Dominus prænuntiarat, talem cum successorem habiturum, lætus & gaudens, tanquam in frugi herede conquiescens, sic obdormiuit.*

d *GLORIA TIBI DOMINE &c.*] M. S. Ὁ μὲν οὖν ταῦτα ποιήσας, καὶ εἰπὼν Δόξα σοι κύριε, ἐκοιμήθη. *His factis, & dicto, Gloria tibi Domine, obdormiuit.* Quæ possit cuiquam vox in morte optari melior ac felicior, quàm ista! *Gloria tibi Domine.* qua nimirum profiteatur verus ac germanus Dei seruus, & Christi frater, non in vitã tantùm, sed & in morte ipsã nihil aliud se quæsiuisse, nihil etiamnũ quærere, nisi Dei gloriam? Est enim ea vox puræ ac sincerræ caritatis ac deuotionis. Talis ferè erat illa vox S. Ioannis Chrysostomi, quâ creberrimè, & præsertim in ærumnis & aduersis rebus vtebatur. Δόξα θεῷ πάντων ἕνεκα. *Gloria Deo propter omnia.* Inuenio & apud Glabrũ l. 4. historię c. 6. simili quoque vsum voce Lethbaldũ illum Augustodunẽsem, qui alijs terræ sanctæ locis visitatis, cùm ad Oliueti montem (vnde Christus ad cælum ascenderat) peruenisset; atque in eo tractu mori peroptaret, fusis ibi precibus flagrantissimis vt in conspectu tã sancti loci obire, & Christum ducem ad cælum sequi contingeret, reuersus cum socijs ad vicinum diuersorium, illisque ad prandium (cuius tum erat hora) abeuntibus, ipse membra in lecto composuit, breuique obdormiscens, & breui expergiscens, *Gloria tibi Deus,* ait, & voto eadem die potitus est.

e *DELATO AVTEM B. BVCOLI CORPORE &c.*] Vide M. S. ad illa verba: Ἀγαγόντες δὲ τὸ σῶμα μακαρίου Βουκόλου εἰς Σμύρναν &c. *Postquam B. Bucoli corpus Smyrnam deportarunt.* &c.

f *MVLTORVM EST GRAVIVM &c.*] Nempe Irenæi, Tertulliani, Eusebij, Hieronymi, & aliorum: qui tenent Polycarpum à S. Ioanne Apostolo constitutum Episcopum. Irenæi verba sunt: Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν· ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ Ἐπίσκοπος. *Polycarpus autem non modo ab Apostolis eruditus, ac cum plerisque eorum, qui Christum viderant, diu multumque versatus; sed etiam Smyrnensis ecclesiæ, quæ in Asia est, Episcopus ab Apostolis constitutus.* Vide Irenæum lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. Verba autem Tertulliani, libro de præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 32. sunt hæc: *Edant, inquit, origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, (qui tamen cum Apostolis perseuerauerint) habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatum refert. Sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit.*

EVSEBIVS QVOQVE ET HIERONYMIS IDEM CVM ILLIS SENSERVNT: ille quidem lib. 3. histor. eccl. cap. 30. hic autem in libro De scriptoribus ecclesiasticis, cap. 17. siue in Polycarpo. Quorum verba vide inter elogia ante hanc vitam. Item in Chronico Alexandrino ad annum 2. Olympiadis CCXXIV. Indictione X. ita scriptum: Πολύκαρπος Σμύρνης Ἐπίσκοπος, ἀνὴρ θαυμάσιος, καὶ τῶν Ἀποστόλων ἀκουστὴς, ἀλλὰ καὶ ὑπ᾽ αὐτῶν Ἐπίσκοπος κατασταθείς. *Polycarpus Smyrnæ Episcopus, vir admirabilis, & Apostolorum auditor, sed & ab ipsis Episcopus constitutus.* Et rursus olympiade CCXXXV. Πολύκαρπος Σμύρνης Ἐπίσκοπος, καὶ τοῦ Ἀποστόλου Ἰωάννου μαθητὴς, καὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ κατασταθεὶς Ἐπίσκοπος. *Polycarpus Smyrnæ episcopus, & Ioannis Apostoli discipulus, & ab eodem constitutus Episcopus.*

f *LVX MAGNA DE CÆLO &c.*] In M. S. Συνελθόντων οὖν αὐτῶν, καὶ πληρωθέντος τοῦ κυριακοῦ, δόξα φωτὸς οὐρανίου περιέσχε πάντας. *Cùm igitur conuenissent, & impletum esset templum, gloria lucis cælestis cunctos circumfulsit.* Nota hic Τὸ κυριακὸν, id est, *templum*, siue *Dominicum*, quasi Domini ædes. Sic templum Saluatoris à Constantino Magno Antiochiæ constructum vocat S. Hieronymus *Dominicum.* Ita enim in Chronico, ad annum Christi 331. *In Antiochia Dominicum, quod vocatur aureum, ædificari cæptum.* Et rursus ad annum 345. *Antiochiæ Dominicum aureum dedicatur.* Nota porrò templum illud vocatum esse aureum, ob sui excellentiam, & vasorum ex aureo confectorum multitudinem. De quo templo vide Eusebium in oratione De laudibus Cõstantini, paullò ante medium ad illa verba: *Alterum in metropoli Orientis &c.* Synodus Laodicena Can. XXVIII. vsurpat etiam illam vocem Κυριακόν. Οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἀκκούβιτα στρωννύειν. *Non oportet in Dominicis [templis] conuiuari, & accubitus sternere.* Nam ἀκκούβιτα, est latinę originis, ab accũbo, accubitus.

 Et

Ioannes Citri Episcopus in Responsis ad ad Constantinum Cabasilam: Οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἔνδον ἐν τῷ οἴκῳ ἐσθίειν καὶ ἀκκούβιτα στρωννύειν. οἱ δὲ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντες ἢ παυσάσθωσαν, ἢ καθαιρείσθωσαν. *Non oportet in dominicis aut in ecclesijs eas, quas agapas vocant, facere, nec intus in æde comedere, & accubitus sternere. Qui autem id facere audent, aut desinant, aut deponantur.*

g *CIRCA PERSONAM SACRANDI ANTISTITIS MIRIFICA QVÆDAM.* &c.] In M.S. Καί τινες ἀδελφοὶ ὀπτασίας θαύματα ἔβλεπον. *Et fratrum quidam visa mirifica viderunt.* Deinde cuiusmodi illa fuerint, subdit his verbis: Ὁ μὲν γὰρ εἶδεν περὶ τὴν κεφαλὴν Πολυκάρπου περιστερὰν λευκὴν, περὶ ἣν κύκλος ἦν φωτός. *Hic enim vidit circa Polycarpi caput columbam candidam, quam lucis circulus ambibat.* Ita Spiritus sancti gratiam, quâ ad suum officium rectè fungendum donabatur, indicatam fuisse credimus. Nam columba quidem certe, vt in Domini baptismo, sic in eius seruorum electionibus & consecrationibus sancti Spiritus præsentiam sæpenumero declarauit. Exempla sunt in S. Fabiano Pontifice, & in multis (vt alios omittam) Rauennæ episcopis, nempe Seuero, Calocero, Aderito, Eleucadio, Marciano. Pergit M.S.

Ὁ δὲ πρὶν καθίσαι αὐτὸν, ἐθεώρει, ὡς ἤδη καθεζόμενον ἐν τῷ θρόνῳ. *Alius autem contemplabatur Polycarpum, antequam sedisset, iam quasi in throno sedentem* Quod quid innuit aliud, quâ Polycarpum à Deo magis, quàm ab hominibus ad eam dignitatem vocatum & electum? Et certè id confirmant ea visa, quæ S. Bucolo de Polycarpi virtute & successione diuinitus obtigerunt. Quoddam manu scriptum habebat ἐν τῷ τόπῳ, *in loco.* procul dubio vitiosè. Cùm enim hic referantur mira & prodigia id temporis visa, nihil miraculi, nec prodigij est sedere in loco: sed needum Episcopum videri sedentem in throno Episcopi, cum ipse ibi non sit, sed in eius forma Angelus id mirum est, id prodigiosum. Huius loci vitiosa scriptio fecit, vt redirem in memoriam alterius similis in inscriptione epistolæ S. Ignatij Ad Romanos; vbi passim de ecclesia illa legitur sic: ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, *in loco regionis Romanorum*, quod ineptum videtur, ac proinde corrigendum similiter, ἐν θρόνῳ, *in throno.*

Ὁ δὲ στρατιώτου σχῆμα ἔχοντα καὶ ἱμάντα πυῤῥὸν ἐζωσμένον. *Quidam verò eum habitu militari indutum, & rutilo cingulo succinctum contuebatur.* Quo nihil indicabatur aliud, quàm illum boni & expediti militis partes in ecclesia Dei gesturum, & magnâ vi atque zelo hostes fidei aggressurum: cuius acrimoniam, & quasi vocis fulmen ipse hæreticorū dux Marcion Romæ persensit, cùm ab eo primogenitus satanæ est appellatus.

Ἄλλος δὲ πορφύραν αὐτὸν περικειμένην, καί τι φῶς τοῦ προσώπου αὐτοῦ περιλάμπον. *Alius purpurâ conuestitum, & vultum eius lumine circumspersum animaduertit.* Quid purpura illa, nisi ardorem caritatis in anima illa æstuantis, & foras emicantis, denotauit? & nō sine aliquo fortassis martyrij per ignem futuri præsagio.

Ἄλλη δέ τις ἡ παρθένος καὶ σεμνὴ εἶδεν τὸ μέγεθος αὐτοῦ διπλοῦν, ὑπὲρ ὃ ἦν καὶ ἱμάτια κοχυλιοβαφῆ κατὰ τὸν δεξιὸν ὦμον αὐτοῦ· τὸν δὲ τράχηλον αὐτοῦ λαμπρὸν ὡς χιόνα, καὶ σφραγῖδα. *Alia verò fidelis & veneranda virgo vidit duplam eius magnitudinem, & in dextero ipsius humero vestem purpurei coloris, collum denique niuis instar candidum: & annulum.* In digito, scilicet. Quid autem dupla magnitudo, nisi virtutū & meritorum excellentiam ac sublimitatem designauit? De annulo quidem episcopatus signo & præsagio, exemplum aliud inuenio apud S. Bernardum, in vita S. Malachiæ Episcopi Iberniæ: vbi scribit eum accitis ad se tribus discipulis suis, cùm anxius æstuaret, quisnam eorum episcopatu, qui vacabat, dignior foret, tandem singulos diligenter intuitum, atque ad vnum ex ijs, qui Edanus vocabatur, conuersum dixisse: *Tu ô Edane suscipe onus. Illo autem cunctante & flente, ne timeas, ait. Tu enim mihi à Domino designatus es: quia annulum aureum, quo desponsandus es, iam nunc praeuidi in digito tuo.* Aliud item in vita S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi lib. 1. Nam cùm adhuc esset prior cœnobij Beccensis in Nortmannia, inuentúsque esset in eius cubiculo annulus aureus; nec, vnde is esset, inueniri perquirendo potuisset, tandem intellectum est munus esse diuinum, & episcopalis aliquando dignitatis præsagium, Quod euentus deinde comprobauit. Olim & apud Gentiles per annuli traditionem successio aut in dignitate, aut in bonis designabatur. Sic Alexander magnus, teste Diodoro Siculo; Ἐπειδὴ τὸ ζῆν ἀπέγνω, περιελόμενος τὸν δακτύλιον ἔδωκε Περδίκκᾳ. *Postquā de vita desperauit, detractum annulum tradidit Perdiccæ.* Sic Titus Barrulus Lucio Spintheri decedēs suos annulos perinde atque vnico heredi tradidit, vt est apud Valerium Maximum, libro VII.

h *MISSI SVNT AD POPVLVM &c.* Diaconi.] In M.S. Ἐπέμφθησαν εἰς τὸ λαϊκὸν Διάκονοι, ὥστε πυθέσθαι, τίνα βούλονται; οἱ δὲ ὁμοθυμαδὸν εἶπον· Πολύκαρπος ἔστω ἡμῶν ποιμὴν καὶ διδάσκαλος. Συνεπινεύσαντος οὖν καὶ τοῦ ἱερατικοῦ παντὸς ἀνέστησαν αὐτὸν πολλὰ ἱκετεύοντα, καὶ παραιτεῖσθαι θέλοντα. *Missi sunt ad locum laicorum Diaconi, vt sciscitarentur: quem vellent? Illi verò vnanimiter dixerunt: Polycarpus sit noster Pastor & Magister. Annuente igitur pariter omni sacro ordine, erexerunt eum Diaconi verbis multis supplicantem, atque onus deprecari cupientem.* Vbi nota τὸ λαϊκὸν videri vsurpatum hic, sicut τὸ κυριακὸν, & quemadmodum hoc posterius

pro templo ponitur, sic τὸ λαϊκὸν, *pro ea templi parte, quæ laicos siue populi cœtum continebat.* Hinc porrò discitur in more aliquando fuisse, vt ante consecrationem Episcoporum quæreretur à populo per Diaconum, quemnam ipsi peterent, aut quem vellent Episcopum: non ita tamen, vt eo ipso, quo aliquem petijssent, is statim absque vllo alio consensu aut cerimonia esset Episcopus: sed accedere debebat Cleri approbatio, deinde & ab Episcopis consecratio. Nam hæc quidem in electione & ordinatione Polycarpi præcesserunt, (vt in vita continetur) S. Ioannis Euangelistæ, & B. Bucoli prejudicia, & quasi oracula deinde conuocati adfuere vicini Smyrnæ Episcopi & Presbyteri, tum demum populi vox requisita est, & quia verè à Deo erat, pronis totius Cleri auribus & studijs excepta & approbata est: postremò impositionis manuum solemnis ritus adhibitus. Ac felix tu quidem Polycarpe! in cuius electionem cælum & terra, Deus & homines pariter conspirarunt. Non fuit porro semper vnus idemque electionis modus, sed varijs tēporibus varij: de quibus videri potest Bellarminus, li. 1. De Clericis, cap. 9 Laudat certè & Naziāzenus S. Athanasij electionē, quæ facta est, vt scribit, ψήφῳ τῦ λαῦ παντὸς· *totius populi suffragio.* Nam & Synodus Nicæna nuperrimè statuerat, in electione noui Episcopi per Ægyptum, inter alia oportere etiam hæc duo considerari: εἰ ἄξιος φαίνοιτο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, *si dignus videretur, & si populus eligeret*. Vide ipsius Synodi epistolam apud Theodoretum lib 1. hist. eccl. cap. 9. Sic in Italia electus fuit longè ante Nicænam Synodum S. Victorinus: de quo ita Romanum martyrologium ad V. Septembris: *Romæ in suburbano, beati Victorini Episcopi & Martyris, qui sanctitate & miraculis clarus Sacerdotium Amiternina vrbis, totius populi electione adeptus est: postmodū sub Nerua Traiano apud Cutilias, vbi putentes & sulphureæ manant aquæ, cum alijs Dei seruis relegatus. &c.*

i *LOCVM, IN QVO TVNC ERAT, MVLTIS LACHRYMIS.*] Id quoque testatur M. S. vbi suprà, his verbis: Καταςαθεὶς δὲ ὑπ' αὐτῶν πρῶτον, δακρύων εὐλαβείας καὶ ταπεινοφροσύνης ἔβρεξε καὶ ἤλειψε τὸν τόπον, ἐν ᾧ τῷ πνεύματι ἔβλεπεν πόδας ἑςῶτας τῦ Χριςοῦ συμπαρεςῶτος αὐτῷ εἰς τὴν τῆς ἱερωσύνης χρίσιν. *Coram primis eorum constitutus, lachrymis pietatis & humilitatis irrigauit & vnxit locum, in quo per spiritum videbat pedes Christi stantes ad sacerdotij vnctionem sibi adsistentis.* Sed enim priusquàm vlterà progrediamur, vna est soluenda difficultas de serie Episcoporum Smyrnensium. Nam obiiciet quispiam, neque S. Bucolum dici posse primum Smyrnæ Episcopum, neque Polycarpum eius successorē recēseri secundum: quandoquidem Constitutiones Apostolicæ lib. 7. cap. 45. primæ editionis græcæ, per Franciscum Turrianum, latinæ item primæ per Carolum Bouium, Ostunensem Episcopum, cap. 46. nominent 1. Smyrnæ episcopum Aristonem, 2. autem Strataeam filium Loidis, tertium Aristonem. Deinde in Synopsi de vita ac morte Prophetarum, Apostolorum, & 70. Discipulorum, quæ attribuitur S. Dorotheo, dicitur Apelles fuisse Episcopus Smyrnæ ante S. Polycarpum. *Apelles*, inquit, *cuius etiam mentionem Apostolus ad Romanos facit, Episcopus Smyrnæ ante sanctum Polycarpum factus est.* Respondeo Constitutiones Apostolicas, quæ circumferuntur, haberi in apocryphis: nec magis esse vera, quæ de Smyrnæ Episcopis ibi proferuntur, quàm quæ ibidem de primis Romę Pontificibus in hæc verba: *Romanæ ecclesiæ Linus Claudiæ filius, primus a Paullo, Clemens post eius mortem a me Petro secundus ordinatur.* Ita enim Linus ante S. Petrum fuisset mortuus, qui tamen Petro ex multorum sententia successit: ex aliorum autem, Clementi sponte thronum cedenti. Ad Synopsin autem dico incertum esse, an sit illa magni illius & antiqui Dorothei martyris, an alicuius alterius incogniti, ac proinde & minorē eius fidem, quàm eorum Auctorum qui à nobis sunt. Deinde leniùs responderi potest, causam, cur tam multi ante Polycarpum statuantur Smyrnæ Episcopi, non aliam esse quàm quòd illi aliquando per transennam euangelium ibi annuntiarint: cùm alioqui non tanquam Episcopi sedem ibi fixerint: quemadmodum fecerunt S. Bucolus & S. Polycarpus, qui proinde meritò primi eiusdem vrbis & sunt & censentur Episcopi.

AD CAPVT VII.

a *IN TEMPORA EPISCOPATVS B. POLYCARPI* &c.] Quin duæ posteriores persecutiones, Traiani scilicet, & duorum Impp. M Aurelij & L. Veri inciderint in episcopatum Polycarpi, nullo modo potest dubitari: cùm de altera extet testimonium S. Ignatij in eius epistolis, & speciatim in ea quæ ad Antiochenos scripta est sub Traiano: vbi sic ait: *Salutat vos Polycarpus Antistes dignissimus* &c. In altera autem, vt infrà constabit, nobile martyrium obierit. Tantùm quæstio esse potest, an etiam tempore Domitiani Imp. fuerit Episcopus. Sed re vera tam tum fuisse planè sentiendum est, & mecū ij omnes sentiūt, qui verba S. Ioānis in Apocalypsi, ad eos episcopos, qui tum in Asia regebant ecclesias, directa esse tenent, simúlque asserunt per Angelum Smyrnæ intelligēdum esse Polycarpum. Eorum autem, qui hæc tenent, numerus est longè maximus, atque deinceps, vti spero, maior futurus est, postquam integra eius vita, quæ hactenus maximam partem incognita fuit, doctorum

manibus volutata fuerit. Inde enim & ex his Notationibus multa olim obscura in lucem nunc veniunt, quæ ad hanc sententiam non parum momenti, vt quidem existimo, afferunt. Duo igitur, vt res constet, nobis probanda sunt: vnum quidem, intelligenda esse verba Apocalypseos de illis Episcopis, qui tum viuebant, quando illa ab Ioanne scribebantur, nempe Domitiano imperante: Alterum hanc esse communiorem sententiam, & non auctoritate tantùm, sed & ratione multò probabiliorem, nempe per Angelū Smyrnæ intelligi S. Polycarpum eius vrbis Episcopum.

QVÆSTIO DE ANGELIS ASIÆ AN INTELLIGENDI SINT EPISCOPI, QVI TVNC ECCLESIAS ASIÆ GVBERNABANT?

Prius ergò probatur 1. ex illis verbis Apocalypseos: *palam facere seruis suis, quæ oportet fieri citò*. cap. 1. quasi dicat, propterea illorum interesse, eo quòd res non diu differendæ sint. Vnde & paullò pòst beatum dicit eum, qui seruat ea, quæ in prophetia scripta sunt. *Tempus enim propè est*, inquit, nimirum vt illa fiant, siue fieri incipiant: móxque subdit: *Ioānes septem ecclesijs, quæ sunt in Asia*: non dicit, *quæ futuræ sunt, sed quæ iam sunt*. Nam posteà multo plures fuerunt.

2. Quia hæreses, quarum ibi fit mentio, tūc erant, & postmodùm extinctæ sunt. *Quia odisti facta Nicolaitarum*, inquit Episcopo Ephesi, & Episcopo Pergami, cap. 2. Tum autem vigebant Nicolaitæ in Oriente, vt constat è litteris S. Ignatij Martyris.

3. Epistolę solent scribi ad viuentes & superstites, non ad pòst futuros, nisi indirectè & consequenter: Verba autem ad istos episcopos sunt epistolæ: nec ratio apparet, quāobrem negari possit, ad eos qui tum viuebāt, missas esse.

4. Adhortationes ad patientiam & zelum contra tyrannos, & contra Nicolaitas præstandum, maximè illi tempori congruebant, cùm & persecutio esset, & Nicolaitæ, vt dictum est, dominarentur. Quos & diligenter ac sollicitè fugiendos docuit B. Martyr Ignatius.

5. Si epistolæ illæ 7. ad septem Episcopos, non dirigebantur propriè ad eos, qui tunc viuebant, minus efficaces fuissent, vnoquoque Episcoporum istorum existimante eas nihil, aut parum ad se pertinere: & sanè virtutes & vitia illorum episcoporum tam expressè & singulariter notata in ijsdem epistolis, clarè indicant eas determinatè ad certos episcopos scriptas, indeterminatè autem, & sub exempli forma, ad omnes.

Denique hæc sententia & olim omnium probatissima fuit, & nunc ab omnibus tenetur. Quod autē per Angelum Smyrnę intelligatur Polycarpus præter ea, quæ in vita attuli, cap. VII. hæc quoque, vt ita sentiam, me inducunt.

QVÆSTIO 2. AN PER ANGELVM SMYRNÆ INTELLIGATVR S. POLYCARPVS?

1. Tempus quo illa dicta sunt, valdè congruens ætati S. Polycarpi. Nam dicta sunt, teste S. Irenæo, lib. 5. aduersus hæreses, cap. 30. sub extremum tempus imperij Domitiani, quo satis constat fuisse iam episcopum S. Polycarpum: quippe hominem antiquum, & cum Apostolis conuersatum, & ab ijs qui Dominum viderant, & ministri eius fuerant, Episcopum cōsecratum. Talem enim fuisse indicant illa Eusebij verba lib. 3. histor. cap. 35. in græco, in latino autem cap. 30. Διέπρεπέ γε μὴν κατὰ τούτους ἐπὶ τῆς Ἀσίας τῶν Ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ κυρίου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. *Floruit sub illa tempora in Asia Polycarpus, qui cum Apostolis conuersatus ecclesiæ Smyrnensis episcopatum ab ijs qui Dominum viderant, & eius ministri fuerant, obtinuit.* Deinde fuit condiscipulus S. Ignatij, qui multis antè annis & minimùm sub Nerone Episcopus fuerat cōsecratus: vt nihil mirum sit Polycarpum sub Domitiano eadem dignitate functum. Nec obstare debet longæuitas S. Polycarpi, vsque ad centesimum decimum, eóque amplius annum permanentis, cùm nemo non fateatur visum esse eodem sæculo S. Simeonem Hierosolymorum Episcopum annnos centum viginti natum, teste Hegesippo apud Eusebium, lib. 3. hist. c. 26. nec longè ab eadem S. Simeonis ætate abesse potuisse S. Sagarim, vnum ex antiquis S. Paulli discipulis, vt Romanum habet martyrologium: qui tamen eodem ferè tempore, quo S. Polycarpus mortem obijsse fertur: nempe sub M. Aurelio, & L. Vero. De quo vide martyrologium ad sextam Octobris. Quod enim nonnulli ex dicto isto S. Polycarpi, *Octoginta sex annis illi iam seruiui*, colligant non longiorem eum ætatem vixisse, toto illos cælo errare, luce clarius infrà ostendetur.

2. Laus Angelo Smyrnæ, præ alijs Asiæ Episcopis, attributa, maximè congruit Polycarpo. Non enim fuit id tēporis alius Smyrnæ sanctitate clarior, quàm Polycarpus: quē proinde S. Hieronymus facilè totius Asiæ principem appellauit. In alijs omnibus episcopis maculam aliquam notauit S. Ioannes: in Angelo Smyrnæ nullam: sed è contrario virtutes multas & magnas.

3. Illa verba: *Et paupertatem tuam*. Polycarpum enim fuisse pauperem insinuauit Menæum 23. Februarij istis verbis: Πρὸ γὰρ τῆς ἱερωσύνης, τῆς θρεψαμένης αὐτὸν γυναικὸς τοὺς σιτῶνας ἐπλήρωσε δι' εὐχῆς, ἃς προεκένωσεν εἰς τὴν τῶν δεομένων χρείαν ἐκείνη. *Ante sacerdotium, eius, quæ ipsum nutrierat, feminæ horrea precibus repleuit, quæ prius in vsus indigentium euacuauerat.* Quarè si ante sacerdotium tam pauper fuit, vt alienis copijs alendus fuerit: simulque tam amans pauperum, vt quæ sua non essent, in pauperes profunderet; haud dubium esse potest, quin & post sacerdotium pauper fuerit, facultatibus scilicet vel con-

contemptis vel dispersis. Quare videtur S. Joannes ad eam quoque paupertatem respexisse, non autem ad eam solùm (etsi etiam ad illam) quæ in aduersitate sentitur.

4. *Sed diues es*] Nihil enim talibus pauperibus, qualis fuit Polycarpus, est ditius. Effundunt quidem, sed Deus refundit. Virtutibus præterea & meritis ecquis Polycarpo ditior? ei enim ex consequentibus temporibus, (quæ S. Ioanni euangelistæ antè & retrò, quod aiunt, prospicienti ignota non fuerunt) est ducenda testificatio; ipsius Ignatij iam martyris designati de illo iudicium, & ipsiusmet Polycarpi obitum igni & ferro perillustre martyrium, testimonio sunt inexpugnabili. De ijsdem verò diuitijs, itémque de prolixa senectute, est & hæc Menæi testimonium: Πλούτῳ... λαμπρᾶς... Latina vide supra in Menæo.

5. *ET BLASPHEMARIS AB HIS, QVI DICVNT SE IVDÆOS ESSE, ET NON SVNT.*] Et hoc in Polycarpo est verissimũ, teste Smyrnæorum, testium oculatorum epistolâ ad ecclesias Ponticas. Verba illius epistolę apud Eusebium, lib. 4. hist. eccl. cap. 14. & in græco, c. 15. quibus præcipuè Iudæos ad eius adustionem contulisse operam scribit, sunt hęc. Ταῦτ' οὖν μετὰ τοσούτου τάχους ἐγένετο θᾶττον ἢ ἐλέγετο, τῶν ὄχλων παραχρῆμα συναγαγόντων ἔκ τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ ἐκ τῶν βαλανείων ξύλα καὶ φρύγανα, μάλιστα Ἰουδαίων προθύμως, ὡς ἔθος αὐτοῖς, εἰς τοῦτο ὑπουργούντων. *Hæc igitur maxima cum festinatione, dicto citius facta sunt; turbis continuò partim ex officinis, partim ex balneis ligna arida coaceruantibus, Iudæis præsertim (vt ipsis mos est) ad hoc collaborantibus.*

6 *NIHIL HORVM TIMEAS, QVÆ PASSVRVS ES.*] Græcè in Apocalypsi Μηδὲν φοβοῦ, ἃ μέλλεις πάσχειν. Cui conformis est ea vox, quæ intranti stadium Polycarpo cœlitus insonuit, multísque Christianis audita est. Ἴσχυε Πολύκαρπε καὶ ἀνδρίζου. *Fortis esto Polycarpe, & viriliter age.* Quæ verba sunt in eadem Smyrnæorum epistolâ apud Eusebium supra: & eadem referuntur ab auctore Chronici Alexandrini, olympiadis ducentesimæ tricesimæ quintæ anno 4. indictione prima. Ad eadem verba, *Nihil horum timeas. Quæ passurus es,* inquit Lyranus, *me protegente per martyrij palmam transibis ad gloriam.* Attribuit ea Polycarpo, vt initio hic numero 9.

7. *ECCE MISSVRVS EST DIABOLVS ALIQVOS EX VOBIS IN CARCEREM, VT TENTEMINI, ET HABEBITIS TRIBVLATIONEM DIEBVS DECEM.*] Græcè: Ἰδοὺ μέλλει βαλεῖν ἐξ ὑμῶν ὁ διάβολος εἰς φυλακὴν, ἵνα πειρασθῆτε, καὶ ἕξετε θλῖψιν ἡμερῶν δέκα. Id quoque factum esse eo ipso tempore, quo captus est Polycarpus, constat ex eadem epistola, vbi cùm aliorum martyrum, tum Germanici adolescentis fortitudo commemoratur. Quod autem dicit *diebus decem;* vel numerum certum ponit pro incerto, vel eos dies intelligit, quibus à Christianis summâ curâ absconditus fuit Polycarpus, iam hunc, iam alium locum permutans, & à satellitibus Proconsulis sedulo perquisitus, demúmque inuentus, occisus est: vel respicit ad alios martyres, qui in ea persecutione in carcerem Smyrnæ missi sunt. Non enim dicitur: *Missurus est te in carcerem,* sed, *aliquos ex vobis.*

8. *ESTO FIDELIS VSQVE AD MORTEM, ET DABO TIBI CORONAM VITÆ.*] Græcè: Γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, καὶ δώσω σοι τὸν στέφανον τῆς ζωῆς. Et sanè fuit Polycarpus fidelis vsque ad mortem, & accepit coronam vitæ, & aureolâ martyrij. Nec de alio Smyrnæ episcopo simul & martyre illis temporibus vsquam mentio. Siquidem S. Bucolus non per martyrium vitâ expulsus est, sed suaui ac placida migratione volens ac lætus exiuit, vt in vitâ expressum est. Ariston quoque, & Strataeas, & alter Ariston, & Apelles, de quibus capite 6. actum est, tantùm Confessores fuerint, non martyres. Spectare autem ad martyres, quæ illo Apocalypsis capite cōtinentur, etiam Tertullianus in Scorpiaco, cap. 12. auctor est, vbi de ijsdem episcopis sic loquitur: *Quinam, inquit, isti tam beati victores, nisi propriè martyres? Illorum etenim victoriæ, quorum & pugnæ: eorum verò pugnæ, quorum est sanguis.* Ita ibi.

9. Adde Lyranum ad illa verba Apocalypseos: *Et Angelo Smyrnæ,* sic indubitanter asserentem: *Iste fuit Sanctus Polycarpus, secundùm Doctores communiter.* Ita ille. Quia videlicet omnes, qui id temporis docebant, ita passim tenerent, nec vlli vnquam interpretum vel antea, vel postea de alio, quàm de S. Polycarpo eum locum nominatim interpretari in mentem venerit. Adde & Petrum Aureolum Cardinalem ad eadem verba, *&* *Angelo Smyrnæ,* sic annotantem: *Scribit B. Polycarpo, inquit, Episcopo Smyrnēsi, hortando ipsum & subditam ecclesiam ad firmitatem & vigorem in persecutionibus.* Ita ille. Idem tenet Iacobus Pamelius vir doctissimus in suis ad Tertullianum annotationibus, libro *De præscriptionibus aduersus hæreticos,* cap. 32. numero 183. Cui & sacrarum litterarum multò peritissimus Gulielmus Estius, haud ita pridem huius Duacensis Academiæ fax ardens & lucens, nunc autem in cęlo regnans, in suo super Ioannis Apocalypsin commentario facilis calculum adiungit. Stephanus quoque Menochius ad illa verba Apocalypseos: *Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Creditur,* inquit, *hic Episcopus fuisse sanctus Polycarpus.*

b *IN PATMON INSVLAM RELEGATVS. &c.*] Patmos est insula in mari Icario, vna è Sporadibus, habétque in circuitu triginta

ginta millia passuum, vt auctor est Plinius lib. 4. histor cap. 12. Huius insulæ meminit Strabo libro X. Geographiæ post medium, his verbis: Ἡ μὲν οὖν Ἰκαρία ἔρημος ἐστι, νομὰς δ' ἔχει, καὶ χρῶνται αὐταῖς οἱ Σάμιοι. Τοιαύτη δ' οὖσα, ἔνδοξος δ' ὅμως ἐστι, καὶ ἀπ' αὐτῆς Ἰκάριον καλεῖται τὸ προκείμενον πέλαγος· ἐν ᾧ καὶ Σάμος αὐτὴ καὶ Κῶς ἐστι, καὶ αἱ ἄρτι λεχθεῖσαι Κορασσίαι, καὶ Πάτμος, καὶ Λέρος. *Icaria quidem deserta est: pascua tamen habet, quibus vtuntur Samij. Talis autem cum sit, nihilominus celebris est, atque ab ipsa id quod adiacet pelagus denominatur Icarium: in quo sunt tam Samos ipsa, quam Cos, & iam dicta Corassiæ, & Patmos, & Leros.* Hæc igitur Patmos insula cùm extra Scripturorum libros esset olim ferè ignota, postmodum B. Ioannis exilio & Christianæ fidei receptione plurimùm nobilitata est, nec minus fortassis diuinæ illius Apocalypseos (quæ etiamnum perseuerat, ac multo quàm alias magis in dies illustratur) eximia conscriptione. Dicitur autē hodiéque in ea insulâ licet Turcis subditâ Fides Christiana à Monachis S. Basilij Magni regulam sequentibus, & cœnobium S. Ioannis incolentibus intaminatè conseruari.

c *NAM DIE QVADAM DOMINICA* &c.] Hæc certa sunt è cap. 1. Apocal. versu 10. *Fui,* inquit, *in spiritu, in dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem ecclesijs, quæ sunt in Asia. Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.* Harum 7. vrbium situs cognosci potest è tabella minoris Asiæ. De hac etiam Asia loquitur Ioannes, in qua & diu habitauit. Præcipua autem harum vrbium, & non modò Ioannis Euangelistæ domicilio ac sepulchro (quę permagna laus est) sed etiam S. Paulli doctrina & epistolis celebrata est, fuit Ephesus. De qua nos pluribus alibi.

d *IT QVÆ AD ALIOS DESTINABANTVR EPISCOPOS.*] Patet è cap. 2. & 3. Apocal. in omnibus Episcopis, exceptis Sardiano, & Laodiceno, aliquas virtutes esse laudatas: in omnibus item, excepto Smyrnensi, aliquas maculas aut defectus esse deprehensos. Laudatur in Ephesino, labor patientia, bona opera: sed notatur feruoris in caritate imminutio. Commendatur in Pergamensi perseuerantia in fide, sed desideratur zelus aduersus Nicolaitas. Extollitur in Thyatirensi fides, & caritas, & ministerium, & patientia, & operum incrementa: sed culpatur indulgentia aduersus impiam & superbam & lasciuam mulierem pro aliquâ prophetide se iactantem. Probatur in Philadelphiensi retentio fidei & patientiæ, sed obijcitur modica virtus seu fortitudo, quæ & ingentibus promissis animatur ac roboratur. Sed diuus Polycarpus absque vllius aspersione labeculæ, virtutum diues, & ærumnarum patiens prædicatur. Nam Sardensis quidem & Laodicenus, ille mortuus, hic quasi semimortuus, ex vitio & tepore designantur.

e *TVM ERGO EPHESINAM, &c. ET PATMO PROXIMAM.*] Nota Ephesinam ecclesiam dici Patmo proximam, non absolutè, sed respectiuè. Nam bona inter vtramque maris intercapedo interiacet, sed aliarū tamen ecclesiarum, quæ hic nominātur, comparatione, Ephesina Patmo est proxima. Eam ecclesiam administrabat Domitiani tempore, & dum B. Ioannes Apocalypsim scriberet, S. Timotheus: ac proinde ad illum Apocalypsis verba dirigi tenent Petrus Aureolus in 2. Apocalypseos, & teste Lyrano, expositores communiter, quamuis postea ipsemet Lyranus ad illud, *mouebo candelabrū,* malit de alio, quàm de S. Timotheo intelligi. Verùm nūc quoque ætatis propè ab omnibus tenetur ac defenditur, non alium tunc, cum scriberet S. Ioannes illam epistolam, Ephesi Episcopum fuisse quam Timotheū; ac proinde ad illum directam esse. Hinc Stephanus Menochius ad illa Apocalypseos verba, ANGELO EPHESI, *Quem,* inquit, *S. Timotheum fuisse docet communior & magis recepta opinio.* Qui autem negant, duabus potissimè de caussis id negant: vna, quòd mortuum putent Timotheum ante scriptam Apocalypsim: Altera, quòd non credant in tam sanctum virum cadere illa verba: *Sed habeo aduersum te, quòd caritatem primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Ad primam caussam quod attinet, nullus est scriptor accuratus & antiquus, qui expresse ac disertè mortuum asserat Timotheum ante scriptam Apocalypsin, licet aliqui eum sub Neruâ, aliqui sub Domitiano defunctum scribant: quod intelligi potest de extremo prorsus tempore imperij Domitiani, scriptâ iam Apocalypsi. Vero autem simillima videtur ea sententia, quæ Timothei mortem sub Nerua adscribit, præsertim quod in eius vitâ grçcè scriptâ non modò Imperator, sed & Proconsul nominatim proferatur, sub quo excessit, immo & dies, non tantum mensis, adscribatur. Sic enim habet: Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἅγιος καὶ ἔνδοξος Ἀπόστολος, καὶ Πατριάρχης, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Τιμόθεος, πρὸ τρεῖς ἡμέρας τῶν καλενδῶν Καταγωγίων, ὥς ἐστι κατὰ μὲν Ἀσιανοὺς μηνὸς τετάρτῃ εἰκάδι· κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὸς Ἰανουαρίου εἰκάδι δευτέρᾳ, βασιλεύοντος μὲν τῆς Ῥωμαίων βασιλείας τὸ τρίτον Νερούα, ἀνθυπατεύοντος δὲ τῆς Ἀσίας Περεγρίνου. κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος μὲν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *Obijt autem sanctus & gloriosus Apostolus & Patriarcha & martyr Christi*

sti Timotheus triduo post diem Catagogia appellatum, qui secundum Asianos mensis quarti est trigesimus, iuxta Romanos autem vigesimus secundus Ianuary, imperante Romanis tam dicto Neruâ; Proconsule verò Asiæ, Peregrino: iuxta nos autem, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui gloria & imperiũ nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. Sic ibi.

Quòd autem aliqui dicantur scripsisse mortuum sub Nerone, non alius error, quàm librariorum fuisse existimandus est, ex duarũ scilicet vocum similitudine ortus, & Neronem pro Neruâ scribentium. Baronius quidem seriùs mortuum existimat: nempe demum sub Traiano, & quidem sub eius imperij annum nonum. Sed noua est hæc omnino sententia, & quam ante illum nullus, quòd sciam, hactenus tenuerit: nec ipse, credo, tenuisset, nisi illum cura scriptorum S. Dionysij, quę ad Timotheum missa sunt, defendendorum eò adegisset. Quæ eadem cura vlteriùs quoque eum impulit, vt nimirum negaret illum Timotheum, ad quem scribit Dionysius, esse illum S. Paulli veterem discipulum. Sed in Notationibus nostris ad vitam S. Dionysij vtrumque illud refugium, tanquam minimè necessarium clarè & exactè, vt opinor, refutaui: docendo scilicet euidenter verba illa, vnde omnis controuersia difficultas emanauit, nempe S. Ignatij dicentis: *Amor meus crucifixus est*, nunquam illic à S. Dionysio esse scripta; sed ab homine ignaro & imprudenti, & quidem prorsus ineptè & loco non suo intrusa. Quòd autem posteriores quidam Baronium totidẽ ferè verbis sunt secuti, id labori parcentes fecerunt, malentes scilicet scriptoris noui & adhuc mulsteorũ librorũ ęstimatione placentis auctoritatẽ sequi, quam rationem & antiquitatem accuratiùs perpendere & tueri. Nam certè ante Baronium nemo vnus dixit Timotheum antiquum Paulli discipulum ad Traianum peruenisse, nedum ad annum eius nonum aut decimum. Nam tota coniectura Baronij, cur existimet Timotheum ferè ad annum Traiani nonum aut decimum peruenisse, non aliunde sumitur, quàm ex istis verbis S. Ignatij, initio epistolæ ad Ephesios: *Quando igitur copiosam multitudinem vestrã in Dei nomine suscepi in Onesimo, viro cuius satis laudari caritas non potest, vestro autem Episcopo (quem vt vos in Christo Iesu ametis, & vt vos omnes illius similes sitis, vota facio) benedictus sit Deus, qui vobis, cum tales sitis, talem dedit in Christo habere Episcopum.* Ex quibus verbis dicit se colligere Onesimum haud pridem, antequam illa scriberentur, creatum esse Ephesinum episcopum. Quæ collectio quàm infirma sit, quis non videt? Nam eadem ipsa verba rectè dicerentur, etiamsi triginta antè annis fuisset eorum Episcopus. Eò enim tantùm ista dicuntur, quò magni Episcopum suum faciant, promtéque ei obediant; vt patet ex sequentibus, vbi fusè id agit. Quin ex adiunctis ibidem liceret potius elici contrarium, vt cùm dicit. *Si enim ego in breui tempore talem consuetudinem contraxi cum Episcopo vestro, quæ non humana sed spiritualis est: quanto magis vos censeo beatos, qui ab illo dependetis, vt ecclesia à Domino Iesu, & Dominus à Patre suo, vt omnia in vnitate consona sint?* Ita ille. Quasi dicat: si ego tantum ex eius consuetudine percepi fructum exiguo tempore, quo apud illum fui, quanto magis vos, qui tot annis ab eo dependetis, vt ecclesia a Domino Iesu? Photius sanè in bibliotheca sua numero CCLIV. scribit se legisse acta martyrij S. Timothei, quæ, (vt ibi compendio recitat) in omnibus ferè cum ijs, quæ refert Simeon Metaphrastes, consentiunt, siue in caussa & occasione mortis, siue in genere ipso mortis: tantum autem al sunt, vt mortuum dicant sub Traiano, vt etiam eius mortem retro ad Domitianum referant. In quo solo à Metaphraste dissedunt, qui demum sub Nerua Domitiani successore interfectũ scribit. Quæ sententiæ sic inter se conciliari possunt: quòd licet Timotheus sub Nerua occisus fuerit Domitiani successore, tamen quia ex vi edictorum Domitiani necdum à Neruâ reuocatorum, statim initio eius imperij occisus sit, proptereà dicatur potius sub Domitiano occisus, quàm sub Nerua, qui nullos edicto occidit. Et hoc quidem satis fit credibile ex ijs, quæ de vtroque scribuntur: nempè Domitianum occisum XIV. calend. Octobres (Sic enim auctor est Suetonius in eius vitâ, cap. 17.) Neruam verò successorem, initio imperij perquam timidum, adeóque anxium fuisse, præsertim cùm iactatus rumor esset Domitianum viuere, ita vt non statim initio reuocarit edictum Domitiani. Iam autem S. Timotheus in Ianuario occisus fuit, (quem & B. Ioannes Euangelista reuertens ab exilio sub Nerua, dicitur inuenisse mortuum) ita vt à morte Domitiani ad martyrium S. Timothei vix tres menses reperiantur.

Deinde Polycrates secũdi sæculi scriptor, qui & ipse Ephesiorum fuit Episcopus, & sacros ecclesiæ suæ fastos ignorare non potuit, in vita quam scripsit S. Timothei, planè ac disertè scribit eius martyrium accidisse vigesima secunda mensis Ianuarij, imperante Nerua. Verba Polycratis latinè extant apud Vincentium Bellouacensem in speculo historiali, lib. 10. cap. 38. quæ stilo suo satis clamant se è Græcis esse translata. Sed & Sigebertus multò ante Vincentium, in libro de viris illustribus cap. 3. *Polycrates*, inquit, *passionem S. Timothei Apostoli scripsit & alia multa.* Obijsse 22. Ianuarij tenent etiam Græcorum Menæa & Menologia: cùm Latina martyrologia assignent 24. eiusdem mensis.

Deinde

Deinde mors & caussa mortis S. Timothei talis fuit, vt vel sub Principe quamuis pacifico potuerit obtingere. Nam occisus fuit, dum festis Gentilium ludis se opponeret, & & quidem clauâ percussus, eorumdem scilicet ludorum instrumento. Hunc festum diē vocant Græci καταγώγιον, quasi dicas, *pompam deductoriam*. Sic autem ea celebrabatur: Indecoro habitu induti, & ne agnoscerentur, laruis ora obtecti, & clauas gerentes, idola quædam circumferebant, ac certa carmina decantantes, in obuios sibi homines liberos & graues matronas absque vllo respectu irruebant, cædésque edebant, multum sanguinis in celebrioribus vrbis locis profundentes. Contra hunc ergo infandum ac barbarum morem, cùm nihil, nec monendo, nec minando proficeret Timotheus, ipsâ nefariæ celebritatis die obuiam se debacchantibus obtulit, atque ab idolorum insano cultu, ad vnius veri Dei agnitionem & adorationem auertere conatus, ab iisdem clauâ percussus, & lapidibus appetitus, triduo pòst obiit.

Quod si sub Neruâ, quod veri est simillimum, id accidit: tum dubitari non potest, quin verba Angelo Ephesi scripta, Domitiani tempore Timotheo scripta sint, siquidem adhuc Epheso præsidebat.

Ad alteram verò caussam, quòd quidam negent ista verba, *Sed habeo aduersum te, quòd caritatem tuam primam reliquisti*, ad virum tam sanctum pertinere, ex vero responderi potest, tantùm illic agi de feruore caritatis & amicitiæ Dei. Nec est sanè nouum in viris sanctis interdum calorem æstúmque virtutis deferuescere, iuxta illud Aurelii Prudentii, in extremâ Psychomachia, eam, quam in semet ipse expertus esset, feruoris teporisque vicissitudinem deplorantis:

O quoties animum vitiorum peste repulsâ
Sensimus incaluisse Deo! quoties tepefactum
Cæleste ingenium! ----

Deinde videntur illa Ioannis verba eandem prorsus vim habuisse, quam illa Paulli ad eundem Timotheum scribentis: *Propter quam caussam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.* &c. ita vt videatur Timotheus nonnunquam aliquo timore aut pusillanimitate à rebus magnis esse inhibitus aut retardatus. Hinc & in priori ad Corinthios, cap. 16. *Si autem venerit Timotheus*, inquit, *videte, vt sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace.* &c. Denique B. Ioannis verba, velut inuitatoria fuerunt ad instātem palmam, atque ad generosum illud factum, quod occasionem glorioso martyrio dedit, incitatoria.

AD CAPVT VIII.

a VT AVTEM POLYCARPI INITIA PRÆCLARE SE HABVERVNT.] Hoc caput partim è B. Ignatii litteris, partim è græco M. S. vitæ ipsius Polycarpi concinnaui. Nam ex hoc miracula, ex istis autem alia omnia deducta sunt.

b *GLORIFICO DEVM ET PATREM.* &c.] Sic exorditur & Ignatius epistolam ad Smyrneos: Δοξάζω θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ &c. Nempe idem amborum spiritus, Ignatii & Polycarpi.

c *EX OMNIBVS EPISCOPIS, QVOS MVLTOS NORAT ET SALVTARAT.*] Quinque ex illis Episcopis nominatim appellat Ignatius in epistola ad Heronem, suū Antiochiæ Diaconum, & in episcopatu successorem designatum. *Salutant te Episcopi*, inquit, *Onesimus, Bitus, Demas, Polybius.* Et infrà ibidem: *Marin Episcopum Neapoleos, quæ est prope Anazarbon, saluto in Domino.* Item in epistola ad Philippenses meminit S. Vitalis. Ex quibus omnibus, tametsi laudatissimis, vnum præcipuè elegit Polycarpum, cui ecclesias Asiæ commendaret.

d *QVI POTERIT THEODROMVS APPELLARI.*] Græcè: ὃς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι. Quod Vairlenius & Martialis Mæstræus perperam vertunt: *vt possit diuinus cursor appellari*, pro: *Qui possit diuinus cursor appellari*, aut, *Dei cursor*. Nec est, quòd dicantur legisse ὡς δυνήσεται, cùm eorum græca exemplaria habeant ὃς δυνήσεται. Neque verò hoc agebatur, vt aliquis posset vocari θεόδρομος, sed vt iret in Syriam, & mandata ad Dei gloriam perferret: vnde tātùm consequebatur, vt posset *diuinus cursor* appellari.

e *DE QVA ITEM COMMENDATIONE ITA EVSEBIVS* &c.] Verba Eusebii extant libro 3. historiæ eius ecclesiasticæ, cap. 30. sed in græcâ editione cap. 36. & sunt hæc: Ὃν οἷα δὴ Ἀποστολικὸν ἄνδρα εὖ μάλα γνωρίζων, τὴν κατ᾽ Ἀντιόχειαν αὐτῷ ποιμνίαν, οἷα γνήσιος καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν, παρατίθεται, τὴν περὶ αὐτῆς φροντίδα διὰ σπουδῆς ἔχειν αὐτὸν ἀξιῶν. *Quem, vt virum Apostolicum optimè cognoscens, gregem Antiochenum tanquam germanus & bonus pastor illi commendat, minimè dubitans, quin diligentem eius curam esset habiturus.*

f *VIRTVTEM PORRO POLYCARPI.*] Miracula hæc omnia, quæ sequuntur, partim & potissimè è græco M.S. partim etiam è Menæo Græcorum desumpta sunt: nempe priora quatuor è M. S. tantummodo, quintum ex vtroque, sextum de inhibita pluuia, è solo Menæo.

g *VRBEM TEON INGRESSVS.*] Teos est Ioniæ vrbs & peninsula, distans à Lebedo stadiis centum viginti. Ex ea vrbe fuit Anacreon Lyricus, & Apellicon, Aristoteleæ bibliothecæ

bibliothecæ instaurator, & Hecatæus historicus, tres viri clarissimi. De quibus agit Strabo libro 13. & 14. Geographiæ. Nam de Apellicone agit libro 13. de aliis, & de ipsa Teo, libro 14. ante medium, vbi addit Teios Anacreontis tempore relicta vrbe Abderâ Thraciæ vrbem transmigrasse, cùm Persarum iniurias ferre non possent. Vndè & illud vulgatum:

Ἄβδηρα, καλὴ Τηΐων ἀποικία.

Abdera, pulchra Teiûm colonia.

Hinc *vates Teius*. i. Anacreon, &: *dicere fide Teia*. i. carmine Anacreontico, apud Horatium lib. 1. carm. ode XVII. Habes epigrammata aliquot in Anacreontem Teium, in Anthologia græcorum epigrammatum, lib. 3. & 4. vbi idem poëta vocatur εὖχος Ἰώνων, *Gloria Iönum* (ex quo patet etiam Teon esse in Ioniâ & quidem mediâ, teste Herodoto lib. 1. non, vt quidam voluerunt, in Arcadia) & Τήϊος κύκνος, *Teius cygnus*. Ex hac etiam vrbe prodierunt Protagoras Philosophus, & Scythinus Poëta iambicus, teste Stephano Byzantino, De vrbibus, in voce Τέως.

h *IBI APVD DAPHNVM EPISCOPVM HOSPITATVS.*) Is est Daphnus, vt opinor, quem laudat B. Ignatius extrema epistola ad Smyrnæos, his verbis: Ἀσπάζομαι Ἄλκην τὸ ποθητόν μοι ὄνομα, καὶ Δάφνον τὸν ἀσύγκριτον, καὶ Εὔτεκνον, καὶ πάντας κατ' ὄνομα. *Saluto Alcen, amabile mihi nomen, & Daphnum incomparabilem, & Eutecnum, & omnes nominatim.* Hic Mæstreus contra quàm alij interpretes, pro *Eutecnum*, vertit, *& bonum filium*, hoc modo: *& Daphnum incomparabilem & bonum filium.* Quasi vnum & alterum sit epitheton ipsius Daphni. Quod tamen quamuis epithetum esset, non significaret *bonum filium*, sed *felicem prole*, siue *probis liberis abundantem & florentem*. Qualis fuit S. Gregorius Nazianzenus senior, Episcopus Nazianzi, cuius omnes liberi sancti, & inter eos S. Gregorius Theologus, S. Cæsarius, S. Nonna. Qualis fuit & S. Basilij magni pater, idem & S. Gregorij Nysseni, & S. Petri Sebastę in Armenia Episcopi, & S. Macrinæ iunioris parens. Qualis fuit & mater 7. Machabæorum, & multæ aliæ. Sic accepit vocem εὔτεκνον Philo Biblius in libro 14. De Hierosolymis, vbi Iacob Patriarcham vocat εὔτεκνον. i. felicem liberis, in hocce versu:

Ἰακὼβ εὐτέκνοιο τόκος Ἰωσὴφ, ὃς ὀνείρων
Θεσπιστὴς, σκηπτοῦχος ἐν Αἰγύπτοιο θρόνοισι.
Ioseph, Iacobi felicis prole propago,
Visorum sollers, AEgypti sceptrifer almæ. &c.

Extant gręci versus apud Eusebium libro 9. de præparat. euangelica, pagina 251. quos præterijt in sua versione, vti & alia multa, Trapezuntius. Quę caussa inter alias non minima fuit, quamobrem noster FRANCISCVS VIGERVS vir magni ingenij & exquisitæ doctrinæ aliam aggressus interpretationem fuerit, & magno confectam iudicio in lucem nuper emiserit.

Vocem εὔτεκνος interpretatus videtur Poëta in illo versu libro 6. Æneidos, de vrbe Roma:

FELIX PROLE VIRVM. ---

. i. virorum fortium procreatrix, & inde fortunata.

i *VT FRVMENTVM EX EA HORA SIC MVLTIPLICATVM*] Qui panes & pisces in deserto multiplicauit, Matthæi 14. idem benignissimus Pater sępè postea per caros sibi famulos, ita exigente necessitate, & frumentum & vinum & oleum & pisces & alia eiusmodi ad victum necessaria legitur multiplicasse. Simillimum autem Polycarpo nostro extitisse in huiuscemodi miraculis reperio S. Mæsymam Sacerdotem, de quo ita beatus Theodoretus in Philotheo, cap. 14. *Hospitum autem & pauperum tam alacri animo curam gerebat, vt patefaceret portas omnibus, qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia, vnum quidem frumenti, alterum vero olei: ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus: habebat autem ea semper plena benedictione, qua data est vidua Sarephtanæ, & immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos, qui ipsum inuocant: & sicut illius hydriam & guttum iussit scaturire, prabens manipulos seminum hospitalitatis: ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, qua ex æquo respondebat eius animi alacritati.* Ita Theodoretus. Egregium item est, quod refert Ruffinus Presbyter de Abbate Apollonio. Nam ortâ fame apud Thebaidam, cùm ad eum habitatores terræ illius cum vxoribus & liberis opem postulatũ concurrerent, ille ex ijs, quæ ad vsum fratrum reposita erant, copiosè eis distribuebat. *Cùm verò tres solæ panum sporta remansissent* (verba hæc sunt eiusdē Ruffini) *fames autem populos vehemēter vrgeret, iubet proferri in medium sportas, quæ solæ superfuerant, vnius diei victum Monachis prabituræ, & in auditu totius populi, qui famis necessitate confluxerat, eleuatis ad Deum manibus ait: Nũquid non valet manus Domini multiplicare hæc? Sic dicit Spiritus Sanctus: Non deficiet panis in sportis his, donec satiemur omnes de frugibus nouis. Et vt plurimi ex his, qui tunc in præsenti fuerant, confirmabant, quatuor continuis mensibus nec cessatum est vnquam erogari panes ex sportis, neque deesse potuit aliquando. Similiter autem & alio tempore fecisse eum de frumenti & olei specie perhibebant.* Et paullo pòst subdit quod suis ipse oculis vidit. *Plenas*, inquit, *sportas deferri vidimus ad vacuas mensas, & cũ replerentur panibus mensæ, atque ad omnem satietatem consumerentur, plenæ nihilominus recolligebantur.* Ita ille cap. 7. Vide de eodem exemplo Palladium in Lausiacâ, cap. 52. vbi hæc sunt verba maioris efficaciæ: *Quid vero? non oportet nos quoque dicere ea, quæ vidimus*

mus? nempè quòd fratres ingrediebantur cum sportis ad mensas panes afferentes, & cùm comederent quingenti fratres ad satietatem, eas rursus plenas accipiebant. Vide aliud exemplum in eodem Palladio, cap. CXI. de Abbate Elia, cui diuinitus dati sunt tres panes recentes ad reficiendos, qui aduenerant, hospites: è quibus cùm viri viginti comedissent ad satietatem, vnus superfuit, quo vsus ipse est viginti quinque diebus. Similia multiplicationis exempla in vitis Sanctorum extant complura. Vt in vita S. Richardi Cicestrẽsis Episcopi, vbi ex eius benedictione, panis vnus sufficit ad tria millia hominum reficienda: reliquiæ autem fragmentorum ad alios centum pauperes sufficere poterant. In vita S. Euthymij Abbatis, in vitâ S. Columbani, in vitâ S. Vincentij Ferrariensis, & aliorum, his consimilia reperientur. De vini multiplicatione vide in vita S. Genouefæ.

CVM RISV ET IOCO] Exemplum hoc loco est, benigna Dei miracula, si risu & iocis excipiantur, quodammodo intercipi. Vult enim Deus sua beneficia, præsertim illa prodigiosa & naturæ fastigium excedentia; cum omni honore ac reuerentiâ excipi. Nam talibus Dei donis abuti, est semetipsum illis & alijs indignum præstare, & fontes diuinæ benignitatis quodamodo obstruere. Quin vnius aut paucorum subinde peccata non vni aut paucis, sed omnibus communiter nocuerunt. Nam obseruatum à pluribus est, oleum, quod è sacris beatæ VValpurgis ossibus, in monasterio Eystetensi, ad morborum medelam continenter defluebat, sæpenumero vel ob vasorum, quibus excipiebatur, immunditiem, vel ob excipientium irreuerentiam, vel ob loci ipsius violationem à fluxu solito destitisse. Vide eius Sanctæ vitam à Philippo Episcopo Eystetensi, qui se eodem curatum fuisse oleo narrat, perscriptam. Vide & Abrahamum Bzouium, tomo 14. annal. eccles. ad Christi annum 1359. Cessauit etiam aliquando propter populi peccata è sepulchro S. Nicolai fluere liquor olei ad morbos salutatis. *Nam cùm quidam egregius successorum Antistitis egregij* (ità loquitur Theofridus) *ciuili expulsus esset discordiâ, tamdiu cessauit profluere olei exuberantia, donec Præsul eiectus cum iniuriâ, ecclesiæ suæ cum ingenti restitueretur honore ac gloria.* Ita lib. 3. Epitaphij Sanctorum cap. 5.

Refert etiam Franciscus Gonzaga in parte 2. De origine Seraphicę religionis, prouinciæ Bononiæ, conuentu 25. Sanctæ Mariæ de campo Placentiæ, fuisse in eadem ecclesia puteum quendam, in quem olim multa Sanctorum Martyrum corpora à tyrannis occisoribus proiecta fuerant: oleum igitur ex diuino beneficio inde olim emanasse, tam fouendis lampadibus commodum, quã diuersis fidelium infirmitatibus persanandis mirificum: sed humanæ auaritię noxis id exigentibus, quæ eò vesaniæ processerant, vt sumpto precio, curandis etiam brutis animalibus eo abuterentur, desijsse tandem emanare, penitúsque eum liquorem interijsse. Nec mirum, si Deus certorum despicientiã miraculorum, & mistam ei auaritiam sic puniuit; quando & naturalia beneficia in commune à se collata, si qua inuidia aut priuati commodi respectu ad vsus paucorũ restringi animaduerteret; etiam Gentilibus cum ipsorum admiratione & pœnitentia ademerit. Sic olim in fabis, in aquis, in sale virtutem suam Deus ostendit. Scribit enim Phylarchus, cùm antea nunquam & nusquam faba, nisi in Ægypto sereretur, aut sata prouenirent, accidisse tamẽ Alexandro Pyrrhi filio regnante, vt propter Thyamin fluuiũ Thesprotiæ in Epiro, quadam in palude nasceretur, & biennium fructus abundè proferret atque ad maturitatem perduceret. Verùm postquam Alexander ibi custodes apposuit, prohibuitque non solùm ne quis acciperet, sed etiam ne quis propiùs accederet; tum verò paludem exaruisse, ac deinceps non modò fructum tulisse nullum, sed nec aquã ibi amplius conspectam esse.

Simile quippiam Edepsi accidit. Nam seorsum à ceteris aquis riuulus quidam mari vicinus gelidam aquam profundebat, cuius potus plurimùm ægris auxiliabatur: vnde & multi è longinquo hanc aquam potaturi aduentabant: sed vbi Duces Regis Antigoni eam frugaliùs dispensare cupientes, certum precium imposuerunt bibentibus, ex eo tempore riuulus ille exsiccatus est.

In Troade quoque licebat antea cuiuis Tragasæum salem gratis auferre: at quandò Lysimachus tributum illi imposuit, cõtinuò exaruit: cùm verò rem eam demiratus tributum sustulit, rursum excreuit.

Hæc tria de fabis, aqua, sale reperies græcè apud Athenæum libro 3. Dipnosophistarum, initio. Græca ipsa, tametsi essent ad manum, hîc non protuli, ne lectores retardarem. Edepsus, (de qua hic suprà mentio) Macedoniæ est ciuitas; Troas, Asiæ.

Ex his autem id habemus sumere documenti, beneficia Dei religiosè habenda; nec aliter, quàm illi visum fuerit, dispensanda: futurum enim alioquin, vt si ea quæ dat hominibus communiter, priuatim vindicentur; hæc eadem, iusta eius sententia, & priuatim pereant & communiter. Quæ enim homo tollit aliquibus, Deus adimit omnibus.

k *CVM CAMERIO DIACONO.*] Illum ordinarat Diaconum Polycarpus, teste M. S. his verbis Κατάστησε δὲ ὁ Πολύκαρπος καὶ ἄλλης μὲν διακόνης· ἵνα δὲ ᾧ ὄνομα Καμέριος, ὃς καὶ τρίτος ἀπ' αὐτοῦ μετὰ Παπύριον Ἐπίσκοπος γεγένηται. τοῦτον παραλαβὼν ἀπῆλθεν ἐς ἀγρόν.

Con-

Constituit Polycarpus cùm alios Diaconos, tum vnum Camerium nomine, qui tertius ab illo post Papyrium fuit Episcopus. Hoc assumpto abyt in agrum. Nota porrò istius Papyrij mentionem fieri in epistola Synodica S. Polycratis ad Victorem Pontificem: quam vide in vitâ S. Irenæi cap. 9.

l *ATQVE AD OBLATIONEM VSVI FORE* &c.] Græcè εἰς προσφοράν. Quæ vox propriè significat oblationem. Sed quid auicula ad oblationem? Nihil quidem ad principalem illam & Eucharisticam oblationem, in qua panis & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutatur. Verùm præter panem & vinum, multa quoque alia à primis Christianis per manus Sacerdotum Deo offerebantur, partim in ministrorum Ecclesiæ vsum cessura, partim in egenorum atque infirmorum alimoniam. Quibus cùm etiam ipsa altaria subinde onerarentur; factum est, vt exprimendum fuerit, quæ super altare, & quæ ad altare tantùm, & quæ item nec ad altare quidem offerenda essent. Hinc inter Canones, qui sub nomine Apostolorum prodierunt, tertius, quartus, quintus hanc ob caussam conditi sunt: quorum tertius ita habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, mel aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Qui canon, quemadmodum arbitror, mentionem volatilium non fecisset, nisi aliquando volatilia oblata essent, & quidem ipsius adhuc Polycarpi æuo, vt hic è vita eius videtur posse colligi. Adeo illi Canones non modò ab Apostolis conditi non sunt: sed nec integro pòst sæculo fuerunt. Vnde nec ab vllo, qui primis duobus sæculis vixerunt, minima illorum mentio. Et Gelasius Pont. in capit. *Sancta Romana*, ita scribit: *LIBER CANONVM APOSTOLORVM APOCRYPHVS.* Nec est, quòd dici possit partem tantùm illius libri esse apocryphanı, siue canones eos duntaxat, qui numerantur à quinquagesimo, cùm aliud sonent verba Gelasij: præterquàm quoque, quòd si quinquaginta priores admittantur, etiam ille admittendus fuerit: *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abyciat: si verò reiecerit, excommunicetur: sed si perseuerauerit, deyciatur.* Nam hic Canon est numero sextus, ac proinde admittendus, si quinquaginta priores recepti sint. Quo de Canone agens Baronius ad annum Christi 58. pag. 585. *Non est*, inquit, *quòd de Canone Apostolorum rursum quis moueat quæstionē, quod eo statutum sit: Ne episcopus aut Presbyter aut Diaconus vxorem suam prætextu religionis abyciat. Nam Apocryphorum non est tanta auctoritas, vt quæ sunt tam certa, rata atque firmata, conuellat.* Iam quartus Canon de oblationibus ita habet: *Offerre non liceat aliquid ad altare, præter nouas spicas & vuas & oleum ad luminaria, & thymiamata.* id est, incensum eo tempore, quo sancta celebratur oblatio.

Quintus autem sic. *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo & Presbyteris dirigātur, non offerantur in altari. Certum est autem, quòd Episcopus & Presbyteri diuidant Diaconis & reliquis Clericis.* Ita Canō. Polycarpus igitur viduæ pietatē magis quàm doni æstimationem attēdens, & auem illam pro duobus viduæ illius Euangelicæ minutis computans, admisit munus in oblationem datū, eiusque aliquam, ne cum ruituris periret ædibus, curam gessit. *Nihil enim earum rerum, quæ Deo offeruntur, tam paruū est*, (inquit S. Gregorius Nazianzenus) *quamuis etiam minimi momenti sit, quod is non omnino accipiat atque comprobet.*

m *EX HOC DIVERSORIO EGREDERE*] Non rarò Sanctos suos Deus à ruinis ædium vel clara admonitione, vel interno motu præseruauit. In vita S. Austrebertæ virginis & primæ Abbatissæ Pauliacēsis, vnum inuenio istius diuinæ prouidentiæ ad tutelam & incolumitatem suorum intētæ præclarum exemplum, idque aliqua ex parte huic de Polycarpo consonum. Quod ita refert illorum æqualis tēporum scriptor, apud Surium, tomo 1. *Initio Quadragesimæ, mediæ noctis tempore facta est vox ad quandam sororem dormiētem, dicens: Surge, curre velociter: dic Abbatissæ, vt surgat, & ad opus Dei Sorores excitet. At illa sopore nimio depressa surgere neglexit. Secundò autem vox delata est, dixitque similiter: nec tunc illa surrexit, iterúmque obdormiuit. Tertiò porrò veniens vox ipsa cum quadam indignatione increpauit eam dicens: Cur ita dormis Soror mæsto sopore soluta? vsquequo in tantum somno deprimeris, vt tertiò tibi iussio repetenda sit? surge, inquit, dic Abbatissæ, vt surgat, signúmque tangat, & ad opus Dei sorores excitet. At illa currens festina, timens & tremens inuenit eam in ecclesia vigilantem, dixítque ei omnia, quæ circa se fuerant facta: statímque signo dato, sub vnius momenti spatio, inuentæ sunt omnes in ecclesia congregatæ, ita vt præter duas infantulas, nulla deesset. Miratæ sunt valdè, quòd omnes tam subitò adessent, quod nunquam aliàs contigisse meminerant. Mox verò imposito psalmo, ecce media pars dormitory concussa protinus corruit.* Sic ille. Omnes igitur diuino monitu saluæ fuerunt, etiam duæ infantulæ, quarum vna subter mensam, altera in fenestra diruta, inuentæ sunt, haud dubiè ab Angelis custodibus illuc delatæ.

Rogerus verò de Houeden in parte priore suorum annalium, in Henrico primo, ad annum Domini 1117. hoc accidisse memorat exemplum: *Viri Mediolani patricia dignitatis, dum de rep. tractantes sub vna residerent turri,*

ri, auribus omnium vox foris insonuit, vnum ex illis nomine vocans, & festinato exire rogans; quo tardante persona quadam apparuit, quæ vocatum virum, vt egrederetur, prece obtinuit: exeunte illo turris repente cecidit, & omnes qui ibidem erant, casu miserabili oppressit. Ita ille.

Recentioris porrò memoriæ exempla duo habemus illustria: quorum prius in vita beati Borgiæ traditum est litteris: vbi eius vitæ scriptor hæc de illo: *Occurrit ei olim in itinere Suerus Vega, Ioannis Vega, Hispaniæ Præsidis filius, in idémque hospitium diuerterant, cúmque frigus igne depulissent, secessit, vt solebat, Deum oraturus Franciscus, Vega focum retinuit. Post non diu cubiculo raptim noster egressus, fugiamus, inquit, periculum præsto est. Dictum ac factum. Vix domo digressis tectum decidit, omnes oppressurum, ni cauisset Franciscus. Pij nimirum in tutela Dei sunt.* Ita ibi.

Alterum est illud quod Olysippone accidit anno 1596. cùm vir grauis, (quippe Sacerdos & multa dignitate venerandus, & cuius in Sodalitium Deiparæ virginis non pauca extabant merita) ipso noctis silentio, cùm maximè consopitus iaceret, vocem hanc audiuit, (ipsiúsne Matris Deiparæ, an custodis Angeli incertum habet) *Proripe te è lecto, fili, & isto cubiculo excede.* Qui somno pressus primò quidem segnis, postea tamen auditæ vocis curâ extimulante animum, excusso somno surrexit, circumiectóque raptim amiculo è cubiculo prosiluit: & ecce subitò domus contignatio ingenti cum fragore corruit, hominem certissimò oppressura, ni cælesti parens monito effugisset. Ille cum suo illo amictu tumultuario Sodalitatis adijt Directorem, & Sanctissimæ Matris bonitati suam adscripsit incolumitatem. Hoc qui ab ipsomet periculi euasore acceperunt Patres Societatis Iesu Collegij Olysipponensis, ad nos perscripserunt.

n *O BEATE PAPA.*] Græcè est μακάριε Πάπα. Ex quo liquet antiquam hanc esse Episcoporum appellationem, cùm auctor Græcus vitæ huius sit perantiquus, atque ex ipsiusmet S. Polycarpi aut Irenæi discipulis. Deinde S. Cyprianus initio tertij sæculi à Confessoribus *Papa* appellatur, epist. VII. quam sic inscripserunt: *VNIVERSI CONFESSORES CYPRIANO PAPÆ SALVTEM.* Sic & à Clero Romano epist. 30. in eiusdem Cypriani operibus: quæ epistola sic inscripta est: *CYPRIANO PAPÆ PRESBYTERI ET DIACONES ROMÆ CONSISTENTES SALVTEM.* Denique fuit hæc vsitatissima appellatio temporibus SS. Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & consequentibus, tam apud Latinos, quàm apud Græcos, communisque omnibus Episcopis, vt ex ipsorum liquet epistolis. S. Hieronymus in prologo libri secundi commentariorum super Habacuc, ita Chromatium Aquileiensem Episcopum affatur. *Alterum, mi Chromati, Papa venerabilis, in Habacuc librum scribimus* &c. Sic & alios Episcopos sæpe appellat.

Est ergo vox *Papa* ex græcâ voce πάπας formata, non autem ex eo quòd (vt quidam ridiculus finxit ridiculè) in inscriptionibus, vbi legebatur Pa. Pa. id est, Pater Patriæ, aut Pater Patrum, aliqui conflarint ex ignorantia nomen *Papa*. Antiquissima enim vox est πάπας idem significans quod pater, sed cum aliquâ veneratione, vt rectè notauit Suidas. Vnde & apud Homerum πάππας est *pater*, & παππάζειν est *patrem appellare*. Iliados E. sub medium.

> Οὐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν
> Ἐλθόντ᾽ ἐκ πολέμοιο, καὶ αἰνῆς δηϊοτῆτος.
> *Illum nec pueri in genibus, mi pappa, salutant*
> *E bello reducem, & sæuo discrimine Martis.*

Ad quos versus ita Vetus Interpres ΠΑΠΖΟΥΣΙ. πάππα φωνοῦσι, πατέρα καλοῦσιν, ὑπομιμολογεῖ τὰς τῶν παίδων φωνάς. *Dicunt pappa, patrem nominant. Ipsas puerorum voces refert.* Homerus scilicet. Ad eosdem versus longè plura & pulchra habet Eustathius his verbis: Ὀνοματοπεποίηται δὲ τὸ παππάζειν, ὡς καὶ τὸ ποππύζειν. καὶ δηλοῖ τὸ βρεφικῶς προσφθέγγεσθαι τὸν πατέρα. ἐκ δὲ τῆς λέξεως ταύτης καὶ ὁ πάππος, καὶ πάππας αὐτὸς ὁ πατὴρ, πᾶς λεγόμενος μονοσυλλάβως κατὰ βρέφους προσφώνησιν· καθά φασιν οἱ παλαιοὶ, ὥσπερ καὶ μᾶ, ἡ μήτηρ, καὶ κατὰ ἀναδιπλασιασμὸν παπας καὶ παπίας. ὡς μαμμία ἡ ῥηθεῖσα μᾶ. *Efficta vox est pappare (sicut & poppyre) & significat, infantiliter affari patrem. Ex hac autem ipsa voce est pappus & pappas, ipse pater, qui pa dicitur vnica syllaba, iuxta infantiũ compellationem, vt aiunt antiqui, sicut & ma dicitur mater, & per reduplicationem fit papas & papias, vti & quæ dicta est ma, dicitur mamma.* Et sanè ita est. Nam infantes vnicam syllabã primò pronuntiant, *pa, ma*, pro, *pater, mater.* deinde paullatim geminant, velut quodam ætatis profectu, & dicunt *papa, mamma*.

Addit ibidem Eustathius scribere Arrianum in Bithyniacis solitos Bithynos conscensis montium cacuminibus Iouem appellare Papam. Et Herodotum similiter sic: Καλεῖται Ζεὺς ὑπὸ Σκυθῶν ὀρθότατα Παπαῖος. ἐξ ὧν συνάγεται θείαν εἶναί τινα λέξιν τὸ πάπας, καὶ πάππος, καὶ τὰ τοιαῦτα. *Iuppiter à Scythis rectissimè appellatur Papæus. Ex quibus conficitur diuinam quãdam esse vocem Papam & Pappum & similes.* Vide ibi plura. In quibus & illud: Παρὰ δὲ τοῖς παλαιοτέροις φέρεται, καὶ ὅτι Ῥωμαῖοι μὲν αὐτὸ βαρυτόνως προφέρουσιν, ἡμεῖς δὲ περισπωμένως. *Apud antiquiores porrò fertur Papam, Romanorum voce, patrem significare; & illos quidem graui tono pronuntiare, nos autem circumflexo.*

Addit denique esse φωνὴν τιμητικὴν υἱῶν πρὸς πατέρα, *vocem honorificã filiorum erga patrem.*

Quarè licet primitus solorum infantium fuerit vox, cœpit tamen postea esse, & nunc

nunc eſt grandiorum, & honoris quidem & reuerentiæ ac ſubmiſſionis plena.

Quin & Nauſicaa Alcinoi filia iam nubilis & matura viro patrem apud Homerum Odyſſ.2.ſic affatur:

Πάππα φίλε, οὐκ ἂν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην
Ὑψηλὴν, εὔκυκλον; ἵνα κλυτὰ εἵματ' ἄγωμαι
Ἐς ποταμὸν πλυνέουσα, τά μοι ῥερυπωμένα κεῖται.

Care papa, ornari currum mihi nonne iubebis
Sublimem, pulchrùmque rotis? mea vt inclita geſtem
Lotura ad fluuium, quæ iam mihi tegmina ſordent.

Voce *pappas* yſus eſt Iuuenalis ſatyra VI.

—— *timidus prægustet pocula pappas.*

Vbi Ioannes Britannicus commentator, *Pappas*, inquit, *ſignificat aliquem natu grandiorem, qui dignus ſit hac honorifica appellatione, qua filij ad parentes vſi ſunt. Nam pappas venerationis nomen eſt, & patrem ſignificat. Vnde fortaſſe & ſummum Pontificem Papam appellarunt, vt patrem*. Ita ille. Geminauit quidem Iuuenalis litteram p. licentia poëtica. Nam alioqui rectiùs Latini papam. ſi prima vocis etymologia ſuperiùs indicata ſpectetur, quàm Græci aliqui Πάππαν geminatâ litterâ π pronuntiant, vel ipſo innuente Euſtathio.

Vſus eſt & Philemon perantiquus auctor, in ſua comœdiâ, *Transfuga*, hiſce verſibus:

A. *Ἀργύριος δὲ παρατεθέντος καράβη,*
Ὡς εἶδεν αὐτὸν, χαῖρε πάππα φίλτατε,
Εἶπας, B. τί ποιεῖ; A. τὸν πατέρα κατήσθιεν.

A. *Argyrius appoſito ſibi antè carabo,*
Vt vidit illum, ſalue papa amiciſſime,
Fatus, B. Quid egit? A. Deuorauit is patrem.

Vbi carabum piſcem ex cancrorum genere magni ſe facere, quamuis ioco, oſtendens pappam appellat, & appellationionis interpretationem ſimul cum alio ioco adhibens, dicit deuoraſſe patrem, hoc eſt, comediſſe carabum.

Cùm ergò conſtet vocem *Papa* eſſe eius, quam attulimus, originis, perperam ſanè Æmilius Portus in ſuis ad Suidam notis dicit deductum è voce Ἀββᾶ per litterarum tranſpoſitionem, & mutato gemino ββ. in geminum PP. Propior enim eſt illa origo tam Latinis, quàm Græcis, quæ ſuperiùs à nobis eſt poſita.

Voce *Papa* pro *Epiſcopo* vſum etiam eſſe reperio Arium hæreſiarcham ante Concilium Nicænum primum, in epiſtola, quam ſcripſit ad Euſebium Nicomediæ Epiſcopum: cuius hæc eſt inſcriptio:

Κυρίῳ ποθεινοτάτῳ, ἀνθρώπῳ θεοῦ, πιστῷ, Ὀρθοδόξῳ, Εὐσεβίῳ Ἄρειος ὁ διωκόμενος ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Πάπα ἀδίκως, διὰ τὴν πάντα νικῶσαν ἀλήθειαν, ἧς καὶ σὺ ὑπερασπίζῃ, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Domino deſideratiſſimo, homini Dei, fideli, Orthodoxo Euſebio Arius, quem Alexander Papa iniuſtè perſequitur ob veritatem, quæ vincit omnia, quam & tu ſtrenuè propugnas, in Domino ſalutem.

Per Alexandrum Papam intelligit Epiſcopum Alexandriæ, à quo fuerat excommunicatus.

o *IN MEDITATIONE SCRIPTVRARVM PERNOCTAS.*] Ex his verbis diligentia & ſtudium S. Polycarpi ad ſacras litteras colligi poteſt. In quem & illud quadrauerit regij Prophetæ dictum pſalmo. 1. *In lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte*. Nam tale quidem tantùmque eius ſtudium, vel vnica eius epiſtola plurimis paſſim ſacræ Scripturæ locis ſcatens, abundè prodit. Nihil enim vetat, quin ex limbo pannus, vt aiunt. O ſi idem in omnibus Epiſcopis Scripturarum ſtudiũ! Quid enim nobilius? quid Epiſcopis dignius? quid Deo gratius? Toti in eo fuerunt è Græcis Ignatius, Iuſtinus, Irenæus, Athanaſius, Baſilius, Gregorij duo, & plus omnibus S. Ioannes Chryſoſtomus: è Latinis Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, compluréſque alij, quos recenſere longum ſit.

p *CONFLAGRANTIS VRBIS RESTINXIT INCENDIVM.*] Hoc & ſequẽtia eiuſdem capitis miracula è græco M.S. ſępè laudato deſumpta ſunt. Talia Sanctorum in reſtinctis incendijs beneficia & prodigia mirè hominum animos deuinciunt. De maximo vrbis Conſtantinopolitanæ incendio, quod ex parte lachrymis ſuis reſtinxit S. Marcellus Abbas, tempore Leonis Magni Imp. vide in eiuſdem Marcelli vita, apud Surium, tomo 6. De Viennæ Allobrogum ignibus, quos corporis ſui oppoſitu inhibuit S. Mamertus Viennenſis Epiſcopus, egregiè Sidonius Apollinaris in data ad eum epiſtola, his verbis: *Nã cùm vice quadam ciuitas conflagrare cœpiſſet, fides tua in illo ardore plus caluit: & cùm in conſpectu pauidæ plebis, obiectu ſolo tui corporis, ignis recuſſus in tergum fugitiuis flexibus ſinuaretur, miraculo terribili, nouo, inuſitato, aſſuit flamma cedere per reuerentiam, cui ſentire defuit per naturam*. Sic ille. Ita tres Sancti ignes repreſſerũt, Polycarpus precibus, Marcellus lachrymis, Mamertus corpore.

q *IVDÆIS MALVM ILLVD EXCANTARE.*] Gloriabantur enim Iudæi abigendorum è corporibus dæmonum facultatem penes ſe eſſe, eámque ab ipſo vſque Salomone deriuatam in ſua ſemper gente permanſiſſe. Scribit ſanè Flauius Ioſephus libro 8. Antiquitatũ Iudaicarum, cap.2. ſub initiũ, ea præditum fuiſſe ſcientia Salomonẽ, eundẽque & incãtationes pellẽdis morbis, & exorciſmos abigẽdis Dæmonibus tradidiſſe. En eius verba. *Παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ θεὸς καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην, εἰς ὠφέλειαν καὶ θερα-*

πίαν τοῖς ἀνθρώποις &c. Satis est indicasse locum, vbi græca: & latina hic sola ponere, ne bis eadem (prolixa sunt enim) semel græcè, semel latinè exscribenda sint. Sensus ergò græcorum latinè ita habet: *Præbuit autem illi Deus* [Salomoni] *aduersus Dæmones artem ad hominum vtilitatem & medelam efficacem. Nã & incantationes composuit, quibus morbi pellerentur, & coniurationum modos scripto reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, vt nunquam redeant. Atque hoc curationis genus ad hunc diem apud nos plurimum pollet. Vidi enim ego è popularibus meis Eleazarum quendam, præsente Vespasiano & filijs eius, & Tribunis, & reliqua militum turba, multos arreptitios à dæmonijs liberantem. Modus autem curationis erat eiusmodi: Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat certa radix ex ijs, quas Salomon indicauit, ad eius olfactum per nares extrahebatur dæmonium, & collapso statim homine, ne ampliùs in eum rediret, adiurabat, facta interim mentione Salomonis, & recitatis, quas ille composuit, incantationibus. Volens deinde idem Eleazarus his, qui aderant, artis suæ ostendere efficaciam, propè ante illum ponebat poculum, aut pollubrum aqua plenum, imperabátque dæmonio exeunti ab homine, vt his subuersis signum daret, quo spectantes agnoscerent ipsum deseruisse hominem.* Ita Iosephus.

Talem igitur artem cùm se nosse gloriarentur ij, qui erant Smyrnæ Iudæi, aduocati sunt temporibus S. Polycarpi, vt suæ artis periculum in liberando adolescente facerent: sed ità fecerunt, vt malè ab ipso dæmonio, quod expulsum volebant, tractati atque vexati verum mortis periculum adierint, vixque euaserint. Idem enim illis accidit, quod olim filijs Sceuæ Principis Sacerdotũ Ephesi, de quibus ita in Actis Apostolorum, cap. 19. *Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Iudæi Sceuæ Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem Spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paullum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Sic ibi.

Hoc autem in vtrisque Iudæis exorcistis diuersum fuit: quòd Smyrnæi in nomine Dei sui (quem bonum malè colebant) & iuxta præscriptas, vti credebant, à Salomone incantationes, dæmonium niterentur abigere: Ephesini autem Iudæi, cùm suas nihil posse artes viderent, in nomine Iesu prędicati à Paullo tentarent rem conficere: licet ipsi nec Iesum sequerentur, nec Paullum, abutentes duntaxat eorum nominibus. Itaque quòd vtrique errarent in fide, & aliquid supra vires arroganter præsumerent, ideo non ipsi diabolos, sed illos diaboli multis affectos plagis expulerunt.

Idem multis post hæc sæculis, & hoc ferè nostro æuo cùm attentasset miser ac miserabilis Lutherus, tam immaniter atque atrociter ab amicis suis tractatus est, quàm si illis esset longè inimicissimus. Rem verissimè narrat Staphilus testis oculatus, & particeps verberum: iucundissimè autem simul & verissimè Richomius in discursu miraculorum cap. 34. Quo exemplo edocti iuniores hæretici cauent talia deinceps attentare, nec tanti pœnitere emunt. Et sapienter quidem meo iudicio. Quorsum enim in re tam periculosa & tam incerta vires experiri suas, & cum tam fortibus aduersarijs, quos à nullis suorum victos vnquam viderint, temere congredi? Longè satius est (dicat illorum aliquis) misso hoc genere hostium, & famæ consulere & scapulis. Quòd si Catholici talia faciant miracula, faciant: facilius nobis est eorum extenuare miracula, quàm expugnare dæmonia.

Si mihi non credas; experto crede Luthero.

r *IGNES INHIBVIT.*) De inhibitis ignibus à S. Polycarpo, præter vitam græcè M. S. testis est & Menæum in vitæ compendio suprà, in illis verbis: Καὶ πυρὸς καταφλέγοντος ὑπέσχεν ὁρμήν. *Et ignis conflagrantis inhibuit impetum.*

Idem præstiterunt & alij Sanctorum nonnulli. Inter quos S. Mellitus Londoniensis apud Anglos primus Antistes, & postea Dorouernensis Archiepiscopus. Cùm enim Dorouernensis ciuitas arderet, & ipse podagra laboraret, iussit se eò deferri, vbi maxima flamma erat, ibique partim præsentiâ suâ, partim prece in contrariam partem fugauit, ac mox eam extinxit. Narrat pluribus Venerabilis Beda, libro secundo hist. eccl. capite septimo. Ex quo apparet Dorouernæ tale tum ferè incendium fuisse, quale olim Smyrnæ, nec dissimile item miraculum. Vtrobique enim precatu Episcopi flamma, quæ partem ciuitatis vastauerat, retro in se repulsa, & pòst extincta est.

Incendia quoque precibus restinxerunt *victis ac retortis ignium globis* (vt loquitur Beda) Venerabilis Marcellinus Anchonitanus Antistes, *qui ardente eadem ciuitate, ipse contra ignem positus orando flammas compescuit, quas tanta ciuium manus aquas proyciendo nequiuerat.* Et S. Cutbertus Lindisfarnensis Episcopus, *quo adhuc orante mutatur* (vt ait idem Beda in eius vita) *flatus ventorum, spiránsque ab occasu, totum tanti incendij periculum ab inuasione villulæ,* Beda in vita S. Cutberti cap. 14.

quam

quam vir Domini intrauerat, reiecit.

Vnde autem illis sanctis viris ea fuerit potestas, declarat ibidem Venerabilis Beda, cap. 14. *Nec mirandum*, inquit, *perfectos & fideliter Deo seruientes tantam contra vim flammarum accipere potestatem, qui quotidiana virtutum industria, & incentiua suæ carnis edomare, & omnia tela nequissimi ignea norunt extinguere. Quibus aptissime congruit illud Propheticum: Cum transieris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Hactenus Beda. Isaia 43

r *VT EXISTIMAREM ILLVM HOMINEM ESSE DEVM*] Nihil mirum videri debet, si senior ille Smyrnensis dicat se existimasse Polycarpum esse Deum. Nam & Lystrenses in Lycaonia, cum ibi Paullus & Barnabas euangelium prædicarent, & Paullus quidem vnum ex vtero matris suæ claudum sanasset, ipsi ambos existimauerunt esse Deos. Sic enim Apostolorum acta cap. 14. testantur in his verbis: *Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat claudus ex vtero matris suæ, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paullum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paullus, leuauerunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam, Iouem, Paullum vero, Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt Apostoli Barnabas & Paullus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes & dicentes: Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines. Et hæc dicentes vix sedauerunt turbas, ne sibi immolarent.*

Hunni quoque temporibus Theodosij Magni Imp. Theotimum Scythiæ Episcopum ob virtutem eius & diuina facta, Deum Romanorum appellitarunt. Vide Sozomenum lib. 7. hist. eccl. cap. 21. vbi & quædam recenset eius prodigia: nempe quod prædones eius precibus velut quadam oculorum caligine perfusi, nec ipsum, nec socios eius, nec ipsorum equos videre potuerint: quódque alias, cum quidam ex Hũnis Barbarus laqueum in eius collum injiceret, eleuata ipsius dextera in aëre quasi illigata immotáque permanserit, nec antè occultis & non apparentibus vinculis exolui potuerit, quàm Theotimus Deum suum pro illo exorasset.

s *NAM SCITIS POETAS NOSTROS &c.*] Deos in terris fuisse cum hominibus olim conuersatos, & cùm se in cælos recepissent, sæpius tamen illis apparuisse, communis fuit Gentilium Poëtarum, non Græcorum modò, sed & Latinorum opinio. Homerus sanè Deos Deásque Troiano bello non tantùm spectatores, sed etiam bellatores interfuisse, & vulnerasse quidem inter se, ac vulneratos fuisse alios ab alijs, ab hominibus Deos, à Dijs homines, in Iliade sua conscripsit. Nam aliqui Deorum pro Troia, alij aduersus Troiam stabant. Quod inter illos dissidium breuiter expressit Naso lib. 1. Tristium. elegia 2.

Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris; Pallas iniqua fuit. &c.

Vide ibi plura, & præsertim apud Homerum, vbi Venus à Diomede vulnerata currit conquestum apud Dionem matrem, & Patrem Iouem: vbi & Mars ab eodem sauciatus Diomede clamorem edit, quantum ederent nouem decemue hominum millia. Iliados E.

Iuppiter autē Deorum Dearúmque querimonijs commotus prohibet omnibus Dijs Deabusque, grauissimâ adiectâ pœnâ plagarum scilicet ingentium, aut etiam præcipitationis in barathrum, ne quis eorum in bello alterutri parti auxilietur. Iliados Θ.

Ex quo perridicula istorum Deorum Dearúmque apparet felicitas, qui è cælo in barathrum detrudi possunt. Cælites porrò peccatis hominum offensos terras deseruisse, iidem Poëtæ auctores sunt.

Ouidius lib. 1. Metamorphoseon.

Victa iacet Pietas, & virgo cæde madentes
Vltima Cælestûm terras Astræa reliquit.

Et Iuuenalis Satyra 6. scribit Castimoniam, & Iustitiam, siue Astræam, sorores simul excessisse terris, in duobus hisce versibus:

Paullatim deinde ad superos Astræa recessit
Hac comite: atque duæ pariter fugêre Sorores.

t *VRBIS HVIVS PERPVLCHRAE.*] Ordinarium hoc fuit vrbis Smyrnæ epitheton *περικαλλὴς, perpulchra*. Quare nec frustra, nec indecorè a S. Polycarpo vsurpatum, præsertim cùm ad conciliandos ipsorum Smyrnensium animos faceret, qui suam illi vrbem commendabant, eiúsque conseruationi auxilium deposcebant. Vide supra, ad cap. 1. de Smyrnâ, & in ipsa vita, cap. 14. vbi Aristidis Oratoris testimonium habetur, qui Smyrnam vrbem pulchritudinis cognomento apud omnes insignem audiuisse scribit.

v *TOTVSQVE MVNDVS VRBS EST VNA.*] Sic Tertullianus in Apologetico, ca. 38. *Vnam omnes rempublicam cognoscimus mundum.* Hoc autem voluerunt innuere & Polycarpus & Tertullianus, Christianis vrbes omnes & omnes respublicas instar vnius vrbis & vnius reip. esse, & omne solum illis patriam esse, nec cor vni loco affixum habere; sed vbicumque locorum sint, ibi tamquā in loco natali degere, ac tam huic aut illi,

quam cuiuis alteri terrę aut regioni prodesse conari. Quin & Socratis ea mens & sensus fuit. De quo ita Tullius lib. 5. Tusculanarum qq. *Socrates quidem cùm rogaretur, cuiatem se esse diceret, Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam & ciuem arbitrabatur.*

Ita & philosophus Seneca sensit, cùm in libro De beata vita cap. 20. sic de se professus est: *Patriam meam esse mundum sciam.* Et cùm ita ad Lucilium epist. 38. *Cum hac persuasione viuendum est: non sum vni angulo natus. Patria mea totus hic est mundus.* Quàm rectè! Sic sanè Apostoli vixerunt: sic viri sancti eorum imitatores sese habuerunt, vt quãtùm quidem ad benè de alijs merendum, & ad salutem aliorum procurandam, totum mundum patriam suam, immo familiam vnam & domum ducerent, & omnes homines fratrum loco haberent: quantùm autem ad affectum erga res terrenas, opes, domos, honores, & alia quæ mortales pro magnis habent, extraneos & inquilinos toti mundo se reputarent: siue, vt B. Petrus admonet, *aduenas & peregrinos*: & quorum *conuersatio*, iuxta Paullum, *esset in cælis*. Vbi enim melius? vbi tutius? vbi felicius? Ibi ergo erant, vbi omne bonum: ibi versabantur, vbi nullum periculum: ibi affixi hærebant, vbi perenne gaudium. Nam licet corpore in terra essent, tamen sic erant quasi non essent: cùm mente & animo à terrenis sequestrati nihil nisi cælestia cogitarent.

1. Petri, cap. 2. Ad Philipp. 3.

x *VT CONSCRIPTAM DÆMONI SYNGRAPHAM.*] Hinc fit credibile Smyrnenses grauibus malis affectos vouisse Dijs suis ad amoliendã agrorum sterilitatem, ea quæ grata illis fore existimabant, & vota quidem sua syngraphâ, pietatis suæ in illos magis contestandæ gratiâ, obsignasse. Hanc syngrapham aboleri petit S. Polycarpus, & à dæmonibus falsisue Dijs totam spem in verum Deum conuerti. De votis quidem Gẽtilium, quàm ea imminentibus aut incumbẽtibus malis crebra fuerint, passim produnt ipsorum historiæ. Romulus in bello Sabinorum volens inclinatam restituere acim, & fœdam suorum fugam sistere, *Hic ego tibi*, inquit, *templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris, tuâ præsenti ope seruatam vrbem esse, voueo.* Sic refert T. Liuius lib. 1. hist. Rom. Vide etiam Dionysium Halicarn. lib. 2. Antiq. Rom. post medium, vbi & de voto Tatij Sabinorum Regis agit, Soli & Lunæ nuncupato. Tullus Hostilius autem in prælio contra Veientes & Fidenates etiam Pallori ac Pauori fana vouit. *Quid de hoc dicam?* inquit Lactantius Firmianus l. 1. De falsa religione, cap. 20. *nisi dignum fuisse, qui Deos suos (sicut optari solet) semper præsentes haberet?*

y *ET QVORSVM EIVS MENS INCLINET, EXAMINATVR.*] Ad spémne & fiduciam impetrandi propendeat animus deprecantis, an ad timorem & diffidentiam, plurimùm interest: & vnúsne solitariè, an multi simul orent, haud sanè parum refert. Nam cum fide deprecanti impetratio promittitur, quæ nutanti & hæsitanti denegatur. Vnde Iacobus Apostolus in epist. sua, cap. 1. *Postulet autem*, inquit, *in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid a Domino.* Idem quod S. Iacobus & Polycarpus, sensit & docuit S. Antiochus Abbas, homilia 85. vbi sic loquitur: Σὺ οὖν καθάρισον τὴν καρδίαν σου ἀπὸ τοῦ διστάζειν, καὶ αἴτει, καὶ λήψῃ τὸ αἴτημά σου, ἐὰν δὲ διστάζῃς, οὐ λήψῃ. &c. *Purga igitur cor tuum ab omni dubitatione, & pete ab eo & accipies quod petieris. Sin dubitaueris, non accipies.*

Iacobi 1.

Et deprecatio plurium præsertim inter sese aliqua de re consentientium longè fortior est, & efficacior. Quod cùm probè sciret Polycarpus, tum ea de caussa, tum etiam ex humilitate ac modestia, plures sibi adsciuit eiusdem rei comprecatores. Quæ hic autem proferuntur allocutiones & precationes, ex stilum & spiritum verè sonant Polycarpi. Quod facilè is agnoscet, qui epistolam eius, densam sacræ Scripturę locis, & feruore Apostolico plenam, simulque eius in martyrio verba & facta attenderit. Nam sunt interdũ quipiam, sed ex minus pijs, & plus mundanę prudentiæ, quàm Christianæ simplicitatis habentibus, qui si aliqua in vitis Sanctorum paullò prolixius ab illis dicta, seu cum Deo in precationibus, seu cum hominibus in colloquijs reperierint; ea statim sibi persuadeant non ab ipsis Sanctis esse dicta, sed à vitarum conscriptoribus esse illis afficta. Qui etiam parum fortasse absint, quin & eas Sanctorum precationes, quæ in sacris litteris reperiuntur, tam virorũ, quàm feminarum, haud paullò ijs, quas proferimus, longiores, ipsis certissimis auctoribus abiudicare, audeant. Ego quidem hanc precationem, prout hic posita est; *Domine Deus & pater Domini nostri Iesu Christi* &c. totam esse ipsius S. Polycarpi, viri prorsus Apostolici, & Ioanne Apostolo præceptore suo dignissimi, minimè dubito. Phrasis autem est, qualis Apostolorum magistrorum suorum: & res ipsa ac sententiæ, quales præsens exigebat negotium. Petebat à Deo produci in tempore siccissimo per Angelos suos pluuiam, idque ad veri Dei notitiam ignaris & cæcis infidelium animis inserendam. Itaque & Angelorum ei ministrantium, & mysterij Creationis & Incarnationis & Passionis, tanquam validissimorum argumentorum ad id mouentium mentionem inducit; & qua de caussa culue bono postulet, itidem manifestat. Atque initium

tium quidem precationis consimile est initio epistolæ S. Paulli ad Ephesios: *Deus & pater Domini nostri IESV Christi* &c. & 1. Petri, cap. 1. vbi hæc ipsa, quæ Paullus, & totidem verbis.

a *QVI CÆLVM ET TERRAM ET MARE.*] Similia sunt in deprecatione S. Iudith. cap. 9. quæ eodem mota spiritu, ijsdem in deprecatione sua argumentis ad Deum exorandum vsa est, quibus hic Polycarpus. Nam vetera & recentia in gentem suam Dei beneficia æquè ac sanctus noster, & fusiùs quidem quàm noster, commemorauit. Habet autem hæc inter alia: *Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.* i. confidentem.

b *TV NOS DOMINE IN PRAESENTI RESPICE.*] Frequentissima est in sacris litlitteris hæc petendi formula: *Respice nos: Respice populum tuum* &c. Ita populus Bethuliensis in lib. Iudith, c. 6. *Domine Deus cæli & terræ intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostēde quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.* Psal. 12. *Respice & exaudi Domine Deus meus.* & 21. *Deus Deus respice in me.* &c. & alibi sæpissimè. Et bene respectio illa postulatur. Tanta enim est interdum paupertas aliquorum, aut miseria, aut iniuria & iniustitia, quam patiuntur, vt non modò apud deum, sed etiam apud homines, ipsum duntaxat eos respicere, propè idem sit quod misereri. Et quod aliqui vel miserijs tabescant, vel fame pereant, alia sæpius caussa est nulla, quàm quòd nullus eos respiciat. Hinc nonnulli, qui auditis aliorum miserijs nihil commoti fuerant, ijs propiùs inspectis summa commiseratione tacti, auxilium & solatium prompti ac lubentes attulerunt. Quod vtinam à pluribus fiat!

c *CVM PENE A PVERO EORVM POTENS FVERIT.*] Miraculorum potentem fuisse Polycarpum ab ipsa adolescentia, capite 1. vitæ ostensum est, & in Notationibus ad idem caput.

d *QVOD IN MINAEO STRICTIM DVNTAXAT*] Ita nimirum perstringit Menæum in vitæ compendio de inhibitis à Polycarpo noxijs pluuijs. Καὶ δι' ἱκεσίας ὑετὸν αὐχμώσῃ τῇ γῇ κατήγαγε, καὶ πάλιν τούτου τὴν ἀμετρίαν ἀνέστειλε. *Et precando pluuiam arenti solo adduxit, & rursus immoderatam eius copiam repressit.*

AD CAPVT IX.

DEscribitur hic adolescentis cuiusdam beato Polycarpo commendati conuersio iusta & peruersio, & tandem post latrocinia ad pœnitentiam reuersio, vnà cum S. Ioannis Apostoli rara & prorsus eximia in eum caritate.

a *NARRATIONEM VNAM*] Hanc B. Clemens Alexandrinus in libro, *Quis diues saluetur*, satis fusè & accuratè narrat, eámque refert se à maioribus accepisse, cùm ita scribit: Ἄκουσον μῦθον, οὐ μῦθον, ἀλλὰ ὄντα λόγον περὶ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου λεγόμενον, καὶ ἡμῖν παραδεδομένον, καὶ μνήμῃ πεφυλαγμένον. *Audi*, inquit, *fabulam, non fabulam, sed veram historiā, quæ de Ioāne Apostolo narratur, & nobis tradita est, & memoriæ cōmēdata.* Quibus in verbis repetitur vox μῦθος bis, eò quòd eadem significet tam sermonem verum, quàm fictam fabulam apud optimos & antiquissimos Auctores Græcos: vnde ne fortè caperetur pro fictâ fabulâ, correxit dictum, & lucidiùs explicuit. Sic & vox *fabula* apud Latinos vtraque in significatione vsurpatur, vti & à fando deriuatur. Et ita accipi non modò à profanis, sed etiam à sacris Auctoribus, & nominatim a S. Ambrosio lib. 2. de pœnitentia cap. 10. memini, vbi & de aliquo adolescente à vita lasciua ad grauem & seueram conuersio scribit. Eandem de B. Ioanne historiā citat Clementis nomine, & ex eius narrat verbis Eusebius lib. 3. histor. cap. 17. sed in græco exemplari, cap. 23.

b *AD VRBEM IGITVR EPHESO VICINAM PROFECTVS.*] Fatetur Clemens à quibusdam, quænam illa esset vrbs, memorari solitum, sed ipse illam reticet, siue quòd tunc dum scriberet, eius non meminisset; siue quòd incerta illi res esset, siue alia ex caussa, quæ nos latet. Verba Clementis sunt: Ἐλθὼν οὖν καὶ ἐπί τινα τῶν οὐ μακρὰν πόλεων, ἧς καὶ τοὔνομα λέγουσιν ἔνιοι. *Cùm igitur profectus esset ad aliquam vrbium haud longè distantium: cuius nomen & aliqui referunt* Sed Chronici Alexandrini auctor eam nominat, & Smyrnam esse dicit, dum scribit Ioannem Euangelistam commendasse illum adolescentem Smyrnensi Episcopo. Is autem tum erat S. Polycarpus, vt probaui suprà fusiùs Verba illius Chronici ad annum Traiani 4. & ad olympiadis ducentesimæ vigesimæ primum, Indictione XIII. sunt hęc Ἐν τῷ χρόνῳ καὶ νεανίσκον, ὃν παρέθετο ὁ Ἀπόστολος Ἰωάννης τῷ Ἐπισκόπῳ Σμύρνης, καὶ μετὰ τοῦτο λῃστάρχης γενόμενος, εἶτα διὰ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου μετανοήσας ἐγνωρίζετο. *Quo in tempore & adolescens ille claruit, quem commiserat Ioannes Apostolus Episcopo Smyrnæ, & postea dux latronum factus fuerat, deinde a sancto Ioanne est ad pœnitentiam reuocatus.* Satis porrò liquet è geographia Smyrnam Epheso ita propinquam fuisse, vt nulla ecclesia, (quæ quidem Episcopum illo S. Ioannis tempore haberet) propinquior fuerit. Vnde per aliquam vrbium haud longè Epheso distantium, in qua esset & præsideret Episcopus, rectissimè & commodissimè Smyrna intelligitur. Quare cùm & B. Cle-

men-

mens innuat illam vrbem fuisse Smyrnam, & Auctor Chronici Alexandrini expresse asserat; nihil restat caussæ, quamobrem de alia cogitetur, aut de hac dubitetur.

b *SIGILLVM DOMINI SEV COLLATVM BAPTISMI SACRAMENTVM.*] Non desunt, qui per *sigillum Domini* apud Clementem intelligant *Confirmationis sacramentum*, cùm re verâ, si & verba Clementis, & res ipsa bene expendatur, nihil accipi aliud possit, nec debeat, quam baptismus. Ille enim propriè & verè est signum seu sigillum Domini: quod quicũque habent, verè sunt & cognoscuntur esse Domini, seu de grege Christi, & Christiani. Alioquin si per *signum* seu *sigillum Dominus* intelligeretur primò ac propriè Confirmatio, vel aliud Sacramentũ, fateri certè oporteret paruulos recẽs baptizatos, & pueros ante Confirmationem nõ esse Domini, nec ad gregẽ Christi pertinere: quod est sanè quàm absurdum. Iam verò ipsissima Clementis Alexandrini verba producam, vt ex ijs, quæ mens ipsius fuerit, intelligatur. Sic igitur de Ioanne & de illo Episcopo seu Presbytero, cui adolescentem Ioannes commiserat, loquitur: Ἐπεὶ δὲ μὲν ἀπῆρεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον. ὁ δὲ πρεσβύτερος ἀναλαβὼν οἴκαδε τὸν παραδοθέντα νεανίσκον, ἔτρεφε, συνεῖχεν, ἔθαλπε, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε. καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. Quorum verborum hæc est vera & germana interpretatio: *Deinde hic quidem* [Ioannes] *abijt Ephesum: Presbyter autem* [Polycarpus] *traditum sibi adolescentem cùm in domum recepisset, nutriuit, continuit, fouit, atque ad extremum illuminauit.* [i. baptizauit.] *Et postea remisit nonnihil de maiori cura & custodia, tanquam qui perfectam illi imposuisset custodiam, signum Domini*, id est, tanquam qui existimaret baptismum, quem ei contulerat, pro optima & perfectissima illi fore custodia seu tutela. σφραγὶς porrò, quod est latinè *signum* seu *sigillum*, in veteri quidẽ lege appellabatur *Circumcisio*, in noua autem *Baptismus*. Vnde Paullus in epistola Ad Romanos, cap. 4. ita de Abraham: Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως. &c. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei* &c. Adeo autem vsitata Sanctis Patribus fuit vox illa σφραγὶς *signum*, pro *Baptismo*; vt S. Cyrillus Hierosolymitanus in prima sua catechesi, ter ita vsurpasse reperiatur. Nam adhortans ibi baptizandos ita loquitur: Προσέλθετε εἰς τὴν μυστικὴν σφραγῖδα, ἵνα εὐγνωστοι ἦτε τῷ δεσπότῃ. *Accedite ad mysticum signaculum: vt sitis bene noti Domino.* tanquam scilicet, qui eius estis è grege per Baptismum, quo eos insignit, qui eius sunt. Et paullo inferiùs: Ὁ [illegible] συνείδησιν, ἐκεῖ τὴν σωτήριον δίδωσι σφραγῖδα τὴν θαυμασίαν, ἣν τρέμουσι δαίμονες, καὶ γινώσκουσιν ἄγγελοι, ἵνα οἱ μὲν φύγωσιν ἐλαθέντες, οἱ δὲ περιέπωσιν ὡς οἰκεῖον. *Vbi bonam videt conscientiam, ibi salutare & admirabile sigillum imprimit: quod metuentes tremunt dæmones, & cognoscunt Angeli, vt illi quidem abacti fugiant; hi vero vt domesticum amplectantur.* Hæc ille. Et proximè subiungit: Τοῖς δὲ λαμβάνουσι τὴν πνευματικὴν σφραγῖδα καὶ σωτήριον, χρεία καὶ τῆς οἰκείας προαιρέσεως. *Accipientibus autem spiritale hoc & salutare signaculum, opus est propria electione.* Loquitur autem de ijs, qui adulti baptizantur. Ad hos enim hanc habebat catechesin. S. Basilius Seleuciæ Episcopus lib. 1. de vita S. Theclæ inducit illam ita petentem baptismum à S. Paullo Apostolo Μόνον δός μοι σὺ αὐτός, ὦ διδάσκαλε, τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα. *Da mihi tantùm tu ipse, ô magister, Christi signaculum.* Cui paullo post respondet Paullus inter alia: Καὶ τεύξῃ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τοῦ ... &c. *Et gratiam per sanctum baptismum consequeris* &c. Quin & S. Ioannes Damascenus libro 4. Orthodoxæ Fidei capite X. quod est, De fide & Baptismate, prorsus ad locum græcum Clementis Alexandrini suprà positum videtur respexisse. cùm ita scribit: Νῦν μὲν οὖν διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἑτέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγὶς καὶ φυλακτήριον καὶ φωτισμός. *Nunc igitur quidem per Baptismum primitias Spiritus sancti accipimus: & initium alterius vitæ fit in nobis ipsa regeneratio, & sigillum, & tutela & illuminatio.*

Vbi notandum est hæc 4. vocabula παλιγγενεσία, σφραγὶς, φυλακτήριον, φωτισμὸς, esse synonyma Baptismi, & tria quidem postrema reperiri in dicto Clemẽtis loco, primum autem esse etiam alibi longè vsitatissimum. Quòd verò per baptisma populus Dei efficiamur, docet idem Damascenus cap. XI. & ante illum egregiè S. Basilius Magnus in oratione De baptismo & alij.

Locum proinde illum B. Clementis non aliter interpretatus est Ruffinus Presbyter, quam de baptismo. Sic enim libro 3. hist. eccl. cap. 23. explicat: *Tum verò Presbyter in domum suam adolescentem suscipit commendatum, & cum omni diligentia enutrit, amplectitur, fouet, ad vltimum etiam baptismi gratiam tradit. Post hæc iam velut confidens gratia, quâ fuerat communitus, paullo indulgentius iuuenem habere capit.* Ita ille. Vbi manifestum est de vna & sola baptismi gratia eum loqui, cùm alterius mentio fiat nulla.

Deinde istud, τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, *ad extremum illuminauit*: indicat vltimum, quod circa eum fecerit Presbyter Polycarpus, fuisse baptismum, seu illuminationem: alioqui potiùs dixisset, *ad extremum confirmauit*; vel *postremò eum vnxit*. Nec enim *Confirmatio* appellatur *illuminatio* apud Patres, sed vel vnctio vel signũ vel signaculum vel sigillum.

Ioan-

Ioãnes Christophorsonus Eusebij nouus interpres verba Clementis suprà posita sic vertit: *Ad extremum Baptismi sacramento illuminauit. Postea verò, vbi sigillo Domini, id est, sacramento Confirmationis, tanquam perfecta, tutaque eius animi custodia obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo custodiendo suscepta remisit.* Sic ille lib. 3. Eusebij, cap. 17. Vbi ista adiectio: *id est, sacramento Confirmationis* (quæ non est in græco, sed ab ipso explicationis gratiâ addita est) nihil valet, & nonnullis errandi occasionem præbet. Nam sigillum Domini hoc loco non sacramentum Confirmationis, sed Baptismi significat.

Refert hoc ipsum exemplum S. Antiochus, homilia CXXII. sed tanquam ab Irenæo acceptum, & paullò diuersiùs narrat, quàm apud Clementem reperiatur. Ita enim scribit. Τοιοῦτόν τι εὑρίσκομεν παρὰ τῷ Εἰρηναίῳ. φησὶ γὰρ περὶ τοῦ Θεολόγου Ἰωάννου, ὅτι ἰδὼν τινα νεανίαν εὐφυέστατον κατηχηθέντα παρ' αὐτοῦ καὶ βαπτισθέντα, εἶπε τῷ τῆς πόλεως ἐπισκόπῳ· τοῦτόν σοι παρατίθημι· καὶ ἀπεδήμησεν· ὁ δὲ Ἐπίσκοπος πολλὴν πρόνοιαν ποιούμενος τοῦ παιδὸς, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς μεγάλην προκοπήν. *Tale quid reperimus apud Irenæum. Dicit enim de Ioanne Theologo, quòd adolescentem conspicatus natiuæ indolis dexteritate præsignem, cùm fidei rudimentis instruxisset eum, & baptizasset, vrbis eius Episcopo dixerit: Hunc tibi committo; & inde abscesserit. Episcopus autem magnam adolescentis curam gerens ad magnos profectus eum promouerit.* &c.

Reliqua ferè concordant cum Clementis narratione. Sed in hic positis ea est non parua differentia, quòd dicat adolescentem à B. Ioanne instructum & baptizatum; ab Episcopo autem tãtùm ad magnos virtutis gradus prouectum esse. Clemens autem asserat ab Episcopo instructum & baptizatum esse. Et Antiocho quidem potiùs habenda fides esset, si quidem ab Irenæo, qui Clemente antiquior fuit, haberet: sed cùm probabilius sit eum ex Eusebio Cæsariensi, qui sæculis aliquot posterior fuit, desumpsisse; quòd in eodem capite vterque auctor citetur, Irenæus scilicet & Clemens (hic quidem de hac historia, ille aliquot versiculis superiùs, immo & proximè sed in alia materia, licet ambo de eodem S. Ioãne) accepisse inde occasionem videtur eidem Irenæo attribuendi, quæ attribuenda erant Clementi. Denique multò accuratior & explicatior est ea narratio, quã ex Clemente profert Eusebius, quàm ea, quę ex Irenæo producitur ab Antiocho.

Accedit Simeonem Metaphrastem in vita S. Ioannis Apostoli græca (quæ extat post Aretham græcum in Ioannis Apocalypsin, edita Veronæ anno M. D. XXXII. mense Februario, apud Stephanum & fratres Sabios, & iam penes nos est) referre eandem historiam, non quidem verbis iisdem, sed sensu prorsus eodem, quo relatam exhibuimus à Clemente. Vbi locum controuersum sic adducit: Ὁ δὲ οἴκαδε τὸν νεανίσκον παραλαβὼν, ἔτρεφεν, ἐπαίδευεν, ἐπεμέλετο, τέλος ἐβάπτισεν. ὡς δὲ τὴν τοῦ Κυρίου σφραγῖδα, τὸ ἀσφαλὲς αὐτῷ ἐπέβαλε φυλακτήριον, τὸ λοιπὸν ὑφῆκε τῆς φυλακῆς. *In ædes suas receptum adolescentem aluit, instruxit, cura habuit, postremò baptizauit. Sed postquam Domini signaculum tutam illi imposuit custodiam, remisit deinceps de custodia.* Quorum verborum, vt suprà docui, hic sensus est: *Diligentem habuit adolescentis curam vsque ad baptismum: sed post Baptismum nonnihil remisit de solita cura & sollicitudine & custodia: cùm iudicaret Baptismum esse illi sufficientem custodiam.* Quippe illis temporibus maximè horrebant Christiani post susceptum Baptismum, & perfectam peccatorum remissionem in ea relabi. Qua etiam de caussa Baptismum diutissimè, & nonnunquam ad mortem vsque differebant. Quia tamen magnis & doctis viris placere video, vt possint & hęc Metaphrastæ verba, & illa Clementis Alexandrini superiùs posita, Confirmationis Sacramento conuenire, haud peruicaciùs repugnabo, nec paruus cum magnis contentiosum funem traham. Sed quòd veritatis, quã auctoritatis, maiorem semper habendam rationem esse duxerim, proptereà & obiectum mihi sensum ad lectionem Clementis fidenter proposui, & vnde confirmarem, vbertim in SS. Patribus reperi. Et quidem post omnia, ne vllus de veritate residere possit scrupulus, ecce mihi aliud quærenti, etiam, quod non quærebam, obuenit, ac melius quidem, quàm id quod quærebam. Nam in S. Anastasio Sinaita eam ipsam Clementis narrationem, sed verbis alijs, & quæ suâ claritate præsentem depellant caliginem disertè expressam inueni. Sic ergò punctum illud, de quo est controuersia, ponit in medio simul & exponit; vnàque omnem dubitationem depellit: Ὁ δὲ Ἐπίσκοπος τὸν παῖδα παραλαβὼν ἐνουθέτει, καὶ κατήχει, ἐτρέφει, ἐδίδασκεν, ἐπεμελεῖτο καὶ δὴ μετά τινα χρόνον ἐβάπτισε καὶ Χριστιανὸν αὐτὸν ἐποίησε. Καὶ λοιπὸν ὡσανεὶ τῷ βαπτίσματι τοῦτον ἀσφαλισάμενος, καὶ περιτειχίσας, οὐκέτι ταῖς προτέραις κέχρηται πρὸς αὐτὸν νουθεσίαις. *Episcopus autem susceptum puerum instituebat, & fidei rudimentis imbuebat, custodiebat, docebat, curam gerebat. Iam verò aliquanto pòst tempore etiam baptizauit, & Christianum fecit. De cetero, postquam illum in tuto per baptismum collocasset, ac communiuisset, non iam pristinis ampliùs erga illum vsus est commonitionibus.* Sic ille in expositione psalmi 6. apud Henricum Canisium, tomo tertio Antiquæ Lectionis. *S. Anastasius Sinaita in psal. 6. Dauidis.*

Perstringit eandem historiam S. Ioannes Chrysostomus in priore Parænesi ad Theodorum lapsum, sub finem; sed ita, vt magis B. Euangelistæ mansuetudinem & zelum, quã adolescentis conuersioné, eiúsque modũ explicet. Perstringit autem duntaxat, propterea

reà quòd eam probè scienti & memoria tenenti scriberet. Nec eius verba, cùm in promptu habeam, haud grauabor edere. Sic igitur Theodorum illum affatur: Τὰ δὲ κατὰ τὸν νέον ἐκεῖνον, τὸν πρότερον μὲν Ἰωάννου τοῦ Ζεβεδαίου γνώριμον μαθητὴν, ὕστερον δὲ ἐπὶ πολὺν λῃσταρχήσαντα χρόνον, καὶ πάλιν ὑπὸ τῶν ἁγίων τοῦ μακαρίου θηρευθέντα χειρῶν, ἀπὸ τῶν καταδύσεων τῶν λῃστρικῶν, καὶ σπηλαίων, καὶ ἐπὶ τὴν προτέραν ἐπανελθόντα ἀρετὴν, οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοεῖς, ἀλλ' οἶδα ἡμῶν οὐκ ἧττον ἅπαντα ἀκριβῶς. Καί σου πολλάκις ἤκουσα θαυμάζοντος τὴν συγκατάβασιν τὴν πολλὴν, καὶ ὅτι τὴν αἱμαχθεῖσαν πρῶτον ἐφίλησε δεξιὰν τοῦ νέου περιχυθεὶς, καὶ οὕτως αὐτὸν ἐπὶ τὰ πρότερα ἐπανήγαγε. *De adolescente autem illo, qui prius Ioannis Zebedæi fuerat discipulus, postea verò ducem latronum multo egit tempore, ac rursus à sanctis illius beati manibus interceptus, de latronum lustris & speluncis ad pristinam virtutem rediit, nec tu ipse ignoras; sed non minùs, quàm ego, cuncta exactè nôsti. Et sæpe te audiui admirantem illum beati viri condescensum, multámque mansuetudinem: & quòd sanguinolentam illam prior exosculatus sit dexteram, ipsum adolescentem complexus, atque ita illum in viam reduxerit.* Hæc ibi, & nihil ampliùs de illo adolescente. Sed de aliis magnis peccatoribus ad se reuersis alia ibidē exempla persequitur: vt de sene eremita probatissimæ vitæ in libidinem lapso, & post pœnitentiam miracula patrante: vt de Onesimo fure & fugitiuo, postea Paulli Apostoli socio & Episcopo, Sanctis adscripto, 16. Februarii. Egregium item exemplum, nec illi adolescenti à S. Ioanne in viam reducto multum absimile repræsentauit S. Landelinus Abbas: quippe qui cùm ex Monacho factus esset latro & raptor, tandem ex subita morte vnius è sociis, cum quibus ad diripiendam alicuius diuitis domum se parabat, ac simul è visione pœnarum, quas idem luebat apud Inferos, compunctus dolore animi, Monasterium repetiit, arctámque ingressus pœnitentiæ semitam, ad fastigium peruenit sanctitatis. Vide in eius vita tomo 3. Surii, & in vita S. Autberti Cameracensis Episcopi, tomo 6. De latronibus à S. Ammone primùm per dracones territis, deinde apposita mensa delinitis, atque ad vitam monasticam perductis, donatisque gratia miraculorum scribit Ruffinus Presbyter Aquileiensis lib. 2. De vitis Patrum, cap. 8.

c *AD EVM ACCEDVNT SOCII QVIDAM INERTES, DISSOLVTI, VITIIS ASSVETI.*] Clemens habet: Τῷ δὲ ἀνέτως πρὸ ὥρας λαβομένῳ προσφθείρονταί τινες ἥλικες ἀργοὶ καὶ ἀπερρωγότες, ἐθάδες κακῶν. *Hunc autem ante tempus indulgentiam adeptum corrumpunt quidam æquales, desides & refractarii, vitiis assueti.* Metaphrastes habet: ὑποδύονταί τινες ἥλικες τὰς ὁρμὰς ἀχάλινοι καὶ ἀνάγωγοι. *Subeunt æqualium quidam, affectibus effrenes, & intractabiles.*

Anastasius Sinaïta: προσκαλοῦνται αὐτόν τινες νεωτερισταὶ, φθορεῖς τε καὶ ἐξώλεις καὶ ἐθελόκακοι ἄνδρες. *Aduocant eum quidam factiosi, corruptores, perditi, maleuoli homines.*

Exemplum hinc capiendum ad diligentem iuniorum custodiam, quos si præmaturè indulgentiùs habeas, perdis. Adeo verum est illud:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

d *DVX FIT LATRONVM.*] Vocant enim λῄσαρχον, *principem, ducem latronum* Clemens, & Chrysostomus, & Sinaita, & Metaphrastes. Sic enim Clemens: Ἕτοιμος λῄσαρχος ἦν βιαιότατος, μιαιφονώτατος, χαλεπώτατος. *Promptus dux latronum erat, violentissimus, cruentissimus, immanissimus.* Sinaita: Λῄσαρχον αὐτὸν χειροτονήσαντες, ὅλον ἀνελεῆ, καὶ ἀπάνθρωπον, ὅλον πικρὸν, καὶ δεινὸν, καὶ ἄθεον αὐτὸν ἀποκατέστησαν. *Eum ducem latronum à se electum, totum immisericordem & inhumanum, totum amarum & sæuum & impium reddiderunt.*

c *ET VNDIS LACHRYMARVM VICE ALTERA BAPTIZATVR.*] Clemens: Καὶ τοῖς δάκρυσι βαπτιζόμενος ἐκ δευτέρου. *Et lachrymis secundùm baptizatus.* Sinaita quoque de S. Ioanne manum eius exosculante: Ὁ δὲ Ἰωάννης παρὰ τῷ ἑαυτοῦ στόματι τὴν δεξιὰν τοῦ λῃστοῦ κατεφίλει, ὡς ἤδη βαπτισθεῖσαν τοῖς δάκρυσι. *Ioannes autem suo ipsius ori admotam latronis dexteram, vt modò lachrymis expiatam osculabatur.* Caritatem hanc S. Ioannis erga prædonem istum conatus est versibus exprimere Ioannes Roserius Orchiacenus, lib. 4. Piorum poëmatum. Vellem, assecutus esset! Sunt tamen, quibus pia simplicitas placeat.

Denique perillustre est hoc exemplum pœnitentiæ & contritionis in duce latronum, & homine sanguinolento. Cui aliquot similia, eáque recordatu admodum vtilia memini aliquando me legere. Quorum vnū in paucis præcellens ab Anastasio Sinaita, loco iam laudato, græcis litteris est proditum. Refert enim sua ætate, hoc est, imperante Mauricio (sextum id erat à Christo sæculū) quendam latronum principem, sæuum atque inhumanum, in finibus Thraciæ ita grassatum, vt itinera omnia ibi perquàm infesta redderet. Cùm ergò nec à militibus, nec à latronum persecutoribus reprimi, capiue posset, misit ad eum Imperator quendam è suis adolescentem cum muneribus & mandatis. Ille autem velut efficaci quodam Dei instinctu sermonem Imperatoris reueritus, latrocinales exuit mores, & instar ouiculæ ad eundem Imp. mansuetus accedit, eiúsque pedibus aduolutus scelera sua agnoscit, fatetúrque. Diebus exinde haud multis in febrem cùm incidisset, atque in valetudinario, quod Sampsonis appellabatur, decumberet; ex vini potu in phrenesim lapsus est. Quâ postmodò liberatus, atque ad sanam mentem

mentem reuersus, cùm ingruente iam nocte prægrauari se sentiret, ad implorandam Dei longè benignissimi misericordiam totum se conuertit, suáque simul flagitia summo cum doloris sensu ei confitens, & ipsius tam in latronem ipsa in cruce conuersum, quàm in Petrum magistri abnegatione & detestatione contaminatissimum magnas miserationes memoria refricans, ac pro se allegans, tantam vim exundantium profudit lachrymarum; vt continuatis ad horas aliquot precibus simul & fletibus, (quibus tandem & immortuus est) perfectissimam peccatorum suorum condonationem impetrauerit. Nam cùm eius æterna salus iam iam ageretur, & in illo extremo mortis conflictu, iustissima diuini iudicij trutina libraretur, ac tum quilanx vna permultis & perhorrendis, quæ certissimò patrauerat, flagitijs in immensum deprimeretur; vbi tandem sudarium illud lachrymarum, quod morientis inhærebat oculis, & quod tantis perfusum ac permadefactum salutaribus aquis relictum erat, in lancem alteram, velut vnicum veri ac sinceri pœnitentis spolium, ab Angelis demissum est; tum verò ea modo incredibili (tantum illi inerat meritorum pondus) sic in imum depressa est, vt & noxas omnes præteritas in priori lance depositas, tanquam leues plumas, in altum facillimè attolleret, & victoriam ipsam à dolore & lachrymis omnino stare ostenderet. Ita multorum annorum fœda latrocinia, paucorum & vix decem dierum, sed vera & circumuallata lachrymis pœnitentia, penitus atque in totum abstersit atque deleuit.

Pluribus eam rem persequitur S. Anastasius Sinaita in psalmum sextum, extátque tomo tertio Henrici Canisij, cum latina interpretatione Philippi Sueuenzelli, à quo nonnihil diuersa est ea, quam profert Henricus Sommalius in Notis ad Paradisum animę, Alberti Magni, ad caput XXIIII. Quę tamen diuersitas in verbis ferè potiùs quàm in rebus consistit: nisi quòd vnius aut alterius vocis in græco textu corruptio atque ambiguitas discrepantes in exiguo membro sententias extulerit. Quid enim miserit Imperator Mauricius latronum principi, in dubio est: quòd græca sic hodiè habeant in Anastasio: Τὰ ἴδια φυλακτὰ ἀπέστειλε τῷ ἀρχιλῃστῇ. Quæ Sueuenzellius ita vertit: *Latronum duci sacra, quæ de collo ferebat, misit.* Alter autem: *Latronum principi nuntiat, sua cuique seruanda atque custodienda esse.*

Tota proinde obscuritas ex duabus istis vocibus ἴδια φυλακτὰ prouenit: quas prior interpretatio sic accepit, quasi ἱερὰ φυλακτὰ *sacra custodita*, legisset: altera verò, perinde ac si scriptum reperisset ἴδια φυλακτέα, *propria custodienda*. Et pro posteriore quidem facit, quòd subiecta sententia indicet Imperatorem aliquid principi latronũ nuntiasse. Subditur enim: Καὶ ὥσπερ ἐξ ἐνεργείας θεοῦ αἰδέσθεὶς τὸν λόγον τοῦ βασιλέως &c. *Ac velut Deo hoc agente reueritus sermonem Imperatoris.* Pro altera item facere videri possunt illæ priores voces: ἐξ ἐνεργείας θεοῦ. *Ex Dei efficacia.* Quasi aliquid sacrarum Reliquiarum miserit Imperator, quarum præsentia & efficax operatio principem latronum commouerit ac commutârit. Erat enim valde pius Imperator, & sacras Reliquias, vt credibile est, semper è collo pendentes habebat. Ille autem ad quem mittebat, licet latronum princeps, tamen Christianus erat, quemadmodum eius extremæ precationes indicarunt, Domini erga Petrum & bonum latronem misericordiam memorantes.

Ego quidem existimarim Imperatorem simul & munera & mandata deprecatoria misisse, vixque dubitârim, quin scriptum fuerit, ἴδια φυλακτήρια *sua arma custodientia*. Nam φυλακτήρια inter armorum genera recensentur à Polluce lib. 1. cap. 10. numero 6. vbi hic titulus: Ὅπλων ὀνόματα. *Armorum nomina.* Deinde sic recenset: Ἀμυντήρια, ἀλεξητήρια, σκεπαστήρια, φυλακτήρια. &c. *Tutamenta, defensacula, protectoria, conseruatoria.* Talia porrò sunt, galea, scutum, thorax &c. Vnum igitur ex illis dono fortasse miserit Mauricius, ac simul de salute animæ commonuerit.

Aliud insigne exemplum principis latronum ad pœnitentiam conuersi, & ab Angelo edocti de remissione suorum peccatorum, & de collatione potestatis miraculorum patrandorum enarrat Ioãnes Moschus in Prato spirituali, cap. 143. Is latro vocabatur Dauid, & minatus erat se combusturum monasterium, nisi reciperetur inter monachos ad pœnitentiam peccatorum peragendam. Igitur receptus est.

AD CAPVT X.

Agitur in hoc cap. de profectione S. Polycarpi Romam.

a *QVIPPE QVI EXTREMA QVOQVE SENECTVTE.*] Venit Romam S. Polycarpus ad Anicetum Pontificem annos natus haud minus nonaginta, anno nimirum Domini 160. olympiadis 234ª. anno 2. vti consentiunt Chronicon Eusebij & Chronicon Alexandrinum, non autem anno Domini 167. vt voluit Baronius, incorrecto & vitioso Eusebij chronico vsus. Ex quo etiam haud rectè correxit S. Hieronymum, dicentem in lib. De scriptoribus ecclesiasticis, in Polycarpo, eundem Polycarpum venisse ad Anicetum sub Imperatore Antonino Pio. Sub illo enimvre verâ venit, vt videre est in Eusebij chronico emendato operâ doctissimi & diligentissimi viri, Arnaldi Pontaci, Episcopi Vazatensis, qui ad eius emendationem viginti octo codices manuscriptos, & præterea

octo varias editiones adhibuit. Nec Cresconiana collectio contra Eusebium & Hieronymum, & Vincentium, & Antoninum, & Hermanum Contractum, atque complures alios quicquam valet. Nempe dat Baronius Pio Pontifici tantum annos 10. cùm vixerit annos 15. vnde error non paruus in proximè consequenti eius chronologiâ, & in eorum libris, qui cæcô ductu eius sequuntur auctoritatem, necessariò reperitur. Baronij autem verba in anno Christi 167. de annis Pij Papæ sunt hæc: *Porro*, inquit, *quo ad annos sedis eius, in librum de Romanis Pontificibus, qui fertur nomine Damasi, error irrepsisse videtur, dum loco nouem annorum, decem & nouem, & menses aliquot positi leguntur. Sanè quidem Eusebius in Chronico cùm annos quatuor tantùm, vt dictum est, tribuat Hyginio, qui præcessit Piũ, postea vsque ad Anicetum Pij successorem decem tantùm numerat annos, quibus Pium sedisse oportuit. Cui hæc dicenti potiùs assentimur, quàm cùm alibi ait, sedisse Piũ annos quindecim. Priori enim sententiæ de annis Pij propiùs accedit Cresconiana collectio, eadémque vetustissima.* Ita Baronius. Et infrà in eodem anno 167. ita idem Baronius: *Quòd verò apud Hieronymum legatur Polycarpum Romam venisse ad Anicetum, temporibus Antonini Pij, Chronicon ipse videtur secutus Eusebij, qui sub Antonio Pio ponit Anicetum: verùm ipsum errasse certum est, cum in Serie Romanorum Pontificum Cletum numerare prætermiserit. Vel accidit potiùs, vt (quod superiùs dictum est) Hieronymus, sicut Optatus & Augustinus, post Hyginium posuerit Anicetum, & non Pium, vt ceteri.*

Ad 1. porrò doctissimi Baronij notationem quod attinet, error quidem in librum Anastasij Bibliothecarij De Romanis Pontificibus falsò attributum Damaso irrepsit; sed non quòd loco *nouem* posuerit *nouemdecim*, sed quia loco 15. irrepsit 19. siphrâ 5. mutatâ in 9. qui error est facilior, quàm is qui assignatur à Baronio, cùm numerus annorũ notatus sit siphrâ, ac tum conuenit liber ille nõ modò cum Eusebij Chronico, sed etiam cum ipsius historiâ, lib. 4. cap. XI. in græco, & cap. X. in latino. Verba Eusebij græca sunt hæc: Ἀλλὰ γὰρ μετὰ τέταρτον τῆς ἐπισκοπῆς ἔτος Ὑγίνου τελευτήσαντος, Πῖος ἐπὶ Ῥώμης ἐγχειρίζεται τὴν λειτουργίαν. Κατά γε μὴν τὴν Ἀλεξάνδρειαν Μάρκος ἀναδείκνυται ποιμὴν, Εὐμένους ἔτη τὰ πάντα δέκα πρὸς τρισὶν ἐκπλήσαντος. Τοῦ τε Μάρκου ἐπὶ δέκα ἔτη τῆς λειτουργίας ἀναπαυσαμένου, Κελαδίων τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας τὴν λειτουργίαν παραλαμβάνει. Καὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων δὲ πόλιν πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἐπισκοπῆς ἐνιαυτῷ Πίου μεταλλάξαντος, Ἀνίκητος τῶν ἐκεῖσε προΐσταται. *Ceterum post quartũ annũ episcopatus mortuo Hygino, Pius Romæ suscipit episcopatum. Apud Alexandriam autem Marcus declaratur pastor, postquam Eumenes tredecim ipsos annos episcopatus explesset: Marco autem annos decem functo episcopatu Celadion Alexandrinæ ecclesiæ administrationem suscipit. Porrò in vrbe Româ Pio episcopatus anno decimoquinto, excedente è viuis, Anicetus ibi præficitur.* Ita Eusebius. Quibus in verbis duo expressè significat: Vnum est; post Hyginum, Romano episcopatu functum Pium. Alterum; eo episcopatu functum esse eundem annos quindecim. In chronico idem prorsus habet Eusebius: vt patet in correctissimâ editione Pontaci, vbi habetur: *Romæ IX. episcopus ordinatur Pius, annis.* 15. [tenuit scilicet episcopatum] quod desiderabatur in vitioso Chronico, quo vsus est Baronius. Sed restituit, vt dixi, Pontacus ex 12. diuersis Chronici Eusebiani exemplaribus, & ex tribus quoque Nicolai Fabri, viri doctissimi manu scriptis, & ex aliorum præterea Chronicis atque historijs, vt Vincentij Bellouacensis, S. Antonini, Contracti, Alberti abbatis Stadensis, qui sua ex Eusebij Chronico magnam partem desumpserunt.

Quare quod dicit Baronius Eusebium in Chronico numerare ab Hygino vsque ad Anicetum annos tantùm decem; id acceptum est è vitioso Chronico. Nam in bono & emẽdato habetur annis 15. Quibus annis 15. suffragatur etiam Methodius Episcopus apud Marianum Scotum, diligentem chronographũ, cuius Methodij verba de Pio sunt hæc: *Qui quindecim annis in sacerdotio exactis, Aniceto post se sedem Pontificatus tradidit.* Adde & Chronicum Canonem Eusebij græcè ad annum Antonini Pij Imp. quintum, sic notantem: Ῥώμης Θʹ. Ἐπίσκοπος καθίστη Πῖος ἔτη ιεʹ. *Romæ nonus Episcopus constitutus est Pius: sedit annos quindecim.*

Iam vt ad opposita argumenta respondeamus, sic ego ad primum: Cresconiana collectio, quam Baronius dicit propiùs accedere priori suæ de annis Pij sententiæ, hoc deterior est, quo propiùs accedit: quandoquidem eò magis recedat à probatâ omniũ propè Historicorum ac Chronographorum sententiâ de quindecim annis Pij Pontificis, & de concursu episcopatus Aniceti Papæ cum annis Antonini Pij Imp. Quem concursum etiam videre est in Flauio Lucio Dextro, qui in suo Chronico intra annos dicti Imperatoris Antonini, siue ad annum Christi 156. & vrbis Romæ 907. hæc notat: *Sub Aniceto Papa venit Romam Polycarpus, qui doctrina sua & exemplo vitæ mirabilis multos ab erroribus liberat.* Hæc autem ponit Baronius annis circiter decem tardiùs: nempe anno quinto M. Aurelij, & L. Veri Impp. qui Antonino Pio successerunt.

Ad 2. eiusdem Baronij notationem, in quâ dicit errasse Eusebium & Hieronymum, dicentes Polycarpum venisse Romam temporibus Antonini Pij, hoc certiùs dici potest, ipsummet valde aberrasse à vero & recto temporum ordine, quem non tantùm Euse-

Eusebius & Hieronymus (tametsi quales in ea materia viri!) sed omnes propè Historici & Chronographi sunt secuti. Verba quidem Hieronymi in Polycarpo sũt ista: *Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones sub Imperatore Antonino Pio, ecclesiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit: vbi plurimos credentium Marcionis & Valentini persuasione deceptos reduxit ad fidem.* In quibus D. Hieronimus nõ tantùm Eusebij Chronicon, sed & historiam eiusdem est secutus. Sic enim Eusebius lib. 4. histor. cap. 23. græcè autem 14. Ἐπὶ δὲ τῶν δηλουμένων &c. *Temporibus*, inquit, *modo demõstratis* [Antonini Pij Imper.] *dum Anicetus Romanæ ecclesiæ præerat, Polycarpum, cui adhuc suppeditabat vita, Romam aduenisse, & cum Aniceto in congressum colloquiumque de controuersia, quæ fuit de die Paschæ celebrando, suscepta venisse commemorat Irenæus.* Ita Eusebius ex interpretatione Christophorsoni. Istum porrò Polycarpi cum Aniceto congressum habet S. Irenæus Polycarpi discipulus, lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. vbi etiam talem ponit aliquot Pontificũ, qui Romæ post Clemẽtẽ vsque ad sua tempora sederunt, successionẽ: *Huic autem Clementi, inquit, succedit Euaristus, & Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyriũ fecit, ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus: cum autem successisset Aniceto Soter, duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius.* Quæ chronologia certè rectior est & fundatior, quàm ea, que à recentioribus contra veterũ Patrũ auctoritatem affertur. Denique S. Polycarpum venisse Romam sub Imperatore Antonino Pio, non tantùm Eusebius & Hieronymus, sed & Chronicum Alexandrinum, & Marianus Scotus, & Ado in Chronico, & Suidas in Polycarpo, & Freculphus Lexouiensis Episcopus, & alij consentiunt, solus (quod quidẽ sciam) & primus dissẽtit Baronius. Itaque meliùs, opinor, stabitur in antiquitate, & tanto SS. Patrum consensu, quàm in vnius quamuis docti à tam multis, & tam antiquis, & tam sanctis, nunc demum dissentientis noua, nec satis stabilita opinione.

b *SVPER SOLEMNI AC LEGITIMA CELEBRANDI PASCHATIS DIE.*) Asiani celebrabant Pascha eodem die, quo Iudæi, hoc est, decimâ quartâ lunâ, siue, ea dominica dies esset, siue alia. Ita enim semper ibi celebrauerat S. Ioannes Euangelista, & quicunque Asiæ ecclesias ab eo regendas acceperant: Romani autem tantùm celebrabant die dominicâ, idque à S. Petro, vt aiebant, deriuata consuetudine. Erant prǣterea nonnullæ aliæ inter ecclesias controuersiæ. Pro quibus omnibus S. Polycarpus venit Romam, & contulit cum B. Aniceto. Ac de ceteris quidẽ facilè inter eos conuenit: de die autẽ Paschæ non item. proptereà quòd vterque maiorum traditionibus firmiter adhæreret. Durauit porrò ea controuersia nõ modò vsque ad S. Victorem Pontificem (quo ea maximè recruduit) sed etiam vsque ad primum Concilium Nicænum, in quo demum res tota composita est. De his, cùm Dei gratiâ, in vitâ S. Irenæi. Vide interim epistolam eiusdem Irenæi ad Victorem Papam, apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 24. & græcè, cap. 26. vbi iste Sanctorum congressus describitur, & imitãdus Victori Pontifici proponitur.

c *HINC ET INTER SESE FAMILIARITER ET AMICE COMMVNICARVNT.*] Insigne est hoc exemplum mutuæ caritatis in opinionum diuersitate inuiolabiliter persistentis. Potuerunt enim S. Polycarpus & S. Anicetus dicere, quod longè pòst dissentiens S. Cyprianus martyr à S. Cornelio Papa & martyre pronuntiauit: *Seruatur à nobis patienter & leniter caritas animi, collegij honor, vinculũ fidei, concordia Sacerdotij.* O semper sic!

d *AC VALENTINO QVIDEM ET MARCIONI HÆRESIARCHIS.*] Restitisse illis pro virili, multósque ab ijsdem abduxisse S. Polycarpum, B. Irenæus est auctor lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. his verbis: *Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrna ecclesia, constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate (multum enim perseuerauit, & valde senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens exiuit de hac vita) hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, & ecclesia tradidit, & sola sunt vera. Et testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes, & qui vsque adhuc successerunt Polycarpo. Qui vir multo maioris auctoritatis, & fidelior veritatis est testis, quàm Valentinus & Marcion & reliqui, qui sunt peruersæ sententiæ. Is enim est, qui sub Aniceto cùm aduenisset in vrbem, multos ex his, quos prædiximus, hæreticos conuertit in ecclesiam Dei, vnam & solam hãc veritatẽ annuntians ab Apostolis percepisse se, quã & ecclesia tradidit.* Ita Irenæi vetus interpres.

Græca ipsa Irenæi citantur ab Eusebio lib. 4 hist. cap. 14. Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθεὶς &c. Quæ verè & apposité versa sunt à Iacobo Billio in commentarijs Francisci Feu-ardentij, ad eundem Irenæi locum. Duo tantùm notanda sunt in veteri interpretatione suprà hic posita. Vnũ est, ista verba: *Et ecclesia tradidit:* in grǣco esse: ἃ καὶ ἡ ἐκκλησία παραδίδωσιν. *Quæ & ecclesia tradit.* Et infrà, vbi alterâ vice repetitur: *Quã & ecclesia tradidit*, habetur græcè: τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδεδομένην, *ab ecclesia traditam*, seu, *quam ecclesia tradidit*: Atque hic sensus est tenendus, non prior. Alterum est dictionem *prædiximus* significare hic *ante diximus*; cùm græcè sic: ἀπὸ τῶν προειρημένων αἱρετικῶν. *id est, ab hæreticis, de quibus*

antè diximus. Nec enim prædixerat Irenæus illos à S. Polycarpo, (quo ipse erat iunior) cōuertēdos, sed tantùm de illis antea locutus fuerat.

Valētinus primùm ex Philosopho Platonico Catholicus, deinde ex Catholico hæresiarcha, vixit temporibus Antonini Pij Imperatoris, de quo ita Eusebius in Chronico ad annum Christi Domini 141. & ad olympiadis 229. annum tertium: *Sub Hygino, Romanæ vrbis episcopo, Valentinus hæresiarches, & Cerdo magister Marcionis, Romam venerunt*. Idem scribit libro 4. histor. cap. X. ex Irenæo, libro 3. aduersus hæreses, cap. 4. *Valentinus*, inquit, *venit Romam sub Hygino, increuit verò sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, & hic sub Hygino (qui fuit octauus Episcopus) sæpe in ecclesiam veniens & exhomologesim faciens, sic consummauit*. Et paullo inferiùs: *Marcion autem illi succedens* [Cerdoni] *inualuit sub Aniceto decimum locum episcopatus continente*. Quare Valētinus (vt ex dictis colligere est) paullo antiquior fuit, quā Marcion. Is Valentinus induxit quādā Deorum genealogiam ferè illi similem, quam cecinit Hesiodus Poëta, diuersis tantùm nominibus, & subinde alijs interpretamentis. Cōtra eum scripserunt S. Iustinus Philosophus & Martyr, Miltiades ecclesiarum (vt Tertullianus vocat) sophista, S. Irenæus, Proculus (teste eodem Tertulliano libro aduersus Valētinianos. cap. 5.) & ipsemet Tertullianus.

Quod autem Baronius ad annum Christi 145. tribuit Theodoreto, quòd dixerit etiam Theophilum Antiochenum, & Philippum Gortynæ Episcopum, & Modestum, & Origenem, & Rhodonem, & Hippolytum, & Eusebium Emissenum scripsisse contra Valētinianos, lapsus memoriâ videtur. Nō enim dixit Theodoretus hos auctores scripsisse cōtra Valentinianos, sed contra Marcionitas. Valde autem diuersæ fuerūt eorum hæreses. Nam ille triginta αἰῶνας, tanquam tot principia, & tot Deos ponebat: hic autē duo tantùm principia, vnū bonum, alterum malum; vel tria, vt scribit S. Epiphanius, hæresi 42. vnum supremū & inuisibile, quod nihil creat, & vocatur Deus bonus: alterum visibile & operans: & tertium denique inter illa medium, nempe *diabolum*: vel quatuor, vt scribit Theodoretus lib. 1. hæreticarum, fabularum, qui pro quarto addit *Materiam*.

Locus Theodoreti, in quo falsus est Baronius, extat libro primo hæreticarum fabularum, vbi agit de Potito, & Prepone, & alijs, in hæc verba: Πότιτος δὲ, καὶ Βλάστος, καὶ Συνέρως, καὶ Πρέπων, καὶ Πίθων, διαφόρων διδασκαλιῶν προέστησαν. Οὗτοι δὲ πάντες τὰς ἀφορμὰς ἐκ τῆς Μαρκίωνος εἰλήφασιν βλασφημίας. Πλεῖστοι μὲν τοι κατὰ τῆσδε τῆς ἀσεβείας συνεγράψαν. Καὶ γὰρ Ἰουστῖνος ὁ φιλόσοφος καὶ μάρτυς, καὶ Θεόφιλος ὁ τῆς Ἀντιοχέων Ἐπίσκοπος, καὶ Φίλιππος ὁ Γορτύνης Ἐπίσκοπος, καὶ Εἰρηναῖος· οὗ καὶ πρόσθεν ἐμνήσθημεν· Ἐπίσκοπος Λουγδούνου, καὶ Μόδεστος, καὶ Ὠριγένης, καὶ Ῥόδων, καὶ Ἀδαμάντιος, καὶ Ἱππόλυτος, καὶ ὁ Ἐμεσηνὸς Εὐσέβιος, καὶ πάντες ἄριστα καὶ σοφώτατα τῆς βλασφημίας τὴν λύτταν διήλεγξαν. *Potitus autē, & Blastus, & Syneros, & Prepon, & Pithon diuersis doctrinis præfuerunt. Hi verò omnes occasionem accepere ex blasphemia Marcionis. Plurimi aduersus hanc impietatem scripserunt. Iustinus enim Philosophus & martyr, & Theophilus Antiochenus Episcopus, & Philippus Gortynæ Episcopus, & Irenæus (cuius antè meminimus) Lugdunensis Episcopus, & Modestus, & Origenes & Rhodo, & Adamātius, & Hippolytus, & Eusebius Emissenus, hi omnes optimè & doctissimè hanc blasphemiæ rabiem confutarunt*.

Ex quibus minimè dubium relinquitur, quin de ijs agat, qui contra Marcionem scripserunt. Qui autem cōtra Valentinum scripserint, paullò antè declarauerat in eodem libro, agens de Hermogene, vbi ita de illo: Κατὰ τούτου συνέγραψε Θεόφιλος ὁ τῆς Ἀντιοχέων ἐπίσκοπος, καὶ Ὠριγένης ὡσαύτως. Κατὰ δὲ Βαλεντίνου καὶ τῶν ἐξ ἐκείνου, καὶ Εἰρηναῖος, καὶ Κλήμης, καὶ Ὠριγένης. *Cōtra illum* (Hermogenē) *scripsit Theophilus Antiochiæ Episcopus, & Origenes similiter. Cōtra Valentinum autem & eius sectatores, Irenæus, & Clemens & Origenes*. Ita Theodoretus.

De Marcione, & magistro eius Cerdone (eadem enim ferè fuit vtriusque hæresis, nisi quod posterior de suo, vt fit, aliquid adiecerit) ita Tertullianus, lib. De præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 51. *Accedit his Cerdon quidam. Hic introducit initia duo, id est, duos Deos, vnū bonum & alterum sæuū: Bonum, superiorem: sæuū hunc, mundi creatorem. Hic prophetias & legem repudiat, Deo creatori renūtiat, superioris Dei filium Christum venisse tractat: hūc in substantia carnis negat: in phātasmate solo fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virgine natum, sed omnino nec natum. Resurrectionē animæ tantūmodò probat; corporis negat. Solum euangelium Lucæ, nec tamen totum recipit. Apostoli Paulli neque omnes, neque totas epistolas sumit. Acta Apostolorum & Apocalypsim, quasi falsa reijcit. Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cuiusdam virginis, ab ecclesiæ communicatione abiectus. Hic ex occasione, quā dictum sit*, OMNIS ARBOR BONA BONOS FRVCTVS FACIT, MALA AVTEM MALOS, *hæresim Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere, quæ ille superior hæreticus antè dixerat*. Ita Tertullianus. Vide de ijsdem Philastrium. *Matth. cap. 7. ver. 18.*

De ijsdem Valētino & Marcione hæreticis videri potest idem Tertullianus alibi, cùm in libris contra eos singularibus, tū in alijs eius scriptis. Itē isti, quos supra posuimus, partim è Tertulliano, partim è Theodoreto: & præ-

præter illos, etiam S. Epiphanius, hæresi 21. & hæresi 42. & S. Augustinus, libro de hæresibus, & S. Philastrius, de iisdem. Tertulliani quidem verba sunt hæc: *Sperauerat episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrij prærogatiuâ, loci potitum indignatus, de ecclesia authenticæ regulæ abrupit (vt solent animi pro prioratu exciti, præsumptione vltionis accendi) ad expugnandam conuersus veritatem, & cuiusdam veteris opinionis semini, actu colubroso, viam delineauit.* Ita ille lib. aduersus Valentinianos, cap. 4. Adeo ambitionis flamma, quem eleuat, præcipitat. Quod autem alij de Valentino & Marcione, hoc Ado Viennensis de Valentino & Cerdone annotauit. Ita enim in suo Chronico, vbi agit de annis Antonini Pij Imp. *Polycarpus*, inquit, *auditor B. Ioannis Romam veniens, multos ab hæreticâ labe castigauit, qui Valentini & Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti.* Neque hoc malè. Nam Cerdon magister fuit Marcionis, & Romæ item habitauit, ac multos, ipsumque adeo Marcionem peruertit. Ex quibus malè peruersis plurimos in viam salutis reduxit B. Polycarpus.

c *REFEREBAT ENIM IPSE S. POLYCARPVS B. IOANNEM*] Exemplum hoc de S. Ioanne euangelistâ Cerinthum auersante, atque è balneo fugiente, primus ex ore narrãtis magistri sui Polycarpi, vt videtur, acceptum in litteras retulit S. Irenæus, lib. 3. aduersus hereses, cap. 3. quod ita græcè extat, vti excerpsit ex eo Eusebius lib. 4. hist. c. 14. Καί εἰσιν οἱ ἀκηκοότες αὐτοῦ, ὅτι Ἰωάννης ὁ τοῦ κυρίου μαθητὴς, ἐν τῇ Ἐφέσῳ πορευθεὶς λούσασθαι, καὶ ἰδὼν ἔσω Κήρινθον, ἐξήλατο βαλανείου μὴ λουσάμενος, ἀλλ᾽ ἐπειπών, φύγωμεν· μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ. *Et sunt, qui illum* [Polycarpum] *commemorantem audiuerint, Ioannem Domini discipulum, cùm Ephesi ad balneum isset, ac Cerinthum intus conspexisset, illotum balneo exilysse, atque his verbis vsum esse: Fugiamus: ne & balneum concidat, cum intus sit Cerinthus, veritatis inimicus.*

Eiusdem exempli ita meminit Theodoretus lib. 2. hæretic. fabul. in Cerintho. Τοῦτον [Κήρινθον] ὥς φασιν, ὁ θεσπέσιος Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς λουόμενον θεασάμενος· συνέβη γὰρ καὶ αὐτὸν δι᾽ ἀρρωστίαν χρῆσθαι τῷ βαλανείῳ. φύγωμεν, εἶπεν, ἐντεῦθεν. μὴ διὰ Κήρινθον τοῦ βαλανείου πεσόντος, τῆς βλάβης καὶ ἡμεῖς συμμετάσχωμεν. *Hunc* [Cerinthum] *vt aiunt, diuinus Ioannes Euangelista lauantem conspicatus (contigit enim, vt ob inualitudinem balneo vteretur) fugiamus, hinc, inquit; ne ruente propter Cerinthum balneo, etiam nos eadem ruina inuoluamur.*

De eodem Cerintho, eiusque hæresi, vide plura apud B. Theodoretum loco iam indicato, & apud Epiphanium, hæresi 28.

Franciscus Feuardentius, ad locum Irenæi iam laudatum, scribit S. Hieronymũ aduersus Luciferianos asserere post Ioannis recessum, balnei ruinâ Cerinthum cũ asseclis oppressum fuisse. Verùm, ne quis inde fallatur, nihil tale habet ibi S. Hieronymus. Perlegi enim eum librum, & quidem perdiligenter (quis enim tanti miraculi non sit studiosus?) nec tale quicquam reperi, ne partem quidẽ reliquam dicti exempli. Itaque virum doctum, & de S. Irenæo optimè meritum fefellit hic memoria. Anne & S. Epiphanium? Nã de Cerintho ab antiquioribus dicta, trãstulisse ad Ebionem videtur. Nisi fortè nouũ sit exemplum, & sæpius idem nunc de Cerintho, nunc de Ebione S. Ioannes protulerit. Quod qui dixerit, haud facilè habebit ex certo refellentem. Si quis autem conferre aueat, S. Epiphanij narratio sic conscripta est: Πάλιν δὲ ὁ αὐτὸς ἅγιος Ἰωάννης κηρύττων ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἱστορεῖται παράδοξον ἔργον τι πεποιηκώς, εἰς ὑπόγραμμον τῆς ἀληθείας· Πολιτείαν γὰρ ἔχων θαυμασιωτάτην καὶ συμπρέπουσαν αὐτοῦ τῷ ἀξιώματι τῆς ἀληθείας, καὶ μηδ᾽ ὅλως λουόμενος, ἠναγκάσθη ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος προσελθεῖν εἰς τὸ βαλανεῖον, εἰπών· ὅτι λάβετέ μοι τὰ πρὸς βαλανεῖον· καὶ τῶν συνεπομένων θαυμαζόντων ἦλθεν εἰς αὐτὸ τὸ λουτρὸν, καὶ γενόμενος πρὸς τὸν εἰωθότα ὑποδέχεσθαι τῶν λουομένων τὰ ἱμάτια, ἤρετο, τίς ἔνδον ἐστὶν ἐν τῷ βαλανείῳ; ὁ δὲ ὀλεάριος ἐπὶ τῷ φυλάττειν ἱμάτια προσκαρτερῶν (ἐν τοῖς γὰρ γυμνασίοις ἔργον τοῦτό τισιν ὑπάρχει πορισμοῦ ἕνεκα τῆς ἐφημέρου τροφῆς) ἔφη τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ, ὅτι Ἐβίων ἔνδον ἐστίν. Ἰωάννης δὲ εὐθὺς συνεὶς τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ὁδηγίαν, δι᾽ ἣν αἰτίαν προσβέβληται αὐτὸν ἕως τοῦ βαλανείου ἥκειν, ὡς ἔφην, μνήμης ἕνεκα, τοῦ καταλιπεῖν ἡμῖν τὴν τῆς ἀληθείας ὑπόθεσιν, ὅτι τίνες εἰσὶν οἱ δοῦλοι Χριστοῦ καὶ Ἀπόστολοι καὶ υἱοὶ τῆς αὐτῆς ἀληθείας· τίνα δὲ ἐστὶ τὰ σκεύη τοῦ πονηροῦ, καὶ πύλαι ᾅδου μὴ κατισχύουσαι τῆς πέτρας, καὶ τῆς ἐπ᾽ αὐτῆς οἰκοδομηθείσης ἁγίας θεοῦ ἐκκλησίας, εὐθὺς ταράξας ἑαυτὸν, καὶ οἰμώξας ἠρέμα, εἰς τὸ πάντας ἀκοῦσαι, εἰς μαρτύριον παραστάσεως ἀχράντου διδασκαλίας. Σπεύσατε ἀδελφοὶ, ἐξέλθωμεν ἐντεῦθεν, μὴ πέσῃ τὸ βαλανεῖον, καὶ ἀπολώμεθα μετὰ Ἐβίωνος τοῦ ἔνδον ἐν τῷ βαλανείῳ, διὰ τὴν αὐτοῦ ἀσέβειαν. *Rursus idem S. Ioannes prædicans in Asiâ, mirabile opus fecisse narratur, ad veritatis declarationem. Quum enim vitam degeret admirandam, & quæ ipsius dignitatem veritatis condeceret, nec prorsus lauaret, iussus est à Spiritu sancto procedere vsque ad balneum, & dixit: Accipite mihi ea, quæ ad balneum pertinent; comitibusque admirantibus iuit ad balneum, vbi cùm ad eum peruenisset, qui vestes lauantium excipere solet, interrogauit: Quis est intus in balneo? Olearius autem custodiendis vestibus inseruiens (in gymnasijs enim id negotij à certis hominibus curatur lucrandi quotidiani alimenti gratiâ) respondit sancto Ioanni: Ebion intus est. Ioannes autem statim*

statim intellexit ductum Spiritus sancti, & quamobrem eum impulisset, vt veniret ad balneum; nempè, vt dixi, memoriæ gratia, ad relinquendum nobis argumentum veritatis, & docendum, qui sint serui Christi, & Apostoli, & filij ipsius veritatis: qui verò vasa & portæ inferni, nihil valentes contra petram, & super ea ædificatam sanctam Dei ecclesiam. Mox igitur se ipsum turbans, & modestè suspirans, ita vt omnes audirent, in testimonium ac demonstrationem integræ doctrinæ, Festinate Fratres, inquit, exeamus hinc, ne balneum concidat, & cum Ebione qui intus est, pereamus propter eius impietatem.

f *COGNOSCE NOS POLYCARPE.*] Sic prorsus legendum esse patet ex Irenæo, lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. & ex Eusebio, lib. 4. histor. eccl. cap. 14. in græco, & cap. 13 in lat. & ex Ruffino Eusebij interprete, & è S. Hieronymo de script. eccles. in Polycarpo (vbi tamen Marianus Victorius malè correxit interrogatiuè, *Cognoscis nos?*) & ex Suida in Polycarpo, & ex Nicephoro, li 3. histor. cap. 30. qui omnes habent, *Cognosce nos*, non autem: *Cognoscis nos?* Verba Irenæi græca apud Eusebium sunt ista: Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνι ποτὲ εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι, καὶ φήσαντι· ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, ἀπεκρίθη· ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ σατανᾶ. Billij versio hæc est: *Quin ipse quoque Polycarpus, cùm Marcion aliquando in ipsius conspectum venisset, ac dixisset: Agnosce nos, respondit: Agnosco primogenitum satanæ.*

Consentiunt vetus interpres Irenæi, & cuncti Eusebij interpretes, qui nullum interrogandi signum habent. Hieronymi verba: *Quumque ei fortuitò obuiam fuisset Marcion, & diceret: Cognosce nos, respondit: Cognosco primogenitum satanæ.* Quæ verba dum Marianus Victorius voluit corrigere, deprauauit. Qui tamen ipse in notis suis testatur exemplaria quędam habuisse: *Cognosce nos.* Sed nimirum putauit ibi esse vitiosa, vbi erant maximè sincera. Et argumentum certissimum ita scripsisse D. Hieronymum est, quòd Sophronius interpres eius, eique contemporalis, habeat Γνώριζε ἡμᾶς. *Cognosce nos.*

Suidæ verba: Ἀπαντήσαντος δὲ αὐτῷ ἐξ αὐτομάτου Μαρκίωνος, καὶ εἰρηκότος, Γνώριζε ἡμᾶς Πολύκαρπε, ἀπεκρίθη. Γνωρίζω σε πρωτότοκον τοῦ διαβόλου υἱόν. *Cùm occurrisset autem ei fortuitò Marcion, & dixisset; Cognosce nos Polycarpe, respondit: Cognosco te primogenitum satanæ filium.* Verba denique Nicephori nihil differunt ab Eusebio, hic autem ex ipso desumpsit Irenæo. Chronicon tamen Alexandrinum habet, Ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; *Cognoscisne nos?* sed eius & cuiuscumque alterius auctoritas tot aduersis luminibus præstincta est. Quippe cùm Irenæi auditoris ipsius Polycarpi testimonio (quod ita habet, vt nos attulimus) nihil queat esse certius. Hinc & error in quædam Breuiaria ecclesiastica illapsus corrigendus est.

At enim, quomodo factum est, inquies, vt diceret, *Cognosce nos*, ac non potius, *Cognoscisne nos?* Ita equidem factum existimo. Inde tumidus Marcion aliquot comitatus discipulis Romam obambulans veniebat: hinc contrà Polycarpus cum suis, sed humilis ac modestus, nulliúsque (nisi hæresiarcharum, & eorum, qui corrumperent vias Domini rectas) contemptor. Iste ergo, vt natu minor Polycarpum senio fessum & maximæ auctoritatis virum, siue eius sanctitatis conscius & reuerens, siue accipiendæ à tanto viro resalutationis cupidus, cum prior salutauit: Polycarpus autem honorare hæresiarcham dedignatus præteriuit irresalutatum, tum ille despectum se sentiens, *Cognosce nos*, inquit, *Polycarpe*: hic autem, cùm suis exemplum relinquere vellet fugiendarum eiusmodi pestium, *Cognosco te*, inquit, *primogenitum satanæ*, sicque pertransiuit. Dignum Rege factum! Nam si Polycarpus aliquem tunc Marcionis respectum habuisset, aut cum eo colloquium vel breue miscuisset, tum iste fortassis sub vmbrâ istius cum tanto viro congressus, (nimirum quasi eadem ipse cũ Polycarpo sentiret) plures decepisset. Iam verò euulgatâ de Marcione rigidâ Polycarpi sententiâ, multi ab eodem Marcione decepti resipuerunt. Ita porrò & S. Ignatius in epistolâ ad Trallianos, Simonem Magum τὸν πρωτότοκον τοῦ διαβόλου υἱόν, *primogenitum diaboli filium* priùs appellauerat.

g *TALEM ENIM TVM APOSTOLI* &c.] Eusebij verba lib. 4. histor. cap. 14. in græco sunt hæc: Τοσαύτην οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινι τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν· ὡς καὶ Παῦλος ἔφησεν· Αἱρετικὸν ἄνθρωπον, μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν, παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει, ὢν αὐτοκατάκριτος. Latina interpretatio est in ipsa vita.

Locus Paulli ad Titum, qui hîc citatur, ijsdem prorsus & totidem verbis reperitur in editione græcâ vulgatâ noui testamenti: vbi sic latinè, cap. 3. versu 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciës quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

h *IN EPISTOLA QVAM AD FLORINVM.*] Florinus iste olim S. Polycarpum permagni fecerat, eique se probare contenderat, vt ex S. Irenæi ad eundem Florinum epistolâ, apud Eusebium l. 5. hist. cap. 19. colligitur, sed post sancti viri excessum, sacerdos cùm esset Romanæ ecclesiæ, nescio qua de causa, & sacerdotij vsu & ecclesiæ communione excidit, inque Valentini hæresim impegit. De quo Florino nonnulla Eusebius libro quinto hist. cap. 14. & 19. Theodoretus autem libro primo hæreticarum fabularum ita succinctè: Καὶ Φλωρῖνος δὲ καὶ

Βλάστος

Βλάστος εἰς τὸν τῶν ἐν Ῥώμῃ πρεσβυτέρων συντελοῦντες κατάλογον, εἰς τὴν Βαλεντίνου λώβην ἀπέκλιναν· τούτων φασὶ τὴν νόσον τὸν τρισμακάριον Εἰρηναῖον ὀλοφυρόμενον, τὸν κατὰ Βαλεντίνου πεποιῆσθαι σύγγραμμα. *Iam vero Florinus quoque & Blastus, qui in Presbyterorum catalogum Romæ erant cooptati, in Valentini blasphemiam declinarunt. Ferunt beatissimum Irenæum eorum morbum deplorantem scripsisse contra Valentinum.* Ita Theodoretus. Non autem contra Valentinum duntaxat scripsit Irenæus, sed epistolas quoque ad vtrumque dedit, ad Blastum quidem inscriptam; *De schismate*: Ad Florinum autē; *De monarchia*, siue, *Quod Deus non sit auctor mali.* ταύτης γάρ τοι τῆς γνώμης οὗτος ἐδόκει προασπίζειν. *Is enim hanc sententiam videbatur propugnare*, vt loquitur Eusebius, suprà cap. 19.

i *EXCLAMATVRVM FVISSE ATQVE AVRES SVAS OBTVRATVRVM* &c.] Huc videtur respexisse S. Isidorus Pelusiota, lib. 1. epist. 324. cùm scribens Cyrillo Alexandrino, cohortatur eum ad constantiam contra hæreticos, vultque vt eos imitetur οἱ τὸν ἅπαντα βίον ἐπ' ἀλλοτρίας κακουχεῖσθαι ἐπέμειναν, ἢ κακόδοξον φρόνημα κἂν μέχρις ὤτων εἰσδέξασθαι, *qui totâ vitâ affictari in aliena regione maluerunt, quàm peruersam opinionem vel aurium tenus excipere.*

Quantum abhorruerint prisci Catholici ab hæreticis, & eorum infidis sermonibus, scripto reliquit S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 4. *Quibus*, inquit, *si aliquis annuntiauerit ea, quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longè longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque eorum portentiloquium.* Ita Irenæus, ex veteri interpretatione. Credebantur enim aures auditione hæreseon contaminari. Hinc apud Hieronymum, in dialogo aduersus Luciferianos, ita orthodoxus interfatur: *Arianus vero*, inquit, *cùm aliud nihil crediderit (claudite quæso aures, qui audituri estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini) nisi in Patre, solo vero Deo, & in Iesu Christo saluatore creatura, & in Spiritu sancto vtriusque vero seruo, quomodo Spiritum sanctum ab ecclesia recipit, qui necdum remissionem peccatorum consecutus est?*

AD CAPVT XI.

IN hoc cap. referuntur fructus S. Polycarpi in Gallijs per suos discipulos reportati. Hi enim sunt corona gloriæ eius coram Deo. Inter hos præcipui censentur S. Irenæus, S. Benignus, S. Andochius, S. Felix, S. Thyrsus, S. Andeolus. De Irenæo specialis erit vita: quarè nihil in præsenti. De alijs quia in Scriptorum choro non includuntur, cùm nulla nobis alia scribendi obuentura sit occasio, pauca nunc dicentur.

NAM S. BENIGNVS QVIDEM] De eo ita Rom. martyrologium Kalendis Nouembris: *In castro Diuione, sancti Benigni Presbyteri, qui a B. Polycarpo missus in Galliam ad prædicandum euangelium, postquam sub M. Aurelio Imp. à Terentio Iudice grauissimis tormentis multipliciter est afflictus, tandem collum eius vecte ferreo tundi & corpus lancea perforari iubetur.* In vetere Romano nihil de S. Benigno habetur. Vsuardus eodem die totidem ferè verbis, quot in Romano ordinario. Sed multiplicia eiusdem martyris tormenta ab illis prætерita, simul cum Angelicis inter illa solatijs breuiter enarrat Ado Viennensis eadem die, vbi sic habet: *In castro Diuione, natale S. Benigni Presbyteri, qui cum Andochio compresbytero & Thyrso Diacono, missus est in Galliam ab Oriente a S. Polycarpo. Cuius prædicatione Comes Terentius comperta, vinctum eum & cæsum ad se adduci præcepit: & rursus audita eius sermonum constantia neruis durissimis cædi fecit. Post hæc ad trochleas extensus & cæsus, ac rursum carceri mancipatus mane idola orando destruxit, & reductus est in carcerem. Cui subulas decem calentes in manibus infixerunt, & cum plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies. & attulit ei Angelus panem cælestem, subulas abstulit, & cum de plumbo ac ferro eripuit. Ad vltimum collum eius vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari iubetur. Quo facto columba niuea de carcere, Christianis adspicientibus, ad cælos ascendit, & odor suauissimus quasi paradisi secutus est. Venit autem beata Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longè ab ipso carcere sepeliuit.* Eadem ferè Beda in martyrol. Kal. Nouemb. apud quem malè legitur: *cum Antiocho compresbytero.* Legendum enim est *cum Andochio*, vt est in Adone. His paria scribit Petrus de natalibus Episcopus Equilinus in catal. Sanctorum lib. 10. cap. 3. sed tam in Imperatore nominando, quàm in *Antiocho* Presbytero irrepsit error. Non enim sub Aureliano Imp. ista contigerunt; sed sub M. Aurelio Antonino, qui Aurelianū annis 50. eòque ampliùs antecessit. Lapidis item, in quo fixi fuerunt S. Benigni pedes, & miraculorum in eodem lapide diuinitus patratorum meminit S. Gregorius Turonensis, lib. 1. miraculorum, cap. 51. his verbis: *Super lapidem verò illum, in quo cum plumbo remisso pedes eius confixi fuerunt, factis loculis vinum aut siceram multi infundunt. vnde si aut oculi lippitudine grauati, aut quælibet vulnera fuerint peruncta, protinus fugata infirmitate sanantur. Quod ego euidenter expertus sum. Nam cùm mihi nimia lippitudine oculi grauarentur, ex hoc sacrato vnguine tactus, dolore protinus carui.* Ita Gregorius. Qui & alia ibidem miracula in eiusdem Sancti honorem commemorat, quæ stu-

dio breuitatis hic prætereo.

Scribit Guilielmus Paradinus, lib. *De antiquo statu Burgundiæ*.cap.17. sub medium, erectum Diuione in honorem S. Benigni templum & cœnobium à Gregorio Lingonensium Episcopo, tempore Pelagij primi Pontificis, & Totilæ Gothorum Regis. *Visiturque etiamnum*, inquit, *templum hoc ornatu magnifico: illic plenus terroris ac numinis occulti locus, vastum videlicet specus veteres cryptas ac cisternas habens: in quo vinctum fuisse Benignum tradunt, cùm fando, vt dixi, populum ad Christum traduceret, Gentilium adhuc sacris indormientem: deinde longo carceris situ ac pædore exanimem ignominiosissimis cruciatibus laniatum*. Ita Paradinus. Qui & Diuionem à templis Deorum, quæ ibi olim multa erant, dictam scribit. Aliud insigne templum illi construxit S. Amabilis Presbyter, cuius extat vita apud Surium, primo Nouembris. Acta Martyrij S. Benigni è MS. codice desumpta retulit idem Laurentius Surius in tomum suum sextum de vitis Sanctorum. De translatione Reliquiarum S. Benigni Diuione in Sueuiam, & inde Coloniam Agrippinam, vide in vita S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis lib.1. cap. 38. apud eundem Surium ad 4. Decembris.

CVM AD ARVERNAM REGIONEM] Gens ipsa huius regionis Aruerni dicti, quibusdam Aluerni, alijs Auerni: sed prima appellatio vera est & certa. Ἀρούερνοι Straboni. Populi sunt Aquitaniæ super Ligerim fluuiū siti. De quibus videri potest Iulius Cæsar lib. 7. de bello Gallico, & Strabo geographię lib. 4. Ipsi contra Maximum Æmilianū, & Domitium Ænobarbum ducenta millia armarunt: contra Cæsarem verò totidem altera, hoc est, quadringenta millia, Vercingentorige duce vsi. Testis est Strabo. Vicit Cæsar, cuius rebus Romæ cognitis, dierum viginti indicta supplicatio est. Isti tanquam à Troianis oriundi non secus quàm Romani, vocabant se fratres Romanorum. Vnde Lucanus, lib.1. belli ciuilis:

Aruernique ausi Latios se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi, nimiúmque rebellis
Neruius, & cæsi pollutus sanguine Cottæ.

LVES ILLA INGVINARIA.] De hac lue pluribus locis agit Gregorius Turonensis Episcopus. Nam præter locum hic in vita S. Polycarpi designatum, etiam lib. 4. historię Francorum cap. 5. eam rem attigit. Dicit enim S. Gallum Aruernorum Episcopū, postquam animaduertisset per diuersas regiones malum istud grassari, & maximè Arelatensem prouinciam nunc depopulari, diu noctúque sollicitè pro suo populo preces ad Deum fudisse, donec Angelus Domini per visum noctis ei apparuit, & ab imminenti peste tam ipsi quam populo immunitatem promisit. Erat autem ista lues, pestilentiæ genus a membro, quod præcipuè inuadebat, appellatum. In eo enim glandula erūpebat, & post glandulam letifera febris, triduo homines extinguens. Cuius quidē acerbitatem mali cùm eximiè descriptam à Paullo Diacono reperiam, haud pigebit in lectoris gratiam hic describere. *Cœperunt*, inquit, *nasci in inguinibus hominum, vel in alijs delicatioribus locis, glandula in modum nucis seu dactyli, quas mox sequebatur febrium intolerabilis æstus, ita vt in triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum transegisset, habebat spem viuendi. Erant autem vbique luctus, vbique lacrymæ. Nam vt vulgi rumor habebat, fugientes cladem vitare, relinquebantur domus desertæ habitatoribus, solis catulis eas seruantibus: pecuaria sola remanebant in pascuis, nullo adstante pastore. Cerneres pridie villas seu castra repleta agminibus hominum, posterá verò die vniuersis fugientibus cuncta esse in summo silentio. fugiebant filij cadauera insepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis viscera, natos relinquebant æstuantes. Si quem forte antiqua pietas perstringebat, vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus; & dum obsequebatur, perimebatur; dum funeri obsequium præbebat, ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentium. Nulla vox in rure, nullus pastorum sibilus, nullæ insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla dāna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus intacta expectabant messorem, vinea amissis folijs, radiantibus vuis illæsa manebat. Hyeme propinquante nocturnis vel diurnis horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant vestigia commeantium, nullus cernebatur percussor, & tamen visum oculorum superabant cadauera mortuorum. Pastoralia loca versa erant in sepulchrum hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum*. Ita Paullus Diaconus. Nam quod idem subdit; *Et hæc quidem mala intra Italiam tantùm vsque ad fines gentium Alamannorum & Baioariorum solis Romanis acciderunt*; refellitur ex S. Gregorio Turonensi, viuente eodem calamitoso tempore, qui Arelatensem prouinciam (vt paullò antè dictum est) maximè eodem malo infestatam scripsit. Est autem Arelate in Gallia Narbonensi. Quemadmodum autem populus Treuirensis ab ea lue meritis sanctorum Episcoporum præseruatus sit, refert idem Gregorius in libello, De vita S. Niceti Treuirensis Episcopi, ex quo nōnulla retulit doctus ac diligens Baronius in tomum 7. suorum Annalium ad Christi annum 565. & Iustiniani Imp. 39. Vbi & verba Paulli Diaconi, quæ ex ipsomet retuli, paullo aliter quàm ego, legisse videtur aut correxisse: præsertim in ista periodo, quam parentheseos nota distinxit hoc modo: Nam (*vt vulgi rumor habebat*) *fugientes cladem aut vitantes relinquebant domos desertas habitatoribus* &c. Verùm prior lectio, si rectè intelligatur, melior est, neque

vlla

vlla indiget correctione, neque parenthesi, quandoquidem hunc habeat germanũ sensum: cùm rumor esset eos qui fugerent, solos vitare cladem, relinquebantur domus desertæ &c. Vult enim Auctor dicere nullum aduersus eam cladem fuisse remedium, nisi fugam: cùm tamen etiam aduersus pestem reperiantur remedia, neque omnino necessum sit fugere.

SIGNARENTVR ATQVE CARAXARENTVR] Hæ voces propè eandem habent significationem, nisi quòd prior aliquanto latiorem. Nam posterior id propriè signum videtur denotare, quod per modum characteris imprimitur. Existimo enim dictionem *caraxo* deformatam esse ex græcâ voce χαράττω, ex cuius futuro χαράξω, factum sit primò verbum latinũ *charaxo*, sublatâque postmodùm adspiratione, exierit *caraxo*. i. notam aut characterem alicui rei imprimo, verbi gratiâ, crucis signum, aut litteram aliquam, litteræue similitudinem. De his notis ita idem Gregorius l. 4. hist. Francorum cap. 5. *Tunc etiam in subitâ contemplatione parietes vel domorum vel ecclesiarum signari videbantur. Vnde à rusticis hæc scriptio Thau vocabatur. Cùm autem regiones alias, vt statim diximus, lues illa consumeret, ad ciuitatem Aruernam, sancti Galli intercedente oratione, non attigit.* Ita Gregorius. N. in subita contemplatione, hoc est, quasi in ictu oculi & hominibus ipsis subitò impressa signa aduertentibus.

De ijsdem ita Paullus Diaconus lib. 2. de gestis Langobardorum cap. 4. *Huius temporibus* [Narsetis] *in prouinciâ præcipuè Liguriæ maxima pestilentia exorta est. Subitò enim apparebant quædam signacula per domos, ostia, vasa, vel vestimenta, quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant.* Sic ille. Hæc temporibus Iustiniani Imp. acciderunt, cuius dux belli contra Totilam legem Gothorum erat Narses ille iam indicatus.

Voce *Caraxare* vsus est B. Theofridus in Floribus epitaphij Sanctorum, lib 3. capitulo 7, in alio significatu, nempe pro scribere: nam vbi agit de Sanctorum lectulis, stramẽtis, alijsque eiusmodi reliquijs virtutum efficacibus, ita scribit: *Quid eloquar de lectulis summa sanctitatis gloriâ præditis, qui per quot phœnix viuit sæcula, omni carent carie: quorum qualibet stramina, & hastula ab acerbissimo dentium dolore, & letifera febrium liberant amaritudine. Atque de alijs omnibus eorum vtensilibus, dum compendiosæ breuitatis studio, quid caraxare possim de singulis specialius?* Ita ibi. Sic & lib. 4. cap. 6. *caraxauimus præconia.*

Eadem voce, sed cum adspiratione, vsus est Aurelius Prudentius in hymno S. Romani martyris, vbi hos habet versus:

Implet iubentis dicta lictor improbus:
Charaxat ambas vngulis scribentibus
Genas: cruentis & secat faciem notis.

IAM AVTEM S. ANDOCHIVS, THYRSVS, ET FELIX] Hos à S. Polycarpo missos ab oriente in Galliam fidei disseminandę gratiæ confirmant Fasti ecclesiastici ad 24. Septembris. Sed quòd passi ferantur *sub Aureliano*, hoc est, annis centum circiter à morte beati Polycarpi, restituendum est *sub Aurelio*. Sunt autem ab excessu Polycarpi ad M. Aurelianum Imp. anni amplius quinquaginta, vt è Chronico Eusebij manifestum est. Quæ ętas valde in discipulos Polycarpi quadrat. Certè Romanum martyrol. nihil meminit Aureliani, cùm de his Martyribus agit: meminerunt autem Vsuardus, Beda & alij. Sed facilis fuit prolapsio ab Aurelio in Aurelianum. *Feruntur horum Acta* (inquit doctissimus Baronius in suis ad Martyrologium Notationibus) *esse conscripta à Fausto & Symproniano.* Est Augustodunensium, ea requirere.

VRBI AVGVSTODVNO] Augustodunũ erat caput Heduorum vel, vt alij scribunt, Æduorum. Hi autem Galliæ Celticæ populi sunt, Aruernis, de quibus suprà, finitimi. De illis agit Cæsar libro 6. De bello Gallico, dicitque in suo aduentu duas se reperisse Gallorum potentissimas factiones, Heduorum scilicet & Sequanorum, sed illos ab se in amicitiam Romanorum susceptos præualuisse: tum subdit: *Eo tum statu res erat, vt longè principes haberentur Hedui: secundum locum dignitatis Rhemi obtinerent.* De Sanctis Episcopis & martyribus, qui Augustoduni floruerunt, vide Philippum Ferrarium in Noua sua topographia ad Martyrologium Romanum.

DENIQVE B. ANDEOLVS SVBDIACONVS.) De hoc ita Romanum Martyrolog. Kalendis Maij: *In Gallijs territorio Viuariensi, beati Andeoli Subdiaconi, quem S. Polycarpus vna cum alijs ab Oriente misit in Galliam, ad prædicandum verbum Dei. Hic sub Seuero Imperatore spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo, capite in quatuor partes in modum crucis cośsisso, martyrium consummauit.* Ita Rom. Martyrologium, ceteráque conformiter.

In hunc Martyrem mirè quadrat illud Aurelij Prudentij περὶ στεφάνων, hymno 1.

Pulchra res ictum sub ense
Persecutoris pati:
Nobilis per vulnus amplum
Porta iustis panditur.

AGRVM VIVARIENSEM) vbi ille? nempe in Heluijs: Hi autem in Gallia Celticâ, & Albenses hodie appellantur, vulgò *Albigeoys*. Itaque *Viuarium* est ciuitas ipsa ad Rhodanum sita, vernaculè *Viuiers*. Regio autem circumiecta & subiecta, ager siue territorium Viuariense nominatur. Vrbis mentio est in Notitiâ Prouinciarum Galliæ, sub Prouinciâ Viennensi Prima, his verbis: *Ciuitas Albensium, nunc Viuario.* Ita enim legendum

dum esse ex manuscriptis docuit Andreas Quercetanus, vir doctus & industrius, non autem, *Ciuitas Albensium, hoc est, Belsio.* vt corruptè habent codices impressi. Notat porrò Franciscus Biuarius in commentario ad Lucij Dextri chronicon, anno Christi 208. numero 4. de agro seu territorio Viuariensi non omnes consentire Auctores. *In designandâ,* inquit, *vrbe martyrio S. Andeoli insignitâ non omnes Auctores conueniunt. Quidam enim Niuariam, seu quod ab ea denominatur Niuariense territorium legunt: alij Viuariam aut Viuarium, & Viuariense territorium.* &c. Deinde ex eo, quòd Dexter ad annum Christi 208. & Romæ 919. scribere videatur illum Niuariæ in Hispania mortem martyrio oppetisse, & Petrus quoque de Natalibus lib. 4. cap. CXI & Maurolycus in suo martyrologio *Niuariense* habeant, in ea ipse opinione est, vt *Niuariense* potius legendũ sit, quam *Viuariense.* Verum est quidem, quod de illis Auctoribus scribit. Nam Dextri verba sic habent loco indicato: *S. Andeolus peragratis Gallijs, & vniuersa Carpetania in Hispanijs, prædicat ad vrbem Niuariam Carpetanorum finibus coniunctam, & sub Seuero patitur.* Duo item alij *Niuariense* habent: sed in illis videtur vnius litteræ esse error, vt N. positum fuerit pro V. præsertim quòd vterque Galliæ mentionem faciat, nullam Hispaniç. Sic enim Petrus inter alia: *ad Gallias prædicandus missus est. Quem Seuerus Cæsar, eius prædicatione comperta, in territorio Niuariensi comprehensum, & spinosis fustibus flagellatum, Christum confitentem in carcerem trudi fecit.* Et cùm niuariense habeat minuscula littera, mutatio facillima fuit n. in v. Maurolycus autem ad Calendas Maij sic habet: *In terra Gallia Niuariensi,* inquit, *beati Andeoli Diaconi* &c. Denique alia omnia martyrologia Romanum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Notkeri, Galesinij, solius Galliæ & territorij Viuariensis meminerunt: ita vt valde probabile sit, tam Petrum Equilinum Episcopum, quàm Maurolycum scripsisse Viuariense, librariorum autem aut typographorum errore mutationem esse factam vnius litterę in aliam. Tum solius Dextri restabit auctoritas, eáque debilis, vtpote qui territorij Viuariensis ignarus, Niuariense sibi in Hispania notum substituerit.

AD CAPVT XII.

MARTYRIVM S. POLYCARPI] Narratio hæc martyrij ex Eusebio lib. 4. histor. eccl. c. 15. desumpta est, siue potiùs, ex ipsamet Smyrnæorum, qui oculati testes fuerunt, epistola ad ecclesiam Philomeliensem in Phrygia, & ad alias in Ponto, atque alibi. Notandum tamen in epistola manuscripta codicis Medicæi, quæ extat in bibliotheca Regis Franciæ, non haberi, *ad ecclesiam Philomeliensem*, sed *ad ecclesiam Philadelphiæ.* Sic enim ibi est apposita est inscriptio: Ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, ἡ παροικοῦσα Σμύρναν, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλαδελφείᾳ καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ πληθυνθείη. *Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, ecclesiæ Dei, quæ Philadelphiam inhabitat, & omnibus vbique locorum sanctæ & catholicæ ecclesiæ parœcijs, misericordia, pax, & charitas a Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo multiplicetur.* Atque hæc est vera & sincera inscriptio, etiam Eusebianæ præferenda, cùm satis pateat Eusebium studuisse breuitati. Vnde fugiens repetitionem, omisit illa verba: τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. *ecclesiæ Dei.* Et sub initium epistolæ, nonnulla se præterire indicat, quæ generatim de omnibus in illa Smyrnēsi persecutione martyrium passis scripta erant. Primam igitur epistolæ illius periodum retinet, refertque his verbis: Ἐγράψαμεν ὑμῖν ἀδελφοὶ τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρήσαντας καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὅστις ὥσπερ ἐπισφραγίσας διὰ τῆς μαρτυρίας αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν. *Scripsimus vobis Fratres, quæ ad Martyres & beatum Polycarpum pertinebant, qui Polycarpus martyrio suo, velut sigillo impresso, persecutionem sedauit.* Quæ autem in eadem epistola proximè consequebantur, se omittere significat, ita subijciens: Τούτοις ἑξῆς πρὸ τῆς ἀμφὶ τὸν Πολύκαρπον διηγήσεως, τὰ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἀνιστοροῦσι μάρτυρας. *Post hæc deinceps, ante narrationem de Polycarpo, memorant, quæ ad alios spectant martyres.*

Quod autem ad illud discrimen spectat, quòd apud Eusebium sit; τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ, *incolenti Philomelium*; In exemplari autem Medicæo; τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ *incolenti Philadelphiam*: hoc arguit eidem epistolæ diuersas esse inditas inscriptiones, prout ad diuersos populos eam mitti contingebat. Erat enim epistola encyclica, quæ ad omnes totius orbis mittebatur ecclesias. Vrbis Philomelij mentionem facit Ptolemæus lib. 5. Geographiæ cap. 2. recensetque inter vrbes maioris Phrygię. Meminit & Strabo lib. 12. Geographiæ, sub finem, & dicit esse vrbem Phrygiæ ad septemtrionem sitam, habētem ex altera parte Antiochiam, eā scilicet quæ appellatur Antiochia ad Pisidiam. Verba Strabonis sunt: Ἡ μὲν οὖν παρώρεια ὀρεινήν τινα ἔχει ῥάχιν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἐκτεινομένην ἐπὶ δύσιν. ταύτῃ ἑκατέρωθεν ὑποπέπτωκέ τι πεδίον μέγα, καὶ πόλεις πλησίον αὐτῆς· πρὸς ἄρκτον μὲν Φιλομήλιον, ἐκ θατέρου δὲ μέρους, Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλουμένη. ἡ μὲν ἐν πεδίῳ κειμένη, ἡ δὲ ἐπὶ λόφου, ἔχουσα ἀποικίαν Ῥωμαίων. *Montana regio iugum quoddam habet ab ortu ad occasum protensum, cui vtrimque subiacet magna planicies, in qua vrbes sunt, ad septemtrionem quidem Philomelium, ex altera autem parte Antiochia ad Pisidiam appellata: illa in campo, hac in*

monte sita, coloniam habens Romanorum.

Tēpus martyrij: olympiadis CCXXVI. annus 3. Christi Domini 169. Imperatorum M. Antonini & L. Aurelij Commodi 7. qui annus Eusebio est decimus Aniceti Pontificis, Baronio autem tertius duntaxat. Sed Eusebij sententia nititur doctioribus & antiquioribus Patribus, vt alibi ostensum. Dexter martyrium S. Polycarpi adscribit anno Domini 170. & Vrbis conditæ 921. hoc est, vno anno posteriùs quam Eusebius. Dextri verba sunt: *Persecutione orta in Asia Polycarpus, Pioniusque patiuntur.* Vnde colligitur eundem Dextrum sensisse S. Pionium ijsdem Impp. obijsse mortem, quibus Polycarpum, non autem diu pòst, imperante Decio, vt quidam volunt.

ET QVOSDAM QVIDEM IMMANIA &c.] Quidam è Phrygia, Quintus nomine, solo tam immanium tormentorum adspectu à Christo defecit: quemadmodum in eadem ecclesiæ Smyrnensis epistolà scribitur. Sed caussa item allata est; quòd imprudenter atque inconsideratè in martyrum turbam, & in carnificum manus se ingessisset; Καταφανὲς παρεδείχθη, ὅτι οὐ δεῖ τοὺς τοιούτους ῥιψοκινδύνως καὶ ἀπερισκέπτως ἐπιβάλλειν. *Illustre exemplum, quòd non oporteat res eiusmodi contempto periculo atque inconsideratè aggredi*, vt ibidem dicitur. Eget enim præparatione martyrium: nec debet quisquam nisi antè sibi diffisus, cōtráque diuinæ gratiæ plurimùm confisus, & Dei sui amore, gloriæque eius amplificandæ zelo incensus, tam periculosum inire stadiū, & tam excellentem affectare palmam.

QVAM EGREGII ADOLESCENTIS] Eius nomen & laudem æternârunt martyrologia. De quo ita Romanum 19. Ianuarij:

Smyrnæ, natalis beati Germanici martyris, qui cùm primæua ætatis venustate floreret, sub M. Antonino & L. Aurelio per gratiam virtutis Dei, metum corporeæ fragilitatis excludens, sponte præparatam sibi bestiam, damnatus à Iudice, prouocauit: cuius dentibus comminutus, vero pani Domino Iesu Christo, pro ipso moriens, voluit incorporari.

Eadem Vsuardus, Beda & alij. Vsurpari in eum martyrem potest illud Tertulliani, libro de anima, cap. vltimo: *Morsus ferarum, ornamenta sunt iuuentutis.* In martyre Ignatio fuerunt senectutis.

TOLLE IMPIOS.) Græcè: Αἶρε ἀθέους. Christianos enim vulgò atheos vocabant, quòd Deos non colerent, nec ijs sacrificarēt. Ruffinus vertit: *Tolle sacrilegos*. Est enim sacrilegus, quisquis in Deum impius: sed propriè ἄθεος est, qui nullum agnoscit Deum.

NIHIL FERE ALIVD DIES NOCTESQVE) Græcè apud Eusebium, lib. 4 hist. c. 15. Νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν οὐδὲν ἕτερον πράττοντα, ἢ ταῖς πρὸς τὸν Κύριον διακαρτεροῦντα εὐχαῖς δι' ὧν δεῖσθαι καὶ ἱκετεύειν εἰρήνην ἐξαιτούμενον ταῖς ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις. τοῦτο γὰρ καὶ εἶναι ἐκ τοῦ παντὸς αὐτῷ σύνηθες. Quæ ita reddidit Ruffinus Presbyter: *Die noctuque nihil aliud quam in orationibus permanet, pro pace ecclesiarum, quæ vbique sunt, supplicans Deo: quod ei facere in omni vitâ sua moris perpetui fuit.* Est hoc insigne Episcopis exemplum, generalis pro tota ecclesia zeli assumendi, nec dies tātùm, sed & noctes interdum in Deo deprecando consumendi. Tum enim præcipuè per noctis quietem aperit Deus suis Vicarijs, tam quæ ad suam ipsorum, quàm quæ ad subditorum pacem & statum & gloriam pertinent. Sic multa S. Ignatio Martyri, vt in eius vita diximus, sic nūc B. Polycarpo, qua morte esset moriturus, triduo antè, nonnihil inter nocturnas preces ex fatigatione obdormiscenti manifestauit. Sic pluribus deinceps alijs.

FIAT VOLVNTAS DOMINI) Christi magistri exemplo hoc dictum est. Vt enim Dominus, post preces de amoliendo, si fieri posset, Passionis calice, tandem toto affectu erupit in illud: *Fiat voluntas tua*: sic Polycarpus post fugam, suis ad eam capessendā hortantibus; post preces, stimulantibus ecclesiæ periculis, ad Deum fusas, demum postquam vana vidit esse omnia effugia, illud vsurpauit: *Fiat voluntas Domini*, & in illo verbo vicit. Nam (vt ait D. Leo serm. 6. in Domini natiuitatem) *Pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus, fiat voluntas tua, nulla praualere certamina, nulli possunt nocere conflictus.* Sic Hypatianus Heracleæ (quæ metropolis erat Thraciæ) Archiepiscopus, cùm sanus audiuisset à S. Parthenio Lampsaci Episcopo paucis post diebus se moriturum, *Fiat*, inquit, *voluntas Domini.*

Sic S. Andronicus cognita duorum filiorum (quos solos habebat) graui infirmitate, ex qua & illo ipso die mortui sunt, dixit suspirans: *Fiat voluntas Dei.* Vide eius vitam tomo 1. Laurentij Surij.

Sic in morbis suis dixerunt S. Edmundus Cantuariensis Episcopus, & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus: quorum ille, cùm allata ad eum esset V. Eucharistia, sic inter alia: *Tu mihi testis es Domine, quòd in terris nihil præter te quæsiuerim: & vt tu nosti nihil me velle, nisi quod tu vis, ita fiat Domine voluntas tua.* De altero vide Surium tomo 3. in eius vita.

Similibus vsi esse vocibus reperiuntur, præter complures alios Sanctorum, sanctissimus ille Porphyrius, postea Gazę in Palæstina Episcopus, & Theodora S. Thomæ Aquinatis mater, cùm in rebus inopinatis neque sensui arridentibus, diuinæ voluntati suam submitterent. De quibus, amborum vitæ, Porphyrij & Thomę in promptu sunt. Nec verò mihi silentio prætereundus est B. Petrus Alostensis Martyr, qui cùm Aldenardæ (vbi pasto-

rem agebat) ab hæreticis captus esset, quod toto captiuitatis tempore assiduum in ore habuerat, id etiam ad extremum anhelitũ sæpius repetebat: *Fiat voluntas tua, ô Pater cælestis*: & cum hac voce in Scaldim proiectus & submersus est, anno Domini millesimo, quingentesimo, septuagesimo. Sic S. Lucas & Cæsarienses Christiani, cùm retinere S. Paullum non possent, ne ascẽderet Hierosolymam, vbi eum capiendum ac vinciendum prædixerat Agabus propheta, quieuerunt, dicentes: *Domini voluntas fiat.* Atque ita nobis semper dicendum est, vbi res aliqua secus quàm optauerimus, euenerit. Vox enim illa affectus corrigit, pacem animi conciliat, diuinæ voluntati humanam submittit: nec minus interim ea, quæ petit, obtinet, vel etiam maiora, quàm petierit, cælitus impetrat. Quin hac voce & sententia infirmos curabat S. Elzearius Comes, qui puellam septennem iam desperatam, iam moribundam, impositâ capiti dextera, & pronuntiata duntaxat hac precatione, *Voluntas Domini fiat de te, filia*, reddidit sanitati. Vide vitam eius, cap. 21. tomo 5. Laurentij Surij. Quare cùm tanta sit istorum diuinorum verborum vis, nihilque dici possit, excogitarìue melius, quàm vt Dei voluntas plene atque integrè in nobis fiat, cum Sedulio Presbytero,

Iugibus hoc votis, hoc nocte dieque precemur,
Illius vt fiat cælo terráque voluntas.

CONFESTIM APPONI MENSAM IVBET.] Rarum est & antehac inusitatum trãquilli in rebus aduersis animi exemplum: ire obuiam persecutoribus, blandè alloqui, mẽsam apponere, iussis satellitum obsequi, orandi spatium precariò obtinere, denique ad martyrium, vt ad epulum, læto abire & obire animo. Ita fecisse & S. Blasium Sebasteæ in Cappadocia Episcopum accepimus, cuius comprehendendi caussa cùm saltus & deserta perlustrarentur, ipse velut ad regias inuitatus epulas, vltro suis persecutoribus occurrit, eósque quasi benefactores excepit. De quo ita Menæum ad tertiam Februarij. Ἐπεὶ δὲ διωγμοῦ γενομένου, ὡς χριστιανὸς ὁ μακάριος Βλάσιος ἐζητεῖτο, καὶ οὐχ εὑρίσκετο· καὶ νάπαι καὶ ἐρημίαι ἐξηρευνῶντο· ὅπερ μαθὼν ὁ γενναῖος, καὶ ὥσπερ ἐπὶ δεῖπνον κεκλημένος βασιλικὸν, προθύμως ἑαυτὸν δίδωσι τοῖς διώκουσι, καὶ ὡς εὐεργέτας ξεναγεῖ &c. *Orta vero persecutione, cùm beatus Blasius, tanquam Christianus, ad pœnam exposceretur, nec inueniretur: saltusque & deserta obirentur; hic vir generosus ea re cognita, tanquã ad regale vocatus epulum, animose se offert ipsum persequentibus, eósque benefactorum instar hospitio excipit.* Hæc Menæum strictè ac breuiter: sed in Actis Martyrij, verba eiusdem martyris amoris & gaudij plena, quibus in aduentu satellitum vsus est, paullo expressiùs referuntur: nempe cùm milites ab Agricolao Præside missi, ad eum in antro inter animalia latitantẽ venissẽt, ac dixissent: *Egredere, vocat te Præses*; tum eum statim magno gaudio perfusum respondisse: *Adeste, eamus simul ô filij. Dominus enim recordatus est mei. Nam in hac nocte ter mihi apparuit dicens: Surge: offer mihi sacrificia pro more tui sacerdotij. Nunc ergo filij mei, bene venistis. Dominus meus IESVS Christus sit vobiscum.* Vide Metaphrastem & Surium tertio Februarij.

HIC AVTEM REVOCABAT IN MEMORIAM.] Hæc optima non modò fidei Confessoribus ante martyrium, sed etiam omnibus Christianis ante horam mortis, præparatio; totam antè actam vitam relegere, quid boni, quid mali egeris, passúsue sis toto isto tuę mortalitatis cursu, sedulò attendere: quibus vijs, quaue benignitate de malis te Deus eduxerit, quot gratijs atque donis, & quàm misericorditer prolixéque pręuenerit, auxerit, cumulârit. Hinc enim rogus caritatis accenditur de strue beneficiorum: hinc flumina lacrymarum exundant de materie peccatorum: hinc Dei laudes, hinc gratiarum actiones, hinc flammæ amoris, hinc patiendi pro Christo, & pro tot benefactis vicem aliquam referendi ardentia vota emicant. Quibus omnibus, velut suauissimum condimentum, spes illa accedit, quæ nunquam confundit: spes nimirum immunitatis à malis, æternitatis in bonis. Quæ vt certa nobis sit ac propria, quid non agendum & patiendum est?

CVI OBVIAM VENERE HERODES IRENARCHA &c.] Græcè est tam in M. S. Pionij, quàm apud Eusebium suprà: Ὑπήντα αὐτῷ ὁ Εἰρήναρχος Ἡρώδης, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Νικήτης. Quæ Ruffinus Presbyter, lib. 4. hist. eccl. cap. 15. sic vertit: *Occurrit ei Præfectus pacis, Herodes nomine, & Nicetas eius pater.* Sic & Ioannes Christophorsonus: *Herodes, qui Præfectus pacis dicebatur* &c. Verumtamen cùm Εἰρήναρχος sit nomen potestatis atque dignitatis, meliùs retinetur *Irenarcha.* Retinuit & chronici Alexandrini interpres, ad illud: Ὑπὸ Ἡρώδου Εἰρηνάρχου, υἱοῦ ὄντος Νικήτου. *Ab Herode Irenarcha, Niceta filio.* Quidam *Irenarchum* dicunt, vt nauarchum. Meliùs tamen Irenarcha, quàm Irenarchus dicitur: vt Patriarcha, quàm Patriarchus; hæresiarcha, quàm hæresiarchus. Nam vsus præcipua est habenda ratio:

Quẽ penes arbitrium est & ius & norma loquẽdi.

Et Iurisconsulti passim Irenarchas, non Irenarchos appellant. Sunt enim de illis tituli in Iure, vbi & eorum munus ac potestas declaratur. Vide Vlpianum L. *Muneruum.* Digest. *De muneribus & honoribus.* Caussa & origo instituendorum Irenarcharum fuit, vt prouinciæ quietæ ac pacatæ essent: neu à latronibus & grassatoribus infestarentur. Hinc apud Iustinianum Nouel. VIII. etiam λῃστοδιῶκται

ἀνύκτι & *βιοκωλύται* appellantur .i. *latronum persecutores*, & *violentiæ prohibitores*. Eandem ob caussam olim ab Augusto introductus mos fuerat disponendi per opportuna loca stationes militum: qui & ab alijs post eum Impp. seruatus & continuatus est. Suetonius in Augusto, cap. 32. *Igitur grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit.*

Suberant Irenarchæ Præsidibus Prouinciarum: vt constat ex L. *Diuus Hadrianus*. D. de custod. & exhibit. reor. *Diuus Pius, quum prouinciæ Asiæ præerat, sub edicto proposuit, vt Irenarchæ, quum apprehenderint latrones, interrogent eos de socijs, & receptatoribus.*

Porrò *Irenarchæ appellabantur* (inquit Brissonius lib. 9. de verbor. signific.) *qui disciplinæ publicæ & corrigendis moribus præficiebantur, quique facinorosos homines conquirebant, ac denique (vt cum Imperatoribus*, inquit, *loquar) qui ad prouinciarum tutelam quietis ac pacis per singula territoria stare faciebant concordiam.* l. 6. de custod. reor. L. vltima §. *Irenarchæ*. D. de muneribus & honor. Erant & in Pamphylia Irenarchæ. Vnde S. Nestor Episcopus & martyr primùm ab Irenarcha examinatus, deinde Præsidi traditus est. Vide eius vitam tomo 1. Surij, 26. Februarij. Erant & in Palæstina, vt videre est in vita S. Porphyrij Gazæ Episcopi, tomo 1. Surij 26. Februarij pag. 1063. edit. 1.

Sanctus Augustinus epist. CLIX. pro vocabulo *Irenarcharum*, hac vtitur periphrasi, *Ad quos tuenda publicæ pacis vigilantia pertinet.* & epist. CLX. *qui disciplinæ publicæ inseruiunt. Circumcelliones quosdam*, inquit, *& Clericos Donatistas cura eorum, qui disciplinæ publicæ inseruiunt, præmissa notoria, ad iudicia legesque perduxit.* .i. Irenarchæ perduxerunt.

Vbi N. apud S. Augustinum malè legi *præmissa notaria*. vt patet tum è præcedenti epistola, vbi *notoria*, habetur, non *notaria*. his verbis: *Qui non accusantibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat.* tum etiam è sensu ipso. Quid enim esset, *præmissa notaria*? Iam autem *præmissa notoria*. i. præmisso criminum indicio siue delatione.

Eadem vsi voce reperiuntur Appuleius lib. 7. de asino aureo: *Qui commodum falsam de me notoriam pertulerat.* Et Trebellius Pollio in Claudio sub extremum: *Nihil me grauiùs accepit, quàm quòd notoriâ tuâ intimasti Claudium parentem amicum que nostrum, insinuatis sibi falsis plerisque, grauiter irasci.*

Denique vox, *Notoria*, Iurisconsultis vsitatior est & notior, capitúrque (vt Brissonius scribit) *pro elogijs & indicijs, quibus crimina ad magistratus deferuntur.* L. 6. §. *Nunciatores*. D. ad Sc. Turpill. L. 7. C. de accusation. Vide Brissonium.

DOMINE CÆSAR) Quia Christiani, vt Deorum, sic & Imperatorum credebantur contemptores, propterea eos cum nomine honoris iubebantur appellare, dicendo: *Domine Cæsar.* Nam Domini nomen, quod Augustus & Tiberius non admiserant, Domitianus & posteri Imperatores non admiserunt tantum, sed etiam affectarunt: vt passim notum est. Perpauci enim similes Augusto: de quo ita Suetonius in eius vita cap. 53. disertè testatur: *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Quum spectante eo ludos pronuntiatum esset è mimo: O Dominum æquum & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent; statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.* Refert de Tiberio Imp. consimilem modestiam in eius vita idem Suetonius cap. 27. his verbis: *Dominus appellatus a quodam, denũtiauit ne se ampliùs contumeliæ caussa nominaret. Alium dicentem* sacras occupationes: *& rursus alium* auctore eo senatum se adijsse, *verba mutare, & pro* auctore, suasorem: *pro* sacris, laboriosas *dicere coegit*. Ab horum modestia longissimè consecuti Imperatores recesserunt, & Domitianus quidem, vt refert idem Sueton. in eius vita, c. 13. *quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit*: Dominus & Deus noster sic fieri iubet. *Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.* Sic ille.

TVNE ES, INQVIT, POLYCARPVS.) Sic soliti sunt Imperatores, Proconsules, Iudices, suas ordiri contra Christianos interrogationes. Ita Traianus Ignatio: *Túne ille es, qui Theophorus appellaris?* Ita Claudius Præses Pontio martyri: *Túne es ille Pontius, qui Romanam vrbem, nescio qua excitata seditione turbasti, atque etiam piorum Principum animos alienasti?* In vita eius tomo 7. Surij. Ita S. Antipæ (cuius B. Ioannes euangelista in Apocalypsi meminit) Proconsul Asiæ: *Túne es Antipas ille, qui nec ipse decretis Imperatorum obtemperas, & alios, ne obtemperent, adhortaris? & sacrificia, quæ fieri à nobis solent, ita perturbas, vt Deorum neminem pinguedine aut nidore frui permittas?* Ita in Metaphraste.

IVRA PER GENIVM CÆSARIS.) Gentilismi signum erat, iurare per genium Cæsaris. Græcè apud Eusebium suprà: *ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην*. Ruffinus vertit: *Iura fortunam Cæsaris.* Christophorsonus: *Iura per fortunam Cæsaris.* Sed meliùs sic: *Iura per genium Cæsaris.* Nam cùm hæ formulæ à Romanis in Imperatores suos vsurpari priùs cœptæ sint, quam a Græcis, atque adeo cùm apud Latinos vetustos auctores longè tritius sit: *Iurare per genium Cæsaris*, quàm, *Iurare per fortunam Cæsaris*; nec Græci sua ista formula aliud, quàm

quàm Romanorum iusiurandum repræsentare voluerint, haud dubium esse potest, quin receptior in latino sermone sit hic loquendi vsus: *Iura per genium*, quàm, *per fortunam*, tametsi eadē sit vtriusque sententia. Suetonius in Caio Caligula cap. 27. ita de ipso: *Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad bestias condemnauit, aut bestiarum more quadrupedes caueā coercuit, aut medios serra dissecuit: nec omnes grauibus ex causis, verum malè de munere suo opinatos, vel quod nunquam per genium suum deierassent.* Ita Suetonius.

Tertullianus in Apologetico cap. 32. *Sed & iuramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus genijs.* Et paullo inferius: *Ceterum dæmonas, id est, genios adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.*

Ex quibus colligitur abhorruisse Christianos à iuramento, *Per genium Cæsaris*, ideóque formulam illam à Gentilibus obtrudi solitam; quam scilicet ipsi permagni facerent, vt ibidem Tertullianus, cap. 28. ijs obiecit: *Citiùs denique apud vos*, inquit, *per omnes Deos, quàm per vnum genium Cæsaris peieratur.*

Et Minutius Felix in Octauio: *Et est eis tutius per Iouis genium peierare, quàm Regis.* Vtrorumque porrò tam Gentilium ita iurantium, quàm Christianorum ab eo iuramento abhorrentium insigne est exemplum, in Actis Martyrum Scillitanorum Carthagine obtruncatorum: vbi Saturninus Proconsul inter alia: *Iuramus*, inquit, *per genium Domini nostri Imperatoris, & pro salute illius intercedimus: quod & vos facere debuistis.* Cui sic respondet vnus ex Martyribus, nomine *Speratus: Si tranquillas adhibeas mihi aures tuas, dicam mysterium mansuetudinis. Saturninus Proconsul dixit: Dicente te de mysterio, non inferam mala: tantùm iura per genium Regis nostri. Speratus dixit: Ego Imperatoris mundi genium nescio: sed cælesti Deo meo seruio, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* &c. Integra Acta nobis exhibet talium perscrutator studiosissimus Cardinalis Baronius, tomo 2. Annalium, in anno Christi 202. Et horum fidelem seruant memoriam martyrologia ad diem XVII. Iulij.

Nec minùs fortiter ac generosè idem iuramentum recusauit S. Apollonius martyr (is Sardibus ciuitate Lydiæ ortus erat) qui Perennio Præsidi oblatus cùm iuberetur per Imperatoris iurare genium: *Nefas est*, respōdit, *per hominem mortalem iurare, per eum præsertim, qui Deum mundi creatorem non agnoscit.* Quare cruci affixus martyrij palmam obtinuit. Vide Græcorum Menologium, ad diē decimam Iulij.

Quòd autē iurare per aliquē, sit quasi honorē diuinitatis ei cōferre, non Tertullianus modò, vt suprà visum est, sed etiā Optatus Mileuitanus Episcopus, lib. 2. De schismate Donatistarum testis est: cùm de ijsdem Donatistis ita scribit: *Et vt in errorem vos vester populus mittat, laudando felices appellant, & bene nominant, & per vos iurant, & personas vestras iā pro Deo habere noscuntur. Solet Deus ad probandam fidem in iuratione ab hominibus nominari: sed cùm per vos iuratur, iam apud vestros de Deo & Christo silentium est. Si ad vos diuina migrauit de cælo religio, quia per vos iuratur, nemo vestrûm aut vestrorum langueat: nolite mori: imperate nubibus: pluite, si potestis: vt per vos plenius iuretur, & de Deo sileatur.* Et paullo pòst: *O sacrilegium impietati commissum, dum homines per vos iurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis vestris!* Sic ille.

TOLLE, inquit, *IMPIOS.*) An rectè hoc à Polycarpo factum? An licuit Proconsuli obtemperare vrgenti, vt diceret, *TOLLE IMPIOS?* An denique è modestiâ fuit & caritate Christianâ (quæ preces pro hostibus imperat) ijs, pro salute, interitum imprecari? Quàm dissimilis hæc imprecatio illi mensæ! Quàm diuersa inter sese ista hospitalitas, & hæc vocis acerbitas!

Sed nimirū, si acerba vox fuit, nulli quàm ipsi Polycarpo (qui ad eam expromendam diuina impellente vi adactus est) fuit acerbior. Nec enim à se voces illas dixit, sed à Spiritu Sancto, (qui in martyribus loquitur) velut per os eius, venturæ breui post punitionis impiorum, letalem proferente sententiam. Quarè & profusis lachrymis, & ad impiam turbam conuersus eam pronuntiauit: Quippe iam ad maturitatem nefanda illa Gentilium atque Iudæorum nequitia peruenerat, atque in pœnam (quam non multò post mota ac dehiscens tellus ostensura esset) tota proruebat.

MALEDIC CHRISTO, ET ABSOLVAM TE.) Ita & Plinius Secundus Iunior in prouincia Bithynia cum Christianis agebat, vt ipsemet indicat in epistola ad Traianum Imp. suprà in medio positā: nēpe in illis verbis: *Quum praeunte me, Deos appellarent, & imagini tua (quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent: præterea MALEDICERENT CHRISTO; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera CHRISTIANI. Ergo dimittendos putaui.* Sic ille. *In Notationibus ad vitam S. Ignatij.*

OCTOGINTA SEX ANNOS ILLI IAM SERVIVI) Optima hæc est; ne Deum offendamus, néue illi diffidamus, pristinorum eius in nos beneficiorum recordatio. Ita Senex quidam in Vitis Patrum, lib. V. De verbis Seniorum, libello 6. numero 20. offerenti cuidam ipsi pecuniam & dicenti: *Habe ad expensas tuas; quia senuisti, & infirmus es*, (erat enim leprosus) respondit: *Tu post sexaginta annos venis auferre nutritorem meum? Ecce tantum* PERSEVERANTIÆ INCITAMENTA.

tempo-

temporis habens in infirmitate mea nihil indigui, Deo tribuente & pascente me. Et non acquieuit accipere.

Eâdem transacti in diuino seruitio tẽporis cõmemoratione, se ad martyriũ animauit B. Artemon Presbyter tẽporibus Diocletiani Imp. Nã cùm ei Comes persecutor diceret, Τίμησον τὸ γῆρας σου, ἄνθρωπε, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς. *Honora senectutem tuam, ô homo, & Dijs sacrifica*, respondit ipse: Δέκα καὶ ἓξ χρόνους διεβίβασα ὑπαναγινώσκων τῷ λαῷ τὰς βίβλους τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ναῷ· καὶ ὀκτὼ πρὸς τοῖς εἴκοσιν ἐτέλεσα Διάκονος, Χριστοῦ ὑπαναγινώσκων τὰ εὐαγγέλια· καὶ τριάκοντα καὶ τρεῖς πληρώσας Πρεσβύτερος, διδάσκων τῇ τοῦ Θεοῦ μου βοηθείᾳ· καὶ νῦν λέγεις μοι, τῷ ἀναισθήτῳ ὁμοίῳ σου δαίμονι ἐπιθῦσαι; *Sexdecim annos transegi legens populo libros Dei in templo: & viginti octo Christi Diaconus legens euangelia: & triginta tres Presbyter compleui docens cum Dei mei adiutorio populum: & nunc mihi dicis, vt carenti sensibus dæmoni, tui simili sacrificẽ?* Quasi dicat: *minimè faciam, minimè gentiũ.* Igitur multa passus tormẽta fortiter occubuit. Vide Menæum Græcorũ ad diem 24. Martij, vbi multa referũtur diuina prodigia: vt inter alia, ceruæ ad martyris vocem promptè obediẽtis, & articulata voce mandata proferẽtis. Vidẽtur sanè isti viri sanctissimi in mẽte habuisse illam B. Ioannis Apostoli admonitionem, qua filios matronæ illius Electæ hortatus est
Ioannis ep. 2. ver. 8. ad perseuerantiam: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.* Et increpationis illius meminisse, qua Doctor Gentiũ in Galathas inuectus est
Paulli ad Galathas c. 3. & dixit: *Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine caussa?*

QVÆSTIO DE NVMERO ANNORVM VITÆ S. POLYCARPI.

Sunt porrò qui ex verbis positis putent B. Polycarpi annos vitæ posse colligi: nẽpe tot eum vixisse annos, quot se ipse Christo seruisse asserit. Ex quibus est auctor Chronici Alexandrini ad olympiadis 239. annum 4. indict. 1. vbi dicit: Ἐκάη ζῶν, ὢν ἐτῶν πζ´. *Combustus est viuus, cùm esset annorum 87.* Et dicit confici ex responsione ad Proconsulem his verbis: Περὶ δὲ τῶν ἐτῶν αὐτοῦ εἶπε τῷ Ἀνθυπάτῳ εἰπόντι αὐτῷ. βλασφήμησον τὸν Χριστόν. ὁ δὲ εἶπεν· πϛ´ δουλεύων τῷ Χριστῷ οὐδὲν με ἠδίκησεν. Καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν σώσαντά με βασιλέα; *De annis suis dixit Proconsuli, cùm is diceret: Maledic Christo, ipse autẽ respõderet: octoginta sex annis seruiens Christo nihil iniuria ab eo accepi: quemadmodum ergo Regi meo qui me seruauit, maledicere potero?* Sed falsa est hæc annorum collectio. Nec enim de annis vitæ loquitur Polycarpus, sed de annis diuini seruitij. Seruitiũ autem à Baptismo ducit initiũ. Baptismus verò non mox natis dabatur illo tẽpore, sed adultis. Qui mos vsque ad annũ Christi trecentesimũ, eòque amplius perdurauit, vt constat ex multorũ Sanctorũ vitis, qui tamẽ ex catholicis parẽtibus orti erãt, vt suis locis ostẽdetur. Tales Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, & alij quàm plurimi, quos tibi exhibet Ioannes Morinus vir magnæ & exquisitæ eruditionis, in quæstione, De baptismo Constantini Magni, parte 2. suæ historiæ, cap 22. Nam idem Constãtinus ex sententia plurimorum SS. Patrũ nõ diu ante mortem baptizatus est. Deinde cõstat ex Eusebio, Hieronymo & alijs, S. Polycarpum obijsse martyrium anno Christi. 169. qui fuit M. Antonini & L. Aurelij Cõmodi Impp. 7. Hinc igitur si octoginta septem annos retrocedamus, tum inueniemus ex illâ sentẽtiâ Polycarpum natum âno Christi 82. qui est primus Domitiani. Faciamus ergo ita esse. Natus sit Polycarpus anno Christi 82. Iam hoc inconueniens, immo perquã absurdum emerget, vt dicẽdum sit S. Polycarpum fuisse Episcopum âno ætatis suæ 18. aut summum 19. quæ ætas vix est media ad episcopatum. nec tantùm non idonea episcopatui aut sacerdotio; sed ne diaconatus quidem aut subdiaconatus officio, præsertim ijs temporibus, quibus tanta ab Apostolis adhibebatur cautio in ecclesiasticis conferendis ministerijs, vt scripserit S. Paullus de Diaconis inter alia: *Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Et infra: 1. ad Cor. cap. 3.
Diaconi sint vnius vxoris viri, qui filijs suis bene præsint, & suis domibus. Quibus in verbis matura sine dubio ætas & virtus requiritur. Emergere autem id absurdum, quod diximus, ita liquebit. Numeremus ab anno Christi 82. quo Polycarpi natiuitas ponitur, vsque ad annum Christi 101. & Traiani Imperat. 2. quo anno obijsse S. Ioannẽ Euangelistam colligitur ex Irenæo, Eusebio, Hieronymo, Baronio, inueniemus annos sũmum 19. Atqui iam Episcopus erat S. Polycarpus, nempe creatus ab Apostolis, & collocatus à S. Ioãne Euãgelista, vt scripsit Tertullianus, & nos suprà ostendimus: quòd si à Ioanne collocatus, certè ab eo adhuc superstite. Vnde necessariò efficitur S. Polycarpũ ex istâ reprobatâ sententiâ, quamuis tantùm vltimò Ioannis anno creatus fuisset Episcopus (quod ego haud concesserim) tamen nõ potuisse esse amplius quàm 18. aut 19 annorũ, quandò creatus est Episcopus. Atqui in tam paruâ ætate creatum Episcopum, nemo gentiũ dixerit. Quare de annis S. Polycarpi standũ potiùs videtur ei sentẽtiæ, quam cap. 1. posui; & quod dicit octoginta sex annos se Christo seruiuisse; nõ de vitę, sed de fidei suę annis intelligendum est. Nam in epistola sua ad Philippenses, dũ scribit Paullũ de illis gloriari in omnibus ecclesijs, additque: *qua Deũ sola tunc cognouerant, nos autem nondum noueramus*, videtur indicare, se tempore illo vixisse, quo S. Paullus ad Philippenses scribebat, eósque laudabat, sed tum sibi adhuc fidẽ fuisse incognitã. Sic enim accipio ista verba: *Nos autem*

autem nondum noueramus: id est, necdum veri Dei notitiam assecuti eramus, sicut vos, ô Philippenses, & sicut aliæ ecclesiæ, quibus Paullus fidem annuntiauerat. Quod ipse non diceret, nisi tum extitisset.

Adde versatum esse eum non modò cum S. Ioanne, sed etiam cum alijs Apostolis, teste eius discipulo Iræneo, his verbis: Οὔτε γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πεῖσαι ἐδύνατο μὴ τηρεῖν, ἅτε μετὰ Ἰωάννε, τῷ μαθητῷ τῷ κυρίε ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιέτριψεν, ἀεὶ τετηρηκότα. *Nec enim Anicetus persuadere Polycarpo potuit, vt non obseruaret* [*festum Paschæ scilicet*] *sicut cum Ioanne Domini nostri discipulo, & reliquis Apostolis, quibuscum versatus fuerat, semper obseruasset.*

Denique vox Polycarpi eundem sensum habere censenda est, quem simillima ac propè gemina S. Hilarionis habuit, dicẽtis in vitę mortisque cõfinio: *Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortẽ times?* Ad quę verba exhalauit spiritũ. Quemadmodũ igitur ex eius verbis nõ rectè colligitur vixisse tantùm septuaginta annos, cùm, teste Hieronymo in eius vita, vixerit octoginta; ita nec de Polycarpo sic sentiẽdũ. Quare corrigẽdi sunt omnes, qui annos illos 86 quibus Christo seruiuit, intellexerunt de omni eius vita. Et locus itẽ Gregorij Turonensis lib. 1. historiæ Francorum, cap. 28. emendandus, in quo sic legitur: *In Asia autẽ orta persecutione beatissimus Polycarpus, Ioãnis Apostoli & Euangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocaustum purissimum, per ignem Domino consecratur.* Legendum enim *octogesimo sexto*, siue illud *sexto* librariorũ incuria, siue ipsius Gregorij fallẽte memoria, omissũ sit Deinde error de octogesimo sexto ætatis, pro octogesimo sexto Christianæ seruitutis cauendus est, & relinquendus.

CHRISTIANVS SVM] Vox est solemnis martyrũ, fidei testis, gratiæ conciliatrix, magnanimitatis index, tormentorũ victrix, torquentiũ catapulta. Ciues Romani, cùm virgarum horrerent ac deprecarentur suppliciũ, clamitabant: *Ciuis Romanus sum.* Christiani verò, cùm pro Christo subire tormẽta, & obire mortem affectarent & obtestarentur, clamabant: *Christianus sum.* Hanc & pueri ipsi & puellę, velut acceptam a parentibus lectionẽ, cùm essent in carnificũ manibus, recitabãt. Notus est pusillus ille Liberati martyris filiolus (septennis circiter erat) qui abstractus atque auulsus à parẽtibus, cùm inter VVandalorũ manus auferretur, quantũ poterat, clamabat; *Christianus sum, Christianus sum, Christianus sum.* Cui os sanctissimũ obturãtes nefarij homicidæ (ne forte infantis confessio, grandiorum esset cohortatio) insontem denique in suum gurgitem demerserunt. Credibile est scilicet pueros Christianos ità edoceri à parentibus solitos, nihil esse aliud inter tormenta clamitandũ, nisi, *Christianus sum*; ac proinde ita illos fecisse, & gloria illustris martyrij ornatos esse. Adeo iuuat ab initio pueris atque infantibus bona ingeri atque instillari documenta.

De hac eadem voce, *Christianus sum*, plura adfero in vita S. Irenæi, Lugdunensis Archiepiscopi & Martyris.

PRÆCONEM MITTIT &c.] In martyrio apud Eusebium, & in vita M.S habetur Proconsulem misisse pra conẽ, qui ter in medio stadio proclamaret: Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν χριστιανὸν εἶναι. *Polycarpus confessus est se Christianum esse.* Ruffinus Presbyter Eusebij interpres sic vertebat: *Misso igitur curione ad populum, iubet voce maxima protestari, Polycarpum tertiò confessum Christianum se esse.* Quasi nimirum vox illa τρὶς, *ter* ad Polycarpum referretur, non ad præconẽ, seu, vt ipse vocat, curionẽ. Atqui tam apud Eusebium, quàm in vita gręca M.S. post vocem τρὶς & τρίτον, quę *ter* & *tertio* significant (Eusebius enim priore vtitur; Auctor vitæ, altera) distinctio apponitur: & in vita quidem, præconium ipsum, sicue quod præco proclamabat (& elogiũ à quibusdam appellatur) quinque dũtaxat constãs vocabulis, scribitur litteris grandiusculis, vti solent elogia. Respexisse quidẽ videtur Ruffinus ad morem Martyrum, qui vocẽ, *Christianus sum*, coram tyrannis sæpius iterabant: sed hoc debuit obseruare, nunquã in titulis condemnationis poni, neque in caussa mortis proclamari, quoties quis se Christianũ dixerit, sed tantùmodò dixisse esse Christianũ. Iam quòd vocẽ κήρυκα reddiderit *curionem*, (quãuis melius reddidisset *præconem*) tamẽ nõ omnino malè, nec prorsus inusitatè. Dicitur quidẽ primò ac propriè Curio, qui est sacerdos vnius curię, sicut Curio Maximus, qui est super omnes curias, aut poti⁹ super omnes Curiones. Nã Curiones (vt docet Varro lib. 4. De lingua latina) *dicti à curijs: qui fiunt, vt in his sacra faciãt.* Cùm enim Romulus in tres tribus & triginta curias populũ Rom. diuisisset, singulis curijs singulos Curiones ad sacra pro illis faciẽda distribuit. Quæ sacra vocabãtur *curionia*, sicut Curionis officiũ, *curionatus*, & officij merces *æs curionium*. En verba Sexti Põpeij Festi: *Curionia sacra, quæ in curijs fiebant. Curioniũ æs dicebatur, quod dabatur Curioni ob sacerdotium curionatus.*

Hæc omnia, si latinè loqui liberet, transferri possent ad nostra sacra & sacerdotes, & sacerdotiorũ prouentus. Quamuis igitur nomen *Curionis*, antiquitus, & dum latina floreret lingua, tãtùm ad sacra pertinuerit, postmodò tamen etiam ad profana deuolutum est, & pro præcone cœptum vsurpari. Ita accepisse illud nomen à multis creditur Valerius Martialis in epistola libri 2. epigrammatum, vbi dicit: *Epigrammata curione non egent, sed contenta sunt sua, id est, malâ linguâ.*

Quam-

Quãuis & propriè ibi posset accipi, pro sacro Curione, epigrammatũ laudatore, vtpote cuius esset bona, & quasi sacra lingua. Quòd enim Curiones præcipui essent in suis curijs, & sacerdotio fungerentur, ea magni fiebant, quæ ab ijs laudabantur: cum autem epigrãmata sint à pudore, grauitate, & sacrarum religione alienissima, meritò *non egent Curione, sed contenta sunt sua, id est, mala lingua*, vt confitetur suprà ipse epigrammatographus, vel potiùs vt illi obijcit in prosopopœia Decianus. Adde carmina nõ solita esse legi per præconem, sed ab ipso poëta, vel quopiam poëtæ amico, viro erudito, vel denique si casta essent, per curionem in sua curia, potiùs quàm per præconem. Nam præcones erant homines, sicut viles, ita & rudes, adeóque inepti ad pondus dandum lectioni carminũ, quod tamen Poëtæ aucupabantur. Certè Ciceroni tã præcones, quàm quæstus præconius turpes habiti sunt. Vide illũ oratione extrema pro P. Quinctio, & libro 2. in Verrem.

Quod verò aliqui etiam à Plinio iuniore *curionem* pro *præcone* vsurpatum volunt, nempe epist. 7. libri 4. vbi legunt: *scripsit publicè, vt e curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo.* librum scilicet, quem Regulus ineptus orator de vita filij sui pueri legendum, per totam Italiã & prouincias dimiserat: De quo libro ad extremam illam epistolam sic conclusit Plinius: *Credas non de puero scriptum, sed à puero.* Quod, inquã, pro *præcone* ibi vsurpatum volunt, non facilè omnes assentient. Nam Claudius Minos Iurisconsultus, epistolarum Plinij recensitor & emendator legit sic: *Scripsit publicè, vt à decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo.* Sic legit & Ioãnes Maria Catanæus earundem epist. commẽtator, & *à decurionibus*, explicat, *à senatoribus municipiorum*. Sic & Isaacus Casaubonus, qui ijsdem epistolis Notas addidit, inter quas & illam, *qui legeret in populo*, pro, *Qui legeret eum populo*. Nec enim, opinor, Regulus ille ad libri lectionem volebat præconis voce cieri populũ, sed solùm in circulis legi. Ita meliùs, *in populo*. Eligat quisque, quod volet. Tantũ enim illa nota est, vt indicetur varia lectio.

Exemplum porrò certum, & prorsus, vt vt sic loquar, irrecusabile, vbi *curio* ponatur pro *præcone*, est illud Trebellij Pollionis (sed Scriptoris declinante latinitate nati) in Gallienis duobus, qui sic de Gallieno Imp. loquitur: *Quum taurum ingentem in arenam misisset, exissétque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuisset occidere, coronam venatori misit: mussantibúsque cunctis; quid rei esset, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit: TAVRVM TOTIES NON FERIRE, DIFFICILE EST.* Illo igitur tempore, quo hæc scribebat Trebellius, inualuerat *curionis* significatio pro *præcone*, hoc est, tertio à Ciceronis obitu sæculo. Ruffinus autem Presbyter scripsit, & Trebellium imitatus est quarto. Denique κήρυξ melius vertitur *præco*, quàm *curio*.

DEPRECARI PHILIPPVM MVNERARIVM INSTITERINT] Munerarium vocant Ruffinus & Christophorsonus Eusebij interpretes, quos ego secutus sum: licet alioqui inueniam in græcis exemplaribus tã Eusebij, quàm Pionij ἀσιάρχην, *Asiæ Præfectũ*. Sed interpretes videtur legisse ἀγωνάρχην, *agonarcham, præfectum certaminis*. Quæ proba vox est, & Sophocli vsurpata in *Aiace flagellifero*, versu 573. Quæ proinde omitti à Iulio Polluce in Onomastico non debuit, sed libro 3. cap. 30. Περὶ ἀγωνοθετῶν καὶ ἀγώνων, *De agonothetis & certaminibus*, inseri. Sed eius effugit aut diligentiã aut memoriam. Versus porro Sophoclis sunt hi:

καὶ τ' ἄμα τεύχη μήτ' ἀγωνάρχαι τινὲς
θήσουσ' Ἀχαιοῖς, μήθ' ὁ λυμεὼν ἐμός.
Hæc arma Achiuis nulli agonarchæ mea,
Neque interemptor ipse proponet meus.

Accedit, quòd ea vox loco huic cõgruat, vbi populus petit immitti leones in Polycarpum, petit autẽ non à Præfecto Asiæ, qui nõ alius erat quàm Procõsul, & Tatius Quadratur appellabatur, sed ab alio, cui erat Philippo nomẽ, qui respondit iã cõplesse se munus certaminum siue venationũ, vt pòst sequitur.

PERACTA ENIM IAM ESSE FERARVM CERTAMINA] Totidem ferè verbis Christophorsonus. Ruffinus autẽ sic: *Qui respondit non sibi licere: quia iã editionis suæ munus explesset.* Græca verò, ἐπειδὰν πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια, *quoniam venationes absoluisset*. Sic enim vocabantur ludi & certamina hominum cum feris. De his venationibus loquitur M. Tullius l. 2. Officiorum, in descriptione prodigorũ. *Prodigi sunt*, inquit, *qui epulis & visceratationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationúmque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem aut nullã omnino sint relicturi.* Præclarè verò idem ipse scribens M. Mario, insanã hominũ in eiusmodi venationibus delectationem sugillat. *Sed quæ*, inquit, *potest esse homini polito delectatio, cùm aut homo imbecillis à valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transuerberatur*? Quid de illis igitur dixisset venationibus, in quibus homines ætate ac laboribus fessi, & corpore, mẽbrísque omnibus inualidi, immanibus bestijs laniãdi proijciuntur ac deuorandi? Et ista interim vocãtur munera, ludi, venationes, velata scilicet honestis nominibus homicidia. *Et primitus quidẽ* (inquit Lactãtius Firmianus) *venationes quæ vocãtur munera, Saturno attributæ sunt.* Nẽpe illi, cui homines soliti erãt immolari.

Lib. 7 epist. famil. 1.

Lactantius Firmianus l. 6 diuin. institutionum.

Nota verò τὰ κυνηγέσια primò ac propriè eas venationes denotare, quæ canibus in feras fiãt, καταχρηστικῶς autẽ seu abusiuè quamlibet

libet omnino venationē, & cum quibuslibet feris decertationē, immo & hominū, (vt hoc loco) à bestijs discerptionē & deuorationē.

ITA VISVM IPSVM DE ARDENTE CVLCITRA] Olim culcita dicebatur, nunc vsus culcitram fecit, méque, vt cum multis loquerer, admonuit. Hoc autem sanctissimi Polycarpi visum, à Leonardo Lessio Iuris ac Iustitiæ disceptatore acutissimo inter ea somnia numeratur, quæ diuinitus immissa sunt, & è quibus futurorum licet capere coniecturam. Quæ cùm in duplici sint genere, & quædam fiant per certorum verborum ab Angelo impressionem, alia per quarundam rerum propositionem, quæ nonnullam habeant cum rebus euenturis analogiam seu similitudinem, Polycarpi visum, siue insomniū (nā Smyrnenses in epistola sua circulari, de eius martyrio, nunc ὀπτασίαν vocant, *visum* seu *visionem*, nunc ἐνύπνιον *insomnium*) è posteriori est genere. Nec enim verba audiuit, sed res vidit, nempe culcitram suam aut, si mauis, ceruical repentè ardere, repentè consumi. Quod quia tempore persecutionis, & triduo ante martyrium suum aduertit, non malè ad mortis suæ genus retulisse censendus est. Nam inter flammas, licet gladio confossus, interijt. Eiusdem sortis fuit ea visio, quæ Theodosio duci exercitus præstantissimo, ante imperij dignitatem, sed de illa quondam ipsi obuenturā obtigit. Nam apud Gratianum Imp. cùm esset, visus sibi est in somno videre S. Meletium ecclesiæ Antiochenæ Episcopum lænam imperatoriam ad se afferre, eamque sibi inijcere, necnon corona consimili caput ornare. Ex quo viso cuipiam è familiaribus indicato, mox didicit se haud dubiè fore Imperatorē. Quod breuissimo pòst tempore factum est, adsciscente eum Gratiano in societatem imperij. De qua re vide Theodoretum lib. 5. hist. eccl. c. 6. De varijs autē generibus somniorū, & quando ijs credi possit, disce è nostro Lessio, l. 2. *De iustitia & iure*, cap. 43. dubit. 8. vbi multa breuiter, clarè, distinctè cōprehēdūtur.

LIGNA ET SARMENTA &c.] Græcè in vita M. S. habetur ξύλα κ̀ φρύγανα. In Eusebio, ξύλα φρύγανα sine coniunctione Καὶ, sed vitiosè, supplenda est: cùm φρύγανον sit substantiuum. *Ligna & sarmenta* coniunxit etiā Cicero, lib. 1. in Verrem, ante medium: *Omnes*, inquit, *ad eam domum, in qua deuersabatur, profecti sunt: cædere ianuam saxis, instare ferro, ligna & sarmenta circumdare, ignémque subijcere cœperunt*, Latiùs quidem patet φρύγανον, *sarmentum*, quod propriè ex vite est: (Nam illud pro aliarum quoque arborum segmentis, & quauis lignorū combustili materie capitur) verùm vbi vsurpant Græci φρύγανον, ibi ferè Latini sarmentum, extenta latiùs eius significatione.

Aurelius Prudentius περὶ στεφάνων, hymno IX. de Romano Mart. versu 847. & seqq.

At parte campi ex alterâ, immanem pyram
Texebat vstor fumidus pinu aridâ,
Sarmenta mistim subdita, & fœni struem
Spargens liquato rore feruentis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.

Ab his sarmentis solebant Ethnici Christianos amarâ contumeliâ sarmētitios appellare, quasi scilicet sarmentis vstulandos: sicuti & à stipite dimidij axis, cui affigebantur aut alligabantur, semaxios nominare. Hinc Tertullianus in Apologetico, cap. vltimo: *Licet nunc*, inquit, *sarmentitios & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti, sarmentorū ambitu exurimur; hic est habitus victoriæ nostræ: hæc palmata vestis: tali curru triumphamus*, id est, Ea quæ nobis ignominiæ tribuitis, nostra sunt gloria, noster triumphus.

CALCEAMENTA QVOQVE IPSA &c.] Fideles gaudebāt, cùm Polycarpo, etiam iuniori, honoris caussa calceos posset detrahere: nunc autē in martyrio, cùm viderent nullū adesse, qui detraheret, nec appropinquare sibi liceret, dolore rumpebantur. Itaque sibi ipse generosè illa detraxit. Ita fecit & S. Fructuosus, nomine & dignitate & palma (fuit enim Episcopus & Martyr & igni traditus) Polycarpo egregiè consentiens. Cui in arenam ingresso, cùm quidam eius Lector, Augustalis nomine, accurrisset, vt calceos detraheret, idque cum lachrymis deprecaretur, respondit beatus ipse Martyr: *Missum fac, fili: ego me discalceo, fortis & gaudens & certus de Dominica promissione*. Meminit huius erga S. Fructuosum officij Aurelius Prudentius, De coronis, hymno VI. Apud Surium tomo 1.

Certant officijs pij sodales.
Plantis calceamenta dissolutis
Pronus detrahere studebat vnus.
Sed sanctus vetat: ora Fructuosus
Inclinata premit: facessite, inquit:
Ne nostram grauet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes resoluam:
Ne vestigia præpedita vinclis,
Tardis gressibus irruant in ignem.

CLAVIS AFFIGERE AD PALVM VELLENT] Moris erat igni absumendos, clauis palo aut stipiti affigere. Ita enim S. Pionio in vrbe Smyrna factū, vt habēt Acta eius martyrij. Interdū autē funibus tātùm alligabant. Hinc idē Prudētius loco iam citato:

Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute, decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad Patrem leuandas:
Soluit brachia, quæ Deum precentur.

Malè quibusdā in exēplaribus legitur: *In morte crucis*. Nā de illo ipso Fructuoso & socijs Martyribus ita Venerabilis Beda in martyrol. ad 21. Ianuarij. *In Hispania, ciuitate Tarracone, natale SS. Fructuosi Episcopi, Augurij &*

& Eulogij Diaconorum, qui tempore Gallieni sub Æmiliano Præside, primo in carcerem trusi, deinde flammis iniecti, exustis vinculis, manibus in modum Crucis expansis, orantes vt vrerentur, obtinuerunt. &c. Itaque pepercerunt illis flãmæ, quemadmodum & B. Polycarpo.

VT SINE CLAVORVM CONFIXIONE] Idem petijsse, & propè gemina petendi forma vsus esse reperitur B. Theodorus martyr: *Sinite me, & nolite clauis configere. Deus enim meus dabit mihi virtutem, vt sine clauorum confixione, ignis impetum cum lætitia possim sustinere.* Sic ille.

PATER DILECTI ET BENEDICTI FILII] *&c.* Hæc tota precatio germana est ipsius S. Polycarpi, quam refert non solùm Auctor vitæ græcæ manu scriptæ, sed etiam Eusebius in Actis martyrij, lib. 4 hist. eccl. cap. 15. in editione græca, sic illam inchoans: Ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ &c. congruit forma & stilo, cum alijs eiusdem beatissimi Martyris precationibus suprà positis.

MEDIAS INTER FLAMMAS CONSISTEBAT ILLAESVS] Celebrat hoc miraculũ Bãdinus Gualfreduccius in priore Hieromeniarũ, ad 26 Ianuarij, hoc epigrãmate.

Victor abit flammis Polycarpus & occidit ense.
Cui nocuit ferrum, non nocuere rogi.
Detulit in terras Deus ignem & detulit ensem:
Vt face vel ferro fortia corda probet.
Incedit per vtrumque meus bellator, & ense
Interijt, qui non debuit esse cinis.

Refert quoque Laurentius Schraderus libro. 1. Monumentorum Italiæ inter triumphos Sanctorum, quos Romæ in templo S. Stephani reperit, vnum de S. Polycarpo, qui est numero vndecimus, cum hac epigraphe ipsi appositissima: *IN MEDIO IGNIS NON SVM AESTVATVS*. Ecclesiastici 51.

Alij Sanctorum quàm plurimi eodem miraculo illæsi in ignibus perstiterunt. Nam vt omittantur è veteri testamento illi tres viri Iudæi, Sidrach, Misach, & Abdenago, qui à Rege Nabuchodonosore in fornacem ardentem, ligatis pedibus, missi nihil omnino, nec in corporibus, nec in vestimentis læsi sunt: atque vt prætereatur magnus ille Abraham Patriarcha, quem non solùm Hebræorum traditio, sed eius quoque relator & approbator Hieronymus in ignem, quem nolebat adorare missum fuisse, & illæsum exijsse asserit; vt hi, inquam, è vetere instrumento, & priscis traditionibus prętermittantur; fuerunt in primis huius nouæ legis sæculis, permagno numero, viri feminæque, quibus Christianam legem profitentibus, & ob hoc in ignem missis, nihil prorsus nocere quamuis magna incendia potuerũt. De S. Thecla Paulli discipula, & in feminis protomartyre, bonus SS. PP. numerus, qui eam collaudarunt, testis est. S. Zeno Episcopus Veronensis in serm. De timore Dei, agens de illa sic scribit inter alia: *Ne quid scena tam dira inhumanitatis deesse videatur, immittuntur etiam marina monstra, lacinijs omnibus expoliatur puella, vestitur incendio: inter tot instrumenta mortis, spectatore metuente, secura calcat genera vniuersa terrorum.* &c. S. Gregorius Nazianzenus carmine 3. in præceptis ad virgines:

Τίς Θέκλαν ἐσάωσεν ὑπὲκ πυρός; &c.
Quis Theclam seruauit ab igne? &c.

Illæsi quoque ab ignibus permanserunt S. Eutychius, B. Ioannis discipulus, de quo Menæum & Martyrologia 24 Augusti. S. Victor martyr, S. Helenus Episcopus Heliopoleos, SS. Carpus & Papylus, S. Clemens Ancyranus Episcopus, & S. Agathangelus, S. Tiburtius mart. Fausta & Euelasius martyres, Agape & Chionia Virgines & Martt. de quibus ad 3. Aprilis extat epigramma Gualfreduccij. Fides, Spes, Charitas, filiæ S. Sophiæ, Virgines item & Martt. SS. Glyceria, Euphemia, Eugenia, Lucia, magnoque numero tam feminæ aliæ. quàm viri: quorum passim extant laudes, seu versu, seu prosa. De quibus videri possunt auctores à me suprà laudati, & præsertim Iacobus Bidermanus, eorum, qui pia scripserunt epigrammata, nitore, acumine, perspicuitate, facilè princeps. Cuius de S. Lucia, hi versus, inter alios, huc faciunt:

Turba igitur *flamma* circũdat edace *puellam:*
Sed nihil illa sui *flamma* caloris habet.
Mox *pice*, restinctum mox ignẽ *sulfure* pascit:
Sed neque *pix* ignem, sed neque *sulfur* alit.
Quas *ardere* voles, remoue hac à *Virgine:* tedas:
Quas cupis extinctas, huic *Venus* adde *faces*.

Denique, vt hos addam pro corollario, pepercerunt etiam flammæ SS. Faustino & Iouitæ fratribus sub Hadriano Imp. & Aniceto Comiti ac Photino itidem fratribus sub Diocletiano. Itidemque S. Pontio Mart. de quo flammis vndique circumsepto, & eius intactis inter incendia vestibus, sic in eius vita perscriptum est: *Et ecce, flamma lambens materiam omnem atque fomitem, nihil eius relinquit non combustum & absumptum; at sancti Martyris ne fimbriam quidẽ vestimenti lædit.*

CVIVS EX ORE QVODCVMQVE EXIRET VERBVM &c.] Pollebat (vt hinc & ex alijs priùs allatis patet) S. Polycarpus spiritu prophetiæ. Vnde & ab ecclesia Smyrnensi in epistola martyrij, διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς, *magister Apostolicus & Propheticus* appellatur. Vigebat enim ea ætate spiritus prophetię in Ecclesia Dei, cùm in alijs cuiusque sexus, tũ præcipuè in Episcopis & Doctoribus. Ita in Dionysio Areopagita, & Ignatio Theophoro (vt in eorũ vitis ostẽdimus) ita in S. Bucolo, de quo paullo superiùs, ita in multis alijs. Quin & sęculis omnibus pòst cõsecutis, ad hoc vsque tẽpus, sẽper aliqui è

Danielis c. 3.

Hieronymus in qq. hebraicis in Genesim.

Iacobus Bidermanus l. 2. epigr. 48

præcipuis Ecclesiæ magistris, in auxilium & solatium populi Christiani, eo spiritu præditi viguerunt, atque etiamnum vigent.

ANNO ÆTATIS CIRCITER 106.] Exactus ætatis annus cùm haberi non possit, eum saltem ponimus, ad quem peruenisse, ex ijs quæ suprà, cap. 1. Notationum, & 7. notata sunt, minimè dubium est; & vocem *circiter* addimus ob diuersas Auctorum chronologias, quæ aliquot annis inter se discrepant: quæ vox non tantùm in annis ætatis, sed etiam episcopatus (qui fuit 74. circiter) & in annis Christi Domini, & Pontificis, atque ipsorum Imperatorum intelligenda est.

M. AVRELII ET L. VERI IMPP. SEPTIMO) Huic anno adscribit martyrium S. Polycarpi Eusebius in Chronico. Chronicon autem Alexandrinum attribuit anno eorundem Impp. quarto, post Christi verò ascensionem in cælum 133. olympiadis ducentesimæ trigesimæ quintæ quarto, Indictione prima. Annis igitur aliquot ante Eusebium. Vnde nihil mirum, si certum annum restrictè non assignemus: præsertim cùm nec alij inter se chronologi consentiant. Sed immanis error in Socratem, libro 5. hist. eccl. cap. 22. irrepsit, vbi sic legitur: Πολύκαρπος ὁ τῆς Σμύρνης Ἐπίσκοπος, ὃς ὕστερον ἐπὶ Γορδιανοῦ μαρτυρήσας Ἀνικήτῳ τῷ Ἐπισκόπῳ τῆς Ῥώμης ἐκοινώνει. &c. *Polycarpus Smyrnæ Episcopus, qui postea sub Gordiano martyrium obijt, cum Aniceto Romæ Episcopo communicauit.* Atqui Gordianus tertio demum sæculo, & plurimis post Polycarpi mortem annis in lucem editus est, & imperauit. Itaque corrigendum, *sub M. Aurelio Antonino.*

TATIO QVADRATO PROCONSVLE) Nominat hunc Proconsulem Auctor Chronici Alexandrini, his verbis, ad annum paullò antè indicatum: Συλληφθεὶς ἐπὶ ἀνθυπάτου Τατίου Κοδράτου, ὑπὸ Ἡρώδου Εἰρηνάρχου, υἱοῦ ὄντος Νικήτου. *Comprehensus sub Tatio Quadrato Proconsule, ab Herode Irenarcha, Nicetæ filio.* Reperi in quodam M.S. latino martyrij eiusdem S. Polycarpi (quod aliquando fuit Heriberti Rosuueidi τοῦ μακαρίτου, nunc autem est Ioannis Bollandi in eius scripta & editionem derelictorum successoris) reperi, inquã, aliqua vestigia istius Proconsulis. Sic enim vitiosissima scriptura præ se fert: *Captus est ab Herode, Pontifice Philippo Traiano* (alibi Tralliano) *Proconsule statu Quadrati.* Haud dubium autem est quin primitus scriptum fuerit, *Tatio Quadrato*, pro quo exscriptor legendi ignarus, illa nihili nomina protruserit. Certè ad annum eumdem refert Eusebius, in Chronico Canone, & Quadrati cõsulatum & Polycarpi martyrium, nempe ad septimum M. Aurelij Antonini & Aurelij Veri. vbi sic notat:

Ζ.ΡΞΗ.ΟΥΗΡΟΣ ΤΟ Γ´ καὶ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΣ.

Πολύκαρπος ὁ ἱερώτατος Σμύρνης Ἐπίσκοπος τοῦ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρίῳ ἐτελειώθη, διωγμοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν γεγονότος. Πολλοὶ δὲ καὶ κατὰ τὰς Γαλλίας νομίμως ὑπὲρ Χριστοῦ ἤθλησαν. ὧν τὰ μαρτύρια ἀναγέγραπται εἰς μνήμην τοῖς ἔπειτα.

Vbi primus numerus designat annos imperij duorum fratrum Impp. Antonini & Veri: secundus, annos Christi: nomina autem sunt Consulum, Veri scilicet tertiùm Consulis, & Quadrati.

Imp. Christi.
VII. CLVIII. VERVS III. & QVADRATVS.

Polycarpus, sanctissimus Smyrnæ Episcopus pro Christo mortem oppetijt, cùm esset in Asia persecutio. Multi quoque in Gallijs egregiè pro Christo decertârunt. Quorum martyria ad posterorum memoriam litteris sunt prodita. Sic ille.

Quinam autem sint, qui eadem persecutione in Gallijs egregiè decertârint, dicemus in vita Irenæi, Episcopi Lugdunensis. Ille enim ijs martyrijs interfuit, & descripta Romam detulit.

Porrò ad consulatum Veri tertium & Quadrati primum quod attinet, eũ incidisse in annum VII. imperij duorum fratrum, etiam Aurelius Cassiodorus, & Onufrius Panuinius in Chronicis suis consentiunt. Quos & Illustrissimus Baronius sequitur. Sed Chronicon Alexandrinum reijcit in annum VIII.

IPSA DIE MAGNI SABBATI, HORA OCTAVA) Sic in M. S. græco: σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ. Apud Eusebium quidem non indicatur hora, sed dies sabbati magni non siletur. Nam in epistolæ Smyrnensium relatione sic habet: Ὄνῳ καθίσαντες αὐτὸν, ἦγον εἰς τὴν πόλιν ὄντος σαββάτου μεγάλου. *Asino illum imponentes, duxerunt ad vrbem ipso magno sabbato.* Vnde notum fit eâdem die magni sabbati deductum in vrbem, & eadem martyrio affectum. Quod autem est illud *magnum sabbatum?* nempe proximus dies ante Pascha, qui nunc vocatur *Sabbatum sanctum.* Sed cur magnum appellatum? Quia scilicet ob Christi Domini sepulturam, inter omnia sabbata præcipuo honore dignum. 2. propter ieiunium & peruigilium illo die, quàm aliàs, maius atque exactius. Atque in Oriente quidem his S. Polycarpi temporibus, (quin & aliquot itidem postea sæculis) isto solo & vnico sabbato per annum ieiunabatur: alijs autem minimè permittebatur: immo qui alijs sabbatis ieiunarent, Christicidis comparabantur. Prior porrò caussa eo est melior, quòd & tota ipsa hebdomada ante Pascha, maior hebdomada appelletur, propterea scilicet, *quòd* (vt refert Micrologus lib. *De ecclesiasticis obseruationibus*, cap. 51.) *ex sanctissimo Dominicæ Passionis sacramento insignior ceteris habeatur.* 3. dici magnum pos-

sit

ſet, vti & ſanctum, quòd in illo permulta & permagna, quantum ad eccleſiæ ritus attinet, piè ac religiosè fiant. De quibus, præter antiquos, qui de diuinis officijs ſcripſerunt, etiam accuratè perſcripſit Venerabilis vir Florentius Vander haer, amicus noſter, omnis eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudioſiſſimus inueſtigator. Vide illum tomo 3. Antiquitatum liturgicarum, initio.

Chronicon Alexandrinum ad Olympiadis CCXXXV. annum quartum, & ab Aſcenſione Chriſti in cælum CXXXIII. non modò diem & horam martyrij, ſed & menſem annotauit, nempe Martium. Sic enim habet: Καὶ πολλὰ ὑπομείνας διὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τῇ πρὸ ζ. Καλανδῶν Ἀπριλλίων τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, ὥρᾳ η. τοῦ Κεντυρίωνος τὴν τῶν ἐπισυναχθέντων Ἰουδαίων καὶ Ἐθνικῶν φιλονεικίαν θεασαμένου, τεθεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν ἐν μέσῳ ἐκάη ζῶν. &c. *Et multa propter fidem in Chriſtũ paſſus, VII. cal. Aprilis, magno ſabbato, hora octaua, Centurione congregatorum Iudæorum Ethnicorumque concitationem animorum cernente, poſitus ab ipſis in medio, viuus combuſtus eſt.* Melius dixiſſet, *viuus igni traditus eſt.* Nec enim combuſtus eſt, ſed ab igne illæſus, ferro confoſſus eſt, vt in vita diximus. Itaque iuxta illud Chronicon mortuus eſt S. Polycarpus, 26. Martij (is enim eſt VII. cal. Apriles) paſcha incidente illo anno in VI. cal. April. ſiue in 27. Martij. Magis enim hoc mihi probatur, quàm quod lego in extrema vitâ græcâ M. S. his verbis: Μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων. *Martyrium autem ſubiit beatus Polycarpus ſecundi menſis Aprilis, ad VII. calendas May.* Nec enim vllo modo inter ſe congruunt 2. Aprilis, & VII. cal. Maij. quæ eſt 25. Aprilis. Et ſanè hæc ab ignaro quopiam ad calcem epiſtolæ martyrij adiecta cenſeri debent.

AD CAPVT XIII.

AGitur in eo de ſacris B. Polycarpi Reliquiis, quas Smyrnæi auro & lapidibus precioſis ſe pluris facere prædicarunt. Sed vbi nunc eæ ſint, me latet. Scio Fräciſci Maurolyci martyrologio annexum haberi tractatum de locis Reliquiarum, ibique, cùm de ijs, quæ ſunt in inſula Rhodo, agitur, inter alias recenſeri CAPVT S. POLYCARPI EPISCOPI, ſed quia non adiectum ſit, *ET MARTYRIS* vel vox *SMYRNENSIS*, non omnino mihi liquet, ſitne noſtri Polycarpi caput, an alterius. Poteſt enim eſſe alicuius Epiſcopi eiuſdem inſulæ. Perquàm probabile tamen teneri poteſt (donec aliunde quippiam certius afferatur) eſſe caput S. Polycarpi Smyrnæ Epiſcopi & Martyris: præſertim quòd nec in Græcorum Menæo aut Menologio, nec in latinorum martyrologijs alius reperiatur Polycarpus Epiſcopus, præter hũc noſtrum. Adde nomina ſolitariè poſita pro principali capienda eſſe ſignificato. Vnde ſi vel ſic tantùm ſcriptũ eſſet: *CAPVT S. POLYCARPI* intelligendus eſſet noſter, multò magis addito EPISCOPI. Per *caput* autem *Polycarpi*, tantùm oſſa capitis duriora intelligi debẽt, quæ ſcilicet ex incendio ſubtrahi potuerũt. Nam Smyrnenſes in epiſtola ſua diſertè ſcribunt, ſe oſſa martyris collegiſſe & loco cõſentaneo depoſuiſſe. Quã autẽ vellim, & in quibus locis aliqua ex ijs reſtẽt, & qui in veneratione habeãtur, intelligere! Haud mediocri ſanè me illi deuinctum beneficio profitebor, à quo de illis factus fuero certior.

NAM ILLVM QVI VERE DEI FILIVS EST, ADORAMVS, MARTYRES VERO. &c.] Ponitur hic diſcrimen inter adorationem Dei & adorationem martyrum. Dicunt enim Smyrnenſes ſe Filium Dei adorare, (nempe cultu ſupremo, & propter ſe, vt loquuntur Theologi) non itidem Martyres, ſed illos duntaxat adamare & honorare, tanquam diſcipulos Domini & imitatores, inferiore cultu ſcilicet, & qualis Dei ſeruis propter ipſum Deum impendi poteſt. Quare prior adoratio & cultus eſt abſolutus: hic autẽ reſpectiuus. Quod ipſum diſcrimen, aduerſus Vigilantium hæreticum, qui ſacrarum Reliquiarum cultores, cinerarios & idololatras appellitabat, adhibuit S. Hieronymus, epiſtola LIII. ad Riparium Preſbyterum, negans nos quicquam omnino præter Deum adorare aut colere, illo ſcilicet abſoluto & ſupremo cultu, tum ſubdit: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum.* Plures huius honoris SS. Reliquiarũ cauſſas perſecutus ſum in eo libro, quem inſcripſi, Triumphum ſacrum SS. Terentiani & Socij Martyrum, in prologo galeato, Ad lectorem à fide extraneum, vbi inter alia ſic loquentem induxi verbis ſuis ſanctum Ambroſium: *Honoro ergo in carne Martyris, exceptas Chriſti nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus ſemina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere; quod me propter Dominum mortem docuit non timere. &c.* Hanc poſtremam cauſſam complexi ſunt Smyrnæi in ſua epiſtola, cùm ita ſcripſerunt: *Martyres vero tanquam diſcipulos Domini & imitatores meritò adamamus, propter excellẽtem ipſorum erga proprium Regem ac Magiſtrum beneuolẽtiam: quorum & nos ipſi conſortes & condiſcipuli euadere peroptamus.* Membrũ vltimum huius periodi in græco exemplari M. S. ſic habet: ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. Apud Euſebium verò eſt μαθητὰς, *diſcipulos.* Sed vox συμμαθητὰς meliùs reſpõdet proximæ voci συγκοινωνούς.

S. Ambroſij in Natali SS. Mart. Nazarij & Celſi.

CVM

CVM ALIIS DVODECIM PHILADELPHIA VRBE PROFECTIS] Duodecim omnino Martyres Philadelphia profectos, vnà cũ B. Polycarpo mortem obijsse testantur, præter Eusebium lib. 4. hist. eccl. c. 14. & Nicephorũ, li. 3. ca. 35. omnia martyrologia Latinorum, ad vicesimam sextam Ianuarij. Quare corrigendum est Chronicõ Alexandrinum, quod nouem tantùm martyres Philadelphenos numerat in hæc verba: Καὶ ἄλλοι θ' ἀπὸ Φιλαδελφείας μαρτυροῦσιν ἐν Σμύρνῃ. *Et alij nouem Philadelphia profecti martyrio Smyrnæ oppetunt.* Pro θ'. quod est, 9. substituendum ιβ'. quod est 12. Istorũ autem duodecim nomina in cælis scripta, reperire in terris non potui. Viuunt autem Domino. O fortunatos quibus id contingit!

ECCLESIA DEI, QVÆ SMYRNAM INCOLIT, ECCLESIÆ DEI &c.] Huic inscriptioni simillima est illa, quæ ab ecclesia Gotthiæ, de martyrio S. Sabæ inscripta est his verbis:

Ecclesia Dei, quæ est in Gotthia, ecclesiæ Dei, quæ est in Cappadocia, & omnibus ecclesiæ catholicæ Christianis, vbique gentium habitantibus, misericordia, pax, & caritas Dei Patris, & Domini nostri IESV Christi impleatur.

Totam epistolam descripsit Simeon Metaphrastes, & ex eo Aloysius Lipomanus, & Laurentius Surius, ad diem 12. Aprilis.

Tales autem epistolæ, quæ inscribebantur omnibus vbique gentium ecclesijs; aut cunctis per orbem fratribus, vocabantur à Græcis ἐγκύκλιοι, aut καθολικαὶ ἐπιστολαί, à latinis circulares, vniuersales, orbiculares, generales. Talis sine controuersia fuit illa S. Petri posterior hanc ferens inscriptionem:

S. Petri ep. 1. *Simon Petrus, seruus & Apostolus IESV Christi, ijs qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris IESV Christi* &c. id est, omnibus Christianis.

Talis quoque fuit illa Synodi Hierosolymitanæ, apud S. Athanasium in Apologia 2.

Sancta synodus Hierosolymis per gratiam Dei congregata, ecclesiæ Dei quæ est Alexandria, & omnibus per Ægyptum, & Thebaidem, & Libyã, & Pentapolim, & cunctis per orbem Episcopis, Presbyteris, & Diaconis in Domino Salutem.

Sed breuissima & pulcherrima est illa S. Alexandri Alexandriæ Episcopi contra Arium inscriptio:

Apud Socratem l. 1. hist. eccl. cap. 3. Τοῖς ἀγαπητοῖς καὶ τιμιωτάτοις συλλειτουργοῖς, τοῖς ἁπανταχοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, Ἀλέξανδρος ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Carissimis & honoratissimis, qui vbique sunt per Catholicam ecclesiam, collegis Alexander in Domino Salutem.

Eiusmodi epistolas si quis plures velit, eas requirere potest, quæ post habitas Synodos, de rebus per eas gestis, earum nomine scriptæ sunt. Eę enim fere omnes sunt ἐγκύκλιοι, vt vocat S. Epiphanius, hæresi XXX. aduersus Ebionitas, numero XV. vbi agitur de S. Petri circuitibus à B. Clemente Pont. scriptis, & ipsorum nequitia corruptis. Circuitus S. Petri Apocr.

AD CAPVT XIV.

VLTIO DIVINA &c.] Quia post nefarias magnorũ Deóque carorum virorum cædes, ex certa longi temporis experiẽta cognitum est, multas communes miserias atque clades consequi solitas, quę & ipsos præcipuè cædium ac persecutionum auctores affligerent, atque illis vrbibus, in quibus allata vis pietati fuerat, grauiora damna importarent; hinc sacris Scriptoribus in more fuit, ea mala atque ęrumnas haud indiligenter annotare, ac diuinæ in sacrilegos animaduersioni adscribere. Ita Paullus Orosius in historia sua aduersus Paganos lib. 7. cap. 15. post enarratam præsentem duorum Impp. persecutionem, *Secuta est*, inquit, *lues plurimis infusa prouincijs, totámque Italiam pestilentia tanta vastauit; vt passim villæ, agri, atque oppida sine cultore atque habitatore deserta, in ruinas siluásque concesserint.* Vide ibi plura. Meminit eiusdem Iulius Capitolinus in M. Antonino Philosopho: *Et multa quidem millia*, inquit, *pestilentia consumpsit, multósque ex proceribus, quorum amplissimis Antoninus statuas collocauit: tantáque clementia fuit, vt & sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri, & plano cuidam, qui diripiendæ vrbis occasionem cum quibusdam consciis requirẽs, de caprifico arbore in cãpo Martio concionabundus, ignem de cælo lapsurũ, finémque mundi affore diceret, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur: quum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atque confesso veniam daret.* Magis etiam calamitatem huius temporis exaggerat Sextus Aurelius Victor, his verbis: *Terræ motus non sine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum species agris infesta, prorsus vt propè nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo imperante sæuierit.* De eadem Eusebius in Chronico, ad annum eiusdem Imp. octauum, hoc est, vno anno post mortem Polycarpi, ita breuissimè: *Lues multas prouincias occupauit, Roma ex parte vexata.* Galenus quoque Medicorum æui sui præstantissimus, & huius pestilentiæ restis oculatissimus, libro 9. *De simplicium medicamentorum facultatibus*, in cap. De terra Samia, commendans certũ aduersus pestem medicamentum, *Porrò in magna hac peste*, inquit, *cuius eadem facies fuit, atque eius, quæ Thucydidis memoriâ grassabatur, quotquot hoc medicamen bibêre, celeriter curati sunt: at quibus non profuit, omnes interiere: cùm nec alio quouis iuuarentur.*

LONGE PLVS OMNIBVS VNA SMYRNA] De hac vrbe nemo, quàm Aristides

stides meliùs scripsit, nec elegantiùs. Fuit hic Aristides B. Polycarpo contemporalis, & complures orationes, quæ etiamnum extát, de Smyrna composuit. Ex quibus orationibus intelligi potest, qualis ante ruinam ea vrbs fuerit, & qualis post ruinã. De eius ruina simul & instauratione ita Dio Xiphilini, in M. Antonino, sub finem: Χρήματά τε πολλαῖς πόλεσιν ἔδωκεν· ἐν αἷς καὶ τῇ Σμύρνῃ δεινῶς ὑπὸ σεισμοῦ φθαρείσῃ. Καὶ αὐτὴν βουλευτῇ τε καὶ ἐστρατηγηκότι ἀνοικοδομῆσαι προσέταξεν. *Pecunias etiam multis ciuitatibus largitus est, inter quas Smyrnæ grauiter ex terræ motu afflictæ. Mandatũ quoque Senatori & exercitus ductori dedit, vt illam reædificaret.* Porrò Smyrnæ subuersionem assignat Eusebius Scaligeri, in Chronico canone, anno Domini 180. vbi sic habet: Σμύρνα πόλις τῆς Ἀσίας σεισμῷ κατεπτώθη, καὶ πρὸς ἀνοικοδομὴν ἀνείθη. In Latino autẽ Chronico hæc habentur ad annum 181. ex interpretatione Hieronymi: *Smyrna vrbs Asiæ terræ motu ruit: ad cuius instaurationem decennalis tributorum immunitas data.* Cùm autem vox græca ἀνείθη non significet decẽnalem immunitatem datam, sed immunitatẽ tantũ, credibile est in græco exẽplari Scaligeri aliquid desiderari ante vocem ἀνείθη, & S. Hieronymum integrius exemplar esse nactũ, in quo significaretur quanti temporis immunitas à tributis, ad vrbis reædificationem concederetur. Contra enim morem est, vt vrbi cuipiam aut ciuitati plena omnino & interminata tribuatur à tributis immunitas.

Iam, ne errãdi occasio tam ex binis Impp. quã ex similitudine nominum capiatur, scire oportet hũc terræ motum, quo Smyrna subuersa est, non accidisse imperantibus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio. Commodo fratribus (hoc enim nomen *Commodi* etiam L. Vero tributum est) sed M. Antonino, & L. Aurelio Commodo eius filio, in societatem regni, post Lucij Veri mortem, assumpto. Nam quòd ex vita S. Abercij, apud Simeonem Metaphrastem, & apud Laurentium Suriũ, videatur Smyrnensis terræ motus multò priùs accidisse, immo vrbem instauratam esse primis M. Antonini annis, id procul dubio ad alium terræ motum minoris, quàm hic fuit, dispendij referendum est. Nam ex antiquissimis Aristide & Philostrato & compluribus alijs testatissima esse cognoscitur Eusebij, de posterioribus M. Antonini & L. Aurelij Commodi eius filij temporibus, sententia. Nam Aristides quidem, dum Smyrnæ instaurationem sollicitat, dicit eam vrbem in flore suo & pulchritudine à M. Antonino Philosopho visam esse, atque inde cladis magnitudinem satis expendi posse. Atqui M. Antoninus in Asiam non est profectus, nisi post mortem Lucij Veri, vt ex Iulio Capitolino in ipsius M. Antonini Philosophi vita colligitur.

AC CETERI QVIDEM THEOXENIA CELEBRANT] Malè in vetustis græcis exemplaribus legitur diuisim Θεᾶ ξένια cùm sit vnica vox Θεοξένια, *Theoxenia*. De quibus ita Hesychius: Θεοξένια, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς. *Theoxenia sunt cõmunis celebritas omnibus Dijs.* Etiã inter sacra tempora recẽsentur à Iulio Polluce, in Onomastico, l. 1. cap. 1. his verbis: Καιροὶ δὲ ἱεροὶ, πανηγύρεις, ἑορταὶ, ἱερομηνίαι, θεοφάνεια, θεοξένια. *Tempora autem sacra sunt, panegyres, festiuitates, nouilunia, theophania, theoxenia.* Inscripsit Pindarus tertiam oden suam, Εἰς Θεοξένια. Vbi græcus interpres notat istud festum à Dioscoris Castore & Polluce institutum & appellatum, postquam Herculem hospitio excepissent ad Deos abeuntem, παρὰ τὸ δοκεῖν τότε ξενίζειν τοὺς θεούς. inquit, *quòd viderentur tunc hospitio Deos excepisse.*

NVNC EAM ZEPHYRI DESERTAM PERFLANT] Designat illis verbis simul & Smyrnæ solitudinem, & aëris in ea bonitatẽ. Scribit porrò Philostratus lib. 2. De vitis Sophistarum, in Aristide, M. Antoninum Imp. lecta Aristidis Monodia de Smyrna, identidem ingemuisse; vt autem ventum est ad illa verba: *ZEPHYRI VERO* &c. librũ ipsum lachrymis respersisse. En verba Philostrati: Οἰκιστὴν δὲ καὶ τὸν Ἀριστείδην τῆς Σμύρνης οὐκ ἀλαζὼν ἔπαινος, ἀλλὰ δικαιότατός τε καὶ ἀληθέστατος. Τὴν γὰρ πόλιν ταύτην ἀφανισθεῖσαν ὑπὸ σεισμῶν τε καὶ χασμάτων οὕτω τι ὠλοφύρατο πρὸς τὸν Μάρκον, ὡς τῇ μὲν ἄλλῃ μονῳδίᾳ θάμα ἐπιστενάξαι τὸν βασιλέα· ἐπὶ δὲ τοῦ, Ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσι, καὶ δάκρυα τῷ βιβλίῳ ἐπιστάξαι ξυνοικίαν τε τῇ πόλει ἐκ τῶν Ἀριστείδου ἐνδόσιμον ποιῆσαι. *Smyrnæ quidem conditorem vocare Aristidem, laudis est minimè arrogantis, sed iustissima ac verissima. Quippe qui eam ipsam vrbem terra motu atque hiatu subuersam ita apud Marcum deplorauerit; vt ipse Imperator, cum tota quidem reliqua monodia frequenter ingemuerit; tum verò ad illud, ZEPHYRI NVNC EAM DESERTAM PERFLANT, & lachrymis librum resperserit, & vrbis instaurationem ex Aristidis incentiuo aggressus sit.*

AD CAPVT XV.

AGit hoc caput de imitatione S. Polycarpi. Nihil enim meliùs, quàm imitari sanctos, vt & ipsi sanctum sanctorum. Ita vas electionis sentiebat, cùm sæpiùs diceret: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* In priore ad Corinthios, cap. 4. ver. 16. Et ad Philippenses, cap. 3. ver. 17. *Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Igitur & Polycarpum. Nam ita prorsus ambulauit, & ambulandum docuit. Plura autem exemplis quàm simillima exempla aggessi, vt non modò bonum esse iudicaretur, quod vnus fecisset: sed

1. Cor. 4. Ad Philipp. 3.

ſet: ſed etiā facile, quod multi. Atque ea quoque de cauſſa identſeci, vt audiremus (quēadmodum eſt apud Ezechielem) *vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*, hoc eſt, virorum ſanctorum mutuis virtutum exemplis inuicem incitantium, & velut edito multarum vocum clamore, alios ad eadem glorioſa facta cohortantium. Non eſt autem in exemplis à me productis difficultas, quæ moram exigat. Igitur ad ſequentia capita tranſeo.

Ezechielis cap. 3.

AD CAPVT XVI. ET XVII. & XVIII.

De Scripris. S. Polycarpi.

RΕcenſui ſuprà cap. 16. ſcripta omnia S. Polycarpi, quorum aliqua mentio ab Auctoribus facta eſt, ſiue illa iam extent, ſiue perierint. Si quis plura nouerit, mihi gratiſſimum fuerit edoceri. Capite autem 17 vnam eiuſdem beatiſſimi Martyris epiſtolā, *Ad Philippenſes*, græcè antehac ineditam attuli, non integram quidem illam (neſcio enim quâ ſcriptorum librariorum negligentiâ pars eius vna græcè interijt) ſed tamen tanti Martyris reſpectu, maximi faciendam. Laboraui, vt integram reperire poſſem, verùm non potui. Sed nec illi maxima in eiuſmodi requirendis diligentia notiſſimi, mihique amiciſſimi, Andreas Schottus ὁ μακαρίτης, & Iacobus Sirmondus nunc ſuperſtes, & SS. Patribus græcis neceſſarius, quorum exactæ editioni græco-latinæ in præſentia inſudat. Nam B. Theodoretum tam diu à doctis deſideratum atque expectatum, propediem in publicum audio eius ope atque operâ emittendum. Hic igitur ad me vnum exemplar epiſtolæ græcæ S. Polycarpi miſit; idque prorſus conforme illi, quod antè à Schotto noſtro acceperam: in vtroque autem aliena quædam (quod nec ipſos fefellit) ſiue ex epiſtola S. Barnabæ Apoſtoli, ſiue aliunde, per exſcribentium oſcitantiam, ne dicam vecordiam, adiecta & coniuncta ſic fuerant, vt vnicum videretur corpus epiſtolæ, nec aliud leuiter & curſim inſpicientibus crederetur, quàm tota eſſe epiſtola Polycarpi. Quæ ſi fuiſſet, certè vel triplo longior, quàm ea quę nunc extat, fuiſſet. Ac de illa quidem loqui Illuſtriſſimum Cardinalem Baronium in ſuis ad Romanum Martyrologiū annotationibus 26. Ianuarij crediderim, dum ſic ſcribit: *Extat inſignis epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, cuius meminit S. Hieronymus, quam pia memoriæ vir doctiſsimus, Franciſcus Turrianus Societatis IESV, longè prolixiorem illâ, quæ habetur typis excuſa, apud ſe eſſe græcè ſcriptam, cùm viueret, teſtatus eſt. Speramus eam vnà cum ceteris egregijs vetuſtatis monumentis, quæ ſummo labore collegit, propediem eſſe edendam.* Ita Baronius.

Atqui illa iam primùm prodit in hocce noſtro opere. Nam ex ipſius iā laudati Turriani apographo eam ante plurimos annos Romæ deſcripſit noſter Iacobus Sirmondus, atque illud ipſum exemplar tunc à ſe deſcriptum nuper ad me miſit, ego cum altero exemplari Andreæ Schotti collatum iam nunc in lucem emitto: nēpe quantum quidem eſt germanum Polycarpi. Nam exemplaris maiorem illam partem, quæ eſſe S. Barnabæ deprehenſa eſt, tanquam quæ huc non pertineat, miſſam facio. An verò aliqua exemplaria in Romanis bibliothecis reperiri poſſent, quę hoc immani librariorum errato carerent, ſtudioſè mea cauſſa & Iacobi Sirmondi rogatu perquiſiuit noſtrûm amborum amiciſſimus, Ludouicus Creſollius iam tum Romę degēs, qui reſcripſit conſulta ab ſe & inſpecta fuiſſe exemplaria M. S. tum Vaticanæ bibliothecæ, tum etiam Ducis Altemps (quæ antea fuerat Cardinalis Columnæ) atque in vtriſque idem ſe obſeruaſſe, quod in P. Turriani apographo, ex quo olim epiſtolam illam deſcripſerat ipſe Sirmōdus: nempe priorē partem eſſe S. Polycarpi, poſteriorem longè maximam, S. Barnabæ. Ex quo apparet in illis exemplaribus vitium hoc primitus fuiſſe. Codicem enim Columnęum antiquiſſimum eſſe affirmant. Integram tamen S. Polycarpi epiſtolam græcè in Germania fuiſſe conſtat, ex verſione latina multis abhuc annis Baſileę in lucem edita: nimirum ea, quæ in Μικροπρεσβυτικῷ per Henricum Petrum anno ſalutis M. D. L. prodijt. Vtinam & græcè tū prodijſſet! aut interpres ſaltem iam notus eſſet! Veſtigia fortaſſis aliqua apparerent, quibus ad græci exemplaris, quo ipſe vſus eſt, cæca latibula perueniri poſſet. Mea quidem coniectura eſt, illud alicubi, in Germania (niſi ſi funditus fortè interierit) etiamnum deliteſcere. Tanto autem illius græci exemplaris iactura eſt grauior, quanto is, qui in latinum primus vertit, rudior & bene vertendi ignarior fuit.

Iam verò, vt de latina beatiſſimi Polycarpi epiſtola, quæ nunc paſſim extat, liberè dicam, quid ſentiam; videtur mihi illa eſſe integra, nec in ea quicquam deſiderari, niſi peritia aut diligentia interpretis, quæ quidem ſuppleri poſſet, ſi tota & integra è latebris ſuis græcè emicaret. Nam latinè emiſſam eſſe integram, cùm antè tantùm imperfecta prodijſſet, teſtatus eſt vir inſigni doctrina & pietate Alphonſus Salmeron, ille vnus è primis S. Ignatij, Fundatoris Societatis noſtræ ſocijs, qui & Concilio Tridentino ſub tribus Pontificibus, ſedis Apoſtolicæ nomine inteſuit, is, inquam, tomo 15. ſuorum operum, in commentario ſuper epiſtola Paulli ad Philippenſes (quos ob epiſtolas non ſolùm à Paullo, ſed etiam ab Ignatio & Polycarpo receptas prædicat) ſua ætate integram prodijſſe teſtatus eſt hiſce verbis: *Tertiam quoque à Po-*

à Polycarpo Ioannis Euangelistæ discipulo, & Smyrnæ Episcopo acceperunt Philippenses epistolam, quæ etsi mutila & decurtata olim ederetur à Typographis, iam integra & plena restituta est: in qua epistolæ Paulli ad eos missæ mentionem facit his verbis: Propterea, quia neque ego, neque similis alius mei poterit sequi sapientiam beati & gloriosi Paulli, qui fuit apud vos, & visus est secundùm faciem illis, qui tunc erant, hominibus: qui docuit certissimè atque firmissimè verbum veritatis: qui & absens scripsit vobis epistolas: ad quas deflectimini, vt possitis ædificari in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, procedente dilectione, quæ est in Deo, & in Christo, & in proximo. Hæc ille, quæ desumpta sunt verbo tenus ex editione citati suprà Μικρ... (?), siue, *Veterum quorũdam breuium Theologorum Elenchi.*

Hactenus de S. Polycarpi epistola ad Philippenses: in qua cùm color & lineamenta, quibus eam Irenæus, Eusebius, & Photius describunt, reperiantur, quin ipsius Martyris germana sit, dubitari non potest. Nam & forma fidei eius, atque prædicatio veritatis, (quam Irenæus inde posse addisci admonet) clarè in ea elucet: & testimonia, (quæ illic citari è priore Petri epistola Eusebius docet) multa compârent: & frequentes commonitiones cũ perspicuitate sermonis atque simplicitate, iuxta ecclesiasticam interpretandi formam, (quibus eam abundare Photius profitetur) passim sese offerunt atque ostentant: ita vt ad perfectam eius recognitionem vix desiderari amplius quicquam possit. Quòd si quis longiorem requirat; per me licet, requirat, & inueniam (quod summopere exopto) exhibeat. Perlibenter enim tantum bonum depositione opinionis meæ, cui nec mordicus adhæreo, paciscar. Græca porrò epistola integra, & æqualis latinæ hic suprà cap. XVII. vitæ, à nobis exhibitæ, si vspiam reperienda est; maximè, vt dixi, in Germania, vnde & latina processit. Id autem votis omnibus exoptandum est, quò vetus latina interpretatio nonnullis locis hiulca, & obscura, & parum cohærens corrigi valeat, & emendari. Satis de isto capite.

Iam ad caput XVIII. in quo Responsionum S. Polycarpi fragmenta proferuntur, quod attinet; vellem & illa græcè reperiri! Nam & clariora fieri latina possent, & nonnulla fortè illis assuta, commodè recidi. Quin enim postremum illud membrum, quod secundo fragmẽto super Matthæi verbis, CALICEM MEVM BIBETIS, adiacet, nempe hoc totum: *Legitur & in dolio feruentis olei, pro nomine Christi, beatus Ioannes fuisse demersus.* quin postremum, inquam, illud mẽbrum responsionibus Polycarpi, aliena manu assutum sit, nequaquam dubito. Neque enim Polycarpus, qui omnia B. Ioannis acta, tanquam eius discipulus, vel videbat ipse, vel ex eo audiebat, vel ex comitibus addiscebat, neque enim, inquam, scripsisset, *Legitur*, quasi scilicet id non aliunde, quàm ex libris sciret; sed potiùs simpliciter atque absolutè dixisset: *Idem Ioannes in dolio feruentis olei, pro Christi nomine, demersus fuit.* Quod lõgè maiorem vim haberet, quàm istud *Legitur.* Est enim hæc vox de rebus ante nostra tempora præteritis; non verò de ijs quę nostra memoria, nobisque viuentibus, & fere videntibus, circa amicos nostros & magistros accidunt.

AD CAPVT XIX.

De excerptis è Menæo.

DVo potissimè circa Menæi verba in medio à nobis posita, ne quis à vero aberret, videntur notatu necessaria.

Vnum de die martyrij.

Alterum de Imperatore, quo id accidit.

Nam ad prius quod attinet, videtur hic versus suprà laudatus, & in mense Februario recitatus,

Εἰκάδι κὴ τελάτῃ κὴ φλὸξ Πολύκαρπον ἔκαυσεν.

Vicenâ & trinâ Polycarpus luce crematur.

assignare Polycarpi martyrium vigesimo tertio Februarij, cùm tamen verissima eiusdem martyrij Acta referant, Polycarpum ipso die magni sabbati esse passum: quod sabbatum à Chronico Alexandrino ponitur VII. cal. Apriles, ac consequenter in Martio, non in Februario. Nec sanè vllo modo potuit magnum sabbatũ (sic enim vocatur illud, quod festo Paschæ est proximum) incidere in mẽsem Februarium, sed necessariò in Martium aut Aprilem: quandoquidem Paschæ festum à Iudæis, atque itidem à Catholicis Asianis, celebraretur lunâ 14. Martij, priùs autem nequaquam. Vsque ad concilium enim Nicænum primum, quod quartò sæculo celebratum est, retinuerunt Asiani (quemadmodum suprà cap. X. Vitæ, itémque Notationum indicaui) eundem diem, quem Iudæi obseruabant, idque exemplo S. Ioannis Euangelistæ, successorúmque in Asia Episcoporum, se facere protestati sunt.

Quocirca versus ille modò allatus sic intelligendus est: *Polycarpi flammis cremati, seu martyrium inter ignes passi, memoria celebratur 23. Februarij.* Ita & Martyrologium Romanum, quod vigesimo sexto Ianuarij diem eius natalem adscribit. Ita & quicumque alio mense, quàm Martio, eius recolunt memoriam, siue id propter eius diem festum primitus tali die celebrari cœptum, siue propter aliquam Reliquiarum eius eleuationem aut translationem, siue alia quauis de caussa nobis adhuc incognita.

Alterum autem, quod in eodem Menæo obser-

obseruari debet, est ingens illud erratum, quo dicit Polycarpum sub Decio Imp. esse passum. Sic enim habet: Ἐν δὲ τῷ κατὰ Δέκιον διωγμῷ συλληφθεὶς. &c. *In persecutione Decij comprehensus.* &c. vt suprà. Atqui eum longè antè passum esse constat: nimirum sub M. Aurelio Antonino & L. Vero, quos inter & Decium Imp. cùm octoginta circiter annorum intercesserit spatium, multos quoque intercessisse Imperatores necessum est, sed hic eos enumerare non necessarium. Nec infrequens est hic error in ijs Scriptoribus, qui Sanctorum vitas aut ex singularũ ecclesiarum Actis negligentiùs exaratis collegerunt, aut ex maiorũ traditione obliuioni circũstantiarum obnoxiâ perceperunt. Sic Gregorius Turonensis lib. I. historiæ Francorum, multos sub Decio Imp. mortem passos scribit, intérque alios S. Trophimum, veterem S. Paulli Apostoli discipulum, quos tamen ampliùs quàm centum antè annis passos liquet. Sic alij quidam nonnullos sub Domitiano Imp. constituerunt, qui ab eo integris nonnunquam sæculis abfuerunt. Quorum quidem errorum originem nullam suspicor esse aliam, quàm primorum Scriptorum negligentiam, & posterorum ignorantiam: quorum hos quidem aliquatenus excusatos habeo, propter rerum antiquarum obscuritatem, illos autem propter curarum inter persecutiones multitudinem. Fuerunt enim aliquando ea tempora, quibus magis liberet hominibus agere & pati scribenda, quàm scribere, & posteris tradere imitanda. Vtrumque autem nunc, dum licet, præstare nostrum est. Ita piorum votis adsit, & Scriptores iuuet Deus.

NOTATIONVM AD VITAM

SANCTI POLYCARPI

SMYRNÆORVM EPISCOPI ET MARTYRIS.

FINIS.

TRES

TRES BREVIORES VITÆ SANCTORVM SCRIPTORVM PRIMI SÆCVLI.

S. HIEROTHEI ATHENARVM EPISCOPI, ET MAGISTRI S. DIONYSII AREOPAGITÆ.

S. PAPIÆ EPISCOPI HIERAPOLITANI, DISCIPVLI S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

S. QVADRATI ATHENARVM EPISCOPI ET MARTYRIS.

SANCTI HIEROTHEI, ATHENARUM EPISCOPI

VITA.

E SEQVENTIBVS AVCTORIBVS CONFLATA.

IPsomet S. Hierotheo.
S. Dionysio Areopagita.
Flauio Lucio Dextro.
S. Maximo Martyre.
Michaële Syncello.
Georgio Pachymera.
Martyrologijs Latinorum.
Menęo & Menologio Gręcorum.
Marsilio Ficino.
Ioanne Pico Mirandula.
Bessarione Cardinale.
Cæsare Baronio Cardinale.
Francisco Biuario Dextri commentatore.

ILLVSTRIVM AVCTORVM TESTIMONIA.

S. Dionysij Areopagitæ.

L. De diuinis nominibus cap. 2.

TΑῦτα δὲ ἡμῖν τε ἐν ἄλλοις ἱκανῶς εἴρηται, καὶ τῷ κλεινῷ καθηγεμόνι κατὰ τὰς θεολογικὰς αὐτοῦ στοιχειώσεις ὕμνηται λίαν ὑπερφυῶς.

Hac & à nobis alibi sufficienter dicta sunt, & ab inclito Præceptore Hierotheo eximiè admodum celebrata.

Flauij Lucij Dextri.

In chronico circa annum Christi 71.

S. Hierotheus natione Hispanus (quem à Paullo conuersum discipuli sui gloria clarum fecit) ad Hispanias se contulit: priùs Episcopus Atheniensis, pòst Segouiæ in Areuacis Episcopus, sanctitate mirandus habetur.

S. Maximi Martyris.

In cap. 4. De diuinis nominibus.

Ἐπίστησον, ὅπως ὁ μέγας Ἱερόθεος τὰ περὶ τοῦ ἐπαινετοῦ ἔρωτος ἄριστα φιλοσοφεῖ, πρῶτον μὲν θεῖον αὐτὸν λέγων. &c.

Noueris quo pacto magnus Hierotheus de laudabili amore optimè disserat, primò quidem diuinum eum vocans. &c.

Michaëlis Syncelli.

In encomio S. Dionysij.

Παρὰ Ἱερόθεον τὸν θεόληπτον φοιτᾷ καθηγεμόνι· οὗ καὶ δι᾽ ἐγκωμίων αὐτὸς ἐν τοῖς θεολογικοῖς αὐτοῦ μέμνηται συγγράμμασι· καὶ τοῖς κατὰ θεὸν διαβήμασι καταρτίζεται.

Ad Hierotheum illum numine correptum, Præceptorem suum ventitat (cuius & in scriptis suis Theologicis cum laude meminit) ac diuinis institutis informatur.

Georgij Pachymeræ.

In paraphrasi, lib. De diuinis nom. c. 4.

Ἐφεξῆς τίθησι καὶ μαρτυρίαν τῶν λεγομένων ἐκ τοῦ θείου Ἱεροθέου.

Proponit deinceps de ijs, quæ tractantur, testimonium è diuino Hierotheo.

Marsilij Ficini.

Lib. De Christiana Religione, c. 22.

EGo certè reperi præcipua Numenij, Philonis, Plotini, Iamblichi, Proculi mysteria ab Ioanne, Paullo, Hierotheo, Dionysio Areopagita accepta fuisse.

Eiusdem.

In comment. ad lib. De diuinis nom.

VEnerati sunt Pythagoram Pythagorici, & Plato Socratem, multo magis Dionysius Hierotheum.

Ioannis Pici Mirandulæ.

In Heptaplo, proœmio libri tertij.

INterea Dionysij vestigijs insistentes, aut Paulli potiùs & Hierothei, quos ille est secutus, conabimur tenebris legis (quas auctor legis Spiritus Dei posuit latibulum suum) pro nostra imbecillitate lucem inuehere.

Bessarionis Cardinalis.

Lib. 2. pro Philosophia Platonis, c. 3.

VIr sanctissimus Dionysius Areopagita, qui primus & summus Christianæ Theologiæ auctor fuit, neminem ante se habuit diuinarum rerum Scriptorem, præter Apostolum Paullum, & Hierotheum Athenarum Pontificem: quibus ipse Præceptoribus vsus est.

Cæsaris Baronij Cardinalis.

NOuos piósque conscribere atque cantare sacros hymnos, non crimini, sed laudi datum est à maioribus nostris, ab ipsis Apostolorum temporibus. Quo nomine Hierotheus ille magnus excelluit.

SANCTI HIEROTHEI, ATHENARVM EPISCOPI VITA.

PRÆFATIO.

DAtus esset beato Hierotheo, secundùm Apostolos & Euangelistas, primus inter sacros Ecclesiæ Græcæ Scriptores locus; si ipsius vel Actæ vitæ, vel ingenij monumenta hactenus perennaßent. Verum, vt multa eius aut perquàm docta & sancta, præter tenuem magnarum virtutum vmbram, & pauculas diuinorum scriptorum tabulas, omnia periere. Quas tamen tabulas, pro debito tanti viri cultu & reuerentia, prout quidem licuit, velut è naufragio recollectas, in vnum corpus redigere laboraui: vt hæ scilicet qualescumque rerum eius atque scriptorum reliquiæ, gratam hominis Apostolici memoriã ac veneratione͂, cum aliquo pietatis fructu, lectoribus exhiberent.

CAPVT PRIMVM.

HIEROTHEI ÆTAS, PATRIA, GENVS, STVDIA, HONORES.

HIEROTHEVS AVGVSTO IMP. NATVS.

NOn potest quidem natiuitatis HIEROTHEI certus dies, neque exactus annus reperiri: potest tamen ex minimè vanâ cõiectura, saltẽ Christo[a] Domino in terris superstite, & Augusto Octauiano imperãte dici natus. Quippe qui Dionysio Areopagitæ vel ætate æqualis fuerit, vel aliquãto maior: quandoquidẽ dux ipsi ad Fidem, aut magister in Fide extiterit. Fuit porrò Hierotheus natione Græcus, ciuitate Atheniensis, claritate stirpis, & ingenij morúmque bonitate illustris. Quæ præclaræ animi dotes apud nõnullas nationes effecerunt, vt primam eius originem atque stirpem sibi vindicare vellent, neque pacificam natalium tãti viri possessionem Atheniensibus relinquere. Quorum quidem vt laudandum est erga Sanctos studium; ita nobis tenenda veritas, & ius suum Athenis relinquendum. Optimo igitur loco natus, & in vrbe omniũ scientiarum principe educatus, litteras ibidẽ à prima pueritia perdidicit, atque in artibus humanioribus pro ingenij præstantia facilè inter

FVIT ATHENIENSIS.

inter æquales suos excelluit. Ab his autem studijs, corroborata iam ætate ad altiores disciplinas erexit animum, ac se in Philosophorū spatijs sanè quàm diligenter exercuit. Nam varijs eorum sectis,

FVIT SECTA PLATONICVS.

quantùm ad eas probè discernendas internoscendásque satis esset, delibatis,[b] Platonicam præcipuè ac singulariter adamauit, vnicè constantérque coluit, atque ad supremum eius fastigium studio indefesso aspirauit, adeoque feliciter, si quisquam alius, omnino pertigit. Post hæc autem incessit animum egregiâ excultū doctrinâ vehemens cupido honorum atque laudis. Quare non ignarus, quanta esset in vrbe sua, immo in omni orbe terrarum, Senatus Areopagi auctoritas atque existimatio (ad quorum scilicet sententias atque iudicia, velut ad certissima quædam oracula, vndique terrarum cursus esset) incredibili eius adipiscendæ dignitatis studio incensus, animum ad eos petendos honores adiecit, qui viam ad summum illum gradum sibi communirent. Igitur perhibito varijs occasionibus, virtutis suæ, eruditionísque idoneo specimine, inter Archontas allegi petijt, & auspicatò allectus est. In quo magistratu ita se gessit, ita ius dixit, ita denique vitam omnem ad exactæ virtutis normam composuit; vt nihil in reddenda administrati magistratus ratione (nec enim aliter ad superiorem honoris gradum patebat vlli ascensus) nec in vita, nec in moribus, nec in rebus gestis deprehēsum sit, quod eū à capessendo[c] Areopagi supremo Ordine, vel iure impediret, vel vllatenus retardaret.

ALLECTVS EST IN ORDINEM AREOPAGI.

Quocirca in sanctissimū illud atque augustissimum (vti tum habebatur) Areopagi consilium merito suo est cooptatus. Ex qua quidem cooptatione (vt veteres Græci sentiunt, docéntque) & claritas generis, & ingenij excellentia, & eruditionis eminentia, & rei familiaris copia, quin & patria ipsa maiorésque, vt nullo alio sit testimonio in his opus, abundè comprobantur. Nam cùm Athenienses præ cunctis ferè gentibus originem suā ac nobilitatem mirè iactarent,[d] ac se vocabulo suo *αὐτόχθονας*, hoc est, è terra sua primitus genitos, siue indigenas, nō colonos, nō aduenas, prædicarent; séque adeo solos ex omnibus nationibus, ob natalis soli prærogatiuam, inclytæ esse nobilitatis (comâ etiam hanc in rem aureis cicadis oneratâ potiùs quàm ornatâ) ostētarent; hinc inter eos antiquitus inualuit, vti ad obtinendam Areopagi dignitatem non minus ciuitatis Athenarum, quàm aliorum quorumlibet titulorum habendam esse rationem existimarent; nemíníque, qui ciuis Atheniensis non esset, atque ex maioribus Atheniensibus prognatus, locum in Areopago concederent. Cùm verò haud exiguus esset horum Areopagitarum numerus[e] (propterea quòd nonnulli ex Archontibus in eum Ordinem quotannis allegerentur) nouémque inter illos principali pollerent auctoritate, vnus ex horum numero fuisse Hierotheus perhibetur. Sed quonam pacto vir tantus petitos & adeptos honores postmodum dimiserit

serit, & collectam virtute & benefactis gratiam atque gloriam parui fecerit, necnon diuitias deliciásque pro nihilo duxerit: denique sacris patrijs & ritibus gentilitijs valere iussis, vnam Christi fidem, & despectæ Crucis ignominiam rebus omnibus prætulerit, breuiter est inquirendum.

CAPVT II.

Hierothei ad Christi Fidem conuersio, eruditio, Episcopatus.

GEneroso prorsus animo fuisse Hierotheum necesse est, qui à summis Areopagi honoribus ad despectam Christi legem; & à mundi opibus ad ecclesiæ paupertatẽ non veritus sit descendere. Fortia enim sunt & eluctatu admodum difficilia, præsertim in hominibus Gentilibus, magnorum honorum atque opum vincula. Neque his minùs fortasse Deorũ penatium auitæ superstitiones, & mysteriorũ Cereris consueti ritus eũ suis vinctum compedibus detinebant. Nam illum (vti & alios omnes Areopagitas, atque ipsum quoque Dionysium)[a] sacris initiatum fuisse Eleusinijs minimè dubitandum est.[b] Quippe prisca hæc fides erat, ac recepta inter Græcos omnes, non modò Athenienses, persuasio; eos qui istis essent initiati mysterijs, non solùm feliciter ac prosperè vitam hanc esse decursuros, sed etiam in morte ipsa, (quam adipiscerentur, qualem vellent) itidémque post mortem æuo supra vulgus beato fruituros. Quò fiebat, vt & ipsi interdum Imperatores Romani ijsdem se initiari sacris vellent. Quis igitur hæc tot tantáque dirumpere Hierothei viri clarissimi vincula potuit? Quis à Deorum, Dearúmque multitudine ad vnius & solius cultum, hominem alta sapientem deuocare? Nempe beatus Paullus Christi IESV Apostolus id potuit, & Dei virtute perfecit. Quâ enim pollebat diuinâ eloquẽtiâ, primò Deorum, Dearúmque, quos ille magni faciebat, vanitatem & inanes fabulas, clariùs ipsa luce ostendit: deinde vnicum esse Deum verum, totius vniuersi conditorẽ euicit, nec fieri vllo modo posse, neque admitti debere plures esse Deos, multis, solidísque rationibus comprobauit. Verùm vt ad IESV Christi, eiúsque inter latrones crucifixi asserendam diuinitatem ventum est (id quod Gentibus visa semper est stultitia) hic maiori molimine ad tantam rem euincendam opus fuit. Nam armatus hìc erat Hierotheus, & multa ex aduerso tela intorquebat. Vicit tamẽ longè potentioribus instructus armis Apostolus, non carnalibus nimirum, sed spiritualibus ac diuinis vti solitus, quemadmodum ipse de se quadam alia occasione prædicat. *Nam arma militiæ nostræ*, inquit, *non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuita-*

INITIATVS FVIT MYSTERIIS ELEVSINIIS.

A S. PAVLLO AD CHRISTVM CONVERSVS EST

2 ad Cor. 10. [illegible] ver. 3.

tem

tem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Quod sanè si in alijs, maximè in duobus Areopagitis, Hierotheo & Dionysio, prostratis mundanæ philosophiæ munitionibus;& armis,in quibus confidebant, ereptis diuinitus præstitit. Tametsi autem qua in regione inciderit Hierotheus in Paullum, ab eóque deuictus sit, & Christo adiunctus, litteris proditum non sit; tamen quin prius S. Dionysio, & alibi quàm Athenis ab eo captus sit, atque ad ecclesiã traductus,nequaquam dubium est. Nam in primo B. Paulli Athenas aduentu [c] vnicus ex Areopago Senator Dionysius illi adhæsit: Hierotheus autẽ iam antehac sub eiusdẽ Apostoli disciplina vsque adeo profecerat, vt & magisterio idoneus & tradẽdæ Fidei doctrinæ aptus esset.Hinc & Dionysius sese ab illo tanquam insigni Christianæ Religionis magistro non mediocriter adiutum profitetur, & ipsi secundùm Paullum præcipuam altiorum fidei mysteriorum perceptionem acceptam refert. Ipsum igitur idem beatus Apostolus vti ætate, sic & prudentia grauem, necnon in sacris litteris(quas studiosè peruoluerat) satis versatum,[d]Atheniensi ecclesiæ iam primùm nascenti ducem ac pastorem præfecit. Tum verò illum vidisses, quadam præceptoris sui æmulatione, omnia omnibus factum, vt omnes lucrifaceret. Vidisses cum humilibus ac simplicibus humiliter ac simpliciter conuersantẽ, eósque faciliore doctrina,velut lacte pascentem. Vidisses cum viris grauibus ac sapientibus simili assumpta persona grauiter ac sapienter, partim de philosophicis ipsorum opinionibus differentem;partim de diuinioribus noui legislatoris, Christi Domini scilicet præceptis, cum eorum admiratione disputantem. Nam vt res nouas & illis inauditas afferebat, ita validissimis ad persuadendum argumentis magna cum grauitate asserebat. Denique rara quędam ac singularis dicendi facultas,ac permouendi vis in eo extitisse,ab eodẽ magno Dionysio perhibetur. [e] *Hinc fiebat,* inquit, *vt si quando ad multitudinem verba illi facienda essent, si turba Gẽtilium ad fidei notitiã deducenda,si rerum Christianarum rudes instruendi, si Religionis mysteria explicanda, & rationibus similitudinibúsue illustranda; hic vnus inter alios polleret plurimùm, atque,* vt idem testatus est Dionysius, *plerisque omnibus sanctis doctoribus,tam mentis puritate, quàm multa rerum experientia, & efficacitate argumentorum longè anteiret,* Hinc & illum [f] modò *magnum solem* (quasi nimirum alijs eius æui Pontificibus ac Magistris velut sol astris prælucerct) [g] modò *verè ac congruè Hierotheum*,id est, sacrum quendam deum, tanquam scilicet humano fastigio celsius quippiam obtineret, vulgò appellitabat. Vnde & eius quoque libros & sacra monumenta, [h] quasi altera scripta diuina, & Apostolorũ proxima oraculis ęstimabat ac venerabatur. Ex quibus sanè manifestò deduci potest, quamuis expressè in litteras datum non sit, quàm multos à cæcis errorum tenebris ad claram Euangelij lucem magnus ille sol adduxerit,

HIEROTHEVS FIT A PAVLLO EPISCOPVS ATHENIENSIS.

DIONYSII AREOPAGITÆ DE HIEROTHEO TESTIMONIVM.

LIBRORVM HIEROTHEI COMMENDATIO.

xerit, cui præter egregiam ſacrarum Scripturarum peritiam, præter multam ac diuturnam cum Apoſtolis conſuetudinem, præter incontaminatum perſpicacis animi nitorem (quo mundiſſimi inſtar ſpeculi cæleſtes diuinarum inſpirationum radios, & in ſeipſum facillimè admittebat, & ad alios luculẽtiſſimè transfundebat) ſingularis quoque docendi, & concionandi, & perſuadendi vis acceſſerat. Multùm proinde Athenienſis eccleſia Hierotheo debet, qui ipſam in ſuis primordijs vix dum natam ſuſcepit, fouit, coagmentauit. Haud multis quidem annis, verum eſt; ſed labore multo & in periculis multis. Nihil enim fere in magnis rebus atque arduis difficilius, quàm initia. Hinc illa ſibi Apoſtoli, quibus vires ſpiritus maiores erant, potiſſimè aſſumpſerunt: iiſque alicubi poſitis, datâ alijs ſuperædificandi curâ, aliò immigrarunt, & noua itidem erigendarum eccleſiarũ fundamenta poſuerunt. Quod & ipſorum ſucceſſores viri Apoſtolici, illis è medio ſublatis, per eorum gradientes veſtigia facere inſtiterũt. Quo factũ eſt, vt cùm nõ longo tempore in ſingulis hærerẽt locis, ſed alia atque alia feſtinatis euangelij ſationibus percurrerẽt, in obſcuro reliquerint, vbinã Epiſcopatus ſui ſedem ac domiciliũ ſtatuiſſent. Ea ſcilicet cauſſa eſt, quamobrem tacito à nõnullis S. Hierothei nomine, primi Athenarum Epiſcopi gloria magno Dionyſio obuenerit: quòd ipſe nimirum, digreſſo in alias terras Hierotheo, longè diutius Athenis ad eccleſiam inibi ordinatè digerendam ac ſolidè confirmandam permanſerit. Quonam autem terrarum idem Hierotheus, poſt ſuum Athenis diſceſſum euangelij cauſſâ abierit, quáſue res inibi geſſerit, tum dicemus, cùm præclaram apud ſepulchrum beatiſſimę Virginis Matris partam ab eo gloriam (hæc enim omnibus præuerti vult) breuiter explicuerimus.

ATHENÆ S. HIEROTHEO MVLTVM OBLIGATÆ.

CAVSSA ET ORIGO CONTROVERSIÆ DE PRIMO ATHENARVM EPISCOPO.

CAPVT III.

Beati Hierothei ad exceſſum & exequias Virginis Matris, acceſſus & obſequium.

SOlet illuſtrium perſonarum è vita imminens diſceſſio multos ad ſe mortales excitare; nonnullos officij præſtãdi gratia, quoſdam recipiendi beneficij, aliquos intuẽdi virtutis exempli, alios denique benedictionis & extremorum in morte mandatorum excipiendorum. Quæ omnia in Virgine Matre, vt in quodam orbis miraculo, peculiari quadam ratione locum habuerũt. Hinc longè maximus vndiquaque mortalium, quibus hęc emigratio innotuit, ad eius ædes cõcurſus fuit. Innotuit autẽ nõ quibuſlibet, ſed teſtibus à Deo præordinatis. Nec enim ipſe beatiſſimam matrem ſuam premi voluit multitudine, ſed honorari ſanctitate. Solis igitur innotuit virtute iuxtà & dignitate eximijs, primò Apoſtolis tum ſuperſtitibus,

tibus, deinde quibusdam alijs, partim Domini, partim Apostolorũ discipulis, intérque illos etiam Hierotheo, viro sapientia, grauitate, sanctimonia in paucis claro. Qui omnes diuino spiritu afflati ad montẽ Siõ, atque ad religiosissimas illas ædes, (vbi VIRGO sanctissima cum beato Ioanne, dilecto Christi IESV discipulo, & in alterum filiũ apud vnigeniti Crucem sibi dato iam diu degebat, & resolutionem tabernaculi sui expectabat) festinatò conuenerunt. Ibi eam in thalamo suo diuini amoris faces iaculantem conspexerunt: ibi sacra eius eloquia dulciora super mel & fauum cupidis auribus imbiberunt: ibi diuina responsa super ecclesiæ statu, ibi extrema mãdata de rebus ad Dei honorem sedulò præstandis, auidissimè exceperunt: denique optatissima eius benedictione impertiti, à se excedentem vniuersi orbis gloriam gemitu & lachrymis prosecuti sunt. Inde studium, ad exequias suæ omnium matri ac reginæ, quanto maximo pietatis cultu adornandas, conuersum est. Ibi verò post virgineũ corpus, ex more sanctorum, sepulturę traditum, & post iusta ritè persoluta, cœpit omnis ille iustorum chorus, qui ibi aderat, partim in ipsius Virginis, quæ tam purum atque intaminatum prębuerat Deo habitaculũ; partim in Dei, qui exerto potentiæ suæ brachio tam magna illi fecerat, laudes effundi. Cùm igitur tridui spatio pij hymni in tantę matris honorem à toto illo sanctissimorum virorum consessu, vt cuiusque pietas & vires animi ferebant, certatim concinerentur; vnus inter illos Hierotheus secundùm Apostolos sed proximè Apostolis, insignem decantatorum à se hymnorum gloriam retulit. Ita enim (iudice quidem, & oculato simul auritóque teste, magno Dionysio) ita, inquam, excellebat; ita rapiebatur à sensibus; ita mente excedebat; ita diuinis eloquijs, agitante intus spiritu, ebulliebat; vt cunctis audiẽtibus, seu notis, seu ignotis, prorsus sacro numine correptus, ac planè diuinus laudator iudicaretur. Quin & Timotheus, ille beati Paulli veteranus comes atque discipulus, istis diuini Hierothei præconijs adeo permotus animo fuit, vt eorũ diu retinuerit, fouerítque frequẽti cõmemoratione memoriã. Quippe ex cuius ore, lætâ recordatione illa repetentis, ipse audiuisse Dionysius nonnullas eorum partes in libris suis cõmeminit. Hinc proinde quanta eiusdem Hierothei fuerit virtutis eminentia, satis datur intelligi; quandoquidem tam magnis & spectatis viris fuerit admirabilis. Videntur porrò isti hymnorum eius auditores & admiratores caussam ei præbuisse [b] plurium eiusmodi hymnorum in lucem edendorum. Hos autem S. Dionysius permagni fecit, cõseruauit, posteris commendauit: sed posteri quamuis laudatissimos temporum iniuria perdiderunt. Hoc tamen vnum magnus Hierotheus reliqui habet, quòd hodiéque, ab exemplo primitus dato, omnium sacrorum hymnographorũ dux & princeps habeatur. Quorum hymnorum si quis aliquem fortè gustum appetat, nonnulla fra-

EXEQVIÆ B. VIRGINIS.

S. Hierothei laus.

HYMNORVM SACRORVM VSVS.

fragmenta paullò inferius in medio proponemus. Iam enim ad extremos eius labores & peregrinationes properamus.

CAPVT IV.

S. HIEROTHEVS, post excultam laboribus suis Græciam, proficiscitur in Hispaniam, administratóque ibidem Segouiæ Episcopatu, sanctè moritur.

CVm instituisset Hierotheus Ordinis Apostolici formam vitæ, moribúsque repræsentare quàm simillimis; noluit vnica in vrbe perpetuum figere domicilium, neque industriæ suæ labores angustis certæ alicuius prouinciæ finibus terminare; sed corde diuinitus dilatato, quantascunque posset terras caritatis suæ brachijs circumplecti, & sparsa diuini euangelij luce circumfundere. Græciã igitur primò peragrauit, eámque acceptâ ab Apostolis Magistris suis fidei doctrinâ sedulò imbuit: neque id verbo duntaxat, sed & scripto. Antequam enim inde solueret, [a]præcipua eruditionis Christianæ puncta litteris tradidit, quibus genti suæ vel absens prodesset. Quod magnæ tum caritatis, tum prudentiæ fuit. Ea porrò erant eiusmodi, vt partim mediocribus, partim magnis ingenijs cõuenirent: his tamen potiùs, & maiori ex parte quàm illis: propterea scilicet quòd vereretur, ne si illa facilè à vulgo caperẽtur, facilè quoque ad homines à fide extraneos emanarent: ipsi autem sine magistro, & illotis, quod aiunt, manibus ea voluentes, pro debito illis respectu ac reuerentia, ludibrio & contemptu exciperent, & vt porci margaritas, pedibus conculcarent. Quare libris illis, quali tum decebat stilo exaratis, atque Dionysio Areopagitæ, discipulo suo vnicè dilecto commendatis, in alias abijt regiones, transcursáque Italiâ atque Galliâ [b] penetrauit in Hispaniam. Ibi enim fuisse, ac semen euangelij longè latéque sparsisse satis constat: sed in Areuacis potissimùm (ij sunt Hispaniæ Tarraconensis populi) consedit, sedémque Episcopatus Segouiam vrbem inter ipsos sitam elegit. Vnde & primus Segouiensis Episcopus in Antistitum serie, non ementita laude, conscriptus reperitur. Hunc igitur populum à plurium deorum superstitione ad vnius veri Dei cultum ac religionem, & à feris barbarísque moribus ad humanam æquitatem, & ad vitæ Christianæ mansuetudinem modestiámque traduxit. De ceteris rebus ab eo prçclarè gestis, déque prophetiæ dono, (quo ipsum diuinitus muneratum esse eius auditor S. Dionysius non obscurè indicat) ac de alijs item à Deo concessis ei muneribus, nihil speciatim memoriç proditum est: sed ipsum vitæ suæ in sanctis laboribus ac studijs gnauiter traductæ finem beatissimum, aureæ instar coronidis, imposuisse, nimis exploratum habetur. Quippe cuius nomen inter eos Sanctos

S. HIEROTHEI SCRIPTA.

S. HIEROTHEVS EVANGELIVM IN AREVACIS PRÆDICAT.

Dionysius lib. De diuinis nominibus c. 2.

ctos relatum est, qui sacris ab ecclesia honoribus, seu solemni memoria, tam in Græcis, quàm in Latinis martyrologijs celebrantur. In Romano quidem ad diem quartam Octobris perpaucis hoc modo: *Athenis, S. Hierothei, discipuli beati Paulli Apostoli.* Sed in Menologio plenius: *Natalis sancti Patris nostri Hierothei, qui fuit vnus è numero Areopagitarum, qui ab Apostolo Paullo instructus, magnum illum Dionysium Areopagitam Christi fide instruxit. Cum autem bene & religiosè vixisset, migrauit ad Dominum.* Sic ibi. De loco autem vel tempore vel modo emigrationis nihil satis compertum est. Nam licet sacratissimum eius caput nunc possideat Hispania, & illo tanquam preciosissimo pignore meritò glorietur: tamen antiquitus è Græcia sumptum esse, ipsa inscriptio Græca eidem capiti affixa planũ facit. Sic enim Græcis characteribus reperta est: ΚΕΦΑΛΗ ΙΕΡΟΘΕΟΥ. non autem Latinis: CAPVT HIEROTHEI. neque item eius gentis sermone, apud quam tantus thesaurus latuit, vernaculo. Quare nihil propius esse vero arbitrandum est, quàm hasce tanti viri nobiles Reliquias olim è Græcia in Hispaniam, (quacumque demum ratione id acciderit) esse asportatas. Iam autem Religiosi Cistertienses cœnobij Sandoualis in ditione Legionensi eas obtinent, & certiùs recognitas permagno in honore habent. Hactenus de vita & sanctitate: nunc de eiusdem doctrina & scriptis agendum est.

Reliquiæ S. Hierothei.

CAPVT V.

S. HIEROTHEI SCRIPTA, ET EORVM NONNVLLA FRAGMENTA.

LIBRI, QVOS HIEROTHEVS SCRIPSIT, SVNT HI.

Θεολογικαὶ στοιχειώσεις.	Institutiones Theologicæ.
Ἐρωτικοὶ ὕμνοι.	Hymni amatorij.

Pluráne, quàm hæc scripserit, sciri adhuc non potuit: sed de his nequit dubitari: cùm & testetur Dionysius, & ex tabulis agat. Profert enim ex ijsdem Hierothei libris membra aliquot certissima, quibus & tractatus suos velut preciosis emblematis, aut sacris quibusdam, vt ipse vocat, capitibus egregiè exornat. Quæ vt magis talium studiosis obuia sint, atque in promptu; aut etiam, vt ex paucis quasi ramulis tota arbor cognoscatur, visum est hic adiungere.

Dionysius igitur in libro *De diuinis nominibus* cap. 2. vnũ S. Hierothei locum è Theologicis institutionibus citans, post multam eiusdem beati viri laudem, sic scribit: *Atque vt multas & beatas optimæ illius mentis speculationes in paucissimis apponamus, hæc dicit de Iesu in compositis ab se Theologicis institutionibus.*

FRAG-

FRAGMENTVM PRIMVM.

SANCTISSIMI Hierothei ex Theologicis institutionibus.

ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ Ἱεροθέου ἐκ τῶν Θεολογικῶν στοιχειώσεων.

OMnium caussa & complemētum, Iesu diuinitas, partes toti consentientes custodiens: & neque pars est, neque totum: & est totum & pars: vtpote omnem partem & omne totum in seipsa comprehendens, & exsuperans, & antecedens.

Ἡ πάντων αἰτία, καὶ ἀποπληρωτικὴ, τοῦ Ἰησοῦ Θεότης, ἡ τὰ μέρη τῇ ὁλότητι σύμφωνα διασώζουσα· καὶ οὔτε μέρος, οὔτε ὅλον οὖσα· καὶ ὅλον καὶ μέρος· ὡς πᾶν καὶ μέρος, καὶ ὅλον ἐν ἑαυτῇ συνειληφυῖα, καὶ ὑπερέχουσα, καὶ προέχουσα.

Perfecta quidem est in imperfectis, tāquam perfectionis caussa principalis: sed non perfecta in perfectis, tanquam perfectionem exsuperans & antecedens.

Τελεία μὲν ἐστιν ἐν τοῖς ἀτελέσιν, ὡς τελετάρχις· ἀτελὴς δὲ ἐν τοῖς τελείοις, ὡς ὑπερτελὴς καὶ προτέλειος.

Forma est formæ effectrix in carentibus forma, tanquam formæ caussa principalis: in formis autem sine forma est, tanquam supra formam.

Εἶδος εἰδοποιὸν ἐν τοῖς ἀνειδέοις, ὡς εἰδεάρχις· ἀνείδεος ἢ ἐν τοῖς εἴδεσιν, ὡς ὑπὲρ εἶδος.

Essentia est totis essentijs intaminatè insistens, & ijs superior: secreta ab omni essentiâ, principia omnia & ordines determinans, & omni principio & ordini superstans;

Οὐσία ταῖς ὅλαις οὐσίαις ἀχράντως ἐπιβατεύουσα, καὶ ὑπερούσιος, ἁπάσης οὐσίας ἐξῃρημένη, τὰς ὅλας ἀρχὰς καὶ τάξεις ἀφορίζουσα, καὶ πάσης ἀρχῆς καὶ τάξεως ὑπεριδρυμένη.

Et mensura est existentium, & æuum, & supra æuū, & ante æuū.

Καὶ μέτρον ἐστὶ τῶν ὄντων· καὶ αἰὼν, καὶ ὑπὲρ αἰῶνα, καὶ πρὸ αἰῶνος.

Plena est in indigentibus, & in plenis superabundans.

Πλήρης ἐν τοῖς ἐνδεέσιν. ὑπερπλήρης ἐν τοῖς πλήρεσιν.

Inexplicabilis, ineffabilis, supra mentem, supra vitam, supra essentiam.

Ἄρρητος, ἄφθεγκτος, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ ζωὴν, ὑπὲρ οὐσίαν.

Supernaturaliter habet supernaturale, & superessentialiter superessentiale.

Ὑπερφυῶς ἔχει τὸ ὑπερφυὲς, ὑπερουσίως τὸ ὑπερούσιον.

Vnde quoniam & vsque ad naturam ex benignitate accessit, & verè substantia factus est, & homo superdeus extitit; propitia sint, quæ à nobis altiora mente & oratione celebrantur.

Ὅθεν ἐπειδὴ καὶ ἕως φύσεως ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐλήλυθε, καὶ ἀληθῶς οὐσιώθη, καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν, ἵλεω εἴη τὰ πρὸς ἡμῶν, τὰ ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον ὑμνούμενα.

Κἀν τούτοις ἔχει τὸ ὑπερφυὲς καὶ ὑπερούσιον. οὐ μόνον ᾗ ἀναλλοιώτως ἡμῖν καὶ ἀσυγχύτως κεκοινώνηκε, μηδὲν πεπονθὼς εἰς τὸ ὑπερπλῆρες αὐτοῦ, πρὸς τῆς ἀφθέγκτου κενώσεως· ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τὸ πάντων καινῶν καινότατον· ἐν τοῖς φυσικοῖς ἡμῶν ὑπερφυὴς ἦν, ἐν τοῖς κατ᾽ οὐσίαν ὑπερούσιος, πάντα τὰ ἡμῶν ἐξ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ὑπερέχων.

Et in his quidem supernaturale habet & substantiale, non modò quatenus immutabiliter nobiscum & inconfusè cõmunicauit, nihil in sua superplenitudine ab ineffabili exinanitione passus; sed etiam (quod omnium nouorum maximè nouum est) in nostris naturalibus supernaturalis fuit: in substantialibus supersubstantialis, nostra omnia ex nobis supra nos eminenter habens.

HÆc sunt de Christi diuinitate S. Hierothei verba, quæ & altissimam eius Theologiam in conspicuo ponunt, & malas longè pòst exorti Arij herbas tãto antè præfocant. Rectè enim de his viri sancti verbis à Marsilio Ficino, per insigni Philosopho, pronuntiatum est: *Si Atiani, similésque hæretici legissent hæc & similia Hierothei, Dionysiíque verba, & æquo animo perpendissent; nisi certè nunquam fuissent, vt opinor, diuinitatem in Christo creatam ponere, vel secundam. Quanquam & in Paullo Apostolo, & in Ioanne Euangelista idem, nec negligenter, nec ambitiosè legentibus, patere potuerat.* Ita ille.

FRAGMENTVM SECVNDVM.

Áliud membrum è scriptis eiusdem Hierothei nobis deprompsit Dionysius in libro *De diuinis nominibus*, cap. 4. vbi post nonnulla de diuino amore diuinitus à se disputata; præceptoris sui verba, quasi validissimum firmamentum, sic adijcit: *Hæc etiam inclytus noster sacrorum Præses,* inquit, *in Hymnis amatorijs diuinè exposuit. Quorum meminisse, ac velut sacrum quoddam caput nostro, de Amore, sermoni apponere, haud alienum à proposito fuerit.*

Ἱεροθέου τοῦ ἁγιωτάτου ἐκ τῶν ἐρωτικῶν ὕμνων.

Τὸν ἔρωτα, εἴτε θεῖον, εἴτε ἀγγελικὸν, εἴτε νοερὸν, εἴτε ψυχικὸν, εἴτε φυσικὸν εἴποιμεν, ἑνωτικήν τινα καὶ συγκρατικὴν ἐννοήσωμεν δύναμιν, τὰ μὲν ὑπέρτερα κινοῦσαν ἐπὶ πρόνοιαν τῶν καταδεεστέρων· τὰ δὲ ὁμόστοιχα πάλιν εἰς κοινωνικὴν ἀλληλουχίαν· καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτων τὰ ὑφειμένα πρὸς τὴν τῶν κρειττόνων καὶ ὑπερκειμένων ἐπιστροφήν.

Sanctissimi Hierothei ex hymnis amatorijs.

Amorem, siue diuinum, siue angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, vim quandam coniungentem ac commiscentẽ intelligere debemus: quæ superiora quidẽ ad inferiorum prouidẽtiam; paria verò ad mutuã inter sese cõmunionem; inferiora denique & subiecta, ad sui versùs præstantiora atque altiora conuersionem permoueat.

Hæc ibi illius sancti Patris verba: quibus cùm Amoris generatim

tim accepti diuisionem, tum etiam definitionem ponit. Nam talis amor & in Deo reperitur, & in Angelis, & in hominibus, & in animantibus, & in naturis alijs anima carentibus. Sic itaque diuiditur Amor latissimè acceptus. Definitur autem sic: Vis est quædam, vt sic loquar, vnitiua & commixtiua, quâ mouentur superiora ad prospiciendum inferioribus; paria ad communicandum inter sese bonorum vsum: inferiora ad se conuertendum versus superiora & præstantiora, atque ad eorum bona participandum.

Quia verò difficilius est in rebus vitâ sensuq; carentibus amorē intelligere, quā in naturis superioribus: propterea aduertēdū est amorem in illis, auctore D. Thoma in hunc locū, nihil esse aliud, quàm inclinationem quandam naturalē ad aliud tanquā sibi conueniens.

FRAGMENTVM TERTIVM.

Subdit ibidem consequenter S. Dionysius eâdem de re hæc magistri sui Hierothei verba.

Eiusdem ex ijsdem amatorijs hymnis.

Postquàm multos ex vno manantes amores ordinauimus, ac deinceps diximus, quales sint mundanorum & supramundanorum amorum cognitiones atque virtutes, è quibus iuxta assignatū sermonis scopum, excellunt intellectualium atque intelligibilium amorum ordines atque distinctiones: secundùm quos & illi per se intelligibiles ac diuini verè pulchrorum illìc amorum supereminent, & à nobis propriè laudati sunt; nūc rursus resumentes cunctos in vnum & contractū amorē, atque istorū omniū patrē, colligamus simul atque cōgregemus à multis, primò quidem in duas illum amatorias virtutes vniuersim contrahēdo, quibus præcellit & omnino prædominatur illa inuicta omnis amoris ex eo, qui super omnia est, emanātis caussa, & ad quā vniuersus amor, qui è rebus cunctis exoritur, secundùm cuiusque naturam se extendit.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν αὐτοῦ ἐρωτικῶν ὕμνων.

Ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τοῦ ἑνὸς πολλοὺς ἔρωτας διετάξαμεν, ἑξῆς εἰρηκότες, οἷαι μὲν αἱ τῶν ἐγκοσμίων τε καὶ ὑπερκοσμίων ἐρώτων γνώσεις τε καὶ δυνάμεις, ὧν ὑπερέχουσι κατὰ τὸν ἀποδοθέντα τοῦ λόγου σκοπὸν, αἱ τῶν νοερῶν τε καὶ νοητῶν ἐρώτων τάξεις τε, καὶ διακοσμήσεις· μεθ᾽ οὓς (4) αὐτονόητοι καὶ θεῖοι τῶν ὄντως ἐκεῖ καλῶν ἐρώτων ὑπερεστᾶσι, καὶ ἡμῖν οἰκείως ὕμνηνται, νῦν αὖθις ἀναλαβόντες ἅπαντας εἰς τὸν ἕνα καὶ συνεπτυγμένον ἔρωτα, καὶ πάντων αὐτῶν πατέρα συνελίξωμεν ἅμα καὶ συναγάγωμεν ἀπὸ τῶν πολλῶν, πρῶτον εἰς δύο συναιροῦντες αὐτὸν ἐρωτικὰς καθόλου δυνάμεις, ὧν ἐπικρατεῖ καὶ προκατάρχει πάντως ἡ ἐκ τοῦ πάντων ἐπέκεινα παντὸς ἔρωτος ἄσχετος αἰτία· καὶ πρὸς ἣν ἀνατείνεται συμφυῶς ἑκάστῳ τῶν ὄντων, ὁ ἐκ τῶν ὄντων ἁπάντων ὁλικὸς ἔρως.

Ita de amore, eiusque diuisione, & virtute Hierotheus. Cuius verba quidem grandia & obscura, sed hunc sensum (iuuat enim clariùs explicare) in se continent: Multos, inquit Hierotheus, amores ab vno summo amore emanantes ac dependentes descripsimus, simúlque exposuimus, quonam modo tam mundani rerum inferiorum, quàm supramundani Angelorum amores cognosci, & corũ efficacia percipi possent. Quibus in amoribus cùm humani supra alios extent, tum verò supra humanos eminent Angelici. Sed omnes omnino amores ad vnum amorem diuinum, tanquam omnium parentem & longè omnibus præcellentem, referendi sunt.

FRAGMENTVM QVARTVM.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν αὐτῶν ἐρωτικῶν ὕμνων.

Ἄγε δὴ καὶ ταύτας πάλιν εἰς ἓν συναγαγόντες εἴπωμεν, ὅτι μία τίς ἐστιν ἁπλῆ δύναμις ἡ αὐτοκινητικὴ πρὸς ἑνωτικήν τινα κρᾶσιν, ἐκ τἀγαθοῦ μέχρι τοῦ τῶν ὄντων ἐσχάτου. Καὶ ἀπ' ἐκείνου πάλιν ἑξῆς διὰ πάντων εἰς τἀγαθόν, ἐξ ἑαυτῆς, καὶ δι' ἑαυτῆς, καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἑαυτὴν ἀνακυκλοῦσα, καὶ εἰς ἑαυτὴν ἀεὶ ταὐτῶς ἀνελιττομένη.

Eiusdem ex ijsdem amatorijs hymnis.

Age verò, & ipsas rursũ [amatorias virtutes] in vnũ colligẽtes dicamus vnam quandam simplicem esse virtutẽ per sese mouentem ad copulatiuam quandam cõmistionem, res omnes inter sese, à primo bono vsque ad extremũ existẽtium: & ab hoc rursus ex ordine per omnia ad bonũ ex seipsa, & per seipsã, & in seipsa reflectentẽ seipsam, & semper eodẽ modo reuolutã.

Docet in his verbis Hierotheus vnum primum ac supremum esse amorem, qui res omnes inter sese colliget ac copulet, incipiendo à summo bono, qui est Deus, vsque ad infimam rem creatam, ita vt nulla res sit tam parua, tam vilis ac tenuis, ad quam supremus ille amor Deum non moueat, atque rursus à re omnium infima vsque ad summum bonum ex ordine regrediendo, & velut amatorium quendam circulum designando: vt non secus res infimæ per amorem ad Deum tendant, quàm ad illas Deus.

FRAGMENTVM QVINTVM.

Profert & aliud Hierothei membrum, siue breuem potiùs sententiam Dionysius, in libro De ecclesiastica hierarchia, capite 2. sic scribens: *Vt enim inclytus noster præceptor dixit*: Hierotheus scilicet, deinde verba eius subijcit hoc modo:

Verba S. Hierothei:

Ἡ κατὰ νοῦν μὲν ἐπὶ τὰ θεῖα πρωτίστη κίνησις, ἡ ἀγάπησίς ἐστι τοῦ θεοῦ· τῆς δὲ

Prima quidem mentis ad diuina motio, est caritas Dei: sanctæ

autem caritatis ad diuinorum mandatorum obseruationẽ prima omnino progressio, est illa ineffabilis, vt nos diuinè simus, operatio.

ἱερᾶς ἀγαπήσεως ἡ πρὸς τὴν ἱερουργίαν τῶν θείων ἐντολῶν ἀρχικωτάτη πρόοδος, ἡ τοῦ εἶναι θείως ἡμᾶς ἀῤῥητοτάτη δημιουργία.

Quorum verborum hic est sensus: Initiũ motus mentis in Deum est caritas: caritatis autem principium & quasi fundamentum est diuina illa regeneratio, quæ fit per baptismum. Quum enim prius sit esse, quàm operari: ita etiam prius est sanctè esse, (quod munus est baptismi) quàm sanctè operari, & mandata Dei obseruare, quod est caritatis.

Hactenus de S. Hierothei librorum reliquijs (nec enim plures, quod quidem sciam, supersunt) à nobis dictum sit: nunc ad sacras de eodem è Græcorum Menæo tabulas nos conferamus. Eæ diem illius natalem assignant quarto Octobris, vbi & vitam eius, & laudes perspicua breuitate perstringunt. Sic enim habent:

CAPVT VI.

Menæi de S. Hierotheo memoria.

Quarta die eiusdem mensis, Sancti Patris nostri Hierothei, Episcopi Athenarum.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, δ΄. τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἱεροθέου, Ἐπισκόπου Ἀθηνῶν.

Tibi consecratus antehac Hierotheus,
O Christe, iam nunc viuit adiunctus tibi.
Quarta dies tumulo concredidit Hierotheium.

Ἱερόθεος ἱερώθη σοι πάλαι·
Νῦν δ' ἂν μεταστὰς καὶ συναπήφθη Λόγε.
Ἡ σοὶ σῆμα κάλυψε τετάρτη Ἱερόθειον.

Erat hic in Areopago vnus è nouẽ Senatoribus. Qui primùm à Paullo Apostolo fidei doctrina imbutus, deinde Athenarum Episcopus ordinatus est. Ipse autẽ magnũ Dionysium eadem fidei in Christum doctrina instruxit.

Οὗτος τῶν ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ ἐννέα βουλευτῶν εἷς ἦν. Προκατηχηθεὶς δὲ παρὰ τοῦ Ἀποστόλου Παύλου Ἐπίσκοπος χειροτονεῖται Ἀθηνῶν, καὶ αὐτὸς τὸν μέγαν Διονύσιον τὴν εἰς Χριστὸν κατηχεῖ πίστιν.

Idem quoque ad sanctissimã Deiparæ sepulturam, in Sanctorum Apostolorum cœtu præcentor fuit, totus excedens, totus se deserens, & ab omnibus, à quibus audiebatur & videbatur, Deo correptus, & diuinus dilaudator habitus. Vitã

Αὐτὸς δὲ καὶ ἐπὶ τῇ κηδείᾳ τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου, ἦν ἐξάρχων ἐπὶ τῇ συνελεύσει τῶν Ἁγίων Ἀποστόλων, ὅλος ἐκδημῶν, ὅλος ἐξιστάμενος, καὶ παρὰ πάντων, ὧν ἠκούετο καὶ ὡρᾶτο, θεόληπτος καὶ θεῖος ὑμνολόγος φαινόμενος. Καλῶς δὲ καὶ θεοφιλῶς

πολι-

πολιτευσάμενος, καὶ θεὸν τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς κατορθώμασιν εὐφράνας, πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν.

tandem bene exactâ, cùm sua præclara viuẽdi ratione, & insignibus virtutibus Deum lætificasset, migrauit ad Dominum.

Hæc de vita. Nunc ad Elogia.

I.

Ὁ φωτοειδέστατος Χριστοῦ ἔρως, καὶ θειότατος τὴν σὴν ψυχὴν κατελάμπρυνε, καὶ τὴν διάνοιαν γλυκυτάτῳ φέγγει εὐσεβῶς ἐπύρσευσε, καὶ πᾶσαν αἴσθησιν ἡδυπάθειαν, ὡς πῦρ, κατέφλεξεν, οὐρανίων ἐλλάμψεων ἐκτελέσας δοχεῖον πανέντιμον.

I.

Splendidissimus ac diuinissimus Christi amor animam tuam collustrauit, & luce suauissima intelligentiam piè succendit, támque adeo sensuum mollitiē, instar ignis, exussit, cælestium illustrationum vas preciosissimum te efficiens.

II.

Ἡ μεγαλοπρέπεια τῶν σῶν λόγων, Ἱερόθεε, καὶ τῶν σοφῶν ἀποδείξεων ἡ παναρμόνιος καὶ ἀκριβεστάτη ἀγωγὴ, καὶ μέθοδος, ἐπιστημονικῆς διαθέσεως καρπὸς γνωρίζεται, καὶ φωτίζει τοὺς προστρέχοντας, καὶ σοφίζει τοὺς ἀναγινώσκοντας.

II.

Sermonum tuorum magnificentia, ô Hierothee, & sapientum demonstrationum congruentissima ratio ac methodus, affectionis scientificę fructus esse cognoscitur, qui & accurrẽtes illuminat, & legentes sapientiâ condecorat.

III.

Τὸ περιφανέστατον τῶν σῶν συνταγμάτων, ὅσιε, περὶ τὰ θεῖα θεάματα, ὁ Διονύσιος, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τοῖς πιστοῖς ἐκήρυξε. μεθ' οὗ δυσώπησον δωρηθῆναι ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὴν εἰρήνην, τὸ μέγα ἔλεος.

III.

Scripta tua illustrissima ac eminentissima de diuinis cõtemplationibus, ô Sancte, magnus ille in diuinis Dionysius fidelibus annuntiauit. Cum quo vnà Dominum exora, vt pacem animabus nostris, stipem magnam, elargiatur.

IV.

Τὸν οὐρανοφοίτην μυσταγωγὸν, θεόληπτον Παῦλον, τὸν τοῦ κόσμου σαγηνευτὴν, διδάσκαλον ἔχων, θεωρίας τῆς ἀνωτάτω μύστης γέγονας.

IV.

Paullum numine correptum mystagogum in cęlis versantem, mundi piscatorem, cùm haberes magistrum, supremæ contemplationis myst es euasisti.

V.

Ἡ πνευματοκίνητος ἐμφανῶς τοῦ Παύλου σοι γλῶσσα φθεγγομένη τὰ τοῦ θεοῦ μυστήρια, μάκαρ, περιέσχε καὶ θεηγόρον ἀπειργάσατο.

V.

Mota manifestè à Spiritu sancto Paulli lingua, Dei eloquens mysteria, te, ô beate, comprehẽdit, & Deiloquum effecit.

VI.

Νυττόμενος πόθῳ πνευματικῷ,

VI.

Spirituali stimulatus deside-

rio, & in diuinis eloquijs intelligenter versatus, omnium Domino sanctissimæ Theologiæ munus consecrâsti.

καὶ θείοις λογίοις ἐν συνέσει προσομιλῶν, τῷ πάντων δεσπότῃ πανιέρης θεολογίας δῶρον ἀνατέθηκας.

VII.

Te ô beate Hierothee sacras enarrantem litteras, & pietatis verba edisserentem cuncti lætabunde conuenientes honoramus, & beatum prædicamus.

VII.

Ὡς ἱερολογοῦντα τὰ ἱερὰ γράμματα, καὶ τῆς εὐσεβείας τὸν λόγον ἀνακηρύττοντα πάντες τιμῶμέν σε, χαρμονικῶς συνελθόντες, μάκαρ Ἱερόθεε, καὶ μακαρίζομεν.

VIII.

Contentione & inclinatione & diuino amore in omnium benefactorem protensus, mentem supernis fulgoribus illustrâsti, ô beatissime, & animam tuam exornâsti.

VIII.

Συντονίᾳ καὶ νεύσει καὶ θείῳ ἔρωτι εἰς εὐεργέτην τῶν ὅλων ἀνατεινόμενος, τὸν νοῦν ἐλάμπρυνας μαρμαρυγαῖς ταῖς ἐκεῖθεν, καὶ ψυχὴν ἐφαίδρυνας μακαριώτατε.

IX.

Apposité vocatus es templum diuinum & sanctificatum, ô vir religiosissime, & anathema omnipotenti & sæculorum conditori spectatus es, atque etiã templum cæleste condecorâsti.

IX.

Φερωνύμως ἐκλήθης, καὶ ἱερὸν ἔνθεον καὶ ἡγιασμένον, θεόφρον, καὶ ὤφθης ἀνάθημα τῷ παντοκράτορι, καὶ ποιητῇ τῶν αἰώνων, καὶ ναὸν ἐκόσμησας τὸν ἐπουράνιον.

X.

Pietatis tuæ documentis, ô Hierothee, terram vniuersam, velut fluentis quibusdam irrigâsti. Nam vitæ tuæ fons Christus, ô sancte Pater, in te cõquieuit. Tu libertate apud eum pollens, magnam nobis miserationem cælitus impetra.

X.

Πᾶσαν ἤρδευσαν τὴν οἰκουμένην, ὥσπερ νάμασι, ταῖς διδαχαῖς σου, τῆς εὐσεβείας τὰ δόγματα, Ἱερόθεε. Ἡ τῆς ζωῆς γὰρ πηγὴ ὁ Χριστὸς ἐν σοι ἐπανεπαύσατο, πάτερ ὅσιε. Αὐτὸν ἱκέτευε παρρησίαν κεκτημένος, ἄνωθεν δωρήσασθαι ἡμῖν τὸ μέγα ἔλεος.

XI.

Oratoriâ tuâ diuiniloquentia fidelium choros, ô beate Hierothee, collustrasti, & sacrum Apostolorum collegium, ô pie, lætificâsti, diuiniore vsus ecstasi, & psallens pro virili tuâ gloriam, ô vir humanissime.

XI.

Ῥητορικαῖς θεηγορίαις ἐλάμπρυνας τὰς χορείας, μάκαρ Ἱερόθεε, τὰς τῶν πιστῶν, καὶ τὸν ἱερὸν σύλλογον, θεόφρον, τῶν Ἀποστόλων κατηύφρανας, ἐκστάσει θειοτέρᾳ κεχρημένος, καὶ ψάλλων τῇ δυνάμει σου δόξαν φιλάνθρωπε.

XII.

Totus Deo consecratus es, ô beate & Deo correpte sacrorum doctor, & tuis Theologicis ser-

XII.

Ὅλος θεῷ ἱερωμένος γεγένησαι, ὁλοτρόπως μάκαρ ἐξιστάμενος ταῖς πρὸς αὐτὸν θεολογικαῖς ἱερολογίαις, ἱερο-

ἱεροφάντωρ θεόληπτε, καὶ θεῖος ὑμνογράφος, καὶ σοφὸς θεηγόρος τοῖς παροῦσιν ἐμφρόνως κρινόμενος.

monibus ad eum omnimodis extra te raptus, & diuinus hymnorum scriptor, & sapiens orator, ijs qui aderant, prudenter iudicatus.

XIII.

Νῦν καθορῶν, πάτερ, τὰ θεῖα τρανώτερον, παρελθόντων πάντων, ἱερώτατε, τῶν αἰνιγμάτων, καὶ τῶν σκιῶν, ταῖς ἀληθεστάταις τῆς θεοπτίας ἐμφάσεσι, δυσώπησον σωθῆναι τοὺς πιστῶς μελῳδοῦντας τῇ δυνάμει σου.

Nunc, ô pater sanctissime, præteritis omnibus ænigmatis atque vmbris, per verissimas diuinæ visionis illustrationes, manifestius diuina contuens, Deum deprecare, vti fideliter potentiæ tuæ admodulantes salui fiant.

XIV.

Ὁμοδίαιτος, μάκαρ, τῶν Ἀποστόλων ὑπάρχων συστήματι, σὺν αὐτοῖς ἐπέστης τῇ κοιμήσει τῇ θείᾳ, θεαστέσις, τῆς τὸν ζωοδότην σωματικῶς ἡμῖν τεκούσης παναγίας ἁγνῆς θεομήτορος.

Apostolorum cœtui contubernalis, ô beate atque eximie Hierothee, vnà cum ipsis, sanctissimæ virginis Deiparæ, quæ viuificatorẽ nobis corporaliter genuit, diuinæ dormitioni adstitisti.

XV.

Ὑπερφυῶς ἐνόησας, καὶ πρεσβυτικῶς ὑπὲρ φύσιν τὰ θαύματα ὑφηγήσω πᾶσι τοῖς πιστῶς δεχομένοις τὴν ἔλλαμψιν, ὅσιε, καὶ τὰς σὰς παμμάκαρ καὶ συνοπτικὰς θεολογίας συνιέναι ποθοῦσι πανάριστε.

Eximiè intellexisti, ô sancte, & sapienter miracula naturam trãscendentia cunctis fideliter illustrationem recipientibus, & cõtemplatiuam Theologiam intelligere cupientibus, ô beatissime atque optime, enarrâsti.

XVI.

Πανολβίαις ἀκτῖσι τῆς ὑπερφυοῦς φωταυγίας λαμπόμενος, ἀκριβείᾳ θείων ἀποδείξεων, καὶ καθαρότητι τῶν πολλῶν ἐκράτεις, χρόνου τριβῇ καὶ θεωρίᾳ σοφωτέρως τὰ θεῖα μυούμενος.

Copiosissimis supernaturalis splendoris radijs illustratus, diuinarum demonstrationum certitudine ac puritate complures vicisti, longo tẽporis vsu, & contẽplatione sapiẽtiùs diuina edoctus.

XVII.

Μυήσει θεοπρεπεῖ τὴν θείαν γνῶσιν μυούμενος, τοὺς λόγους πάτερ τοὺς σοὺς, ὡς δεύτερα λόγια, σαφῶς καταλέλοιπας ἱερογνωσίας τὰς ψυχὰς ἡμῶν φωτίζοντα.

Deo dignâ disciplinâ diuinam adeptus cognitionẽ, ô pater, sermones tuos, tanquam altera diuina eloquia, nostras animas sacra cognitione certò illuminãtia reliquisti.

XVIII.

Μακάριος ἀληθῶς ἐγένου, θεομα-

Verè beatus extitisti, ô felicis-

sime

ſime Hierothee, qui animâ per-purgatâ verè beatam, & ſolam amabilem Saluatoris pulchritudinem adamâſti.

καριστὲ, κεκαθαρμένῃ ψυχῇ τὸ ὄντως μακάριον καὶ μόνον ἐράσμιον ἀγαπήσας κάλλος τοῦ σωτῆρος, Ἱερόθεε.

XIX.

Purâ mentis intelligentiâ, diuinarûm illuſtrationum intellectualibus intendens fulgoribus, ô beate Deo afflate, earundem particeps, atque etiam lucis cõmunicandæ conſors extitiſti.

Ἀχράντοις ἐπιβολαῖς ἐνατενίζων, θεόληπτε, ταῖς νοηταῖς ἀστραπαῖς τῶν θείων ἐλλάμψεων, τῆς αὐτῶν μεθέξεως, καὶ φωτοδοσίας κοινωνὸς ὤφθης, μακάριε.

XX.

Te Athenarũ Pontificem, vt noua & ineffabilia à te edocti, laudibus celebramus. Nam hymnorum cantor numine correptus extitiſti. Ceterum, ô beatiſſime Hierothee, pro nobis Deum deprecare, vt ab omnibus aduerſis liberemur, quò clamemus: Salue pater ſapientiſſime.

Τὸν Ἱεράρχην Ἀθηνῶν ἀνευφημοῦμέν σε, ὡς μυηθέντες διά σου ξένα καὶ ἄρρητα. Ἀνεδείχθης γὰρ θεόληπτος ὑμνολόγος. Ἀλλὰ πρέσβευε παμμάκαρ Ἱερόθεε ἐκ παντοίων συμπτωμάτων ἡμᾶς ῥύεσθαι, ἵνα κράζωμεν· χαίροις πάτερ θεόσοφε.

XXI.

Sancta Sanctorum perſpicere contendens, ô beate, vitæ puritatem, & diuinæ contemplationis apicem ſapienter obtinuiſti, & pſallens clamaſti: Benedictus Deus patrum noſtrorum.

Ἁγίων τὰ ἅγια κατανοῆσαι σπεύδων, μακάριε, καθαρότητα βίου, καὶ θεωρίας θείας ἀκρότητα σοφῶς ἐκτήσω, καὶ ψάλλων ἐκραύγαζες· Εὐλογητὸς ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

XXII.

Sermonum tuorum vox, & ſcriptorum ſplẽdor cum deſiderio accedentes exhilarat, atque ad hymnorum cantum exſuſcitat, docẽs clamare: Benedictus Deus.

Ῥημάτων ὁ φθόγγος σου, καὶ συγγραμμάτων ἡ καλλιέπεια κατευφραίνει τοὺς πόθῳ προσομιλοῦντας, καὶ διανίστησι πρὸς ὑμνῳδίαν, κραυγάζειν διδάσκουσα· Εὐλογητὸς ὁ θεός.

XXIII.

Deitatis vnitatem in trinitate perſonarum cognitam, & in tribus laudatam hypoſtaſibus, ô religioſiſſime Hierothee, docuiſti, & pſallens modulatus es: Benedictus Deus patrum noſtrorum.

Μονάδα θεότητος γνωριζομένην ἐθεολόγησας ἐν προσώπων τριάδι, καὶ ὑμνουμένην ἐν ὑποστάσεσι τρισὶ θεόφρον, καὶ ψάλλων ἀνέμελπες. Εὐλογητὸς ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

XXIV.

Omnipotens Spiritus Sancti virtus, fixo in anima tua puriſſima

Ἡ πανσθενὴς τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἐνέργεια, τῇ καθαρωτάτῃ σου ψυ-

χῇ σκηνώσασα, θεόληπτον κήρυκα καὶ θεηγόρον ἔδειξεν ἱεροπρεπῶς τὸν λυτρωτὴν ἀνυμνοῦντα· Οἱ παῖδες εὐλογεῖτε, ἱερεῖς ἀνυμνεῖτε, λαὸς ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

tabernaculo, te numine afflatũ præconem, & diuinum præstitit oratorem, redemptoris laudes sanctißimè concinentem. Benedicite pueri, Sacerdotes celebrate, popule superextollite in omnia sæcula.

XXV.

Μετ' εὐσεβοῦς ζητήσεως ἐρευνήσας τὰ ἄρρητα τῆς οἰκονομίας τοῦ Χριστοῦ μυστήρια, τρανῶς ἐφανέρωσας ὑψηγορίᾳ χρώμενος, καὶ τῇ γλυκυτάτῃ τῶν λόγων συνθήκῃ βοῶν ἀδιαλείπτως· Ἱερεῖς εὐλογεῖτε, λαὸς ὑπερυψοῦτε.

Pia inquisitione perscrutatus ineffabilia diuinæ dispensationis Christi mysteria, altiloquo sermone vtens, disertè ea manifestâsti, & suauissima sermonum compositione continenter clamans: Sacerdotes benedicite, popule superextollite.

XXVI.

Ἡ πανόλβια χάρις σε θειοτέρας ἐμπνεύσεως, καὶ θεολογίας ἀκριβοῦς ἐνέπνευσεν. ἐντεῦθεν ἀνέβλυσας, ὡς ποταμὸς, τὰ δόγματα, τὰς τῶν Ἀποστόλων κατευφραίνων καρδίας, μεθ' ὧν νῦν ἀναμέλπεις· Ἱερεῖς εὐλογεῖτε, λαὸς ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Locupletißima gratia tibi diuiniorem inspirationem, & exactam Theologiam afflauit. Hinc quasi fluuius dogmata profudisti, Apostolorum corda lætificans: quibuscum iam cõcinis: Sacerdotes benedicite: popule superexaltate in omnia sæcula.

XXVII.

Σοφίας ὑπερσόφου ὡς ἐραστὴς γεγονὼς, τῶν χαρίτων τὸν στέφανον τὸν εὐπρεπῆ χαίρων ἐκομίσω· νῦν παρ' αὐτῆς, καὶ χορευτὴς οὐράνιος περὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν γενόμενος, δυσώπει σωθῆναι ἐκ κινδύνων τοὺς σε ὑμνοῦντας, Ἱερόθεε.

Tanquam supremæ adamator sapientiæ, gratiarum coronã eximiam lætus reportâsti: nunc ab eadem vnus è cælesti choro, qui omniũ conditori assistit, effectus, tuis precibus impetra, vt te celebrantes, ô Hierothee, à periculis omnibus conseruentur.

XXVIII.

Ἐσκήνωσας τὰς ἄνω θείας αὐλὰς, καὶ μονὰς αἰωνίους κατῴκησας, καὶ στρατιαῖς νῦν συνεορτάζεις ἀγγελικαῖς, σὺν Ἀποστόλων τάγμασιν, οἷς καὶ συναυλίζῃ ἁρμονικῶς, μεθ' ὧν καὶ συναγάλλῃ τοῖς ἐν πίστει σε τιμῶσι, θείαν εἰρήνην ἐξαιτούμενος.

Ad diuinas cęli aulas emigrâsti, atque in cęlestibus mansionibus domicilium posuisti: & nunc cum Angelicis exercitibus festũ celebras, simul cum Apostolorũ contubernio, quibuscum etiam aptè versâris, & collætaris, pacẽ diuinam ijs, qui te cum fide honorant, exorans.

Firmâ

XXIX.

Firmâ remuneratione acceptâ, quemadmodum in terra continuo desiderio ad Deum tendens extra te rapiebâre; ita nunc, ô pater Hierothee, maiorē in modum Deo supplica, vt memoriam tui luciferam atque sanctissimam in fide celebrantibus sese exhibeat propitium.

XXIX.

Βεβαιὰς ἀντιδόσεις ἀπολαβὼν, ὡς ἐν γῇ τὰς ἐκστάσεις ἐκέκτησο διηνεκεῖ πόθῳ ἀνανεύων πρὸς τὸν θεὸν, νῦν ἐκτενῶς ἱκέτευε, πάτερ Ἱερόθεε, ἱλασμὸν δοθῆναι τοῖς ἐν πίστει τὴν μνήμην σου τελοῦσι τὴν φωτοφόρον καὶ πανίερον.

XXX.

Quum Verbi mater ad cælestes illas sedes transmigraret, tu simul cum reliquis aderas Apostolis, ô Hierothee, eam abeuntē hymnis prosequens.

XXX.

Ὅτε ἡ μήτηρ τοῦ Λόγου πρὸς τὰς ἐκεῖ καταπαύσεις μετανασεύουσα ὤφθη, σὺν τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις, σὺ Ἱερόθεε, ὕμνοις ἐπέστης ταύτην προπέμπων.

Hęc ibi de S. Hierotheo Athenarum EPISCOPO & nihil amplius. Iam ad NOTATIONES.

NOTA-

NOTATIONES IN VITAM S. HIEROTHEI.

AD CAPVT PRIMVM.

CIrca primum caput vitæ S. Hierothei, in quo egimus de tempore quo natus videri potest, & de patria atque ciuitate, in qua ortus fuit, nonnulla inter quosdam Scriptores, præsertim Hispanos, inualuit opinio, S. Hierotheum non fuisse natione Græcum, nec ciuitate Atheniensem, sed Hispanum. Quod in ipsius quidem viri sanctissimi aliquem honorem redundat, florentissimas esse nationes, quæ sibi eius natales vindicēt, ac de solo ipsius patrio altercētur: nō committā tamen, vt studiū meum in huius rei perquirenda veritate desideratum esse videatur. Quare hæc ipso in limine NOTATIONVM tractabitur quæstio.

QVÆSTIO.

CVIAS HIEROTHEVS? HISPANVSNE? AN ATHENIENSIS?

HIspanum fuisse, probari potest his argumentis:

Primò quidē, quòd Flauius Lucius Dexter scriptor antiquus, & S. Hieronymo æqualis, & qui Orientalis imperij Præfectus Prætorio fuisse prædicatur, eam sententiam tenuerit, ac Chronico suo omnimodæ historiæ adscripserit. Sic enim ad annum Domini 71. Romæ autem 822. notatum habet: *S. HIEROTHEVS NATIONE HISPANVS, quem à Paullo conuersum discipuli sui Dionysij gloria clarum fecit, ad Hispanias se contulit.* &c.

Secundò, quia Græci commentatores S. Dionysij, teste Ambrosio Morales lib. 9. suæ historiæ (vt quidem de illo testimoniū profert doctissimus vir Franciscus Biuarius) confitentur S. Hierotheum fuisse Hispanum. Idem habet FLOS SANCTORVM Alphonsi Villegas in HIEROTHEO, quē inter Sanctos Hispaniæ recenset, dicitque Suidam & Græcos commentatores dicere, vitam eiusdem Hierothei scriptam esse à S. Dionysio.

Tertiò, quia communis ferè Hispanorū sententia est, S. Hierotheum fuisse Hispanū natione. Hinc Franciscus Biuarius in commentario ad annum Christi 71. *Communi*, inquit, *Hispanicorum Auctorum calculo receptum est id quod Dexter ait, in Hispania ortum fuisse. Vnde philosophandi gratia Athenas petyt, non aliter quam Seneca aut Quintilianus Romam.* &c. His tamen non obstantibus, vt mox ostendetur, hæc est vera de patria S. Hierothei sententia:

NATVS EST HIEROTHEVS ATHENIS, IN GRÆCIA.

Probatio vna & solida est: quia fuit vnus ex Areopagitis. Id autem omnes cùm concedant, etiam qui contrariæ sunt opinionis, & qui Hispanum esse contendunt; inde necessariò consequitur eum patria fuisse Atheniensem. Nam adeo necessarium fuit eos, qui in Areopagum admitti petebant, esse ciues Athenienses, vt ne quidē inter Thesmothetas (qui ordo inferior est, & ex quo ad istum fit transitus) censeri quisquam posset, nisi se Atheniensem ex vtroque parente, à tertia vsque generatione, comprobaret. Id enim diserte docet Iulius Pollux lib. 8. cap. 9. vbi post recensitos nouem Archōtas, quorum sex appellantur Thesmothetæ, ita subdit: Ἐκαλεῖτο δέ τις Θεσμοθετῶν ἀνάκρισις· εἰ Ἀθηναῖοί εἰσιν ἑκατέρωθεν ἐκ τριγονίας, καὶ τῶν δήμων πόθεν· καὶ εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς πατρῷος, καὶ Ζεὺς Ἑρκεῖος· καὶ εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι· καὶ εἰ ἐστρατεύοντο ὑπὲρ τῆς πατρίδος· καὶ εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς. &c. *Erat autem quoddam Thesmothetarum examen appellatum: an scilicet ex vtroque parente à tertia vsque generatione Athenienses essent? & ex quibus populis? an Apollo esset illis Patrius, & Iupiter Herceus? an parentibus bene facerent? an pro patria militarent? & an censum idoneum haberent?* &c. Huius examinis, seu disquisitionis, seu inquisitionis, (tot enim nominibus vocari potest) mentionem aliquam strictim attigit Demosthenes, ille Oratorum Græciæ princeps, in appellatione contra Eubulidem extremâ, vbi

vbi probare nititur, ſe vtrimque eſſe Athenienſem; & Apollinis Patrij, & Iouis Hercei habere gentiles. Vide eiuſdem Demoſthenis orationem in Neæram, præſertim in *Decreto de Plataenſibus*. Atque vt intelligatur, quanti Athenieſes ciuitatem ſuam fecerint, ſcribit in eadem oratione Demoſthenes, legem apud eos fuiſſe, *μὴ ἐξεῖναι ποιήσασθαι Ἀθηναῖον, ὃν ἂν μὴ δι' ἀνδραγαθίαν εἰς τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ἄξιον ᾖ γενέσθαι πολίτην*, *Nō licere facere Athenienſem, niſi eum, qui ob ſtrennuā populo Athenienſi nauatam operam dignus ſit fieri ciuis*. Additque donationem non fuiſſe ratam, niſi amplius quàm ſex millium virorum Athenienſium occultis ſuffragijs in concione ſequenti comprobaretur.

Ac ne quis dicat, priſcis temporibus eas leges in vſu fuiſſe, Hierothei autem & Dionyſij æuo exoletas & antiquatas; contrà facit, quòd Michaël Syncellus in Encomio S. Dionyſij Areopagitæ ſignificet illis quoque temporibus eas viguiſſe, atque adeo rectè colligi ex ſola dignitate Areopagitę, eundē Dionyſium fuiſſe Athenienſem. Plura huc ſpectantia me ſcribere memini ad eius vitā, ideo nihil opus hîc pluribus.

Adde nomen ipſum *Hierothei* nihil nec Latinum ſonare, nec Hiſpanicum; ſed purè Græcum. Nam ſi Hiſpanus fuiſſet, præſertim cùm & domicilium extremis ſuis temporibus in Hiſpania fixerit, notum alicui ac celebratum fuiſſet ad honorem gentis, nomen ipſius gentilitium.

Argumentorum aduerſæ partis refutatio.

AD primum igitur, quod à L. Dextri auctoritate ſumptum eſt, reſpondeo Dextrum in ijs, quæ ad patriæ eius laudes ſpectant, ſiue dum magnis viris, ſeu eruditione, ſeu ſanctimonia illuſtribus natale ſolum aſſignat, meritò haberi ſuſpectū. Paſſim enim in eius Chronico amor nimius patriæ ſe prodit, ſiue dum tres illos Centuriones in euangelio maximè commendatos, ait fuiſſe Hiſpanos: nempe illum qui dixit:
Matthæi 8. ver. 8. *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*. Et illum, qui Chriſto in Cruce mo-
Marci 15. ver. 39. rienti adfuit, & de quo Marcus Euangeliſta ſcribit: *Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo filius Dei erat*. De quo & Lucas cap. 23.
Lucæ 23. ver. 47. verſu 47. *Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iuſtus erat*. Et illum denique, qui Actorū cap. 10. vidit Angelum Dei ad ſe introeuntem.
Act. 10. ver. 4. & dicentem: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Dei*.

Prodit ſe, inquam, nimius amor patriæ, ſiue dum illos tres fide ac pietate celeberrimos Centuriones ait fuiſſe Hiſpanos, ſiue dum epiſtolam Paulli ad Hebræos, ſpeciatim ad eos Hebræos qui in Hiſpania erant, ſcriptam dicit, ſiue dum epiſtolam S. Iacobi Canonicam ait miſſam à Iacobo Zebedæi præcipuè Hiſpanis, ſiue dum Lactantium Firmianum, qui ſemper extra Chronicon Dextri pro Afro habitus eſt, Hiſpanum eſſe facit, ſiue dum libros S. Dionyſij Areopagitæ ad Timotheum miſſos, memorat ad S. Marcellum ſeu Eugenium in Hiſpania Toleti Epiſcopum miſſos eſſe (id quod refutaui quæſtione 3. ad Vitā S. Dionyſij Areopagitæ) ſiue denique, dum alia multa ſimilia, quæ communiùs alijs tribuuntur nationibus, ipſe vindicat Hiſpaniæ. Accedit, quòd pura Chronici alicuius, abſque alio fulcimento, auctoritas minimè debeat rationi & antiquis moribus præponderare. Hæc autem ſtant ab Athenienſibus.

Ad 2. quod de Græcis commentatoribus S. Dionyſij affertur, dico nimis vanum eſſe id iactare, quod probare non poſſis. Duo ſunt Græci commentatores S. Dionyſij, S. Maximus, & Georgius Pachymeras, neuter de Hierotheo Hiſpano verbum. Si quis alius lateat; prodatur in lucem, aut verba ſaltem non ſuſpecta proferantur. Sed nulla omnino adhuc prolata ſunt; nec, ſi fuiſſent, ea tacuiſſet inſignis Franciſci Biuarij pro tuendo Dextro diligentia.

Ad 3. de communiore ſententia, nihil oppono aliud, niſi multo facilius eſſe, vt plurimi in ſententiam pro gloria patriæ ſuæ, licet minùs probabilem, velut quodam impetu rapiantur, quàm vt pauci è prudentioribus & æquioribus ad rem iuſto libramine ponderandam ſe applicent. Ac tamen nonnulli reperiuntur etiam ex Hiſpanis, qui fateantur eorum ſententiam, qui Hierotheū Athenienſem eſſe dicunt, magnorum virorum Auctoritate niti. Certè nullus res Hiſpaniæ tractauit, nec doctiùs, nec elegantiùs, nec veriùs, quàm Ioannes Mariana. Hic autem quid dicit? Huic enim, vtpote non extraneo, ſed Hiſpano, & ob curam veritatis, (quam præ omni priuato affectu, etiam patriæ, poſuit) maximi æſtimato, credi poteſt & debet. Quid, inquam, dicit? Nempe hæc, quæ ex eius libro VI. *De rebus Hiſpaniæ*, cap. 3. totidem verbis depromo: *Sunt*, inquit, *qui Hierotheum cognomento diuinū, Dionyſij Areopagitæ Magiſtrum ſcribant ex Hiſpania, (vbi remp. moderabatur, rebus gerendis præfectus, idoneúſque) à Paullo Apoſtolo deductum peregrinationis comitem. Quam opinionem refellunt alij, Athenis natū confirmantes magnorū virorum auctoritate*. Sic ille, confitens clare illam ſententiam refelli etiam auctoritate, & quidem magnorum virorum: ego autem

refelli

refelli & ratione. Sit igitur de hoc satis: ad alia nunc progrediamur.

a *CHRISTO DOMINO IN TERRIS SVPERSTITE*] Quod vero simillimum est in S. Hierothei ætate, sequimur. Nec enim videtur minor illi ætas, quàm eius discipulo Dionysio tribuenda: præsertim cùm & Areopagita fuerit & prior ad religionem Christianam transierit. Nec desunt, qui dicant eum Hierosolymis fuisse, cùm Apostoli, vt est in Actis, repleti Spiritu sancto,
Actor. 2 *cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo.* Vide Alphonsum Villegas in Flore Sanctorum, inter minores vitas Sanctorum Hispaniæ, vbi de S. Hierotheo agit.

b *PLATONICAM PRÆCIPVE &C SINGVLARITER &C DAMAVIT.*] S. Hierotheum fuisse sectâ Platonicum, perinde atque Dionysium eius discipulum (de quo in Notationibus ad eius vitam probauimus) colligitur tum ex eius libris, tum ex ijsdem argumentis, quæ de Dionysio attulimus. Neque sanè vlla secta illo æuo magis vigebat, neque Areopagitarum iustitiæ ac seueritati magis congruebat.

c *IN AREOPAGI CONCILIVM &c EST COOPTATVS*] Fuisse Areopagitam habetur è Græcorum tam Menæo quàm Menologio ad IV. Octobris. Vide supra c. IV. & VI. De Areopagitis egi fusè ad vitam S. Dionysij, vti & de Archontibus. Addo hic tantùm, scribi ab Helladio apud Photium, codice, CCLXXIX. fuisse Athenis quatuor fora iudiciaria: primum in Areopago, quod iudicabat eos qui ex destinato cædem fecissent: secundum in Palladio, vbi de ijs quærebatur qui homicidium inuiti commisissent: tertiùs in Delphinio, aduersus eos qui iustè patratam cædem defenderent: quartum in Phreateo, contra deserentes vadimonia in caussa cædis. De his atque alijs foris fusiùs agit Pollux lib. 8. cap. 10.

d *AC SE VOCABVLO SVO* ΑΥΤΟΧΘΟΝΑΣ] Gloriabantur Athenienses se ac maiores suos non aliunde oriundos, sed in terra sua primitus genitos & educatos, propriáque ac perpetua habitatione fixos permansisse. Sic enim vrbis eiusdem ciuis & orator celeberrimus Isocrates in illo nobili suo Panegyrico de illa iactat: Ταύτην γὰρ οἰκοῦμεν, οὐχ ἑτέρους ἐκβαλόντες, οὐδ' ἐρήμην καταλαβόντες, οὐδ' ἐκ πολλῶν ἐθνῶν μιγάδες συλλεγέντες· ἀλλ' οὕτω καλῶς καὶ γνησίως γεγόναμεν, ὥστ' ἐξ ἧσπερ ἔφυμεν, ταύτην ἔχοντες ἅπαντα τὸν χρόνον διατελοῦμεν αὐτόχθονες ὄντες· καὶ τοῖς ὀνόμασι τοῖς αὐτοῖς, οἷσπερ τοὺς οἰκειοτάτους τὴν πόλιν ἔχοντες προσειπεῖν· Μόνοις γὰρ ἡμῖν τῶν Ἑλλήνων τὴν αὐτὴν τροφὸν καὶ πατρίδα καὶ μητέρα καλέσαι προσήκει. *Hanc enim terram nos sic habitamus, vt nec alios expulerimus, nec desertam occupauerimus, nec multis ex gentibus commisti conuenerimus, sed ita honestè & ingenuè nati sumus, vtpotè ex ea producti, & hanc habentes perpetuò retinemus, indigenæ existentes: possumúsque illam ijsdem appellare nominibus, quibus coniunctissimos. Nobis enim solis ex omnibus Græcis eandem & nutricem & patriam & matrem vocare datum est.* Sic ille. Quem locum procul dubio respexit, atque imitandum proposuit M. Tullius in oratione pro L. Flacco. cùm dixit: *Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur: de quorum vrbis possessione propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuisse proditum est: quæ vetustate ea est, vt ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur.*

Nec multo his dissimilia, Trogi Pompeij Iustinus lib. 2. hist. vbi de Athenis, *Non vt cetera,* inquit, *à sordidis initijs ad summa creuere. Soli enim præter quam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non aduenæ, neque passim collecta populi colluuies originem vrbi dedit: sed eodem innati solo, quod incolunt; & quæ illis sedes, eadem origo est.*

In tantæ igitur antiquitatis ac nobilitatis signum cicadas aureas comis innexas gestabant: quia cicadæ scilicet itidem è terra genitæ sint. De quibus cicadis ita meminit Thucydides libro 1. historiæ, sub initium: Οὐ πολὺς χρόνος, ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν. *Nec multum abijt temporis, ex quo tunicas lineas ferre desierunt, & capitis comis in cirrum implexis cicadas aureas illigare.* Hũc sensum è Græco Scholiaste Thucydidis collegi: cũ Auctoris verba ceteroqui satis implexa sint & intricata. Cur autẽ Athenienses in cirris cicadas gestarẽt, duas affert rationes idem Scholiastes his verbis: Ἐφόρουν δὲ τέττιγας, διὰ τὸ μουσικὸν ἢ διὰ τὸ ζῷον γηγενές. *Ferebant cicadas, propter musicam: vel vt profiterentur se esse indigenas & è terra natos. Nam & hoc animal è terrigenis est.* Prior ratio ad bonarum artium studia respicere videtur, quarum gloriam sibi Athenienses præ ceteris gentibus vindicabant. Posterior autem ratio etiam S. Gregorio Nazianzeno in memoria fuit, cùm in carmine Ad Nicobulum, filij eius nomine, hos duos de Atheniensibus inclusit versus:

Κεκροπίδαι τέττιγα πλέκον ὕπερ υἷα γαίης
Γηγενέες· καὶ εἶδος ἔχει πατρώϊον εὖχος.
Cecropidæ cirris natam tellure cicadam
Terrigenæ innodant: decus hoc designat auitũ.

Dixit enim *Cecropidæ terrigenæ*, quod idem est atque Athenienses αὐτόχθονες, siue è terra geniti, & cicadã vocauit υἷα γαίης, *terræ filiam*, innuitque eadẽ operâ formã cicadæ comis innexę habere seu designare ipsorum

rum auitam gloriam, nempe cicadarum instar è terra genitos, atque vrbis suæ præsidem & quasi tutelarem Deum agnoscere Apollinē, cui cicada sacra est. Quod & Scholiastes Aristophanis in Nubibus clarè aperuit, dum ita scripsit: *Οἱ ἀρχαιότατοι τῶν Ἀθηναίων τέττιγας χρυσοῦς ἐν ταῖς τῶν τριχῶν πλέγμασιν εἶχον· διότι οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνακεῖνται τῷ Ἀπόλλωνι, ὃς ἦν πατρῷος τῇ πόλει. Athenienſium antiquiſſimi cicadas aureas in comarum cirris gerebant: propterea quod cicadæ cum ſint muſicæ, ſeu canoræ, Apollini dicatæ ſint, qui vrbis eſt præſes.* Atque hinc etiam patet, quid sibi velit illud quod suprà in quæstione allatum est ex Demosthene, de Apolline patrio & Ioue Herceo; nempe se eosdem à maioribus habere Deos, quos vrbs Athenæ. Eundem porrò Atheniensium morem de cicadis longè ante Nazianzenum notauit, atque adeo & sugillauit B. Clemens Alexandrinus, homo æui sui longè doctissimus, eadem allata istius gestaminis ratione. Nam libro 2. Pædagogi, cap. 10. Atheniensium luxum cum modestia Lacedæmoniorum componens, ita scripsit: *Ἀθηναίων δὲ ἔμπαλιν οἱ ἄρχοντες οἱ τὸ ἀστικὸν πολίτευμα ἐζηλωκότες, ἐκλαθόμενοι τῆς ἀνδρωνίτιδος ἐχρυσοφόρουν ποδήρεις χιτῶνας ἐνδυόμενοι· καὶ ποδήρεις ἠμπίσχοντο. καὶ κρώβυλον· ὁ ἐμπλοκῆς ἐστιν εἶδος. ἀνεδοῦντο χρυσοῦν, ἐνέρσει τεττίγων κοσμούμενοι. τὸ γηγενὲς, ὡς ἀληθῶς, ἀπειροκαλίᾳ κιναιδίας ἐνδεικνύμενοι· Ὁ δὲ τῶν ἀρχόντων τούτων ζῆλος καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἴωνας διικνεῖτο· οὓς Ὅμηρος ἐκ θηλυμίων ἑλκεχίτωνας καλεῖ. Contrà verò Principes Athenienſium vrbanam vitam æmulati, ac virilis loci & conuerſationis obliti, aurum geſtabant, & talaribus amiciebantur, & crobylo aureo (quæ eſt implexæ comæ quædam ſpecies) redimiebantur, cicadarū illigatione ornati; ortum ſuum re vera terreſtrem cinædica inſolentia demonſtrantes. Hæc autem Principum iſtorum æmulatio ad alios quoque Ionas peruaſit, quos Homerus effeminatos denotans veſtitrahas appellat.*

Notandum hic ad verborum tanti Patris elucidationem, pro voce *ἐζηλωκότες æmulati*, editionem CLEMENTIS Florentinam, quæ fuit omnium prima habere ἐξηλωκότες, quam vocem Gentianus Heruetus interpretatur, *qui expulerant*, sed tunc legi debuisset ἐξηλακότες, ab ἐξελάω, *expello*, non autem ἐξηλωκότες, quæ nihili vox est. Pro qua proinde Fridericus Sylburgius in suis ad CLEMENTEM annotationibus è M. S. codice Palatino rectè restituit ἐζηλωκότες, *æmulati*. Nam ob istarum litterarum ξ & ζ. affinitatem, facilis fuit vnius pro altera subreptio. Adiuuat hanc lectionē id quod paullò post, vt idem annotauit, subsequitur, nempe: *Ὁ δὲ τῶν ἀρχόντων τούτων ζῆλος καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἴωνας διικνεῖτο, Hæc autem illorū Principum æmulatio etiam ad alios Ionas peruaſit.* Quòd si ipsorum æmulatio peruasit ad alios; igitur ipsi priùs æmulati. Verùm obijciet aliquis scopum Clementis fuisse, vituperare Athenienses, quòd ciuilem vitæ formam expulissent, ac proinde legendum esse, *Οἱ τὸ ἀστικὸν πολίτευμα ἐξηλακότες, qui ciuilem vitæ formam expulerant*, vt vertit Heruetus. Sed respondeo fuisse quidem B. Clementis scopum Athenienses vituperare, sed à mollicie & luxu, in habitu & vestitu corporis, ideóque aptissimum hunc esse sensum, *vitam vrbanam*, hoc est, mollem & effeminatam, *æmulati*. Nam talis est vrbanorum vita præ rusticanis, qui viliore ac simpliciore cultu vtuntur. Atque hoc pacto aptissimè quadrant hæc verba cum sequentibus, in quibus dicit eos talaribus indui, & auro ac cicadis ornari.

Obseruo prætereà in loco CLEMENTIS suprà laudato, istas tres voces *ποδήρεις χιτῶνας ἐνδυόμενοι, talares tunicas induti*, adulterinas esse & superuacaneas, atque è margine, vbi positæ fuerant ad explicandas voces proximè sequentes, *καὶ ποδήρεις ἠμπίσχοντο, & talaribus induebantur*, in textum ipsum imprudenter immissas. Quorsum enim homo Atticus rem eandem primò claris, mox obscuris, contrà quàm fieri solitū sit, verbis geminaret? Fit enim nō rarò, vt sententiæ obscuriori clarior subiungatur, sed vt clariori obscurior, nisi ab ignaris aut ineptis, nunquam. Adde absque tribus istis vocibus multò concinniorē existere orationem. Quin haud longè absum, quin & istas voces, *ὁ ἐμπλοκῆς ἐστιν εἶδος, quod implicationis comarum est ſpecies*, merissimū dicam esse interpretamentum à margine adscitum, & textui assutum. Græcis enim, quibus scribebat Clemens haudquaquam ignotum erat, quid Κρώβυλος significaret: atque, vt ignotū aliquibus esset, haud est talium Auctorum, & tali in re, talia addere interpretamenta, sed commentatoribus relinquere. Nam neque Tertullianus (licet Latinis scriberet, quibus ea vox est ignotior) vllum addidit interpretamentum, sed simpliciter & absque lucis additamento vsurpauit, & transilijt. Sic enim scripsit in libro *De velandis Virginibus*, cap. X. loquens de spadonibus voluntarijs, quos nullis vti deceat habitus, externæúe compositionis insignibus: *Debebunt etiam*, inquit, *& ipſi aliqua ſibi inſignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut ſtigmata Britonum.* Denique, siue id tanquam interpretamentum, adiectum fuerit, siue sit germanus ipse textus Clementis, malè in prima editione, & in nuperrima quoque Danielis Heinsij vertitur latinè, *quod eſt veſtimenti genus.* Neque enim illa sanè, neque alia quælibet comæ capillorúmue ordinatio, aut complicatio,

catio vestimenti genus est, sed forma capillitij. Quare paullò meliùs Clementis editio Parisiensis, cui adiunctus est Herueti commentarius, sic exhibet: *crobylo, quod est cincinni genus, aureo induebantur:* paullò, inquam, meliùs, non multò. Nam ἀνεδοῦντο, vertendum erat, *redimiebantur*, aut, *ornabantur*, potiùs quàm *induebantur*. Ita dixit STATIVS lib. 1. Siluar. *crinem redimire corymbis.* Deinde proximè antecedentia, in eadē postrema editione anni M.DC. XII. valde confusa sunt, & perturbata, ac sine sensu, cùm ita habeant: *Contrà autem Athenensium* ἄρχοντες, *id est, Andronitidis principes, qui ciuilem vitæ formam expulerant, obliti aurum gestabant, & talaribus tunicis amiciebantur.* Quæ confusio indubiè est à typographo, qui vocem *andronitidis* extra locum suum posuit, cùm in sequenti versu ponenda esset ante vocem *obliti*. Quo loco reposita sensum restituet, ea ex parte integrū. Sed quid etiam attinuit vocem ἄρχοντες retinere, cùm suffecisset dicere, *Athenensium principes*, aut *primores*? Hos enim intelligit, vt ex ipso patet Thucydide, vnde hic locus desumptus est; non autem *Magistratus*, vt reposuit Heinsius, quasi nimirum vox ἄρχοντες eo loci propria esset illius magistratus, qui speciatim nomine ἄρχοντος Athenis appellabatur, vti in Notationibus ad S. Dionysij vitam indicauimus. At non ita est, non ij ἄρχοντες hic intelliguntur, sed ij, quos Thucydides loco suprà citato vocat πρεσβυτέρους τῶν εὐδαιμόνων, per Antiptosin, vt notauit græcus Scholiastes, pro εὐδαίμονες τῶν πρεσβυτέρων, *locupletiores è Senioribus*, hoc est, primores absolutè, seu sint magistratus, seu non sint.

Quocirca totus ille B. Clementis locus suprà allatus, demptis duobus interpretamentis ὑποβολιμαίοις seu subdititijs ita legi debet & reddi: Ἀθηναίων δὲ εὐπαλινοὶ ἄρχοντες, οἱ τὸ ἀστικὸν πολίτευμα ἐζηλωκότες, ἐκλαθόμενοι τῆς ἀνδρωνίτιδος ἐχρυσοφόρουν, καὶ ποδήρεις ἠμπίσχοντο, καὶ κρώβυλον ἀνεδοῦντο χρυσοῦν, ἐνέρσει τεττίγων κοσμούμενοι. *Contrà verò primores Athenensium, qui vrbanam vitam æmulati sunt, virilis loci & conuersationis obliti, aurum gestabant, & talaribus induebantur, & crobylo aureo redimiebantur, illigatione cicadarum adornati.* Thucydidis Scholiastes legit ἐν ἔρσει duabus vocibus, & exponit ἐν πλοκῇ, ἐν ἀναδέσει, παρὰ τὸ εἴρειν, *in nexu, in illigatione, à verbo* εἴρειν, *nectere*. Verùm meliùs legitur vnicâ voce ἐνέρσει, *illigatione*. Est enim verus casus verbi κοσμεῖν, quod datiuo iungitur, à Thucydide, Herodoto, & alijs passim: & venit ab ἐνείρω, *illigo*. Quo composito in re simillima vtitur Ælianus libro 4. Variar. histor. cap. 22. Paria enim ac propè gemina B. Clementi de Atheniensium mollitie perscribit his verbis: Οἱ πάλαι Ἀθηναῖοι ἁλουργῆ μὲν ἠμπίσχοντο ἱμάτια· ποικίλους δὲ ἐνέδυνον χιτῶνας· κορύμβους δὲ ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν, χρυσοῦς ἐνείροντες αὐταῖς τέττιγας. &c. *Prisci Athenienses purpureas induebant vestes: variisque amiciebantur tunicis: etiam corymbis redimiebant capitis comas, iisque aureas innectebant cicadas.* Vbi in hoc differt à Clemente, quòd κορύμβους dixerit; Clemens autem κρωβύλον, & quidem meliùs, vti mox videbitur. Item ἠμπίσχοντο, Clemens autem ἠμπίσχοντο: sed ambo rectè & in eodem significatu, vnum ab ἀμπίσχομαι, alterum ab ἀμπέχομαι, *induor*. Quid autem sint, & quî discrepent κρώβυλος & κόρυμβος, *crobylus* & *corymbus*, exponit idem, qui suprà, Thucydidis Scholiastes his verbis: Κρωβύλος δέ ἐστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον. Ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλος· τῶν δὲ γυναικῶν, κόρυμβος· τῶν δὲ παίδων, σκορπιος. *Crobylus est species implicationis crinium altrinsecus in acumen desinens: vocatur autem in viris quidem crobylus; in feminis verò corymbus; in pueris denique, scorpius.* Omittere non possum, quin hic addam deductum ab iisdem Atheniensium cicadis vetus adagium, & aliqua ex parte corrigam, quod minùs aptè proposuit & exposuit in tertia centuria chiliadis tertiæ, Desiderius Erasmus sub his verbis. *CICADIS PLENI. In gloriosos*, inquit, *ac stultos olim dicebatur, aut obsoletis ac iam desitis vtentes.* Nam aliquanto aptiùs proposuisset, si dixisset, CICADIS PLENA, & exposuisset, *nimis prisca ac vetusta*, rebus scilicet accommodando potiùs, quàm hominibus, nempe exemplis morum aut consuetudinibus iam diu antiquatis & exoletis, aut alijs eiusmodi: quandoquidem antiqui Scriptores, à quibus origo ducta est adagij, sic vsurpauerint. Testes enim sunt hi versus apud Aristophanem in Nubibus:

Ἀρχαῖά γε, καὶ Διπολιώδη, καὶ τεττίγων ἀνάμεστα
Καὶ Κηκείδου, καὶ Βουφονίων.

Antiqua sunt hæc: & Dypolia, & cicadis plena,
Et Cecide & Buphonys.

Quorū versuum hic est sensus: Nimis prisca & exoleta sunt ista, & tam antiqua quā *Dypolia*, id est, festa Ioui vrbium præsidi sacra, & *plena cicadis, & Cecide, & Buphonijs*, id est, tam vetusta, quàm mos Atheniensium ferendi cicadas comis illigatas, & quàm Cecides vetustissimus Scriptor dithyramborum, & quàm antiquissima illa sacra, quæ Athenis in memoriam certi bouis primùm in Acropoli occisi celebrabātur. Vide Aristophanis Scholiastē, vbi hæc pluribus; & Petrū Castellanū in Syntagmate, De festis Græcorū, vbi alia profert ex alijs. Iā autē versus Aristophanis sic scribebat, & exponebat Desiderius:

Ἀρχαῖά γε καὶ δὴ παλαιά, καὶ τεττίγων &c.
Prisca hæc sunt atque obsita canis, & cicadis plena

Verùm vnica voce legitur apud Aristophanem

phanem Διιπολιώδη, non autem duabus, & pars compositi posterior descendit ex πόλις, *vrbs*, vnde πολιεὺς *vrbium præses*; non autem à πολιὸς, *canus*, ex quo πολιώδης, *canescens*; vti existimauit Erasmus. Quædam pulchra & ad mores pertinentia de cicadis suppeditat Eustathius Homeri interpres, ad librum 3. Iliados, pag. 299. in antiqua editione græca.

c *PROPTEREA QVOD NONNVLLI EX ARCHONTIBVS* &c.] Pollux lib. 8. cap. 10. admissos Archontas quotannis in Areopagitarum numerum scribit his verbis: Οἱ δὲ ἐννέα Ἄρχοντες οἱ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, μετὰ τὸ δοῦναι τὰς εὐθύνας, ἀεὶ τοῖς Ἀρεοπαγίταις προσετίθεντο. ὑπαίθριοι δὲ ἐδίκαζοντο. *Nouem Archontes singulis annis, post redditam suæ administrationis rationem, semper Areopagitis addebantur. Sub dio autem iudicabant.*

Ex his corrige Pollucis interpretem, qui in paucis verbis duo peccauit. Vnum, quòd Ἄρχοντες verterit generali nomine *Principes*. Quasi verò hi soli Athenis Principes, aut inter tot magistratus & senatores, hi maximè Principes. Atqui Areopagitæ his præibant, & loco, & dignitate. Alterum, quòd μετὰ δοῦναι τὰς εὐθύνας verterit, *post datum censum*. Nec enim εὐθύνη *censum* significat, sed *rationem administrationis*, hoc loco; aliàs autem, *multam & pœnam*, aliáque huiusmodi, non verò *censum*. Nam hic Græcis τίμημα dicitur.

Notandum etiam non omnes Archontes in Areopagum semper admissos; sed eos duntaxat, qui in suo magistratu rem bene gessissent, idque in reddenda ratione sufficienter comprobassent. Nam fiebat interdum, vt nonnulli culpa sua præcluderentur. Vide suprà in Notat. ad vitam S. Dionysij, cap. 2. litt. M.

AD CAPVT II.

a SACRIS INITIATVM FVISSE ELEVSINIIS &c.] S. Hierotheum his sacris fuisse initiatum (vti & S. Dionysium Areopagitam) vel ex eo solo, quòd Areopagitæ fuerint, videtur clarè & certò inferri. Nam qui maximâ pollebant Athenis auctoritate; & quotum erat, ratione loci atque dignitatis suæ, alijs ad omnem virtutem atque pietatem prælucere, & quod caput est, ad quos spectabat in caussis de religione ac cærimonijs iudicare, hi sanè non poterant eorum sacrorum expertes & ignari esse, quæ totius Græciæ, immo mundi vniuersi censebantur maxima atque sanctissima: & quorum esse participes non solùm Græciæ Principes, sed etiam Romani Impp. appetebant. Et certè, si sacris illis initiati nō fuissent Areopagi Senatores, omnino visi fuissent ea despicere, eóque nomine malè apud omnes, non secus quàm Socrates olim, audiuissent. Quin etiā videtur ipse Dionysius aliquid à sacris illis, instar spoliorum Ægypti, ad ecclesiæ nascētis tutamentum transtulisse, nempe distinctionem graduum inter initiatos, & sacrorum mysteriorum silentium, quæ euulgari prohibebat, & rituum ac cærimoniarū θεωρίας seu contemplationes, quas perfectioribus, velut epoptis, conscribebat. Atque hæc fuit fortassis Apollophani eius sodali needū ad Christi fidem cōuerso, caussa conuitij ac querimoniæ: quòd nimirū Dionysius institutis græcanicis contra Græcos vteretur. Vide ipsius Dionysij epistolā ad Polycarpum Pontificē. Sed de sacris Eleusinijs, quid sint, & cuiusmodi, tracto infrà pleniùs in Notationibus ad vitam S. Quadrati, itidem Athenarum Episcopi, ex oblata ibi occasione, cū ipse Hadriano Imp. iisdē initiato sacris, eáque inuisenti librū pro Christianis obtulit.

b *QVIPPE PRISCA HÆC FIDES ERAT.* &c.] Inualuerat Athenis opinio, felices eos fore & in vita & in morte, qui sacris Eleusinijs essent initiati. Cuius quidem opinionis non obscura nobis reliquit vestigia Isocrates in Panegyrico sub initiū, vbi scribit Cererem post multos errores in Atticā venisse, ac beneficiorum inibi receptorum (quæ solis initiatis audire fas est) memorem, contulisse Atheniensibus δωρεὰς διττὰς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι· τούς τε καρποὺς, οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι· καὶ τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. *duplicia dona, (quæ sunt sanè quàm maxima) fruges scilicet, quæ in caussa fuerunt, ne more belluarum viueremus; & arcana illa sacra, quibus qui initiati sunt, y & de vitæ exitu, & de omni æuo spes habent meliores.* Paria his enuntiat M. Tullius lib. 2. *De legibus*, sub medium, vbi de nocturnis mulierum sacris cum Attico disputans, eáque tollenda censens, interpellanti deinde Attico ac dicenti: *Excipis, credo, illa quibus ipsi initiati sumus*, respondet ipse: *Ego verò excipiam. Nam mihi cum multa eximia diuináque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse; tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus: Initiáque, vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus: neque solum cum lætitia viuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* His simillima, sed aliquanto posteriùs de felicitate initiatorum istis mysterijs, perscripsit Aristides ille Orator, de quo plura ad vitam S. Polycarpi, cuius ipse viuebat æuo, scripsit autem in Eleusiniâ, vbi incēsum Cereris templum deplorat. Tantæ autē felicitatis ac prosperitatis persuasione imbuti Athenienses creduntur soliti esse certo tempore liberos suos istis sacris curare initiandos. Quod Donatus

tus Grammaticus, (quo S. Hieronymus præceptore gloriatur) innuere visus est ad Terentij Phormionem, Actu 10. scena 1. ad illos versus: *Lib. 1 aduersus Ruffinum.*

— *Vbi erit puero natalis dies.*

Vbi initiabunt.

Legitur apud Varronem, inquit, *initiari pueros Edulie & Potica & Cuba, diuis edendi & potandi & cubandi, vbi primùm à lacte & a cunis transierunt. Quod Virgilius:*

Nec Deus hunc mensa: Dea nec dignata cubili est.

Hoc adnotauit Probus. Sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur in insula Samothracum à certo tempore pueros initiari, more Atheniensium. Huc vsque Donatus. Quod si talis mos apud Athenienses inualuerit (probabilem enim facit amor parentum in liberos) certè iam nullo modo dubitari poterit, quin SS. Hierotheus & Dionysius ortu & genere Athenienses, & summo quidem inter populares loco, ijsdem sacris fuerint initiati.

c *VNICVS EX AREOPAGO SENATOR DIONYSIVS.*] Vnicum Areopagi senatorem, cúmque Dionysium in illo primo Paulli Apostoli Athenas aduentu esse cõuersum, apud omnes in confesso est: idque ex Actis Apostolorum, cap. 17. constat. Iam autem S. Hierotheus ab eodem Paullo conuersus fuerat. igitur alibi, antequam Paullus Athenas veniret, & sic quidem ab eodem Apostolo eruditus, vt tradendæ Dionysio disciplinæ fidei aptus esset. Hic enim illum non semel sed sæpius præceptorem suum, adiunctis quoque laudibus, appellat & honorat: vti videre est in vita ipsius S. Dionysij, cap. 23.

d *ATHENIENSI ECCLESIÆ PRÆFECIT*] Huius rei testis est Menæum suprà. Sic autem Paullus suos discipulos certis ecclesijs præficiebat, vt non in omne tempus eos illis affixos vellet, sed tantùm donec aliò auocaret ipse, aut necessitas impelleret, aut vtilitas maior inuitaret. Nam licebat illis, vbicumque demum essent, suo episcopali munere atque auctoritate fungi. Hinc Paullus Timotheum discipulum suum serio ac seuerè commonebat, cùm diceret: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* id est, Ne absque diligenti & accurata scientiæ morúmque disquisitione ad sacros Ordines quenquam promoueas: siue, neminem Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, manus impositione constituas, nisi tales sint, quales tibi in hac ipsa epistola paullò antè descripsi. Nam cap. 3. suprà dixerat: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum, sobrium, prudentem*, &c. Item: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrũ sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes.* &c. Quod autem suprà adiecit; *neque communicaueris peccatis alienis*, id significat eum, qui inidoneos & tali loco indignos inconsideratè & culpâ suâ promouerit, reum ac participem fore peccatorum alienorum. Talis autem commonitio simul & comminatio, primis præsertim sæculis, valde fuit necessaria; ne scilicet penuriȩ Episcoporum ac Sacerdotum in istis initijs prætextu, ij ad istas dignitates allegerentur, qui vel ob ignorantiam essent contemptui, vel ob malam vitam offensioni: ac quod inde consequens est, plus damni ecclesiæ afferrent, quàm adiumenti. Itaque mansit Athenis Hierotheus, quamdiu illi visum est; discedens autem, Dionysio quem Paullus sacrârat Episcopum, ibique rem administrare iusserat, commendauit.

1 ad Timotheum cap. 5. ver. 22.

Ibid. cap. 3. ver. 2.

Ibid. ver 8.

e *HINC FIEBAT, VT SI QVANDO AD MVLTITVDINEM* &c.] Planè insignem euangelij præconem fuisse Hierotheum, & prorsus talem, qualis hic describitur, ipse Dionysius eius auditor atque discipulus testis est. Hæc enim sunt eius verba in libro *De diuinis nominibus*, cap. 3. Ὅτε πρὸς πολλοὺς ἐχρῆν κοινωνῆσαι, καὶ ὅσους δυνατὸν ἐπὶ τὴν καθ' ἡμᾶς ἱερολογίαν περιαγαγεῖν, ὅπως ὑπερεῖχε τοὺς πολλοὺς τῶν ἱερῶν διδασκάλων, χρόνου τριβῇ, καὶ νοῦ καθαρότητι, καὶ ἀποδείξεων ἀκριβείᾳ, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἱερολογίαις. *Quotiescumque nostra cum multis communicare, & quam plurimos ad nostram doctrinam adducere oportuit; Hierotheus plerisque sacris doctoribus, & vsu temporis, & mentis puritate, & demonstrationum certitudine, & ceteris sacræ eloquentiæ facultatibus haud paruo interuallo antestabat.* *Dionysius lib. 3 De diuinis nominibus.*

f *MODO MAGNVM SOLEM.*] Verba S. Dionysij, quibus B. Hierotheum sic appellat, extant loco proximè citato, his verbis: Ὥστε οὐκ ἄν ποτε πρὸς οὕτω μέγαν ἥλιον ἀντωπεῖν ἐγχειρήσαιμεν. *Ita vt contra tam magnum solem nostros figere obtutus nunquam ausi essemus.* &c. Duplex in his verbis deprehenditur comparatio; vna Hierothei cum sole, quæ ad magnam laudem; & altera Dionysij cum infirmis oculis, quæ ad parem spectat humilitatem.

g *MODO VERE AC CONGRVE HIEROTHEVM.*] Sic extremo eodem cap. 3. De diuinis nominibus, illum appellat Dionysius, cùm dicit: Τὰ συνοπτικῶς εἰρημένα τῷ ὄντως Ἱεροθέῳ, διακρίνοντες καὶ ἐκφαίνοντες. *Ea quæ compendiosè ab illo re vera Hierotheo,* [id est, sacro Deo] *dicta sunt, discernentes atque explanantes.* Vt autem Dionysius hæc diceret, in consilio videtur habuisse illa Domini per Regium psaltem verba: *Ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* &c. Quibus in locis Iudices & Principes vocantur Dij, ob participationem potestatis iudicandi ac iubendi

Psal 81. ver. 6

Ioannis cap. 10. ver. 34.

bendi, quæ Dei est propria. Hierotheus igitur, qui illam vtramque potestatem, & quidem in ecclesia, seu rep. sacra tanquam Episcopus, acceperat, merito *sacer Deus* appellatur. Nam ad illum quoque *sermo Dei factus est*, id est, potestas regendæ ecclesiæ illi à Deo commissa est, vt eius esset in Atheniensi ditione vicarius & sacer legislator. Tunc enim verè dicitur in sacris litteris sermo aut verbum ad aliquem fieri, cùm aliquod ei munus officiúmue, præsertim sacrum, committitur. Ita Lucæ cap. tertio *Factum est verbum Domini super Ioannē, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* id est, Factus est sermo ad Ioannem, seu commissum est Ioanni munus prædicandi baptismum pœnitentiæ, & præparandi vias Domini, hoc est, excitandi populum ad occursum & receptionem veri Messiæ & Saluatoris.

Lucæ 3. vers. 2.

h *QVASI ALTERA SCRIPTA DIVINA*] Comparat hîc S. Dionysius beatissimi Hierothei scripta diuinis Apostolorum Scripturis, atque illis esse proxima. Ex quo sanè non modò scriptorum illorum prestantia, sed etiam antiquitas colligi aliquatenus potest. Quis enim de Scriptore tertij aut quarti sæculi talia diceret, qualia hîc de Hierotheo præceptore suo Dionysius? Hæc autem sunt, quæ dicit libro *De diuinis nominibus*, cap. 3. Ταύτῃ τοι καὶ ἡμεῖς τὸν μὲν ὡς τελείων καὶ πρεσβυτικῶν διανοιῶν διδάσκαλον τοῖς ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς ἀφορίζομεν· καὶ τὰ ἐκείνου λόγια, ὥσπερ τινὰ δεύτερα λόγια, καὶ τῶν θεοχρήστων ἀκόλουθα· καθ' ἡμᾶς δὲ ἡμεῖς ἀναλόγως ἡμῖν τὰ θεῖα παραδώσομεν. *Propterea & nos illum* [Hierotheum] *tanquam perfectorum atque exercitatorum ingeniorum magistrum perfectis secernimus: itémque scripta eius, quasi altera scripta diuina, & Apostolis proxima* [scilicet secernimus ab alijs scriptis] *Nostri autem similibus pro nostro & ipsorū captu diuina trademus.* id est, ille perfectus perfectis perfecta scripsit, nos imperfecti imperfectis imperfecta scribemus. Hic porrò sensus ex ipsa paraphrasi Georgij Pachymeræ confirmatur, apud quem clarè extat, vt vbi videre potes. Iam igitur videant ij, qui scripta S. Dionysij Areopagitæ, Apollinari tribuerunt, Scriptori scilicet quarti sæculi, an is potuerit magistri sui scripta tam ab Apostolis remota, vocare altera scripta diuina, & Apostolis proxima: hoc est, velut alteras diuinas Scripturas. Nam has intelligi per δεύτερα λόγια commonstrat S. Maximus, S. Dionysij princeps interpres, cùm ad ea ipsa verba scribit: Σημείωσαι, ὅτι τὰ τοῦ ἁγίου Ἱεροθέου συγγράμματα, ὡς ἁγίαν δευτέραν γραφὴν νομιστέον. *Nota S. Hierothei scripta, velut alteram sacram Scripturam, existimanda esse.* Habuerunt proinde scripta S. Hierothei proximam sacris litteris auctoritatem, ita vt publicè in ecclesijs legi possent: quemadmodum legi antiquitus solitas accepimus epistolas S. Clementis, S. Polycarpi, & quorundam aliorum. Quod priuilegium oppidò multis postea concessum est.

AD CAPVT III.

a SOLET ILLVSTRIVM PERSONARVM &c.] Actum fuit in hoc capite de S. Hierothei accessu ad beatissimæ Virginis MARIÆ excessum & exequias, ac de eiusdem, in ea laudanda, præstanti virtute & gradu eminenti. Quam rem certo testimonio exhibitam habemus à B. Dionysio eius discipulo, in cap. 3. libri *De diuinis nominibus*, ab illis verbis: Ἐπεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἀδελφῶν ἡμῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. &c. *Quoniam & apud ipsos Deo afflatos Pontifices nostros, cum & nos, vt scis, & ipse* [Hierotheus] *& multi è sanctis fratribus nostris ad contemplationem corporis illius, quod vita principium extitit, ac Deum suscepit, conuenissemus* &c. id est, ad contuendam Virginem Dei matrem, quæ vitæ principium extitisse dicitur, quia Christum vitam nostram genuit. Ipsemet enim de se prædicat. *Ego sum via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* id est, Ego sum dux viæ, doctor veritatis, dator vitæ. Nec potest quisquam ire ad Patrem & ad cælum, nisi eum duxero, docuero, & viuificauero. De excessu Virginis & sanctæ multitudinis ad eam accessu scripsisse particulatim dicitur S. Cosmas quidam, Apostolicorum temporum vicinus, & ea quidem audiuisse ab ijs qui sacro illi conuentui interfuerant. Non extat hodie illa narratio, quam habuisse & legisse videtur Pelbartus Osualdus Temesuariensis, acceptam fortassis è nobilissima Matthiæ Coruini Regis Hungariæ bibliotheca, ad quam illi, vtpote vicino seu Trāssiluano, facilis fuit accessus. Vide ipsum Pelbartum in Stellario suo, lib. 10. parte 5. artic. 1. capitulo 11. vbi nonnulla inde excerpta repræsentat. Quidam verba S. Dionysij aliter interpretati sunt, hi quidem de Christi Domini sepulchro, illi de domo S. Ioannis Euangelistæ, nonnulli etiam de aspectu corporali IESV, post ipsius resurrectionem. Quorum verba cùm alibi protulerim & refellerim, non hîc actum agam, sed locum duntaxat, vbi ea reperiantur, indicabo. Vide igitur suprà, Notationes nostras in caput sextum VITÆ S. DIONYSII.

Ioannis 14. vers. 6.

Hierotheum verò illi sacro Apostolorum cœtui interfuisse, testis est & Menæum

Græco-

Græcorum elogio 14. suprà, & 30.

b *PLVRIVM EIVSMODI HYMNORVM*) Composuisse Hierotheum non modò in Deiparæ laudem, sed in alia quoque argumenta diuersos hymnos, auctor est ipse illorum possessor atque custos Dionysius. Vtinam & qui ab eo per manus exceperunt, meliùs custodissent! Partes aliquas illorum hymnorum, siue libri potiùs hymnos illos continentis, retuli paullo antè inter ipsius sancti viri FRAGMENTA. Videtur enim ipse hymnis suis præfationes aliquas liberâ ac solutâ oratione præmisisse, in iisque velut quædam illorum fundamenta, & intelligentiæ adiumenta posuisse, vnde Dionysius ea, quæ ex illo citat, decerpserit. Neque enim partes ipsorum hymnorum dici possunt, vt attentiùs consideranti facilè cognoscitur: cùm nec imago vlla rhythmorum cernatur, nec versuum, quibus hymni scribi solent, immo neque encomiorum atque laudum, sed documentorum potiùs & explanationum. Nam *hymnus* propriè, carmen est in Dei, Diuorumue, aut Heroum laudes. Et est origo hymnorum tam in sacris, quàm in profanis auctoribus multò antiquissima: sed ab vnius veri Dei cultoribus in acceptorum diuinitus beneficiorum memoriam primùm vsurpata, deinde malorum instinctu dæmonum ad falsos Deos à Gentilibus Poëtis traducta. Habet quidem vetus primæuæ legis instrumentum suos hymnos, siue, vt communiùs appellantur, cantica; sed ijs Christi ecclesia statim ab initio longè vberiùs abundauit. Effundebantur enim Christiani, post receptam Spiritus sancti gratiam, in Dei & Christi IESV laudes, quibus certatim super copia beneficiorum gratias summo largitori agebant. *Nolite*, (inquiebat Paullus Ephesijs nuper ad

Ad Ephes. 5. ver. 18. Christi cultum conuersis) *inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri IESV Christi, Deo & Patri.* Nec verò tantùm ab alijs compositos veteres hymnos canebant; sed etiam, quibus ea facultas erat, cōponebāt nouos. De Christianis enim procul dubio sub nomine Essæorū loquitur Philo Iudæus, in lib. De vita contemplatiua, dum

Philo lib. de vita contemplatiua. scribit inter alia: Οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν, διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν, ἃ ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράττουσι. &c. *Non solùm contemplantur; sed etiam cantica hymnósque in Dei laudem componunt vario metrorum carminúmque genere, quæ rhythmis grauioribus necessariò effingunt*. Dicit autem necessariò effingere rhythmis grauioribus, eò quòd omnis speciès leuitatis ab illis procul arceretur. Deinde extremo eodē libro, loquens de sancti coetus præside, quem πρόεδρον appellat, sic ait: Καὶ ἔπειτα ὁ ἀναστὰς ὕμνον ᾄδει πεποιημένον εἰς τὸν Θεὸν, ἢ καινὸν αὐτὸς πεποιηκὼς, ἢ ἀρχαῖόν τινα τῶν πάλαι ποιητῶν. *Ac postea surgens compositum in Dei laudem hymnum concinit, seu quem ipse composuerit, seu alium quempiam vatum antiquorum.* Moysis scilicet, aut Dauidis, aut cuiusuis alterius Prophetarū. Loqui autem Philonem de Christianis è gente Iudaica ad Christum conuersis, vel inde colligi maximè videtur, quòd degentes inter illos feminas perpetuam coluisse virginitatem studio perfectionis doceat. Sed de Essæis siue Essenis (vtroque enim nomine sunt appellati) post Eusebium, Epiphanium, Hieronymum, qui Christianos fuisse contendunt, vide insignem doctissimi Baronij disputationem, tomo Annalium ecclesiasticorum primo, ad Christi 64.

Porrò nullius in noua lege antiquioris Hymnographi mentio fit nominatim, quàm S. Hierothei. Post illum autem sequentibus sæculis varij extiterunt hymnorum scriptores, seu ex Episcopis, seu ex alijs. Græcorum quidem SS. Patrum: Synesij Ptolemaidis Episcopi, S. Cyrilli Alexandriæ, S. Ioannis Damasceni, Theophanis, Cosmæ Hierosolymitani, & quorundam aliorum nonnulli hodiéque supersunt hymni: Latinorum verò; S. Hilarij, Ambrosij, Damasi, Prudentij, Venātij Fortunati, Drepanij Flori, plurimū olim laudati, iā magna ex parte desiderantur: nisi quòd Prudentij integer habeatur liber Καθημερινῶν inscriptus, hoc est, *Quotidianorū hymnorum*, tanquā scilicet quotidie canendorū: & sanè merentur quotidie cani. Nā & ecclesia ipsa nōnullos inde desumpsit certis temporibus in Officio canonico decantandos. Et alter item superest Περὶ στεφάνων, *De Coronis* appellatus. Laudat enim inibi perillustres Sanctos, martyrij coronis redimitos. Sanctorum vero Hilarij & Ambrosij non tantùm laudantur à concilio Toletano quarto, sed etiam eorum reprobatoribus minæ excommunicationis intentantur. Sic enim in eo concilio, cap. 12. habetur inter alia: *Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque in Apostolorum & Martyrum triumphos, compositi esse noscuntur; sicut hi quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt.* &c. vbi ad extremum subdit: *Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrûm vlteriùs improbet, sed pari modo in Gallicia Hispaniáque celebret: excommunicatione plectendi, qui hymnos reijcere fuerint ausi.* Ita Concilium Toletanum quartum tempore Honorij Papæ I.

Iam inter omnes hymnos, qui nunc extant, meritò palmam principatúmque obtinent ij, quos S. Thomas Aquinas de Venerabili Eucharistiæ sacramento composuit

fuit, & omnis ecclesia sanctorum suscepit. Sed de his satis.

AD CAPVT IV.

a PRÆCIPVA ERVDITIONIS CHRISTIANÆ PVNCTA &c.) Scripsisse S. Hierotheū catechesin quandam, siue prima Fidei nostræ rudimenta, quæ institutiones seu informationes Theologicas appellauit, manifestum est è S. Dionysij testimonio, qui illas citauit. Vide suprà cap. V. vitæ ipsius S. Hierothei. Sic autem ea rudimenta, seu, vt alij vocant, *elementa Theologica* conscripsit; vt ea teri rudium manibus nollet, sed tantùm ab ijs, quorum erat illos erudire, seruari ac legi, & viua voce explicari. Sic enim cautum volebat, vt nostra mysteria ad profanos non emanarent: quemadmodum alibi dictum est.

b PENETRAVIT IN HISPANIAM) Testis Flauius Lucius Dexter ad annum Domini 71. & Vrbis Romæ 822. vbi de illo expressè dicit: *ad Hispanias se contulit, prius Episcopus Atheniensis, post Segouia in Areuacis Episcopus.* Reliquos igitur Hispaniæ populos more Apostolorum peruasit Hierotheus, sed in Areuacis Episcopus consedit. Hi populi à Claudio Ptolemæo (qui omnem Hispaniam in tres partes diuidit, in Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconensem) Ἀρευάκαι, *Areuacæ* appellantur; Straboni autem, vti & Plinio, Ἀρευάκοι, *Areuaci*. Assignantur autem parti Tarraconensi, in cuius descriptione populorum ita libro 2. suæ Geographiæ Ptolemæus: Ὑπὸ δὲ τοὺς Πελένδονας καὶ τοὺς Βήρωνας Ἀρευάκαι· ἐν οἷς πόλεις μεσόγειοι, αἵδε. &c. *Sub Pelendonibus verò ac Beronibus AREVACÆ sunt: in quibus ciuitates hæ mediterraneæ.* &c Inter alias autem multas numerat Segobiam & Numantiam, quas græcè vocat Σεγουβίαν, Νουμαντίαν. Strabo autem lib. 3. Geographiæ, situs prouinciarum describens sic inter alia: Πρὸς Ἕω δὲ, Ἰδούβεδα, αὐτῶν τε Κελτιβήρων εἰς τέσσαρα μέρη διῃρημένων, οἱ κράτιστοι μάλιστα πρὸς Ἕω εἰσὶ καὶ πρὸς Νότον οἱ Ἀρουάκοι συνάπτοντες Καρπητανοῖς, καὶ ταῖς τοῦ Τάγου πηγαῖς· πόλις δ' αὐτῶν ὀνομαστοτάτη Νομαντία. &c. *Ad Orientem verò est Idubeda, & Celtiberis in quatuor partes diuisis, eorum fortissimi ad Orientem maximè & ad Meridiem sunt Areuaci, Carpetanis & Tagi fontibus contermini. Illorum vrbs nominatissima est Numantia.* Plinius autem lib. 3. natur. historiæ, cap. 3. *Areuacis*, inquit, *nomen dedit fluuius Areua. Horum sex oppida, Saguntia & vxama, quæ nomina crebrò alijs in locis vsurpantur: præterea Segouia & Noua Augusta, Termes, ipsáque Clunia Celtiberiæ finis.*

c SACRATISSIMVM EIVS CAPVT NVNC POSSIDEAT HISPANIA] Asseruatur enim tam diuinum pignus à Cistertiensibus Religiosis monasterij Sandoualis, in diœcesi Legionensi, vbi illud vidit & detexit doctissimus simul & religiosissimus Franciscus Biuarius. Ostenderunt ei quidem Monachi caput, sed ipse illis ostendit occultum, & quod illos latebat, capitis indicium. Nec enim vllum scriptum exhibere poterant, quo illud esse S. Hierothei comprobarent, ipse verò inuolutum linteolo caput cùm detexisset, inscriptionem græcam pro certissimo testimonio reperit. Quod refert ipsemet in Commentario suo ad Flauij Lucij Dextri chronicon, anno Christi 71. Cuius non pigebit ipsa verba, ad S. Hierothei honorem proferre: *Postquam eiusmodi commentarijs*, inquit, *Romæ finem imposui, in Hispaniam reuersus cum casu apud Monachos Cistertienses monasterij Sandoualis, diœcesis Legionensis agerem, & Reliquiarum sacra scrinia sedulo euoluerem, percepi caput inibi diuini Hierothei asseruari. Ita siquidem traditum à maioribus suis senes Monachi asseuerabant. Et caput quidem sacrum inter Reliquias extabat; sed scriptura eius rei desiderabatur. Venit nihilominus mihi in mentem cranium à linteolo, quo à multis retro annis strictissimè inuolutum, & filis assutum seruabatur, exuere: si forsã, testimonium aliquod eius rei interius reperire liceret; & ecce Deo auspice, membranula vetustissima longitudinis dimidij digiti, cum parte cranij, Abbate & Monachis omnibus præsentibus reperta est, cum eiusmodi græcis characteribus:* ΚΕΦΑΛΗ ΙΕΡΟΘΕΟΥ, *quod sonat CAPVT HIEROTHEI. Incredibilis subitò lætitia mentes omnium subijt, & super tanto dono, Abbate ita disponente, pro gratiarum actione processio solemniter celebrata est, & Missa de eodem diuino Doctore & Antistite decantata, ipsa inuentionis die, quæ fuit quinta Aprilis, anni Domini 1625. festo S. Isidori dedicata.* Hactenus ille de sanctissimi Hierothei repertis & testatis & honoratis Reliquijs. Ex quibus eorum, quæ à Dextro allata sunt, confirmationem colligit. *Quò probabiliora*, inquit, *redduntur, quæ de reditu eiusdem Hierothei Athenis ad Hispanias à dextro scribũtur, & de Segobiensi ecclesia ab eo erecta. Vnde verisimile est tempore Saracenicæ deuastationis à Christianis asportata fuisse sacra illius pignora ad Legionensis diœcesis montana: ad quorum radices monasterium Sandoualis situm est.*

Hinc autem licet condiscere, quàm bonum sit magni facere, amare, requirere, ornare Sanctorum Reliquias. Latent enim interdum ingentes thesauri, qui in lucem producti magna venerãtibus commoda importarent, vt in multis, & fortè in hoc ipso Hierotheo iam accidit. Nã de S. Gregorij Thaumaturgi capite, postquam innotuit & in honore fuit, multorum bonorum fonte, dicemus, cùm ad vitam eius, ducente Deo, venerimus.

AD

AD CAPVT V.

IN eo capite recensita sunt priùs S. Hierothei scripta: deinde aliqua ex ijs fragmenta in medio posita. Duo igitur dumtaxat libri eius memorantur: nempe *Institutiones Theologicæ*, quas citat B. Dionysius in libro *De diuinis nominibus*. cap. 2. & *Hymni amatorij*, quorum ea sola supersunt fragmenta, quæ protulimus. Pro quorum intelligentia licet adire S. Maximi Scholia græcè iam olim edita, sed nuper à Petro Lansselio latinitate primùm donata: aut Georgij Pachymeræ græcam paraphrasin, cuius latinam interpretationem nostri Balthasaris Corderij iam audio in procinctu esse, vt in lucem exeat: aut Ioannis Sycopolitani Antistitis, (si quidem etiamnum supersint) παραθέσεις siue *additamenta*, quæ se latina fecisse Anastasius Bibliothecarius in sua præfatione ad Christianissimum Regem Carolum Caluũ profitetur: aut è Latinis Commentatoribus, vnum pro omnibus S. Thomam Aquinatem, in commentario ad librum S. Dionysij *De diuinis nominibus*: qui commentarius primæ eius parti subiunctus est. Sed illud penè me effugit, quòd Antonius Posseuinus ad calicem tomi 2. sui *Apparatus sacri*, inter indices Græcorum manu scriptorum, speciatimque *EX CATALOGO LIBRORVM VARIIS IN LOCIS CONSTANTINOPOLI EXTANTIVM, qui sunt græcè M. S. quique à Grammatico fuere exhibiti* (sic enim apud eum habet titulus) codex ordine decimus tertius sic notatur: *EXPLICATIO S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRIÆ IN S. HIEROTHEVM AREOPAGITAM.* Quæ explicatio si fortè reperiri possit, vtinam auro contrà pensetur, & à tenebris in lucem vindicetur. Neque enim est dubium, quin sacer tanti viri labor aliquid noui in commune daret, quò & hunc ipsum Hierotheum pleniùs cognosceremus; & discipulorum eius primum florem, magnum illũ Dionysium fortiùs protegeremus. Adde ad Fragmenta è Theologicis institutionibus referri posse illud eiusdem S. Hierothei dictum, quo sacram Eucharistiam seu diuinam Synaxin appellauit τελετὴν τελετῶν, SACRAMENTVM SACRAMENTORVM, hoc est, omnium Sacramentorum nobilissimum, sanctissimum, saluberrimum. Id dictum magistro suo Hierotheo attribuit S. Dionysius, libro De ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. vbi post factam altero capite proximo venerandæ Eucharistiæ mentionem, sic tertium incipit: Ἀλλ᾽ εὖγε, ὅτι ταύτης ἐμνήσθημεν. οὐ θεμιτὸν ἐμοὶ παραδραμόντι τῶν ἱεραρχικῶν τι πρὸ ταύτης ἕτερον ὑμνῆσαι. Καὶ γάρ ἐστι κατὰ τὸν κλεινὸν ἡμῶν καθηγεμόνα, τελετῶν τελετή. *Sed bonum factum, quòd illius meminerimus, quâ mihi prætermissâ nefas esset aliquid aliorum ad Pontificium munus spectantium præ illa celebrare. Est enim ipsa, ex inclyti præceptoris nostri sensu, SACRAMENTVM SACRAMENTORVM.* Ad quæ verba S. Maximus, τὸν ἅγιον Ἱερόθεον λέγει, *Significat sanctum Hierotheum*, inquit. Idémque docet Pachymeras in sua ad eum locum paraphrasi. Et illis quoque assentitur Dionysius Carthusianus in sua ad illud caput elucidatione. Quod autẽ Ioannes Scotus in sua latina versione reddiderit *HOSTIARVM HOSTIA*, mihi neutiquam arridet. Nam præter quod in eo libro non de hostijs agitur, sed de sacramentis, quæ latiùs patent, quàm hostiæ; etiam non adeo magna laus est, hostiam illam diuinam alijs præferre hostijs; at sacramentis omnibus, multò maior.

Iam circa primum à S. Dionysio productum & laudatum S. Hierothei Fragmentum duo mihi videntur explicanda: vnum quidem in antecedentibus Dionysij verbis magistrum suum mirificè extollentis: alterum in ipso Hierothei Fragmento.

Dixit igitur Dionysius inter alias magistri laudes, eum *non didicisse tantùm, sed etiam passum esse diuina.* Eius verba illic à me omissa, ne bis repetenda essent, hic commodè ponentur simul & explicabuntur: ita vt clarè intelligi queat, quid sit propriè *pati diuina* hoc loco. Itaque ante illud primum fragmentum suprà positum hæc præmisit Dionysius: Ταῦτα δὲ ἡμῖν τε ἐν ἄλλοις ἱκανῶς εἴρηται, καὶ τῷ κλεινῷ καθηγεμόνι κατὰ τὰς θεολογικὰς αὐτοῦ στοιχειώσεις ὕμνηται λίαν ὑπερφυῶς· ἅπερ ἐκεῖνος εἴτε πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων παρείληφεν, εἴτε καὶ ἐκ τῆς ἐπιστημονικῆς τῶν λογίων ἐρεύνης συνεώρακεν, ἐκ πολλῆς τῆς περὶ αὐτὰ γυμνασίας τε καὶ τριβῆς· εἴτε καὶ ἔκ τινος ἐμυήθη θειοτέρας ἐπιπνοίας, οὐ μόνον μαθὼν, ἀλλὰ καὶ παθὼν τὰ θεῖα· κἀκ τῆς πρὸς αὐτὰ συμπαθείας, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, πρὸς τὴν ἀδίδακτον αὐτῶν καὶ μυστικὴν ἀποτελεσθεὶς ἕνωσιν καὶ πίστιν. *Hæc autem & à nobis alibi satis dicta sunt, & ab inclyto præceptore, in suis Institutionibus Theologicis perquam eximiè celebrata: siue à sacris Theologis illa acceperit; siue ex accuratâ Scripturarũ perscrutatione, per multam in eis exercitationem, vsúmque diuturnum perspexerit; siue ab aliqua diuiniore inspiratione instructus fuerit, non solùm edoctus, sed etiam passus diuina: quadam cum illis, si ita loqui oportet, συμπαθείᾳ, seu conuensentia & consensione naturæ, ad mysticam & quæ non docetur ipsorum coniunctionem atque fidem perfectè prouectus.* Quibus in verbis aliquid certè multò maius Hierotheo tribuitur, quàm à plerisque, & quàm ab ipso etiam S. Thoma Aquinate (quamuis omnium consensu doctissimo, sed tamen græcarum litterarum inscienti) tribuatur. Nec enim vult Dionysius per *pati diuina*, tantùm significare Hierotheum vehementiori;

Lib. De diuinis nominibus cap. 2.

tiori quodam modo & quasi passionatè, vt vulgus loquitur, ex parte voluntatis, (vt innuit S. Thomas ad hunc Dionysij locum, lectione 4.) affectum esse ad diuina; sed etiam peculiares Spiritus sancti illapsus, vti multis Prophetarum accidit, suscepisse. Sic qui raptus & ecstases patiuntur, qui subitò linguis loquuntur, qui longè pòst futura & occulta tanquam præsentia intuentur aut prædicunt: qui derepentè vires longè hominis captum superantes recipiunt; si ista omnia peculiari Dei dono aut inspiratione recipiant, pati diuina dicuntur. Sic diuina passus est Samson, Iudicum 14. vbi dicitur: *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare.* Et cùm aliàs sæpius eodem irruente Spiritu maiora homine patrauit. Sic diuina passus est Saul, cùm venit ad cuneũ prophetarum lib. 1. Regũ ca. 10. *& insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*, id est, hymnis planè extraordinarijs, & modo feruoréque prorsus insolito Dei laudes celebrauit: adeo vt versum fuerit in prouerbium: *NVM ET SAVL INTER PROPHETAS?* Quod in eos valet, qui præter omnium expectationem, occulta Dei inspiratione & peculiaribus auxilijs subitò insignes euadunt concionatores, aut prophetæ, aut qui è magnis peccatoribus maiores emicant sancti. Ita de P. Gaspare Barsæo, homine Zelando, qui cùm in Lusitania tam ineptus ad concionandum visus esset, vt nihil vnquam eo in genere taliturus videretur, pòst autem in Indijs optimus Orator, & fructuosissimus concionator extitisset, idque planè diuinitus, de illo, inquam, ab ijs qui priùs nôrant & prima eius experimenta riserant, dici accómodè poterat: *NVM ET SAVL INTER PROPHETAS!* Verè enim ille vir, (vt ex eius vitâ studio nostri Nicolai Trigaultij conscripta liquet) diuina non rarò passus est. Iam, vt ad S. Hierotheum redeamus, cùm ipse in Apostolorum cœtu infinitam Dei potentiam, IESV voluntariam infirmitatem atque ad nos descensum, Virginis singularem excellentiam, hymnis inusitatis & planè diuinis totus excedens, totus se deserens (vt testis oculat⁹ scribit Dionysius) magna cum admiratione adstantium cælo extolleret, tum sanè diuina verè patiebatur, verè loquentem in se Deum susceperat, ac velut deificatus apparebat. Id enim illa συμπάθεια πρὸς θεῖα, *conuenientia cum diuinis*, quæ in eo fuisse prædicatur, significat; nempe de diuinis loquendo diuinum esse factũ, & verè se Hierotheum, repræsentatâ in se nominis sui significatione, præstitisse. His quæ diximus de diuina patientibus astipulantur ea, quæ ad dictum S. Dionysij locum

Iudicum 14. ver. 6.

Lib. 1 Regum cap. 10. ver. 10

profert S. Maximus hisce verbis, inter alia: Καὶ ὁ ἅγιος Ἱερόθεος λέγεται μὴ μόνον μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ παθεῖν τὰ θεῖα· καὶ ὁ δι' ἀποκαλύψεως τὰ θεῖα μυούμενος ἐξίσταται ἑαυτοῦ, καὶ καλῶς λέγεται παθεῖν τὸ ἐπωφελὲς τοῦτο πάθος, ἵνα θεοῦ γένηται καταγώγιον. *Et sanctus Hierotheus dicitur non solum didicisse, sed etiam passus esse diuina; atque is qui per reuelationem diuina edocetur, extra se rapitur, ac rectè dicitur hanc vtilem pati passionem, vt Dei fiat domicilium.* Sic ille. Vtinam autem & hodie multi reperiantur, non edocti tantùm, sed & passi diuina! siue in corpore ad robur contra hostes, vt Samson; siue in animi fortitudine ad quæuis pro Christo patienda, vt martyres; siue in mentis acie, ad euoluenda Scripturarum obscura atque abdita, vt Doctores; siue ad futura prospicienda, & in commune bonum enuntianda, vt prophetæ! Talium enim vnus, instar mille; & decem essent quasi multa millia.

Ad alterum verò quod attinet, nempe ad verba quædam S. Hierothei in primo fragmento posita, cum quibus aliquis è Theologorum palæstra luctari fortè audeat, quasi malè vel incautè dicta sint, ea græcè sic habent: Τοῦ ΙΗΣΟΥ θεότης οὐσιῶσθη. Quæ si reddamus è verbo, sic sonabunt *IESV deitas essentiata est*, (vt vertit Scotus) vel, vt alij, *substantiata est*, aut, *substantia facta est*, aut iuxta interpretationẽ, qua S. Thomas vsus est, *substantia factus est*, habito scilicet respectu ad rem significatam magis, quàm ad verba. Quam interpretationem secutus sum, maximè propter subiuncta verba illa: καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν, *& homo superdeus extitit.* Nihil enim aliud dicere intendit S. Hierotheus, quàm Dei filium naturam nostram assumpsisse, & factum esse hominem superdeum, hoc est, verè Deum, & omnibus qui vocantur Dij, maiorem ac præstantiorem. Thomas Gallus, vulgò Abbas Vercellensis, claritatem secutus & latinitatem, vertit: *Substantiam nostræ carnis accepit.* Eandem versionem retinuerunt Ambrosius Camaldulensis, Florentinus; & Marsilius Ficinus. Sed in ea versione non sic aduertitur modus loquendi, quem vsurpauit S. Hierotheus dicendo, vt suprà, IESV DEITAS [vt sic molliùs loquamur] ESSENTIA FACTA EST. hoc enim propriè est οὐσιῶσθη. Multò autem latiùs patet *essentia*, quàm *substantia nostræ carnis*. Nam illa Angelos & res omnes creatas comprehendit, quarum substantiam æquè accipere potuit Dei Filius, quàm humanam. Neque item Deitas, strictè loquendo, accepit substantiam nostræ carnis; sed Deus Verbum, seu Dei Filius. Modum autem illum loquendi S. Hierothei inobseruatum præterijt hoc loco S. Thomas; non præterijt verò Dionysius Carthusianus, sed obseruauit, saltẽ ex parte, ad hũc

locum,

locum, siue in elucidatione capitis 2. De diuinis nominibus, articulo 13. vbi sic de illo scribit: *Iste modus loquendi modò resolutus est ad terminos aptiores. Porrò Sancti intenti excellentiæ rei magis aspexerunt ad rem, quam ad proprietatem sermonis: quod posteriores Theologi, propter importunitates instantiarum hæreticorum vitarunt. Itaque quod hic dicitur Deitas descendisse, & essentiata, seu incarnata, exponendum est per concreta; vt sit sensus, quod Deus seu vnigenitus Dei venit & incarnatus est.* Sic ille. Denique tam ex parte prædicati, quàm ex parte subiecti desiderabat Hierothei oratio aliquam lucem, vti paullò ante ostendimus.

Iuuat autem antiquorum SS. Patrum similes loquendi modos obseruare, quò & in alios, si qui fortè talia & tali modo dixerint, mitiores simus, meliorémque in partem interpretemur, præsertim dum aliunde eorum sanitas doctrinæ, & sanctitas vitæ cognita sit atque perspecta.

Sicut ergo S. Hierotheus dixit θεότης οὐσιώθη, *deitas incarnata est*: sic magnus ille Ignatius Theophorus in epistola, *Ad Magnesios*, dixit οὐσία γεννητή, *essentia genita*, in hoc ab Hierotheo tantùm discrepans, quòd ipse de æterna in diuinis generatione loquatur; Hierotheus autem de temporali in humanis productione, seu incarnatione. Verba S. Ignatij de Christo sunt hæc Ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης. Οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. *Qui est eius verbum, non prolatum, sed essentiale. Nec enim vox est articulati sermonis; sed diuinæ efficacitatis genita essentia.* Vbi vox *essentia* ponitur pro persona Filij. Essentia enim solitariè accepta licet communicetur Filio, non tamen ideo gigni dicitur, cùm eadem communicetur & Spiritui Sancto, qui tamen non dicitur gigni, sed spirari. Sensus autem Ignatij ex alijs eius locis compluribus satis notus est, & nulla ex parte dubius. Iam & multi aliorum SS. Patrum dixerunt naturam Verbi incarnatam, quæ locutio timidioribus quidem Theologorum reformidatur, sed tamen à S. Thoma Aquinate suscipitur & defenditur. Vide illum in 1. p. q. 2. art. 1. in resp. ad 1. & ad 3. Prout enim ab illis Patribus pronuntiata est & intellecta, bonum & verum sensum habet: si postea venerunt hæretici, qui abusi sunt, atque in erroris sui venenum, sequiùs interpretando, eã deflexerunt; quid nobis curæ? Teneamus, quod tenemus: nec ob alienorum iniustam inuasionem nostra deseramus. Quid si enim omnia dicta nostra inficere suis prauis interpretationibus velint; idcóne tacebimus, & nos æterno silentio damnabimus, quia bonis dictis nostris malè illis abuti placet? Vtamur iure nostro, & per vera ac sincera dictorum nostrorum interpretamenta violentiæ resistamus alienæ. Ita fecit aduersus Apollinarem & Eutychetem malè SS. PP. dicta interpretantes Synodus V. Generalis siue Constantinopolitana, capitulo IX. his verbis: Εἴ τις λέγων μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην, οὐχ οὕτως αὐτὸ ἐκλαμβάνει, ὡς ὅτι ἐκ τῆς θείας φύσεως καὶ τῆς ἀνθρωπίνης εἷς Χριστὸς ἀπετελέσθη ὁμοούσιος ἡμῖν ὁ αὐτὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ἀλλ' ὅτι τῆς θεότητος καὶ τῆς σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ μία φύσις ἤτοι οὐσία ἀπετελέσθη, κατὰ τὴν Ἀπολιναρίου καὶ Εὐτυχοῦς κακοπιστίαν, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dicens vnam naturam Dei Verbi incarnatam, non sic hoc intelligit, quod ex diuina natura & humana vnus Christus effectus est consubstantialis Patri secundùm Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem; sed quod Deitatis & carnis Christi vna natura siue substantia effecta est secundum Apollinaris & Eutychetis perfidiam, talis anathema sit.* Igitur ista Synodus propositionẽ admittit, quæ est SS. Patrum Athanasij, Cyrilli, & aliorum; sed interpretationem venenatam damnat ac reijcit. Ita & de illa sentiendum ac iudicandum est, qua dicitur Filius Dei vnigenitus suscepisse hominem. Intelligunt enim SS. Patres suscepisse naturam humanam: si qui intelligant aliud, reprobentur: sed maiorum sanctitate plena auctoritas defendatur. Quare minimè approbo Garsiæ Loaysæ vnam Notam ad cap. 1. Concilij Toletani quarti, eadem locutione vsi, *SVSCIPIENS HOMINEM*] *Phrasis est Patrum, inquit, quam Scholastica Theologia meritò, propter hæreses, non suscipit: quin potius hac vtitur,* SVSCEPIT HVMANITATEM. Immo asserere contrà audeo, immeritò non suscipere, quod plurima SS. Patrum turba suscepit, atque, vt alios omittam, quod vsurparunt S. Hilarius lib. 9 de Trinitate; Gregorius Nyssenus orat. in Natalem Domini; Ambrosius lib. 5. De fide, cap. 5. Hieron. in epist. Ad Galathas; Augustinus in multis locis, vt ipsemet Garsias fatetur. Nam si hæreticorum incipiamus timere calumnias, quid nobis in loquendo tutum? Non dicemus cum Paullo condelectari nos legi Dei secundùm interiorem hominem, ne exsurgant hæretici, qui dicant duos in nobis esse homines. *Ad Romanos cap. 7. ver. 22.* Atqui illa hominis apud Paullum significatio longè est à propria significatione remotior, quam illa apud SS. Patres. Quare illi, quos timidos facit Garsias, *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* *Psal. 13. ver. 5.* At nos Scripturæ sacræ adhærentes, & SS. Patrum vestigijs insistentes nihil timeamus, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* *Prouerb. 10. ver. 9.* Denique hymnus ille tã celebris *TE DEVM LAVDAMVS* &c. totiésque tam in Sanctorum festis, quàm in lætis bonorum nuntiorum diebus, per ecclesias decantatus, illam ipsam locutionem continet, quam dicit Garsias à

The-

Theologia Scholaſtica non ſuſcipi. Canit enim Eccleſia in illo hymno inter alia:

Tu rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem,
Non horruiſti Virginis vterum.

id eſt, tu ſuſcepturus hominem ad liberandum eum, non horruiſti deſcendere in vterum ſanctiſſimæ Mariæ Virginis, & ex ea naſci. Ibi ergo vſurpat Eccleſia *ſuſcipere hominem*, pro *ſuſcipere humanam naturam*. Nec poteſt dici Theologia Scholaſtica meritò non ſuſcipere, quod Eccleſia tota meritò ſuſcipit, ſed debet potiùs meritiſſimò ſuſcipere. Verùm de hoc iam ſatis ſupérque. Nam de alijs S. Hierothei dictis, ad laudatos remitto partim Græcorum, partim Latinorum, hoc eſt, S. Maximi & Pachymeræ, S. Thomæ & Dionyſij commmentarios.

AD CAPVT VI.

TOtum hoc caput è Menæo Græcorum eſt deſumptum. Quod cùm facile ſit & clarum, & ferè è verbo à me conuerſum, nihil ad eius explicationem addendum eſt. Hoc vnum duntaxat eſt obſeruandum, reperiri quidē illa omnia elogia ad vnam eandemque diem, nempe quartam Octobris, ſed non perpetuâ continentique ſerie, vt ſunt à nobis diſpoſita; ſed alijs quibuſdam aliorum Sanctorum elogijs, qui eadem die celebrantur, interiectis. Atque id in Menæo eſt ordinarium, vt nunquā ferè omnia vnius Sancti elogia coniūctim, & ſeorſum ab aliorum eiuſdem diei Sanctorum elogijs collocent: ſed tria vnius, adiecto vno in Deiparæ honorem; deinde tria alterius, adiecto itidem vno in eiuſdem Deip. honorem: deinde tria rurſus prioris, eodem modò quo antè; & pòſt, tria ſimiliter alterius, adiecta, ſicut priùs, laude beatiſſimæ Virginis loco quarto: ac præterea ſingulatim nonnulla iam vni ſancto, iam alteri propria, quæ meliùs illic dignoſci, quàm hic exprimi poſſunt. Ego autem, relictis intermedijs ad alios ſpectantibus, ea ſola decerpſi, quæ S. Hierothei propria inueni, quæ lector æqui bonique, vt ſpero, conſulet.

AD MAIOREM DEI OPT. MAX.
& S. Hierothei gloriam.

VITA

VITA
SANCTI PAPIÆ
HIERAPOLEOS EPISCOPI.

CVIVS MATERIES E SVBIECTIS AVCTORIBVS COLLECTA EST:

EX ipſiuſmet S. Papiæ Scriptis.
S. Irenæo Lugdunenſi Archiepiſcopo & Martyre.
Euſebio Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo.
S. Hieronymo Presbytero.
S. Andrea Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo.
S. Anaſtaſio Sinaita.
Photio Patriarcha Conſtantinopolitano.
S. Maximo Martyre, Magni Dionyſij Scholiaſte.
Oecumenio Catenæ SS. Patrum contextore.
Georgio Pachymera Magni Dionyſij Paraphraſte.
Nicephoro Calliſto.
Martyrologijs Romano, V. Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum.

ANTIQVORVM SCRIPTORVM

DE SANCTO PAPIA

TESTIMONIA.

S. IRENÆI LVGDVNENSIS ARCHIEPISCOPI.

L. 5. aduersus hæresis, cap. 33.

ΤΑῦτα δὲ καὶ Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἀρχαῖος ἀνὴρ, ἐγγράφως ἐπιμαρτυρεῖ ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν αὐτοῦ βιβλίων. Ἔστι γὰρ αὐτῷ πέντε βιβλία συντεταγμένα.

VETVS INTERPRES.

His autem & Papias, Ioannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per scripturam testimonium perhibet in quarto librorum suorum. Sunt enim illi quinque libri conscripti.

EVSEBII CÆSARIENSIS.

Lib. 3. hist. eccl. cap. 30.

Ἐγνωρίζετο Παπίας τῆς ἐν Ἱεραπόλει παροικίας καὶ αὐτὸς Ἐπίσκοπος, ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων.

Florebat Papias in diœcesi Hierapoleos & ipse Episcopus, vir cùm aliarum omnium scientiarum peritissimus, tum etiam Scripturæ sciens.

S. HIERONYMI PRESBYTERI.

In chronico ad annum Christi 101.

IOannem Apostolum vsque ad Traiani tempora Irenæus Episcopus permansisse scribit. Post quem auditores eius insignes fuerunt Papias Hierapolitanus Episcopus, & Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus.

S. MAXIMI MARTYRIS.

Ad cap. 7. Dionysij de Hier. eccl.

ΤΑῦτά φησιν αἰνιττόμενος, οἶμαι, Παπίαν τὸν Ἱεραπόλεως τῆς κατ' Ἀσίαν τότε γενόμενον Ἐπίσκοπον, καὶ συνακμάσαντα τῷ θείῳ Εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ.

Hæc dicit obscurè indicans, vt arbitror, Papiam Hierapoleos in Asia tunc Episcopum, qui cum S. Ioanne Euangelista floruit.

NICEPHORI CALLISTI.

Lib. 3. hist. eccl. cap. 2.

ΚΑθ' ὃν καιρὸν καὶ Πολύκαρπος ἐν Σμύρνῃ τῆς Ἀσίας διέπρεπε, παρὰ Ἰωάννου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος, Παπίας τε Ἱεραπολίτης, ἀνὴρ λόγῳ κεκοσμημένος, καὶ τῆς γραφῆς ὡς μάλιστα ἔμπειρος, τῆς αὐτῆς πόλεως ἱερατικῶς προεδρεύων.

Sub quod tempus [Traiani Imp.] *etiam Polycarpus Smyrnæ in Asia claruit, episcopatum à Ioanne sortitus; & Papias Hierapolita, vir doctrina instructus, & in Scriptura quàm maximè versatus, eidem vrbi cum dignitate Pontificia præfuit.*

VITA

VITA SANCTI PAPIÆ HIERAPOLEOS EPISCOPI.

PRÆFATIO.

DE Papia viro sanctißimo atque doctißimo plus est quod amissum deplorari poßit, quàm quod litteris conseruatum euulgari. Adeo & scripta eius in obscuro, & propè omnis vita est in silentio. Cuius quidem silentij atque ignorationis hoc magis dolẽda est calamitas, quòd quanto in gradu virtutis atque auctoritatis fuerit, tam eius princeps dignitas in florenti ecclesia, quàm gloriosa inter primores Sanctos adscriptio contestantur. Qui enim in primæuo ecclesiæ statu, cùm præcipuus FIDEI & CARITATIS feruor in Christianis ebulliret, Angeli ordinem in terris obtinuit, & in Sanctorum haud mediocri numero singulare sanctitatis nomen cum paucis adeptus est; debuit is sanè in vita suæ cursu ratum quiddam, eminénsque præstitiße. Talis igitur Papias fuit: nempe & Apostolorum ætate creatus Episcopus, & obita feliciter morte Sanctis adscriptus. Ex quo duplici titulo magis virtutes eius datur æstimare, quàm è sctiptis, seu suis, seu alienis, (quæ nos in præsenti admodum deficiunt) præclara facta & prodigia cognoscere. Dabo tamen hoc eius honori ac venerationi, vt quicquid ipsi ad laudem, ceteris ad exemplum seruire iauenero, publicam in lucem prodam.

CAPVT I.

S. Papiæ patria, ætas, prima studia.

[a] FVit S. PAPIAS Asianus, [b] in terra Phrygia, & vrbe Hierapoli natus, idque [c] primo Christi sæculo, & eadem ferè ætate, qua S. Polycarpus, nempe sub Claudij Neronis tempora. Parentes quidem eius, maioresque (vt in compluribus antiquissimorum SS. Patrum vitis euenit) ignorantur; sed ingenuos honestósque S. PAPIAS NATVS PRIMO CHRISTI SÆCVLO.

que

que fuiſſe declarat, cùm pueri ſatis proba & liberalis educatio, tum iam adoleſcentis egregia in ſtudijs litterarum exercitatio. Nam omnibus inſtruendum bonis artibus, (vt ingenio ad magna idoneo erat) pro cura ac ſollicitudine patria, Magiſtris eruditis tradiderunt.[d] In quibus cùm progreſſus feciſſet minimè pœnitendos, ac dicendi facundiâ in primis polleret, tum ſacræ Philoſophiæ maiorem in modum ſe dedidit, ſeu à parentibus, ſi quidem Chriſtiani fuerunt, ad eam incitatus; ſeu ab aliquo Apoſtolorum aut Diſcipulorum Domini (à quibus ad vnius veri Dei cognitionem adductus ſit) hortatu exemplóque ſtimulatus.[e] Nam Magiſtros quidem fidei & Chriſtianæ diſciplinæ habuit Apoſtolos; familiares autem & condiſcipulos & virtutis æmulatores Ignatium, Polycarpum, Oneſimum, alióſque complures eorundem Apoſtolorum auditores. Quorum vſu ac ſocietate, deguſtato magis ac magis, vt fit, Dei ſpiritu, in ſacrarum Scripturarum ſtudia ſe immerſit, ad quarum intelligentiam non modò frequenti earum lectione, aſſiduáue meditatione, aut continuis ad Deum precationibus, verùm etiam ex ipſis Magiſtrorum ſuorum, atque aliorum Apoſtolorum, ſeu auditis, ſeu relatis ſermonibus, quorum erat ipſe ſtudioſiſſimus indagator, velut viâ regiâ adſpirauit.[f] Tanto enim ardebat rerum ſanctarum amore, tantíque illorum virorum dicta factáue æſtimabat; vt quotieſcumque aliquem è fratribus à cuiuſpiam Apoſtolorum ac primorum Domini diſcipulorum cõgreſſu, comitatúue reuerſum eſſe intelligeret; mox & eius frui collocutione appeteret, & quænam ab illis aut eorum ſectatoribus vel viſu vel auditu percepiſſet, auidè condiſcere. Quæ deinde cognita atque altiùs in animum demiſſa, partim in familiaribus amicorum ac neceſſariorum congreſſionibus libenter vſurpabat, partim etiam ad fructuoſam poſteritatis recordationem ſcripto quàm diligenter commendabat. Nempe illi obuerſabatur animo illud ſapientiſſimi Ieſu, filij Sirach dictum: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit: & in verſutias parabolarum ſimul introibit.* Hoc verò quis exactiùs, quàm idem ille præſtitit? Nam in lege Domini meditabatur die ac nocte, & quicquid in Patriarchis ſapiens, in Sacerdotibus & Leuitis pium, in Iudicibus ac Regibus iuſtum ac magnificum, in Prophetis prouidum atque ſincerum erat, ipſe & exquirebat diligenter, & attentè conſiderabat. Neque hoc ſolùm: ſed etiam quæ à viris magnis & celebribus, quales maximè erant Apoſtoli, narrabantur; ea ſedulò, vt antè dictũ eſt, conſeruabat; & cum illis ſimul ad intelligenda parabolarum occulta ſenſa, quæ in varias alioqui explicationes diuerti ac deflecti ſolent, conſcendebat. Fuit verò ijſdem de cauſſis nonnullus illi[g] cum B. Philippi Euangeliſtæ filiabus, ſuper rebus fidei & præſentis eccleſiæ ſtatu, vſus & conſuetudo. Habitabant illæ

MAGISTROS HABVIT APOSTOLOS.

STVDIVM EIVS ERGA SANCTOS ET RES SANCTAS.

Eccleſiaſtici cap. 39 ver. 1. & ſeqq.

illæ id temporis Cæsareæ Palæstinę, & propter non vanū singularis sanctimoniæ nomen, plurimùm apud omnes celebrabantur. Erant autem eæ quatuor, & omnes virgines & omnes quasi quodam virginitatis priuilegio (ita enim supremæ Sapientiæ placuerat Virginitatem in ecclesiæ primordijs honorare) Spiritu Dei afflatæ atque prophetantes. Quod nec S. Lucas, dum Apostolorum Acta describit, tacitum præterire voluit; sed ad nouæ virtutis & prioribus sæculis haud admodùm vsitatæ commendationem euulgare. *Alia autem die*, inquit, *profecti venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quattuor filiæ virgines prophetantes.* VIRGINITATI HONOS ET COMMENDATIO. Actor. 21. v. 8.

Tum igitur quidem S. Philippus, vnus è septem primis Diaconis, qui ab Apostolis post ascensionem Christi ad cælum electi sunt, & secundus inter septem in ijsdem Actis numeratur, adhuc Cæsareæ Palæstinæ habitabat & à prędicandi euangelij feruore ac robore euangelista nominabatur, sed pòst vnà cum filiabus Hierapolim Asiæ immigrauit, ibique (vt nonnulli censent) consenuit, & obijt, & quieuit. Cum eius ergo filiabus, tum à patre suo, viro Propheta, & Prophetarum more ab Angelis rapto multa edoctis, tum etiam à Spiritu sancto diuiniore sapientia afflatis, pro rerum cęlestium participatione familiariter conuersatus, non pauca ab ijs didicit, atque ad alios laudatâ etiam ipsarum auctoritate transmisit. Iam enim perillustre illis nomen verba illa Lucę conciliauerant. In quibus verbis (vt hoc quoque strictim attingam) tacita quædam fuit ad virginitatem, quæ quadruplex vna in domo prophetiæ donum posuisset, adhortatio. Nam idcirco videtur sapientissimus ille diuinorum Actorum enarrator nomen *virgines* adhibuisse, quòd tale donum tali statui aptum in primis congruúmque iudicaret. Nempe quia virgines vnicis ferè cæli delicijs intentę, minimum terrenę fæcis, licet terreno in corpore, habeant; sintque velut specula quædam purissima, atque ad excipiendos sancti Spiritus radios, propter mentis nitorem ac puritatem, quàm accommodatissima; hinc fit, vt diuinę lucis non modò ad rerum cognitionem præsentium, sed etiam ad præsensionem futurarū, longè ampliorem copiā hauriant. Quod & S. Hieronymus satis visus est innuisse, cùm easdem collaudans virgines, *Post crucem Christi*, inquit, *statim in Actis Apostolorum vna domus Philippi euangelistæ quadrigam producit virginum: vt Cæsarea, in qua ex gentibus ecclesia per centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam puellarum virginum præberet exempla. Cúmque Dominus in euangelio dixerit:* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; *istæ, quia virgines erant, etiam post Ioannem prophetasse referuntur. Neque enim poterant veteris testamenti lege retineri, quæ virginitatis fulserant claritate.* Ita ille. Quænam autem ab istis sanctissimis virginibus idem B. Papias didicerit, atque in libros suos retulerit, vnà

Actor. 6. v. 5. CVR VIRGINES AD PROPHETIÆ DONVM APTIORES QVAM ALII. Lucæ cap. 16. ver. 16.

cum alijs rebus, quas in suo gessit episcopatu, iam mox afferemus.

CAPVT II.

S. Papias in Episcopum electus digna munere suo designat,

CVm Papias tam in sacrarum studio litterarum, quàm in condignis athleta Christiano virtutibus, talē se in dies præstaret, quales eos esse oportebat, qui regendis ecclesiæ habenis admouendi essent; dignus ab Apostolis nobiliori aliqua sorte visus est, quàm ea qua eius delectabatur modestia, animique submissio. Igitur illum primò inter ecclesiæ Ministros aggregârunt: deinde cum bonam ac fidelem in concredito sibi ministerio operam nauauisset, ascendere iusserunt superiùs, & in ordine sacerdotij, ducem magistrúmque plebis considere. Quis eum porrò Episcopum consecrârit, aut quis primùm ecclesiæ ipsum præfecerit, quamuis à nemine antiquorum Scriptorum liquidò proditum reperiatur: tamen cùm duorum præcipuè Apostolorum Petri & Ioannis auditor fuisse prædicetur, veri quoque est simillimum ab illorum alterutro sanctum illud cōsecrationis, manuúmue impositionis munus suscepisse, atque alicui ecclesię seu à Petro in Syria, seu à Ioanne in Asia præfectum esse. Sed hoc posterius eo fit altero probabilius, quòd de gesto in Asia episcopatu prorsus constet; de alio autem quouis loco, non item. Nam Hierapoli quidem in Asia non paucos annos Episcopus fuit: vbi & pręcipuos laboris atque industrię [a] suæ fructus ostendit. Quare non dubitauerim pro vero recipere, illi à sancto Ioanne Apostolo (cùm Asiæ ecclesias partim fundaret, partim fūdatas gubernaret) curam episcopatus, quemadmodum & Polycarpo, esse commissam. [b] An vero vnus ex ijs Asiæ Angelis fuerit, ad quos idem beatus Ioannes in suâ Apocalypsi litteras exarauit, quāuis non desint Auctores qui asserant, & pergami Episcopum fuisse dicant; ego non ausim pro certo asserere. Verum est quidem illos Apostolorum successores, more & imitatione magistrorum suorum, varia loca commutasse, & modò huc, modò illuc, vt necessitas exigebat, euangelij prædicandi caussa profectos esse atque substitisse, adeóque nonnullos pluribus in locis, sed vicissim, episcopatus sui sedem ac domicilium posuisse: sed eos qui hoc fecerint, nominatim scire; & loca ipsa, vbi thronum posuerint, demonstrare; id profectò, præterquam de admodum paucis, præsertim primo sæculo, & certis litterarum testimonijs deficientibus, nimis difficile est. Hęc igitur missa faciamus; & illa quæ propria eius officij fuerūt, & dubitationem nullam habent, attendamus. Hæc autem sunt, sedulò ac sollicitè, vt bonum pastorem decet, gregi inuigilare, diuini verbi pabulo saginare, à lupis & alijs agrestibus feris defendere,

S. PAPIAS A S. IOANNE APOSTOLO CREATVS EPISCOPVS.

EPISCOPORVM PRÆCIPVA MVNIA.

dere, verbo & scripto sanam Christi doctrinam propugnare, & vno verbo, iuxta Apostolorũ formam, in ecclesia Dei ambulare & laborare. Quæ omnia peregregiè ipsum præstitisse illi sancti Patres tacitè clamant, & clarè testantur,[c] qui in præcipuis beati Ioannis Euangelistæ discipulis illum numerant, & cum sanctissimis Ignatio & Polycarpo componunt. Hi enim tres potissimè fuerunt, qui in Syria atque Asia, post Ioannis excessum, sustinendo Christianæ Religionis oneri humeros supposuerunt: qui & contra ingruentes hæreses eam se doctrinam proferre testificati sunt, quam ipsi ab Apostolis magistris suis audiuissent, aut ab alijs antiquis Christi discipulis, aut à personis propter excellentem vitæ sanctimoniam omni fide dignissimis accepissent. Nec enim cum singulis Apostolorum aut discipulorum agere potuerunt, sed mutua inter se communicatione alij alijs, quæ ab ipsis audiuerant, aut in ipsis viderant, fideliter retulerunt; & ea fecerunt esse communia omnium, quæ propria erant singulorum. Atque vt horum fructus non ad eos tantũ qui præsentes essent, aut nũc viuerent, sese extenderet; sed ad eos quoque qui procul abessent, atque alienis in regionibus degerent, aut etiam necdum essent, sed futuris sæculis in posterum succederent, longiùs in immensum emanaret; ipsi ea quæ viderant & audiuerant, litteris commendata ad posteritatem transmiserunt. Quo in studio, post illos quatuor sacros Euangelistas, pręcipuus aut certè in præcipuis fuit noster hîc, de quo agimus, Papias: qui[d] libros quinque inscriptos *SERMONVM DOMINI EXPLANATIO* confecit: in quibus non pauca eiusmodi incluserat, quæ non tantùm ad illustrationem confirmationémue FIDEI spectabant, sed etiam ad virtutis commendationem, & ad optimam morum conformationem plurimùm faciebant. Non extant nunc ij libri; qui procul dubio[e] extarent, si illos S. Hieronymus (à quo id nonnulli expectabant & expetebant) latinos facere voluisset, aut per occupationes potuisset. Verùm sese ipse excusauit, caussámque excusationis, vt pòst videbitur, partim in otij penuriam, partim in virium imparitatem, imbecillitatémque reiecit. Paucissima igitur ex eius scriptis fragmenta, quæ suo loco referentur, à principe historiæ ecclesiasticæ Eusebio reseruata sunt: præter quæ, duorum duntaxat miraculorum ab eo enarratorum memoriam idem refert Eusebius, sed suis verbis, non illius: quę proinde ad aliquem pietatis gustum, & ecclesiæ simul vtilitatem, vt verę miraculorum dominæ, hic apponam. Nam & eâ de caussa ipse scriptis suis Papias intexuit, sed Eusebius strictim tantùm & perpaucis attigit: prius quidem, dicendo illum memorasse *vnum mortuum ætate sua ad vitam suscitatum*: alterum autem, *BARZABAM cognomento IVSTVM* (hic & Ioseph in Scriptura appellatur) *venenum mortiferum, nulla consecuta morte, nec mortis periculo, iuuante Dei gratia, epotâsse.*

Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 33.

se. Hic est autem ille IVSTVS, qui post Christi Domini in cælum ascensionem, ab Apostolis, aliísque sanctis fratribus (*erat autem turba hominum simul fere centum viginti*) cùm Mathia electus est, vt ipsorum alteruter, quem scilicet Dominus indicasset, in proditoris Iudæ locum, adhibitâ precatione & datis sortibus, substitueretur: quemadmodum Acta Apostolorum declarant hisce verbis: *Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nôsti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & apostolatus, de quo praeuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Ioseph autem ille IVSTVS, quamuis Mathiæ postpositus, quamuis à tanta dignitate exclusus, tamen semper sui similis, nunquam à iustitia sua discessit, sed re ipsa & veritate, non minùs quàm appellatione iustus, ad extremum vsque spiritum verus Dei amicus & miraculorum patrator perseuerauit. O quàm bene cum mortalibus agatur, si honorum atque dignitatum, & cuiuslibet sublimioris loci competitoribus, seu repulsam passis, seu retro relictis ea mens insit, quę huic IVSTO, sed insigniter iusto, fuit! Quę scilicet nec hominum existimatio in superbiam, nec nominis prærogatiua in arrogantiam, nec alterius in honore prælatio in impatientiam extulit; sed vnicus voluntatis diuinę respectus in pacis tranquillitate retinuit; & profunda sui ipsius cognitio atque despectio in modestia & animi æquitate stabiliuit. Meritò proinde sanctissimã eius memoriam, nec sine pręclaro elogio, continent sacrę tabulæ ecclesiasticæ ad vicesimam Iulij. Ista verò bina miracula, vnum de mortuo vitę reddito, alterum de epoto innoxiè veneno, accepisse se S. Papias à modò laudatis virginibus, B. Philippi Diaconi filiabus memorabat: quarum tanta fuit post mortem in terris gloria, vt multis sęculis earum cubicula à peregrinis sancta Palęstinę loca visentibus, pio honoris atque amoris erga ipsas impulsu adirentur. Ab illis igitur, vt solida & constanti sanctimonia præditis, & prophetię spiritu, velut aureo virginitatis coronamento adornatis, hæc quæ modò attulimus, didicit, & multa procul dubio alia, intercedente sancta necessitudine, percepit: sed his temporum iniuria dilapsis, ad alia quæ restant perquirenda, atque ad beatum eius vitæ excessum transeamus.

Act. 1 v. 23.

IOSEPHI IVSTI SANCTO MATHIÆ POSTPOSITI ÆQVANIMITAS.

VIRGINITATIS HONOS.

CAPVT III.

S. Papiæ in aduersis perseuerantia, & felix è mundo excessus.

QValis Apostolorum sors fuit, talis ferè & successorum: nempe vt si pax esset, permultùm laborarent; si persecutio, plurimùm paterentur. Talis erat ipsorum militia, & sic à sancto Spiritu

Spiritu instructi erant: vt nec diffluerent prosperis, nec succumberent aduersis. Ita in vtrisque ambidexter fuit Papias; nullum vt quietis tempus absque doctrina præterire permitteret, nullum belli atque infestationis seu Iudæorum, seu Gentilium, seu hæreticorum, absque legitimo certamine. Germanus enim fuit Apostolorum filius, & ætheree illius Aquilę legitima soboles: cui nec pulli fuerunt indecores. Quippe sub cuius alis subuolauit aliquādo [a] eximius illę Irenęus, qui susceptâ eius & S. Polycarpi contubernalis disciplinâ, vt alibi dicetur fusiùs, relicta Asiâ atque Gręciâ, more prorsus Apostolico orbē peragrans, in Gallias penetrauit, & inde saluberrima doctrinæ suę fluenta in omnes terrę plagas dimisit. Habuit quidē Papias & alios illustres discipulos, sed hic multorum instar fuit, & flos omniū; qui & magistri memoriam atque auctoritatem in libris suis aduersus hęreses renouauit. Iam autem ad eius fortitudinem animi atque constantiam quod attinet, múlta illam aduersa, & graues ecclesię persecutiones, quę in eius ętatē inciderunt, variè (vt & reliquos FIDEI Christianę duces) exercuerunt; sed ita vt eius gloriam illustrarent, virtutem non obscurarent, [b] Est in Actis B. Onesimi discipuli S. Paulli, in eadem Asia tum Episcopi, & Papię nostro ęqualis perductū cum Romā, ibique cum Romulo adiutore, & Papia spiritali cōmilitone (sic videtur nostrū Papiam ob dignitatis & certaminis paritatē appellare) oblatum Tertullo vrbis Præfecto, qui examinatos & fidem in Christū constanter confessos in tenebrosum abdi carcerē, & tormentis excruciari iusserit: sed exactis in afflictione totis octodecim diebus, ob frequentem ad eos populi concursum, colore lenitatis vrbe expulerit. Igitur Onesimus cum Apitione Puteolos tetendit; quonam autem Papias cum Romulo, non est ibi perscriptum. Tota enim narratio solùm fere Onesimum respicit, cuius cruentum quoque mortis genus, propter resumptum euangelici præconij munus, ibidem describitur: socijs autem ipsius quid factum sit, quæue palma illis obtigerit, non attingitur. Sed de alijs vt taceam, certè de S. Papia hoc videor posse dicere, vel integram martyrij palmam morte pro Christo fortiter obita assecutum esse, (quandoquidem à nonnullis Scriptoribus [c] nō Episcopus tantùm, sed Episcopus & Martyr appelletur) vel certè in caussa FIDEI sustinenda, admodum multa tolerauisse. [d] Nam & hoc titulo datum esse aliquibus palmare nomen Martyris, multorum scripta Sanctorum fidem faciunt. Denique, quando nihil aliud de præclaris eius factis, (quæ vel hominum vel temporum abstulit iniuria) proferre habeamus; saltem quod ad eius attinet sanctimoniam, tria sunt in primis, quæ illam haud mediocrem fuisse persuadent, Vnum quidem, quòd ijs temporibus è bona feruentium Christianorum copia selectus, atque ad Episcopi dignitatem prouectus sit; quibus longè pluris ad eiusmodi

S. PAPIAS FVIT MAGISTER S. IRENÆI.

IDEM S. ONESIMI COMMILITO.

Apud Metaphrasten & Surium, 16. Februarij.

modi munia æstimabatur Christiana simplicitas, quàm mundanę stirpis nobilitas; & Spiritus diuitiæ, quã terræ thesauri; & modesta diuinæ legis cognitio, quàm superba plurimarũ scientiarũ aceruatio. Iis, inquam, temporibus in ordinem principum Ecclesię cooptatus est, quibus illa beati Paulli cõmonitio, *OPORTET ERGO EPISCOPVM IRREPREHENSIBILEM ESSE*, vt iam iã ore sacro prolata, in discipulorum auribus adhuc resonabat, atque à præcipiti manuum impositione absterrebat. Quamuis ille, qui Papiæ manus imposuit, eiusmodi minimè indigebat commonitione: quippe & ipse à Spiritu sancto edoctus, & suorum corda penetrabiliori acie rimatus. Secundum est, quòd apud viros sanctitate iuxtà & eruditione clarissimos, tantá fuerit ob antiquam ac venerandam morum probitatem auctoritate, vt tum etiam cùm ab eius sententia in aliquo puncto discederent, eius tamen magni facerent ac reuererentur sanctimoniam. Cuius rei testimonio esse potest magnus ille Dionysius Areopagita, qui eodem ipso quo Papias, vixit & scripsit tempore. Is enim in libro *De ecclesiastica hierarchia*, cùm de somno, felicíque dormitione sanctorum, sermonem induceret; inter varias de corporum resuscitatione, ac de futuro eorum statu sententias, vbi ad eam quæ à sancto Papia tenebatur, improbandam venit, ipse pro ingenita sibi modestia illam sic attigit, vt & Papiæ nomen reticeret, & sanctitatem tamen non præteriret. Sic enim dixit: [e] *Alij autem nescio quo pacto ad terrestrem & corpoream inclinantes intelligentiam; probis ac iustis sanctissimum ac beatissimum finem huic vitæ similem promissum esse dixerunt: & cibos mortali conditioni proprios, ijs qui pares futuri sunt angelis, non rectè proiecerunt. Faxit verò Deus, vt ne quis sanctissimorum virorum in hos aliquando errores delabatur.* Quibus in extremis verbis Dionysium ad Papiam, vnum è sanctissimis viris (qui arbitrabatur post corporum resurrectionem, eos qui piè excellissent, mille annis cum Domino in hac ipsa terra, quam nunc incolimus, regnaturos) respectum habuisse S. Maximus martyr, beati Dionysij primarius interpres, aliique eum secuti senserunt. Tertium denique insignis Papiæ sanctitatis argumentum esse potest, & meritò debet, illud tam vehemens atque incitatum animi studium, quo Apostolos & viros Apostolicos prosequebatur, & quo ardenter, si quis vnquam alius, æstuabat de ipsorum dictis & factis audiendi atque sciscitandi. Nec enim certè ambigi potest, quin eorum fidem atque mores quàm maximè exprimere in semet ipse conaretur, quorum acta atque sermones in suam aliorúmque vtilitatem tam cupidè venabatur. Atque haud equidem scio, an aliud in homine quopiam futuræ sanctitatis atque perfectionis indicium haberi euidentius possit; quàm si animaduertatur in proborum ac sanctorum virorum familiaritatem atque congressum auidè se immergere; & illis quidem

1. ad Timot. cap 3. ver. 2.

Dionysius lib. De eccles. hierar. cap. 7.

STVDIVM AVDIENDI DICTA FACTAVE SANCTORVM.

quidem inseparabiliter adhærere, si possit; sin minus, de illorum saltem dictis ac factis perquàm auidè & sæpenumero inquirere & loqui. Ad istud enim nos Deus ipse per os Ecclesiastici inuitat. *In multitudine*, inquit, *presbyterorum prudentium sta: & sapientiæ illorum ex corde coniungere: vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant te. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Hoc autem fecit præcellenter Papias, & exemplo alijs, vt idem facerent, prȩiuit. Cuius proinde mẽtem atque sensum omnibus perfectioris vitȩ studiosis, iisque maximè qui in religiosȩ vitæ militia tirones sunt, atque in profectum seriò incumbunt, à Deo opt. max. inseri, penitusque inolescere votis omnibus optandum est. Quocirca quisquis tuum in virtute ac sapientia profectum amas, in hoc vno præcipuè S. Papiam imitare. Vt enim quisque Sanctorum aliquid habet peculiare ac propriũ, cui se studiosius applicauerit, atque alijs imitãdum reliquerit; ita hoc vnum, quod dixi, meritò S. Papias singulariter sibi vindicat. Qui sic hodieque audiendus est, quasi illud nobis eiusdem Ecclesiastici refricet: *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersate. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela. Non te prætereat narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Eodem porrò spiritu, quo B. Papias, præditus fuit ille, quisquis fuit, qui VERBA SENIORVM (quæ inter VITAS PATRVM continentur) collegit primus; & scriptis prodidit. Nam & sibi primùm, & deinceps alijs ad perfectam beatámque vitam plurimùm profuit. Iam autem de felici Papiæ excessu (nam de tempore generéque mortis, déque alijs eius mortem consecutis nihil dum certi repertum est) hoc erit extremum, eius sanctam solemnémque memoriam publicis Ecclesiȩ tabulis, ad diem vicesimam secundam Februarij esse consignatam, hisce verbis:

Ecclesiastici cap. 6. ver. 35. & 36.

Eiusdem cap. 8. ver. 9.

Hierapoli in Phrygia, beati Papiæ, eiusdem ciuitatis Episcopi, qui sancti Ioannis Apostoli auditor, Polycarpi autem condiscipulus & sodalis fuit.

Ita vetustiora Latinorum martyrologia tam Romana, quàm alia, quȩ B. Papiam non modò sancti Ioannis Senioris (quod quidam malè arbitrati sunt) sed etiam S. Ioannis Apostoli auditorem fuisse disertis verbis prȩdicant. Sed quȩcumque ad vitam sanctissimi atque antiquissimi Patris spectare visa sunt, ea in medio hactenus posui; iam ad libros eius & scripta, quæ quidam ingenij fœtus sunt & indices animi, stilum transferamus.

CA-

CAPVT IV.

Scripta S. Papiæ, & nonnulla ex ijs Fragmenta hactenus reseruata.

DE numero ac varietate scriptorum S. Papiæ haud prorsus inter Auctores conuenit. Hoc solùm apud omnes constat, saltem libros quinque eum conscripsisse, quos EXPLANATIONEM SERMONVM DOMINI nuncupauit. Horum librorum mentionem primus (quod quidem sciam) fecit S. Irenæus, Lugdunensis in Gallia Episcopus & Martyr, eiusdem Papiæ, vt antè indicaui, princeps olim discipulus. Ipsa eius verba è libro quinto aduersùs hæreses, cap. trigesimo tertio desumpta, in ipso huius vitę limine, siue inter antiquorum Scriptorum testimonia, gręcè simul & latinè apposui. Post beatum autem Irenæum Eusebius Cęsariensis, libro 3. historię ecclesiasticæ, capite 33. de ijsdem libris (vnde & fragmenta reseruauit) aliquanto egit fusiùs: qui & librorum titulum aliàs ignotum protulit. *Papiæ item libros,* inquit, *numero quinque esse aiunt: qui EXPLANATIO SERMONVM DOMINI inscribuntur. Quorum, tanquam eos solos scripserit, sic Irenæus mentionem facit. Ista Papias Ioannis auditor, Polycarpi familiaris, vir antiquus, in quarto suorum librorum, scripto confirmat. Sunt enim ab eo libri quinque conscripti.*

Quia tamen intelligi potest S. Irenęus de libris vnius eiusdémque argumenti agere, qui tantùm quinque fuerint, nempe ij qui explanationem sermonum Domini continerent: aut etiam de ijs loqui, quos ipse nouerit: eam ob rem haud mihi videtur eorum prorsus reijcienda opinio, qui & alia quoque volumina ab eo perscripta tradiderunt. E quibus est Nicephorus Callistus libro 3. historiæ, capite vicesimo, *Papias verò Hierapolitanus,* inquit, *& ipse vita Apostolica clarus fuit, multáque ecclesiæ scripta reliquit: quorum quinque tantùm, quæ dominicorum sermonum explanationē inscripsit, circumferuntur.* Ita ille. Ex quo intelligere est, eosdem Papiæ libros ad Nicephori vsque tempora, siue ad annum vsque Domini circiter millesimum trecentesimum græcè extitisse, ac fortasse etiamnum alicubi latentes existere. Num verò latinè vnquam extiterint, haud prorsus est exploratum. Nam ex epistola quidem D. Hieronymi 28. ad Lucinium videtur colligi, necdum eius temporibus latinè extitisse: quandoquidem ad eum sic scribat: *Porrò Iosephi libros, & sanctorum Papiæ & Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit à me esse translata: quia nec otij mei, nec virium est tantas res eâdem in alteram linguam exprimere venustate.*

Lib. de Scriptoribus ecclesiasticis.

Ioannes autem Tritthemius ita de ijs scribit, quasi illos viderit: *Papias,* inquit, *auditor S. Ioannis atque discipulus, Hierapolitanus in*

Asia

Asiæ Episcopus, fidei Christianæ constantissimus propagator & defensor, sanctorúmque Apostolorum discipulus, & studiosus imitator scripsit non spernendæ auctoritatis opuscula. E quibus extat opus insigne quinque voluminibus distinctum, quod prænotauit sic: EXPLANATIO SERMONVM DOMINI, libris quinque. Alia quæ scripsit, non vidimus. Sic ille.

Cùm autem eorum voluminum aliqua supersint, partim ab Eusebio, partim ab alijs antiquis Patribus reseruata fragmenta, exigit viri antiquitas & sanctimonia, vt hic proferantur.

FRAGMENTA QVÆDAM E S. PAPIÆ LIBRIS.

FRAGMENTVM I.

Οὐκ ὀκνήσω δέ σοι, καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον, καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι ταῖς ἑρμηνείαις διαβεβαιούμενος ὑπὲρ αὐτῶν ἀλήθειαν.

Non grauabor tibi, quę olim à Senioribus rectè didici, & quorum memoriam rectè retinui, ea cum suis expositionibus, ad confirmandam eorum, quæ ab illis tradita sunt, veritatem contexere.

Οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον, ὡς πολλοὶ, ἀλλὰ τοῖς τ' ἀληθῆ διδάσκουσιν· οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν· ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ κυρίου τῇ πίστει δεδομένας, καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας τῆς ἀληθείας. Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος, ἢ τὶς ἕτερος τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν, ἅτε Ἀριστίων, καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ κυρίου μαθηταὶ, λέγουσιν; Οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.

Nec enim ego, vt plerique, multa dicentibus, sed vera docentibus delectabar: nec ijs qui extraneas præceptiones, sed qui à Domino per fidem traditas, & ab ipsa profectas veritate commemorant. Ac si fortè quispiam aduenisset, qui Seniores fuisset affectatus, de eorundem Seniorum sermonibus sciscitabar. Quid Andreas, aut quid Petrus dixit? aut quid Philippus, aut quid Thomas, aut Iacobus, aut quid Ioannes, aut Matthæus, aut alius quispiam discipulorum Domini, & quę Aristiō, & Ioannes senior, Domini discipuli dicunt? Neque enim tantum emolumenti è libris, quantum è viua manentíque voce me percepturum existimabam.

Hæc sunt S. Papiæ verba, quibus in procemio operis sui, siue li-

bri primi *Explanationis sermonum Domini* vsus est: quę Eusebius Pamphili in librum tertium suæ historiæ ecclesiasticę retulit, cap. vltimo. Ex quibus verbis studium illud eius, de quo in vita egi, præclarè elucescit: nempe quo viros sanctos, eorúmque dicta & facta prosequebatur, & laboriosæ instar apiculæ ceram nobis conficiebat; in qua, quod imitaremur, legeremus.

FRAGMENTVM II.

Post hęc S. Papiæ verba subdit Eusebius, loco proximè citato, ista de eodem.

Et hoc etiam Senior dixit: Marcus quidem, qui Petri fuit interpres, quæcũque meminerat, scripsit accuratè: non tamen eo ordine, quo dicta factáue à Domino fuerant. Nec enim Dominũ audierat, nec eum comitatus fuerat: sed postmodùm, vt dixi, Petrum: qui ad vtilitatem audiẽtium docebat: non verò ordinatam seriẽ sermonum Domini contexebat: ita vt nihil Marcus errauerit, dũ ita quædam perscripsit, vti memorię mandauerat. Hoc siquidem vnum seriò prospiciebat; vt nec eorum, quæ audisset, quicquam pręteriret; nec falsi quippiam ijs admisceret,

Καὶ τοῦθ' ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε. Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ κυρίου λεχθέντα ἢ πραχθέντα. οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. ὕστερον δὲ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ, ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας. Ἀλλ' οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων. ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος οὕτως ἔνια γράψας, ὡς ἀπεμνημόνευσεν. Ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι αὐτοῖς.

Ista Papias de Marco: de Matthęo autem hæc:

FRAGMENTVM III.

Matthæus quidem linguâ Hebraicâ euangelium contexuit: vnusquisque autem, vt potuit, interpretatus est.

Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνετάξατο. ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ, ὡς ἠδύνατο ἕκαστος.

Vsus est idem Papias testimonijs è priore Ioannis epistola, & è Petri similiter deductis.

Κέχρηται δ' ὁ αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας ἐπιστολῆς, καὶ ἀπὸ τῆς Πέτρου ὁμοίως.

Exposuit verò & aliam historiam de muliere, quæ multorum criminum fuit apud Dominum insimulata: quam historiam e-

Ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱστορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον περιέχει.

Καὶ

Καὶ ταῦτα δ' ἡμῖν ἀναγκαίως πρὸς τοῖς ἐκτεθεῖσιν ἐπιτετηρήσθω.

uangelium secundùm Hebræos complectitur. Atque hæc nobis, ad ea quæ retulimus, necessariò obseruata sint.

Hactenus fragmenta librorum S. Papiæ præcipua, quę quidem nobis Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, & ex eo Nicephorus Callistus in historia ecclesiastica conseruarunt. Reperiuntur & alia quædam, quæ eidem S. Papiæ partim ab Andrea Cæsariensi, partim ab Oecumenio attribuuntur: sed cùm ea, quæ hic modò posuimus, certissimò eius sint, & sanam omnino hodiéque receptam doctrinam contineant; satius esse iudicaui ea, quæ minùs certa sunt, aut etiam quæ minùs probata & recepta, ab illis abiungere, atque in Notationes, quas nunc venio subiectum reseruare.

NOTATIONES AD VITAM SANCTI PAPIÆ HIERAPOLEOS EPISCOPI.

ANtequam aggrediar per rectam capitum seriem, vel obscura explicare, vel incerta confirmare, vel controuersa discernere, vnũ mihi præuertendum omnibus videtur, quod in ipsius sancti, cuius nunc res agitur, non mediocri honorem vergit. Cũ enim multis antehac sæculis habitus sit Papias S. Ioannis Apostoli auditor, nec ita pridem ille honor ei cœptus sit adeo imminui, vt iam non Apostoli, sed tantùm Ioannis Senioris dicatur fuisse auditor, mihi pro antiquo illi iure vindicando hæc tractabitur quæstio.

QVÆSTIO HISTORICA I.

AN S. PAPIAS FVERIT DISCIPVLVS S. IOANNIS APOSTOLI, AN VERO IOANNIS SENIORIS TANTVM, SIVE PRESBYTERI?

NOtandum in verbis Papiæ primo fragmento suprà positis, duos recenseri sub nomine Ioannis, vnum inter Apostolos, alterum inter discipulos Domini. Et cùm hic quidem posterior, græcè vocetur, ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, (quod Hieronymus in Papiâ latinè reddit modò *Ioannes Presbyter*, modò *Ioannes Senior*) hinc tam Eusebius libro 3 historię ecclesiasticę cap 33. quàm Hieronymus in Ioanne & in Papia existimant duos fuisse Ioannes: cùm alioquin, nisi Papiæ verba obstarent, posset vnus idémque censeri, qui nũc *Ioannes* absolutè vocaretur, nunc *Ioannes Senior*, aut absolutè *Senior*. Nam & & in nouo testamento Concilium Tridentinum per *Seniorem* in duabus posterioribus Ioannis epistolis intelligit Ioannem Apostolum, dum *Sessione* 4 in Decreto de Canonicis Scripturis, recenset Ioannis Apostoli epistolas tres: quarum duæ posteriores continent nomen Πρεσβύτερος, seu, *Senior*. Sic enim vna incipit: Ὁ πρεσβύτερος ἐκλέκτῃ κυρίᾳ, καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς, οὓς ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ. *Senior Electæ dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate.* Altera verò sic: Ὁ πρεσβύτερος Γαΐῳ τῷ ἀγαπητῷ, ὃν ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ. *Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate.*

Ob solum igitur hunc Papię locum, de quo agimus, vel saltem ob illum præcipuè, duo ponuntur Ioãnes. Nã Eusebius proximè illũ locum sic scribit: Ἔνθα καὶ ἐπιστῆσαι ἄξιον δὶς καταριθμοῦντι αὐτῷ τὸ Ἰωάννου ὄνομα· ὧν τὸν μὲν πρότερον Πέτρῳ καὶ Ἰακώβῳ καὶ Ματθαίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις συγκαταλέγει, σαφῶς δηλῶν τὸν εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην· τὸν δ' ἕτερον Ἰωάννην διαστείλας τὸν λόγον, ἑτέροις παρὰ τὸν τῶν ἀποστόλων ἀριθμὸν κατατάσσει, προτάξας αὐτοῦ τὸν Ἀριστίωνα, σαφῶς τε αὐτὸν πρεσβύτερον ὀνομάζει· ὡς καὶ διὰ τούτων ἀποδείκνυσθαι τὴν ἱστορίαν ἀληθῆ τῶν δύο κατὰ τὴν Ἀσίαν ὁμωνυμίᾳ κεχρῆσθαι εἰρηκότων, δύο τε ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι μνήματα, καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου ἔτι νῦν λέγεσθαι. Οἷς καὶ ἀναγκαῖον προσέχειν τὸν νοῦν. Εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον, εἰ μή τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον τὴν ἐπ' ὀνόματος φερομένην Ἰωάννου ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι. *Vbi operæ precium est cognoscere, Ioannis nomen bis ab eo esse recensitum. Semel quidem, cùm illum Petro, Iacobo & Matthæo, & alijs Apostolis annumerat, manifestè significat Ioannem Euangelistam: alterum autem variata oratione, alijs extra Apostolorum numerum adscribit, Aristionem ei præponens, & clarè cum Presbyterum nominat: ita vt per hæc eorum vera ostendatur esse narratio, qui dixerunt duos fuisse in Asia eodem nomine nũcupatos, & duo esse Ephesi monumẽta, & vtrumque ad hoc vsque tempus Ioannis appellari. Atque his mentem aduertere est necessarium. Nam probabile est Ioannem illum posteriorem, (nisi quis priorem malit) Apocalypsin eam vidisse, quæ sub nomine Ioannis fertur.* Ità Eusebius. Qui & duos Ioãnes ponit, & Apocalypsin probabiliter credit esse Ioannis Senioris. Quod & alij ea ætate censuerunt, cùm necdũ esset definitum contrarium. Sic & Hieronymus in Papia: *Ex quo*, inquit, *apparet ex ipso catalogo nominum, alium esse Ioãnem, qui inter Apostolos ponitur: & alium Seniorem Ioannem, quem post Aristionem enumerat. Hoc autẽ diximus propter superiorem opinionem, quam à plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Ioannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri.*

Supposito itaque duos esse Ioannes, vnum Apostolum, & alterum qui vocatus sit *Presbyter*, siue, *Senior*, quæritur vtrius S. Papias fuerit discipulus:

Eusebius quidem Cæsariensis, & eius secutus auctoritatem Baronius tenent Papiam non fuisse discipulum S. Ioannis Apostoli,

sed tantùm Ioannis Senioris.

Ratio eorum est: quia id videatur ipse Papias in suorum librorum procemio profiteri, cùm dicit: *Non grauabor tibi*, &c. vt in 1. Fragmento suprà. Nec enim aliud argumentum afferunt, neque Eusebius, neque Baronius.

Verba Eusebij, lib. 3. histor. eccles. cap. vltimo sunt hæc: Αὐτός γε μὴν ὁ Παπίας κατὰ τὸ προοίμιον τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαμῶς ἑαυτὸν γενέσθαι τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων ἐμφαίνει· παρειληφέναι δὲ τὰ τῆς πίστεως παρὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων διδάσκει, δι' ὧν φησι λέξεων. Οὐκ ὀκνήσω δέ σοι &c. *Ipse quidem Papias in procemio librorum suorum se neutiquam auditorem aut adspectorem fuisse sanctorum Apostolorum demonstrat: sed ea, quæ ad fidem spectãt, se ab ijs accepisse, qui illis noti & familiares erant, docet per ea verba, quibus dicit: Non grauabor tibi* &c.

Alij contrà tenent certum videri S. Papiam fuisse auditorem S. Ioannis Apostoli.

Quod priusquam probetur, refellenda est ratio Eusebij. Nam illa stante, frustra sit omnis conatus in contrarium. Si enim expressè dicat ipse Papias se non fuisse auditorem S. Ioannis Apostoli, aut ita implicitè declaret, vt ex eius dictis id necessariò sequatur; certè nec vlla cuiusquam ratio, nec quantiuis auctoritas quicquam aduersus eum valere possit. Verùm neutro modo hoc dicit Papias. Nec enim expresè: cùm nullũ verbũ id sonet: nec tacitè itẽ, aut implicitè, ita vt ex eius dictis id necessariò colligi possit: cùm verba eius tantũ hoc sonent, *Si quis redibat à comitatu Apostolorum, aut Discipulorũ Domini, diligenter exquirebam: quid dixit Andreas? quid Petrus?* &c. Ex quibus non potest sequi: *ergo non vidit Apostolos: ergo non fuit discipulus S. Ioannis Apostoli.* Nam eodem modo sequeretur contra Eusebium & Baronium, ne Ioannis quidem Senioris fuisse discipulũ, quod tamen ipsi maximè volũt. Sicuti enim quærebat Papias, quid dixisset Ioãnes Apostolus; ita etiã quærebat, quid dixisset Ioannes Senior, vti è verbis Papiæ in 1. fragmẽto patet. Ruit itaque illa contra nos erecta machina, quam tamen tanti fecit Baronius, vt cùm omnia prorsus ante ipsum martyrologia haberent *Ioannis Apostoli*, sustulerit in suo martyrologio nomen *Apostoli*, & reposuerit *Senioris*; & monuerit etiam in Annalibus suis, ad annũ Christi 118 irrepsisse errorem, vt qui dicendus esset *Ioannis Senioris* auditor, diceretur *Ioannis Apostoli*. At certè nullus in martyrologia antiqua irrepsit error, sed ipse in suum omnium nouissimum, conãdo priora corrigere, manifestissimũ immisit errorẽ. Quod breui postea clarè probabitur.

Fuit autem Baronio erroris occasio, partim Eusebij auctoritas pro ipso stãtis, partim Christophorsoni hallucinatio non rectè vertẽtis Eusebij, siue potiùs Papiæ verba apud Eusebium. Sic enim habent verba Papiæ suriùs citata: Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν. &c. Sic, inquam, verba illa vertit Christophorsonus: *Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum diligenter ab eo sciscitabar: nempe quid Andreas dixisset, quidue Petrus* &c.

Primo illud *Presbyter* non est in græco. Neque tantùm sanè, si quis Presbyter, sed etiã si quis alius, licet nõ Presbyter, comitatus Apostolos fuisset, ad eũ adibat Papias, & de Apostolorum ac Seniorũ dictis illũ interrogabat.

Secundò illud, *versatus fuisset*, non est etiã in græco, sed *assectatus fuisset*, aut, *comitatus fuisset*: Hoc enim propriè significat παρηκολουθηκὼς à verbo παρακολουθέω. *assector, comitor*. Sic eodem verbo vsus est idem Papias, in 2. Fragmento suprà. vbi de S. Marco euangelista loquens ita scripsit: Οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. Quæ hic meliùs vertit Christophorsonus, quàm alia superiùs. Sic enim vertit hoc loco: *Neque enim Dominum audierat ille quidem, neque erat eum comitatus*. Quare verba S. Papiæ, ex quibus collegerunt Eusebius & Baronius illum non vidisse Apostolos, si rectè accipiantur, nihil sonant aliud, quàm S. Papiam tanti fecisse Apostolos, vt cùm in aliquos incideret, qui eos fuissent comitati, aut honoris & doctrinæ caussa assectati, ab ipsis inquireret, quid dixit Andreas? quid Petrus? quid Ioãnes? &c. Sic enim discipuli præceptorum suorum amantes de eorum dictis factisue solent ab ijs perquirere, qui illos comitati, vel assectati fuerint. Et hæc est, vt dixi, propria vis verbi παρακολουθέω. *assector, comitor*. quod præcipuè vsurpatur de inferioribus respectu superiorũ aut honoratiorũ, qui inferiores assectari eos dicuntur: cùm alioqui vox *versari* longè latiùs pateat, & de paribus sæpenumero vsurpetur. Hieronymi quoque versio interpretantis verba Papiæ hoc modo: *Considerabam quid Andreas, quid Petrus dixissent*, &c. non est satis consona verbis Papiæ, ἀνέκρινον λόγους. quod hoc loco, vt consequẽtia indicat, magis significat, *sciscitabar, inquirebam*, vel, vt Ruffinus vertit, *sedulò expiscabar*. Apud Platonem lib. 6. & 8. De legibus, pro *diligenter inquiro* vsurpatur.

Alterum argumentum contra nostrã sententiã posset fortasse aliquis deducere ex illis Eusebij verbis, loco suprà citato: Καὶ ὁ νῦν δ' ἡμῖν δεδηλωμένος Παπίας τοὺς μὲν τῶν Ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι. Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι. ὀνομας)

γῦν πολλάκις αὐτῷ μνημονεύσας, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι τίθησιν αὐτῶν παραδόσεις. *Quin etiam Papias, de quo iam egimus, Apostolorum dicta, ab ijs qui ipsos assectati sunt, se accepisse confitetur: Aristionis autem & Ioannis Senioris se auditorem fuisse dicit. Nominatim proinde illorum sæpe mentionem faciens, eorundem traditiones scriptis suis inserit.* Ita Eusebius.

Ex quibus non potest aliud validius confici argumentum, quàm hoc: Dicit Papias se auditorem fuisse Aristionis & Ioannis Senioris; & non dicit se fuisse auditorē Ioannis Apostoli, ergo huius auditor nō fuit. Atqui hoc argumentum, cùm sit ab auctoritate negata, vt loquuntur Logici; non est efficax, nec necessarium, immo nec magni roboris: præsertim cùm tantùm ex occasione dixerit *se istorum fuisse auditorem*, aut potiùs, *semet ex ijs audisse ea, quæ ipse referebat.* Nam hic loquebatur, cùm illorum referret dicta. Nec enim dixit Papias ex professo, se fuisse discipulum Aristionis & Ioannis Senioris, verbi gratia in proœmio; vt ferè solet ab ijs, qui auctoritatem libris suis aucupantur: (solùm enim in proœmio dixit ea, quæ in 1. fragmento proposuimus, & si alia quidem dixisset, non reticuisset Eusebius) sed tantùm oblata certarum traditionum occasione dixit: *Ego hæc ab ipsismet, Aristione nimirum, & Ioanne Seniore audiui.* Hæc est enim vis illius vocis αὐτήκοος. i. *testis auritus*: sicut αὐτόπτης. *testis oculatus.* Neque ex eo, quòd Papias dixerit se fuisse Ioannis Senioris αὐτήκοον, i. testem auritum, debet intelligi fuisse discipulus, immo nec auditor, si quidem auditor accipiatur, vel pro auditore discipulo, vel pro auditore honorario & libero: sed tantùm si auditor capiatur pro eo, qui quocumque modo audit alterum loquentem, & sit idem quod *testis auritus.* Hoc enim est, vt dixi, αὐτήκοος. Discipulus autem dicitur græcè μαθητής. Auditor autem honorarius ἀκροατής. Distinguit enim ista Isocrates ad Nicoclem, cùm dicit: Ἀλλὰ τῶν μὲν ἀκροατὴς γίνου, τῶν δὲ μαθητής. *Sed istorum quidem auditor esto, horum verò discipulus.* Iam verò ἀκουστὴς idem ferè quod μαθητής. sicut *auditor*, vt plurimùm, idem quod *discipulus.* Scio tamen ista nonnunquam confundi, vt è Polluce & Suida constat: sed hîc vocum proprietatem aperimus: non varietatem percurrimus.

Denique si vsquam Papias, velut prædicabundus, se Ioannis Senioris discipulum dixisset, nihilque eiusmodi de Ioanne Apostolo prædicasset, colligi non improbabiliter potuisset, ipsum illius, & non huius, fuisse discipulum. At vero nec hoc fecit, nec facere potuit: vti ad probandum iam accedimus. Pro quo sit hæc assertio.

ASSERTIO.

S. PAPIAS FVIT IOANNIS APOSTOLI DISCIPVLVS.

Probatur 1. Quia S. Irenæus ipsiusmet Papiæ discipulus id de magistro suo prædicat, libro V. aduersus hæreses, cap. 33. cuius verba extant etiam apud Eusebium, libro 3. historiæ eccl. cap. vltimo: & sunt hæc: Ταῦτα δὲ καὶ Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος &c. vt ante vitam posui. *Hæc & Papias Ioannis quidem auditor, Polycarpi autem sodalis &c.* Nec potest dici alius Ioannes intelligi, cùm illud nomen absolutè positum semper pro Apostolo & Euangelista capiatur: vti Ignatius pro Ignatio Theophoro, Episcopo & martyre: & Polycarpus pro Smyrnæ Episcopo, & ita de alijs: tametsi plures alioqui fuerint Ignatij & Polycarpi. Atqui discipulus potuit meliùs scire, an præceptor suus fuerit S. Ioannis Apostoli discipulus, quàm is qui longè pòst secutus est, Eusebius. Adde quòd Irenæus magistri sui scripta legerit, atque etiam citauerit. Vnde si inuenisset eum dicere, non audiuisse se Apostolos, procul dubio non scripsisset eum fuisse Ioannis auditorem, vel si alium indicare voluisset, quam Apostolum, aliquid addidisset, quo indicaret.

2. S. Hieronymus, quem credibile est S. Papiæ scripta legisse, non semel eum Ioannis Apostoli discipulum seu auditorem nominat, sed sæpius: semel in Papia: *Papias*, inquit, *Ioannis auditor*, &c. & semel in Ioanne Apostolo, vbi sic: *Nonnulli*, inquit *putãt duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse: super qua re cum per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, differemus.* Et epistola 29. ad Theodoram: *Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum, & Papiæ auditoris Euangelistæ Ioannis discipulus.* &c.

3. S. Andreas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, qui plura è libris Papiæ producit testimonia, de quibus infrà, eum quoque B. Ioannis appellat discipulum.

4. S. Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, lib. 7. in hexaëmeron: *Et celebris Papias Hierapolitanus*, inquit, *Ioannis Euangelistæ discipulus &c.*

5 Oecumenius in Acta Apostolorum, cap. 2. Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου μαθητής. &c *Hoc autem clariùs enarrat Papias Ioannis Apostoli discipulus.*

6. Magno item argumento est Papiam vidisse & audiuisse S. Ioannem Euangelistam; quòd ijsdem floruerit in Asia tẽporibus, quibus S. Ignatius & Polycarpus, qui discipuli fuerunt eiusdem S. Ioannis. Quod ipsemet testatur Eusebius in historia, libro 3. cap. 30. & S. Hieronymus in Chronico ad annum

Christi

Christi 101. vbi scribit post Ioannis excessum floruisse eius auditores, Papiam Hierapolitanum Episcopum, & Polycarpum Smyrnæum, & Ignatium Antiochenum. Verba eius posui inter Antiquorum testimonia ante vitam, vti etiam S. Maximi martyris, qui dicit floruisse Papiam vnà cum S. Ioanne Euangelista. Quod si ita est, cui sit credibile (cùm vterque esset in Asia, S. Ioannes & Papias, & ille quidem totius Asiæ visitaret & regeret ecclesias) nec illum ad Papiam iuisse, nec Papiam ad illum accessisse.

7. Accedit omnium veterum martyrologiorum, quæ quidem Papiæ meminerint (nam vetus Romanum & Menæum Græcorum prorsus silent: cuius silentij caussam pòst adferam) magna auctoritas, quæ vniformiter eum Ioannis Apostoli discipulum nominant. Sic igitur illa habēt ad VII. Kal. Martij, siue ad vicesimam secundam Februarij:

Venerabilis Bedæ: *In Hierapoli, sancti Papiæ auditoris S. Ioannis Apostoli.*

Vsuardi: *Eadem die sancti Papiæ Hierapolitanæ ciuitatis episcopi, qui Ioannis Apostoli auditor, Polycarpi autem condiscipulus & sodalis fuit.*

Adonis: *Apud Hierapolim, S. Papiæ Episcopi, auditoris Ioannis Apostoli.*

Gallicè item edita semper habuerunt, hodiéque habent, S. Papiam, S. Ioannis Apostoli discipulum. Vide nuperrimam editionem, eámque emendatissimam Leodij anno 1624. impressam.

Cum his antiquioribus concordant recentiora, Notkeri, Maurolyci, Petri Galesinij, & aliorum martyrologia. Denique Martyrologij Romani editio Romana litteris Apostolicis Gregorij XIII. instructa, & iussu eius euulgata, (cuius exemplar vnum ex typographia Dominici Basæ, anno M. D. LXXXIIII. editum, penes me est) ita habet:

Hierapoli in Phrygia, beati Papiæ eiusdem ciuitatis Episcopi, qui sancti Ioannis Apostoli auditor, Polycarpi autem condiscipulus & sodalis fuit.

Hanc porrò editionem prioribus omnibus Romanis editionibus anteponit Baronius, in tractatu De martyrologio Romano, cap. 8. *Tertia editio*, inquit, *purior est atque sincerior, facta anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Illi enim tantùm, vt legitimæ atque germanæ accesserunt litteræ Apostolicæ, datæ die decimaquarta Ianuarij, eodem anno. Cui etsi ex nostris notationibus leuis certè aliqua accessit emendatio, vel si quid additum reperitur (quod quidem perrarò factum inuenies) id nos eius, cuius summa est in ecclesia auctoritas, constanti voluntate fecisse Lector intelligat.* Ita Baronius.

Quare hæc sit ad extremum, totius quæstionis huius conclusio, de S. Papia probabiliorem esse S. Irenæi, Hieronymi, Andreæ Cæsariensis, Anastasij Sinaitæ, Oecumenij & aliorum, simúlque omnium martyrologiorum, Romani, Bedæ, Vsuardi, Adonis, auctoritatem atque sententiam; quàm sit, aut esse possit vnius, qui post se alios traxit, Eusebij. Sed alia ex iam dictis exsurgit quæstio.

QVÆSTIO II.

CVR NEC IN VETERE ROMANO MARTYROLOGIO, NEC IN GRÆCORVM MENÆO AVT MENOLOGIO VLLA FIT HVIVS S. PAPIÆ MENTIO?

SI coniecturâ quippiam assequi licet, crediderim ob vnam atque alteram eius opinionem, olim quidem satis communem, sed postmodùm minùs ab ecclesia probatam ac receptam, ipsius nomen quod inscriptum fuerat primis temporibus sacris tabulis, postea propter nonnullorum obstinationem tanti viri auctoritate suum errorem protegentium, esse erasum. Quam quoque ob caussam scripta eius intercidisse nō ambigo. Nec potest esse dubium, quin martyrologia sæpius variata fuerint: cùm illud quod recenter à Gregorio XIII. fuerat approbatum, & litteris eius Apostolicis communitum, postea per occasionem Notationum Baronij, (qui suggesserit nonnullos se in eo errores reperisse) fuerit aliqua ex parte commutatum, non variatis modò quibusdam, sed nonnullis etiam adiectis atque detractis: vt patebit vtramque editionem antiquam ac nouam conferenti, Gregorianam scilicet & Sixtinam: quanquam hæc posterior non appelletur Sixtina, quamuis sub illo facta. Visum est enim, quòd haud adeo magna esset facta mutatio, relinqui nomē & bullam Gregorij XIII. Iam autem ferè vsus obtinuit, vt postrema illa editio sub Sixto V. facta, & Notationibus Baronij illustrata, vocetur Martyrologium Baronij. Et sanè egregiè in eo, & fructuosè ad gloriam Dei, & ecclesiæ vtilitatem laborauit. Verùm non est vnius hominis videre omnia, nedum examinare. Vnus in vno clariùs videt, alter in altero, alius in alio. Sic in dies lux crescit & eruditio, & multorum splendoribus redditur ecclesia illustrior: sic & bona melioribus, dum multi intendunt oculos, permutantur.

Quod autem de opinionibus S. Papiæ minùs iam receptis dixi, si quis fortè quærat, qualésnam eæ fuerint, & quantis viris probatæ ac defensæ, ego ad extremas Notationes dicam: vbi & magnæ reos temeritatis illos ostendam, quicumque virum illum, cuius non sunt digni soluere corrigiam cal-

calceamentorum, hæreseos arguere non sunt veriti. Per tales scilicet homines ignaros & imprudentes factum est, vt non Papias tantùm è Menologio, & Menæo Græcorum, sed & alij multi exciderint: atque eorum item scripta magno ecclesiæ damno prorsus interierint. Nam & Irenæum eandem ob caussam græcè deperditum vix latinè seruauimus. Et Originis hexapla, etiam inimicissimis, (extimulante nimirum veritate) plurimùm cõmendata prorsum amisimus. Heus vos, rerum rudes atque ignari, quàm multa hodie sunt tot euolutis ab istorum maiorũ ætate sæculis, quàm multa, inquam, hodiéque sunt, quæ vtramque in partem citra iacturam fidei nobis tenere & tueri licet, quæ quidem venturis pòst annis, adueniente scilicet maiore lumine, numerabuntur in erroribus! Et ea tamen viri sancti & antehac tenuerunt, & nunc tenent: neque illis vnquam in hæresim, neque in temeritatem reputabuntur. Quocirca minimè fraudi esse debet, neque Papiæ, neque Iustino, neque Irenæo, viris sãctissimis, quòd ea olim docuerint, quę nunc dedocemur. De multis enim interrogabantur, quæ obscura tum erant, & explicatu difficilia, & nulli tractata: de quibus proinde eam sententiam, quæ sibi proxima veritati videbatur, spectatâ semper Dei gloriâ, sincerè proferebant. Ac tum etiam quidem, si cui meliora occurrissent, semper paratos se edoceri, vel verbo, vel scripto, vel vita profitebantur. Nam eorum singularis erga Ecclesiam reuerentia, & tuendæ vsque ad mortem Fidei studium atque zelus, haud dubium erat suæ ad omnem veritatem propensionis atque submissionis testimonium. Nec verò mirum, si de aliquibus sacræ Scripturæ locis aliter aliquando ab illis doctum sit, quàm nunc ab Ecclesia: cum etiam post illos, non modò de membris aliquot exiguis, sed etiam de totis aliquibus sacræ Scripturæ libris multò secus doctissimi atque sanctissimi Patres senserint ac docuerint, quàm nunc sentiat ac doceat Ecclesia. Sed neque nũc õni claritate plena est, (peccatorum scilicet nostrorum multitudine spissam ei affundente caliginem) verùm vt ex parte vna clarescit, ita tenebrescit ex altera: neque antè tota lucida erit, quàm in cælum recepta nouo illic sole illuminabitur. Illuc igitur vel per tenebras cõtẽdamus, donec adspiret dies. Interim tamen quatulacumque luce hic aspergimur, ea, vt licet, vtamur: atque ad Notationes per capitum seriem procedamus.

AD CAPVT I.

a FVIT S. PAPIAS &c] Plures hoc nomine inter Sanctos numerati sunt: sed hic noster omnium est antiquissimus, & inter cognomines solus Scriptor, solus Episcopus.

Secundus fuit martyr vnà cum Diodoro, Conone, & Claudiano, sub Decio Imp. Vide Martyrologium Rom. ad 26. Februarij & Menologium ad 30. Ianuarij, in editione Henrici Canisij. Alius in Martyr. Rom. ponitur 25. Februarij, sed idem esse videtur cum eo, qui ponitur 26. vt è martyrij socijs colligitur, fauentibus huic coniecturæ, Græcorum Menæo & Menologio.

Tertius Papias fuit miles & martyr, imperante Diocletiano: de quo Romanum Martyrologium 29. Ianuarij, in hæc verba: *Romæ, via Nomentana, natalis SS. martyrum Papiæ & Mauri militum, tempore Diocletiani Imp. quorum ora iussit Laodicius Vrbis Præfectus ad primam Christi confessionem lapidibus contundi, & sic eos in carcerem trudi, ac postea fustibus cædi, atque ad vltimum plumbatis percuti, donec expirarent.* Quartus Papias, itidẽ martyr, sed in Africa, cum socijs palmæ, Publio, Victore, & Hermete. De quibus Martyrol. Rom. ad diem 2. Nouembris. Si qui sint alij, minùs sunt celebres.

b *IN TERRA PHRYGIA ET VRBE HIERAPOLI &c*] Phrygia est vna è regionibus Asiæ. Vnde S. Papias nunc Asianus, nunc Episcopus in Asia appellatur. Sic Hieronymus in lib. De illustribus ecclesiæ Scriptoribus, *Papias*, inquit, *Ioannis auditor, Hierapolitanus Episcopus in Asia.* &c. Sic & S. Maximus Martyr, vt ante Vitam initio annotaui. Sic & Petrus Galesinius in suo martyrologio: *Hierapoli*, inquit, *S. Papiæ Episcopi. Is Asianus, B. Ioannis auditor, Apostolorum discipulus, D. Polycarpi familiaris, Hierapolitanorum Episcopus consecratus, multos annos illi ecclesiæ summa cum laude præfuit, sacra eruditionis & sanctitatis laude clarus quieuit in Domino.*

Eusebius in Chronico ad annum Neronis 10. Hierapolim, vti & Laodiceam, & Colossos, vrbem Asiæ facit. Πόλεις τῆς Ἀσίας κατέπεσον τρεῖς, Λαοδίκεια, Ἱεράπολις, Κολοσσαί. *Tres Asiæ vrbes ceciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colossæ.* Addit S. Hieronymus interpres, *terræ motu*. De quo terræ motu ita Cornelius Tacitus lib. 14. Annalium: *Eodem anno ex illustribus Asiæ vrbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo à nobis remedio, proprys opibus reualuit.*

Hierapoleos nomen plures vrbes acceperunt: de quibus ita breuiter Stephanus Byzantinus: Ἱερὰ πόλις μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας πόλις, θερμῶν ὑδάτων πολλῶν πλήθουσα ἀπὸ τοῦ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν. β. Κρήτης. γ. Συρίας, ἣ καὶ Ἱερόπολις διὰ τοῦ ο. τετάρτη, Καρίας. Τὰ ἐθνικὰ Ἱεροπολῖται. ἀφ' οὗ Νικάνωρ ὁ νέος Ὅμηρος, καὶ Πόπλιος, καὶ Σαραπίων Στωϊκοί, καὶ ἄλλοι πλεῖστοι Ἱεροπολῖται. *Hierapolis, vrbs inter Phrygiam & Lydiam, multis aquis calidis abundans, sic dicta quòd multa templa habeat. Secunda*

cunda Hierapolis est in Græcia. Tertia in Syria, quæ & Hieropolis per ὀ paruum. Quarta est in Caria. Populares vocantur Hieropolitæ. Vnde Nicanor iuuenis Homerus: & Publius, & Serapion Stoici, & alij plurimi Hieropolitæ. Prima ergo Hierapolis est hæc, de qua hîc agitur, & vnde ortus creditur Papias (quem idcirco Nicephorus Callistus in Testimonijs ante Vitam citatis vocauit Ἱεραπολίτην. *Hierapolitam*) & vbi fuit Episcopus: tametsi hanc Hierapolim non statuat Stephanus in Phrygia, propter variatas ætate sua ditiones; sed inter Phrygiam & Lydiam. Verùm Claudius Ptolemæus, Geographorum accuratissimus, libro 5. Geographiæ, cap. 2. eam disertè recenset inter ciuitates magnæ Phrygiæ. Rationem diuersarum sententiarum in descriptione ac determinatione regionum atque vrbium affert Strabo cum alibi, tum etiam lib. 13. Geographiæ; vbi de Phrygia, & Hierapoli, & Laodicea scribit. Omitto hic, ne sim lõgus. Illud breue ibidem non omitto, quod ad vicinitatem spectat vrbium: Κατ' ἀντικρὺ Λαοδικείας, Ἱεράπολις, ὅπου τὰ θερμὰ ὕδατα. *Contra Laodiceam sita est Hierapolis, vbi aqua calidæ scaturiunt.* Quem ad locum respexisse videtur Stephanus suprà. Sed illud perquàm mirum de ijsdem aquis addit Strabo: Τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ εἰς πῶρον οὕτω ῥαδίως μεταβάλλει πηγνύμενον, ὥς ὀχετοὺς ἐπάγοντες, φραγμοὺς ἀπεργάζονται μονολίθους. *Nam ista aqua tam facile in tophum mutatur coagulata, vt deductis riuis sæpimenta conficiant vno solido lapide constantia.* Et paullò inferiùs, eandem vim aquarum Laodiceæ quoque fluuijs attribui dicit, his verbis: Τὸ δὲ τῆς ἀπολιθώσεως, καὶ ἐπὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ ποταμῶν φασι συμβαίνειν, καίπερ ὄντων ποτίμων. *Quod autem dictum est aquas lapidescere, hoc etiam fluuijs Laodiceæ dicunt contingere, tametsi sint potabiles.* Ego ipse huiusmodi aquas & vidi & bibi ex suo fonte, in finibus superioris Hungariæ in quodam colliculo, ex quo scaturiens aqua fontem efficiebat perennem, dum Turotio transirem in Transsiluaniam.

c *PRIMO CHRISTI SÆCVLO.* &c] Natum esse Papiam primo Christi sæculo, patet ex ijs omnibus, qui senserũt eũ fuisse Apostolorum discipulũ, vt tractauimus paullò antè, in priori quęst. breui pòst plùs patebit.

d *IN QVIBVS CVM PROGRESSVS FECISSET. &c.*] Non mediocriter excultum fuisse artibus liberalibus, probant illa Eusebij verba, lib. 3. hist. eccl. cap. 30 Ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων. *Vir cùm in omnibus longè doctissimus, tum sacræ Scripturæ sciens.* Id enim sane verba græca sonant: & succinit Nicephorus lib. 3. histor. cap. 2. Vide in Testimoniis ante VITAM. Quare quod ab Eusebio, cap. vltimo libri priùs citati, dicitur σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν, *valde exiguus sensu*, id referendum est ad sensus mysticos percipiendos, cùm ibi agat de loco S. Ioannis ab eo nimis corporaliter intellecto, deque alijs similibus, licet alioqui in alijs bonus ac sciens esset. Quemadmodum & alijs doctissimis viris accidit, vt in aliquibus hallucinentur. Alioqui enim videretur sibi Eusebius de eodem repugnantia dicere. Et verò potest accidere, adeóque non rarò accidit, vt vir alioqui ingeniosissimus ac doctissimus, propter mentis simplicitatem ac sinceritatem, res, prout prima fronte apparent, capientis, ad altiores sensus perscrutandos sit tardior, atque ad ea, quæ ab alijs audierit, simpliciter credenda procliuior. Talis autem videtur fuisse S. Papias, & quorundam non falso iudicio, S. Epiphanius, vir alioqui eruditissimus. Quare mirari satis non possum Isaaci Casauboni partim irreuerentiam erga virum sanctum, partim mentiendi impudentiam in referendo, quid Eusebius de illo senserit. Irreuerentia est, dum in titulo suæ exercitationis LXIX. inter alia sic notat: *PAPIAS SCRIPTOR VANVS ET FABVLOSVS.* Itáne verò. Ergóne S. Irenæus, & S. Hieronymus, & alij quos in vitæ huius initio proposui, scriptorem laudarunt vanum & fabulosum? Quibus porrò aures dabimus aut quibus fidem habebimus? Hisne tot viris sanctis, an vni Casaubono in ecclesiam & viros sanctos malè frementi? Impudentia autem in eo est, quod ibidem in corpore exercitationis ita scribit: *Narrat Eusebius in tertia historia Papiam hunc, scriptorem fuisse futilissimũ, qui omnes traditionum fabellas mirificè amplecteretur, & scriptis mandaret; multa igitur falsa absurdáque de Christo & Apostolis scripsisse, καί τινα καὶ μυθικώτερα, & quædam etiam fabulis propiora.* Sic ille.

Prima igitur impudentia & mendacium Casauboni est, quòd Eusebius narrauerit eum fuisse scriptorem futilissimum. Nusquam hoc narrauit. Secunda, quòd dixerit eum mirificè amplecti omnes traditionum fabellas: non hoc dixit, sed studiosè inquisiuisse dicta Apostolorum & discipulorum Domini, quæ peruersè Casaubonus interpretatur *fabellas traditionum.* Tertia impudentia, quòd dixerit multa falsa absurdáque de Christo & Apostolis scripsisse: neque hoc dixit Eusebius: sed postquam multa bona ex eo totidem verbis decerpsit, quæ nos inter FRAGMENTA posuimus, bonum esse duxit extremo libro illo & capite ea etiam annotare, quæ idem Papias tenuit secùs, quàm duobus tribúsue post eum sæculis tenuerit ecclesia, vnũ scilicet de mille annis in terra post resurrectionẽ, quod numerat Eusebius inter fabulosiora, quæ docuerit Papias. Id ipsum tamen quàm multi SS. Patres tenuerint, cap. vltimo harum Notationum afferemus. Quarta denique Casauboni

boni impudentia est in illis verbis: *Observat, inquit, inter cetera Eusebius solitum Papiam nugas comminisci.* O caram impudentiam! Dicit tantùm Eusebius Papiam male interpretatum esse narrationes Apostolicas, idque attribuit non malitiæ, sed ingenij exiguitati: tu malus, ne dicam pessimus, solitæ malitiæ attribui dicis. Est enim procul dubio malus, qui in rebus sanctis nugas comminiscitur: & qui id solitus est facere, absque controuersia pessimus. Ego autem, (vide quam sim à te diuersus) tametsi sæpe in bonorum Scriptorum interpretationibus erraueris, & falsa pro veris attuleris, tamen nunquam te idcirco dicam solitum esse nugas comminisci. Quia scio te conatum esse assequi ac proferre veritatem; assecutum etiam esse aliquando, sed non semper: si quãdo lapsus sis, mentis debilitati atque exiguitati tribuo, non prauitati. Cur tu in viro sanctissimo & longè meliori te non idem fecisti? habens præsertim præ oculis tuis, Eusebij qui id fecit, propositum in tabula exemplum? Sed vt magis in aperto sit Eusebij de Papia sensus, simulque innotescat, quãto peiùs senserit Casaubonus de illo, quàm Eusebius, ecce ipsius Eusebij verba omnia, quæ facere posset adversus Papiã: Καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς, ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα. ἐν οἷς καὶ χιλιάδα τινά φησιν ἐτῶν ἔσεσθαι μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας ἐπὶ ταυτησὶ τῆς γῆς· ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς Ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις ὑπολαβεῖν, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυστικῶς εἰρημένα μὴ συνεωρακότα. Σφόδρα γάρ σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται. *Alia quoque idem Scriptor, tanquam ex non scripta traditione ad se delata apponit, & nouas quasdam Saluatoris parabolas & doctrinas, & alia quædam fabulosiora: in quibus & mille annos post resurrectionem à mortuis, subsistente Christi regno corporaliter in hac terra. Quæ ego illum accepisse existimo malè interpretantem narrationes Apostolicas, nec penetrantem quæ ab illis mysticè per similitudines dicta sunt. Valde enim exiguo sensu erat, quemadmodum ex eius scriptis capere licet coniecturam.* Ita ibi.

Dicit igitur primò Eusebius eum protulisse aliquas nouas Saluatoris parabolas, seu, si mauis, peregrinas, hoc est, non contentas in nouo testamento: an igitur propterea vanas aut falsas? An Apostoli cunctas conscripserunt? Quid ergo est, quod dicit S. Ioannes in extremo suo euangelio, *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Si multa sunt, quæ fecit, multo plura, quæ dixit. Quamuis vox *fecit* apud Ioannem vtraque simul comprehendat, tam dicta, quàm facta. Nec enim Ioannes tantùm facta Christi antè retulerat, sed etiam ac multo magis quidem dicta. Iam autem S. Marcus cap. 4. post multas Christi parabolas à se narratas subdit: *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbũ, prout poterant audire: sine parabola autem non loquebatur eis.* Nonnullas igitur ex ijs parabolis collegerat ex relatione Apostolorum Papias, & in libris suis (quos mali malè perdiderunt) reseruârat. Secundò dicit illum scripsisse quædam fabulosiora, & exempli caussa ponit opinionem de mille annis: & quidem postmodum excusat, quòd ingenij tenuitate mystica corporaliter intellexerit. An hoc est dicere, illũ esse scriptorem futilissimum? an hoc est dicere, omnes traditionum fabellas mirificè complecti? an hoc est dicere, multa cum falsa, absurdáque de Christo & Apostolis scripsisse? Aliud est enim sensum mysticum non assequi, & obscura interpretando interdum aberrare, & aliud ea facere, quæ dicit Casaubonus. Sic enim & SS. Martyres Iustinum, & Irenæum, qui easdem opiniones tenuerunt & alia nonnulla, quæ iam nullus doceret, condocuerunt, futilissimos liceret scriptores appellare, quos tamen ecclesia admittit esse vtilissimos. Postremò idem Eusebius alijs omnibus locis eum magni facit, & in hoc ipso quidem capite, post illa superiùs posita, ex eo multa bona citat, & pro alijs dicit se cupidos discendi, quos φιλομαθεῖς appellat, ad ipsummet Auctorem remittere: quod sanè non faceret, si futilissimum, ac non potiùs vtilissimum iudicaret.

e *NAM MAGISTROS QVIDEM FIDEI &c. HABVIT APOSTOLOS*] De S. Ioanne probatum est quæstione super hoc habita: de S. Petro testimonium est in Nicephoro lib. 3. histor. eccles. cap. 18. vbi agit de persecutione Traiani Imp. Hæc sunt eius verba: Κατ' ἐκεῖνο δὲ καιροῦ ἔτι Κλήμης ἐν Ῥώμῃ διέπρεπε· Πρὸς δὲ καὶ Ἰγνάτιος τὴν Ἀντιόχου διεῖπε· Παπίας τε ὁ ἐν Ἱεραπόλει συγγράφων, Παγκράτιός τε, καὶ ὁ τῆς Σμυρναίων πρόεδρος Πολύκαρπος. ὧν οἱ μὲν Πέτρου· Πολύκαρπος δὲ τοῦ ἐπιστηθίου ἦσαν ὁμιληταί. *Eo tempore adhuc Romæ Clemens entitescebat. Ignatius quoque Antiochenam regebat ecclesiam. Papias item Hierapoli scribendis libris operam dabat. Pancratius etiam, & Smyrnæorum Antistes Polycarpus vigebant. Quorum illi quidem Petri discipuli; Polycarpus autem eius, qui supra pectus Domini recubuit, sectator fuit.* Quibus verbis indicatur Clementem, Ignatium, Papiam, Pancratium fuisse S. Petri discipulos & sectatores; Polycarpum autem S. Ioannis Euangelistæ: quia nimirum plus ei, tanquam vicinior, (est enim Smyrna Ephesо, vbi Ioannes degebat, satis vicina) hauriendi spiritus Apostolici caussa adhærescebat. De S. Pancratio sic est in vetere Romano martyrologio

Ioannis cap. 21. ver. 5.

Marci cap. 4 ver. 33.

rologio ad tertiam Aprilis: *Apud Tauromenium, S. Pãcratij.* Sic enim solet breuissimè. Sed nouum Rom. latiùs hoc modo: *Tauromenij in Sicilia, S. Pancratij Episcopi, qui Christi euangelium, quod à S. Petro Apostolo illuc missus prædicauerat, martyrij sanguine consignauit.* Eius pleniorem mentionem faciunt Menæum & Menologium Græcorum ad diem IX. Iulij. Quare corrigendus error Baronij in Notationibus ad Martyrologium 3. Aprilis: vbi dicit Græcos de eo agere in Menologio, *quinto idus Iunij.* Reponendum est, *septimo idus Iulij.* siue, nona die eius mensis. Quod ita esse conuincit vel illud carmen in Menæo positum, ad diem martyrij significandam.

Παγκράτιος δ' ἐνάτῃ ἐς παγκρατέος δόμ' ἀπέτλη.

Pancratius nona solium omnipotentis adiuit.

Post quod carmen subdit de eodem: Ὃς ἦν Ἀντιοχεὺς τὸ γένος, παρὰ Πέτρου δὲ Ἀποστόλου πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν χειραγωγεῖται πίστιν· παρ' οὗ καὶ χειροτονηθεὶς Ταυρομενίου Ἐπίσκοπος. &c. *Qui genere erat Antiochenus, à Petro autem Apostolo ad fidem in Christum manu ductus est, & ab eodem consecratus Tauromenij Episcopus.* &c. Credibile est illum à S. Petro Antiochiæ cõuersum, atque inde in Italiam abductum, & ipso in itinere relictum in Sicilia, aut illuc ab vrbe Roma missum esse. Ista de illo, ex occasione mentionis magistri vtriusque, S. Petri scilicet, quem & Papias & Pancratius audiuerunt.

f *TANTO ENIM ARDEBAT RERVM SANCTARVM AMORE* &c.] Hic amor rerum sanctarum in S. Papia, in FRAGMENTO II. suprà expressus est, & quidem ex ipsiusmet verbis.

g *CVM B. PHILIPPI EVANGELISTÆ FILIABVS* &c.] De hoc B. Philippo & eius filiabus extat narratio in Actis Apostolorum, cap 21.

Quidam existimant illum fuisse Apostolum: alij Diaconum appellant. Res est intricatissima: & nisi vnus idémque sit, duorum Acta mirè inter se confunduntur. Martyrologium Romanum ad sextam Iunij, sic de nostro: *Cæsareæ in Palæstina, natalis B. Philippi, qui fuit vnus de septem primis Diaconis. Hic signis & prodigijs clarus Samariam ad fidem Christi conuertit, & Candacis Æthiopum Reginæ eunuchum baptizauit: ac demũ apud Cæsaream requieuit: iuxta quem tres Virgines eius filiæ prophetissæ tumulatæ iacent. Nam quarta filia eius plena Spiritu sancto Ephesi occubuit.* In vetere autem Romano tantùm est sic: *Philippi Diaconi de VII. apud Cæsaream.* Vbi de *VII.* intellige *Diaconis.* sicut & in ipsis Actis Apostolorum non exprimitur, sed intelligitur.

h. *IBIQVE, VT NONNVLLI CENSENT, CONSENVIT, ET OBIIT, ET QVIEVIT.*] Ita disertè censet Caius, antiquus Theologus & Scriptor apud Eusebiũ, & ipse cum illo Eusebius. Sic enim lib. 3. hist. eccl. c. 31. in græco exemplari: Καὶ ἐν τῷ Γαΐου δὲ οὗ μικρῷ πρόσθεν ἐμνήσθημεν διαλόγῳ, Πρόκλος, πρὸς ὃν ἐποιεῖτο τὴν ζήτησιν, περὶ τῆς Φιλίππου, καὶ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ τελευτῆς, συνᾴδων τοῖς ἐκτεθεῖσιν, οὕτω φησίν. Μετὰ τοῦτο προφήτιδες τέσσαρες αἱ Φιλίππου γεγένηνται ἐν Ἱεραπόλει τῇ κατὰ τὴν Ἀσίαν. Ὁ τάφος αὐτῶν ἐστιν ἐκεῖ, καὶ ὁ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. *Porrò in disputatione Caij, quam paullo ante citaui, Proclus (contra quem disputationem instituit) de morte Philippi & filiarum eius, his à nobis expositis admodum consentiens, sic loquitur: Post Hieràpoli in Asia quatuor filiæ Philippi prophetissæ fuerunt, ibidémque cum illarum, tum patris sepulchrum locatum est.* Hæc ille. Quæ totidem verbis producit Baronius in suis Annalibus, tomo 1. ad annum Christi 58. Eusebius verò post illa, quæ iam posui, declarat illas ipsas esse, de quibus agit S. Lucas in Actis Apostolorum, cap. 21. *quæ tum Cæsareæ,* inquit, *in Iudæa simul cum patre versabantur, & prophetiæ dono imbutæ erant.* Tum autem, id est, antequam Hierapolim migrarent, habitabant Cæsareę Palæstinę, quæ olim *TVRRIS STRATONIS* dicebatur, postea autem in Augusti Cæsaris honorem Cæsarea est appellata. Iacet inter Ioppen & Ptolemaida. In hac ipsa vrbe annos plurimos Episcopus fuit Eusebius ille iam dictus, & toties ob historiam ecclesiasticam laudatus & laudandus. Hic ergo dum assentitur, vt vidimus, B. Philippum vnum è septem Diaconis vnà cum filiabus Hierapolim concessisse, ibique sepultum esse; eadem opera fatetur eum nec obijsse, nec sepultum esse Cæsareæ. Quis autem omnium scire melius potuit, an iacerent ibi ista corpora tam patris, quàm filiarum, quàm eiusdem vrbis plurimos annos Episcopus: qui certè si in ecclesiâ suâ tam preciosa habuisset deposita, minimè ijs assensisset, qui alibi esse dicerent; sed sibi ecclesiæque suæ vindicasset, multúmque de illis, vt æquum erat, gloriatus esset. Videtur hoc argumento asserri fortius nullum posse, nec alijs opus esse. Vnde igitur, inquiet aliquis, in martyrologia noua inuectum est (nã in vetere Romano non fuit) Virgines illas Cæsareæ apud patrem tumulatas esse? Respondeo occasionem id opinandi sumptam videri, partim ex Actis Apostolorum, ca. 21. vbi constat B. Philippum Cæsareæ aliquando habuisse domicilium; partim ex epistola *Hieron. epist. 27. ad Eustochium.* Hieronymi ad Eustochium in Epitaphio Paullæ matris, vbi eius sacras peregrinationes enarrans, scribit ipsam inter alia *miratam esse ruinas Dor, vrbis quondam potentissimæ; & versa vice, Stratonis turrim ab Herode Rege Iudææ, in honorem Cæsaris Augusti, Cæsaream nuncupatam: in qua Cornelij domum, Christi vidit eccle-*

ecclesiam;& Philippi adiculas, & cubicula quatuor virginum Prophetarum. Ex his igitur Hieronymi verbis cum narratione S. Lucę compositis, existimauit is, qui primus Romanum vetus martyrologium amplificauit, ibi illas Virgines sepultas esse, vbi quondam habitauerant, & vbi quatuor pòst sæculis earum visebantur cubicula. Verùm vel ex eo, quòd de solis cubiculis loquatur Hieronymus, & de sacris earum corporibus atque Reliquijs, licet multò pretiosioribus nihil dicat, argumentum potiùs sumendum erat, non iacere ibi earum corpora, pręsertim quòd antiquissimi Auctores, & secundi sæculi Scriptores disertè scripserint ea esse Hierapoli, & Eusebius Cæsareæ Episcopus apud se non esse, sed esse Hierapoli consenserit.

i *VIRO PROPHETA ET PROPHETARUM MORE AB ANGELIS RAPTO*] De raptu S. Philippi ab Angelo scripsit S. Lucas in Actis Apost. cap. 8 ver. 39. *Cum autem ascendissent de aqua* [Philippus & Eunuchus, peracto huius baptismo] *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius nō vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.* Vide ibidem plurimas eius laudes. Primus enim post Christi ascensionem prædicauit Christum in Samaria, potéstque meritò vocari Samaritarum Apostolus: cùm eam gentem non verbo tantùm, sed & prodigijs ad fidem conuerterit. Sic enim Lucas: *Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt. Factū est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.* Ecce insignem Diaconum, & nihilo minorem magnis Apostolis: verè Stephano collega suo dignum: & cuius operâ ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizandum Angelus vti voluit: vt idem Eunuchus postea Æthiopiam ad Christum adduceret: quod & fecit. Quin & in Felice Arabia, & in Taprobana insula, atque in vniuersa Erythra euangelium Domini annuntiauit, vbi & obito gloriosè martyrio tumulatus est, sepulchro eius multorum signorum gloria deinceps nobilitato. Nonnullam eius mentionem attigit Petrus Maffeius, lib. 3. Historiarum Indicarum, vbi de Insula Ceilani, seu de vetere Taprobana agit, in cuius vno monte altissimo vestigium extare scribit inclyti sanctitate viri, ad quod à leucis amplius mille, omnium ordinum peregrini, ac præsertim Iogues pietatis caussa contendant: in eo autem vestigio in bicubitale saxum eminens ad instar mensæ impresso, opinionem esse haud vero absimilem, coli Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ. Vide ibi.

AD CAPVT II.

a A *S. IOANNE APOSTOLO* &c.] Papiam accepisse episcopatum à S. Ioanne communior est sententia. Id etiam ex antiquioribus monumentis refert Petrus de Natalibus, Equilinus Episcopus, lib. 3. Catalogi Sanctorum, cap. 141. his verbis: *Papias Hierapolitanus Episcopus, Ioannis Apostoli auditor, Polycarpi quoque condiscipulus & consodalis fuit. Hic ab eodem Apostolo apud Hierapolim prædicante ordinatus Episcopus eiusdem ciuitatis, postquam gregi dominico pluribus annis laudabiliter præfuit, beato fine in Christo quieuit VIII. Calendas Martij.* Ita ibi.

b *AN VERO VNVS EX IIS ASIÆ ANGELIS FVERIT* &c.] Antiochus Brondus, Scriptor Sardus, non dubitat, quin S. Papias fuerit ille Pergami Angelus siue Episcopus, ad quem S. Ioannes illa suæ Apocalypseos verba, cap. 2. direxerit: *Et Angelo Pergami ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet rhōphaam vtraque parte acutam: Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pænitentiam age: si quo minùs, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Hæc igitur verba, siue hanc epistolam ad S. Papiam fuisse directam sentit. Nam in commentario ad illud caput, posteaquam aliorum refellit de Episcopo Pergami sententias, quorum aliqui Antipam, alij Carpum ponebant, ita subijcit: *In hac re dubia audeo & ego etiam asserere, Antistitem istum Pergamensem fuisse Papiam.* Quibus autem de caussis? Quibus motus argumentis? *Quoniam*, inquit, *Beda, Vsuardus, Ado, Eusebius, hist. libro 3. cap. 33. D. Hieronymus, De Script. eccl. S. Nicephorus lib. 3. cap. 18. & alij grauissimi adstipulatores intrepidè affirmant Papiam fuisse auditorem S. Ioannis Apostoli, & Polycarpi sodalem & cōdiscipulum. Quare possibile est in illa relegatione, Ioannem hanc ecclesiam Pergamensem Papiæ auditori suo commendasse, & postea successu temporis Hierapolitanam ecclesiam in Phrygia post exilium Ioannis gubernasse, relicta Pergamensi alicui Pastori; ne esset vir duarum vxorum, contra præceptum Apostoli citatum 1. ad Timotheum. 3.* Ita ille. Qui

cùm

eùm asserere audeat, quod vix vlli fortè venit in mentem, næ, is mihi videtur audax in paucis: sed in hoc tamẽ audacior, quòd Eusebium inter eos citauerit, qui Papiam fuisse auditorẽ S. Ioannis Apostoli intrepidè affirmãt, cùm ipse potiùs audacter id negauerit. Quod nos suprà ostendimus, vbi propterea eius sententiam refellimus.

Nam quòd assumit possibile esse, in illa relegatione Ioannem hanc ecclesiam Pergamensem Papiæ auditori suo commendasse; verum quidẽ illud est, sed possibile quoque est illi non commendasse. Quemadmodum ergo ex hoc posteriori non sequitur, ergo nõ commẽdauit; sic neque ex priori, ergo commendauit. Vitiosa est enim à potentia ad actum affirmatiua illatio. Neque tamẽ idcirco hæc nunc disputo, quòd ab eius sententia valde alienus sim, (vtinam enim validiùs firmaretur, vt plus mihi materiæ ad S. Papiæ laudes suppeteret!) sed quòd allatis istiusmodi argumentis tam confidens stabiliri nõ possit assertio. Nã dici fortè posset vtraque vrbs, Pergamus & Hierapolis, vti eiusdẽ sunt prouinciç, & in eadem à Claudio Ptolemęo cõstituũtur Phrygia; sic sub vno eodemque fuisse Episcopo (illis præsertim primis temporibus) qui nunc in vna, nunc in altera dictarum vrbium consideret: ac S. Papiam quidem successisse S. Antipç, primo Pergami Episcopo, qui sub Domitiano mortuus creditur eo fere tempore, quo S. Ioannes Apocalypsin scribebat in Patmo, quò ab eodem Imp. erat relegatus, qui proinde vt occisi recenter Antipæ mentionem facit, eius scribens successori, seu Papiæ, seu alteri. Transtulisse autem S. Papiam à Pergamo domicilium Hierapolim, inde aliqua sumi potest coniectura, quòd series Episcoporum Hierapolitanorum inde à primo sæculo deinceps continuata habeatur, non item Pergamenorum. Nam post S. Papiam reperio Hierapoli in Phrygia Episcopos fuisse duos Abercios, quorum vnius vitam habeo paratam, vti & S. Apollinaris, qui illis ibidem successit. Hi autem omnes fuerũt secundo sæculo. Pergami autem Episcopum post S. Antipam reperio neminem, ne quidem in primo concilio Nicæno, cùm tamen multi essent in Phrygia Episcopi, quorũ nomina, inter eos qui illi subscripserunt, reperiuntur, & inter alia etiam nomen Hierapolitani Episcopi, qui vocabãtur FLACCVS. Quicquid tamen super hac re affero, tãtùm coniectura est, non assertio. Quod si fortè lux aliqua maior cuipiã affulgeat, aut si se vltro veritas prodat, & episcopatum illum Pergamensem sancto Papiæ vindicet, tum sanè nõ parua illi laus accedat, quòd furente Pergami persecutione, & tali affecto morte Antipâ (nam in bouem æneum candentem & flammeum cõiectus & exustus est) fortis fuerit, nec fidem negauerit. Vnum tamen in eo reprehenditur, quòd in Nicolaitas hæreticos nimis eo tempore lenis ac indulgens fuerit; quos vel precationum assiduitate allicere, vel increpationum vi atque minis percellere, vel excommunicationis fulmine prosternere, atque ab ecclesia abijcere oportebat. Sed de hoc satis. Vide, si amas plura, Franciscum Riberam in Apocalypsim. Is enim præ ceteris in eo opere placet, quia breuis, clarus, solidus, & qui viam multis post se aperuit.

c QVI IN PRÆCIPVIS B. EVANGEL. DISCIPVLIS &c.] S. Papiam inter præcipuos discipulos S. Ioannis (qui plurimos tamen habuit) enumerat S. Hieronymus in Chronico, ad annum Domini 101. *Ioannem Apostolum*, inquit, *vsque ad Traiani tempora Irenæus Episcopus permansisse scribit. Post quem auditores eius insignes fuerunt Papias Hierapolitanus Episcopus, & Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus.*

d *LIBROS V. INSCRIPTOS: SERMONVM DOMINI EXPLANATIO.*] Græca inscriptio, vt verisimile est, sic habebat: ΛΟΓΙΩΝ ΚΥΡΙΑΚΩΝ ΕΞΗΓΗΣΙΣ. Ita enim videtur indicasse Eusebius libro 3. hist. eccl. cap. vltimo, his verbis: Τοῦ δὲ Παπία συγγράμματα πέντε τὸν ἀριθμὸν φέρεται. ἃ καὶ ἐπιγέγραπται λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως. *Papiæ autem libri quinque numero circumferuntur, qui & inscripti sunt, Sermonum Domini explanatio.* Sanctus Maximus martyr ad cap. 7. libr. De ecclesiastica hierarchia eundem Papiam citans, contractiùs nominat, vt fit, *Κυριακῶν ἐξηγήσεων. Dominicarum explanationum.* Nicephorus Callistus l. 3. cap. 20. prorsus cum Eusebio consentit.

e *SI ILLOS S. HIERONYMVS* &c.] Videtur rogatus fuisse Hieronymus, vt S. Papiæ libros græcos in latinam transferret linguam: immò creditus est etiam transtulisse, quemadmodum ipsemet indicat epist. XXVIII. ad Lucinium. *Porrò Iosephi libros*, inquit, *& sanctorum Papiæ & Polycarpi volumina falsus ad te rumor pertulit à me esse translata: quia nec otij mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate.*

f *MERITO PROINDE SANCTISSIMAM EIVS MEMORIAM* &c.] S. Iosephi Barsabæ, qui cognominatus est Iustus, inscriptum nomen est martyrologijs, ad 20. Iulij. In Vetere Romano, his verbis: *Ioseph, qui cognominatus est Iustus, qui à Iudæis pro Christo multa perpessus, victor in Iudæa quieuit.* Sed pluribus in nouo: *Eodem die natalis B. Ioseph, qui cognominatus est Iustus: quem Apostoli cum beato Mathia statuerunt, vt locum*

 Apo-

Apostolatus Iudæ proditoris impleret: sed cùm sors cecidisset super Mathiã, ipse nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inseruiens, multámque pro fide Christi à Iudæis persecutionẽ sustinens, in Iudæa victorioso fine quieuit. De quo etiam refertur, quòd venenum biberit, & nihil ex hoc triste propter Domini fidem pertulerit. Sic ibi. Et in alijs martyrologijs conformiter.

g *VT MVLTIS SÆCVLIS EARVM CVBICVLA* &c.) Adiuit enim quarto sęculo S. Paulla mater Eustochij, & cum sacro quodam horrore inspexit illa cubicula quatuor virginum prophetissarum, filiarũ S. Philippi Diaconi, quæ illo tempore sarta tecta ad posteritatem conseruabantur, in memoriam & honorem sanctitatis ipsarum. Verba S. Hieronymi id testantis posui capite præcedenti.

AD CAPVT III.

a EXIMIVS ILLE IRENAEVS &c.) S. Irenæũ, Lugdunensem postea Episcopũ & Martyrem, fuisse S. Papiæ discipulũ docet B. Hieronymus in epist. 29. Ad Theodorã, his verbis: *Refert Irenæus, vir Apostolicorum temporũ, & Papiæ auditoris Euangelistæ Ioannis discipulus, Episcopus ecclesiæ Lugdunensis, quòd Marcus quidã de Basilidis gnostici stirpe descendens primùm ad Gallias venerit, & eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, sua doctrina maculauerit.* &c.

b *EST IN ACTIS B. ONESIMI, DISCIPVLI S. PAVLLI* &c.] Extãt Acta illa apud Simeonem Metaphrasten, & Laurentiũ Surium ad 16. Februarij. In quibus Actis continetur eundẽ Onesimum vnà cum Romulo adiutore, & Papia spiritali cõmilitone, ad tribunal Tertulli adductum, interrogatũ, carceri cum socijs addictum, tormentis excruciatum, posteáque ab eodem clementiæ nomen aucupãte dimissum &c. Credibile porrò est hunc Papiã fuisse illum nostrum, qui carceris fractus malis & tormentis debilitatus, in Italia aut alibi extra patriam oppetierit, proptereáque ignota mors eius fuerit. Vocantur autem hi duo commilitones, quia ambo Apostolorũ discipuli, ambo in Asia eodẽ tempore Episcopi, ambo bonã pro Christo militantes militiam. Ita valde probabile est (nam asseuerare certò non ausim) illũ esse Papiam Hierapolitanũ Episcopum, licet dignitas idcirco taceatur, quòd Græci posteriores, (vt antè diximus. quæst. 2.) eius memoriam, propter sinistram hæreseos suspicionem, ex ipsorummet ignorantia & stupiditate ortam, voluerint è sacris libris erasam. Hinc nusquã in sacris illorũ tabulis cõparet.

c *NON EPISCOPVS TANTVM* &c.) Creditus est ab aliquibus S. Papias non tantùm Episcopus fuisse, sed & martyr. Hinc Photius in Stephano Gobaro, aut potius ipse Stephanus Gobarus apud Photiũ, Cod. CC. XXXII. vocat S. Papiam Episcopũ & Martyrem. Ibi enim inter capita Stephani particularia recensetur: Ὅτι τῷ ἐν ἁγίοις Γρηγορίῳ τῷ Ἐπισκόπῳ Νύσσης, τὰ εἰρημένα περὶ ἀποκαταστάσεως οὐκ ἀποδέχεται μὲν, ἀλλ' οὐδὲ Παπίαν τὸν Ἱεραπόλεως Ἐπίσκοπον καὶ μάρτυρα· οὐ δὲ Εἰρηναῖον τὸν ὅσιον Ἐπίσκοπον Λουγδούνων, ἐν οἷς λέγουσιν αἰσθητῶν τινων βρωμάτων ἀπόλαυσιν εἶναι τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. *Quòd ea, quæ dicta sunt de instauratione rerum à S. Gregorio Nyssæ Episcopo, non probet: sed nec Papiam Hierapoleos Episcopum & Martyrem, nec S. Irenæum Lugduni Antistitem admittat: vbi quidẽ dicunt regnũ cælorũ esse fruitionẽ quandam ciborũ sensibilium.* De hac opinione agã c. vltimo harũ Notationũ.

d *NAM ET HOC TITVLO DATVM ESSE* &c.) Titulũ martyris datum esse olim non ijs solùm, qui inter tormenta, aut vi tormentorum, vel statim, vel paullò pòst obijssent, sed ijs quoque qui post illa superfuissent, testes duos habemus locupletissimos Tertullianũ & Cyprianũ: quorum ille quidem librũ edidit inscriptum: AD MARTYRES, nẽpe eos, qui pro fide tormenta passi, iã tùm viuebant, & ecclesiæ ornamenta erant: hic autem epistolam numero nonam sic inscripsit: *CYPRIANVS MARTYRIBVS ET CONFESSORIBVS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI IN DEO PATRE PERPETVAM SALVTEM.* Vbi per Martyres intelligit eos, qui iã conflictati tormentis fuerant; per Confessores autem, eos qui Christum in vinculis cõfessi erant, sed tormentis necdum expositi.

e *ALII AVTEM NESCIO QVO PACTO* &c.) Hæc sunt S. Dionysij Areop. verba, è libro De ecclesiastica hierarchia, cap. 7. Ad quæ S. Dionysij verba ita S. Maximus: *Hæc dicit significans obscurè Papiã Hierapoleos in Asia tunc Episcopum, qui cum S. Ioãne Euangelista floruit. Nã hic Papias, in quarto suo libro Dominicarũ explanationum, futuras dixit in Resurrectione ciborum oblectationes.* Ita S. Maximus, & totidem fere verbis Georgius Pachymeras.

AD CAPVT IV.

IN hoc capite actum est de libris, quos scripsit S. Papias, deinde quædam ex ipsis fragmenta in medio posita sunt. Quantum ad libros aut eorum numerum attinet, nihil habeo quod addam, aut explicẽ, cùm nihil obscurum sit, nec dubium: sed circa Fragmenta habeo paucula, quæ strictim annotem.

AD FRAGMENTVM I.

Notandum in 1. fragmento nomen πρεσβυτέρου græcè, & *Senioris* latinè, interdũ pro Apostolis, interdum pro alijs Domini discipulis vsurpari. Vnde in illis verbis παρακολουθηκὼς τοῖς πρεσβυτέροις, & in illis: τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους. Ruffinus & Christophorsonus verterũt *Apostolis* & *Apostolorum*. paullo post autẽ in istis: καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, verterũt *Presbyter*, Hieronymus item in

Papiâ, nunc *Senior*, nunc *Presbyter* vertit. Ego nomen πρεσβυτέρου verti per nomē *Senioris*: quemadmodum in Actis Apostolorum cap. 15. πρεσβύτεροι ferè semper redditur *Senior*, & quidem in illo vno eodemque capite quinquies aut sexies: vbi & semper distinguuntur *Apostoli* & *Seniores*, ita vt idē significent, quod *Episcopi* & *Presbyteri*. Ibi versu 2. πρὸς τοὺς ἀποστόλους κ. πρεσβυτέρους. *Ad Apostolos & Presbyteros.* versu 4. ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας κ. τῶν Ἀποστόλων κ. τῶν πρεσβυτέρων. *Ab ecclesia & ab Apostolis & Senioribus.* Versu 6. Συνήχθησαν δὲ οἱ ἀπόστολοι κ. πρεσβύτεροι. *Conueneruntque Apostoli & Seniores*, Versu 22. Τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus.*

AD FRAGMENTVM II.

Et hoc etiam Senior dixit] Quis ille fuerit *Senior*, non addidit Eusebius; sed tamen ex ijs, quæ ibidem præmisit, videtur posse colligi, S. Papiam per Seniorem intelligere *Ioannem Presbyterum*, vnum scilicet e 72. discipulis, de quo proximè mentionem fecerat Eusebius. Ille igitur fuit, qui Papiæ narrauit de S. Marco Euangelista, quo modo, quaue occasione euangelium suum conscripserit. His cōformia scripsit beatus Clemens Alexādrinus in libris ὑποτυπώσεων siue *Informationū* qui libri iam interierunt, aut (quod malim) latent. Verum fragmenta quædam retinuimus beneficio Eusebij Cæsariensis, inter quæ est illud, libro 6. historiæ, cap. XI. de ordine quo scripta sunt euāgelia, vbi & caussā quæ S. Marcum ad euangelij scriptionem impulerit, commemorat. *Rursus Clemens*, inquit, *in ijsdem libris traditionem de ordine tēporum, quibus euangelia scripta erant, à veteribus Presbyteris acceptam, ad hūc modū exponit: Euāgelia quæ complectuntur genealogias ante scripta dicuntur. Illud autē, quod secundum Marcum inscribitur, talem caussam habuisse fertur: Cùm Petrus Romæ publicè verbū Dei prædicaret, & Spiritus sancti instinctu Euāgeliū Christi exponeret, multos qui præsto aderāt, Marcū (vtpote qui eum diutius comitatus fuisset, & eius verba memoriā teneret) magnopere obsecrasse ferūt, vt ea quæ fuissēt ab illo prædicata, scriptis mādaret. Quod quidem euangeliū simulac ediderat, illis qui illud ab eo petijssent, impertijt.* & c. Ita ibi ex versione Christophorsoni. Quæ cōformia sunt ijs, quę suprà posuimus ex Papia.

Clemens Alexandrinus in lib. Informationum.

AD FRAGMENTVM III.

Matthæus quidem lingua hebraica Scripsisse Matthæum hebraicè est extra dubiū: sed diuersas eius fuisse versiones illa S. Papię verba satis innuunt: ἡρμήνευσε δ' αὐτά, ὡς ἠδύνατο ἕκαστος. *Interpretatus est illa* [sacra eloquia, siue euangelium] *vt quisque potuit.*

Nazareos diutissime incorruptum seruasse Euangelium Matthæi hebraicum, auctor est S. Epiphanius. hæresi 29 ad finem, vbi sic scribit: Ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον ἑβραϊστί. Παρ' αὐτοῖς γὰρ σαφῶς τοῦτο, καθὼς ἐξ ἀρχῆς ἐγράφη, Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν ἔτι σώζεται. *Habent euangelium secundum Matthæum hebraicè, illudque absolutissimum. Hoc enim apud ipsos certissimè, quemadmodū ab initio litteris hebraicis cōscriptum est, hodieque conseruatur.* Tum igitur quidem conseruabatur: sed hodie an extet vspiam integrum & intaminatum, non est adhuc exploratum. Fieri tamen posse, vt extet, nec à fide abest, nec extra spem est: cùm Zenonis Isaurici temporibus inuentum esse in Cypro, vnà cum corpore S. Barnabæ, super cuius erat pectus, & quidē (teste Cedreno in rebus eiusdē Imp.) ἰδιόγραφον αὐτοῦ τοῦ Ἀποστόλου Βαρνάβα, scriptū ab ipso Barnaba Apostolo, satis constet.

DE MVLIERE QVÆ MVLTORVM CRIMINVM &c.] Minimè dubiū est, quin hęc mulier alia sit ab illa, de qua Ioannis capite 8. versu 3. scribitur: *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio.* &c. Rationem quidem, cur diuersę videantur, affert Baronius ad annum Christi 99. *quod Papias multorum criminum dicat illam feminam accusatam; Ioannes vero habeat, vnius tantum facinoris: nēpe quod deprehensa esset in adulterio.* Sed illa ratio non est admodum euincens: cùm Ioannes non dicat vnius tantum facinoris accusatam, sed *in adulterio deprehēsam*, & de adulterio accusatam: cū quo stat illam de multis criminibus, & simul de adulterio accusatam esse, sed Ioannem tantùm mentionem fecisse adulterij, tanquam grauissimi criminis, & eius quod negari non posset, cùm in flagranti delicto deprehensa esset. Nec enim Euangelistæ solent omnes circumstantias facti aut criminum recensere: sed ea tantùm narrant, quę ad propositum scopum maximè faciunt: vt hoc loco erat crimen adulterij. Ratio igitur fortior ad probandum diuersas esse historias ac diuersas mulieres, hęc esse potest: quòd Eusebius dicat illam historiam contineri in euangelio secundùm Hebræos, qui si eandem esse existimasset cum illa, quæ est in Ioanne; potiùs dixisset eam in euangelio secundùm Ioannem contineri. 2. Si vna eademque esset historia certè nullam omnino rationem habuisset Papias referendi historiam, quæ satis ex euangelio S. Ioānis nota esset: neque item Eusebius dicendi talem historiam à Papiā memorari.

Ioannis ca. 8. ver. 3.

Falsus porrò est Baronius, quòd existimarit Papiam mentionem facere euangelij secundùm Hebræos, cùm illa verba non sint Papiæ, sed Eusebij: vt patet ex ipsa sententia quæ sic habet: *Aliam porro narrat historiam* [Papias] *de muliere, quæ multorū criminum apud Dominum esset insimulata: quam quidem euangelium secundum Hebræos complectitur.* Quæ omnia verba sunt Eusebij, loco supra citato, siue l. 3. historiæ cap. vltimo, ad finem.

EVANGELIVM SECVNDVM HEBRAEOS] Quodnã istud? An euangelium Matthęi? Nam illud solum hebraicè à suo auctore cõscriptũ, vocari potuit *secundũ Hebræos*, quod passim Hebræi illo vterentur. An euangeliũ Ioannis? Nã licet ab ipso Ioanne non hebraicè, sed græcè exaratum fuerit, tamen in hebraicã linguam postea translatum fuit, vt testis est Epiphanius hæresi 30. Ecce eius verba de vtroque euangelio, tam Matthæi, quã Ioannis valde ad propositum nostrũ accommoda, vbi de Ebionæis hæreticis sic loquitur: Καὶ δέχονται μὲν καὶ αὐτοὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον. Τούτῳ γὰρ καὶ αὐτοί, ὡς καὶ οἱ κατὰ Κήρινθον, χρῶνται μόνῳ, καλοῦσι δὲ αὐτὸ κατὰ Ἑβραίους, ὡς τὰ ἀληθῆ ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι Ματθαῖος μόνος Ἑβραϊστὶ καὶ Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ἐποιήσατο τὴν τοῦ εὐαγγελίου ἔκθεσίν τε, καὶ κήρυγμα. *Et admittunt quidem etiam illi* [Ebionæi] *euãgelium secundum Matthæum. Ipsi enim, sicut & Cerinthiani, hoc vtũtur solo: & illud vocant SECVNDVM HEBRAEOS. Ac vere licet hoc dicere, solum Matthæũ hebraice & litteris hebraicis in nouo testamento conscripsisse & prædicasse euãgeliũ.* Hæc de S. Matthæi euangelio: pergit deinceps de S. Ioannis in hunc modum: Ἤδη δέ που καί τινες πάλιν ἔφασαν καὶ τὸ τῆς ἑλληνικῆς διαλέκτου, καὶ τὸ κατὰ Ἰωάννην μεταληφθὲν εἰς ἑβραΐδα ἐμφέρεσθαι ἐν τοῖς τῶν Ἰουδαίων γαζοφυλακείοις, φημὶ δὲ τοῖς ἐν Τιβεριάδι, καὶ ἐναποκεῖσθαι ἐν ἀποκρύφοις, ὥς τινες τῶν ἀπὸ Ἰουδαίων πεπιστευκότων ὑφηγήσαντο· τὸ ἡμῖν κατὰ λεπτότητα. *Iam verò & quidam rursus dixerunt Ioannis euangeliũ è græca lingua in hebraïcam trãslatum in gazophylacijs asseruari; in ijs, inquam, quæ sunt Tiberiade, & inter arcana recondi, quemadmodum nonnulli è Iudæis in Christum credentibus, mihi minutè exposuerunt.*

An hoc igitur Ioannis euangeliũ hebraicè translatum vocatur ab Eusebio *EVANGELIVM SECVNDVM HEBRAEOS?* Nã quod dicit in hoc euãgelio reperiri, de muliere scilicet multorũ criminum reã, posset intelligi illud quod in Ioannis euangelio cap. 8 reperitur de muliere in adulterio deprehensa, secundũ expositionem à me suprà positã. Verùm hoc iã ibi refutauimus. Et hoc noui ad refutationẽ adijci potest, quod nusquam habeamus illud Ioannis euangelium appellatũ esse *EVANGELIVM SECVNDVM HEBRAEOS*? quod de Matthæi euangelio hic paullò antè notauimus dictum.

Quare, vt rẽ concludam ex ea coniectura, quã opinor probabilissimam, dico per euangelium secũdùm Hebræos, nec Ioannis euãgeliũ intelligi, licet hebraicè translatum; nec item Matthęi euangelium, vt nunc habemus (quandoquidẽ illa historia, de qua nunc sermo est, in eo nõ reperiatur) sed Matthæi euãgeliũ, quo Ebionæi vel Nazaræi vtebantur: cùm de eo constet appellatum esse *EVANGELIVM SECVNDVM HEBRAEOS.*

Dicit ergo Eusebius historiam illam quæ à S. Papia in suis libris narrata est, repertã esse in euangelio secundùm Hebræos: nõ autem dicit Papiam ex eo euangelio desumpsisse. Quare vel aliqui illam adiunxerunt à veteribus acceptam, à quibus & Papias accepit: vel cùm primitus in euangelio Matthæi hebræo reperiretur, dici potest eã (tametsi nolim omnino asserere) postmodùm ab interprete, aut ab eius posteris descriptoribus esse præteritam. Nec enim est nouum plura in autographis, quàm in interpretibus reperiri; aut contra in his, quàm in illis. Vt enim alia loca omittam duo tantùm indicabo, vnũ veteris testamẽti, alterum noui. Prior habetur Isaiæ 9. ver. 6. vbi pro sex nominibus quæ in hebraico textu dantur Christo nato, vt sunt hæc: *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Interpretes Septuaginta dederunt tãtummodo vnum, nẽpe μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, *Magni consilij nuntius.* Alter locus est in Actis Apostolorũ cap. 15. versu vltimo, vbi textus græcus, qui est originarius, tantum habet: Διήρχετο δὲ τὴν Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἐπιστηρίζων τὰς ἐκκλησίας. *Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmãs ecclesias,* latinus interpres addidit: *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum,* quę non sunt in Græcis exemplaribus. Isaiæ cap. 9. ver. 6. Act. cap. 15. ver. ultimo.

CAPVT VLTIMVM.

S. PAPIÆ OPINIONES ANTIQVATÆ.

Operę nunc precium videtur, vt quas reperire potui beati Papiæ opiniones, olim quidem satis vulgatas, nunc autem tam ab ipso tempore, quam à clariore matris ecclesiæ luce antiquatas ac relictas, hic apponam. Eæ autem sunt tres.

1. Beatos post corporum resurrectionem mille annis cũ Christo in terra corporaliter regnaturos.

2. Angelos, quibus à Deo cura aliqua administrationis in mundo cõmissa fuerat, potentia sua abusos ab officio deerrasse.

3. Iudã Domini proditorem non statim suspendio perijsse, sed superuixisse delapsum, & curru ita compressum, vt eius effunderentur omnia intestina.

DE PRIMA OPINIONE.

Ad 1. igitur opinionem quod attinet, haud dubiũ est, quin eam tenuerit; Papias cũ eius auditor S. Irenæus id testetur, adeóque nonnulla eius verba referat libro 5. aduersus hæreses, cap. XXXIII. vbi postquam hanc de mille annis in rerum omnium abundantia opinionem multis Scripturæ locis cõprobauit, tũ S. Papiæ auctoritatem ita subijcit: *Hæc autem & Papias Ioannis auditor, Polycarpi autẽ contubernalis, vetus homo, per scripturam testimonium perhibet in quarto librorũ suorum. Sunt enim illi quinque libri conscripti. Et adiecit dicẽs: Hæc autem credibilia sunt credentibus. Et Iuda, inquit,*

inquit, proditore non credente, & interrogante: Quomodo ergo tales genituræ à Domino perficiẽtur? Dixisse Dominum: Videbunt qui venient in illa. Ista ibi & plura Irenæus in antiqua & plurimùm vsitata versione.

Nota autem verba illa: *Hæc autem credibilia sunt* &c. esse fragmentũ è libr. 4. S. Papiæ.

Nota 2. Iudam notari incredulitatis, cum dicitur: *Et Iudâ proditore non credente, & interrogante.*

Nota 3. Dominum non respondere illi, *Videbis cùm venies in illa:* sed, *Videbunt, qui venient in illa.* quòd sciret Iudam in regnum illud, qualecumque demum esset, siue terrenum, siue cæleste, non venturum.

Nota 4. in illis verbis: *Quomodo ergo tales genituræ à Domino perficientur*, non quæri de genituris hominum, sed de genituris pecorum. De his enim solis præcessit in dicto capite Irenæi: quamuis & aliqui sensisse videãtur in illo mille annorum regno genituras fore hominum, quos irrisit Hieronymus. Sed quòd id Papias aut Irenæus senserit, nusquã reperio. Nisi quis fortè sumat, ex eo quòd tenuerit homines corporaliter victuros, & bonis omnibus terrenis abundaturos. Quod tamen inde non rectè sumitur; cùm possit corporalis vita post resurrectionem esse & durare absque vlla generatione.

Hæc autem S. Papiæ opinio nõ tolerabilis solùm eo sæculo, sed cõsecutis quoque temporibus, multis viris singulari eruditione ac sanctimonia præditis, admodum probabilis, immo vera & certa visa est. Nam & S. Iustinus martyr, in vtraque tam nostra, quàm externa philosophia longè acutissimus, eam disertè tenuit ac docuit. (*In Tryphone.*) Irenęus etiam vir omni & sacra & profana doctrina instructissimus, vetustorum Presbyterorum, & sui præsertim magistri Papiæ auctoritate motus, illã ad posteros propagauit. Exceperunt autem S. Victorinus Episcopus & martyr, qui multos in sacram scripturam commentarios, & libros aduersus omnes hæreses elaborauit, Tertullianus, Lactantius, Nepos in Ægypto Episcopus, Seuerus, Apollinaris, viri & ingenio & eruditione magni atque admirabiles. Ac nisi hic ipse Apollinaris, & quidã aliorum hæreticorũ nimis obstinatè, pertinacitérque eã extulissent, ac propugnassent, siue potiùs nisi adiectis quibusdã nugamentis diffamauissent; eo fortè adhuc loco esset, quo sãctorum Hieronymi & Augustini tẽporibus fuit. Qui quidẽ Hieronymus in epistola ad Anatolium præfixa commentario S. Victorini Episcopi & Martyris in Apocalypsin. *Est periculosum*, inquit, *& obtrectatorũ latratibus patẽs, de egregij viri Victorini opusculis iudicare. Nam & anterior Papias Hierapolites, & Nepos in Ægypti partibus Episcopus, de mille annorũ regno, ita vt Victorinus, senserunt.* Et in explicatione capitis decimi noni Hieremiæ, tametsi ea non probet, quę isti de regno illo terreno afferũt, tamen nec dãnare se illa posse ingenuè profitetur. Sunt enim ista eius verba: *Quæ licet nõ sequamur, tamen damnare non possumus. Quia multi ecclesiasticorũ virorum & martyres ista dixerũt: & vnusquisque in suo sensu abũdet, & Domini cũcta iudicio reseruentur.* (*Hieron. in cap. 19. Hieremiæ.*) Ita pro sua in viros sãctos & doctos reuerẽtia Hieronymus.

Adde verò cũ Dionysius Alexandrinus vir eloquẽtissimus libros duos perelegantes aduersus Nepotem huius opinionis defensorẽ cõscripsisset, eique Apollinaris libris itidem duobus respõdisset; factum esse, vt nõ modò eiusdem Apollinaris sectatores, sed plurima quoque Catholicorũ turba, (licet alios eius errores improbaret) hanc tamen de Christi terreno regno sententiã, vt multorum Patrũ testimonijs confirmatam, obuijs, quod aiũt, vlnis amplecteretur. Vide Hieronymi proœmiũ ad librum 18, in Esaiam. Sed nota illum videri lapsum memoria, dũ scribit Dionysiũ Alexandrinum aduersus Irenæum scripsisse: hoc nunquã factum. Nec enim Eusebius in eius recensione librorum, nec item ipse Hieronymus in Catalogo Scriptorũ præterijsset: qui ambo, vbi de scriptoribus agunt, memorant Dionysium aduersus Nepotem Ægypti Episcopũ eadem cum Irenæo tenentem, & paullo longiùs progredientem, libros duos exarasse. Sed de hoc alibi fusiùs.

Quin & S. Augustinus in eadem se aliquãdo fuisse sententia nõ diffitetur: nempe vt quẽadmodum post sex hebdomadæ dies septimus est sabbatũ & quietis tẽpus, ita post sex annorum millia, septimũ mille, velut sabbatũ, sequeretur: quo toto spacio sancti à morte resuscitati delicijs spiritalibus per Domini pręsentiam fruerentur. Sed cùm essent, qui non spiritalibus duntaxat bonis, sed etiã corporalibus vsuros voluptãtibus, & quidẽ supra modum, asseuerarent, retulit pedem Augustinus, atque ab ea opinione, vt nimis terrena atque carnali, discessit: totúsque eò se contulit, vt quæ de mille annis in Apocalypsi referuntur (inde enim erroris occasio) ad spiritalem sensum traduceret.

Ipsius Augustini verba libro 20. de ciuitate Dei, cap. 7. ita habent: *Quæ opinio esset vtcunque tolerabilis, si aliqua delicia spiritales in illo sabbato affutura sanctis per Domini præsentiam crederentur (nam etiam nos opinati fuimus aliquando) sed cùm eos qui tunc resurrexerint, dicãt immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, vt non solũ nullã modestiam teneãt, sed modũ quoque ipsius credulitatis excedãt, nullo modo ista possũt, nisi à carnalibus credi.* Ita S. Augustinus. Cuius ex verbis videtur posse colligi eos, qui mille annorũ in terris corporeã beatitudinem adstruerent, in duplici fuisse genere: ac primos quidẽ in bonis spiritalibus, aut moderatis corporeis posuisse, vt S. Papiã & alios sanctos Patres eũ

ſecutos: alios verò in bonis corporalibus tātùm, & ijs quidem immoderatis more Iudaico, quorum dux atque auctor Cerinthus hæreticus fuiſſe perhibetur. De quo teſtes habemus apud Euſebium duos ſcriptores eccleſiaſticos Caium & Dionyſium Alexandrinum. Prior vixit ſecūdo ſæculo & æqualis fuit S. Irenæo, & ita de Cerintho ſcripſit: Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν, ὡς δι' Ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος, ἐπεισάγει λέγων. μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ. καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν: καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι. *Sed & Cerinthus per reuelationes tanquam à magno Apoſtolo ſcriptas, portenta nobis velut ab Angelis ſibi oſtenſa ementiens inducit, dicens poſt reſurrectionem terrenum fore Chriſti regnum: & carnem rurſus concupiſcentijs & voluptatibus in Ieruſalem ſeruituram: ac Dei eloquijs inimicus cùm ſit, mille annos in nuptiarum feſtiuitatibus, dum implanare homines ſtudet, futuros dicit.*

Lib. 3. hiſt. cap. 18.

Hæc Caius vir eloquentiſſimus, cuius & alia quædam fragmenta profert Euſebius alijs in locis. De quo vide etiam Photium Cod. XLVIII.

Sed nota in citatis iam verbis ſenſiſſe Caium Apocalypſin non fuiſſe S. Ioannis, quem ſub nomine magni Apoſtoli deſignat. Necdum enim illo æuo, cuius eſſet Apocalypſis, liquidò ſatis conſtabat. Qua de re in vita S. Dionyſij Alexandrini agetur, ſi Dei bonitas dederit, fuſiùs.

Locus autem eiuſdem Dionyſij, propoſito noſtro de mille annis contra Cerinthum ſeruiens, eſt eiuſmodi: Τοῦτο γὰρ εἶναι τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ τὸ δόγμα· ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν. Καὶ ὧν αὐτὸς ὠρέγετο φιλοσώματος ὢν, καὶ πάνυ σαρκικὸς, ἐν τούτοις ὀνειροπολεῖν ἔσεσθαι γαστρὸς καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα πλησμοναῖς. τουτέστι σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ γάμοις καὶ δι' ὧν εὐφημότερον ταῦτα ᾠήθη ποριεῖσθαι, ἑορταῖς, καὶ θυσίαις, καὶ ἱερείων σφαγαῖς. *Hoc enim doctrina eius erat decretum: terrenum fore Chriſti regnum: & quæ ipſe concupiſcebat corporis amans, & planè carnalis; in his beatam vitam futuram ſomniabat: nempe in ventris, & eorum quæ ſub ventre ſunt expletione; hoc eſt, in eſculentis, & poculentis, & nuptijs, atque etiam in ijs, per quæ illa exiſtimabat ominatius ſuppeditatum iri, feſtis ſcilicet, & ſacrificijs, & hoſtiarum iugulationibus.*

Chriſtophorſonus Euſebij interpres τὸ εὐφημότερον verterat *affluentius*. Sed aliud videtur ſpectaſſe Cerinthus, nempe vt haberet ſpecioſum aliquem & bene ominatum ſuæ ſententiæ titulum, qualis eſſe videtur in ſolemnitatibus & ſacrificijs & victimis. Vnde Ruffinus vertit *ſacratiùs*. Propriè autem εὔφημος ſignificat *bene ominatum, ſpecioſum*, & alia eiuſdem ſignificati.

Ex dictis patet diſcrimen inter S. Papiam & Cerinthum, eiuſque aſſeclas voluptarios.

Locus autem, qui huic ſententiæ, de mille annorum regno in terris, occaſionem dedit, extat in B. Ioannis Apocalypſi cap. 20. verſu 4. & ſeqq. vbi de martyribus dicitur: *Et vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis.* &c. Non tamen ille tantùm, ſed multa etiam Prophetarum, adeóque & euangelij loca, (quæ S. Irenæus ſuprà citatus perſequitur) huic anſam opinioni præbuere.

Qui porrò eandem opinionem poſterioribus ſæculis vehementiùs defendere ſtuduerunt, χιλιασταὶ, id eſt, Millenarij, à mille ſcilicet annis denominati ſunt. Quod nomen iam ipſis S. Auguſtini temporibus obtinebant. Nā in libro de hæreſibus ad Quoduultdeum, ita ſcribit hæreſi octaua: *Cerinthiani à Cerintho, ijdémque Merinthiani à Merintho, mundum ab Angelis factum eſſe dicentes: & carne circumcidi oportere, atque alia huiuſmodi legis præcepta ſeruari: Ieſum hominem tantummodò fuiſſe, nec ſurrexiſſe, ſed reſurrecturum aſſeuerantes. Mille quoque annos poſt reſurrectionem in terreno regno Chriſti, ſecundùm carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur: vnde etiam Chiliaſtæ ſunt appellati.* Ita S. Auguſtinus.

Itaque hæreſis Millenariorum eſt ea, quę Cerinthum agnoſcit auctorem, non verò quæ Papiam, vti Helinandus malè opinatus eſt: cùm Papiæ ſententia necdum, quod ſciā, ab vllo Pontifice damnata ſit. Vnde haud immeritò ſanè ab Alfonſo de Caſtro arguitur & vapulat Bernardus de Lutzemburgo, qui intolerabili ignorantia auſus eſt S. Papiam inter hæreticos recēſere. Nam eadem opera & Iuſtinus & Irenæus & Victorinus martyres & Seuerus, & alij Sanctorum, iuxta illius hominis temeritatem, eſſent recenſendi. Ac ne quis exiſtimet eam opinionem, quam tot viri ſancti tenuerunt, fuiſſe à Damaſo Papa condemnatam, motus nimirum illis Baronij verbis in Notationibus Martyrologij. ad 22. Februarij: *Tunc autem, ſicut cetera praua opiniones Apollinaris, ita hac de millenario à Damaſo Papa Romæ putatur eſſe damnata*, ne quis, inquam, his motus verbis id exiſtimet, certis argumentis conſtat contrarium. Nam Hieronymus, qui ad mortem vſque Damaſi Romæ fuit, & in epiſtolis eccleſiaſticis eum iuuit, ſi ea opinio damnata ab illo fuiſſet, non ſcripſiſſet in proœmio libri 18. commentariorum in Iſaiam, Chriſtianorum Scriptorum plurimam multitudinem eam opinionem ſequi. Multò autem minùs ſcripſiſſet libro 4. in Ieremiam, cap. 19. ſe illam opinionem damnare non poſſe. Cur enim damnare non poſſet, quod tam recenter eſſet à ſummo Pontifice damnatum?

tum? An non in hoc alterius se esse iudicij quàm ecclesiam Catholicam in re FIDEI ostenderet? Ita prorsus. Quare nequaquam credendum, neque existimandum est, illam opinionem esse à Damaso damnatam, quam Hieronymus (qui illa, quæ diximus, post eius mortem scripsit, ipsiusmet epistolis, & eius vitæ conscriptore, Mariano Victorio testibus) damnare se non posse dixit. Ipsa Hieronymi verba, quibus hoc dicit, vide suprà, hoc ipso cap.

Sed de hac S. Papiæ opinione iam antiquata nunc satis: ad alteram, vti suprà proposuimus, modò accedamus.

DE SECVNDA OPINIONE.

TEnuit S. Papias, & cum illo vnà nonnulli SS. Patrum, Angelis ante lapsum aliquam fuisse commissam mundi administrationem atque potestatem, qua deinde abusi fuerint, & malè officio functi.

Id testatur & declarat B. Andreas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus cap. 34. in Apocalypsin, siue sermone 12. in illa verba: *Et factum est prælium magnum in cælo* &c. vbi hæc profert inter alia: *Aduerte autem Patribus nonnullis visum esse, post aspectabilis mundi huius opificium, diabolum propter superbiam & inuidiam è cælo eiectum, potestatem quam in aëream hanc regionem ante lapsum acceperat, post lapsum in partem adhuc retinuisse. Sanè Apostolus haud obscurè illud insinuat, dum luctam nobis non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus aëreas potestates esse scribit.* (Ephes. 6. ver. 12.) *Confirmat autem Papias B. Ioannis discipulus disertè hisce verbis:* Alijs ex ipsis, nempe Angelis, quandam circa terræ administrationem, potestatem & procurationem tribuit, ritéque munus iniũctum administrare iussit. *Et paucis interpositis subiungit:* Accidit autem, vt ordinẽ sibi præfinitum absoluerent, non vt decebat.

Hactenus Andreas Cæsariensis, ex interpretatione nostri Theodori Peltani, retulit S. Papiæ verba, quæ Romano charactere impressa sunt: græcè autem apud ipsum Papiam sic erant: Ἐνίοις δὲ αὐτῶν· δηλαδὴ τῶν πάλαι θείων Ἀγγέλων· καὶ τῆς περὶ τὴν γῆν διακοσμήσεως ἔδωκεν ἄρχειν, καὶ καλῶς ἄρχειν παρηγγύησε. *Alijs ex ipsis* &c. Et posterius membrum sic: Εἰς οὐδὲν δὲ συνέβη τελευτῆσαι τὴν τάξιν αὐτῶν. *Accidit autem* &c.

S. Papiæ opinionem amplexus est S. Iustinus Philosophus & Martyr, qui in Apologia ad Senatum pro Christianis, de Deo omniũ conditore, & de Angelis transgressoribus agens sic scribit: Τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανῶν πρόνοιαν Ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν. Οἱ δὲ Ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν. οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες. καὶ προσέτι λοιπὸν τὸ ἀνθρώπειον γένος ἑαυτοῖς ἐδούλωσαν. *Hominum, & eorum quæ sub cælo sunt prouidentiam Angelis tribuit, quos super illa ordinauit. Angeli autem hunc ordinem transgressi, mulierum amoribus succubuerunt, & filios procrearunt (hi sunt, qui dicuntur dæmones) atque insuper reliquum genus humanum sibi ipsis subegerunt.* Quibus in verbis clarè profitetur Angelos quospiam, quibus hominum & aliarum sub cælo rerum cura fuerat commissa, potestate abusos esse. His simillima scribit coæuus Iustino Athenagoras, in Legatione ad Impp. pro Christianis, vbi de Angelis prauis, & eorum principe sic inter alia: Ἐκεῖνοι μὲν εἰς ἐπιθυμίαν πεσόντες παρθένων, καὶ ἥττους σαρκὸς εὑρεθέντες. οὗτος δὲ ἀμελήσας καὶ πονηρὸς περὶ τὴν τῶν πεπιστευμένων γενόμενος διοίκησιν. *Illi quidem in virginum concupiscentiam lapsi, & a carnis libidine victi: hic vero negligentia & improbitate circa commissam sibi administrationem*, arbitrij scilicet libertate abusi sunt. Paria videtur sentire aliquot locis Clemens Alexandrinus lib. 3. & 5. Stromatum, vbi eos ad voluptates delapsos arcana quædam mulieribus enuntiasse scribit: Οἷς δὴ κἀκεῖνα προσθήσομεν, ὡς οἱ Ἄγγελοι ἐκεῖνοι, οἱ τὸν ἄνω κλῆρον εἰληχότες κατολισθήσαντες εἰς ἡδονὰς, ἐξεῖπον τὰ ἀπόρρητα ταῖς γυναιξὶν, ὅσα τε εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφῖκτο. (Clemens Alexand. li. 5. Strom.) *Quibus & illa*, inquit, *adijciemus, quòd Angeli illi quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus, & quæcumque in ipsorum venerant notitiam.* Ita lib. 5. Stromatum. Nec Græci tantùm, sed & Latini vetustiores in hac fuere sententia. Tertullianus in libro, *De habitu muliebri*, cap. 2. vbi exquisita mulierum ornamenta ex suggestione Angelorum præuaricatorum inuenta exaggerat, sic ait: *Nam & illi qui ea constituerũt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt* &c. S. Cyprianus eum imitatus, in libro, De disciplina & habitu virginum, *Quæ omnia*, inquit, *peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti à cælesti vigore recesserunt.* &c. Lactantius eos, secutus similia illis sensit, libro 2. De origine erroris cap. 15. *Prouidens Deus*, inquit, *ne fraudibus suis Diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperent, vel dispergerent homines, quos in exordio fecerat, misit Angelos ad tutelam, cultúmque generis humani: quibus quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cælestis amitterẽt dignitatem.* &c. Deinde pluribus persequitur, quo modo illam amiserint. Sunt & alij, qui in hanc declinarunt opinionem. Cuius occasio videtur accepta è libro Geneseos, cap. 6. versu 2. vbi dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* (Genes. cap. 6. ver. 2.) Ibi ergo per *filios Dei*, intellexerunt Angelos, ad hoc permoti, quòd in quibusdam

dam exemplaribus Septuaginta interpretum pro *filij Dei*, reperirent *Angeli*. At verus ac germanus huius loci ſenſus eſt: Cùm vidiſſent filij Seth, homines pij & Deo cari, ac propter virtutem ſuam digni nomine filiorum Dei, filias hominum, id eſt, filias è ſtirpe Cain, quæ erat hominum impiorum, & nihil diuini habentium; ipſi illas ob ipſarum pulchritudinem turpi ac illicito amore adamarunt, & vxores duxerunt, obliti ſcilicet, aut voluptati poſthabentes patris ſui Sethi præceptum, qui ſtudio propagandæ pietatis, & odio impietatis Cain & progeniei eius, interdixerat filijs ſuis, & filiabus ac poſteris, ne miſcerent cum illis connubia. Seruarunt quidem ſanctiſſimi illius Patriarchæ præceptum ad ſeptem circiter generationes, & tam diu vitam in perpetua felicitate, ſine bello ac ſeditione exegerunt: pòſt autem vnà cum voluptate & patrij præcepti tranſgreſſione omnia in orbem mala inũdarunt. En ergo cauſſa, quamobrem filij Seth vocati ſint filij Dei, nempe quòd Deo parenti obedirẽt, quòd ſanctè illum colerent, quòd in omnibus ſe dignos tali patre præſtarent: quòd pacem inter ſe ſeruarent, ac propterea iam tum mererentur id, quod Dei naturalis Filius adoptiuis fratribus ſuis tãto pòſt dixit: *BEATI PACIFICI: QVONIAM FILII DEI VOCABVNTVR.*

Matthæi 5. vers. 9. Sed ad opinionem tertiam ex antiquatis tranſeamus.

DE TERTIA OPINIONE.

Exiſtimauit Papias, ſi Oecumenio credimus, Iudam proditorem non laqueo vitam finiuiſſe, ſed prolapſum aliquamdiu ſuperfuiſſe, ac tandem tumefacto admodum corpore cùm eſſet, à prætereunte curru oppreſſum eſſe.

Quam opinionem quadam tenus ſecuti ſunt Theophylactus, Euthymius, Oecumenius. Tenent enim cum illo conformiter, Iudam non immortuum fuiſſe laqueo, ſed aliquanto tempore ſuperuixiſſe. Nam Theophylactus quidem in 27. caput Matthæi, poſt abreprobatam de Iudæ pœnitentia & ſalute opinionem, ita ſubiungit: Πλὴν γίνωσκε, ὅτι ἔθηκε μὲν τὸν τράχηλον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀγχόνην, ἀπὸ δένδρου τινὸς κρεμάσας ἑαυτόν. τοῦ δὲ δένδρου κλιθέντος ἐπέζησε, τοῦ θεοῦ θέλοντος αὐτὸν, ἢ εἰς μετάνοιαν συντηρῆσαι, ἢ εἰς παραδειγματισμὸν, καὶ αἰσχύνην. Φασὶ γὰρ, ὅτι νόσῳ ὑδερικῇ περιπέπτωκεν, ὥστε ἔνθα ἅμαξα ῥᾳδίως διέρχεται, αὐτὸν μὴ δύνασθαι διελθεῖν. εἶτα πρηνὴς πεσὼν ἐλάκησεν. ἀντὶ τοῦ διεῤῥάγη. ὡς ὁ Λουκᾶς φησιν ἐν ταῖς πράξεσιν. *Verum cognoſce, cum quidem collum inſeruiſſe laqueo, cùm ſe à quadam arbore ſuſpendiſſet, ſed eâ inclinatâ ſuperuixit, Deo illum volente vel ad pœnitentiam conſeruare, vel in traductionem & confuſionem. Aiunt enim illum in morbum hydropicum incidiſſe, ita vt vbi currus facilè pertranſibat, non poſſet ipſe pertranſire. Deinde pronus cadens crepuit, hoc eſt, dirruptus eſt, vt ait Lucas in Actis.* Ita Theophylactus. Euthymius verò (cuius græca non ſunt ad manum) ſcribit Iudam pendentem à prætereuntibus agnitum & depoſitum in loco ſecreto aliquantiſper vixiſſe, ac deinde ſe præcipitaſſe, ſicque ipſum, quòd inflatus eſſet, crepuiſſe medium. Sed Oecumenius nõ modò eandem de vitę productione profert ſententiam; ſed auctoritate etiam S. Papiæ, productis eius verbis confirmat, dum ita ſcribit: Ὁ Ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ. ἀλλ' ἐπεβίω κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. Καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν ἀποστόλων πράξεις. Ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. *Iudas non immortuus eſt laqueo: ſed ſuperuixit, delapſus antequam ſuffocaretur. Et hoc ipſa Apoſtolorum Acta ſignificant: quòd pronus factus crepuit medius.* Ita ille.

Sic quidem S. Lucas ſcripſit: ſed latina verſio nunc habet: *Et ſuſpenſus crepuit medius.* non autem, *Et pronus factus*, licet hoc poſterius græco reſpondeat, non prius. Deinde idem Oecumenius poſt ſuperiùs citata, iungit hæc proximè: Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας, ὁ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων. Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. Πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. *Hoc autem planiùs memorat Papias, Ioannis Apoſtoli diſcipulus dicens: Magnum impietatis exemplum in hoc mundo circumambulauit Iudas. Corpore enim in tantum inflatus, vt pertranſire non poſſet, quà facilè plauſtrum pertranſibat, à plauſtro oppreſſus eſt, ſic vt eius effuſa fuerint viſcera.* Sic ibi.

Notandum proinde illa verba: Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα. &c. *Magnum impietatis exemplum*, &c. quæ deinceps ſequuntur, eſſe fragmentum è libris S. Papiæ. Alia ibidem de Iuda magis admirabilia narrat idem Oecumenius: nempe tantum fuiſſe palpebrarum eius tumorem; vt cernere lucem oculis non poſſet: oculos verò tam profundè abſtruſos & occluſos, vt nec medico inſtrumento recludi valerent, aliaque eiuſmodi, quæ habes ibi legere: vti de immenſo eius fœtore, & loci quoque, in quo ſepultus fuit, mephiti ac graueolentia.

Opinio igitur illa S. Papiæ, de ſuperſtite Iuda poſt laqueum & ſuſpendium, atque in terris ad exemplum impietatis obambulante, donec à plauſtro oppreſſus fuit, iam antiquata eſt, & exoleta. Nam communis ferè ſententia nunc habet, vel laqueo ſtrangulatum fuiſſe, (quod videntur græca Matthæi 27. exprimere, cùm de illo dicunt verſu 5. Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. *Et abiens ſtrangulauit* S. Matthæi cap. 27. vers. 5.

ſeſe

ſeſe,vt habet verſio Syriaca,aut ſic: *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit*, vt habet Latina vulgata, quod communi more intelligitur de morte; cùm perrarum ſit è ſuſpendio effugium) vel certè ipſum prolapſione ipſa in faciem ſuam aut ventrem, diſruptum eſſe, atque effuſis viſceribus emortuum. Nam Actorum cap. 1. pro eo, quod vulgata verſio habet: *Et ſuſpenſus crepuit medius*, græca S. Lucæ habent: Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. *Et pronus factus* [.i. præcipitatus] *crepuit medius*. ſiue, *diſruptus eſt medius*. Et Syriaca lectio conformiter græco textui hunc ſenſum refert: *Et cecidit in faciem ſuam humi, & crepuit per medium ſui*. Sanctus autem Ambroſius lib. 1. de fide cap. 9. legit: *Et in faciem proſtratus crepuit medius*. Poteſt autem vtrumque conſiſtere, vt & ſe laqueo ſuffocarit, & iam ſuffocatus ita præceps, pronuſque in faciem ſuam & ventrem deciderit, vt ventre diſrupto omnia eius viſcera effuſa ſint.

Nota hic ad extremum in omnibus græcis exemplaribus atque etiam Biblijs regijs, itémque in Theophylacto, & Oecumenio, reperiri vocem ἐλάκησε per η. non ἐλάκισε per ι. cùm tamen in eo ſignificato quod hic vſurpatur, vox λακίζω magis conueniret quàm λακέω; ſi quidem Scriptoribus antiquis atque etiam Lexicographis ſua ſit ſarta tecta auctoritas. E quibus quidem Phauorinus in littera E. hanc inter ἐλάκισε & ἐλάκησε affert diſtinctionem: Ἐλάκισεν, inquit, ἐσχίσθη. Ἐλάκησε δὲ, ἀντὶ τοῦ ἐβόησε, καὶ ἐφώνησεν. id eſt, vox ἐλάκισεν, *ſignificat ſciſſum eſt, diuiſum, diſruptum: ἐλάκησε autem per η. ponitur pro clamauit & locutus eſt, ſonuit, voce edidit*. Ita Phauorinus. Cui cõſentit Heſychius: Λακεῖν inquit, ψοφῆσαι. id eſt, Vox λακεῖν ſignificat, *ſono*. Et rurſus paullo pòſt, λακῆσαι, inquit, *πατάξαι, ſtrepere, ſonare*. De altera auté ſcriptione per ἰῶτα, λακισθῆναι, inquit, ῥαγῆναι. *diſcindi, rumpi*. Hinc apud Suidã: Λακίσματα μελῶν, τὰ τῶν σαρκῶν ἀποσχίσματα. Εὗρον τὸν χιτῶνα ᾑμαγμένον, καὶ λελακισμένον ἀντὶ τοῦ ἐσχισμένον. id eſt, Λακίσματα μελῶν, *ſignificant carnium laceramenta. Inuenerunt tunicam cruentatam & dilaceratam pro diſciſſam*.

Ex quibus patet priorem ſignificationem, verbi λακίζω ſcilicet, magis congruiſſe diſruptioni Iudæ, & viſcerum effuſioni, quàm ſignificatum verbi λακέω vſitatum, quod eſt, *loqui, ſonare, vocem edere*.

Pro textus tamen noſtri defenſione dici fortè poſſet de his duabus vocibus λακίζω & λακέω, quod de alijs ſimiliter ſuam terminationem ab vna eadémque origine ſeu radice variantibus dici ſolet: nimirum eſſe quidem varias terminationes, ſed idem ſignificatum. vt in ἀντιάω & ἀντιάζω. ἐξορκέω & ἐξορκίζω. ὑστερέω & ὑστερίζω. & in alijs eiuſmodi compluribus. Aut denique à librarijs aut typographis mendum, vt fit, irrepſiſſe dicendum eſt. Procliuis enim lapſus eſt ab ι. littera ad η. Nam alioqui ſignificationum pro varia ſcriptione diuerſitas paſſim ab auctoribus, præſertim antiquis, obſeruatur; nec facilè vox vna pro altera ponitur. Denique, vt ad ſenſum Scripturarum redeamus, ex S. Matthæo habemus Iudam ſe ſuſpendiſſe; ex S. Luca autem, ſuſpẽſum crepuiſſe medium, & diffuſa eſſe omnia viſcera eius, ita vt ex latinis editionibus colligatur in ipſo ſuſpendio tumefactum eſſe corpus, vt fit in ſuſpendioſis, & ex eo tumore ventrem crepuiſſe, & omnia viſcera (quæ in Dominum & Patrem fuerant crudelia) in terram effuſa eſſe. Hæc autem quamuis naturaliter accidere potuerint; tamen quia valde rarum eſt ſic in ſuſpendio intumeſcere corpora, vt venter diſrũpatur, & viſcera effundat; videtur (quemadmodum in maximis & horrendiſſimis accidit criminibus, quale hoc fuit impijſſimæ proditionis) aliquid diuinæ punitionis interueniſſe, quod patrati facinoris teſtaretur immanitatem. Si græca autem S. Lucæ attendamus, quæ nihil aliud habent, quàm Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος: *& pronus* [vel *præceps*] *factus crepuit medius*, videntur ſignificare, cum ex prolapſu crepuiſſe medium, ſic tamen vt non rectus in pedes, ſed pronus in caput aut ventrem lapſus ſit, impellente ſcilicet diuinę iuſtitiæ inaſpectabili ſatellite. Atque hic eſto huius vitæ & Notationum FINIS.

IVDÆ PRODITORIS SVSPENDIVM.

AD DEI OPT. MAX. ET S. PAPIÆ GLORIAM.

VITA

VITA
S. QVADRATI
ATHENARVM EPISCOPI
ET MARTYRIS.

MATERIES EX HIS PRÆCIPVE DEDVCTA EST AVCTORIBVS.

EX ipsomet S. QVADRATO.
S. DIONYSIO Corinthiorum Episcopo.
EVSEBIO Cæsareæ Palæstinæ Episcopo.
S. HIERONYMO Presbytero.
FLAVIO LVCIO DEXTRO.
PAVLLO OROSIO Presbytero.
EVSEBIO Thessalonicensi Episcopo.
PHOTIO Patriarcha Constantinopolitano.
NICEPHORO CALLISTO Xantopuli filio.
MARTYROLOGIIS Latinorum varijs.
MENÆO Græcorum & Menologio.

VETE-

VETERVM SCRIPTORVM DE

S. QVADRATO ELOGIA.

EVSEBII CÆSAREAE PALÆSTINAE EPISCOPI.

Τῶν δὲ κατὰ τούτους διαλαμψάντων καὶ ΚΟΔΡΑΤΟΣ ἐστὶν· ὃν ἅμα ταῖς Φιλίππου θυγατράσι προφητικῷ χαρίσματι λόγος ἔχει διαπρέψαι. *Lib. 3. hist. eccl. cap. 31.*

RVFFINI PRESBYTERI EVSEBIVM INTERPRETANTIS.

INter eosdem sanè floruit vir æquè insignis QVADRATVS: qui vna cum Philippi filiabus in prophetica gratia celeberrimus fuisse perhibetur. *Lib. 3. cap. 37. histor. eccl.*

HIERONYMI PRESBYTERI.

QVADRATVS Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex ecclesiæ, nonne Hadriano Principi Eleusina sacra inuisenti librum pro nostra religione tradidit, & tantæ admirationi omnibus fuit, vt persecutionem grauissimam illius excellens sedaret ingenium? *Epist. 84. ad Magnum, orator. Rom.*

FLAVII LVCII DEXTRI.

HAdriano QVADRATVS discipulus Apostolorum & Aristides Athenienses, libros obtulerunt pro religione Christiana. *In Chronico ad annum Domini 128.*

VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI.

APud Athenas B. QVADRATI Episcopi, discipuli Apostolorum. Hic firmauit, vt nulla esca à Christianis repudiaretur, quæ rationalis & humana est. *In Martyrolog. ad 26. Maij.*

NICEPHORI CALLISTI.

ΚΑΙ ΚΟΔΡΑΤΟΣ δὲ ὁ θεῖος τὴν ποιαύτην διέπρεπε, κατὰ μηδὲν ἐνδέων τῶν τῆς ἀποστολικῆς διαδοχῆς χαρισμάτων. *Libro 3. hist. eccl. cap. 21.*

Floruit autem eo tempore diuinus quoque QVADRATVS, cui nihil eorum donorum, quæ Apostolicos decent successores, defuit.

VITA

VITA
S. QVADRATI
EPISCOPI ET MARTYRIS.

PRÆFATIO.

SAnctis primi sæculi Patribus, cùm antiquitatis gradu, tum merito sanctitatis, iure annumerandus venit S. QVADRATVS, Apostolorum auditor. Cuius tametsi scripta penè omnia interierint; haud tamen etiam scriptorum memoria atque fructus. Quo quidem si ecclesia tempore fruita est opportuno, sanè ingrata haberi posset, nisi percepta ex eius partim litteris, partim martyrio emolumenta, saltem aliquo qualiscumque stili monumento studeret remetiri. Quare omnia, quæ de tanto viro & tam insigni Scriptore habui sparsim reperire, quamuis oppidò pauca; tamen hæc ipsa, spe melioris aliquando prouentus, statui in litteras, ad felicem posteritatis memoriam, eius nomini consecrata coniunctim dare. Quod nunc Deo opt. max. propitiante factum vado.

CAPVT I.

Patria, ætas, educatio, studia.

S. QVADRATVS ATHENIS NATVS ET EDVCATVS EST.

QVâ ex progenie, quibúsue parentibus in lucem editus sit [a] QVADRATVS, nominatim proditum nusquam inuenio: sed bono genere ortum gesti in patria honores, & parta apud populares suos existimatio facilè persuadent. [b] Eum enim Athenæ produxerunt, vrbs totius Græciæ nobilissima, ac præcellentium virorum multò fecundissima: nec produxerunt tantùm, sed & in gremio suo educarunt, fouerunt, litteris imbuerunt, atque adeò ad sacros honores, vt pòst memorabitur, euexerunt. Et hęc prima fuit QVADRATI felicitas, in ea vrbe natum esse & educatum, vnde & nomen sibi acquirere, & omnium bonarum artium disciplinam velut cum lacte sugere, & varia diuersorum Philosophorum instituta facili vsu percipere, & percepta in maximas reip. Christia-

Christianæ vtilitates (quemadmodum postea fecit) deriuare posset. In ipsis autem nascentis ecclesiæ primordijs, & euangelij luce iam Athenis exortâ (quæ secunda eius felicitas meritò dici potest) ipse quoque magnum olim patriæ suæ lumen futurum exortus est. Ac certus quidem annus ignoratur; sed quin Claudij Drusi Imp. temporibus, & [c] eadem ferè, qua SS. Polycarpus & Papias ætate, maioribus ingenuis prognatus sit, nequaquam dubitatur. Egregia porrò fuit indole, & [d] ingenio inter æquales excellenti. Quod ipse seu parentum freno, seu bonitate naturæ, nec prauis moribus corrupit, nec otio inertiáque detriuit; sed homine libero dignis artibus excoluit, & pręclaris animi dotibus exornauit[e]. Nam facile erat alioqui in annis rudibus, & tenella ætate, (quæ in vitium ferè magis quàm in virtutem sua sponte inclinat ac deuergit) à præcipiti turba, velut quodam æstu in deteriora abripi, eóque tandem ex lōgo vitiosæ sodalitatis vsu ac consuetudine delabi, vnde vix ac ne vix[f] quidem potestas sit retro ad meliora, & ad spem aliquam bonæ frugis reflectendi. Neque enim hoc dictum frustra à Sapiente, *Prouerbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Quo scilicet nihil aliud quàm magna difficultas aperitur, ab eo vitæ instituto, ijsque moribus seu probis seu improbis desciscendi, quibus à prima ætate, & in ipsa potissimùm adolescentia consueueris. Tametsi hoc inter vtramque consuetudinem intersit discrimen, quòd aliquanto facilior ob deprauatę naturę imbecillitatem à bonis ad mala, quàm à malis ad bona sit regressus. Vnde illa nostri QVADRATI tertia, & quidem gemina felicitas iure appellanda est; & quòd in illas periculosissimę prauorum sodalium conuersationis syrtes non inciderit, aut saltem non adhęserit; ad quas tam multa bona ætas & fecit olim, hodiéque facit naufragium, vt pereuntium non sit numerus; & quòd in proborum sodalitio margaritam illam pretiosam inuenerit, qua inuēta, vti bonus & prudens negotiator, *abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Quippe cùm ea nihil sit aliud, nisi nouæ legis & sacri euangelij doctrina, pro cuius inuentæ acquisitione, Apostolorum ac Discipulorum Domini exemplo, cuncta lubens volens reliquit: neque hoc solùm, sed vitam quoque ipsam, qua nihil est homini carius, pro eiusdem retentione ac conseruatione, vt pòst dicetur, cupidè profudit. Versatus est igitur cum bonis, & factus est bonus: versatus est cum Christianis, & factus est Christianus: versatus est cum electis, & factus est electus: versatus est cum Apostolis, & factus est Apostolus: cum Martyribus, & factus est Martyr. Sed Christianus vt primùm fuit, atque in salutari lauacro firmum atque inuiolatum vni vero Deo sacramentum dixit, mox & alia studia aggredi, & vitam dicto sacramento conformem instituere,

SS. POLYCARPO ET PAPIÆ COÆVVS FVIT.

Prouerb. 22. vers. 6.

Matthæi 13. vers. 46.

FRVCTVS BONÆ CONVERSATIONIS.

nihílque cum mundi pompis & sæculi vanitatibus commercij habere: ſed in ſacrarum lectione litterarum ſedulò verſari, diurnis nocturníſque fidelium cœtibus frequens intereſſe, ab ore diuina diſſerētis totus pendere, denique moribus ad normam vitę Apoſtolicę examuſſim compoſitis, ſummos in eccleſia honores non appetere, ſed mereri. Quos tamen quemadmodū ſibi impoſitos magis quàm oblatos ſuſcepit, & quantum pro Dei gloria laborarit, quos ſanctę Eccleſiæ fructus pepererit, iam nobis eſt exequendum.

CAPVT II.

Prouectio S. QVADRATI ad ſacros honores, & in eorum functione primi labores & fructus.

PRæter alia diuinæ benignitatis dona, illud quoque haud paruo æſtimandum S. QVADRATVS obtinuit, quòd non modò cum primis Apoſtolorum diſcipulis amicitiam familiaritatemque contraxerit, ſed etiam quòd ipſorummet Apoſtolorum diſcipulus, ſectator, in ſacris miniſtrator fuerit, & quod ſatis eſt probabile, eorundem vel manu, vel ſuffragio creatus Epiſcopus. Neque enim defuerunt, neque deſunt, qui ad ipſum iam à temporibus Domitiani Imp. in Aſia Epiſcopum, ſcriptam à S. Ioanne Apoſtolo epiſtolam credant: nēpe illam quæ [a] ad Philadelphiæ Angelū ſiue Epiſcopum, è Patmo Chriſti nomine ſcripta eſt in hāc formā.

S. QVADRATVS CREATVS EPISCOPVS PHILADELPHIÆ.

a Apocal. cap. 3. ver 7. & deinceps.

ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ SCRIBE:

Hæc dicit SANCTVS & VERVS, qui habet clauem Dauid; qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, & ſeruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum. Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt; ſed mentiuntur: ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & ſcient, quia ego dilexi te. Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ; & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terrâ. Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.

LOCVS APOCALYPSEOS DE S. QVADRATO EXPLICATVS.

Hactenus epiſtola. In qua B. Quadrati ſtatus vitæ, & fidei conſtantia, & fructus patientiæ, & de hoſtibus victoria, & ęternū glorię pondus admodum graphicè deſcribitur. Et ſanè hæc omnia in S. Quadratum mirificè quadrant: neque alium reperio, neque quiſquam

quam nominat, in quē meliùs quadrare poſſint: ſed omnes qui aliquē in medio ponunt, cui iſta dicta conueniant; vnanimi conſenſu atque ſuffragio, eidem S. Quadrato attribuunt, addicunt, propriū eſſe decernūt. Verè igitur beatus, & ſummā felicitatis aſſecutus dici poteſt, cui Chriſtus Dei filius, ille ſanctus, ille verus, immo ipſa ſanctitas, ipſa veritas, per dilectū ſuum Ioannē, per primum ſuum à ſecretis, tāta & tam glorioſa perſcripſit! ad quem iſta miſit is, cui omnis data eſt poteſtas in cælo & in terra; qui domum Dauid, totámque eccleſiam in ditione ſua habet, & tam forti dominatione moderatur, vt ſi oſtium euangelij vſpiā aperire voluerit, nemo poſſit claudere, nemo quamuis potens & fortis impedire: ſi cōtrà voluerit oſtium claudere, & prohibere, ne in aliquā terram aut regionem, eiuſdem euāgelij ſemen inferatur; nemo quamuis magnus Imp. aut Monarcha, poterit quauis armorū vi aut mentis induſtria viam illuc aperire, nemo doctrinam nouam contra Chriſti volūtatem importare. Ille igitur tantæ poteſtatis & efficacię gerens clauem, viam ſeruo ſuo Quadrato fecit in Philadelphiam, & oſtium ad euangelij prædicationem aperuit: hic autem licet viribus imbecillis, licet nulla amicorum fretus potentia, cōfidenter ingreſſus eſt, quò miſſus fuit: ac tametſi euangelicam facere ſementem aggredienti mox ſeſe opponere cœperint & Gentiles & Iudæi, & vtrique terribilibus minis, atque adeo terribilioribus fortè tormentis os illi, & oſtium euangelio claudere conati ſint, immò & ad negandum Ieſu Chriſti crucifixi nomen adigere: perſtitit tamen ipſe in propoſito, nec vt nomen Domini ſui negaret, vnquam peruinci potuit. Dominus autem id tam gratum habuit, vt quinque talentis antehac illi collatis alia quinque addiderit, fecerítque vt non modò à FIDEI hoſtibus aut Chriſti perduellibus vinci non potuerit, ſed etiam vt ipſos ſacra vi eloquentiæ peruicerit, atque impoſito Chriſti iugo ad eccleſiam ſibi iam ſubditos perduxerit. Hoc enim ea verba illi promiſerant: *Ecce faciam illos* [Iudæos ſcilicet legi meę (Apocal. 3. ver. 9.) aduerſantes, inquit Dominus] *vt veniant, & adorent ante pedes tuos. Et ſcient, quia ego dilexi te.* Tunc enim id ſciuerunt, tunc experti ſunt; cùm ab eo deuicti manus dederunt, & ad pedes eius tanquam ſacri Doctoris & Epiſcopi, ad excipiendā doctrinam & benedictionem, & ad percipienda diuina ſacramenta ſe ſubmiſerunt. Tunc etiā ſciuerūt & admirati ſunt, cū inſignia deſignantē prodigia, & diuinitus multa prędicētē, & ſola precationis vibratione idola ſubuertentē conſpexerunt. Hęc enim tā pręclara diuinę dilectionis pignora intuētes (quæ in eo fuiſſe Oriētalis eccleſiæ ſacræ tabulæ cōteſtātur) neſcire nō potuerunt, neque dubitare, quin Deus eū diligeret. Diligit enim ſanè eos, qui *verbum patiētiæ eius*, ſiue qui cōmendatā ſibi ab ipſo patiētiam ſeruāt, eóſque viciſſim ab hora nimis violētę tētationis cōſeruat. Quod & in S. Quadrato fecit: quē nō ſolùm in Do-

mitiani & Traiani persecutionibus incolumem ac superstitem custodiuit; sed etiam (licet aliquantò postea) liberatorem & quasi saluatorem suæ patriæ & ecclesiæ Atheniensis constituit. Quod quidẽ quo pacto acciderit, & quę huius occasio mutationis fuerit, breuiter nunc exponam.

CAPVT III.

S. QVADRATI ad vrbem Athenas accessus, & oneris Episcopalis susceptio.

QVamdiu ecclesiæ, post extinctam Domitiani Imp. tyrannidem, cessante iam persecutionis tumultu, pacem tenuerũt; tamdiu QVADRATVS, & alij Ecclesiarum Episcopi, quisque pro virili sua laborare, primò, vt rem Christianam aduersis incursibus nonnihil perturbatam in ordinem redigerent, lapsos releuarent, instabiles corroborarent, infirmos confirmarent: deinde intermissos cœtus in pristinum reuocarent, disciplinam in clero, in populo, domi forísque instaurarent.[a] Qui demum cunctis perfectè constitutis, & assignatis per suas diœceses vicarijs, vel successoribus, ad loca incultiora euangelij aratro sulcanda & excolenda se transferebant. Quod enim ipsi fecisse Apostolos sciebant, hoc sibi præscriptum, vt itidem facerent, exempli lege arbitrabantur. Atque ita fecisse S. Hierotheum nuperrimè docui: ita & S. Dionysium Areopagitam in scriptis superioribus ostendi; ita & nunc Quadratum fecisse admodum probabile est, atque hunc quidem, dum ad alia migraret; per Græciam transeuntem aliquamdiu Athenis substitisse, seu occasione valetudinis, seu etiam pertractãdorum ecclesiæ negotiorum caussa. Traiani Imp. erant hæç tempora, & Atheniensis ecclesia (quę à Paullo & Hierotheo fundata, & à Dionysio pulcherrimis antehac præceptis instituta, &[b] à Publio horum successore ad mortem vsque fortiter defensa fuerat) sublato iam per martyrium Episcopo animarum suarum Publio, erat sicut oues sine pastore, fugitiua, trepida, sensímque[c] à cœtibus & Christianæ disciplinæ exercitijs desuescens & in officij sui functione remissior: adeóque periculum erat, ne refrigescẽte in multis fidei caritatísque feruore, in dies plus detrimenti caperet. Quare cùm opus esset viro forti atque industrio, qui Christi gregẽ partim dispersum recolligeret, partim nutantem vacillantémque fulciret, firmarétque; ecce diuino nutu atque consilio obijcitur, obuersatúrque vigilantibus piorum animis, atque illius ecclesię pręcipuis Ministris egregia QVADRATI virtus, perspectaque sãctitas, & vox vna resonat, neminem eo loco digniorem, neminem lapsis rebus restituendis aptiorem esse, quàm QVADRATVM: hunc esse Apostolorum auditorem, imitatorem, spiritus heredem: hunc esse, *qui quod infirmũ sit, consolidet; quod ægrotum, sanet; quod confractum alliget, quod abiectũ redu-*

reducat; quod perditum, requirat. Huic, huic committẽdam esse ecclesiam, qui ista facturus sit, & iam fecerit: qui omnes populi infirmitates sustinere sciat & curare: qui confracta corporis mystici membra vinculo caritatis colligare; qui eadem propter noxas percussa, & à cetero corpore abiecta, flexili humanitatis æquitate & grata mentis dulcedine, in sinũ recipere atque reducere; qui ea quę quocumque modo, seu aduersariorum violentia, seu propria ignauia, seu aliter perdita fuerunt, vigilanti cura ac sollicitudine requirere velit & valeat. Igitur maiorem in modum rogatus est, vt onus hoc ad Dei honorem, & populi sui salutem susciperet: ac ille suscepit quidem, sed tam pro sua modestia, animique submissione inuitus, quàm pro ecclesiæ necessitate voluntarius. Quam cùm suscepisset, mox omnem suum gregem sedulò recensere ac recognoscere; & quos dilapsos intellexit, omni studio reuocare; quos hæsitantes ac dubios inuenit, doctrinæ ac commonitionis suauitate delibutos stabilire; quos penitus prostratos & alienis addictos vidit, etiam illos omnibus rationum & precationum machinis erigere; denique quos fidos atque constantes reperit, eos magis magísque in solida fidei petra confirmare, atque infirmioribus fulciẽdis idoneos præparare. Nec enim is erat, qui vel *calamum quaßatum contereret, vel linum fumigans extingueret*, vt propheta loquitur; sed contrarium potiùs exemplo Christi Domini faceret: quippe qui vel leuissimos è plebe ac maximè fragiles, etiámque concussos mira patientia sustinebat: & eos qui in gradu altiori, cùm prælucere alijs deberent, tamen plus fumi quàm lucis, plus exempli mali quàm boni præbebant, non protinus præcipiti iracundiæ motu è Clericorum albo expungebat, & quasi extinguebat; sed leniter correctos, ac velut emunctos, frequenti adhortationum flatu exsuscitabat, donec depulso vanitatis fumo, omniq́ue abstersa peccati fuligine, puram veritatis virtutísque lucem ac claritatem emitterent. Sic enim in domo Dei agendum, sic in via Christi procedendum sentiebat: nec, nisi multis priùs adhibitis fomẽtis, atque omni propè lenitatis atq; clementiæ exhaustâ apothecâ, ad sectiones ac periculosa nimiæ seueritatis atque acerbitatis accedendum esse remedia. Quare istac singulari sua prudentia, lenitate, caritate, ceterísque, quibus peculiariter instructus erat Dei donis, breui effecit; vt ecclesia sua multò magis quàm antè effloresceret. Nam cùm esset multiplici eruditione, quà sacrâ, quà profanâ longè florentissimus, pollebat præterea duobus ad deuinciendos aut peruincendos hostes potẽtissimis armorum generibus, dono scilicet prophetiæ, & prodigiorum patrandorum potestate. Ex quo fiebat, vt salutaris doctrinę pabulo animas, facultate miraculorum corpora, spiritu prophetiæ totam Ecclesiam, illas excolendo, ista persanando, hanc illustrando, permultùm adiuuaret ac promoueret. Nam istis

Ezechielis cap. 34. ver. 4.

Isaiæ cap. 42. ver. 3.

S. QVADRATVS PLVRIMOS AD CHRISTVM CONVERTIT.

pręsidijs plurimam mortalium turbam ad Christi fidem conuertit, ac nonnullos quidem ex ijs, quos Græcia tanquam sapientes, licet terrena tantùm & vana sapientes, maximi ęstimabat, admirabatur, ad cælum efferebat. Nemo enim resistere poterat spiritui, qui per os eius loquebatur, non Gentilis, non Iudęus, non hęreticus. Quos omnes suis ipsorum armis (quod gloriosissimum est vincendi genus) vt plurimum debellabat. Nam Gentili suos futiles & omni spurcitie putidos Deos, è principibus Poëtarum ipsorum in oculis defigebat; Iudæo, clara de Christo vaticinia, è receptis ab eo prophetis proferebat: hæretico, pertusos suorum errorum canales, nō è fontibus Saluatoris, nec ex Apostolorum riuulis, sed è profunda barathri fouea, & effossis putentium aquarum lacubus deduci ostēdebat. Hinc multa dæmoni ira, & asseclis eius malignis spiritibus indignatio & furor multus. Quo erumpente haud parua sanè ventura erat ecclesijs, sed præsertim Atheniensi, clades; nisi diuina beati Quadrati eloquentia sacrilegis impiorum conatibus, vt iam iam expositurus sum, interuenisset.

CAPVT IV.

QVADRATVS pro Christianis, quos Gentilium vexabat persecutio, librum Hadriano Imp. offert, & pacem ecclesiis impetrat.

NActa est sancta Dei Ecclesia, extremis Traiani Imp. temporibus, decem circiter gratæ tranquillitatis & quasi benedictionis annos, crescente scilicet in dies, ac magis magísque ramos suos quaquauersum dilatāte religione. Quę serenâ post turbulētam tempestatem facie, & proiectis altiùs per atræ persecutionis hyemem fidei radicibus, haud paullo lætior consolidatâ in aduersis virtute promicabat. Verùm nec ille pulcher Ecclesiæ color & prosper status diu stetit. Nam rursus maligni liuor succensus est, & nefarijs suæ superstitionis mācipijs, omnem pietatem atque honestatem perosis, ad nouam Christianæ legis persecutionem, diræ immanitatis faces admouit. [a] Hadriano igitur Traiani successore, seu volente, seu conniuente, seu annuente, seu dissimulante, seu etiam ignorante, [b] multis locis in Christianos sæuitum est: fuítque hæc post Neronis, post Domitiani, post Traiani notissimas infestationes, [c] quarta persecutio: [d] quam licet nonnulli eleuent, minúsque acerbam faciant; tamen haud mediocrem fuisse arguit, [e] quòd eam Hieronymus grauissimam appellàrit. [f] Edictum quidem Imperatoris aduersus Christianos nullum fuit: sed eius insana erga Deos superstitio (quam homines ad lucem cæci, pietatem ac religionem interpretabantur) Præfectis ac Præsidibus impijs & irreligiosis instar edicti fuit. [g] Quum enim illum penè omnia totius Græciæ sacra susce-

QVARTA ECCLESIÆ PERSECVTIO.

suscepisse intelligerent;[h] atque etiam Athenis, vbi iam hiemabat, Eleusiniorum mysterijs initiatum scirent. ([i] sunt autem Eleusinia, Cereris sacra, omnium [k] apud Gentiles mysteriorum sanctissima ac celeberrima, [l] quę inspicere non initiato nefas; [m] ab initiato euulgari capitale) [n] hinc sibi occasionē homines superstitiosissimi sumpserunt Christianos tāquam ab eiusmodi sacris, & ab omni Deorum cultu abhorrentes persequendi, ac velut gratissimum pietati Imperatoris obsequium hac immanitate præstituri essent, ad tormenta, mortémque raptandi. Hic igitur apparuit, quàm necessarius vrbi Atheniensi fuerit QVADRATVS. Grassāte enim in Christianos Paganorum licentia, & illos modis omnibus exagitante, atque in cædem & necem indicta caussa, nec vllo alio quàm diuersę religionis & contemptus Deorum titulo propellente, ipse ad suorū defensionem confestim ac intrepidè se accinxit, stilum arripuit, librum conscripsit, innocentię oppressionem viuis coloribus depinxit, Imperatori obtulit, denique, vt multa paucis, ipse persecutionis atque sæuitiæ repressionem impetrauit. Hinc illud B. Hieronymi verissimum de illo elogium: *QVADRATVS Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex ecclesiæ, nonne Hadriano Principi Eleusina sacra inuisenti librum pro nostra religione tradidit, & tantæ admirationi fuit; vt persecutionem grauissimam illius excellēs sedaret ingenium?* Scripsit pro eadem caussa, & eodem quo QVADRATVS tempore, [o] S. Aristides vir fide & sapiētia clarissimus, librúmque eidem Imp. pro fratribus & popularibus suis obtulit, nec paruum momentum æquitati caussæ nostræ attulit. Quia verò non intra Græciam modò; sed per Asiam quoque, & per alias imperij Romani plagas idem Gentilium peruaserat furor, peropportunè accidit, vt [p] Serenius Granianus, Asiæ Proconsul, litteras ad Hadrianum Imp. mitteret, eúmque perinde, vt antehac Plinius Traianum, super quęstionibus & pœnis Christianorum consuleret. Nam duabus iam eloquentissimorum virorum apologijs edoctus Imp. quam iniquè cum Christianis, & quàm crudeliter & indignè cum insontibus ageretur: quippe qui vel ad solos imperitæ ac turbulētæ multitudinis inconditos clamores, raptásque è triuio calumnias ad necem indicta caussa traherentur, vel populari tumultu ex sola nominis inuidia exorto opprimerentur, hæc, inquam, & alia edoctus à nostris propugnatoribus Imperator, benignè in fauorem Christianorum respondit, vim omnem & infestationem inhibuit, scriptóque edito vetuit, ne quis deinceps Christianorum, nisi si facinus contra leges admisisse conuinceretur, iudicio mortiue esset obnoxius: in eorū verò delatores, si alia nulla quàm fidei Christianæ caussa ab ipsis afferretur, seuerè voluit animaduerti. Id verò manifestè licet cognosci ex ipsiusmet Hadriani epistola, quam ad Minucium Fundanum Asię Proconsulem, & modò memorati Graniani successorem misit:

ELEVSINIORVM MYSTERIA.

S. QVADRATVS PERSECVTIONEM SEDAT.

SERENIVS GRANIANVS ASIÆ PROCONSVL HADRIANVM CONSVLIT DE CHRISTIANIS.

misit: cuius hoc est exemplum.

HADRIANVS CÆSAR MINVCIO FVNDANO.

HADRIANI EPISTOLA PRO CHRISTIANIS.

Litteras à Serenio Graniano viro clarißimo, cui tu in prouincia successisti, ad me datas accepi. Non videtur mihi hæc res, quin de ea disquiratur, prætermittenda esse: ne homines turbentur, néue calumniatoribus materia fraudulenter agendi præbeatur. Quod si prouinciales persecutiones aduersus Christianos processu legitimo, vt & illi pro tribunali respondeant, obtinere possunt; hac vna insistant via, & non petitionibus ac vociferationibus solis. In primis enim conuenit, si quis accusare velit, de eo te cognoscere. Itaque si quis eos detulerit atque probauerit contra leges quicquam commisisse, tu pro delicti qualitate ita sententiam aduersus eos feres; vt, me Hercules, qui calumniæ caußa crimen cuiquam intendisse compertus fuerit, pro maleficij grauitate in eum modis omnibus animaduertendum cures.

Hactenus Hadriani Imp. epistola: quæ & Gentilium temerè in nos irrumpentem audaciam multùm repressit, & Christianos depulso ingruentium hostium metu admodum recreauit. Liberiùs enim posthac celebrari cœpta sunt ecclesiarum exercitia, & plebs Deo deuota omni studio aduigilauit, vt nihil contra leges Impp. (propter quas solas vocari in ius poterat) admitteret, sed ex Christi præcepto atque exemplo sic viueret, vt *obmutescere faceret* (quemadmodum S. Petrus admonebat) *imprudentium hominum ignorantiam*: qui scilicet soliti sunt ea, quæ ignorant, temere atque imprudenter criminari. Itaque ex eiusdem Apostoli doctrina & cohortatione, *subiecti erant omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*: Magistratus honorabant, tributa pendebant, mandata obseruabant, in omnibus denique ad imperij salutem, dignitatémque spectantibus, saluâ vnius Dei lege, primi erāt. Ipse autem QVADRATVS, ob seruatam periculo suo Atheniensem ecclesiam, in ore omniū atque sermone versari: sed is nihil ardentiùs à Deo postulare, quàm illud vnum sibi longè acceptissimum, nempe vt quam dedisset orbi Christiano pacem, eam gratiâ super gratiam cumulatâ diuturnam faceret: sese quidem si ea conseruari protendique morte sua posset, vel libenter pro populo suo pacificam hostiam futurum. Et verò pura & grata Deo fuit hostia, & à se diu desideratâ, votísque omnibus expetitâ martyrij palmâ, sed aliquanto pòst, & occasione aliâ, vt iam docebitur, tandem potitus est.

1 Petri, cap. 3. versu 15.

Ibidem.

CAPVT V.

Postremi labores S. QVADRATI, & dignus vitâ antè actâ excessus, & post mortem honores.

QVãtam B. Quadratus apud omnes bonos, rebus fortiter pro ecclesia gestis, laudem gloriámque meruit: tantam apud improbos & Christiani nominis osores inuidiam odiúmque subijt. Nec enim ferre potuerũt homines impij, atque ad omnem contra pios audaciam proiecti, adeo fortunam sibi obuertisse tergum, vt quibus antehac liberrimè insultabant, & periculum de vita fortunísque omnibus, absque vllo suo discrimine creabant; ab ijs iam audaciæ suæ frenum iniectum esse, & quotiescúmqe ipsorũ quempiam accusarent, toties sibi ipsis iudicium subeundum esse calumnię. Relicto igitur fori iure ad priuatas se transtulerunt iniurias, & ab aperto marte ad clandestinas insidias, & à meditatis calumnijs ad subitas lapidationes, & tumultuosos impetus confugerunt. Sed hæc quidem post Imperatoris è Græcia discessum, quo præsente nihil mouere ausi sunt. Verùm illo ad alia digresso, inhibiti aliquamdiu iracundiæ motus, aquarum instar, ruptis claustris, aut obicibus remotis, violentiùs eruperunt. Itaque QVADRATVS verissimè ex illo tempore dicere potuit. quod olim similibus in periculis propheta Dauid: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* *Psalmo 118. ver. 109.* Nam & vitâ semper periclitabatur, & legem Domini nunquam obliuiscebatur, sed in ea meditabatur die ac nocte, atque etiam (vt & ipse propheta erat) de lege Christi Domini sępissimè consultus, verissima responsa velut ex intimis adytis proferebat. Fuit inter alias vna illis temporibus agitata quæstio de ciborum generibus, an Christiano vesci omnibus liceret? an verò aliquibus ex Domini aut Apostolorum pręcepto abstinendum? *Lucæ cap. 10. verso 8.* Etsi enim non ignorarent dixisse Dominum Apostolis, *In quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* & Paullum Corinthijs, *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* *1. ad Corinthios cap 1. ver. 25. Ibid. ver. 27.* Et iterum: *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, mãducate; nihil interrogantes propter conscientiam.* Tametsi illa, inquam, non ignorarent, tamen quòd in Apostolorum consilio Hierosolymæ habito decretum fuisse scirent, vt abstineretur non tantùm ab ijs, quæ immolata essent Deorum simulacris; sed etiam ab omni suffocato, & sanguine, dicente consilio: *Act. Apost. cap. 15. ver. 33.* (*Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hac necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sãguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete*) proptęrea nõnullis

nullis religio erat vesci animalibus suffocatis, aut quorumuis animalium sanguine; quod si facerent, graui se obstrictos culpa arbitrabantur. Interrogatus igitur QVADRATVS, tāquam vir qui spiritu Dei agebatur, & obscura Scripturarum sensa penetrabat, quid super hac re sentiret; [b] respōdit nullam escam, qua homines ratione exculti vulgò vterentur, respuendam esse: seu illa ex sanguine constaret; seu quæcumque alia, quæ in communi vsu gentium moribus mediocriter expolitis prędítarum mēsis adhiberetur: sed ab ea sola abstinendum esse, à quâ generaliter natura humana & rationalis abhorreret. Nimirū diuinitus intellexerat vir sapiētissimus ea quę ab Apostolis præcepta aut permissa in ecclesię primordijs ad diuersorum populorum sub vna lege coniunctionem atque pacē fuerant; ijs iam coniunctis & inter se cōcorditer viuentibus, si inutilia ac seruatu difficilia, vsu ipso cōperirentur; vel sua spōte cessare, vel lege, aut contraria consuetudine abrogari. Sicut enim, auctore Paullo, *non est regnum Dei esca & potus*; sic & præcepta de illis lata, non sic lata sunt, quasi absolutè & omni tempore ad salutem & ad regnum Dei consequendum essent necessaria: cùm & veteris legis, nouâ superueniente desierint, & ipsa nouæ legis iam olim ex parte abrogata sint; & quæ restant, etiam abrogari possint. Habet enim S. Ecclesia potestatem tam vetera præcepta abrogandi, quàm noua introducēdi: quippe mater & domina orbis Christiani. Multis igitur sanctorum fratrum, quos arctior & noxę metuentior angebat conscientia, pacem ac quietem attulit egregia sua virtute QVADRATVS, effecitque, vt quibuslibet cibis, absque specie vel suspicione offensionis, liberè & indiscriminatim, vel vterentur, vel abstinerent. Fuerūt quidem in alijs prouincijs, [c] qui diuersè à S. QVADRATO sentirent, & Apostolicum de cibis præceptum (quod quidem ad suffocatum & ad sanguinem attinet) perpetuò obseruari vellent: sed præualuit QVADRATI sententia, & opinio altera plurimis retrò sæculis toto ferè orbe euanuit; vt vix vllum penè vsquam modò restet vestigiū. Ecce autem dum vir sanctus informandis atque ordinandis totus insistit ecclesijs; contrà ille Malignus, ille ab initio Inuidus vias omnes ad eum perdendū excogitat, & nefaria hominibus perditissimis consilia suggerit. Ita bono Christi athletæ vt quondam Paulo, *foris pugnæ, intus timores*: cùm & illum insidiæ insultúsque infidelium foris premerent, & fidelium infirmitas intus animum angeret. Neque enim tam sibi, ne ab hostibus fidei opprimeretur, timebat (quippe *cui viuere Christus erat, & mori lucrum*) quàm suis, ne se oppresso labefacta fidelium virtus concideret, præmetuebat. Eò vsque tandem maleuolorum euasit audacia, vt insontem & indemnatum vi facta [d] Athenis pepulerint, procúlque à grege suo carissimo pastorem vigilantissimum abegerint. Per hanc igitur occasionem ad

Ad Rom. 14. ver. 17.

2. ad Cor. 7. ver. 5.

Ad Philipp. cap. 1. ver. 21.

visi-

visitandas Asiæ ecclesias, atque in fide & patientia Christi confirmandas se contulit: sed non ignaro hoste, qui quocumque sanctus Præsul iret, eius premens vestigia ad mortem persequebatur. Magnesiam igitur cùm peruenisset, ibíque egregia, sed haud grata diabolo opera, in eius euertendo dominatu & idolis diruẽdis, ad Dei gloriam designaret, iste immani rabie percitus gentiles suos simili furore, & lapidum item grandine armauit, in eúmque immisit. Sed nec vita illo incursu, (auctore vitæ eam retinente) sublata est; sed maiori certamini, & nobiliori gloriæ reseruata. Volens enim Deus virtutis Christianæ in hoc suo athleta dignum cælo edere spectaculum, tradidit illum varijs experiendum tentamentis, diuersis exercendum supplicijs, tandémque & igni probatum, & alijs pœnis vexatum, cunctis autem indomitum & inuictum, atque in fidei confessione ad extremum spiritum persistentem, promissâ martyrij palmâ (Magnesiæ, an alibi, haud satis liquet) honorauit. Ita bonus Christi miles post subuersa deorum delubra; post erectas vero Deo aras; post Græciæ sapientes suis ipsorum armis deuictos; post ingentem mortalium turbam multis in regionibus Deo acquisitam; post defensam voce, scripto, vita, miraculis, Christi fidem; post lapides, ferrum, ignes, carnificinam variam fortitudine admirabili supplantatã, ipso adhuc imperante Hadriano (diu enim imperauit) in cælos ad Regem suum victor euasit. Nec tantùm anima in cælo laurea multiplici donata est: sed corpus etiam in terra magnis auctum est honoribus. Magnetes Christiani illud possederũt, & quòd multorum miraculorum potens esset, permagno in honore habuerunt. Ecclesia verò toto orbe diffusa nomen eius in sacras tabulas retulit, & omnibus venerandum Christianis proposuit. Colunt eum Orientales, (apud quos præcipuè floruit) ad diem vigesimam primam Septembris: quòd ea die credatur obijsse, & cunctis vitæ præclarè actæ laboribus auream coronidem imposuisse: Occidentales autem ad vicesimam sextã Maij, siue quòd aliquid Reliquiarũ ea die obtinuerint; siue quòd diem illam notauerint, qua Imperatorem Hadrianum apologiâ suâ Christianis mitiorem effecit. Nã huius vnius facti memoriam suis in martyrologijs comprehenderũt: quæ omnia ferè ita habent, vti Romanum, quod dicta die sic notat:

SEPTIMO KALENDAS IVNII.

Athenis, natalis S. QVADRATI, Apostolorum discipuli, qui persecutione Hadriani ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregans, librum pro Christiana religionis defensione valde vtilem, & Apostolica doctrina dignum eidem porrexit.

Vbi nulla fit mentio martyrij, quod Grę ci tam in Menæo & Menologio, quàm in Breuiario suo (quod hac nostra ætate, Clementis

nullis religio erat vesci animalibus suffocatis, aut quorumuis animalium sanguine; quod si facerent, graui se obstrictos culpa arbitrabantur. Interrogatus igitur QVADRATVS, tãquam vir qui spiritu Dei agebatur, & obscura Scripturarum sensa penetrabat, quid super hac re sentiret; [b] respõdit nullam escam, qua homines ratione exculti vulgò vterentur, respuendam esse: seu illa ex sanguine constaret; seu quæcumque alia, quæ in communi vsu gentium moribus mediocriter expolitis prędítarum mẽsis adhiberetur: sed ab ea sola abstinendum esse, à quâ generaliter natura humana & rationalis abhorreret. Nimirũ diuinitus intellexerat vir sapiẽtissimus ea quę ab Apostolis præcepta aut permissa in ecclesię primordijs ad diuersorum populorum sub vna lege coniunctionem atque pacẽ fuerant; ijs iam coniunctis & inter se cõcorditer viuentibus, si inutilia ac seruatu difficilia, vsu ipso cõperirentur; vel sua spõte cessare, vel lege, aut contraria consuetudine abrogari. Sicut enim, auctore Paullo, *non est regnum Dei esca & potus*; sic & præcepta de illis lata, non sic lata sunt, quasi absolutè & omni tempore ad salutem & ad regnum Dei consequendum essent necessaria: cùm & veteris legis, nouâ superueniente desierint, & ipsa nouæ legis iam olim ex parte abrogata sint; & quæ restant, etiam abrogari possint. Habet enim S. Ecclesia potestatem tam vetera præcepta abrogandi, quàm noua introducẽdi: quippe mater & domina orbis Christiani. Multis igitur sanctorum fratrum, quos arctior & noxę metuentior angebat conscientia, pacem ac quietem attulit egregia sua virtute QVADRATVS, effecitque, vt quibuslibet cibis, absque specie vel suspicione offensionis, liberè & indiscriminatim, vel vterentur, vel abstinerent. Fuerũt quidem in alijs prouincijs, [c] qui diuersè à S. QVADRATO sentirent, & Apostolicum de cibis præceptum (quod quidem ad suffocatum & ad sanguinem attinet) perpetuò obseruari vellent: sed præualuit QVADRATI sententia, & opinio altera plurimis retrò sæculis toto ferè orbe euanuit; vt vix vllum penè vsquam modò restet vestigiũ. Ecce autem dum vir sanctus informandis atque ordinandis totus insistit ecclesijs; contrà ille Malignus, ille ab initio Inuidus vias omnes ad eum perdendũ excogitat, & nefaria hominibus perditissimis consilia suggerit. Ita bono Christi athletæ vt quondam Paulo, *foris pugna, intus timores*: cùm & illum insidiæ insultúsque infidelium foris premerent, & fidelium infirmitas intus animum angeret. Neque enim tam sibi, ne ab hostibus fidei opprimeretur, timebat (quippe *cui viuere Christus erat, & mori lucrum*) quàm suis, ne se oppresso labefacta fidelium virtus concideret, præmetuebat. Eò vsque tandem maleuolorum euasit audacia, vt insontem & indemnatum vi facta [d] Athenis pepulerint, procúlque à grege suo carissimo pastorem vigilantissimum abegerint. Per hanc igitur occasionem ad visi-

Ad Rom. 14. ver. 17.

2. ad Cor. 7. ver. 5.

Ad Philipp. cap. 1. ver. 21.

visitandas Asiæ ecclesias, atque in fide & patientia Christi confirmandas se contulit: sed non ignaro hoste, qui quocumque sanctus Præsul iret, eius premens vestigia ad mortem persequebatur. Magnesiam igitur cùm peruenisset, ibíque egregia, sed haud grata diabolo opera, in eius euertendo dominatu & idolis diruẽdis, ad Dei gloriam designaret, iste immani rabie percitus gentiles suos simili furore, & lapidum item grandine armauit, in eúmque immisit. Sed nec vita illo incursu, (auctore vitæ eam retinente) sublata est; sed maiori certamini, & nobiliori gloriæ reseruata. Volens enim Deus virtutis Christianæ in hoc suo athleta dignum cælo edere spectaculum, tradidit illum varijs experiendum tentamentis, diuersis exercendum supplicijs, tandémque & igni probatum, & alijs pœnis vexatum, cunctis autem indomitum & inuictum, atque in fidei confessione ad extremum spiritum persistentem, promissâ martyrij palmâ (Magnesiæ, an alibi, haud satis liquet) honorauit. Ita bonus Christi miles post subuersa deorum delubra; post erectas vero Deo aras; post Græciæ sapientes suis ipsorum armis deuictos; post ingentem mortalium turbam multis in regionibus Deo acquisitam; post defensam voce, scripto, vita, miraculis, Christi fidem; post lapides, ferrum, ignes, carnificinam variam fortitudine admirabili supplantatã, ipso adhuc imperante Hadriano (diu enim imperauit) in cælos ad Regem suum victor euasit. Nec tantùm anima in cælo laurea multiplici donata est: sed corpus etiam in terra magnis auctum est honoribus. Magnetes Christiani illud possederũt, & quòd multorum miraculorum potens esset, permagno in honore habuerunt. Ecclesia verò toto orbe diffusa nomen eius in sacras tabulas retulit, & omnibus venerandum Christianis proposuit. Colunt eum Orientales, (apud quos præcipuè floruit) ad diem vigesimam primam Septembris: quòd ea die credatur obijsse, & cunctis vitæ præclarè actæ laboribus auream coronidem imposuisse: Occidentales autem ad vicesimam sextã Maij, siue quòd aliquid Reliquiarũ ea die obtinuerint; siue quòd diem illam notauerint, qua Imperatorem Hadrianum apologiâ suâ Christianis mitiorem effecit. Nã huius vnius facti memoriam suis in martyrologijs comprehenderunt: quæ omnia ferè ita habent, vti Romanum, quod dicta die sic notat:

SEPTIMO KALENDAS IVNII.

Athenis, natalis S. QVADRATI, Apostolorum discipuli, qui persecutione Hadriani ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregans, librum pro Christiana religionis defensione valde vtilem, & Apostolica doctrina dignum eidem porrexit.

Vbi nulla fit mentio martyrij, quod Gręci tam in Menæo & Menologio, quàm in Breuiario suo (quod hac nostra ætate, Clemen-

tis

tis VIII. Papæ iussu, Romæ editum est) expresse annotarunt: ac in Menæo quidem pluribus elogijs, quæ pòst afferentur, celebrarunt. Hæc vitæ summa: nunc ad eius Scripta & fragmenta accedamus.

CAPVT VI.

Scripta S. QVADRATI & fragmentum vnum.

APologiam vnam scripsit, seu librum pro defensione religionis Christianæ, quem Hadriano Imp. obtulit; cuius scriptionis fructus fuit, quem suprà descripsimus: nempe eiusdem Imp. erga Christianos æquior animus, & Gẽtilium in eos sine caussa sæuientium refrenata audacia.

Aliorum eiusdem S. Quadrati scriptorum nulla speciatim fit mentio: tametsi admodum sit probabile, virũ tanta doctrina, eloquentia, auctoritate (quantam illi & antiquitas, & sanctimonia, & Prophetiæ, miraculorumque patrandorum facultas pariebant) haud prætermisisse, quin pro confirmatione Fidelium, aut refutatione hæreticorum nonnulla in lucem ederet.

Vsum esse scriptorum eius auctoritate beatum Eusebium Thessalonicæ Episcopum ad retundendos Andreæ cuiusdam hæretici errores, inuenio. Erat is Andreas ex ijs hæreticis, qui à praua sua opinione, qua certis rebus incorruptionem perperam attribuunt, græcè ἀφθαρτοδοκηταί, aphthartodocetæ appellantur, latinè *incorruptorum-opinatores* dici possunt. Docebat igitur idem Andreas, primo quidem corruptionis vocabulum soli peccato congruere. 2. Corpus Christi Domini ex ipsa cum Verbo coniunctione, seu ex vi vnionis (vt Scholastici loquuntur) immortale, impatibile, & incorruptibile factum esse, 3. Adami corpus ante lapsum non fuisse suapte natura mortale & corruptibile, 4. Mundum hunc incorruptibilem esse, & interitus expertem. Contra hos igitur errores cùm alijs rationibus, tum auctoritate sanctorum virorũ, ac nominatim B. Quadrati, siue ex eius Apologia, siue ex alijs ipsius scriptis deprompta, Eusebius ille Thessalonicensis fortiter depugnauit. Verùm etiam huius Eusebij, quamuis iuxta nomen suum pij ac religiosi, & sanè docti scripta omnia, quæ aduersus Andream istum elaborarat (libris decem ea continebantur) & vnde aliquid de S. Quadrato haberi potuerat, iam perierunt, aut in tenebris delitescunt.

Iam igitur ex omnibus S. QVADRATI scriptis vnicum ex eius apologia fragmẽtum, idque perexiguum restat, quod Eusebius Cæsariensis ad antiquitatem eius ostendendam nobis reseruauit. Sic autem illud citat, lib. 4. historiæ ecclesiasticæ, cap. 3. *Idē porro QVADRATVS suam ostendit antiquitatem per ea, quæ scribit hisce verbis:*

S. QVA-

S. QVADRATI FRAGMENTVM.

Τοῦ δὲ σωτῆρος ἡμῶν τὰ ἔργα ἀεὶ παρῆν, καὶ ἀληθῆ ἦν. Οἱ γὰρ θεραπευθέντες, καὶ ἀναστάντες ἐκ νεκρῶν, οἳ οὐκ ὤφθησαν μόνον θεραπευόμενοι καὶ ἀνιστάμενοι, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ παρόντες, οὐδὲ ἐπιδημοῦντος μόνον τοῦ σωτῆρος, ἀλλὰ καὶ ἀπαλλαγέντος ἦσαν ἐπὶ χρόνον ἱκανόν· ὥστε καὶ εἰς τοὺς ἡμετέρους χρόνους τινὲς αὐτῶν ἀφίκοντο.

Saluatoris nostri res gestæ semper hactenus penes nos fuerunt, & veræ sunt. Nam qui ab eo curati sunt, & à mortuis excitati, non modò tunc visi sunt, cùm curarentur & suscitarentur; sed etiam semper nobis affuerunt, non solùm superstite Saluatore; sed etiam ab eius excessu, sat multo tempore: ita vt quidam illorum ad nostra vsque tempora peruenerint.

An aliud autem quàm apologiam, (vnde hoc decerptum est tenue fragmentum) scripserit Quadratus, in ambiguo est. Nec enim Eusebius, nec Hieronymus mentionem vsquam alterius operis faciunt: tametsi longè eos secutus Tritthemius alia quoque eum scripsisse, sed nobis incognita, indicet.

S. Hieronymi verba, in libro, *De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus*, cap. 19.

Quadratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum eius substituitur, & ecclesiam grãdi terrore dispersam fide & industria sua congregat. Cúmque Hadrianus Athenis exegisset hyemem, inuisens Eleusina, & omnibus penè Græciæ sacris initiatus dedisset occasionem his, qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare Credentes, porrexit ei librum pro religione nostra compositum, valde vtilem, plenúmque rationis & fidei, & Apostolica doctrina dignum: in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens ait plurimos à se visos, qui sub Domino varijs in Iudæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, & qui à mortuis resurrexerant. Ita ille.

CREDENTES ID EST, CHRISTIANOS.

Ioannis Tritthemij verba, libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Quadratus Atheniensis post Publium martyrem Episcopus, sanctorum Apostolorum auditor quondam atque discipulus, vir constans, & incomparabilis doctrinæ, pro vtilitate Christianæ fidei multum laborans, multum profecit, & ecclesiam metu persecutionis dispersam ad vnitatem fidei congregauit. Cùm esset doctor insignis, scripsit inter alia pro Christianis ad Hadrianum Principem, plenum instructione Apologeticum librum vnum: & alia nobis incognita. Tandem pro fidei Catholicæ defensione passus est VII. Kalendas Iunij. Claruit sub

Hadriano principe, anno Domini centesimo vicesimo. Ita ille.

Superfuisse illam Quadrati orationem ad sua vsque tempora scribit Eusebius, lib. 4. historiæ, cap. 3. his verbis: Εἰσέτι δὲ φέρεται παρὰ πλείστοις τῶν ἀδελφῶν· ἀτὰρ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ σύγγραμμα. ἐξ οὗ καθιδεῖν ἔστι λαμπρὰ τεκμήρια τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας καὶ ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας. *Etiamnum apud multos fratrum hæc cōscriptio habetur: sed & penes nos est; ex qua illius viri licet intueri clara intelligentiæ & Apostolicæ rectitudinis indicia.* Satis hæc de scriptis: nunc ea consideremus, quæ de illo Græci in suo Menæo nobis reliquerunt. Sunt enim ea cùm ad sancti martyris laudem pulchra & gloriosa, tum Latinis adhuc ferè incognita.

CAPVT VII.

Menæi Græcorum de S. QVADRATO monumenta, & virtutum elogia.

Mense Septembri, die 21.

Μηνὶ Σεπτεμβρίῳ, κά.

Eadem die memoria sancti Apostoli Quadrati.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Κοδράτου.

Cultu negantem saxa donare impio
Saxis Quadratū saxei impetūt viri.

Λίθοις νέμειν θέλοντα μηδαμῶς σέβας
Τὸν Κοδρᾶτον βάλλουσιν ἄφρονες λίθοις.

Εἰκάδι δὲ πρώτῃ Κοδράτου στέφος εὔρατο ἄθλοις.
Lux bene Quadratum vicesima prima coronat.

Hic vir antiquus & multiscius Athenis atque Magnesiæ Domini verbum annuntiauit: multósq; suis illustratos documentis ad lucē cognitionis Dei adduxit. Vnde & Athenis procul à grege suo, persecutorum iniuriâ depellitur, dein priùs saxis appetitus, & igni probatus, pœnísq; alijs, tandem sub Ælio Hadriano martyrij palmam reportat.

Οὗτος ἀρχαῖος καὶ πολυΐστωρ ἀνὴρ ὑπάρχων, ἐν Ἀθήναις καὶ Μαγνησίᾳ τὸν λόγον τοῦ κυρίου κατήγγειλε· καὶ πολλοὺς φωταγωγήσας τοῖς δόγμασι πρὸς φῶς θεογνωσίας ἐπανήγαγεν. ὅθεν ἐξ Ἀθηνῶν τῆς αὐτοῦ ποίμνης ὑπὸ τῶν διωκτῶν ἀπελαύνεται. πρότερον λίθοις βληθεὶς, καὶ πυρὶ δοκιμασθεὶς, καὶ ποίναις ἄλλαις, ὕστερον δὲ ὑπὸ Ἀδριανοῦ τοῦ Αἰλίου τὸν στέφανον τοῦ μαρτυρίου κομίζεται.

ELOGIA.

I.

Cælestium gratiarum splendoribus in mundo collustratus es, ô Quadrate, tu luminare, diuinæ prædicationis radios cunctis prælucens. Eapropter

A.

Τῶν θεαρχίων χαρίτων ταῖς ἐπιλάμψεσι καταυγασθεὶς, ἐδείχθης ἐν τῷ κόσμῳ, Κοδρᾶτε, φωστὴρ πᾶσι προφαίνων ἀκτῖνας φαιδρὰς τοῦ ἐνθέου κηρύγματος. Καὶ διὰ τοῦτο τιμῶμέν σε οἱ πιστοί,

πιϛοὶ, ὡς Ἀπόϛολον καὶ Μάρτυρα.

te fideles vt Apostolum & martyrem honoramus.

B.

Σὺ τὰς εὐθείας πορείας βαδίσας ἔνδοξε, τῶν σκολιῶν ἐῤῥύσω τρίβων τῆς ἀσεβείας ἀνθρώπους πλανωμένους. ὅθεν πιστοὶ ἀπλανῆ σε δοξάζομεν καὶ ὁδηγὸν καὶ μεσίτην τῆς πρὸς θεὸν οἰκειώσεως, Ἀπόστολε.

2.

Rectas ingressus semitas, ô gloriose, ab obliquis impietatis tramitibus aberrantes homines reduxisti. Hinc te minimè errantem ducem & amicitiæ cum Deo conciliatorem nos fideles, ô Apostole, celebramus.

Γ.

Ὁ θαυμαστὸς ἐν ἁγίοις ὑπάρχων Κύριος· σὲ δὲ ἀφθόνῳ δόξῃ τῶν αὐτοῦ χαρισμάτων ἐδόξασεν ἐν κόσμῳ· καὶ τῶν ψυχῶν καὶ σωμάτων παρέσχετο θεραπευτὴν, ὦ Κοδρᾶτε, τοῖς εὐσεβῶς εὐφημοῦσί σε Ἀπόστολε.

3.

Mirabilis in Sanctis Dominus te copiosa gratiarum suarum gloria, in mundo cumulauit: & te piè celebrantibus, ô Quadrate Apostole, animarum curatorem & corporum exhibuit.

Δ.

Στεφηφορῶν τῷ βασιλεῖ τῶν δυνάμεων παρεστηκὼς, ἱκέτευε καταλαμπρύνεσθαι τοὺς τὴν μνήμην σου ταύτην φαιδρῶς ἐπιτελοῦντας, μάκαρ Ἀπόστολε.

4.

Qui Regi virtutum adstas coronatus, ô beate Apostole, eum deprecare, vt hanc tui memoriam hilariter concelebrantes illuminet.

E.

Οἰκοδομῶν τῷ θεμελίῳ τῆς πίστεως τῶν εὐσεβῶν τὸ πλήρωμα ὀχυρωτάταις σου διδαχαῖς, θεοφόρε, εἰδώλων τὴν ἀπάτην πᾶσαν κατέστρεψας.

5.

Super fidei fundamento piorum perfectionem solidissimâ tuâ doctrinâ ædificans, ô Deifer, omnem idolorum fallaciam subuertisti.

ϛ.

Ἱερουργῶν τὸ ἱερὸν εὐαγγέλιον ἱερωτάτοις λόγοις σου ψυχὰς τῷ κτίσῃ σου καθιέρωσας πίστει, ἀοίδιμε Κοδρᾶτε, σθένει τοῦ πνεύματος.

6.

Sanctum prædicans euangelium, sanctissimis tuis sermonibus animas creatori tuo, ô inclite Quadrate, per fidem, spiritus virtute consecrasti.

Z.

Τελῶν τὰ φοβερὰ, Κοδρᾶτε, θαύματα, ἀπίστους εἰς πίστιν θείαν ἐνῆγες, ὡς Ἀπόστολος θεόληπτος, ὡς σεπτὸς ἱεράρχης, ἱερώτατε.

7.

Horrenda patrans miracula, ô Quadrate sanctissime, infideles ad fidem diuinam velut diuinus Apostolus, velut Antistes venerandus adduxisti.

H.

Ἐνθέοις διδαχαῖς πολλοὺς ἐφώτισας. φωτὸς γὰρ διάκονος ἀνεδείχθης τοῦ φω-

8.

Multos diuina tua doctrina illuminasti. Nā administer lucis pa-

triam diuinis ſplẽdoribus illuſtrãtis factus es, ô Antiſtes Quadrate.

τίσαντες τὰ πάτρια, ἱεράρχα Κοδρᾶτε, θείαις λάμψεσιν.

9.

Maximorum extitiſti bonorũ conciliator, gregi tuo ignorantiæ ſuæ tenebras eximens, & inuſitatorum exhibitione miraculorum eum illuminans.

Θ.

Μεγίστων ἀγαθῶν ἀπῆρξας πρόξενος, τὴν ποίμνην ἐξαίρων ταύτης τὸ σκότος τῆς ἀγνοίας, καὶ φωτίζων αὐτὸν παραδόξων θαυμάτων ἐπιδείξεσιν.

10.

Magnum Apoſtolum & Chriſti antiſtitem, Quadratum illum glorioſum, inſpiratis à Deo hymnis celebremus. Fũdit enim quaſi è fonte ſibi cum fide ſupplicantibus noxarum remiſſionem, & morborum curationem, acceptâ ab altiſſimo vbere gratiê.

Ι.

Τὸν μέγαν Ἀπόστολον καὶ ἱεράρχην Χριστοῦ, Κοδρᾶτον τὸν ἔνδοξον, ἐν θεοπνεύστοις ᾠδαῖς πιστοὶ εὐφημήσωμεν. Βρύει γὰρ ὡς ἐκ κρήνης τοῖς ἐν πίστει αἰτοῦσιν ἄφεσιν ἐγκλημάτων, καὶ παθῶν θεραπείαν, λαβὼν ἐκ τοῦ ὑψίστου τὴν χάριν τὴν ἄφθονον.

11.

Excultâ cordium terrâ ſermonum tuorum falce, totam malicię ſiluam excidiſti.

ΙΑ.

Γηπονήσας τὴν ἄρουραν τῶν καρδιῶν δρεπάνῃ σου τῶν λόγων, τῆς κακίας ὕλην πᾶσαν ἐτέφρωσας.

12.

Inflexus miſeratione, ô ſancte Quadrate, è moleſtijs & periculis tibi ſupplicantes eximis.

ΙΒ.

Συμπαθῶς ἐπικλώμενος τῶν δυσχερῶν ἐξαίρεις καὶ κινδύνων, ἱερὲ Κοδρᾶτε, τοὺς αἰτουμένους σε.

13.

Facibus doctrinæ tuæ illuminans penitus obtenebratos, omnem aridum errorem exuſſiſti.

ΙΓ.

Ταῖς λαμπάσι τῶν λόγων σου φωταγωγῶν τοὺς πάνυ σκοτωθέντας, φρυγανώδη πᾶσαν ἀπάτην ἔφλεξας.

14.

Puram animam tuam Deus puriſſimum ſuæ tabernaculum gloriæ nactus, animas grauibus ſordidatas offenſis per te expurgat.

ΙΔ.

Τὴν καθαρὰν σου ψυχὴν ὁ καθαρώτατος Θεὸς σκήνωμα τῆς ἑαυτοῦ εὑράμενος δόξης, καθαίρει διά σου ψυχὰς ῥυπωθείσας δεινοῖς παραπτώμασιν.

15.

Græcorum ſapientes tuis victi ſapientibus doctrinis, ô beate, Chriſtum cõfiteri creatorem, Patris ingeniti ſapientiam & virtutẽ inducti ſunt.

ΙΕ.

Οἱ τῶν Ἑλλήνων σοφοί, συνηττηθέντες τοῖς σοφοῖς δόγμασιν, ὁμολογεῖν ἐπείσθησαν, μάκαρ, Χριστὸν δημιουργόν, Πατρὸς προανάρχου σοφίαν καὶ δύναμιν.

16.

Datam hominibus lucẽ à patre

Ις.

Ὑποφωνῶν ἱερῶς τὴν γενομένην τοῖς

βροτοῖς

βροτοῖς ἔλλαμψιν ἐκ τοῦ Πατρὸς τῶν φώτων, Κοδράτε, ἐφώτισας λαοὺς σέβειν καὶ δοξάζειν Τριάδα ἀχώριστον.

luminũ ſanctè prædicans, ô Quadrate, populis ad colẽdam & glorificandam incomprehẽſam Trinitatem præluxiſti.

ΙΖ.

Ὑψηλὸς οὐρανὸς ἐχρημάτισας, δόξαν διηγούμενος θεοῦ σωτήριον, ὡς ἱεράρχης ἔνθεος, ὡς κλεινὸς σὺ Κοδράτε Ἀπόστολος.

17.

Sublime cælum, ô Quadrate, extitiſti, ſalutarem Dei gloriam, vt diuinus Antiſtes, vt inclytus Apoſtolus, denarrans.

ΙΗ.

Μίαν φύσιν θεότητος ἄναρχον, μίαν κυριότητα κηρύττων, πάνσοφε, πολυθείας ἔλυσας, τὴν σκοτώδη, Κοδράτε, ἀπόνοιαν.

18.

Vnam Deitatis naturam principij expertem prædicans, tenebroſam multitudinis Deorum amentiam, ô ſapientiſſime Quadrate, diſſoluiſti.

ΙΘ.

Νόμῳ φύσεως, τάφῳ τὸ σῶμά σου, μάκαρ ἱερώτατε, νῦν κατακείμενον θαυματουργεῖ παράδοξα, ὑπὲρ φύσιν, Κοδράτε, καὶ ἔννοιαν.

19.

Corpus tuũ, ô beate ſanctiſſime Quadrate, iuxta naturę legẽ in tumulo poſitum, miracula ſupra naturã patrat, & ſupra intelligẽtiam.

Κ.

Ὡς ἱεράρχην τίμιον, καὶ ἀθλητὴν στερρότατον, ἡ οἰκουμένη προσάγει σοι, Κύριε, θεῖον Κοδράτον Ἀπόστολον, καὶ τοῖς ὕμνοις γεραίρει τὴν σεπτὴν αὐτοῦ μνήμην, αἰτοῦσα πάντοτε πταισμάτων ἄφεσιν δωρηθῆναι τοῖς μέλπουσιν Ἀλληλούϊα.

20.

Vt Antiſtitem honorabilem, & athletam fortiſſimum, tibi terra vniuerſa, o Domine, Quadratum offert diuinum Apoſtolum, eiúſque venerandam memoriã hymnis concelebrat, peccatorum cõdonationem ſemper indulgeri deprecans cantantibus Alleluia.

ΚΑ.

Τὸν σοφὸν ἱεράρχην τιμήσωμεν, ὡς ποιμένα πιστὸν καὶ διδάσκαλον, ὅτι ἐν τῷ λειμῶνι τῆς ἀθλήσεως ἐξήνθησε ῥόδον ἱερώτατον, καὶ ἡμᾶς τοὺς πιστοὺς κατεμύρισε βολαῖς θαυμάτων τε καὶ πράξεσιν ἐναρέτοις, φωτισμοῦ πληρώσας πᾶσαν γῆν ἰαμάτων ταῖς λάμψεσιν. Ἐθαυμάστωσε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς βοῶντας αὐτῷ, ἀλληλούϊα.

21.

Sapientẽ honoremus Pręſulem, vt fidum paſtorem & magiſtrum: ſiquidẽ in certaminis prato roſa effloruit ſanctiſſima, & nos fideles ſuos miraculorũ iactibus & virtutum actibus inunxit, terram vniuerſam per ſanitatum ſplendores luce replens. Mirificauit enim Deus acclamantes ei Alleluia.

ΚΒ.

Ὑψώσας τὸν νοῦν πρὸς τὸ πρῶτον ἀγαθὸν, θεοειδέστατος ναὸς Τριάδος ἐχρημάτισας, καὶ τοὺς ἐν βάθει κακώσεως ὕψωσας ταῖς ὑψηλοτάταις δι-

22.

Sublatã ad primum bonum mente, diuiniſſimum Trinitatis templũ factus es, & in profũdo iacẽtes malicię altiſſimã tuã doctrinã

nâ ſubleuaſti clamantes: Benedictus es Deus patrum noſtrorum.

δαχαῖς σου κραυγάζοντας· Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

23.

Contritis precationum tuarum machinâ idolorum fanis, ô ſanctiſſime, diuino ſpiritu tẽpla Deo excitaſti, & ſeruatorũ abs te multitudinem obtuliſti vociferantem: Benedictus es Deus patrum noſtrorum.

ΚΓ.

Συντρίψας ναοὺς τῶν εἰδώλων, προσευχῶν ἀναμοχλεύσεσιν, ἀνεδομήσω θείῳ πνεύματι ναοὺς θεῷ, ἱερώτατε, καὶ τῶν σωζομένων τὰ πλήθη προσήγαγες κραυγάζοντα: Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

24.

Ignem ſpirans, perinde quaſi in corde tuo ſemper diuinum Spiritus ignem contineres, ô ſapientiſſime, fax eſſe viſus es, omnem exſuccum errorem adurens, & illuminans clamantes: Benedictus es Deus patrum noſtrorum.

ΚΔ.

Πυρίπνοος ὤν, ὡς τοῦ πνεύματος τὸ πῦρ τὸ θεῖον, πάνσοφε, ἐν τῇ καρδίᾳ ἔχων πάντοτε, λαμπὰς ὤφθης φλογίζουσα πᾶσαν φρυγανώδη ἀπάτην, καὶ τοὺς βοῶντας φωτίζουσα. Εὐλογητὸς εἶ ὁ θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

25.

Firmatos habens ſuper ſpiritalem petram animę tuæ greſſus, ô beate Quadrate, Domini inimicos ſupplantaſti, & omnes te exaltantes in omnia ſæcula confirmaſti.

ΚΕ.

Ἐστηριγμένας ἐπὶ νοητὴν τὴν πέτραν τῆς ψυχῆς ἔχων τὰς βάσεις ὑπεσκέλισας μάκαρ τοὺς τοῦ κυρίου ἐχθρούς, καὶ πάντας Κοδρᾶτε ἐστήριξας τοὺς ὑπερυψοῦντάς σε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

26.

Tanquam Ieſu diſcipulus, tanquam illuſtris Apoſtolus, tanquã ſolis iuſtitię fulgor pellucidus, ô Quadrate, concelebrantes ſanctã tui memoriã colluſtra, ſanctifica.

ΚϚ.

Ὡς μαθητὴς τοῦ Ἰησοῦ, ὡς Ἀπόστολος φαιδρός, ὡς τοῦ ἡλίου τοῦ τῆς δικαιοσύνης φωτοφανὴς ἀστραπή, Κοδρᾶτε, φώτισον, ἁγίασον τοὺς ἐπιτελοῦντας τὴν σὴν ἁγίαν μνήμην.

27.

Ornatam virtutibus poſſidens animam, cor quoque verbo doctrinę exornaſti, cunctam idolomanię trangreſſionem adurens, in omnia ſęcula.

ΚΖ.

Κεκοσμημένην ἀρεταῖς κεκτημένος τὴν ψυχήν, καὶ τὴν καρδίαν κατεκόσμησας λόγῳ διδασκαλίας, ἐξαίθων ἀθεσμίαν ἅπασαν εἰδωλομανίας, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

28.

Mente ſpecioſus ſpecioſo Domino ſemper aſſiſtis, ô Quadrate, tãquam Antiſtes clariſſimus, tanquam diuinus Apoſtolus, cum omnibus Apoſtolis verè pacem mundo exorans.

ΚΗ.

Ὡραιωθεὶς διανοίᾳ, τῷ ὡραίῳ δεσπότῃ παρίστασαι φαιδρότατος ἀεί, ὡς ἱεράρχης θεόληπτος, ὡς Ἀπόστολος θεῖος, σὺν πᾶσιν Ἀποστόλοις ἀληθῶς τὴν εἰρήνην τῷ κόσμῳ Κοδρᾶτε ἐξαιτούμενος.

ΚΘ.

Σοῦ Μαγνησία κατέχει τῶν λειψάνων τὴν θήκην, ὡς θείαν κιβωτὸν, καὶ ἐξ αὐτῆς πᾶσαν, Κοδρᾶτε, ὠφέλειαν ἀπαρύεται πόθῳ· σκηναὶ δὲ οὐρανῶν τὴν σὴν ψυχὴν κεκτημέναι, σὺν πᾶσιν ἁγίοις ἐπαγάλλονται.

29.

Tuarum Reliquiarum capſam, velut diuinã arcam, obtinet Magneſia, ô Quadrate, & ex ea cunctam haurit deſiderio vtilitatem: cælorum autem tabernacula, quæ tuam poſſident animam, ſimul cũ omnibus ſanctis exultant.

Λ.

Ἡ φωταυγής σου ἡμέρα, ἡ φωσφόρος σου μνήμη, ἡ ὄντως εὐκλεής σου ἑορτὴ, πᾶσιν ὡς ἥλιος ἔλαμψεν, ἣν πιστῶς ἐκτελοῦμεν, Κοδρᾶτε, ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν δυσωποῦντες εὐχαῖς σου λαβεῖν, καὶ μέγα ἔλεος.

30.

Tuus ſplendidus dies, tui lucifera memoria, tua verè glorioſa celebritas, cunctis tanquã ſol illuxit; quam fideliter, ô Quadrate, colimus, peccatorũ propitiationem tuis precibus & magnam recipere exorantes miſerationem.

ΛΑ.

Ὡς μάρτυς καὶ ἀπόστολος καὶ ἱεράρχης ἔνθεος, Κοδρᾶτε, μύστα τοῦ Λόγου, Χριστοῦ κηρύξας τὸ θεῖον πανσόφως εὐαγγέλιον, πᾶσαν τὴν γῆν ἐφαιδρύνας, ἐκ πλάνης λυτρωσάμενος, τοὺς γηγενεῖς ἐκδιδάσκων τοῦ προσκυνεῖν τὴν Τριάδα.

31.

Tanquam martyr & Apoſtolus, diuinus Antiſtes, ô myſta Verbi Quadrate, diuino Chriſti euangelio ſapiẽtiſſimè prędicato, vniuerſam terram ab erroribus exoluens, & terrigenas Trinitatis adorationem edocens, exhilaraſti.

Hæc ſunt omnia, quæ de S. Quadrato nobis exhibet Menæum, ad diem 21. Septembris. In quibus cùm nihil difficultatis neceſſariò enodandę ſuccurrat, imus è veſtigio ad NOTATIONES.

NOTA-

NOTATIONES
IN VITAM
S. QVADRATI.
AD CAPVT PRIMVM.

QVADRATVS] A Græcis modò Κοδράτος, modò Κυαδράτος appellatur, sæpius tamē priore modo, vti sēper in Mæneo & Nicephoro, & nonnunquam in Eusebio. In cuius tamen Eusebij Chronico legitur Κυαδρᾶτος, quo modo & Sophronius Hieronymi interpres vertit in libro De viris illustribus, cap. 19.

Plures fuerunt hoc nomine viri sancti. Vnicum habet vetus Romanum martyrologium, tres nouum, & duos quidem vno eodémque die, nempe 26. Maij; tertium autem 21. Augusti. Vetus his verbis de nostro Scriptore: *Apud Athenas, QVADRATI, discipuli Apostolorum.* De quo nouum Romanum fusiùs, vt suprà, cap. 5. vitæ. De altero autem Quadrato, eodem die sic habet: *In Africa, sancti Quadrati martyris, in cuius solemnitate S. Augustinus sermonem habuit.* De tertio autem, qui est 21. Augusti, tribus verbis: *Itē S. Quadrati Episcopi.* Ad quę verba sic Baronius in Notationibus: *Hic sinè Episcopatus loci titulo, tam in veteri Romano martyrologio, quàm in vet. manuscripto hactenus positus reperitur, nec cuinam ecclesiæ præfectus fuerit, aliquis docet.* Vbi per *vetus Rom. martyrol.* non intelligit illud, quod noster Heribertus inuenit & edidit (nec enim illud vidit Baronius, quā uis admodum desiderauerit & requisiuerit) sed tantùm intelligit veterem editionē Romani ordinarij, vt ex adiunctis patet. Quod autem dicit neminem docere, cuinam ecclesiæ præfectus fuerit, nemo sanè tunc docebat; sed iam docet Franciscus Biuarius, vir egregiè doctus in commentario suo ad Flauij Dextri chronicon, anno Christi 139. docet, inquam, fuisse Episcopum Vliensem in Bætica, regione Hispaniæ, idque ex eodem Chronico, vbi anno iam dicto ita Dexter: *Vlia in Bætica floret S. Quadratus Episcopus.* Distat Vlia à Corduba quinque leucis, & hodie *Mōte-maior* appellatur. Vide Biuarium. Præter iam nominatos Quadratos, exhibet nobis Græcorum Menęum & tres alios, vnum Corinthium martyrem, ad diem decimam Martij: secundum in Oriente etiam martyrem vnà cum Theodosio, Emmanuele, & alijs quadraginta: tertium denique martyrem in Nicomedia ad diem septimā Maij. Protulit & ordo Cistertiensis vnum insignē Quadratum, de quo ita ipsorum Menologium ad VIII. Calend. Martij: *In Rutinensi diœcesi beatus Quadratus Abbas Bona-Vallis: qui reuelationibus & vita sanctimonia illustris feliciter migrauit ad Christum.*

b EVM ENIM ATHENÆ &c.] Fuisse Atheniensem ex Menologio suprà, & ex Flauio Dextro colligitur. Verba antè vitam posuimus. Conueniebat Atheniensibus tanti patriam suam & genus, quanti aliàs dictum est, facientibus, sub initia nascentis & adolescentis ecclesiæ dari Antistites ex ipsorum genere, sicut ante ipsum fuerant Hierotheus, Dionysius, & Publius. Quamuis enim hunc Publium aliqui existiment Melitenum fuisse, & eundem esse, qui in Melita insula excepit Paullum è naufragio, Actor. cap. 28. tamen non satis videtur probabile. Nam S. Dionysius Areopagita, vt in vita eius diximus, Neronis temporibus Athenis discedens Romam, Publium à se ibidem eruditū constituit successorem; non autem illum Melites insulæ principem, & ibidem Episcopum ab ipso Paullo cōstitutum ad se accersiuit, vt illi pro Melite insula (quæ inter Siciliam est & Africam, & nunc Malta vulgò appellatur) Atheniensem vrbem daret: cùm præsertim illius Publij Melitensis operā magis indigeret tota Melite insula (vtpote minus fide Christi exculta) quam vrbs Athenæ. Quarè mihi longè verisimilius videtur, omnes quatuor primos Athenarum Episcopos Athenienses fuisse: ibiq; aliquid ferè

Act. Apost. cap 18. ver. 7.

ferè simile accidisse, quod Hierosolymis, vbi multo tempore in S. Iacobi sede Iudæi Iudæis successerunt, nempe vsque ad Hadriani imperium. Vide Eusebij Chronicon ad eiusdem Imp. annum octauum.

c *EADEM FERE, QVA SS. POLYCARPVS ET PAPIAS ÆTATE*] Huius sententiæ sunt omnes, qui eum discipulum Apostolorum faciunt, & præsertim qui tenent ipsum fuisse illum Philadelphiæ Angelum, ad quem S. Ioannes nomine Christi Domini misit epistolam, Apocal. cap. 3.

d *INGENIO INTER ÆQVALES EXCELLENTI*] Pro testibus sunt Hieronymus ante vitam, & Græci in Menæo suprà, qui illum ob multam eruditionem *πολυΐστορα multiscium* appellarum.

AD CAPVT II.

a *AD PHILADELPHIÆ ANGELVM*] S. Quadratum fuisse Angelum seu Episcopum Philadelphiæ eo tempore, quo B. Ioannes scripsit Apocalypsin, ac proinde illum ibi designatum plurimi tenent, & olim tenuerunt. Petrus quidem Aureolus verba cap. 3. Apocalypseos interpretans, de S. Ioanne sic loquitur: *Sextò scribit S. Quadrato Episcopo Philadelphiæ, hortando ipsum & subiectam sibi ecclesiā ad perseuerantiam & longanimitatem.* Nicolaus autem Lyranus, ad illa verba, *Et Angelo Philadelphiæ*, scribit expositores communiter dicere, istum Angelum fuisse Quadratum. Eiusdem sententię est Brondus in cap. 3. Apocalypseos, disput. 3. quæst. vnica: vbi & hanc eius laudem annectit: *Fuit QVADRATVS*, inquit, *acutissimus ac disertissimus Philosophus, qui ex infidelitate ad fidem tempore primitiuæ ecclesiæ perueniens, Apostolorum discipulus extitit*, Denique nullum reperi, qui alium nominaret Philadelphiæ tunc Angelum, quam S. Quadratum. Qui enim illum non nominant, nullum nominant. Sed quod præcipuam vim habet ad persuadendum id, quod de S. Quadrato intenditur, est illa virtutum Angeli Philadelphię tota series ab Apostolo recitata, quę in neminem meliùs quadrat, quàm in Quadratum. Illi enim procul à patria modicam habenti virtutem siue potentiam (est enim græcè *δύναμις potentia, robur*, nō *ἀρετὴ virtus* quæ propriè ad animum spectat, & eius honestatē denotat) illi inquam, non magnam ab amicis, aut opibus, aut corporis viribus habenti potentiam, aperuit Christus ostium ad prædicationem euangelij in terra aliena, quod nemo potuit claudere: quia nemo impedire potuit prędicandi verbi Dei potestatem, quam illi Dominus præbuit: quemadmodum in vita ipsa expressimus. Sic autem prædicauit, vt nec timore vllo deterritus abstinuerit, neque Dei & Christi nomen quibuslibet tentatus modis aut tormentis negauerit. Hoc est enim quod dicit Christus: *ET SERVASTI VERBVM MEVM, ET NON NEGASTI NOMEN MEVM.* Apocal. cap. 3. ver. 8. Quod autem addit se facturum, vt veniant falsi Iudæi, & adorent ante pedes eius, id est, vt ab eo vincantur, & victi illum suspiciant, honorent, & quasi Deum adorent, hoc fecit Dominus, cùm QVADRATO facultatem prębuit miraculorum, & donum prophetiæ, quæ Iudæi videntes & admirantes sese illi submiserunt, atque Dei loco susceperunt. Hæc enim sunt, quæ apud Iudæos atque Gentiles plurimum semper habuerunt momēti ad sanctitatis aut diuinitatis ingenerandam existimationem. Sic olim, cùm Paullus Apostolus virum quēdam Lystris infirmum pedibus, & claudum ex vtero matris suę, qui nunquam ambulauerat, solo imperio curasset, existimatus est abijs qui miraculum viderant, esse Deus. Sic enim de hoc facto S. Lucas in Actis Apostolorum c. 14. versu 10. & deinceps: Actor. 14. ver. 10. *Turba autem cùm vidissent, quod fecerat Paullus, leuauerunt vocē suam Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paullum verò Mercurium, quoniā ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas offerens cum populis volebat sacrificare.* &c. Sic eundem Paullum in Melita insula, eò quòd à vipera nihil læsus esset, quæ manum eius inuaserat, existimarunt incolæ illius insulæ ipsum Deum esse, vt refertur in ijsdem Apostolorum Actis, cap. 28. vbi sic de illo inter alia: *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes, se dicebant eum esse Deum.* Actor. 28. ver. 5. Ita & S. Polycarpus propter miracula in restinguēdis sola precatione incendijs existimatus est Deus. Vide in vita eius suprà, cap. 8. pag. 494. Iam autem B. QVADRATVM claruisse gratia miraculorum, plurima sunt Græcorum in suo Menęo testimonia, quę suprà retulimus, in elogijs 3. & 7. & 9. & 10. & 19. & 23.

Illa quoque eiusdē Apocalypseos verba: Actor. 3. ver. 9. *ET SCIENT, QVIA EGO DILEXI TE*, eidem QVADRATO aptissimè congruunt, tam ob donum prophetiæ, quo fuit ab eo honoratus; quàm ob singulare præsidium, quo temporibus difficillimis munitus fuit, & quo diuina dicendi vi ad persecutionis sedationem Hadrianum Imp. permouit, vt cap. 4. vitæ explicatum est. Dono autem prophetię ornatum fuisse QVADRATVM testis est Eusebius citatus ante Vitam, & antiquior ipso Eusebio quidam alius insignis Scriptor, apud eundem Eusebium lib. V. hist. eccl. cap. 17. qui vetus Scriptor in refutatione

tione hæreseos Cataphrygum se prophetandi spiritum habere fingentium, re autem vera insanientium, sic in illos scribit, & veris ecclesiæ prophetis dissimillimos ostendit: Τοῦτον δὲ τρόπον, οὔτε τινὰ τῶν κατὰ τὴν παλαιάν, οὔτε τῶν κατὰ τὴν καινὴν [διαθήκην] πνευματοφορηθέντα προφήτην δεῖξαι δυνήσονται· οὔτε Ἄγαβον, οὔτε Ἰούδαν, οὔτε Σίλαν, οὔτε τὰς Φιλίππου θυγατέρας, οὔτε τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, οὔτε Κοδρᾶτον, οὔτε ἔτι τινας ἄλλους μηδὲν αὐτοῖς προσήκοντας καυχήσονται. *Isto autem modo spiritu agitatum prophetam nec in vetere, nec in nouo* [testamento] *vnquam ostendere poterunt: non Agabum, non Iudam, non Silam, non Philippi filias, non Ammiam illam ex Philadelphia, non Quadratum, non alios denique, qui ipsorum non sint, iactabunt.* Sic apud Eusebium lib. dicto, cap. 17. in græcis exemplaribus; in latinis autem cap. 16.

Ex his igitur, quæ hic, & in vitæ contextu produximus, satis agnosci potest sententiæ illius probabilitas, quæ docet S. QVADRATVM fuisse illum Philadelphiæ Angelum, ad quē Dominus ipse IESVS Christus dictauit S. Ioanni epistolam, quæ capite 3 Apocalypseos continetur. Nec minimi æstimandus est communis expositorum S. Scripturæ consensus, quocumque tempore is fuerit (sicut fuisse de hoc loco sua ætate testatus est Nicolaus Lyranus supra) præsertim vbi nihil directè in contrarium afferri possit, quod necessariò consensum illum euertat: vti hactenus nihil contra hunc allatum est, cum & hodie à multis ea opinio teneatur.

AD CAPVT III.

a QVI DEMVM CVNCTIS PERFECTE CONSTITVTIS &c.] Discipuli & sectatores Apostolorum hausto magistrorum suorum spiritu, toti fuerunt in repræsentanda eorum vita, & in cursu laborū ac peregrinationum, per euangelii prædicationē, imitando. Quemadmodum igitur Apostoli, fundata quadamtenus alicubi ecclesia, cōstituto ibidē episcopo ad alia migrabant loca, idémque in iis faciebant: ita & illis mortuis ipsorū fecerūt discipuli; præsertim ii qui rariora quædā charismata diuinitus receperāt, vt prophetiæ, miraculorū, aliaque eiusmodi. Quod ipsum Eusebius lib. 3 hist. c. 31. indicat, & quidem proxime postquam de S. QVADRATO, in eodem cap. egit: ita vt nihil mirum videri debeat, nec de ipso QVADRATO, nec de Hierotheo, nec de Dionysio, nec de aliis multis, quòd loca sæpius mutauerint, & pluribus in locis episcopatum tenuerint: immo si id nō fecissent, hoc mirum videri deberet. Quamuis enim ii fuerint Apostoli, vt *in omnem terram exiuerit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba* *Psal. 18. ver. 5.* *eorum*, hoc est, vt eorum euangelii prædicatio ad præcipuas orbis habitabilis partes peruenerit, seu Orientem versus, seu versus Occidentem, seu ad aquilonem, seu ad austrum, & sementem suam in Asia, Africa, Europa, & in variis earundem regionibus fecerint, tamen plurima etiam loca vel non adierunt (quo enim modo tam exiguis vitæ huius terminis potuissent omnia?) vel haud satis culta reliquerunt. Hæc igitur, qui illis succedebant & alteri Apostoli habebantur & vocabantur, (sicut de S. Quadrato in superioribus notum est) vel adibant ipsi, si poterant, vel si non poterant, alios cum potestate mittebant. Interdum etiam multis regionibus peragratis, ad eas reuisendas, quas pridem reliquerant, reuertebantur. Hoc enim & Apostolos fecisse, & Paullum Barnabæ olim dicere meminerāt, (quod in Actis est) *Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.* Et *Act. Apost. cap. 15. ver. 36.* hoc sanè perquam sapienter. Videndum enim erat, si iacta semina radices agerent: attendendum erat, ne dormientibus hominibus veniret inimicus, *& superseminaret zizania in medio tritici*, seu ne hominibus in fide *Matthæi 13. v. 25.* & pietate tepescentibus, & in salutis negotio velut obdormiscentibus, paulúmque ad pericula attentis, adueniret aliquis qui hæreses & prauas opiniones in medio piorum cœtu superseeret. Denique magno labore parta, non minori diligentia seruanda erant. Verum enim est illud hominum sermone vulgatissimum:

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

b A PVBLIO HORVM SVCCESSORE &c.] S. Publium B. Dionysio Areopagitæ in Episcopatu Atheniēsi successisse testis est martyrologium Rom. ad diem 21. Ianuarii, his verbis: *Athenis, natale S. Publii Episcopi, qui post S. Dionysium Areopagitam, Atheniensium ecclesiam nobiliter rexit, & præclaris virtutibus ac doctrina præfulgens ob Christi martyrium gloriose coronatur.* Totidem ferè verbis est in Vsuardo. In vetere Romano Heriberti est: *Athenis, S. Publii Episcopi: qui Militenus à Paullo Episcopus ordinatus est.* Sed illud posterius membrum, *qui Militenus* &c. videtur adiectitium ex Adone, & esse falsum, vti ad cap. 1. annotaui. Nec enim Publius Melites insulæ Episcopus, (in qua insula maior erat eius necessitas, quàm Athenis) sua diœcesi relicta trāsisset ad aliam minùs suâ operâ indigentem. In magna etiam Athenarum necessitate non transisset Dionysius aliò, sed cùm haud adeo magna necessitas esset, haberétque apud se Publium (non illum Melitensem, sed alium Atheniēsem) tunc illo sibi substituto in Galliam demigrauit. Nam aliàs Romanum martyrologium ordinarium (quòd præcipuas solet laudes

des perstringere) non reticuisset illum Publium fuisse S. Paulli discipulum, & eum qui sit in Actis Apostolorum memoratus, & qui antè Episcopus Melitenus fuisset, si quidem id in vetere Romano fuisset. Solet enim veteri Romano addere, non detrahere. Quid enim ei detraheret, quod, teste S. Gregorio Papa, tantùm nomina martyrum, & locum, ac diem passionis continebat. Verbi gratia, de S. Publio sic:

XII. Kal. Febr. Athenis, S. Publij Episcopi.

Vide verba S. Gregorij Papæ in epist. XXIX. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, lib. VI. Indict. 1.

De eodem vetere Rom. martyrologio, sic Baronius in Prolegomenis ad Martyrol. Rom. cap. VIII. *Hoc ipsum simplex absque alio additamento Romanum martyrologium, idemque perbreue, in quo tantum nomina martyrum, locus, ac dies passionis positi habentur, est illud ipsum, cuius meminit Ado.* scilicet est vetus Rom. martyrologium.

c *ACOETIBVS ET CHRISTIANÆ DISCIPL. EXERCITIIS DESVESCENS*, &c.] A morte Publij cœpisse Christianos Athenienses feruorem spiritus remittere, & in exercitio pietatis ac fidei languescere, testatus est S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, in epistola ad Athenienses data, de quâ sic Eusebius in recensione epistolarum eius, lib. 4. hist. cap. 22. & græcè 23. Ἡ δὲ πρὸς Ἀθηναίους διεγερτικὴ πίστεως, καὶ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας. ἧς ὀλιγωρήσαντας ἐλέγχει, ὡς ἂν μικροῦ δεῖν ἀποστάντας τοῦ λόγου, ἐξ οὗπερ τὸν προεστῶτα αὐτῶν Πούπλιον μαρτυρῆσαι κατὰ τοὺς τότε συνέβη διωγμούς. *Quam verò ad Athenienses misit, ea fidem exsuscitabat & euangelicæ vitæ disciplinam, cuius ita negligentes fuisse arguit, vt parum abfuerit, quin a Dei doctrina descisserent ex eo tempore, quo Publium ipsorum Episcopum in persecutionibus tum grassantibus contigit obire martyrium.*

S. Dionysij Corinth. Episc. epist. ad Athen.

Quod autem S. QVADRATVS dicti Publij in sede Atheniensi successor propè collapsam rem restituerit, comprehendit in eadem epistola idem Dionysius Corinthiorum Episcopus (malè apud Baronium tomo 1. annal. Christi 98 in fine legitur Dionysius Alexandrinus) hisce verbis: Κοδράτου δὲ, μετὰ τὸν μαρτυρήσαντα Πούπλιον, καταστάντος Ἐπισκόπου αὐτῶν μέμνηται, ἐπιμαρτυρῶν ὡς διὰ τῆς αὐτοῦ σπουδῆς ἐπισυναχθέντων, καὶ τῆς πίστεως ἀναζωπύρησιν εἰληχότων. *De QVADRATO etiã, qui post Publium martyrio coronatum consecratus est Episcopus, mentionem facit; attestans eius studio Athenienses ad ecclesiam recollectos, atque ad fidei ardorem resuscitatos.*

Reliqua huius capitis liquida sunt è Menæo suprà, & ex his quæ paullò antè ad caput 2. annotaui.

AD CAPVT IV.

Actum est in eo capite, de Hadriani Imp. persecutione, & de S. QVADRATI ad eam sedandam insigni opera, & fructuosa industria.

a HADRIANO IGITVR SEV VOLENTE, SEV CONNIVENTE, &c.) Hęc vt de Hadriano Imp. dici meritò possent, fecit eius morum varietas atque inconstantia. Nam penitus ignorasse suscitatam suo tempore persecutionem, pręsertim tam grauem, ac tam multis in locis sæuientem haud facile est creditu. Cognouisse autem & permisisse, sed postea prohibuisse, (acceptis nimirum libris, quibus persecutorum iniquitas simul & Christianorum innocentia vulgabatur) id admodum credibile facit, quòd veteres Scriptores eum modò sæuum, modò clementem describant, ac moribus varium. Ac Dio quidem Cassius libro 69. exprimit nominatim claros viros, quos statim vt adeptus est imperium iussit occidi: quamuis vt eius facti auerteret inuidiam, interposito iureiurãdo negauerit eos iussu suo fuisse interfectos. Quòd si potentissimi & præclarissimi viri iniussu eius interfecti fuerint: idem & multò magis posset de Christianis credi. Verùm vt isti non eo saltem inuito occisi sunt (alioqui enim in occisores animaduerti imperasset) ita & de Christianis iudicari licet. Postquam autem idem Dio nonnulla retulit, quæ in eo reprehendebantur, addit: ᾐτιῶντο μὲν δὴ ταῦτά τε αὐτοῦ, καὶ τὸ πάνυ ἀκριβὲς, τό τε περίεργον, καὶ τὸ πολύτροπον. *Reprehendebant quidem & illa eius, & quòd nimis exactus inquisitor esset, & curiosus, & moribus varius.* Porrò istam morum varietatem in Hadriano egregiè descripsit Spartianus in media eius vita, his verbis: *Idem seuerus, lætus; comis, grauis; lasciuus, cunctator; tenax, liberalis; sæuus, clemens; simulator & semper in omnibus varius.* Ita illum locum aliàs turbatum & malè interpunctum, & peius à Claudio Salmasio correctum aut corruptum potiùs, suæ integritati restituo. Nam olim sic erat: *Idem seuerus, lætus; comis, grauis: lasciuus, cunctator: tenax, liberalis: simulator: sæuus, clemens: & semper in omnibus varius.* Vbi vox *simulator* extra locum suum proiecta erat. Nã proprius eius locus est post vocem *clemens*, quo illam reposui. Sic enim maximè concinna efficitur oratio, ex singularum vocum antithesibus: & post antitheses ea optimè coniunguntur, quæ eodem spectant: nempe *simulator & semper in omnibus varius.* Nam & Sallustius longè anteà, in descriptione Catilinæ, illa ipsa inter sese, licet ordine inuerso (qui ad rem nihil attinet) copularat. Sic enim dixit: *Animus audax, subdolus, varius,*

cuius

cuiuslibet rei simulator ac dissimulator. &c. Iam vero Salmasius legendo & distinguendo sic: *tenax, liberalis simulator: saeuus, clemens & semper in omnibus varius.* facit vt de hac sua distinctione dici possit, quod ipsemet de altera dicebat: *Pessimè interpunctus hic locus.* Reddit enim orationem inconcinnam, obscurā, ab auctoris sensu & ipsa veritate alienam. Facit enim Salmasius vocem *liberalis* esse genitiui casus, & regi à *simulator*, quasi Hadrianus dicatur fuisse simulator hominis liberalis. Ita & antithesim corrumpit, quæ est inter *tenax & liberalis* (nec enim *tenax, & liberalis simulator*, sunt antitheta, vt pueri norunt) & facit, vt videatur Hadrianus dici tantùm vnius virtutis fuisse simulator, cùm fuerit multarum. Nam & clemens voluit videri, atque hoc præcipuè quidem (vt iusiurandum paullò antè positum testis est) & facilis, & continens, teste Sexto Aurelio Victore: cuius hæc sunt verba de eodem ipso Hadriano: *Varius, multiplex, multiformis, ad vitia atque virtutes quasi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens: ingenium inuidum, triste, lasciuum & ad ostentationem sui insolens callide regebat: continentiam, facilitatem, clementiam simulans.* Ecce igitur bonus ille Auctor adeo diuersus est à Salmasio, vt liberalitatis (cuius hic singulariter simulatorem fuisse vult Hadrianum) ne meminerit quidem; alias autem virtutes, quarum fuerit præcipuè simulator, commemorarit. Ego quidem apud Spartianum vocem *simulator*, generatim accipiendam esse existimo, vt nō tantùm ad actiones virtutum se extendat; sed etiam ad res medias, & quas vocant indifferentes: sicut dum quis aliquid se nolle simulat, quod maximè vult; aut velle, quod non vult. Quo modo Augustus Caium ac Lucium Cæsares, *necdum posita puerili prætexta principes iuuentutis appellari & destinari consules, specie recusantis*, vt Tacitus loquitur, *flagrantissime cupiuerat.* Iam ergo cùm talis esset Hadrianus, qualem ostendimus, & inter alia, iam sæuus, iam clemens, itémque simulator, & semper in omnibus varius; nihil sanè mirum, si modò sæuiri in Christianos permiserit; modò prohibuerit, modò dissimulārit.

Tacitus lib 1 Annal. initio.

b *MVLTIS LOCIS IN CHRISTIANOS SAEVITVM EST*] In Armenia quidem feruntur decem millia Christiani fuisse crucifixi. De quibus ita Flauius Dexter anno Christi 134. *Decem mille martyres in Ararath, magistro & socio Hermolao Archiepiscopo Toletano.* De iisdem ita M. Maximus extremo suo Chronico: *Celeberrima est in Hispania memoria decem mille militum in Ararath passorum, magistro & socio Hermolao Toletano Archiepiscopo, qui eos imbuit in fide & animauit.* De iisdē ita Rom. Martyrologiū 22. Iunij: *In monte Ararath, passio sanctorum martyrum, decem millium crucifixorum.* Vide ibi Notationem Baronij hanc historiam propugnantis.

In Syria sub eodem Hadriano passi sunt Thatuel & socij martyres: de quibus ita Rom. martyrol. ad 4. Septembris: *Eodem die sanctorum Thamelis antea idolorum sacerdotis, & sociorum martyrum sub Hadriano Imp.* Vocat Baronius in Notat. *Thamuelem.* Sed loco vtriusque tam *Thamelis*, quàm *Thamuelis*, corrige *Thatuelis.* Sic enim habent Menæum & Menologium, vnde ista desumpta sunt.

De alijs in Lusitania & Hispania pro fide mortem passis, vide Dextrum ad Christi 134. & 138. De ijs autem qui in Italia & alibi, vide martyrologium Rom. ad 15. Februarij, ad 10. Iunij, ad 20. Septemb. & Adonem ad 27. Iunij.

c *QVARTA PERSECVTIO*] De hac ita Sulpitius Seuerus lib. 2. sacræ histor. *Quarta sub Hadriano persecutio numeratur: quam tamen postea exerceri prohibuit, iniustum esse pronuntians, vt quisquam sine crimine reus constitueretur.*

d *QVAM LICET NONNVLLI ELEVENT*] Eleuant Hadriani persecutionem, adeóque nullam faciunt Tertullianus & Augustinus, quandoquidem in persecutionum recensione eam prætereant. Nam ille quidem in Apologetico, cap. V. inter Christianorum persecutores, qui ante sua tempora fuerunt, solos nominat Neronem & Domitianum, & ex parte Traianum, excipit autem Hadrianum. *Quales ergo leges istæ,* inquit, *quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, truces, vani, dementes! quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quanquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespasianus, quanquam Iudæorum debellator; nullus Verus impressit.* S. Augustinus verò, lib. XVIII. De ciuitate Dei, cap. LII. refutans eorum opinionem, qui tenebant eius tempore, nullam fore amplius in ecclesia persecutionem, nisi solius Antichristi, quæ esset vndecima, *Primam quippe,* inquit, *computant à Nerone, quæ facta est: secundam à Domitiano, tertiam à Traiano, quartam ab Antonino, quintam à Seuero.* &c. Itaque præteritur illa quæ fuit sub Hadriano, & ponenda erat post Traianum, ante M. Aurelium Antoninum. De hoc enim intelligendus est Augustinus, non de Antonino Pio, licet magis absolutè vocandus Antoninus esset (vtpote primus ex Antoninis Imperator, & maximè pius, vnde & illi agnomen) quàm ille alter ab Augustino nominatus.

e *QVOD EAM HIERONYMVS GRAVISSIMAM*] Hieronymi testimonium, in quo Hadriani persecutionem nominat grauissimam, extat suprà ante vitam: vbi de QVADRATO ait, *Et tantæ admirationi omnibus*

nibus fuit, vt persecutionem grauissimam illius excellens sedaret ingenium. Crudelem fuisse Hadrianum in Christianos *initio* sui imperij, notat Baronius anno Christi 120. Hadriani 1. *Hadrianus igitur*, inquit, *ipso imperium ingressu, etsi erga omnes Romano subiectos imperio optimum Principem, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem: eo nimirum consilio vt pœnarum atrocitate atque sæuitia, à pietatis cultu & religione, quam susceperant, abstinerent.* Ita ipse: qui & exemplum subijcit de S. Eustachio cum vxore & filijs in bouem igne candentem immisso. De quibus ita Romanum Martyrologium, die 20. Septemb. *Romæ, passio Sanctorum Martyrum Eustachij & Theopistæ vxoris eius, cum duobus filijs Agapio & Theopisto: qui sub Hadriano Imp. damnati ad bestias, sed Dei ope ab ijs nil læsi in bouem æneum candentem inclusi martyrium consummarunt.* Et quidem quòd istam crudelitatem assignet Baronius initio eius imperij, licet id non videatur ijs consonare, quæ de illo perscribit Spartianus in hanc formam: *Tantum autem clementiæ studium habuit; vt cùm sub primis imperij diebus ab Tatiano per epistolas esset admonitus, vt & Bæbius Macer, Præfectus vrbis, si reniteretur eius imperio, necaretur; & Laberius Maximus, qui suspectus imperio in insula exulabat, & Frugi Crassus; neminem læderet. Quamuis Crassum postea procurator egressum insula, quasi res nouas moliretur, iniussu eius occiderit*, licet, inquam, non videatur id, quod scribit Baronius, istis Spartiani verbis consonare; tamen Dionis Cassij fortiore auctoritate firmari potest, qui hæc de illo memorat: Ἀδριανὸς δὲ καίτοι φιλανθρωπότατα ἄρξας, ὅμως διὰ τινας φόνους ἀρίστων ἀνδρῶν, οὓς ἐν ἀρχῇ τε τῆς ἡγεμονίας, καὶ πρὸς τῇ τελευτῇ τοῦ βίου πεποιήκει, διεβλήθη· καὶ ὀλίγου διὰ ταῦτα οὐδὲ εἰς τοὺς ἥρωας ἀνεγράφη. *Hadrianus autem, quanquam humanissimè imperauit; tamen propter cædes quasdam præstantissimorum virorum, quas tam in principio imperij, quam in extrema vita edidit, insimulatus est: parumque abfuit, quin eam ob caussam, ne in heroum quidem numerum referretur.* Deinde ibidem refert, quos statim, vt adeptus est principatum, interfici iusserit. Vide apud ipsum initio libri LXIX. Quo etiam extremo scribit illum propter dictas caussas in suorum venisse odium, licet ad cædes minimè esset procliuis. En verba: Οὕτως ἐμισήθη μὲν διὰ τοὺς πρώτους καὶ τελευταίους φόνους, ἅτε ἀδίκως καὶ ἀνοσίως γενομένους· ἐπεὶ οὕτως ἥκιστα φονικὸς ἐγένετο. *Is in odium venit propter primas & postremas cædes, quas iniustè & impiè admisit: cum alioqui minimè sic esset ad eas propensus.*

Denique hæc omnia eò iuuant, vt intelligamus, quemadmodum acciderit vt etiam sub Principibus minimè suapte natura ferocibus infestati fuerint Christiani: nempe eorum, qui plurimum apud illos poterant, impulsu atque calumnijs.

f *EDICTVM QVIDEM IMP.&c.*] Nullum extitisse aduersus Christianos edictum Hadriani Imp. liquet è verbis Tertulliani & Augustini supra laudatis. Si enim aliquod extitisset; caussa nulla fuisset, quamobrem extra numerum persecutionum ab ipsis hæc persecutio relinqueretur; aut cur edicti illius nulla apud vllum historicum relicta esset memoria.

g *QVVM ENIM ILLVM PENE OMNIA GRÆCIÆ SACRA &c.*] Hoc partim è Chronico Eusebij, partim ex Hieronymi libro De Scriptoribus ecclesiasticis, in Quadrato liquet.

Verba Hieronymi post vitam Quadrati reperies, vbi dicit Hadrianum penè omnibus Græciæ sacris initiatum: & rem valde credibilem facit eius quanta maxima in rebus omnibus curiositas. Spartianus in eius vita: *Post hæc*, inquit, *per Asiam & insulas ad Achaiam nauigauit, & Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit: multa in Athenienses contulit, & pro agonotheta resedit. Et in Achaia quidem illud obseruatum ferunt: quod cùm in sacris multi cultros haberent, cum Hadriano nullus armatus ingressus est. Post in Siciliam nauigauit, in qua Ætnam montem conscendit, vt solis ortū videret arcus specie, vt dicitur, varium.* Ita ille. Vbi insinuatur etiam Achaiæ sacris interfuisse Hadrianum.

Suscipere sacra, & initiari sacris, pro eodem vsitata cernimus tam è Spartiano hîc, quàm è Tullio in Vatinium, vbi sic: *Et cùm inaudita ac nefaria sacra susciperis* &c. Ita & è Græcis vsurpatur μυστήρια παραλαμβάνειν & μυεῖσθαι, vt patet ex sequentibus.

h *ATQVE ETIAM ATHENIS, VBI IAM HIEMABAT*] Eusebius in Chronico ad annum Hadriani VII. *Cephisus fluuius*, inquit, *Eleusinam inundauit, quem Hadrianus pontem coniungens Athenis hiemem exegit.* Ad VIIII. autem: *Hadrianus sacris Eleusinæ initiatus multa Atheniensibus dona largitus est.* Denique ad annum XV. *Hadrianus Athenis hiemem exigens Eleusina inuisit.* Sic habet MSS. codex Amandinus, & bene. Alij autem omnes, qui habent Eleusinam, corrigendi sunt. Erroris enim ex græco conuincuntur, qui habet: Ἀδριανὸς παραχειμάζων ἐν Ἀθήναις τὰ Ἐλευσίνια ἐπόπτευσε. *Hadrianus hiemans Athenis Eleusinia inuisit.* Dicitur autem vtrumque Eleusinia & Eleusina, numero plurali. Qui autem scripserunt Eleusinam, putarunt esse singularis numeri & propterea adiecerunt litteram m. vt esset concinna oratio: quidam Eleusina ibi crediderunt esse accusatiuum singularem

ab Eleusis Eleusinos. Sed hoc vrbem significat: Eleusinia vero vel Eleusina in plurali sũt ipsa sacra de quibus hic agitur, & quibus conuenit vox ἐποπτεύειν *inuisere, inspicere.* & ἐπόπται *inuisores, inspectores*, hoc est, ij qui pridem minoribus sacris initiati demũ quinto pòst anno ad inuisenda maiora mysteria admittebantur: quamuis indultum quibusdam, vt citiùs, immo & eodem subinde anno, quo initiati fuerãt: vti Demetrio Regi permissum scribit Plutarchus in eius vita, his verbis: τότε δ' οὖν ἀναζευγνύων εἰς τὰς Ἀθήνας ἔγραψεν, ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Τοῦτο δὲ οὐ θεμιτὸν ἦν, οὐδὲ γεγονὸς πρότερον· ἀλλὰ τὰ μικρὰ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἐτελοῦντο· τὰ δὲ μεγάλα Βοηδρομιῶνος· ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. *Tum igitur Athenas repetens scripsit se velle illuc reuersum statim initiari & omnia mysteria à paruis vsque ad epoptica suscipere. Hoc autem fas non erat, neque adhuc factum. Nam parua peragebantur mense anthesterione: magna autem boedromione. Inuisebant autem interiecto minimum à magnis anno.*

Nota illud *interiecto minimùm à magnis anno.* Quia postquam magnis mysterijs initiati erant, annum vnum expectabant, priusquam ipsa mysteria inuiserent: ac tũ ἐπόπται & ἔφοροι appellabantur: antea verò tantùm μύσται vocabãtur. Vnde Suidas: Οἱ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύσται. μετ' ἐνιαυτὸν δὲ ἐπόπται καὶ ἔφοροι. *Suscipientes mysteria vocantur initio mystæ: post annum verò epoptæ & ephori, id est, inspectores, inuisores.*

Innuit autem Tertullianus initio libri *Contra Valentinianos*, à prima initiatione vsque ad inspectionem interijci solitum quinquennium, dum ita scribit: *Nam & illa Eleusinia, hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco aditum prius cruciant: diutius initiant, quam consignant: cùm epoptas ante quinquennium non instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent: atque ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem.*

Initiatus fuit his sacris Octauius Augustus Imp. de quo ita Suetonius in eius vita, cap. 93. *Peregrinarum cærimoniarum sicut veteres ac receptas reuerentissimè coluit; ita ceteras cõtemptui habuit. Namque Athenis initiatus, cùm postea Romæ pro tribunali de priuilegio sacerdotũ Atticæ Cereris cognosceret, & quædam secretiora proponerentur, dimisso concilio & corona circumstantium, solus audijt disceptantes. At contrà non modò in peragranda Ægypto paullùm deflectere ad visẽdum Apim supersedit: sed & Caium nepotem quòd Iudæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudauit.* Sic ille. Adeo tum Eleusinia etiam apud exteras gentes, non intra Græciam modò, æstimabantur! Permagni ea fecerunt & alij Imperatores, etiam Nero Claudius, sed post occisam à se matrem, & alia commissa flagitia, horrendis conscientiæ stimulis agitatus, tam sanctis (vt quidem putabat) sacris interesse horruit. Testis idem Suetonius cap. 34. qui & furias conscientiæ, & Eleusiniorum horrorem iunctim memorat. *Neque tamen sceleris conscientiam*, inquit, *(quanquam & militum & senatus, populique gratulationibus cõfirmaretur) potuit vnquam postea ferre, sæpe cõfessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos sacro euocare manes & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusinijs sacris, quorum initiatione, impij & scelerati, voce præconis submonerentur, interesse non ausus est.* Hæc ibi. Præconis porro voces erant hæ aut similes:

—— ἑκάς, ἑκάς, ὅστις ἀλιτρός.

Procul hinc, procul este nocentes.

—— ἑκάς, ἑκάς ἐστε βέβηλοι.

Procul hinc, procul este profani.

i SVNT AVTEM ELEVSINIA, CERERIS MYSTERIA] Nihil aliud erant Eleusinia, quàm sacra quædam Eleusine, oppido Atticę, in honorem Cereris ob allatas ab ea fruges, & vitam cultiorem introductam instituta, in quibus ipsa rei gestæ imago repræsentabatur. De quibus ita Arnobius lib. 5. sub finem: *Eleusina illa mysteria & sacrorum reconditi ritus cuius memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquisitione Ceres fessa oras vt venit ad Atticas triticeas attulit fruges:* Desumpta autem hæc videntur ex Isocratis panegyrico sub initium, vbi ita scribit: Δημήτρος γὰρ ἀφικομένης εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὅτ' ἐπλανήθη τῆς κόρης ἁρπασθείσης, καὶ πρὸς τοὺς προγόνους τοὺς ἡμετέρους εὐμενῶς διατεθείσης ἐκ τῶν εὐεργεσιῶν, ἃς οὐχ οἷόν τε ἄλλοις ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκούειν, καὶ δούσης δωρεὰς διττάς, αἵπερ μέγισται τυγχάνουσιν οὖσαι, τούς τε καρποὺς οἳ τοῦ μὴ θηριωδῶς ζῆν ἡμᾶς αἴτιοι γεγόνασι, καὶ τὴν τελετήν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν. &c. *Nam cùm Ceres in nostram regionem, ob raptam Proserpinam erroribus acta peruenisset, maioribúsque nostris, ob beneficia, quæ alijs quàm initiatis audire nefas, bene cupiens, duo impertisset maxima munera, fruges nimirum, quæ in caussa fuere, ne belluarum ritu viueremus: & sacra, quibus initiati & de vitæ exitu & de vniuerso æuo spes suauiores habent.* &c. Ad hunc Isocratis locum videtur M. Tullius respexisse, cùm in lib. 2. *De legibus* sub medium, vbi de nocturnis sacris è rep. exterminandis cum Attico disputans, illi quærenti

renti verùm Eleusinia non excipiat, sic respondet: *Ego verò excipiam. Nam mihi cum multa eximia diuináque videntur Athenæ tuæ peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti immaníque vita exculti ad humanitatē & mitigati sumus: initiáque vt appellantur, ita re vera principia vitæ cognouimus: neque solum cum lætitia viuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* Ita ille. Qui ibidem illa sacra Eleusina appellat, *Augusta mysteria*. Tria igitur habuêre apud Latinos potissima nomina: nempe *Initia, mysteria, Eleusinia.*

k *APVD GENTILES OMNIVM SANCTISSIMA AC CELEBERRIMA*] Testis Pausanias in Phocicis: Οἱ γὰρ ἀρχαιότεροι τῶν Ἑλλήνων τελετὴν τὴν Ἐλευσινίαν πάντων ὁπόσα ἐς εὐσέβειαν ἥκει, τοσούτῳ ἦγον ἐντιμοτέραν, ὅσῳ καὶ θεοὺς ἐπὶ προτέρων ἡρώων. *Vetustiores Græci sacra Eleusinia, tanto omnibus alijs quæcunque pietate pollentibus augustiora duxerunt, quanto Deos heroibus.* Testis & M. Tullius iam proximè hic citatus: & iterum lib. 1. De natura Deorum, ferè extremo, his verbis: *Omitto Eleusinem sanctam illam & augustam.*

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ.

Eadem sacra sacris omnibus prætulit Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum, cap. 24. Τὰ μυστήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετή. *Mysteria*, inquit, *sacra sunt sacrorum omnium præstantissima.* Nam Eleusinia per excellentiam vocantur mysteria.

l *QVÆ INSPICERE NON INITIATO NEFAS*] Vide Pausaniam in Atticis, vbi de Eleusine loquitur. Quin & nonnulli extranei templum, vbi ea sacra fiebant, per imprudentiam ingressi, mortem non euaserunt. Quæ caussa & origo belli fuit inter Athenienses & Philippum Macedonem. Quam sic memorat T. Liuius lib. 31. *Acarnanes duo iuuenes per initiorum dies, non initiati templum Cereris imprudentes religionis, cum cetera turba ingressi sunt, (facile eos sermo prodidit, absurdè quædam percunctantes) deductique ad antistites templi, cum palam esset per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt. Id tam fœdè atque hostiliter factū gens Acarnanum ad Philippum detulit; impetrauitque ab eo, vt datis Macedonum auxilijs bellum se inferre Atheniensibus pateretur.* Vide ibi deinceps tantillò ex principio terram Atticam ferro ignique deuastatam.

m *AB INITIATO EVVLGARI CAPITALE*] De pœnâ capitis statutâ reuelantibus mysteria habet Andocydes in orat. De mysterijs. Et Diagoræ Melio intentatam discimus ex Aristophane in Auibus, & Suidæ Lexico his verbis: Τοῦτο οὖν ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔγραψαν τῷ μὲν ἀποκτείναντι τάλαντον λαμβάνειν, τῷ δὲ ἄγοντι, δύο. Ἐκηρύχθη δὲ τοῦτο διὰ τὸ ἀσεβὲς αὐτοῦ, ἐπεὶ τὰ μυστήρια πᾶσι διηγεῖτο, κοινοποιῶν αὐτὰ καὶ μικρὰ ποιῶν, καὶ τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι, ἀποτρέπων. Φησὶν οὖν Ἀριστοφάνης ἐν Ὄρνισι.

Τῇδε μέντοι θἠμέρᾳ μάλιστ' ἐπαναγορεύεται.
Ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον,
Λαμβάνειν τάλαντον. ἤν τε τῶν τυράννων τις τινὰ
Τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λαμβάνειν.

Hoc igitur voce præconis contra eum proclamarunt Athenienses & in ærea columna scripserunt: qui illum occidisset, talentum accepturum: qui verò adduxisset viuum, duo. Hoc autem proclamatum est propter eius impietatem: quod mysteria omnibus denarraret ea euulgans & extenuans & initiari volentes auertens. Quamobrem dicit Aristophanes in Auibus:

Id hacce vobis luce dictum sit palam:
Si quis necarit Diagoram illum Melium
Capiet talentum: si tyrannum quempiam
Demortuorum contrucidarit, feret
Etiam talentum.

Demortuorum, id est, illorum qui propter capitale crimen exulant; vt notat idem Suidas.

Quod si fortè isti mysteriorum enuntiatores, hominum pœnas euaderent; non tamen euasuri credebantur & Deorum, plenáque periculi iudicabatur eorum societas. Hinc Flaccus, lib. 3. ode 2.

Est & fideli tuta Silentio
Merces: vetabo qui Cereris Sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

id est: Non permittam mecum nauigare Eleusiniorum reuelatorem, ne vnà cum illo patiar naufragium, Ioue propter illum etiam socios nauigationis eadem pœna, vt sæpe fecit, inuoluente.

Atque hæc mihi de Eleusinijs videntur in præsenti sufficere: de quibus plurimi non modò Gentilium, sed etiam Christianorum, tam Latinorum quàm Græcorum Patrum scripsere. De Græcis vide Clementem Alexandrinum in Admonitione ad Gentes ante medium: de Latinis Arnobium lib. 5. aduersus Gentes sub medium, vbi illa vocat Thesmophoria. Hi enim duo & originem & ritum expressiùs quàm alij declarant.

De recentioribus autem vide Petri Castellani qui hodiéque superstes est, doctum & accuratum syntagma *De festis Græcorum*, titulo *Eleusinia.*

n *HINC SIBI OCCASIONEM SVPERSTITIOSI CEPERVNT*] Hoc disertè testatur Hieronymus in Catalogo Scriptorum, cuius verba vide post Fragmentum Quadrati, suprà, cap. VI. vitæ.

o *S. ARISTIDES VIR FIDE* &c.] Huius Aristidis tanquam egregij Scriptoris, & inter Sanctos relati vitam describere non minùs

 quàm

quàm QVADRATI in animo habebam, si idonea mihi suppetisset materia: sed quandoquidem, nihil de illo nec Menæum Græcorum suggerat, nec alij nisi admodum pauca proferãt, tantùm ea hîc obiter annotabo, quæ Eusebius Cęsariensis, Hieronymus Presbyter, & quædam Latina martyrologia ediderunt. Ita igitur Eusebius lib. 4. hist. eccl. cap. 3. Ἀρειστείδης δὲ πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας, τῷ Κοδράτῳ παραπλησίως, ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν ἐπιφωνήσας Ἀδριανῷ, καταλέλοιπε. Σώζεται δέ γε εἰς δεῦρο παρὰ πλείστοις καὶ ἡ τούτου γραφή. *Aristides etiam, vir fidelis, Christiana impulsus pietate, itidem vt Quadratus, defensionem pro fide Hadriano dedicatam post se reliquit. Quæ apud plurimos hodiéque seruatur.* Meminit eiusdem etiam in Chronico ad annum Hadriani 10. sed nihil de illo affert noui.

Hieronymus autem in libro De illustribus ecclesiæ Scriptoribus, cap. 20. hæc habet: *Aristides Atheniensis Philosophus eloquentissimus, & sub pristino habitu discipulus Christi, volumen nostri dogmatis rationem continens, eodem tẽpore, quo & Quadratus, Hadriano Principi dedit, id est, Apologeticum pro Christianis, quod vsque hodie perseuerãs apud philologos ingenij eius iudicium est.* Dicit idem Hieronymus in epistola ad Magnum, oratorem Rom. Apologeticum Aristidis cõtextum fuisse Philosophorum sententijs: quem Iustinus postea imitatus fuerit. Aliud autẽ de illo nihil habet. Celebratur porrò ei⁹ memoria pridie Cal. Septembris, vbi sic Romanũ martyrologium.

Athenis, S. Aristidis, fide & sapientia clarissimi, qui Hadriano Principi de religione Christiana volumen obtulit nostri dogmatis continens rationẽ, & quòd Christus IESVS solus esset Deus, præsente ipso Imperatore luculentissimè perorauit.

Nonnullam quoque Aristidis mentionem facit Ado Archiepiscopus Viennẽsis in suo martyrologio ad 3. Octobris, vbi recensito S. Dionysij Areopagitæ martyrio, quod iam recẽs sub eodem Hadriano acciderat, adijcit eodem martyrio huius Aristidis testimoniũ: *vt Aristides Atheniensis*, inquit, *vir fide sapientiáque mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorũ monumẽta clarissimũ tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Sic ibi. Nec ferè aliud, quod quidem alicuius momenti sit, aut ab his diuersum quæ attulimus, de S. Aristide reperitur. Quæ caussa fuit, quare relicta vitæ eius compositione, satis esse duxerim hæc strictim attingere, saltem donec plus alicunde materiæ suppeditetur.

p *SERENIVS GRANIANVS ASIÆ PROCONSVL*] Hieronymus in Chronico habet: *Serenus Granius Legatus vir apprimè nobilis litteras ad Imperatorem misit*, sed malè cum græca Eusebij, quæ Hieronymus vertit, habeant παρὰ Σερεννίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγουμένου. *A Serenio Graniano clarissimo Proconsule*. Itaque melius dicitur *Serenius* quàm *Serenus*. & *Granianus*, quàm *Granius*, & *Clarissimus*, quàm *apprimè nobilis* & *Proconsul*, quàm *Legatus*. Nam Proconsulem fuisse constat, non item Legatum: & græca vox ἡγούμενος cùm sit generalis, pro subiecta materia interpretanda est. Liquet autem ex litteris ipsius. Hadriani Imp. ad Minucium Proconsulem, etiam Granianum fuisse Proconsulem cum scribat Imperator Minucium Graniano successisse. Proconsulibus autem Legatis, Pręfectis Præsidibus, nomẽ *clarissimus* apud Latinos, (quod idem significat) λαμπρότατος apud Græcos tribui solet. Quare rectius vertit Ruffinus Presbyter libro 4. hist. ecclesi. c. 9. *Susceptis à Serenio Graniano clarissimo viro Præside litteris.* Vbi etiam nota non scribere *Sereno Granio*, vti scripserunt, qui errorem Hieronymi susceperunt ac deriuarunt, sed Serenio Graniano vti legerat apud Eusebium, qui non in chronico tantùm, sed etiam in historia non semel, sed sæpius, nempe lib. 4. cap. 8. & cap. 9. vsupat ista: παρὰ Σερεννίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγουμένου, aut λαμπροτάτου ἀνδρός. quæ sic reddit Christophorsonus: *à Serenio Graniano Præfecto illustrissimo* & cap. sequenti, *viro præstantissimo*: sed ex græcis & ex consuetudine meliùs reddidisset vtrobique, *clarissimo*; cùm vtrobique sit λαμπροτάτου. Vide Brissonium, De verborum significatione in voce *Clarissimi*. Præterea de *Serenio Graniano*, & non *Sereno Granio*, testis est ipsius Hadriani ad ipsum epistola, quam in vita latinè posuimus, & infrà græcè offeremus, procul in S. Iustini operibus ad extremam Apologiam ad Impp. appositam inuenimus.

q *HADRIANVS CÆSAR MINVCIO FVNDANO.*] Ita Imperatores breuiter suis inscribebant. Interdum *Augustus* vsurpabant, pro *Cæsar*: nonnunquam vtrumque omitebant, solo nomine contenti. Extat in Flauio Vopisco ipsius Hadriani Imp. epistola ad Seruianum Cos. cum hac inscriptione. HADRIANVS AVG. SERVIANO COS. S. Similium inscriptionum plurima sunt exempla apud eundem Vopiscum, in Aureliano & alijs. Sic illæ: VALERIANVS AVGVSTVS ANTONINO GALLO CONSVLI. Item VALERIANVS AVGVSTVS CEIONIO ALBINO Præfecto Vrbi. Vide ibidem in Probo Imp. plures.

r *LITTERAS A SERENIO GRANIANO* &c.] Est exemplar epistolæ Hadriani. Quam epistolam latinè scriptam suæ

suę ad Antoninos Imperatores apologię subiunxerat Iustinus, vt quidem auctor est Eusebius lib. IIII. historiæ cap. VIII. qui ita de Iustino: Ἐπὶ δὲ ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ δεξάμενον τὸν Ἀδριανὸν παρὰ Σερενίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγουμένου γράμματα ὑπὲρ Χριστιανῶν περιέχοντα, ὡς οὐ δίκαιον εἴη ἐπὶ μηδενὶ ἐγκλήματι βοαῖς δήμου χαριζομένους ἀκρίτως κτείνειν αὐτοὺς ἀντιγράψαι Μινουκίῳ Φουνδανῷ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἀσίας, προστάττοντα μηδένα κτείνειν ἄνευ ἐγκλήματος καὶ εὐλόγου κατηγορίας. Καὶ τῆς ἐπιστολῆς δὲ ἀντίγραφον παρατίθεται τὴν Ῥωμαϊκὴν φωνὴν, ὡς εἶχε διαφυλάξας. *Narrat præterea idem [Iustinus] Hadrianum à Serenio Graniano clarissimo Præfecto litteras pro Christianis accepisse, quæ continebant iustum non esse, Christianos nullo obiecto crimine & indicta caussa, tantum vt populi satisfieret clamoribus, neci dare: cum autem rescripsisse Minucio Fundano Asiæ Proconsuli, ac præcepisse, vti neminem absque crimine & legitima accusatione morte multaret. Cuius exemplar epistolæ latino sermone, quemadmodum conseruauerat, apologiæ adiunxit.*

Illam Imperatoris latinam rescriptionem græcè vertit Eusebius, suaque historiæ inseruit, vt ipsemet indicat loco iam citato, his verbis: Τούτοις ὁ μὲν δηλωθεὶς ἀνὴρ αὐτὴν παρατέθειται τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀντιγραφήν· ἡμεῖς δὲ ἐπὶ τὸ ἑλληνικὸν κατὰ δύναμιν αὐτὴν μεταβλήφαμεν ἔχουσαν ὧδε: *His quidem vir ille suprà laudatus ipsum latinum exemplar adiunxit, nos autem illud in græcum pro virili transtulimus, quod sic habet.* Ita ille. Ex quo apparet Eusebium Cęsariensem latinæ linguæ haud fuisse ignarum.

Nota porrò hæc postrema[11] græca non esse à Christophorsono versa, immo nec à Ruffino. Sed de Ruffino, cui celeritas magis quàm cura in vertendo curę fuit, minus mirum: de Christophorsono, qui Ruffino exactior esse voluit, mirum magis. Nisi fortè crediderit illa non esse Eusebij, quod ipsum latinè sciuisse non existimauerit. At verò & sciuisse illum, & omnia quę ex Tertulliano profert, suo marte vertisse prorsus sentio, sensitque Iosephus Scaliger in suis ad Eusebium animaduersionibus. Et res ipsa eò fit credibilior, quòd in Palæstina & in vicina Phœnicia scholæ essent latini idiomatis, & Beryti quidem vrbe Phœniciæ, non procul Cæsarea, ius ciuile latinâ linguâ doceretur, essétque propterea vrbs illa studiorum nomine celeberrima: qua de re fusiùs in vita Gregorij Thaumaturgi agimus. Cùm eò autem præcipua confluerent ingenia, & maximè attineret scriptorū historiam ecclesiasticam ea in lingua esse versatum, labori minimè pepercisse Eusebium in ea cōdiscenda mihi persuadeo. Epistolam itaque Imperatoris latinè scriptam græcè reddidit: quam græcam latinâ amissâ, varij deinde variè interpretati sunt, Ruffinus vno modo, Christophorsonus alio, Iustini interpres etiam suo, quem vt optimum proximè secutus sum. Ac si quis cum græca Eusebij conferre aueat, non pigebit Eusebianam hîc adscribere:

Ἀδριανὸς Κάισαρ Μινουκίῳ Φουνδανῷ.

Ἐπιστολὴν ἐδεξάμην γραφεῖσάν μοι ἀπὸ Σερενίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἀνδρὸς, ὅντινα σὺ διεδέξω. Οὐ δοκεῖ οὖν μοι τὸ πρᾶγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν, ἵνα μήτε οἱ ἄνθρωποι ταράττωνται, καὶ τοῖς συκοφάνταις χορηγία κακουργίας παρασχεθῇ. Ἂν οὖν σαφῶς εἰς ταύτην τὴν ἀξίωσιν οἱ ἐπαρχιῶται δύνωνται διισχυρίζεσθαι κατὰ τῶν Χριστιανῶν, ὡς καὶ πρὸ βήματος ἀποκρίνεσθαι, ἐπὶ τοῦτο μόνον τραπῶσιν, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς. Πολλῷ γὰρ μᾶλλον προσῆκεν, εἴ τις κατηγορεῖν βούλοιτο, τοῦτό σε διαγινώσκειν. Εἴ τις οὖν κατηγορεῖ καὶ δείκνυσί τι παρὰ τοὺς νόμους πράττοντας, οὕτως διόριζε κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος· ὡς μὰ τὸν Ἡρακλέα, εἴ τις συκοφαντίας χάριν τοῦτο προτείνοι, διαλάμβανε ὑπὲρ τῆς δεινότητος, καὶ φρόντιζε ὅπως ἂν ἐκδικήσειας. Ita scripsit Eusebius in historia sua, & totidem verbis apud Iustinum reperitur. Latina posui cap. 4. vitæ supra.

AD CAPVT V.

Eductum est hoc caput, cùm ex alijs Auctoribus, tum præcipuè ex Venerabili Beda, & ex Menæo Græcorum. Nam quæ de permissu omnium indiscriminatim ciborū a S. QVADRATO declarata sunt, hæc à Ven. Beda: reliqua autem ferè omnia è Græcorum Menæo deriuata sunt.

a *QVÆSTIO DE CIBORVM GENERIBVS*] Iterum iam ab initio ecclesiæ Christianos exercuit hæc quæstio, à quibus ciborum generibus abstinendum esset. Nam Iudæi, è quibus potissimè prima constabat ecclesia, certis abstinere cibis à lege iussi & longa temporum serie assueti non existimabant Christianis è Gētili superstitione conuersis quolibet cibo licere indifferenter vti, multò minus sibi. Hinc ex ijs nonnulli ea de caussa à carnibus omninò abstinebant, ne fortè accideret, vt cum ijs, quas edere liceat, etiam aliæ adderentur, quibus vesci non liceret. Propter hunc modi ergo meticulosos, quos Paullus infirmos appellat, dixit idem Paullus ad Romanos 14. *Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* id est, Aliqui, præsertim Gentiles ad Christum conuersi, credunt sibi licere manducare omne ciborum genus, perinde atque ante conuersionem: alij autem, præsertim Iudæi ad nouam legem adducti, quadam conscientię infirmitate tacti nō audēt cibos lege antiqua vetitos attingere, & in escarū delectu trepidi sūt, quibus proinde ad securitatē Rom 14. vir 2.

conscientiæ permittitur; vt oleribus, siue omni herbarum vescarum genere vescantur, & alio quocumque cibo, abs quo omne abest lædendæ periculum conscientiæ Ad pacem verò inter vtrosque stabiliendam addit idem Apostolus proximè: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* id est, Gentilis omni cibo vescens, non contemnat Iudæum à certis cibis abstinentem: neque Iudæus vicissim à certis cibis abstinens Gẽtilem iudicet omni cibo vescentem. Aut etiam absolutè, nullus quemquam fratrum seu vescentem, seu abstinentem, seu Iudæus sit, seu Gentilis, malè facere iudicet propter ciborum delectum, sed vnusquisque ijs vtatur, quibus volet.

Rom. 14. ver. 3.

b *RESPONDIT NVLLAM ESCAM* &c.] S. QVADRATVS ad amoliendas omnes circa cibos anxietates, suspiciones, iudicia, contemptus, declarauit nullum planè cibi genus, (quo quidem homines ratione exculti, nec penitus barbari vtantur) Christiano esse prohibitum, sed vesci quocumque omnibus licere. Id testatur Venerabilis Beda ad VII. cal. Iunij, *Apud Athenas*, inquit, *B. QVADRATI Episcopi, discipuli Apostolorum. Hic firmauit, vt nulla esca à Christianis repudiaretur, quæ rationalis & humana est.* i. quam homines ratione vtentes aptam esui esse iudicent. Ex hoc igitur tempore, nempe secundi à Christo sæculi, seu sub annum Christi 130. (quo scriptis & auctoritate vigebat S. QVADRATVS) cœperunt Christiani liberiores in vsu ciborum esse, atq; etiam sanguine & suffocato vti, præsertim ij, qui eiusmodi cibis in gentilismo assueuerant. Nam hoc secundo sæculo mira Gentilium facta est ad fidem Christianam accessio. Itaque præceptum Apostolorum cap. 15. Actorum, de abstinendo à sanguine & suffocato (quod in Iudæorum gratiam latum erat) sensim in aliquibus regionibus antiquari cœpit. Quin & S. Eleutherius Pont. Rom. qui paullo posterior QVADRATO fuit, & eodem secundo vixit sæculo, inter alia constituit, (vti de illo scribit Anastasius Bibliothecarius in vitis Romanorum Pontt.) *vt nulla esca vsualis, quæ tamen rationabilis & humana est, quam Deus creauit, à Christianis maximè fidelibus repudiaretur.*

c *QVI DIVERSA A S. QVADRATO SENTIRENT*] Fuerunt in Gallia & Africa qui secundo & tertio sæculo vigere vellent præceptum Apostolicum de abstinentia ciborum iam dicta. Hinc Tertullianus in Apologetico, cap. X. *Erubescat*, inquit, *error vester Christianis* [i. apud Christianos] *qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admouetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* Similia habet Minutius Felix in Octauio: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire; tantùmque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis sanguinem nouerimus.* Et sancta Biblis martyr apud Eusebium lib. 5. cap. 1. obijcientibus Ethnicis Christianos vorare infantes, sic ait: Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; *Quomodo isti vorarẽt infãtes, quibus ne brutorum quidẽ animalium licet edere sanguinem.* Quæ verba sunt qui S. Blandinæ attribuant: sed perperam. Diuersæ enim sũt Biblis & Blandina, & vtriusque martyrium ab Eusebio in eodem citato cap. describitur: & ea verba non Blandinæ, sed Biblidi, in epistola Viennensis & Lugdunensis ecclesię attribuuntur. Verùm ea abstinentiæ ab istis cibis obseruatio sensim, vt dixi, vsque ab ipso secundo sæculo deficere incepit: tempore autem S. Augustini si quis in Africa obseruare voluisset, irrisus esset, vt ipse testatur lib. 32. aduersus Faustum Manichæũ, cap. 13. *Et qui forsè pauci*, inquit, *adhuc tangere ista formidant, à ceteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis: Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat: sed quod exit: nullam cibi naturam, quã societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.* Sic ille. Denique satis est probabile illo præcepto Apostolico, de abstinendo à suffocato & sanguine, non alios fuisse obligatos, quàm eos ad quos missum est, nempe fratres Antiochię & Syriæ & Ciliciæ, & hoc quidem non quasi ex vi antiquæ legis obligarentur, (cum illa iam esset Christi morte abrogata) sed nouo Apostolorum pręcepto, eóque temporaneo, concordiæ scilicet inter Christianos Iudæos & Gentiles, gratia: donec vtrique perfectè in vna simplice Christi lege, omnibus veteris testamenti cerimonijs abrogatis coaluissent.

Matthæi 15. ver. 11.

d *ATHENIS PEPVLERVNT*] Vide Menæum suprà, cap. 7. & intellige nullo magistratus decreto pulsum esse vrbe QVADRATVM, sed conspiratione improborum & vi facta. Sicut enim Christum sui hostes sæpè persecuti sunt, & lapidibus opprimere tentarunt: sic & discipulos eius atque sectatores: ac nominatim Paullum Act. 14. ver. 18. *Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidantesque Paullum traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.* Sic ferè actum esse cum S. QVADRATO ex Iudæorum Gentiliúmue maleuolentia licet opinari.

Act. 14. ver. 18.

e *MAGNESIÆ, AN ALIBI, HAVD SATIS LIQVET.*] Vbi mortem obierit S. Quadratus, in confesso non est. Athenis enim

nim obijsse haud est probabile: propterea quod Areopagitæ, (quorum erat de caussis religionis iudicare) post Socratis condemnationem, cuius eos valde pœnituit, nullius legantur auctores fuisse iudicij, quo morte condemnarentur ij, qui alios colerent Deos, quàm ipsi colerent. Vnde & Paullus, cùm in ipso Areopagi consilio vnum esse Deum docuisset, liber dimissus est. Denique maxima religionis libertas Athenis fuit, nec vlla philosophiæ secta vrbe exclusa est. Quare non probo, quod Dauid Origanus de S. Quadrato scripsit in Nouis Ephemeridibus, ad XXVI. Maij, illum Athenis mortuum. Nã è Menæo contrarium colligitur, nempe Athenis pulsum, alibi passum esse. Ac si facienda est de martyrij loco coniectura, lõgè probabilius est ob ea, quæ è Menæo attulimus, Magnesiæ illum oppetijsse, quàm alibi.

AD CAPVT VI.

a ANDREÆ CVIVSDAM HAERETICI ERRORES] Quis & qualis hic Andreas fuerit, discimus è S. Gregorio Papa, lib. IX. epistolarum, indict. IV. epist. LXIX. vbi scribit eum fuisse monachum inclusum ad S. Paullum, qui sub inclusionis suę specie multos in fraudem & errores pertrahebat: qui & epistolam Eusebij Thessalonicensis Episcopi adulterauit, & sermones à se compositos sub Gregorij Pontificis nomine euulgauit. Eum idem Gregorius, habito Romæ concilio, anno Dominicę incarnationis sexcentesimo primo, imperantibus Mauritio & Tiberio AA. condemnauit. Qua de re ad eum annum ita Baronius: *Quod autem ad publica negotia spectat. hoc eodem anno Gregorius Romæ concilium habuit: in quo inter alia damnatus est Andreas, Græcus homo, sub monachali habitu degens apud basilicã S. Paulli, detectus impostor atque falsarius.*

Quos verò errores ac hæreses idem tenuerit Andreas, fugisse videtur Baronium, qui eos alioqui tanquam maioris momenti, (vt eius est consuetudo nihil quod sit operæ precium omittere) minimè prætérijsset. Illos igitur errores nobis recensuit in sua bibliotheca Photius, Cod. CLXII. vbi scribit se legisse libros Eusebij cuiusdam Episcopi, contra eum scriptos. Quis autem ille fuerit Eusebius, aut cuius ecclesiæ Episcopus, non adijcit. Sed Gregorius magnus suprà citatus, qui ad eũdem Episcopum super istius Andreæ facinoribus litteras dedit, Thessalonicæ episcopum appellat. Inscriptio sic habet: *Gregorius Eusebio, Episcopo Thessalonicensi.*

Epistola autem sic incipit: *Lator præsentium ecclesiæ vestræ Lector, ad SS. Apostolorũ limina veniens, dum omnes, (homo quippe nouus) haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad S. Paullũ inclusus fuerat, res & chartas quas detulit, vt re vera olim noto innocenter deposuit, credens quidem quod mens ipsius, sicut & nos ante habueramus, cum habitu concordaret. Sed tantæ ille prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis suæ specie paullo adhuc amplius licuisset, multorum animas maliciæ suæ falsitate deciperet: & quocunque potuisset, non leuia scandala generaret.* Photius etiam ἐγκλειστὸν, *inclusum* vocat: cum de Eusebio & de illo ita scribit: Ἀνεγνώσθησαν Εὐσεβίου τινὸς ἐπισκόπου ὄντος μὲν τὸ ἀξίωμα, καὶ τὴν πίστιν ὀρθοδόξου. τούτου λόγοι δέκα κατὰ Ἀνδρέου τινὸς ἐγκλείστου συγγραφέντες. *Lecti sunt Eusebij cuiusdam.* [libri] *Erat hic Episcopus dignitate, fide orthodoxus. Ab eo decem libri contra Andream quendam Inclusum conscripti sunt.* Ita ille. Extant Gregorij Papæ ad eundem Eusebium complures epistolæ in Registro.

b APHTHARTODOCETÆ APPELLANTVR] Græcè ἀφθαρτοδοκηταὶ I. incorrupta-opinantes. Rebus enim quibusdam corruptibilibus temerè incorruptionem attribuebant. Vnde Photius de Andrea Incluso: ἦν δὲ ἄρα τῶν λεγομένων ἀπὸ τῆς φαύλης δόξης ἀφθαρτοδοκητῶν. *Erat ex ijs, qui a prauâ opinione dicti sunt aphthartodocetæ:* vbi consequenter recenset, quibus rebus ex se corruptibilibus falsò ad scriberet incorruptionẽ. Meminit & huius hæreseos inter alias S. Ioannes Damascenus, his verbis: Ἀφθαρτοδοκῆται οἱ ἀπὸ Ἰουλιανοῦ τοῦ Ἁλικαρνασσέως, καὶ Καϊανοῦ τοῦ Ἀλεξανδρέως, οἱ καὶ Καϊανῖται λεγόμενοι &c. *Aphthartodocetæ à Iuliano Halicarnassæo, & Caiano Alexandrino, qui & Caianitæ dicuntur* &c. Vide in operibus Damasceni, vbi & græcè habes *De hæresibus à Marciano*, & deinceps, cum Notis Frontonis Ducæi, viri de SS. Patribus Grecis optimè meriti.

Ad caput VII. quod è Menæo desumptum est, & satis per se clarum, nihil occurrit annotandum.

Attuli ergo hactenus, de sanctis Scriptoribus primi sæculi ecclesiæ Orientalis, (qui quidem secundùm Apostolos & Euangelistas maxime floruerunt) quæcumque nancisci digna litteris potui: proximo tomo, si gratia Dei mecum ad vlteriores labores fuerit; eos producam, qui secundo sæculo consimili vita & doctrina, qua maiores sui ac præceptores, græcam ecclesiam sustentarunt. Ita Dei bonitas vires suppeditet, atque omnia ad suam gloriam, & ecclesię vtilitatẽ trahat.

FINIS.

INDEX LOCORUM SCRIPTVRÆ SACRAE

QVI HOC VOLVMINE CITANTVR, EXPLICANTVR, EXEMPLIS ILLVSTRANTVR.

E LIBRO GENESEOS.

Geneseos cap. 2. ver. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem* &c. Hunc locum concordat S. Polycarpus cum alio Matthæi 19. ver. 5. Vide pag. 532.

Geneseos 4. ver. 19. *Mathusaël genuit Lamech, qui accepit duas vxores.* S. Polycarpus legit: *accepit sibi*, & ita est in Hebræis. Vocem *sibi* explicat. 481. 550. col. 1.

Geneseos 4. ver. 2. *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* 665 666.

Geneseos 29. ver. 20. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* 29.

Geneseos 32. ver. 29. *Cur quæris nomen meum?* 140. col. 1.

E LIBRO EXODI.

Exodi 3. ver. 14 *Ego sum, qui sum.* 140. col. 1.

Exodi 14. ver. 13. *Nolite timere: state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie.* 495.

Exodi 15. ver. 40 *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* 303.

E DEVTERONOMIO.

Deuteronomij 4. ver. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem* &c. Quo pacto sit vsus hoc loco Dionysius Areop. 151. col. 1.

Deuteronomij 32. ver. 8. *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Quemadmodum legerit & acceperit Dionysius Areopagita, 124. col. 2. 125. col. 1.

Deuteronomij 32. ver. 10. *Circumduxit eum & docuit.* 19.

E LIBRO IOSVE.

Iosue 10. ver. 13. *Steteruntque sol & luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* 238. col. 1. & cem gradibus. 238. col. 1. & 2.

E LIBRO IVDICVM.

Iudicum cap. 5. ver. 20. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo.* 365.

Iudicum 14. ver. 6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & lacerauit leonem, quasi hædum in frusta discerpens* &c.

E LIBRIS REGVM.

Lib. 1. Regum, cap. 10. ver. 10. *Et insiluit super eum Spiritus Domini: & prophetauit in medio eorum.* 632.

Lib. 1. Regum, 10. ver. 11. *Num & Saul inter prophetas?* 632.

Lib. 3. Regum, cap. 19. ver. 12. *Et post ignem sibilus auræ tenuis.* 155. col. 2.

Lib. 4. Regum, cap. 2. ver. 12. *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga eius.* 431. col. 2.

Lib. 4. Regum, cap. 20. ver. 11. *Inuocauit itaque Isaias Dominum, & reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* 238. col. 1. & 2.

E LIBRO IOB.

Iob. 25. ver. 3. *Nunquid est numerus militum eius?* 126. col. 2.

E LIBRO PSALMORVM.

Psal. 7. ver. 18. *Et vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me.* 158. col. 2.

Psal. 11. *In finem pro octaua.* 354.

Psal. 13. ver. 5. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* 633.

Psal. 17. ver. 12. *Et posuit tenebras latibulum suum.* 161. col. 2.

Psalmo 18. ver. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 692. col. 1. & 2.

Psalmo 23. ver. 10. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* 123. col. 1.

Psal. 64. ver. 5. *Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.* 95.

Psal. 72. ver. 23. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* 382. col. 1.

Psal. 81. ver. 6. *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* 627.

Psal. 93. ver. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* 301.

Psal. 101. ver. 28. *Tu autem idem ipse es.* 155. col. 2.

Psal. 109. ver. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* 135.

Psal. 117. ver. 5. *De tribulatione inuocaui Dominum & exaudiuit me in latitudine Dominus.* 301.

Psal. 118. ver. 109 *Anima mea in manibus meis semper; & legem tuam non sum oblitus.* 679.

Psal. 118. ver. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.* 75.

Psal. 131. ver. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* 30.

Psal. 144. ver. 21. *Laudem Domini loquetur os meũ: & benedicat omnis caro nomini sancto eius.* 74.

Psal. 146. ver. 5. *Et sapientiæ eius non est numerus.* 151. col. 2.

E LIBRO PROVERBIORVM.

Prouerb. 8. ver. 17 *Ego diligentes me diligo: at me quærentes inuenient gratiam.* 309.

Prouerb. 10. ver. 9. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* 633.

Prouerb. 13 ver. 20. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* 474.

Prouerb. 22. ver. 6. *Prouerbium est: adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* 671.

Prouerb. 25. ver. 11 *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* 68.

E LIBRO ECCLESIASTÆ.

Ecclesiastæ 11. ver. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* 520.

E LI-

E LIBRO SAPIENTIÆ.

Sapientiæ 7.ver.21. *Omnium enim artifex docuit me Sapientia.* 153.col.1.

Sap.8. ver. 1. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* 3. Item 15.3.col.1.

Sap.10.ver.10. *Et ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum.* 303.

E LIBRO ECCLESIASTICI.

Ecclesiastici 6.ver. 35. *In multitudine presbyterorum prudentium sta.* &c. 645.

Eccl. 7. ver. 23. *Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua: Non defraudes illum libertate: neque inopem derelinquas illum.* 473.

Eccl.8.ver.9. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium.* 645.

Eccl.11.ver.22. *Ne manseris in operibus peccatorum* &c. 473.474.

Eccl.30.ver. 4. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus. Similē enim reliquit sibi post se.* &c. 484.

Eccl.31.ver.6. *Multi dati sunt in auri casus: & facta est in specie ipsius, perditio illorum.* 111.

Eccl. 39. ver. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens* &c. 638.

Eccl. 51.ver. 6. *In medio ignis non sum æstuatus.* 591.col.1.

E PROPHETIA ISAIÆ.

Isaiæ 1. ver.19. *Bona terræ comedetis.* 354.

Isaiæ 9. ver. 6. *Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis* &c. 662.col.2.

Isaiæ 38. ver. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* 516.

Isaiæ 42. ver. 3. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* 695.

Isaię 43.ver.2. *Cùm ambulaueris in igne, non comburreris: & flamma non ardebit in te.* 75.

Isaiæ 62. ver. 2. *Et vocabitur tibi nomen nouum.* 158.col.2.

Isaiæ 66. ver.3. *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem.* 249.250.

Isaiæ 66.ver.6. *Hæc omnia elegerunt in vijs suis: & in abominationibus suis anima eorum delectata est.* 250.col.1.

EX IEREMIA.

Ieremię 10.ver.23. *Non est hominis, via eius.* 309.

Ieremiæ 15.ver. 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* 358.

EX EZECHIELE.

Ezechielis 3.ver.13. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* &c. 596.col.1.

Ezechielis 34.ver.4. *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis* &c. 674.675.

E DANIELE.

Danielis 7.ver.9. *Et capilli capitis eius, quasi lana munda.* 158.col.2.

E NOVO TESTAMENTO.

E S. MATTHÆI EVANGELIO.

Matthæi 5.ver.9. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* 666.

Matthęi 7.ver. 17. *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos:* Quo modo sit abusus hoc loco Marcion. 576.col.2.

Matthæi 8.ver.8. *Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus* &c. Cuius fuerit ille Centurio. 622.

Matthæi 10. ver. 25. *Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo, sicut Dominus eius.* 20.

Matthæi 12.ver.13. *Tunc ait homini: extende manum tuam.* 585.col.2.

Matthęi 13.ver.25. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus & superseminauit zizania in medio tritici.*

Matthæi 13.ver. 52. *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.* 41.

Matthæi 15.ver.11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore* &c. 700.col.1.

Matthęi 18.ver.2. *Et aduocans IESVS paruulum statuit in medio eorum.* An is fuerit S. Ignatius martyr? 289.582.583.

Matthæi 18.ver.19. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est.* 495.

Matthæi 19.ver. 12. *Non omnes capiunt verbum istud Sunt eunuchi, qui de matris vtero nati sunt.* &c. 482.

Matthæi 20. ver. 23. *Calicem quidem meum bibetis* &c. An Ioannes biberit calicem, & quomodo? 532.533.

Matthæi 27.ver.5. *Et abiens laqueo se suspendit.* 666.667.

E S. MARCI EVANGELIO.

Marci 4.ver.33. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* &c. 656.

Marci 10.versu 29. *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores aut patrem & matrem* &c. Ostenditur exemplo Ignatij martyris. 390. col.1.& 2.

Marci 15.ver.39. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.* Cuias fuerit hic centurio. 622.

E S. LVCÆ EVANGELIO.

Lucæ 3.ver.2. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum* &c. 628. col.1.

Lucæ 4. ver. 25. *Cùm clausum esset cælum annis tribus & mensibus sex.* 495.

Lucæ 11.ver.9 *Petite & dabitur vobis.* 495.

Lucæ 14.ver. 12. *Noli vocare amicos tuos* &c. Quo modo explicetur à S.Polycarpo. 533.

Lucæ 16.ver. 10. *Qui fidelis est in modico, & in magno fidelis est.* &c. 38.

Lucæ 16.ver.16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* 639.

Lucæ 18.ver.27. *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* 481.

Lucæ 23.ver. 47. *Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: Verè hic homo iustus erat.* Cuias hic centurio fuerit. 622.

E S. IOANNIS EVANGELIO.

Ioannis 5. ver. 10. *Amen amen dico vobis: non potest filius à se facere quicquam* &c. 443.col.2.

Ioannis 8. ver. 3. *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam* &c. 661. col.2.

Ioannis 8.ver.29. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Turpis ignorantia Sculteti hęretici circa hunc versum. 443.col.1.& 2.

Ioannis 10.ver. 35. *Si illos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus est.* &c. 627.col.2.

Ioannis 17.ver.4. *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Quo modo id verum, quando necdum mortuus, explicatur à S.Polycarpo. 533.

EX ACTIS APOST.

Actor.1.ver.4. *Præcepit eis, ab Hierosolymis non discederent, sed expectarent promissionem Patris.* &c. 135. col.1.

Actor.1.ver.18. *Et suspensus crepuit medius.* 667. col.1.& 2.

Actor. 1. ver. 23. *Et statuerunt duos Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam.* 642.

Actor. 1. ver. 24. *Ostende quem elegeris ex his duobus vnum.* 135.

Actor. 2. ver. 24. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni.* 625.

Actor. 8. ver. 39. *Cùm autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* &c. 658.

Actor. 10. ver. 1. *Centurio cohortis quæ dicitur Italica.* &c. 392.

Actor. 11. ver. 23. *Qui cùm peruenisset & vidisset gratiam Dei.* &c. 391. col. 2.

Actor. 14. ver. 18. *Superuenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidantésque Paullum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.* 700. col. 2.

Actor. 15. ver. 36. *Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini* &c. 691.

Actor. 17. ver. 21. *Ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui.* 5.

Actor. 17. ver. 22. *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video* &c. 6.

Actor. 17. ver. 28. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt.* 234. col. 2.

Actor. 17. ver 34. *Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* 7. Item 228. 229.

Actor. 20. ver. 24. *Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me.* 344.

Actor. 21. ver. 8. *Alia autem die profecti venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Euangelistæ.* 639.

EX EPIST. PAVLLI AD ROMANOS.

Romani. 7. ver. 22. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem,* 633.

Rom. 8. ver. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram quæ reuelabitur in nobis.* 309.

Rom. 8. ver. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens.* 305. 306.

Rom. 10. ver. 15. *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* 477.

Rom. 12 ver. vlt. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Dionysius Areop. addit: *& ad ipsum.* 144. col. 2.

Rom. 14. ver. 2. *Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.* 669. col. 2.

Rom. 14. ver. 3. *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* 700.

Rom. 14. ver. 17. *Non est regnum Dei esca & potus.* 680.

Rom. 16 ver. 6. *Salutate Mariã, quæ multùm laborauit in vobis.* 293.

EX I. AD CORINTHIOS.

1. Cor. 1. ver. 25. *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* 151. 152

1. Cor. 1. ver. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* &c. 138. col. 2.

1. Cor. 4. ver. 9. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* 331.

1. Cor. 6. ver. 20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 382. col. 1.

1. Cor. 15. ver. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam.* 533.

1. Cor. 16. ver. 10. *Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos.* 560.

EX II. AD CORINTHIOS.

2. ad Cor. 7. ver. 5. *Foris pugna intus timores.* 680.

2. Cor. 10. ver. 3. *Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt; sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* &c. 604.

2. Cor. 11. ver. 27. *In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis.* &c. 20.

EX EPIST. PAVLLI AD GALATAS.

Ad Galatas 2. ver. 11. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti.* 391. col. 2.

Ad Gal. 5. ver. 17. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem.* 20.

EX EPISTOLA PAVLLI AD EPHESIOS.

Ephes. 5. ver. 18. *Loquentes vobismet ipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus,* &c. 629.

Ephes. 6. ver. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* 665. col. 1. & 2.

EX EPIST. PAVLLI AD PHILIPPENSES.

Philipp. 4. ver. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* 481.

EX EPISTOLA PAVLLI I. AD TIMOTHEVM.

1. ad Timotheum. 3. ver. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse &c. 644.

1. ad Timotheum 3. ver. 5. *Si quis autem domui suæ præesse nescit* &c. Vsurpat & explicat Dionysius Areop. 37. 38.

1. ad Timotheum 5. ver. 22. *Manus citò nemini imposueris: neque communicaueris peccatis alienis.* 627. col. 1. & 2.

EX II. AD TIMOTHEVM.

2. ad Timotheum 1. ver. 6. *Propter quam caussam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris.* 560.

2. ad Timotheum 3. ver. 10. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem.* &c. 21.

2. ad Timothem 4. ver. 9. *Demas enim me reliquit diligens hoc sæculum.* 407. 408.

EX EPIST. AD TITVM.

Ad Titum cep. 3 ver. 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* &c. 500.

EX EPISTOLA IACOBI CANONICA.

Iacobi 4. ver. 3. *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis.* 139. col. 1.

EX EPIST. PETRI I.

1. Petri 1. ver. 8. *In quem nunc quoque non videntes creditis.* 525.

1. Petri 1. ver. 13. *Propter quod succincti lumbos.* 525.

1. Petri 1. ver. 21. *Qui suscitauit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis & dedit ei gloriam.* 525.

1. Petri 3. ver. 9. *Non reddentes malum pro malo,* &c. 526.

EX APOCALYPSI S. IOANNIS.

Apocal. 2. ver. 4. *Sed habeo aduersum te, quod caritatem primam reliquisti.* 560. col. 1.

Apocal. 2. ver. 8. *Et Angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe.* &c. 488.

Apocal. 2. ver. 12. *Et Angelo Pergami ecclesiæ scribe.* 658.

Apocal. 3. ver. 7. *Et Angelo Philadelphiæ ecclesiæ scribe.* &c. 672.

Apocal. 3. ver. 9. *Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & sciant quia ego dilexi te.* 673.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

Abel minimè suspiciosus, Cain fratrem suum comitatus ab eo occisus est. 24.
Ablutio corporis in Baptismo quid significet. 129. col. 1.
Ablutio manuum, sine extremorum digitorum, tempore sacrificij, quid significet. 131. col. 1.
Abraham patriarcha docuit Ægyptos Astrologiam. 2.
Abrahamus Brouius citatur. 561.
Abrahamus Scultetus, vide Scultetus.
Academia Parisiensis eo loco sita est, vbi olim S. Dionysius habitauit & scripsit. 51.
Acolytorum officium. 401.
Acta Martyrum ad extraneas prouincias mitti solita. 63.
Acta Martyrum perscribendi consuetudo. 262.
Acta S. Eutropij Martyris. 63.
Acta S. Onesimi mart. discipuli S. Paulli. 642.
Acta S. Polycarpi in ecclesijs legi publicè solita. 504.
Adelaidis Regina Francorum pietas ac deuotio erga S. Dionysium. 101. 102. 107. 108.
Ado Episcopus Viennensis martyrologium amplificauit. 169.
Eiusdem martyrologium correctum. 405. col. 1. & 2.
Adolescentia vt bene instrueretur, maximè cordi fuit Areopagitis. 2. 1.
Adoratio Dei & cultus martyrum qui different? 593. col. 2.
Aduersitates hominibus probis esse perutiles. 154.
Adulatoria verba Tiberio Imp. quàm displicuerint? 585. col. 2.
Adyta solus Pontifex & Ordo sacer ingrediebatur in primo flore ecclesiæ. 25.
Ædes & templa in honorem S. Dionysij. 283.
Ægidij à Leodio locus explicatus. 278. col. 1. & 2.
Ægypti laus à studijs artium liberalium. 2.
Ægyptij astrologia rudes ante Abrahami patriarchæ aduentum. 224.
Ægyptiorum ritus in asseruandis cadaueribus mortuorum. 427.
Ælianus citatus. 615.
Æterna quanam vocentur. 158.
Æthiopia per Eunuchum Candacis Reginæ ad fidem Christi adducta. 648.
Æuum quid? 158.
Affirmationes de Deo. 163. col. 2.
Agathopus Diaconus comes S. Ignatij. 407. 319. 428.
Agonotheta quis? 429.
Aistulphus Longobardorum Rex. 168.
S. Alexander Episcop. & Martyr. bis in martyrologio positus. 171.
Aliud quo pacto tribuatur Deo. 156.
Alleluia sacrum canticum. 133.
Alphonsi Castellæ Regis, Imperatoris nuncupati pietas erga reliquias Sanctorum. 84.
Alphonsus Salmeron scriptor laudatus. 596. col. 2.
Alphonsi Villegas flos Sanctorum citatur. 621. 613.
Ambrosius apud latinos antiphonas primus instituit. 399. Idem hymnorum scriptor. 619.
Ambrosius Camaldulensis. 632.
Ambrosius Morales citatur. 621. col. 1.
S. Ammonius ne fieret Sacerdos dextram sibi aurem amputauit. 551. col. 1. & 2.
Amor Crucis in S. Ignatio. 434.
Amor dimissarum. 139.
Amores duo præstantes, & vnus illos superminens. 612. 613.
Amoris generatim sumpti diuisio & descriptio. 611. & 612.
Amoris in Deum vehementis efficacitas. 42.
Amoris effectus. 145.
Amor meus crucifixus est: Dictum S. Ignatij quid significet. 143. 185. 186. 187. 207. 212. 288. 322. 409. 410.
Amoris natura. 144.
Amor nullus verus nisi rerum diuinarum. 145.
Amoris summi descriptio & effectus. 617.
Amplificatio & conseruatio Ecclesiæ, pendet à disciplina sacrorum ministrorum. 32.
Anacletus Martyr sub Domitiano. 261.
Anacletus & Cletus Pont. apud SS. Patres vnus idémque sunt. 261. col. 1.
Ananias & Saphira propter mendacium corruerunt mortui. 50.
Anastasius bibliothecarius. 631.
Anastasius Sinaïta citatur. 652.
S. Andeolus Subdiaconus B. Polycarpi discipulus. 502. 503. 504. Martyrium eiusdem. 581. col. 2.
An Nicaria in Hispania: an vero Vinarij in Gallia obierit. 582. col. 1.
S. Andochius Presbyter discipulus S. Polycarpi. 501. 503. 504.
Andreas Inclusus phthartodoceta hæreticus quos errores tenuerit. 682. 701. col. 1. & 2.
Andreæ Apostoli martyrium. 42.
Andreas à quercu Scriptor laudatus. 168. col. 1. 581. col. 1.
Andreas Cæsariensis citatus. 651.
Andreas Fernando Soc. etatis Iesu diuinitus inter barbarorum furorem conseruatus. 269.
Andreæ Riueti hæretici refutatio. 452. 460. col. 2. 462. col. 2.
Andreas Schottus Scriptor laudatus. 696. col. 1. & 2.
Angeli cura de salute Polycarpi. 492.
Angeli cantantes circa tumulum D. Virginis per triduum auditi. 30.
Angeli & homines Sancti, vocantur Dij 126.
Angeli quomodo dicantur in cœlo purgari & expiari. 137. col. 1.
Angelorum descriptio. 124.
Angelorum in cœlo quinam sint supremi? an Throni? an Seraphim? 127. col. 1. & 2.
Angelorum in salute hominum officia. 40.

Ange-

Angelorum nouem ordines. 189.
Angelus apparet Callistoni viduæ. 471.
Angelus prædicit Polycarpo ruinam diuersorij. 492.
Angelus pueri Polycarpi curam suscepit. 471.
Angelus qui purgauit labia Isaiæ non fuit ex ordine Seraphinorum. 126.
Angelus. Quotuplex huius nominis acceptio. 121.
S. Aniceti Pontificis cum B. Polycarpo amica communicatio. 499.
Anima vt domina tractanda. 61.
Anima vnde mala fiat. 148.
Animæ motus circularis. 144. obliquus. 144. rectus. ibid.
Animæ vires quò intendendæ. 261.
Animas lucrandi certa ratio. 15.
Animus magnus quo tenuiori in corpore, eo mirabilior. 411.
Annuli traditio, olim erat successoris declaratio. 554. col. 2.
Annulus præsagium Episcopatus 554. col. 2.
Anspaldus Pictauiensis Ecclesiæ protector. 95.
S. Anthimus satellites ad eum comprehendendum missos fidei rudimentis per viam imbuit & baptizat. 519. Mensa eiusdem hospitalis. ibid.
Antiochenæ Ecclesiæ persecutio cessat. 324.
Eiusdem Ecclesiæ sancti Episcopi. 491.
Antiochiæ, discipuli Apostolorum primò omnium appellati Christiani. 300. 392. 396.
Antiochiæ ciuitatis amplitudo & frequentia. 294. 296.
Antiochiæ duo simul Episcopi. 394.
Antiochiæ laus. 392. col. 1. & 2.
Antiochiæ magnitudo, & frequentia. 392.
Antiochiæ quinam euangelium primi seminarint? 391.
Antiochia sedes Petri. 383.
Antiochus Brondus Scriptor citatur. 658.
S. Antipas primus Pergami Episcopus. 659. col. eiusdem Martyrium. 659.
Antiphonas Græci primùm composuerunt. 399.
Antiquus dierum cur dicatur Deus? 157. col. 2.
Antistes bonus plurimum est instar prouinciarum. 32.
Antonia Maximilla consanguinea Plinij secundi. 421. 425.
Antonius Possiuinus. 631.
S. Antoninus discipulus S. Dionysij. 80. 81.
Apelles statuitur ab aliquibus Smyrnæ Episcopus ante Polycarpum. 555.
Apellicon bibliothecæ Aristoteleæ instaurator. 560. col. 2.
Aphthartodocetæ hæretici. 681. 701. col. 2.
Apition comes S. Onesimi. 643.
Apocalypsis credita est ab aliquibus esse Ioannis senioris vnius e 70. discipulis. 630.
Apocalypseos loca explicata, vide supra in indice Scripturæ.
Apollinaris opinio de mille annis terreni regni post resurrectionem, à multis probata, & suscepta fuit; non tantum hæreticis, sed etiam catholicis. 663.
Apollinaris non potest esse auctor librorum, qui adiudicantur Dionysio Areopagitæ. 628.
Apollodorus scriptor citatus. 617.
Apollo patrius. 621. 623. 624.
Apollo Athenarum tutelaris. 624.
Apollophanes philosophus S. Polycarpo familiaris. 479
Apollophanes ad Christum conuersus à S. Dionysio & Polycarpo. 15.
Apollophanes fatetur eclipsim in passione Domini, diuinitus factam esse. 3.
Apollophanes asserit ex eclipsi, Deum pati. 3.
Apollophanes Paullum & Christum execratur. 12.
Apollophanes in S. Dionysium commouetur. 12.
Apollophanes obseruauit eclipsim factam in passione Domini. 225. eiusdem eclipsis descriptio. 225. 226. 227.
Apollophanis de eclipsi iudicium. 16.
Apologia pro epistolis S. Ignatij. 435. & deinceps vsque ad vitam S. Polycarpi.
Apostoli vt nubes volabant. 285.
Apostoli cur persecutionem passi. 262.
Apostoli simul vna die Diuæ virgini morienti adfuerunt. 27. 28.
Apostolorum constitutiones Clementi attributæ, sunt apocrypha. 383. col. 3. & 384. col. 1.
Apparitio Ignatij post mortem. 414.
Apparitiones S. Ignatij. 332.
Apprecatio bona, Dominus vobiscum sit. 340.
Aquæ ductus diuersi. 417.
Aquæ lapidescentes. 655.
Aquæ salutaris riuulus ob ducum Regis Antigoni auaritiam Edessi exaruit. 502.
Ara ignoti Dei. 6.
Ararath mons Armeniæ nobilitatus decem millibus militum martyrum. 694. col. 1. & 2.
Arbitrij libertas. vide Liberum arbitrium.
Archangelorum descriptio. 124.
Archengeri cœnobitæ visio. 101.
Archontes Atheniensium magistratus. 4. 603. 616.
Archontes qui. 229.
Arelate emporium in prouincia Narbonensi. 47. prima vrbs in gallia à S. Dionysio ad fidem inuitata. Ibid. Vnde Arelate dicta? 256. Quid ibi S. Dionysius gesserit. 47.
Areopagi commendatio. 5. 230. 231. 232.
Areopagita à Romanis magno in pretio habiti. 231.
Areopagitarum silentium. 230. Virtus illorum. 231.
Areopagitæ Iudices ex quo ordine assumerentur. 229. 230.
Areopagus vnde dictus. 229.
Arenaci pop. Hispaniæ Tarraconensis. 630.
Arij error circa Christi diuinitatem ab Hierotheo & Dionysio longè ante Arium præsocatus. 611.
Aristides Smyrnensis orator. 626. deplorauit Smyrnæ ruinam. 513. Apologiam pro Christianis obtulit Hadriano Imp. 677.
Aristion. vnus è discipulis Domini. 647.
Aristion quo pacto dicatur Episcopus Smyrnæ? 555. col. 2.
Aristophanes citatus. 625.
Aristophanis scholiastes. 624.
Aristotelea bibliotecha. 560. col. 2.
Arma victoriæ S. Dionysio appendi solita. 100.
Arnaldus Pontacus Episcopus Vazatensis laudatus. 548. col. 1.
Arnoldus Rayssius Scriptor laudatus. 431. col. 2.
Arnulphus Imperator impius & sacrilegus. 221. 222. Punitur diuinitus. Ibid.
Arroasiense Monasterium habet duas costas S. Ignatij. 431.
Artemion dux Iudæorum ducenta quadraginta millia hominum cædit. 393.
Arucrni Aquitaniæ populi. 580. col. 1.
Aruernorum regio lue inguinaria precibus S. Galli liberatur. 503.
Ascensionis Christi locum veneratus Lethbaldus Augustodunensis petijt mori, & obtinuit. 553. col. 1.
Asiæ ecclesia quas regebat S. Ioannes Euangelista. 478.
Athanasij locus ex Ignatio depromptus. 462. col. 1.
Athenæ quam Hierotheo obligatæ. 606.
Athenarum laus. 5.
Athenienses calumniantur S. Dionysium. 9.
Athenienses dolent S. Dionysium defecisse ab antiquis dijs ad ignotum. 9.
Athenienses puduit sustulisse Socratem è viuis. 240.

Athenienses quinam extraneorum fieri possent, seu eorum ciuitate donari. 622.
Atheniensium curiositas. 5.
Atheniensium de Socratis damnatione pœnitentia. 17.
Atheniensium mores. 5. Nobilitas. 603.
Atheniensis Ecclesia laus. 22. 25.
Athenis maxima quondam libertas religionis. 701. col. 1.
Athenis nulla, aut paucissima martyria, & cur? 7.
Athenis 4. fora iudiciaria præcipua. 623.
Athleta, Pugil, quinquertio, quid? 428.
Attila, flagellum Dei. 269.
Auari comparati Leopardis. 321.
Auaritiã esse caussam, cur cessent beneficia Dei prodigiosa, exemplis commonstratur. 562. col. 2.
Augustana confessio. 205.
S. Augustini lectio emendata. 505. col. 1.
Augustodunum vrbs Heduorum, & qui illic Sancti. 581. col. 2.
Augustus fauit Iudæis. 394.
Aurelianus Imp. infensus Christianis. 517.
Auriflamma Gallorum quid, & vnde dicta. 281. col. 1. distinguitur à vexillo peregrinationis. 281. col. 2. cælitus demissa. Ibid. Vbi amissa. 282. col. 2. 283. col. 1.
Auriflamma benedictio. 283.
Autochthones qui. 623.
Ausonij tetrastichon de Nerua Imp. 403. col. 1.

B.

BAlderici Nouiomensis historia citata. 265. col. 2.
Balneum valetudinis caussa adijt S. Ioannes Apostolus. 500. 577.
Balthasar Corderius Scriptor. 631.
Bandini Gualfreduccij in Neronis crudelitatem hendecasyllabi. 395. col. 2.
Bandini Gualfreduccij carmen de S. Ignatij tormentis. 415. col. 1.
Bandini Gualfreduccij epigramma de S. Polycarpo. 591. col. 1.
Blandini Gualfreduccij versus citati de SS. Zenone & Zena Martyribus. 410. col. 2.
Baptismi cerimoniæ quid significent. 129.
Baptismi paruulorum defensio. 139.
Baptismi variæ appellationes. 570. col. 2.
Baptismi vis. 8. 128.
Baptismus. 195.
Baptismus fundamentum caritatis. 614.
Baptizandus adit susceptorem, siue patrinum. 128.
Baptizandus vngitur. 199.
Baptizandum susceptor ad Episcopum reducit. 128.
Bardi apud Gallos qui? 268. 269.
Baro primus Franciæ Christianus è Montmorenciana familia. 72.
Barnabas Apostolus descripsit sua manu euangelium Matthæi hebraicum. 661. col. 2.
Barnabæ Apostoli corpus in Cypro inuentum est Zenonis Isaurici temporibus. 661. col. 2.
Baronij opinio de initio persecutionis Domitiani refellitur. 548. col. 2.
Baronij de S. Polycarpi profectione Romam error animaduersus. 573. col. 2. & 574.
Baronij duo loca in annalibus correcta. 551. col. 2.
Baronij lapsus memoriæ. 576. col. 1. 693. col. 1.
Baronij locus de Areopagitis correctus. 230. col. 2. 231. col. 1.
Baronij opinio de millenarijs à Damaso damnatis refutatur. 664. col. 2.
Baronij opinio de S. Papia refutatur. 650. 651. 661. col. 2.
Baronij sententia de Euodij scriptis refutata. 398.
Baronij sententia de mente S. Hieronymi refutatur. 557. col. 2.
Baronij sententia de tempore mortis S. Timothei refellitur. 559. 560.
Baronij sententia de tempore profectionis S. Dionysij in Galliam refellitur. 254. col. 1. 255. col. 2. 262. col. 1.
Baronij Cardinalis auctoritas vsurpata & laudata. 259. col. 2. 406. col. 1. 581. col. 2. 586 col. 1. 629.
Baronius in Michaëlis Syncelli reprehensione lapsus. 274. col. Idem in Notationibus ad Martyrologium correctus. 657.
Barsabas cognomento iustus cum S. Matthia in electione ad apostolatum compositus. 642. Eiusdem Sancto Matthiæ postpositi æquanimitas. Ibid. Idem venenum mortiferum innocue bibit. 641.
S. Bartholomæi dictum. 163.
S. Basilij Monachi feruntur Patmon insulam colere. 558. col. 1.
Basilius Millanius Michaëlis Syncelli interpres correctus. 232. col. 1.
V. Bedæ Martyrologium VIII. Cal. Decemb. correctum. 401. col. 1. & 2. Item ad Cal. Nouembris. 575.
S. Benignus Episcopus discipulus S. Polycarpi. 502. 503 Eiusdem apparitio. Ibid.
S. Benigni martyrium. 579.
S. Benigni Episcopi & Martyris miracula. 503. 579.
S. Benigno templa constructa. 580. Eiusdem reliquiarum translationes. Ibid.
Bernardus de Lutzemburgo homo ignauissimus, de S. Papia pessime scripsit, & meritissime ab Alphonso de castro vapulauit. 664.
Bernice castitatem seruatura se in fluuium demersit. 276.
Berthaldus dux ope S. Dionysij & sociorum martyrum è morbo desperato reualuit 109. Templum construit in honorem S. Dionysij & sociorum Martyrum. Ibid.
Bessarion Cardinalis citatus. 601.
Bestiæ seruiunt & victum præbent S. Mamanti. 518.
Bibliotheca Aristotelea. 560. col. 2.
Bibliotheca Matthiæ Coruini Regis Hungariæ. 618.
S. Birgitta erga S. Dionysium deuotio 104. Eidem sanctus Dionysius apparet. 105.
Binarius. Vide Franciscus Binarius.
S. Blanca Regina erga S. Dionysium pietas. 98.
Boëtius Martyr caput suũ abscissũ manu portauit 275.
Bona iuxta cuiusque dignitatem sunt facienda. 36.
Bonifacij pueri liberalitas in pauperes miraculo comprobata & compensata. 545.
Boni qui dicantur in Scriptura. 34.
Bonitas Dei nomen. 143.
Bonitas diuina se communicat creaturis 141. Eiusdem similitudo cum centro circuli. Ibid. Cũ sigillo. Ibid.
Breuiarium græcum iussu Clementis VIII. editum quod inscribitur Νέον ἀνθολόγιον. Nouum florilegium. 428 col. 1.
S. Bucoli elogia. 547. col. 2.
S. Bucolus Smyrnæ primus Episcopus. 534. Polycarpi Magister. 477. Consecrat Polycarpum sacerdotem. 483. prædicit fore Episcopum. 534. multa per visum de eodem Polycarpo cognoscit. 478.
S. Bucoli de Polycarpo diuina visio. 482. Eiusdem de eodem testimonium. 484. 485.
S. Bucoli beata mors. 484. 485 Ex eiusdem sepulchro planta ægris salutifera. 547. col. & 2.
Budæi locus malè à Baronio intellectus. 231. col. 1.
Bufones an fuerint insignia Regum Galliæ? 281.
Burchardus de Sarken Episcopus Lubicensis vixit centum & viginti annis. 264. col. 2.
Burdigala vrbs. 254.
Bythus. 190.
Byzantium vrbs, quæ & Constantinopolis. 419.

C.

Cæci non puniuntur si errent sed manuducuntur. 39.
Cædes hominum immanes. 393.
Cælestes deliciæ quibus præcipuè obtingant. 61.
Cælestia traduntur hominibus per Angelos. 121.
Cæli retrogressio. 14.
Cælibatus commoda & laudes. 476. & 477.
Cæli discessio. 40.
Cælij Rhodigini de S. Dionysio Areop. illustre testimonium. 275. col. 1.
Cæli immoti. 14.
Cærimoniæ à S. Dionysio præscriptæ etiamnum apud Græcos magna ex parte perseuerant. 197.
Cerimoniæ baptismi. 197.
Cerimoniæ circa defunctos. 204.
Cærimoniarum in rebus sacris cura. 25.
Cærimoniarum sepulturæ Christianæ interpretatio. 138.
Cæsarea Palæstinæ olim Turris Stratonis dicta. 657.
Caij antiqui Theologi & Scriptoris locus 657. 664. Existimauit Apocalypsim non esse Ioannis Apost. 664. col 1.
Calceamenta Sanctis detrahere. 590. col. 2.
Caligo diuina quid? 162.
Callisto vidua emit Polycarpum puerum 471. heredem facit. 473. Eius laudes. Ibid.
Camerius Diaconus Polycarpi comes & tertius ab eo Smyrnæ Episcopus. 492. 562. 563.
Camerius Diaconus ab Angelo excitatur è somno. 33.
Canendi alternatim in templis ratio per choros ab Ignatio introducta. 303.
Cantorum officium in ecclesia. 400.
Canones Apostolorum Apocryphi. 389. col. 1. 303. col. 2.
Charaxari seu signari. 503. 581.
Carcer Glaucini. 75.
Carceris ærumnæ faciunt Martyres fortiores. 75.
Caritas Christi. 4.
Caritas Christianorum. 213. 322. 358.
Caritas erga alienos, & inimicos, magna est fidei Christianæ commendatio. 298.
Caritas erga inimicos. 584. col. 1. & 2.
Caritas S. Ignatij. 266. 342.
Caritas in Deum est prima mentis ad diuina motio. 613.
Caritas indissolubilis. 357.
Caritas Polycarpi in viduas & senes. 476. 546.
Caritas, vitæ principium & finis. 359.
Caritatis impulsus. 341.
Caruntes Populi. 63. 267.
Carolus Bouius Ostunensis Episcopus, interpres constitutionum Apostolicarum. 555. col. 2.
Caroli Hersentij commentarius in Dionysium Areop. laudatus. 162. col. 2.
Caroli Sigonij error correctus. 230.
Carolus Caluus Rex Francorum. 100. veneno interijt. 101.
Caroli magni modestia pietas & deuotio erga S. Dionysium. 99. 100. Idem S. S. Martyrum Dionysij & Sociorum corpora secum in expeditionem deferri iubet 111. Victor gratus existit erga Deum & Christianam religionem Ibid. eiusdem pietas. Ibid. Eius deuotio honoratur adiectione imperij. 112.
Carolus Magnus pugnat aduersus Saxones. 284.
Eius in S. Dionysium fiducia. ibid.
S. Carpus Pauli discipulus. 41.
Cretæ Episcopus Dionysium hospitio excipit. 39. Idem Troade Episcopus 41. fuit vnus è septuaginta discipulis. 391. virtutes eius. 39. 250. col. 2.
Cassianus hospes S. Ignatij. 390.
Castimoniæ tres gradus. 481.
Castrensium ager. 276.
Catecheseos munus ægrè susceptum est à S. Polycarpo Diacono, ex humilitate. 480.
Catecheseos Polycarpi puncta præcipua. 480.
Cathecesis seu prima fidei rudimenta scripta à S. Hierotheo. 630.
Catechumeni qui? 24. eorum locus in Ecclesia. 25.
Catechumeni nullum è sacris mysterijs aspiciunt: cur? 138. 243.
Catena super 4. Euangelistas manuscripta. 534.
Catholici quando appellati. 384. col. 1.
Catulla matrona partim à S. Dionysio partim à S. Regulo instructa. 79.
Catulla Matrona S. Dionysij corpus & Sociorum eius Eleutherij & Rustici post martyrium in tuto deponit. 78. 79.
Catulla matrona reliquias S. Dionysij & S. Soc. eius Martyrum excipit. 115. 116. 276.
Catulliacus vicus. 276.
Centuriones Euangelij cuiates fuerint? 622.
Cerdo magister Marcionis. 576.
Cereris templum incensum. 626.
Cerinthiani hæretici. 664.
Cerinthus hæresiarcha. 68. 577.
Cerinthus prauæ opinionis millenariorum primus fuisse auctor creditus. 664. col. 1.
Cerinthus exosus S. Ioanni Apostolo. 500.
Certamina antiquorum. 428.
Ceruus ab insequentibus molossis in ædiculam S. Dionysij fugiens salutem consequitur. 94.
Chendechil filia Clodouei virginitate clara. 280.
Cherubinorum descriptio. 122. Docentur à Deo solo. 184.
Christi amor in homines immensus, ex quo ostenditur. 35.
Christi diuinitas ab Hierotheo asserta. 610. 611.
Christi in peccatores misericordia. 38. 40. 41.
Christiana plebs diuersis gradibus in Ecclesia 135.
Christiani à gentilibus dicti impij. 403. col. 1.
Christiani de sua fide certi pro eadem moriuntur 153.
Christiani morte affecti à Nerone. 396.
Christiani omnes primo æuo pueri appellati. 207.
Christiani nomen à Deo per Prophetas promissum Ecclesiæ. 396.
Christiani quibus alijs nominibus olim appellati. 384. col. 1.
Christianissimorum Franciæ Regum in B. Dionysium studia & honores. 98.
Christianorum caritas & concordia. 54.
Christianorum concursus ad S. Ignatium. 319.
Christianorum feruor in osculandis Martyrum vinculis. 410.
Christianorum grauitas. 629.
Christianorum in disseminando euangelio feruor. 21.
Christianorum nomen ortum Antiochiæ. 391. col. 2.
Christiano semper timendum. 340.
Christianorum studia & vota. 11.
Christianus sum, vox est Martyrum. 508. 588. col. 1. & 2.
Christi verba ad S. Dionysium Areop. 76.
Christophoride Castro rationes probantis Ignatium non fuisse puerulum illum à Christo exceptum refutantur. 383. col. 1. & 2.
Christophorsonus Eusebij interpres correctus. 664. col 1.
Christus crucifixus gentibus scandalum. 10.
Christus est diuinum altare. 133.
Christus Discipulorum immisericordiam in Samaritanos reprehendit. 38.
Christus in cruce orat pro persequentibus. 38.
Christus Magister. 430. Iudæorum salutem. 387.

Christus suscepisse hominem an dici possit. 633.
Chromaticus illustris Romanus. 542. col. 1.
Chronici Alexandrini de S. Polycarpo testimonium 469.
Chronici Alexandrini locus correctus, 594.
Chronologia Archiepiscoporum Rhotomagensium. 174.
S. Chrysostomus vide Ioannes.
Cibi nulli abominabiles. 356.
Cibus quilibet Christianis permissus. 680.
Cicada Atheniensium. 623. 624.
Cicadis plena. adagium. 625.
Ciceronis interpretatio Platonis correcta. 233. col. 1.
Ciceronis locus. 546. col. 1. 623. 226.
Ciceronis locus de Diuinatione ad explanationem Dionysij Areopagitæ. 164. col. 1.
Ciceronis locus de Areopagitis. 230. col. 2.
Ciceronis locus 2. officiorum explicatus. 589. col. 2.
Claudij Salmasij correctio emendata. 693. col. 2. 694. col.
Claudius Ptolemæus. 630. 655.
Claui configi solebant comburendi. 509. 590. col. 2. 591. col. 1.
Claui confixus non est Polycarpus. 509.
Clementis Alexandrini editio Florentina. 624.
Clementis Alexandrini locus è libris Hypotyposeon seu informationum. 661. col. 1.
Clementis Alexandrini locus correctus & explicatus. 624. 625.
Clemens Alexandrinus imitatus est S. Dionysium. 177.
Clemens successor S. Petri. 253. 254. 255. col. 2.
Clemens Rom. cessit Pontificatu. 44. 162. Mittit Dionysium in Galliam 44. Relicta Roma ad tempus varias in partes abit. 55.
Clemens Romanus quomodo dicatur Petri successor. 44.
S. Clemens Pontif. committit curam Galliarum atque Hispaniarum S. Dionysio 45. Eiusdem ad ipsum oratio. Ibid.
S. Clemens Pontif. exhortatur Eutropium ad repetendam relictam ob fructus desperationẽ prouinciam. 46.
S. Clemens Pontif. præsagijt Eutropium Futurum Martyrem in Gallia quo & illum misit. 62.
Clementis res à Petri Martyrio. 44.
Cletus & Anacletus apud SS. Patres vnus idemq; sunt. 261. col. 2.
Clodoueus. II. mente motus est ob irreuerentiam in reliquias S. Dionysij. 112. 113.
Clodouei. II. aduersus S. Dionysium irreuerentia. 284. eiusdem punitio. ibid.
Clodouei de suscipienda religione Christiana votum. 100.
Clotarius II. Rex Franciæ. 98.
Clotarius Rex Dagoberti parens. 93. 279.
S. Clotildis Clodouei vxor. 100.
Clotarius rex agnoscit se diuinitus impediri à comprehensione filij Dagoberti quem ad pœnam deposcebat. 94.
Cœtus Apostolorum & virorum Apostolicorum ad virginis Deiparæ excessum & exequias. 90.
Cognosce nos Polycarpe, non cognoscis nos? 578.
Collegia Monachorum & Virginum quando instituti cœpta. 204.
Colloquijs sanctis inardescunt animi. 323.
Colophon Ioniæ ciuitas. 397. col. 2.
Colossæ vrbs Asiæ. 654.
Columba visa in consecratione Polycarpi Antistitis. 485.
Columbæ apparitio in Episcoporum consecrationibus indicium præsentiæ Spiritus sancti. 554. col. 1.
Comarum attonsio. 202. 203.
Commendatio Ecclesiæ vrbis Romæ Traiani tempore. 320.
Commendationis ratio efficax. 497.
Comparatio elegans ad reuerentiam in Maiores natu aut digniores commendandam. 37.
Comprehensio S. Dionysij. 267.
Comprehensio S. Pauli permouet S. Dionysium ad commoriendum. 43.
Concilium. Vide Synodus.
Concilium Chalcedonense tempore Marciani Imperatoris. 30.
Concilium Laodicenum citatum. 553. col. 2.
Concilium Romæ sub Gregorio Magno. 701. col. 1.
Concilij Toletani locus. 629.
Concilij Tridentini locus. 241. col. 1. 453. col. 650.
Concionandi optima & fructuosissima ratio. 483.
Concionari est vnum è præcipuis Episcopi muneribus. 487.
Concionatoris egregij exemplum. 483. 484.
Concionatori optimum est in exordijs vti partitionibus. 551. col. 1.
Concionis S. Polycarpi in eius consecratione specimen. 487.
Concordia animorum in discordia sententiarum. 575. col. 2.
Concordia populi cum Episcopo & presbyteris. 358.
Concordia inter Christianos commendatio. 341. 357.
Conformatio Ignatij ad Dei voluntatem. 307.
Coniugium cur vnius cum vna tantum 549. col. 2. & 550. col. 1.
Coniunctio cum Deo ad quid necessaria? 359.
Conscientiæ vis prorsus alia in martyribus quam in facinorosis. 73.
Consecrationis ritus. 131.
Consortij praui incommoda: boni autem fructus. 545. col. 2. 546. col. 1.
Consortij praui nocumenta. 497.
Constitutiones Apostolicæ quando conscriptæ & cuius auctoritatis? 389. col. 2. 448. col. 2.
Constitutiones Apostolicæ citantur & refutantur. 555. col. 1. & 2.
Consultatio de vitæ statu deligendo. 476.
Contemplatio mysteriorum ecclesiæ perfectioribus conueniens. 132.
Contemptorum Sacerdotalis dignitatis verba. 36.
Contemplatio rerum diuinarum parit terrenarum contemptum. 56.
Contentio sancta inter Polycarpum & Sebastianum pro corona Martyrij. 542. col. 1.
Contraria de Deo enunciantur &, quomodo. 153.
Conuersationis bonæ fructus. 571.
Cornelius Tacitus citatus. 654.
Corona spinea Christi vbi? 101.
Corpore quomodo vtendum. 61.
Corporis Christi gloriosi dotes. 549. col. 1.
Corymbus & Crobylus qui differant. 625.
Cosmas scriptor. 628.
Credentes. i. Christiani. 384. col. 1.
Crescens lator epistolarum Polycarpi ab eodem laudatur. 533.
Crescens bis in Martyrologio positus. 170.
Cretenses dari ad recipiendam fidem. 215.
Crinibus Atheniensium implexa aurea cicada. 203.
Crobylus quid? 624.
Cruce signare totum corpus siue præcipuas eius partes, olim vsitatum. 552. 553.
Crucifixio gentibus ignominiosa. 237.
Crucifixionem Christi diabolus impedire conatus est. 347.
Crucis dominicæ claui vbi. 101.
Crucis in fronte frequens expressio approbata miraculo.

culo. 105.
Crudelitas inaudita. 393.
Crux alba in cranio S. Dionysii apparet. 241. idem cranium ad normam scutella argento celatum. 241. vinum inde bibitur ad dolores capitis mitigandos. ibid.
Crux Domini recuperata. 103.
Cuba, Dea cubandi. 627.
Cultores & Monachi quales? & vnde dicti? 33 & 38.
Cultorum seu Monachorum locus & munus. 36.
Cultorum locus in Ecclesia. 249.
Cultus Martyrum quam antiquus. 511.
Cultus quo Christus & quo martyres coluntur diuersitas. 511.
Cupiditas debet rationi obtemperare. 37.
Cura S. Ignatij de Ecclesijs. 327.
Curionis vocabulum explicatum. 588. 589.
Curtij locus l. 4. hist. correctus. 239. col. 2.
Cuminij deponuntur S. Eugenij reliquiæ. 84.
Cuminium Leodiensis diœcesis oppidum. 84.
Cybele mater Deûm. 42. 252. col. 1. & 2.
Cygnea vox S. Ioannis Chrisostomi. 176.
S. Cyrillus Alexandriæ Episcopus. 629. 631.

D.

DÆmon ad terrendum Taurinum eiusq. iter & labores impediendos varias formas induit. 69.
Dæmon cogitur de S. Dionysio & Taurino edicere veritatem. 70.
Dæmon horret S. Polycarpum. 494. & ab eodem ex adolescente pellitur. 493. 494.
Dæmones excantare. 565. col. 2. 566. col. 1.
Dæmones Iesum prædicantes corripiuntur, & cur. 36.
Dæmones non sunt mali naturâ. 141.
Dæmones quomodo bonum appetant 146. quomodo malum. 146.
Dæmones quomodo facti sunt mali. 146.
Dagobertus Clotarij filius. 93. 98. 107.
Dagobertus in S. Dionysij ædiculam tanquam in asylum confugit. 94. adiuuatur precibus S. Dionysij. 95.
Dagobertus Rex Franciæ: & eius pietas. 95. & seqq. 179. Eiusdem in Ecclesias donationes. ibid.
Damaris conuersa ad fidem. 7. 228.
Damarim vxorem fuisse S. Dionysij Areop. pluribus probatur argumentis. 227. 228. 229.
S. Damasus. 629.
Damnatum ad bestias non licebat vltra tormentis cruciare. 405.
Danielis Heinsij editio Clementis Alexandrini. 623. 625.
Danorum in Gallias irruptio. 101.
Daphnus Teo vrbis Ioniæ Episcopus hospitio excipit Polycarpum. 491.
Dauid quomodo pater Dei. 249.
Dauidis Origanis error de loco mortis S. Quadrati animaduersus. 701. col. 1.
Dedicandi templi partes à Christo suscipiuntur. 99.
Dei benigna præsentia quid secum afferat. 76.
Dei cognoscendi diuinissima ratio. 153.
Dei cum Sanctis mira familiaritas & benignitas. 60.
Dei è cælo salutis nostræ causa descensus. 50.
Dejerare ante reliquias S. Dionysij impossibile sine sceleris reuelatione. 113.
Dei latitudo longitudo profunditas. 156.
Dei motus status sessio quid sit? & de triplici eius motu circulari recto obliquo. 157.
Dei perfectio in quo consistat. 161.
Dei prouidentia in permittendis malis. 149.
Dei sapientia in vocatione ad fidem. 3.
Deitas quid. 160.
Delectus proborum sodalium inuat ad virtutem. 291.
Demas Magnesiorum Episcopus, & quis 407. periculum mortis à Nerone declinauit. 408.
Demas Paulli adiutor. 408.
Demersio trina baptizandi. 129.
Demophili littera arrogantia & malè gloriationis plena. 35.
Demophilus cultor siue Monachus. 33. 92.
Demosthenes citatus. 622.
Deo eidem sunt similia & dissimilia diuersis respectibus. 156.
Deo seruientes cõsolationes in terris ab eo accipiunt. 27.
Deorum miseri interitus. 315.
Deorum non Deorum denotatio. 315.
Deo inconsulto nihil aggreditur Dionysius. 57.
Deorum nomine appellantur principes & Iudices. 627. 628.
Deos cum hominibus in terra versatos crediderunt Gentiles. 567. col. 1. & 2.
Deposita animarum reddenda à pastoribus. 497.
Descensus Christi ad inferos explicatur & contra hæreticos defenditur. 447. col. 1.
Desiderium videndorum Apostolorum. 55.
Detectio corporis S. Dionysij 210.
Deum laudare. 164.
Deus Agonothetes. 430.
Deus amabilis. 145.
Deus concedere solet Sanctis suis petitiones suas. 283.
Deus est omnia & nihil. 150.
Deus est vita & vitæ auctor. 160.
Deus ipse amor. 145.
Deus nihil est intelligibilium. 165. col. 2.
Deus nihil est sensibilium. 165. col. 1.
Deus non potest producere malum. 149.
Deus opem promisit omnibus pro quibus S. Dionysius supplicasset. 282.
Deus per somnia & visa futuros euentus sanctis aliquando declarat. 43.
Deus quomodo æqualis. 157.
Deus quomodo cognoscat omnia. 158.
Deus quomodo cognoscatur ab hominibus. 153.
Deus quando maximè præsto sit. 301.
Deus quomodo dicatur vnum. 161.
Deus vbique est. 234.
Deus vocatur ens sine qui est. 150.
Deus vocatur omnitenens 157. omnipotens. ibid. antiquus dierum. ibid.
Deus Zelotes. 145.
Dexter vide Flauius.
Diabolus. vide Dæmon.
Diaconi creatio. 134.
Diaconi insignes. Philippus & Stephanus, è septem primis. 658.
Diaconorum gradus 349. 350.
Diaconorum propria functiones. 133.
Diaconorum sanctissimi quid 350.
Dies vnus ferè tribus æquatus. 14. 238.
Digitus S. Editha ad S. Dunstani precationem mansit imputribilis. 105. 106.
Dij a Gentilibus habiti sunt quidam sanctorum, propter miracula. 567. col. 1.
Dij à Gentilibus crediti ad terras descendere, & cum hominibus versari. 421.
Dij appellantur, Angeli & homines sancti. 126 col. 1.
Dipolia quid sint? 625.
Dio Cassius citatus. 514.
Dionysij Alexandrini locus contra Corinthium, de mille annis terrenæ beatitudinis post resurrectionem. 664. col. 1.
Dionysij Carthusiani locus 284. col. 2. 631. 632. 633.
Dionysij Areopagitæ ad Martyrium alacritas. ibid. 270. Incarceratio. ibid.
Dionysiani libri reprehensores cuiusmodi homines sint.

nus sint. 56.
S. Dionysij ætas, computata. 266.
S. Dionysij primum votum eiusdem itinera 1. 2. idem Galliarum apostolus 1. idem miraculis clarus 1. eiusdem natiuitas. 2. idem artibus liberalibus studet. 2.
S. Dionysij Areop. cranium vbi. 241. col. 2.
Dionysij Areop. epistola ad S. Clementem. 262. col. 2.
Dionysij Areopagita nomine edita in lucem scripta cuius sint? 175. Scultetus refutatus. 178. 179. 187.
S. Dionysij ad Apollophanem Philosophi litteræ. 479.
S. Dionysij ad Apollophanem epistola. 15. Moyses. 16.
Dionysij ad consanguineorum cauillos responsio. 11.
S. Dionysij Areop. ad S. Polycarpum verba. 479.
S. Dionysij ad labores multiplicandos incitamenta, & eiusdem zelus ad animas Christo conquirendas. 31.
S. Dionysij ad verba Clementis responsio. 48.
S. Dionysij Areopagita lenitas & beneuolentia erga S. Papiam. 644.
Dionysij ad Lutetiam acta compendio relata. 51. Eiusdem miracula. 51.
Dionysij ad mortem alacritas & dicendi fiducia. 71.
S. Dionysij ad Polycarpum epistola. 13. veritas agnita sufficit bono viro. 13.
S. Dionysij Areop. locus de S. Papia explicatus. 644.
S. Dionysij Areopagita scripta ante mille annos citata. 175.
S. Dionysij corpus vbi sit. 284.
Dionysij corpus an sit in vrbe S. Dionysij prope Lutetiam, an Ratisponæ in Baioaria? 217.
S. Dionysij dictum incertum: nempe D. Virginem deam esse se crediturum nisi ratio vel fides prohiberet. 31.
Dionysij epistola ad Apollophanem asserta vt legitima 239. col. 2. 240. col. 1.
S. Dionysij ad Virginis adhuc viuentis thalamum exultatio & profectus. 28.
S. Dionysij eloquentia. 49.
S. Dionysij cura circa ecclesiam Atheniensem. 22.
Dionysij epistola in quibus potissimum elucet ipsius mansuetudo. 93.
Dionysij, & Apollophanis amor mutuus. 11. 12.
Dionysij & Apollophanis de fide congressio. 11.
Dionysij ex vrbe in Galliam comites. 46.
Dionysij centum & decem annos nati aduersus tormenta magnanimitas. 74.
Dionysij sermo cum ad aram faceret. 243.
Dionysij humilitas. 23.
S. Dionysij in corpus suum austeritas. 19. 20.
Dionysij in Galliam regressus. 66.
Dionysij ingens desiderium reuisendi Paulli. 43.
Dionysij in Reges Francorum beneficia. 96.
Dionysij inter sacrificandum deuotio. 26.
Dionysij in virtutum via profectus. 22.
Dionysij labores & fructus in vrbe Arelate. 49.
Dionysij laudes. 117.
S. Dionysij libri de cælesti hierarchia, & de ecclesiastica, Scripti sunt in Gallia. 54.
Dionysij locus vitiosus à nullo hactenus nequidem à S. Thoma animaduersus, iam correctus. 147. col. 2.
Dionysij martyrium quo tempore? 272. 273. Vbinam? 72.
Dionysij Martyris truncum corpus incedit. 272.
Dionysij Romam aduentus. 254.
S. Dionysii sacellum. 75.
S. Dionysij scripta miraculis honestata. 180.
Dionysij scripta non possunt attribui Apollinari 125.
S. Dionysij socij quinam? 254. Arelatum veniunt Ibid.
Dionysij Spiritus apostolicus. 41.
S. Dionysij statura. 116.
S. Dionysij templum à quo consecratum? 279.
S. Dionysij templum Leodij à Notgero Episcopo extructum. 105.
Dionysij tres clari scriptores. 223.
Dionysio adhibentur noua tormenta. 75.
S. Dionysio ædiculæ complures apud Parisios constructa. 80.
Dionysio amplissima potestas in Occidentis Ecclesias conceditur. 45.
Dionysio Christus apparuit in carcere suiq; corporis & sanguinis sacramentum porrexit. 271.
Dionysio in carcere Sacrificanti apparuit Iesus Christus, eique sacram hostiam præbuit. 76.
S. Dionysio prima ædicula à S. Regulo Arelatensi episcopo dedicata. 79. 80.
Dionysius ab Apostolo ad fidem conuersus. 223.
Dionysium nullæ occupationes à Deo abstrahunt. 69.
S. Dionysius acta Eucarpi Martyris græce conscripsit. 62.
S. Dionysius ad Lutetiam Parisiorum diuino nutu accessit. 51.
Dionysius ad quæ retractauit. 211.
Dionysius ad reuelationes diuinas eximiè aptus. 60.
S. Dionysius ante susceptam fidem fuit sectâ Platonicus. 7. 235.
S. Dionysius à S. Paullo baptizatus. 8. 235. col. 2.
Dionysius à Paullo conuersus. 116.
S. Dionysius à Paullo creatur Episcopus. 21. 43.
Dionysius ad scribendū quibus inductus sit caussis. 90.
S. Dionysius apparet S. Brigittæ. 105.
S. Dionysius apparet S. Dunstano episcopo. 156.
S. Dionysius appellatur ab Apollophane contumeliosè parricida. 13.
Dionysius Areopagita Paulli discipulus an idem qui & Episcopus Parisiensis. 166.
Dionysius Areop. De diuinis nominibus c. 2. citatus 601. Idem Dionys. cap. 3. pag. 627. 628. 631.
Dionysius Areopagita Polycarpo familiaris. 479.
S. Dionysius Atticam Christo acquisiuit, Galliarum item bonam partem & Hispaniarum. 32.
Dionysius capite truncatus. 115.
Dionysius caput truncum fert ad duo milliaria. 115.
S. Dionysius clericos vt alijs præluceant exhortatur. 24.
Dionysius credidit absque miraculis. 234. col. 2.
Dionysius cuius sectæ philosophorum fuerat. 236.
S. Dionysius cum Augusto & Eleutherio in interiorem Galliam penetrat 51.
Dionysius Dagoberto apparet & regnaturum prædicit. 94.
S. Dionysius de solis Eclipsi audit à S. Paullo. 6.
S. Dionysius de S. Ioanne euangelista quæ præcognouit. 58.
Dionysius de vicina morte diuinitus premonetur. 69.
S. Dionysius discipulus fuit SS. Paulli & Hierothei. 19.
Dionysius diuina à Deo edoctus. 57.
Dionysius Diuino consilio euasit Diocletiani persecutionem. 63.
S. Dionysius Domitiani tempore multa passus. 261.
S. Dionysius dura pro Christo pati in bonis ponebat. 260. 261.
S. Dionysius è Gallijs in Asiam ad visendum S. Ioannem exilio liberatum se accingit. 64. 263.
S. Dionysius felix in eluctandis contra fidem machinationibus. 17.
Dionysius erat Heliopoli tempore Eclipsis Christi

Passionis Christi Domini. 2.
Dionysius floruit tempore Apostolorum. 181.
Dionysius frequenter congressus cum Apollophane. 240.
Dionysius grauiter deflet peccatum Demophili. 38.
Dionysius imitator S. Paulli. 26.
S. Dionysius in Apostolorum curas succedit. 42.
Dionysius in diuersa Galliæ loca distribuit comites ac discipulos. 48.
Dionysius in Ecclesiæ persecutionibus clarius à Deo illustratur. 57.
Dionysius in Hispaniam pro fidei rebus profectus. 54. 258.
Dionysius in ipso Euangelij præconio comprehenditur. 70.
S. Dionysius in numerum Areopagitarum assumitur. 4.
Dionysius in phrygiam vsq; penetrat ibiq; aliquot annos fidem annunciat. 42.
Dionysius in sermonibus ad populum quantus fuerit. 41.
S. Dionysius instruit Demophilum de honore deferendo sacerdotibus. 37.
S. Dionysius instruit Lacedæmonios. 48.
S. Dionysius inter Archontas cooptatur. 4.
Dionysius in terris præsentia Diuæ Virginis fruitur. 27. 28.
Dionysius Ioannem Magistrum Ephesi conuenit. 65. 285.
Dionysius Lacedæmonijs fidem prædicauit. 252.
Dionysius libros suos edit retractationum. 68.
S. Dionysius martyrium obijt apud Parisios. 168. 173.
Dionysius mori optat pro Christo. 11.
Dionysius non concionatur iucunda sed vtilia. 26.
S. Dionysius ob scientiam clarus. 4. Damarim vxorem Ducit. 4.
Dionysius obtruncatus gestat in manibus caput. 78.
Dionysius Parisienses excoluit. 48.
Dionysius Paulli comes. 241. Mortificationis amans Ibid.
Dionysius per eclipsim in passione venit in cognitionem Dei. 217.
Dionysius præceptoris sui Paulli meminit in scriptis suis sæpius. 240. col. 2.
S. Dionysius præsensit mortem. 206. 67.
S. Dionysius Princeps Iudicum Areopagi. 5.
S. Dionysius Publium in locum suum surrogauit. 3?.
Dionysius quænam egerit Traiani imperatoris temporibus. 68.
Dionysius quando affectus martyrio. 277.
Dionysius quando scripserit librum de diuinis nominibus. 212.
Dionysius quando venit in Galliam. 262. scripsit acta Martyrij Eutropij. 262. illa misit ad Clementem Pontificem. 262.
S. Dionysius quare nolebat sua scripta esse omnibus communia. 105. & 196.
Dionysius quo ætatis anno conuersus ad fidem 7. 235. col. 1.
S. Dionysius quo anno creatus Episcopus Atheniensis. 12.
Dionysius quo Imperatore martyrium obierit 77. de hac re sententia ibid. erat Platonicus. ibid.
Dionysius quot annos vixerit. 77. 272.
Dionysius remittitur à Ioanne in occidentem. 65.
Dionysius Romæ Apostolorum discipulos & æquales suos conuenit. 44.
Dionysius Romam ad Clementem Papam venit. 66.
S. Dionysius Romam properat. 43.
S. Dionysius scientia humana & opibus nihili æstimatis fit discipulus S. Paulli. 8.
Dionysius sacella construit. 258.
Dionysius semper dispositus ad excipiendos radios diuinæ lucis. 57.
Dionysius Sanctinum & Antonium suo interesse voluit martyrio idq. litteris prodere. 70.
S. Dionysius scribit ad S. Ioannem euangelistam. 59.
Dionysius senator Areopagi. 115.
Dionysius sponte dimittit episcopatum Atheniensem. 85.
S. Dionysius serius venit Romam ad visendum S. Paulli martyrium. 43.
S. Dionysius statuit transire ad fidem 6. conuertitur. 7.
Dionysius sua scripta postremis annis expoliuit. 208.
Dionysius subrogato sibi Episcopo Romam adijt. 173.
Dionysius tempore Passionis fuit tantum viginti quinque annorum. 216.
S. Dionysius tempus Eclipseos notat. 3. accipit à Paullo caussam Eclipseos factæ in passione domini. 3.
S. Dionysius tentatur à consanguineis. 9. 10.
S. Dionysius ostendit falsorum deorum vanitatem. 10.
Diuina timidè & circumspectè tractanda sunt. 139.
Dionysius Timotheum vocat filium ob ætatem: alioqui rerum Diuinarum scientia sibi parem facit aut superiorem. 88. 213. 214.
S. Dionysius tribus annis adhæsit Paullo. 19.
Dionysius vbi martyrium cum socijs obijt? 78.
S. Dionysius verba formæ essentialia quibus singuli ordines conferuntur reticuit cur? 134.
S. Dionysius viginti quinque annos natus tempore passionis dominicæ. 16.
Dionysius vincit ignem, bestias, crucem. 75. è cruce tanquam è suggestu concionatur. ibid.
Dionysius vixit amplius centum & decem annis 78.
Diploma quo probatur corpus S. Dionysij esse Ratisponæ. 218. 219. refutatur. 219. 220.
Discipuli egregij exemplar. 387.
Discipuli sancti sunt corona magistrorum. 80.
Discipulorum domini disputatio de honoris præcellentia. 290.
Discipulus Christi germanus quis? 321.
Dissidia inter Christianos fugienda. 358.
Diuina per negationes verius & melius exprimuntur quam per affirmationes. 120.
Diuinæ illustrationis efficacia. 119. Molanus laudatus. 170. col. 1.
Diuinis nominibus plenè explicandis impares etiam Angeli. 89.
Diuinis rebus percipiendis quinam aptissimi. 112.
Diuinitas Christi per miracula probata. 217.
Documenta vel hi Christiana vtilissima. 32.
Dominationum descriptio. 124.
Dominatus quid. 100.
Domine Cæsar. Has voces à Christianis exposcebant Gentiles. 385. col. 1. & 2.
Dominicum id est templum. 555. col. 2.
Domitiani acta à Senatu rescissa. 417.
Domitiani exitium & persecutionis exitus. 63.
Domitiani Imp. Superbia. 58. 402.
Domitianus imperio & vita pulsus. 59.
Domitianus Dei & Domini nomen malè vsurpauit. 63.
Domitiani persecutio. 259. 261. 458.
Domitiani sæculum triste. 401.
Domitianus indignus nomine hominis. 263.
Domitianus Neronianæ in Deum odij belliq; successor. 401.
Domitianus vult Deus appellari. 58. 260. 402.
Donatus Grammaticus præceptor S. Hieronymi citatus. 626. & 627.
Dorothei Synopsis, cuius sit Dorothei incertum. 555. col. 2.
Dotes S. Dionysij ad gentilium conuersionem. 45.

Drepa-

Drepanius Florus. 619.
Druides Galliæ Flamines Dionysio sæpius insidiati. 70.
Druides quinam 267. & eorum auctoritas ibid. & 267. 268.
Druides vi diuina impediti ne Dionysium caperent. 71.
Dyrachium vrbs. 412.

E.

EBionæi hæretici admittunt euangelium secundùm Matthæum, 602. col. 1.
Ebion hæreticus. 66. 260.
Ebroica Galliæ celticæ ciuitas. 69. 266.
Ecclesia a capite visibili in terris regitur. 410.
Ecclesia Antiochena nouellæ oliuæ comparatur. 343.
Ecclesia Atheniensis a Paullo inchoata. 21.
Ecclesia crescit persecutionibus. 306.
Ecclesiæ facies sub Nerua imperatore. 310.
Ecclesiæ vires primis Traiani temporibus. 313.
Ecclesiæ incrementa Constantino Magno imperante. 401.
Ecclesiæ status Neronis tempore. 43.
Ecclesiæ status varius. 303.
Ecclesia persecutione sicut vitis resectione proficit. 63.
Ecclesiæ regimini qui sunt apti. 38.
Ecclesiæ seruitia quantam exigant curam. 33.
Ecclesiasticorum disciplina maximi momenti res. 32.
Ecclesia Vespasiani Imp. tempore in pace efflorescit. 52.
Eclipsis facta in Passione Domini mouet Gentilium & Iudæorum corda. 3.
Eclipsis in Christi passione Diuinarum rerum mutationem ostendit. 15.
Eclipsis Solis Passionis dominicæ tempore 2. 6. 225. illius mentionem facit Ælius genliuertus Hadriani. ibid.
Eclipsis facta tempore Passionis Christi Domini. 3.
Ecstasis est effectus amoris. 165.
Ecstasis Hierothei. 616. 617. 622.
Edessa ciuitas Macedoniæ, & aquæ illic salutares, ob nonnullorum auaritiam, prodigio deficientes. 562. col. 2.
S. Eduardi Regis in S. Dionysium pietas & munificentia. 106.
S. Eduardus Rex Anglorum. 222. col. 2.
S. Editha templum construit S. Dionysio. 105.
Edulia dea edendi. 627.
Egemus omnes diuina clementia. 35.
Elata pluribus apparens. 8.
Eleusiniis sacris initiati. 604. 626.
Eleusiniorum mysteria. 677.
Eleutherius socius S. Dionysii. 46. 64.
Eleutherius martyrio affectus. 105.
Elias Propheta exemplum proponitur. 495.
Eliæ miraculis miracula S. Dionysi comparata. 264.
Eliæ spiritus rigorosus. 30.
S. Eligius olim excellens aurifex totam artis industriam in S. Dionysii honorem impendit. 106.
S. Eliphius martyr caput suum truncatum manibus ad milliare portauit. 275.
Elogia SS. Patrum de S. Ignatio. 237.
Eloquentiæ vis in Aristide Smyrnæo. 513. 595. col. 2.
Elymas magus. 23.
Elyma Magi S. Paulio conuiciantis obiectio. 134. eiusdem refutatio. ibid.
Energumeni qui? 24.
Energumenorum locus in templo. 25.
Entis nomen vt Deo conueniat quatenus explicari possit. 149.
Ephesinæ ciuitatis descriptio. 548. col. 2.
Epicurei leues. 242.
Epicurei maximè distantes à moribus Christianis. 236.
Epicurei omnium à fide Christiana alienissimi. 11. 236.
Epicurei voluptatum amantes. 11.
Epidamnij quales. 412.
Epidamnum quænam vrbs. 412.
Episcopatum à S. Ioanne Euangelista Polycarpus accipit. 543. col. 1.
Episcopatus excellentia. 351.
Episcopi antiqui domiciliis propriis carebant. 390.
Episcopi consecratio. 134.
Episcopi dignitatem fugitantium exempla. 551. 552.
Episcopatus cathedram si ascendissem, aiebat quidam S. Victoris canonicus, in damnationis perpetuæ periculum incidissem. 552. col. 1.
Episcopi duobus modis alios perficiunt. 136.
Episcopi gregem suum in aduersis deserentes castigantur a Sanctis & vapulant. 255. & 256. col. 1.
Episcopi humilitas sancta. 520.
Episcopi Longani. 263. col. 2. 536. col. 2.
Episcopi munus est ad populum concionari. 437.
Episcopi quales debeant esse. 131.
Episcopi Sancti multum luminis à Christo accipiunt 60.
Episcopi scientia qualis & quanta esse debeat. 135.
Episcopus Sanctis nunquam non præsto est Deus. 43.
Episcopi vocantur Angeli. 115.
Episcoporum eligendorum ratio. 554. 555.
Episcoporum excellentia. 349. 350.
Episcoporum paucitas in primis sæculis. 491. 492.
Episcoporum primorum series in Ecclesiis cur incerta. 21.
Episcoporum virtus & ecclesiæ gubernandæ ars in persecutionibus claret. 209.
Episcoporum eligendi ritus. 486.
Episcoporum munus. 131. 351.
Episcopus neminem ad ordinem promouere debet sine instinctu Dei. 135.
Episcopus recipit & examinat Baptizandum. 128.
Epistata quis? 419. 430.
Epistola Dionysii ad Demophilum vtilitates. 33. 41.
Epistola S. Dionysii ad S. Ioannem in Patmo exulem scripta. 260.
Epistola 2. S. Ignatii ad S. Ioannem Apost. & vna ad Deiparam Virginem an germanæ sint. 404. & deinceps.
Epistola Ignatii ad Mariam vulgo Cassobolitem dictam. 410. eadem epistola defensa ibid. 441.
Epistola ad Philippenses scripta ab Ignatio & vbinam? 327.
Epistola S. Polycarpi ad Philippenses integra producitur. 525.
Epistola Ignatii ad Polycarpum. 386.
Epistola Ignatii ad Romanos inscriptio vera ac germana est ea quam affert Metaphrastes. 463. col. 1.
Epistola Ignatii ad Trallianos. 408.
Epistola S. Ignatij Troade conscripta. 324.
Epistola Martyrum quanti ab Ecclesia æstimata. 333.
Epistola à S. Ignatio Philippis conscripta. 273.
Epistola in vrbe Smyrna ab Ignatio scripta. 320.
Epistolarum circularium inscriptiones. 590. col. 1.
Epistolarum S. Ignatij laus. 435. catalogus earum quæ non sunt catholicis controuersæ. ibid pro iisdem non admissis ab hæreticis apologia. 436. 437. 438.
Epistola Smyrnensis ecclesiæ catholica, siue circularis. 512.
S. Eradius Senonis Episcopus. 280.
Erasmus citatus & correctus. 625.
Erroris spiritus. 311.

Essei Philonis erant Christiani. 629.

Euangelista cur euangelium a diuersis exorsi sint principijs. 533.

Euangelium amplum & concisum. 163.

Euangelium S. Ioannis quoto eius ætatis anno scriptum sit. 59.

Euangelium S. Ioannis scribendum prædicitur. 58.

Euangelium S. Ioannis translatum fuit hebraicè & Tiberiade in gazophylacijs asseruatum. 662. col. 1.

Euangelium Ioannis altitudine mysteriorum alijs nobilius. 67.

Euangelium S. Marci qua de caussa scriptum sit. 661. col. 1.

Euangelium Matthæi scriptum est hebraicè & S. Barnabæ manu descriptum. 661. col. 1. & 2. Item 662. col. 1.

Euangelium secundùm Hebræos. 649.

Euangelium secundum Hebræos quodnam appelletur ab Eusebio. 662.

Euangelium secundum Matthæum admissum fuit ab Ebionæis. 662. col. 1.

Eubages apud Gallos qui? 268. 269.

Eucharistia 200. 201. eiusdem nomina 201. Error Sculteti circa illam. 200.

Eucharistia baptismo sanctior. 8. 195. col. 1.

Eucharistia Christi manu porrecta S. Dionysio Areop. 76. & alijs. 271. col. 1. & 2. 272. col. 1.

Eucharistiam cur Pontifex primus sumat quam alijs distribuat. 131.

Eucharistia impurum Diaconum fugientis miraculum. 504.

Eucharistiæ tanquam viua & videntis inuocatio. 86.

Eucharistiæ vis admirabilis. 349.

Eucharistia in omni ordinum collatione & Sacramentorum consecrationumue ritu conferri solita. 137. col. 1.

Eucharistię perceptio participationis Iesu Imago. quomodo intelligendum. 119.

Eucharistiæ significatio & effectus. 131. 195.

Eucharistia Sacramentum Sacramentorum. 8. 129. 631.

Eucharistiæ vtilitas. 20.

Eudoxus Philosophus. 2.

S. Eugenij acta in Concilio Leodiensi recognita. 84.

Eugenius discipulus S. Dionysij. 80. 108.

S. Eugenij episcopi Toletani laudes 82. eiusdem in Galliam profectio, & martyrium 83. eius cadauer in lacum Marcosium proijcitur ibid. ducentis post mortem annis integrum reperitur. ibid.

S. Eugenij honorifica sepultura & ad sepulchrum miracula 83.

Eugenij hymnus in honorem S. Dionysij. 277. col. 2.

S. Eugenij corpus 200. annis latuit 278. eius reliquiæ ibid. eius miracula. ibid.

S. Eugenius in Galliam visendi Dionysij caussa venit. 277.

Eugenius III. pontifex 102. in Gallia diuersatur. ibid.

Eunuchi etymologia. 549. col. 2.

S. Eunuchi Candaces Reginæ Æthiopum laus. 658.

Euodius episcopus Antiochenus. 394. 397. 398.

Euodius Antiochiæ Episcopus ante Ignatium. 391. col. 1.

Euodij Antiochiæ Episcopi martyrium. 300.

Euodius mortem pro Christo passus. 307.

Euodium petrus ordinauit. 384.

Euripides vnicum agnouit Deum sed non ausus est profiteri palam. 253. col. 1. & 2.

Eusebius Cæsariensis. 636.

Eusebij Cæsariensis de S. Polycarpo testimonium. 469. 491.

Eusebius Cæsariensis explicatur. 655. 656.

Eusebius lib. 5. hist. cap. 13. citatus. 523.

Eusebius multa scripta Antiquorum omisit. 182.

Eusebius Cæsariensis refutatur. 651.

Eusebius saluauit memoriam multorum scriptorum. 184.

Eusebij Cæsariensis, De præparatione Euangelicâ, interpretatio per Georgium Trapezuntium notatur vt manca & insufficiens. 561. col. 1.

Eustathius Homeri interpres citatus. 626.

Eutropij Martyrium scriptum a S. Dionysio. 285.

S. Eutropij nobile martyrium. 62.

S. Eutropius ad labores gallicos vnde imprudens excesserat reuertitur. 46.

Eutropius Santonas conuertendos suscepit. 48.

S. Eutropius Martyr, & aliqua eius acta. 174. 255. col. 2.

S. Eutropius missus in Galliam à Clemente 261. eius Martyrium 262. Episcopus apud Santionas. 262.

Eutropius in Santonibus longo tempore pauculos ad fidem conuertit 46. animum istic laborandi abijcit 46. animos resumit 46. filiam Principis Santonum ad fidem conuertit 46. fit martyr. 46.

Exemplaria quid sint. 150.

Exempla maiorum maximi facienda. 501. 502.

Exempla maiorum proponuntur imitanda, Ignatij, zosimi. Rufi. 529.

Exemplum S. Ioannis Apostoli de fugiendis hæreticis. 500.

Exemplum misericordiæ Dei in peccatores rarissimum. 39.

Exequiarum cerimoniæ quem fructum præsentibus afferant. 138.

Exhortationes à S. Dionysio Christianis facta. 32.

Exilia Sanctis non sunt grauia. 260.

Exilia Sanctorum Dei dispositione multis sæpe profuerunt. 307.

Exorcistarum officium. 401.

Exorcizatio. 199.

Exsufflatio. 199.

Exuperius Diui Clementis discipulus. 273.

Eysengrenij error de S. Taurino correctus. 266. col. 1.

F.

FAbæ in Epiro ob auaritiam Alexandri Regis, qui Pyrrhi filius fuit, crescere desierunt. 562.

Fabula, pro vero sermone. 569. col. 2.

Falsorum Deorum refutatio. 50.

Famis tempore auxilium à Polycarpo deposcitur & obtinetur. 494.

S. Felix martyr discipulus S. Polycarpi. 502. 503. 504.

Fardulphus Abbas S. Dionysij. 111.

Fescenninus Præfectus. 273. 278 76. 77.

Fiat voluntas Domini, vox est S. Polycarpi obuiam euntis persecutoribus. 582. 583. 584.

Festi dies in Ecclesia quinam tempore S. Ignatij. 352.

Fidei Christianæ efficacia. 8.

Fides Christianæ commendatio. 153.

Fidei desertor metu tormentorum. 583. col 1.

Fidei postponebat animam S. Dionysius. 42.

Fides sine operibus bonis infructuosa. 32.

Fides vitæ principium & finis. 352.

Filij cum Patre æterna coëxistentia in Diuinis. 189.

Filij vt hominis in secunda persona SS. T. quænam sint propria. 141.

S. Firmino Amboanensi Episcopo porrexit Christus manu sua Eucharistiam. 271.

Flammula, vexillum, Francorum. 101. 281. qualis fuerit. ibid.

Flauia Domitilla exul. 261.
Flauius Clemens à Domitiano interemptus. 261.
Flauius Dexter citatus. 622. 630.
Flauius Dexter quis fuerit? 101. 621. col. 1.
Flauius Dexter refutatus. 209. 210.
Flodoardus historicus. 242. col. 2.
Flos Sanctorum Alphonsi Villegas citatur 621. col. 1.
Forma collationis ordinum apud Græcos. 134.
Francia regnum S. Dionysio offertur. 99.
Francisci Biuarij laus. 252. col. 1. 259. col. 1. 690. col. 1.
Franciscus Biuarius. 209. 210. 211.
Franciscus Biuarius, de Cornelio Centurione cohortis Italicæ, Actor. 10. ver. 1. refutatus. 392. col. 1. & 393. col. 1.
Franciscus Biuarius citatus. 621. col. 2. 622. col. 2. 630.
Franciscus Biuarius de loco S. Dionysij malè intellecto refutatus. 244. 245. 246.
Franciscus Biuarius de Tito & Timotheo refutatus. 214. 215. 216.
Francisci Ribera commentarius in Apocalypsin laudatus. 659. col. 2.
Francisci de Sales laus. 250. col. 2.
Francisci Soares de S. Dionysij scriptis iudicium. 219. col. 2.
Francisci Vigeri interpretatio Latina librorum Eusebij De præparatione euangelica laudatur. 561. col. 1.
Francisci Zini interpretis homiliarum S. Ioannis Chrysostomi interpretatio aliquot locis correcta. 387. 428. col. 1. & 2. 429.
Franciscus seu ardentius laudatus. 533. & 534.
Franciscus Gonzaga Scriptor citatur. 562.
Franciscus Turrianus Constitutiones Apostolicas primus græcè edidit. 555. col. 1.
Franciscus Turrianus Scriptor laudatus. 596. col. 1.
Fridericus Silburgius laudatus. 624.
Fronto Ducæus Scriptor laudatus. 701. col. 2.
Frumenti prodigiosa multiplicatio. 492.
Frumentum Christi sumus &c. 330. 373. 413. col. 1.
Fures sacrificati pro populo. 237.

G.

Garsias Loaysa refutatus. 633.
Gaspar Barzæus diuina passus. 632.
Gaudia Angelorum quid sunt. 127. col. 2.
S. Gangericus cuias sit. 265.
S. Genouefa virginis in S. Dionysium affectus miraculis comprobatus. 104.
Gentes cur non agnouerunt Deum cum haberent Angelos præsides. 124. 125.
Gentianus Heruetus Clementis Alexand. interpres correctus. 624.
Gentiles ad fidem transeunt moti vita Christianorum. 23.
Gentiles oderunt Iudæos. 393.
Gentiles oraculis sibyllarum ad fidem permoueri soliti. 398.
Gentilium de S. Polycarpo testimonium. 469.
Gentilium de S. Polycarpo incredibilis existimatio. 511. 512.
Genuflexio quid significet. 135.
Genu vnicum flectit Diaconus cur? 135.
Genu vtrumq; flectunt sacerdotes cur? 135.
Georgij Cedreni de alternis in ecclesia cantibus opinio refutata. 390. col. 1.
Georgij Trapezuntij versio Eusebiana, De præparatione euangelica notatur vt manca & insufficiens. 561. col. 1.
Georgius Bartholdus laudatus. 382. col. 2.
Georgius Pachymeras citatus. 601. 622. 628. 631.
Gerardus Abbas Bronensis obtinet aliquas S. Eugenij reliquias. 83.
S. Germanici adolescentis martyrium insigne. 505.
Germanici martyris egregia fortitudo. 583. col. 1.
Gildæ sapientis de S. Polycarpo testimonium. 469.
Gildæ Sapientis illustre de S. Ignatio testimonium. 287.
Gisalbertus dicitur abstulisse corpus S. Dionysij è cœnobio S. Dionysij 217. quomodo? ibid.
Gloria tibi Domine, vox morientis S. Bucoli Smyrnæ Episcopi. 485.
Gloria tibi Domine. Vox sanctis vsitata 553. col. 1.
Godefridus Vuendelinus laudatus. 227. col. 1.
Græca facundia Parisios transijt. 51.
Græcia ante S. Dionysium needum admodum in fide exculta. 51.
Græcorum consuetudo vndique in Ægyptum studio matheseos peregrinandi. 224.
Grati animi pia indicia. 73.
Gratiarum actio S. Polycarpi De euitato periculo in ruina Diuersorij. 493.
Gregorij Magni Pont. epistola ad Eusebium, Episcopum Thessalonicensem. 701. col. & 2.
S. Gregorij Nazianzeni locus citatus. 623.
Gregorij Thaumaturgi Reliquiæ. 630.
Gregorij Turonensis error de annis vitæ S. Polycarpi correctus. 588. col. 1.
Gregorij Turonensis errores aliquot notati. 254. col. 2. & 255. col. 1.
S. Gregorius Turonensis citatus. 503. 504.
Gregorius Turonensis non distinxit accuratè tempora. 172.
Guilielmi Estij auctoritas à doctrina & virtute laudata. 392. 408. 557.
Gulielmus Crocinus refutatus. 158.

H.

Habacuc raptus ab Angelis. 247.
Hadriani Imp. epistola pro Christianis. 678.
Hadrianus Traiani successor. 404.
Hæresiarcharum quorundam recensio. 359.
Hæretici blandi, sed venenati. 403.
Hæreticis aures obturandæ. 312. 343. 359. 501.
Hæretici mansuetudine vincendi. 360.
Hæretici negantes Christi natiuitatem & passionem 309.
Hæretici non persequendi nec verberandi. 360.
Hæreticí quam fugiendi. 343. 359. 500. 501.
Hæretici pœnitentes in ecclesiam recipiendi. 360.
Hæreticorum delectio. 311. 342.
Hæreticis digna appellationes. 312.
Hæreticos auersantium exempla. 577. 578. 579.
Harpocrates Iatraliptes Plinij secundi. 421.
Hecatæus historicus. 551. col. 1.
Helias propheta viduæ hospitalitatem miraculis compensat. 64. Farinam auget. 64. oleum multiplicat. 64. Filium viduæ suscitat. 64.
Helinandi de Papia opinio peruersa reprobatur. 664. col. 2.
Heliopoli visitantur loca vbi Plato & reliqui sapientes studuerunt. 2.
Heliopolis Ægypti vrbs. 3.
Helladius Scriptor citatus. 683.
Henricus II. Rhemis exitium minatur. 101.
Henricus I. Rex Francorum. 113.
Henrici primi Francorum Regis deuotio erga S. Dionysium. 97.
Henricus III. Angliæ Rex. 107.
Henricus Canisius emendatus. 397.
Herbipolis aluit quondam Druidas. 269.
Herodes Irenarcha & Nicetes eius pater acceptum in rhedam suam Polycarpum tentant ad immolandum Dijs. 507.

Hercoldo per noctem S. Dionysius apparet. 83. oculos eiusdem Sanat. ibid.
Heron Diaconus S. Ignatij. 324.
Heronis ad B. Ignatium precatio. 338.
Heronis Diaconi Antiocheni laudes 312. 431.
Heronis nomen quasi herois. 433.
Heronis precatio ad Magistrum suum S. Ignatium. 432. col. 1.
Heron Diaconus B. Polycarpo commendatur à S. Ignatio mart. 491.
Heron discipulus S. Ignatij petit eius spiritum duplicem. 432. 433.
Heroni successori commendat suam ecclesiam Ignatius. 325.
Heron S. Ignatij successor. 403. 491.
Hasus Deus. 275.
Hiatus terra. 40.
Hierapoleos nomine vrbes plures. 654. 655.
Hirapolis vrbs Phrygia. 654. 655.
Hierapolitani Episcopi S. Papias. duo S. Abercij S. Apollinaris, Flaccus. 659. col. 1.
Hierarchia ecclesiastica quid sit? 127. col. 2.
Hierarchia in ecclesia quid. 127. col. 2. Deum fieri quid sit. 127. col 2.
Hierarchia Angelorum diuisio. 122.
Hierarchia calestis recensio. 304.
Hierarchia descriptio. 120. eiusdem sunt triplices gradus. 110.
Hierarchia ecclesia cum celesti conformitas. 57.
Hierarchia legalis quid. 285.
Hierarchia ecclesiastica principium est SSS. Trinitas. 127. col. 2.
Hierarchiarum calestis & ecclesiastica discrimen. 127.
Hierarchia Finis. 127. col 2.
Hierarchia prima quid proprium? 123.
Hieronymi de S. Polycarpo testimonium. 469.
Hieronymi error contradicentis S. Paullo. 232. col. 2.
Hieronymi lapsus memoria notatus. 663. col. 2.
Hieronymi locus correctus. 411. col. 2. 412. col. 1.
Hieronymi tria errata in lib. De scriptoribus ecclesiasticis in Ignatio animaduersa. 384. col. 2. 385. col 1. & 2. 376. col. 1.
S. Hieronymus. 542. col. 1. 623. 636.
Hierothei laudes 89. 601. 605. 606. 607. 611. 614. 615. & seqq.
Hierothei doctrina. 158.
Hierothei natiuitas. 601. 613. patria. 603. Fuit Platonicus 603. Fuit Areopagita. Ibid. & 614. Eleusinijs initiatus. 604. Ad fidem conuersus. Ibidem. & 605. Creatur à S. Paullo Episcopus Athenienſis. 605. & 614. 618. Vocatur magnus sol, & sacer Deus. 605. & pag. 627. Eius librorum commendatio, Ibid. Interfuit exequijs Deiparæ 607. 614. 617. Excellens hymnographus. ibid. & 617. 618. Proficiscitur in Hispaniam, 608. Fit Episcopus Segouienſis. Ibid. Prædicat Arcuacis in Hispania Tarraconensi. Ibid. Obit sanctissimè. Ibid. & 609. Eius reliquiæ seruantur in Hispania 609. Eiusdem scripta 609. 610. & seqq. Hierothei fragmenta 610. vsque ad 614.
Hierothei scripta diuinis proxima. 91.
S. Hierothei Scripta, intellectu difficiliora, quam Dionysij. 54.
Hierothei scripta sunt tanquam altera diuina eloquia. 617. 628.
Hierothei verborum explicatio. 612. 613. 614.
S. Hierotheus aliquamdiu rexit Ecclesiam Athenienſem. 22.
S. Hierotheus Dionysij secundus Magister in religionis mysterijs. 19.
Hierotheus in hispania Episcopus. 242.
Hierotheus explicatus. 632. 633.
Hierotheus insignis euangelij præco 90. idem soli comparatus. Ibid.
Hierotheus Paulli discipulus. 60. 615.
S. Hilarius Pictauienſis Episcopus. 629. 633.
Hierotheus templū Dominum sanctificatum appellatus. 616.
Hilaria festa Matris Deûm. 40.
Hilaria festa quanam? 251. col. 1. & 2.
Hilduinus Abbas. 96.
Hincmarus Archiepiscopus Remensis. 166.
Hispania in 3. partes diuisa à Ptolemæo. 630.
Hispaniam adyt & excoluit S. Hierotheus. 630.
Historia Abbatia S. Dionysij à Iacobo Dublao scripta. 168.
S. Hippolytus cur Romæ Episcopus dicatur. 176.
Homerus citatus. 624.
Homeri statua Smyrnæ. 544. col. 1. murus arcens Smyrnensis dictus homiereus. 544. col. 1.
Homines sacrificati pro populo. 256. 257.
Honores post mortem S. Ignatio habiti. 332. 334. 335.
Hortulani egregia virtus & in hostes beneficentia. 520. 521.
Horrea miraculo repleta. 535.
Hospitalitas S. Phocæ hortulani. 520.
Hospitalitatis erga inimicos exempla. 512. 516. 517. & deinceps.
Hospitalitatis in Sanctos quanta commoda. 64.
Hospitalitatis merces. 72.
Hostiarum hostia. 635.
Humilitas S. Aniceti Pontificis erga S. Polycarpum. 499.
Hugonis à S. Victore de S. Dionysio Areop. insigne testimonium. 275. col. 1.
Humilitas S. Dionysij & sanctus timor, 92. 159.
Hugo à S. Victore videtur perperam intellexisse verba S. Dionysij. 126.
Humilitas S. Polycarpi. 483. 486. 495.
Humilitas S. Ioannis Apostoli in osculanda latronis pœnitentis manu. 498.
Humilitas Sanctorum in morte. 427. col. 1. & 2.
Humilitas S. Ignatij. 321. 427. col 1.
Humilitatis vis. 23.
Hymnus de S. Dionysio. 173.
Hymnorum sacrorum vsus. 607.
Hymnus propriè quid sit. 629.
Hymnorum scriptores. 629.
Hymnus Te Deum laudamus &c. 633. 634.

I.

Iacobus Bidermannus laudatus. 591. col. 2.
Iacobus Dublaus Scriptor laudatus. 168. col. 1.
Iacobi Fabri Stapulensis laus, & locus eiusdem citatus. 175. col. 1.
Iacob Rachelis sua causa quos labores patitur, non sentit. 20.
Iacobus Pamelius Scriptor laudatus. 412. col. 2.
Iacobus Sirmondus Scriptor laudatus. 596. col. 1. & 2.
Ianitorum in Ecclesia officium singulare. 249.
Idem in Deo quid dicatur. 156.
Ieiuniorum origo & institutio inter Christianos. 388. 389.
Ieiunium quarta & sexta feriæ. 353.
Ieremias ex vtero sanctificatur 378.
Ieremiæ locus explicatus. 358.
Iesus fons diuinorum odorum. 142.
IESV nomen quomodo in corde suo habuerit S. Ignatius. 331. 413. col. 2.
Ignatij comites Philo & Agathopus Diaconi. 319.
Ignatij aduersus hæreticos industria. 311.
S. Ignatij comprehensio. 306.
Ignatij cura circa Ecclesiæ ministros. 312.

Ignatij

Ignatij cum SS. Carpo & Polycarpo comparatio. 397.
S. Ignatij de B. Polycarpo insignis existimatio. 490. 491.
Ignatij ardor ad martyrium. 321.
S. Ignatij de S. Polycarpo testimonium. 469.
Ignatij desiderium ac sitis martyrij. 307.
Ignatij discipuli bene in magistrum suum affecti. 400.
S. Ignatij quaedam singularia. 340.
Ignatius Eliae comparatus. 432.
Ignatij epistola ad Deipar. quando scripta. 397. col. 1.
Ignatij e Syria Romam versus abductio. 318.
Ignatij fortitudo in tormentis. 316.
Ignatij humilitas. 304. 310. 321. 322.
Ignatij epistola ad Polycapum perijt germana inscriptio. 289.
Ignatij in duris rebus solatia. 319.
Ignatij illustria facta. 365.
Ignatij ingenium. 290. 287.
Ignatij labor dum Romam deportatur. 318.
Ignatij laudes & facinora. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380.
Ignatij mansuetudo. 310.
Ignatij martyris locus. 633.
Ignatij mors quo modo spectaculum. 332.
Ignatij natalis dies. 426. laudes 426. 428.
Ignatij oratio ad Romanos ante martyrium. 329.
Ignatij ossa crassiora solum a leonibus relicta. 413.
Ignatij ossa extra vrbem condita. 427.
Ignatij parentes ex probabili coniectura Iudaei fuerunt. 290.
Ignatij praeceptores Petrus, Paullus, Ioannes, Apostoli. 291.
Ignatij prouidentia de bono successore in Episcopatu. 312.
Ignatij prudentia in multis explicandis ecclesiasticorum ordinum officijs. 305.
Ignatij reliquiarum tres translationes. 430. 431.
Ignatij Romam deportati fructus. 318.
Ignatij sodales. 290.
Ignatij solatium in agnitione Episcopi Philadephiensis. 324.
Ignatij sollicitudo circa gregis conseruationem. 297.
Ignatij vincula spirituales margaritae. 317.
Ignatij visio qua cognouit Dei alternis dilaudandi formam. 302.
Ignatio inspirauit Spiritus sanctus quae Ecclesijs commendare deberet. 324.
Ignatio reuelatur successor in Ecclesia Antiochena. 325.
Ignatio vnde Theophori agnomen. 289. 381.
Ignatium blanditijs adoritur Traianus. 314.
Ignatius an Christum in carne viderit. 384. 385. 386.
Ignatius an sit puer ille quem Christus in exemplum humilitatis proposuit discipulis. 289.
Ignatius antiphonas canendi instituit ex visione Angelorum alternatim canentium. 308. 399.
Ignatius Apostolicarum virtutum studiosus imitator. 293.
Ignatius a Satellitibus male tractatur. 319.
Ignatius captus Domitiani temporibus. 401. 402.
Ignatius in vrbe Smyrna scribit epistolam. 320.
Ignatius cur dicatur S. Petro proxime in Episcopatu Antiocheno successisse. 391.
Ignatius cur Romae Martyrio coronatus & non Antiochiae. 405. 406.
Ignatius desiderauit Romanam inuisere Ecclesiam. 321
Ignatius ducitur ad martyrium. 329.
Ignatius fame & siti torquetur. 317.
Ignatius genere Iudaeus fuit. 387. col. 1.
Ignatius in exilium deportatur. 307.
Ignatius in Traiani conspectum productus. 404.
Ignatius in Syria tertius a S. Petro Episcopus. 398.
Ignatius inuisitur hinc & inde ab Episcopis. 320.
S. Ignatius martyr Neapoli in Italia fidem annunciasse dicitur. 413. col. 1.
2. Ignatius martyr Polycarpi sodalis. 479.
Ignatius optabat nullas superesse sui reliquias. 427 eius humilitas. Ibid.
Ignatius Petri dextera ordinatus. 295. 394. col. 2.
Ignatius Petri Ioannisq; auditor. 60.
Ignatius Polycarpo vices suas scribēdi ad aliquas Ecclesias delegat. 325.
Ignatius primus instituit exhortari litteris ad ieiunium quadragenarium. 293.
Ignatius puer quem Christus in exemplum humilitatis discipulis suis proposuit. 382.
Ignatius quando & qua occasione creatus Episcopus. 294. 384.
Ignatius quo anno mortem obierit. 414. col. 1.
Ignatius quam diu Episcopus. 413.
Ignatius Regium Iulij appellit. 317.
Ignatius Romam deportatur. 317.
Ignatius scripsit ad B. V. 396. 397.
Ignatius tres sustinuit persecutiones. 299.
Ignatius valedicit Smyrnaeis & Polycarpo. 323.
S. Ignatius vidit visionem Angelorum. 398.
Ignatius viuit apostolice. 389.
Ignatius Azebedius. 381.
Ignatius Celerini confessoris auunculus. 381.
Ignatius De Loiola. 381. 427.
Ignatius Episcopus Moguntinus. 381.
Ignatius monachus. 381.
Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus. 381.
Ignatius presbyter. 381.
Ignatius Tzeroneta. 381.
Ignes non laeserunt aliquos martyres. 504.
Ignibus in medijs illaesi, quinam? 591.
Ignorantiae propriū est in multa mentē diuidere. 143.
Ignoti Dei ara. 227.
Ignoto Deo ara erecta Athenis. 233. cur? Ibid.
Illaesi a flammis. 504.
Illuminare & illuminari quid in Hierarchia. 120.
Imagines corporeae quibus exprimuntur Angeli, quaenam? 117. Gaudia Sanctorum. 127.
Imagines rerum diuinarum aliae similes aliae dissimiles & similium exempla 120. dissimiles quae sint. 120.
Imitatio virtutum S. Polycarpi. 514. & seqq.
Immolatio indebite facta non placet Deo. 249. 250.
Immortalitas animae a Druidis docta. 268. 269.
Imperfectorum ordines quinam. 131.
Imperia superba sunt cum magni labores committuntur & exempla non monstrantur. 48.
Impositio manus quid significet. 134.
Imprecatio Sanctorum horribilis & efficax. 513.
Incarnationis mysterium inexplicabile. 141.
Incendium miraculo restinctum. 535.
Incendia miraculis restincta. 565. col. 2. 566. 567.
Incendia restingui non posse sine sua ope iactabant olim Iudaei. 493.
Incendium precibus restinguit Polycarpus. 493. 494.
Inferiores altioribus subseruire debent. 25.
Inguinaria lues. 580.
Infideles a fide Christiana amplexu nihil magis absterret, quam Ecclesiae castitas. 482.
Informationes Theologicae Hierothei. 630.
Inhumani & crudeles appellantur leopardi. 317.
Inhumanitas Satellitum aduersus S. Ignatium. 319.
Innocentia S. Ignatij. 432.
Innocentia tenax Iacob. 34.
Inscriptio antiqua in Plinij Iunioris honorem. 418. col. 2.
Inscriptio antiqua Traiano exarata. 404. col. 1.

Inscriptio epistolica litterarum circularium. 594.
Inscriptio Neroni posita. 396. col. 1.
Insidia Druidarum in S. Dionysium. 269.
Insignia Franciæ unde? 282.
Intelligendi modus in Angelis. 152.
Intelligendi modus in Deo. 152.
Intelligendi modus in hominibus. 152.
Interpretatio eorum quæ fiunt in sacrificio. 130.
Interpretatio rituum in consecrandis monachis. 136. col. 2.
Interrogatio sociorum S. Dionysij Martyrum postrema. 76.
Inuidia conseruorum in Polycarpum. 472.
Inuitatio ad Deificam communionem quid significet? 136. col. 2.
Inuocatio venerabilis Sacramenti. 130.
S. Ioannes Apostolus à Domitiano missus in exilium. 261.
Ioannes Apostolus contra Ebionem & Cerinthum euangelium scripsit. 265.
Ioannes Apost. in dolium feruentis olei demersus. 260. 533. 548. col. 1. & 2.
S. Ioannes aquila euangelica. 65.
Ioannes Apostolus cur Euangelium & apocalypsim scripserit. 263.
S. Ioannes, discipulus quem diligebat Iesus. 260.
S. Ioannes dominante Nerua in Asiam redit. 59.
Ioannes duo, vnus Apostolus, vnus è 70. discipulis, & vterque vocatus Presbyter seu Senior. 650.
S. Ioannes Euangelij fel. 260.
S. Ioannes Euangelista Polycarpi magister. 477.
S. Ioannes in Asia laborauit. 421.
S. Ioannes Apostolus quando euangelium scripserit. 59. 266.
S. Ioannes euangelista quo anno in Patmon relegatus. 543. col. 1.
S. Ioannes filius tonitrui & cur? 63. *ab exilio redit Ephesum.* Ibidem.
S. Ioannis Apostoli admodum senis diligentia in visitandis ecclesiis. 496.
S. Ioannis Apostoli ad ducem latronum verba ad pœnitentiam mouentia. 498.
Ioannis Apostoli domicilium Ephesi. 479. 548. col. 2.
S. Ioannis Apost. in conuertendo ad fidem adolescente Ethnico, ac deinde in eodem transfuga reducendo cura admirabilis. 496. 497. 498.
Ioannis Apostoli in Asia res gestæ. 478.
S. Ioannis Apost. in dolium olei feruentis demersio. 597. col. 1. & 2.
Ioannis Apostoli laudes. 59. 65.
Ioanis Apostoli visio in Patmo insula 488. 489. 490.
S. Ioannis epistolæ posteriores creditæ sunt esse Ioannis Senioris, non autem Apostoli. 650.
S. Ioannis euangelium, boni Dei imitatio, à S. Dionysio appellatum. 59.
Ioannis Euangelium Ephesi vulgatur. 63.
S. Ioannis relegatio in Patmon, & eius in eadem insula fructus. 402.
Ioannes Christophorsonus Euagrij interpres emendatus. 431. 571. col. 1.
S. Ioannes Chrysostomus duas scripsisse de S. Ignatio orationes dicitur. 387. col. 2.
S. Ioannis Chrysostomi de B. Ignatio testimonium. 339.
Ioannis Chrysostomi laudes effusa in S. Ignatij Reliquias. 335.
S. Ioannes Damascenus. 629.
Ioannes Picus Mirandulanus citatus. 601.
S. Ioannes Senior, vnus è 70. Domini discipulis. 647. 661. col. 1.
S. Ioannis Senioris verba. 648.
Ioannes Trithemius, vide Trithemius.
Ioannis Dadræi opus postremum citatur 273. col. 2.
Ioannis Hemmelarij commentarius in numismata Impp. commendatus. 404. col. 1.
Ioannis Hessels Doctoris Louaniensis error contradicentis S. Paullo. 233. col. 2.
Ioannis Scoti interpretatio expensa. 632. 633.
Ioannis Serrij Apparatus euangelicus laudatur. 266. col. 2.
Ioannis solitarij de Dagoberto rege visio. 95.
S. Iön seu Ionas, seu Ionius Presbyter, socius S. Dionysij Areop. 46. 54. *Venit cum eo Athenis Romam & in Galliam* 167. *Eius laudes.* 80.
S. Iön recisum à ceruicibus caput portauit. 81. 255.
Ioseph, benignus in fratres. 34.
S. Iosephi Barsabæ laus. 659. col. 2. & p. 660. col. 1.
Iosephus Scaliger malè confudit Monachos cum eremicolis. 202.
S. Irenæi de B. Papia testimonium. 646. 652. 662. col. 2. & 3.
Irenæi de S. Polycarpo testimonium. 469.
Irenæi erga Polycarpum præceptorem amor & obseruantia. 600.
Irenæi vetus interpres correctus. 575. col. 2.
S. Irenæus Polycarpi discipulus & imitator. 484. 543. col. 1.
Irenæus Lugdunensis Episcopus l. 3. aduersus hæreses. cap. 3. citatus. 523.
S. Irenæus S. Papiæ auditor. 643. 660. col. 2.
Irenarcha qui sint? 584. 585.
Isaacus Casaubonus de S. Papia refutatur. 655. 656.
Isocrates citatus. 623. 626.
Isocratis locus de Areopagitis. 231. col. 1. & 2. 232. col. 1.
Iter Ignatij Romam. 406.
Itineris optima condimenta. 87.
Iudæi cur dicti à Martiale Sabbatarij? 393.
Iudæi Cyprij exosissimi. 393.
Iudæi exorcistæ malè à dæmonio excipiuntur. 566. col. 1.
Iudæi à Poëtis irrisi. 293. col. 2.
Iudæi malè accipiuntur à Diabolo, quem volebant excantare. 494.
Iudæi malè olentes. 393.
Iupiter quomodo à Gallis appellatus. 280.
Iudæi oderunt gentiles. 393.
Iudæi multi Antiochiæ, & cur? 391.
Iudæi olim iactabant nullum sine se restingui posse incendium. 493.
Iudæi oraculis prophetarum ad fidem in Christum permoueri soliti. 298.
Iudæi putabantur adorare nubes. 393.
Iusti Lipsij laus, & locus citatus. 393. col. 2.
Iudæi solis Scripturis sacris impugnandi. 295.
Iudæi trans Tiberim Romæ habitantes. 394.
Iudæi vbique sparsi. 394.
Iudæorum credulitas irrisa. 393.
Iudæorum de S. Polycarpo testimonium. 469.
Iudæorum in Græcos & Romanos crudelitas barbara. 393. col. 1.
Iudæorum ritus à Iuuenale irrisi. 393.
Iudæorum sacra à Iuuenale irrisa. 393.
Iudæorum vilitas. 393.
Iudæos inter & gentiles odium. 392.
Iudæ Iscariotæ incredulitas. 663. col. 1.
Iudæ proditoris interitus qualis fuerit ex S. Papiæ sententia. 666. col. 1. & 2.
Iudicij extremi æquitas. 59.
Iulius Pollux citatus. 621. 623. 626.
Iupiter Herceus. 621. 622. 624.
Iurare per genium Cæsaris. 568. 585. 586.
Iusta iustè tractari iubet S. Scriptura. 37.
Iusti mens ad Deum, cùm vult, euolat. 57.

Iustorum

Iustorum in morte solatia. 137. col. 1.
Iustinus Martyr conuersus partim per sibyllarum, partim per prophetarum lectionem. 395.
Iustinus Trogi Pompeij. 623.
Iustitia, Dei nomen. 154.
Iustitia diuina calumniatores redarguuntur. 154.
Ius trium liberorum quid? 421.
S. *Iustus* Episcopus. 256.
Iuuenalis satyra 6. *explicatus.* 565. col. 1. 567. col. 2.
Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum. 30.
Iuuenius Celsus mortem prorogauit adulatione. 259.

L.

L*Abarum cælitus Constantino Magno ostensum.* 281.
Laborantes quinam, & cur sic appellati? 400.
Labrum aneum. 285.
Lachrymas elicuit Imperatoribus Aristides in deploratione Smyrnæ collapsæ. 513.
Lactantius Firmianus an fuerit Hispanus? pag. 622.
Latiense monasterium in Hannonia possidet aliquas Reliquias S. Ignatij. 431 col. 2.
Laïcorum gradus in Ecclesia Atheniensi. 24.
S. *Lambertus succisum caput manibus portauit.* 275.
Lamech primus duas cepit sibi vxores. 481.
Lampadum templi curam gerebat S. Melas Episcopus. 510.
Laodicea, vrbs Asiæ. 654. 655.
Lapidis miraculosa grauitas & leuitas. 503.
Lapis in quo sacrum fecit Dionysius, vbinam? 271.
Lapsorum in fide locus in templo, si illos pœniteret. 25.
Larcia Lisbij vxor Christianis aduersa. 52.
Larcia matrona S. Dionysium magia accusat, & Lisbium maritum impietatis in Deos insimulat. 71.
Larcia nobilis matrona conuersio ad fidem & eius martyrium. 78.
Largitas Polycarpi in egenas comparata cum Iosephi Patriarchæ largitate. 548.
Latronum insignes ad Deum conuersiones. 572. 573.
Latronum ducis ad bonam frugem reducti exemplum memorabile. 496. 497. 498.
Lauacrum Sacerdotum in veteri lege. 285.
S. *Laurianus caput suum truncatum manibus accepit.* 275.
Laurentius Britanniarum Archiepiscopus, quod cogitasset gregem suum deserere, à S. Petro Apost. vapulat. 256. col. 1.
Laudem non admittit ab hæreticis S. Ignatius. 544.
Lectio sacra scripturæ vtilis. 20. 21.
Lectorum in ecclesia officium. 400.
Legis veteris commendatio. 18.
Legis nouæ caussa & institutio. 19.
Leonardi Lessij in Christum amor. 427.
Leonardus Lessius laudatus. 590. col. 1.
Leoni Pontifici obtemperauit Attila. 269.
Leopardi appellantur qui sunt crudeles & inhumani. 317.
Leprosus in templo S. Dionysij sanatur. 99.
Leuitas iocantis famulæ miraculum vini indeficientis inbibet. 492.
Lex Cornelia, quâ plus anno nemo prouinciæ præerat. 419. *Iulius Cæsar obtinuit exceptionem.* Ibidem.
Libanij locus de Thesmothetis & Areopagitis. 230. col. 1.
Liberalitas insignis in S. Dionysij cœnobium. 97.
Liberalitas & diuitiæ Polycarpo instrumenta virtutum fuerunt. 475.
Libertas sermonis. 315.
Liber Theologicarum institutionum, vulgò hypotyposeon. 160.
Libri Theologicarum institutionum argumentũ. 164.
Librorum S. Dionysij catalogus. 114.
Liberum arbitrium in hominibus? 124. 125. & 162.
Libri S. Dionysij vbi conscripti? 257.
Libri de cælesti hierarchia, & de Ecclesiastica hierarchia scripti post euangelium S. Ioannis. 207.
Libri de diuinis nominibus argumentum. 164.
Libri S. Dionysij verè sunt eius. 259.
Librorum inquisitores diligentes Eusebius & Hieronymus. 188.
Librorum S. Dionysij index. 484. 485.
Ligniferi senes iuuantur à S. Polycarpo. 476. 546.
Item à S. Germano Antisiodorensi Episcopo. Ibidem.
Lilij Giraldi de S. Dionysio elogium. 139. col. 2.
Lingua Pauli igni comparata. 234.
Lisbij à S. Dionysio ad fidem conuersi constantia. 72. *martyrium.* Ibid.
Lisbij ardens in Christum pietas. 71.
Lisbij, ex cuius stirpe Montmorenciana existit familia, insignis ad Christi fidem conuersio per S. Dionysium. 52. 258.
Lisbij pia benignitas & munificentia. 52.
Litteræ donationis Eduardi Regis. 106.
Liuij locus è lib. 35. hist. Rom. explicatus. 392. col. 2. 393. col. 1.
Locorum in templis primitiuæ ecclesiæ distinctio. 25. 35.
Longani Episcopi. 264. col. 2.
Luciani locus de Ignoto Deo. 234. col. 1.
Luciani versus de incerto Deo. 233. col. 2.
Lucas S. Pauli comes. 44.
S. *Lucianus socius S. Dionysij.* 46. 254.
S. *Lucianus Bellouacum conuertendum suscepit.* 48.
Ludouicus Blosius laudatus. 431. col. 2.
Ludouici Blosij Institutio spiritualis citata. 163. col. 2.
S. *Ludouici Regis erga S. Dionysium pietas.* 98.
Ludouicus Cresollius Scriptor laudatus. 596. col. 2.
S. *Ludouicus & Blancha eius mater, S. Dionysij opem implorant.* 22.
Ludouicus Pius, cultor S. Dionysij. 101.
Ludouici Crassi erga S. Dionysium pietas. 101.
Ludouici filij Regis Francorum incolumitas S. Dionysio accepta relata. 97.
Ludouici Pij Francorum Regis verba. 96.
Ludouici Iunioris auita pietas in S. Dionysium. 102.
S. *Ludouicus in templo S. Dionysij sepultus.* 104 *ad iter Hierosolymitanum accingitur.* Ibidem.
Ludouicus Pius, Imp. 100. 166.
Lues inguinaria. 580.
Lumen virginale. 190.
Luna immota. 14.
Luna ab Oriente præter morem cursum facit. 3.
Lutetia vrbs. 51. 257.
Lutherus male exceptus à dæmonio. 566. col. 2.
Lux an accidens, an corpus substantiale. 142.
Lux, Dei nomen. 143.
Luxus vestiũ & ornamẽtorum in Atheniẽsibus. 624.

M.

M*Agistrorum à discipulis exaltatio, & inter discipulos de eorum laude contentio.* 299. col. 2.
Magorum ad Christum vocatio. 4.
Maiorum auctoritas quanti apud posteros ponderis esse debeat. 501.
Magnus, Dei nomen. 155.
Maledicere Christo. 586. col. 2.
Maledicere Christo iubentur à persecutoribus Christiani. 508.
Mali quodnam sit principium. 146.
Malorum quomodo multæ caussæ. 148.
Malum in Dæmonibus quid sit? 126.

S. Maximus martyr Dionysij Scholiastes citatus. 644.
S. Mela Episcopi mensa hospitalis persecutoribus apposita. 519.
Melda ciuitas. 276.
Membra vanitati operata corrumpuntur in S. Editha, ceteris incorruptis. 105. 106.
Mellitus Episcopus. 256.
Membra omnia capiti obediunt. 25.
Memoria S. Irenæi in bonis retinendis. 501.
Menæa de S. Hierotheo monumenta 614. & deinceps vsque ad 620.
Menæa Græcorum de S. Polycarpo sacra monumenta & elogia. 534. 535. & deinceps.
Menæa Græcorum locus explicatus. 397. col. 2. Eiusdem error correctus. 598.
Menæi Græcorum ordo inter diuersorum SS. eodem die occurrentium elogia. 634.
Mendacium alienum pro vita sua conseruatione horret S. Anthimus Nicomediæ Episcopus. 519.
Mensa appositio inimicis. 584. col. 1.
Mensa hospitalis S. Polycarpi. 516. 517.
Mentium piarum delicia. 20.
Mercurij collis. 76.
Mercurius à Gallis cultus. 274.
Mercurius Trismegistus quid de Deo dicat? 234.
Merinthiani heretici. 664. col. 2.
Meritorum magnitudo apud Deum vnde censeatur? 46.
Michaël dicitur præsidere populo Iudæorum. 124.
Michaël Syncellus citatus. 601. 623.
Miletus vrbs. 257.
Millenariorum opinio à quot & quantis viris olim asserta. 663. col. 1.
Millenariorum siue tenentium mille annos regni & beatitudinis terrenæ post resurrectionem, duo fuerunt genera. 663. col. 1.
Minorum ordinum distributio ac numerus videtur in arbitrio Episcoporum cuiusq; ecclesiæ olim fuisse. 401.
Minimum se vocat Ignatius. 431.
Minucius Fundanus Asiæ proconsul recipit epistolam ab Hadriano Imp. pro Christianis. 679. 680.
Miraculorum facultas in S. Quadrato. 675.
Missam non celebrabat S. Carpus Paulli Apostoli discipulus, nisi præuia diuina visione. 39.
Mithras idem quod sol. 239. col. 2.
Miracula à S. Polycarpo patrata 49. 452. 493.
Miracula benefica cessant ob leuitatem abutentium. 492. 562.
Miracula in consecratione Polycarpi Antistitis. 485.
Miracula ad cultum & inuocationem S. Dionysij impetrata. 284.
Miracula S. Polycarpi. 478.
Miraculorum potestas in Dionysio. 257. 258.
Miraculorum seu visorum in ordinatione Antistitis Polycarpi explicatio. 486.
Miraculum in ignibus Polycarpum circumdantibus nec lædentibus. 510.
Miraculum plantæ salutiferæ è tumulo S. Buceli natæ. 477.
Modestia Christianorum primo Christi sæculo. 23.
Modestiæ laus. 88. 407.
Modestia S. Polycarpi. 475.
Monachi cur à sacerdotibus consecrentur? 24.
Monachorum locus in templis vbi fuerit tempore ecclesiæ primitiuæ? 25.
Monachi sic dicti, quod vitam expertem curarum mundi ducerent. 135. col. 2. 202. Therapeutæ dicti. 202. col. 1. cur diu ignoti Ibid.
Monachi sunt supremus gradus inter laïcos. 135. col. 2.
Monachi tempore S. Dionysij, qui, qualesue fuerint? 202. col. 1. & 2.
Monachorum, Dei laudes simul & alternatim concinentium, encomium. 398. col. 2. 399. col. 1.
Monachum consecrandi ritus. 136. col. 1. & 2. eiusdem ritus explicatio. Ibid. col. 2.
Monachus altiora se audens, acriter à S. Dionysio increpatur. 36.
Monasterium Romæ exstructum ab Innocentio III. Pontifice, in honorem S. Dionysij. 109.
Mont Ioue Sainct Denys, quia significet? 180. origo istius dicti. 99. 100.
Monogamiæ antiquitas. 480. 481.
Mons Iouis in Arduenna silua. 281. col. 1.
Mons martyrum prope vrbem Parisios. 78.
Montis Sionis laudes. 28.
Montmorenciana domus origo, & prosperitas, à S. Lisbio martyre. 72.
Montmorencianorum aliquis si in exercitu Galliæ imperet, ei solet acclamari: Deus auxilietur primo Christiano: & cur? 72. 73.
Montmorencianorum elogij origo. 73.
Mors sanctorum, quid sit? 137.
Mortis optima præparatio est, vitam omnem recognoscere, & de bonis gratias Deo agere, de malis antea pœnitere. 515. 516. Eorum, qui id fecerunt, exempla. 516.
Mortis præparatio Christiana. 584. col. 2.
Mortis proborum & improborum diuersitas. 137. col. 2.
Motus Angelorum circularis. 144. col. 1.
Motus Angelorum obliquus. 144. col. 1.
Motus Angelorum rectus. 144. col. 1.
Motus Dei quid sit? 157. col. 1.
Motus Dei rectus. 157. obliquus. Ibid. circularis. Ibid.
Mortui aliquot, meritis S. Dionysij, ad vitam sunt reuocati. 110.
Mortuus ad vitam suscitatus tempore S. Papiæ. 641.
Moyses antiquior Platone. 193.
Moyses à populo impetitur. 34.
Moyses conspectu Dei dignus, ob mansuetudinem. 34.
Moyses dictus seruus Dei, ob mansuetudinem. 34.
Moyses non vidit in terris Deum, sed angelum, à quo & legem accepit. 121. col. 1. 163. col. 1.
Moysis exemplum proponitur. 495.
Mulier læsa sanatur à S. Dionysio. 284.
Mulier quid significet in Scriptura? 228.
Multiplicatio prodigiosa frumenti, vini, olei &c. 561. 562.
Mundus Polycarpo vrbs vna cēsetur & dicitur. 494. 495.
Mundus totus, resp. est vna. 567. col. 2.

N.

S. Narcissus Episcopus. 265.
Natales Martyrum antiquitus in in Ecclesia celebrati. 511.
Natiuitatis S. Ignatij locus. 289. 290.
Naturæ cælestes cur dicantur Virtutes? 125. col. 2.
Neapolis, Macedoniæ vrbs. 406.
Necis SS. Apostolorum Petri & Paulli caussa. 49.
Negationes de Deo. 163. col. 2.
Negationes mistæ affirmationibus. 163. col. 2.
Nepos in Ægypto Episcopus citatus. 663. col. 1.
Nero habetur extirpator fidei catholicæ in Hispania. 396.

Nero Imp. eadem die Petrum, & Paullum interemit. 43.
Nero Petrum cruce, Paullum gladio occidit. 395. col. 2.
Nerone extincto, respirare incipiunt Ecclesiæ. 302. 401. col 1.
Neronis crudelitas. 43. 395. col. 2. 396. col. 1.
Neronis persecutio in Christianos. 395. col. 2. In eius immanitatem, hendecasyllabi. Ibidem.
Neronis persecutio in Hispanos Christianos. 395. col. 2.
Neronis post Apostolorum cædem punitio. 48.
Neronis vita scriptores. 396. col 1.
Nero matrem, & præceptorem occidit. 43.
Nero omnia in imperio confudit. 419. col. 1.
Nerua Domitiani successor. 63. 417. col. 1. fuit clemens erga Christianos, & exilio damnatos reuocauit. 263. col. 1. imperium eius fuit breue. 266. col. 2.
Neruæ Imperatoris obitus præmaturus. 403. col. 2.
Neruæ Cocceij Imperatoris laus. 402. col. 2. 403. c. 1.
Nicasij Episcopi duo fuerunt, vnus Rotomagensium, alter Rhemorum. 273. col. 1. & 2.
S. Nicasius primus Rotomagensium Episcopus. 273.
Nicolai Caussini Scriptoris locus citatus. 460. col. 1.
Nicolai Lyrani locus. 557. col. 2.
Nicolaitæ hæretici. 262.
Nicolaus Trigaultius Scriptor. 632. col. 1.
Nicolaus Vedelius Minister Geneuensis refutatus. 441. col. 1. & 2. 442. col. 1. & 2. 443. col 1.
Nominum quorundam Dei recensio. 140.
Nota Christianorum, modestia & sinceritas. 23.
Notgerus Eburonum Episcopus templum S. Dionysio Areopagitæ Leodij condidit. 105.
Notkeri martyrologium citatum. 653.
Nouocomum, vrbs. 424. 423.
Nox aptior est ad sonos excipiendos quàm dies. 142. col. 1.
Numantia. 630. col. 1.
Numerus Angelorum innumerabilis. 126.
Numismata antiqua Imperatorum. 404. col. 1.
Numisma repræsentant Traiani Imp. Regem Parthorum coronantis effigiem. 404.

O.

Obedientiæ laus. 46.
Obedientia & subiectio erga Episcopos commendata. 350. 351.
Odor è corpore S. Polycarpi inter flammas exhalat suauissimus. 510.
Odorum fragrantiam alij alijs abundantiùs percipiunt. 133.
Oecumenius citatur. 652.
Officia secundùm gradum Ordinum in Ecclesia peragenda. 25.
Officij ecclesiastici in honorem S. Polycarpi, cum eius passione & lectionibus, memoria. 104.
Olitor verba opportuna locutus, fuit S. Melas hortulanus. 520.
Oleum è sacris Sanctorum Reliquijs aut tumulis fluens. 562.
Omnia Deo similia, & nihil Deo simile. 156.
Omnia in Deo præexistere probatur inductione multorum similium. 150.
Omnia bonum appetunt, & quomodo? 143. col. 1. & 2.
Ominis in nominibus superstitio. 412. col. 2.
S. Onesimi plures fuerunt. 407. col. 2.
S. Onesimi discipuli Doctoris Gentium Acta. 6 : 660. col. 1.
S. Onesimus Ephesiorum Episcopus. 407. col. 2.
S. Onesimus Suessionensis Episcopus Duaci quiescit & colitur. 407. col. 2.
Onesimus Byzantij Episcopus. 407. col. 2.
Onesimus Paulli discipulus cur Romā ductus? 406.
Onesiphorus, hospes S. Paulli. 390.
S. Onesiphorus Episcopus Colophonis, martyr. 397. 398.
Opinatores hæretici. 433.
Oratio. vide Precatio.
Orare pro Defunctis. 204.
Ordinum in Ecclesia Antiochena recensio. 305.
Ordinum in genere diuisio. 133.
Ordinum, qui purgantur, diuisio. 242. 243.
Ordo rerum in cunctis seruandus. 37.
Ordines collati magna cum religione à S. Ignatio. 337.
Ordines Ecclesiæ minores. 460. col 2. 461. col. 1.
Ordinibus omnibus quænam communia? 134.
Ordinibus sacris initiati debent prælucere alijs exemplo. 24.
Ordinum inferiorum aduersus superiores arrogantia quàm graue flagitium? 32.
Ordinum singulorum propria explicantur. 135.
Ordinum nullorum meminit Dionysius infra Episcopos, nisi Sacerdotum & Diaconorum. 242.
Ordinum in Ecclesia Antiochena, initio secundi sæculi, recensio. 549.
Ordinum concordia in Ecclesia. 25.
Ordo solemnis sacrificij. 129.
Oleum è S. Vualpurgis ossibus emanat. 562.
S. Orieulus caput suum abscissum in fonte lauit, & ad sepulchorum detulit. 275.
Orientaliū pius in Beatam Virginē affectus. 377. 33.
Oriflamme apud Gallos quid sit? 281. vide Auriflamma.
Osculum humilitatis & caritatis. 498.
Ostiariorum in ecclesia officium singulare. 249. 400. col 2.
Otho Zylius Scriptor. 412. col. 2.
Ozias incensum offerens peccat, & cur. 36.

P.

Pacis effecta. 159.
Pamelius in Tertullianum citatus. 547. col. 2.
S. Pancratius Petri discipulus. 656. 657.
Panis Dei quid significet apud Ignatium? 410. col. 1.
Papæ nomen quàm antiquum & quàm variè vsurpatum? 564. 565.
S. Papiæ elogia. 636. 646.
S. Papiæ patria 637. 654. ætas. 637. 655.
S. Papiæ magistri fuerunt Apostoli. 638.
S. Papiæ studiū erga viros sanctos & res sāctas. 638.
S. Papias cum B. Philippi euangelistæ filiabus prophetissis versatus est. 638. 639.
S. Papiæ libri, eorúmque inscriptio. 659. col 2.
S. Papiæ sanctimoniam quæ maximè commendent. 643. & 644.
S. Papias à S. Ioanne Apostolo creatus creditur Episcopus. 640. 658.
S. Papias putatur fuisse Pergami Episcopus. 640. 658.
S. Papias magister fuit S. Irenæi Episcopi Lugdunensis. 643.
S. Papias B. Onesimi commilito. 643.
S. Papias martyr appellatus. 643.
Papias discipulus Apostolorum. 60. 587.
S. Papias fuit Ioannis Apostoli discipulus. 652. 653.
S. Papias fuit Petri discipulus. 656.
S. Papiæ fragmenta. 647.
S. Papiæ scripta. 6 6.
S. Papias è præcipuis S. Ioannis Apostoli discipulus. 659. col. 2.
Papias alius martyr in Africa. 654.
Papias alius miles & martyr sub Diocletiano. 654.

Papia

Papia nomine plures fuêre sancti. 654.
Papias Hierapolitanus non tantùm Episcopus, sed & martyr. 660. col. 1. & 2.
Papiæ opiniones antiquatæ. 662. col. 1.
Papias S. Polycarpi sodalis. 479.
Papias quidam, martyr sub Decio. 654.
Parisij antiquus qui dicti? 51.
Parisiorum erga Dionysium affectus. 67.
Parisij vrbs. 257.
Patria Polycarpi duplex. 543. col. 2.
Patria duplex cur Romanis municipibus esse diceretur. Ibid.
Patria vna omnium vera, est calestis Hierusalem. 475.
Paruum quid dicatur in Deo? 155.
Pascha celebrare cum Iudæis apud Ignatium, quid sit? 353.
Paschatis celebrandi controuersia. 499. 575. col. 1. & 2.
Pati diuina apud S. Dionysium quid sit? 631. 632.
Patiendi pro Christo cupiditas. 315.
Patientia commendatio. 344.
Patres antiqui abstinuerunt à citandis antiquioribus Patribus. 184.
Patropassiani hæretici. 433.
Patmi insula situs. 557. 558.
Patmos locus exilij Sancti Ioannis Euangelistæ. 58.
S. Paulla mater Eustochij visitauit cubicula virginum quatuor prophetissarum, filiarum S. Philippi Diaconi. 560.
Paulli epist. ad Hebræos ad ciuitates Hebræos scripta sit? pag. 662. col. 2.
S. Paulli in corpus suum austeritas. 19. 20.
S. Paulli locus explicatus. 382.
S. Paulli oratio ad Athenienses. 6. & eius fructus. 7.
S. Paullus Apostolus, Dionysij primus præceptor in rebus fidei. 18.
S. Paullus Areopagum ductus. 6.
S. Paullus Athenas venit. 5.
S. Paullus Athenis dictus Seminiuerbius. 6.
S. Paullus à Tito & Luca sepultus. 41.
S. Paullus conuertit Hierotheum ad fidem 604. Eum creat Episcopum Athenensem. 605. 614.
Paullus cur ductus in Areopagum. 232.
Paullus S. Dionysij præceptor. 39. 141.
S. Paullus diuinitus præsensit suam mortem. 257. 266.
Paullus à S. Dionysio laudatus. 240.
S. Paullus in Hispaniam profectus est. 22. 252. col. 2. & 259. col 1.
Paullus in vinculis genuit Christo Onesimum. 308.
Paullus è persecutore, Christi discipulus 50. in cælos raptus. 50. Elymam magum excæcauit. 50. mortuos ad vitam suscitauit. Ibidem.
S. Paullus in Galliam iuit. 42. 252. col. 2. 25 col. 1.
S. Paullus mensibus sex post S. Stephani lapidationem conuersus creditur. 398. col. 2.
S. Paullus Troade fuit. 323.
S. Paullus venit Antiochiam ante S. Petrū 391. 392.
Paupertas euangelica commendatur. 390. col. 1. & Episcoporum. Ibid.
Pax Christi qualis. 160. col. 1.
Pax, Dei nomen. 158.
Peccatores magni mediâ pœnitentiâ egregiê sanctitate. 57. col. 1.
Pelbartus Osualdus Temesuariensis. 628.
Perfectio vitæ qua via quærenda sit. 19.
Perficere & perfici in hierarchia quid? 120.
Pergamus, vrbs Phrygia. 659. col. 1.
Perkinsus hæreticus refutatus. 462. col. 2.
Periculis imminentibus sanctorum diuino monitu subreptorum exempla. 563. col. 2. 564. col. 1.
Perronius Ebroicensis Episcopus. 156.
Persecutio Ecclesia in Gallijs. 174.
Persecutio 4. ecclesia, imperante Hadriano. 676.
Persecutio ecclesia temporibus M. Aurelij Antonini & L. Veri. 505.
Persecutiones ecclesia in temporibus Polycarpi. 488.
Persecutiones licet quadamtenus vtiles, tamen instinctu Dæmonis excitantur. 306.
Persecutionis Domitiani Imp. acerbitas. 62.
Persecutionis ecclesia sub Traiano initia. 313.
Persecutio pacata sub S. Ignatij Martyrium. 414.
Persecutionis sedatio per apologiam S. Quadrati. 677.
Perseuerantia incitamenta. 586. 587.
Persona SS. Trinitatis similes facibus eodem loco lucentibus. 141.
Persona in SS. Trinitate æquales. 183.
Personis diuinis quæ sint singulis propria? 140. col. 2. inter illas maxima est coniunctio. Ibidem.
Pestilentia per imperium Romā grassatio. 512. 514.
Petri Aureoli Cardinalis locus. 557. col. 2. 558. col. 2.
Petri Castellani Scriptoris syntagma laudatum. 463. col. 1.
Petri Maffeij historia Indica citatur. 658.
Petri Equilini Episcopi in Catalogo Sanctorum error animaduersus. 579.
Petronius Arbiter qualis? 418.
S. Petri acta prodigiosa. 50.
S. Petrus diuinitus præsensit suam mortem. 257. 266.
Petrus Apostolus quando Antiochiam venerit. 391. col. 2. 392. col. 1.
Petrus Comestor in Acta Apost. citatus 2. 3. col. 2.
S. Petrus iuit in Hispaniam. 259.
S. Petrus Episcopum constituit S. Ignatium. 383.
S. Petri vmbra sanauit infirmos. 50.
Petrus Cottonus Scriptor laudatus. 448. col. 2.
Petrus Equilinus de Marco Euangelista correctus. 551. col. 1.
Petrus Fullo excommunicatus. 394.
Petrus Lansselius Scriptor. 631.
Petrus de Natalibus. 658.
Petrus Opmeerus in anno mortis S. Ignatij falsus est. 41. col. 1.
Phiala odorata cælitus missa Gallis. 282.
Philadelphiæ vrbes quot? 410.
Philadelphia Episcopus, de quo in Apoc. quis sit ignoratur. 411.
Philippi ciuitas. 406.
Philippi Augusti in terram sanctam aduersus barbaros expeditio. 103. pallium sericum amoris pignus altari S. Dionysij imponit. Ibid.
Philippi Aridæi regula astronomica. 316.
B. Philippi Diaconi seu Euangelistæ filiæ 4. prophetantes. 638. 639.
Philippi Regis Francorum incolumitas S. Dionysio accepta relata. 97.
S. Philippi Diaconi raptus. 638. col. 1.
Philippus Augustus Rex Galliæ. 282.
S. Philippus Diaconus vocari potest Samariæ Apostolus. 658.
Philippus II. Rex Hispaniarum misit lampadem argenteam S. Dionysio. 103.
Philippus II. Hispaniarum Rex à Carol. IX. Rege Galliæ Reliquias corporis S. Eugenij impetrat. 84. eiusdem in Reliquiarum cultu pietas. Ibid.

Philippus Augustus Rex Francorum ad terræ sanctæ recuperationem profecturus S. Dionysij opem implorat. 220.

Philistæus incircumcisus. 392.

Philo Diaconus comes S. Ignatij 319. *Eiusdem Philonis laudes.* 407. col. 1. & 428. col. 1.

Philo Iudæus citatus. 619.

Philomelium vrbs Phrygiæ. 582.

Philosophi Athenienses multùm fidei officiunt. 22.

Philosophia vtuntur Gentiles aduersus Deum. 14.

S. Phocæ hortulani & mart. mensa hospitalis, persecutoribus apparata. 520. 521.

Phrygia minor vna è regionibus Asiæ. 42. & 654. col. 2.

Phryx quidam, Quintus nomine, tormentorum metu à fide deficit. 506.

Piè & reuerenter de Deo loquendum. 165.

Piorum Christianorum in præsenti & futuro beata sors. 59.

Pippinus Francorum Rex. Idem suscepto bello iuuat Stephanum III. Pontificem. 108.

Piscatores per piscationem Christus ad se allicit. 4.

Plato in Ægyptum peregrinatus. 2.

Plato quæ docuerit de Deo. 236.

Plato prælatus Aristoteli. 250.

Plato non prædicauit Deum, quem agnouit. 233.

Platonicorum scita fidei Christianæ conformia. 7. 236. col. 2.

Platonis laudes. 235. col. 2.

Platonis sectatores è S. Patribus. 236.

Platonis locus de morte Socratis. 233. col. 1.

Platonis & Eudoxi schola vbinam? 224.

Pleroma triginta Æonum. 190.

Plinij iunioris locus lib. 4. epist. 7. examinatus. 589. col. 2.

Plinij Secundi mors. 423.

Plinius Secundus an proconsul in Bithynia. 416. an proprætor. 418.

Plinius Secundus nullos habuit liberos. 424.

Plinius Secundus quo tempore litteras ad Traianum pro Christianis dederit. 314. *quid scripserit.* 414. 415. 416.

Plinius Secundus iunior an ad Christi fidem conuersus sit, ac piè mortuus, & Sanctis adscriptus. 420. 421. 422. 423.

Plumbatis pilis cruciatus Ignatius. 405.

Pluuia miraculo data & impedita. 535.

Pluuia è cœlo postulatur à Polycarpo, & conceditur. 496.

Pluuia S. Polycarpi precibus repressa. 496.

Polybius Trallianorum Episcopus. 407.

Pœnitentes qui & cur à SS. Eucharistiæ mysterio arcentur? 24.

Pœnitentis latronis insigne exemplum. 498.

S. Polycarpi Acta in Ecclesijs legi solita. 504.

Polycarpi Acta plurima intercciderunt. 499.

Polycarpi fortitudo in persecutione Domitiani. 488.

Polycarpi ad necem postulatio. 506.

Polycarpi auersio ab hæreticis & eorum erroribus. 500. 501.

S. Polycarpi caput in Rhodo insula. 593. col. 1. *precatio eiusdem.* 591.

Polycarpi corpus Romam ad Altumuillarense monasterium fertur. 541. col. 2.

S. Polycarpi cum Aniceto Pont. amica communicatio. 499.

Polycarpi cum Proconsule altercatio. 508.

Polycarpi cura in deligendo bono consortio. 545. col. 2. & 546. col. 1.

Polycarpi dictum cedro & cœlo dignum: Octoginta sex annos illi seruiui &c. 508. 515.

Polycarpi dictum in aduersis. 542. col. 2.

Polycarpi doctrina, de modo precandi. 495.

S. Polycarpi educatio. 471. & 472.

Polycarpi eloquentia Christiana. 483.

Polycarpi epistola ad Philippenses laudata. 523. 524.

Polycarpi fragmentum vnum aliena manu auctum ostenditur. 597. col. 1. & 2.

Polycarpi ad Smyrnæos pluuiam in tempore siccitatis ab eo petentes modesta responsio. 494.

S. Polycarpi in conseruos inuidos ac maleuolos benignitas. 473.

Polycarpi in flammis subeundis generositas. 509.

S. Polycarpi in pauperes liberalitas. 472. 475. 477. & 478.

Polycarpi insignes discipuli. 502. 503.

S. Polycarpi elogia è SS. Patribus. 469. 471.

S. Polycarpi laus in appetitu Martyrij. 319.

Polycarpi laudes variæ. 488. 490. 491. 494.

Polycarpi laus communi hostium voce testatissima. 509.

Polycarpi laus ex allusione nominis versibus senarijs comprehensa. 534.

Polycarpi liberalitas in pauperes miraculis illustrata. 545. col. 1. *item S. Myronis Episcopi Cretensis. ib. item S. Seleuci.* ibid. col. 2.

Polycarpi martyrium, 505. & deinceps.

Polycarpi miracula. 534. 535. 536.

Polycarpi natiuitas. 543.

Polycarpi præceptores. 477.

Polycarpi responsionum fragmenta. 532. 533.

Polycarpi sacræ Reliquiæ quanti æstimatæ. 511.

Polycarpi fructus in Italia. 500.

Polycarpi scripta recensentur. 522. 523. 524.

Polycarpi iam senis in Italiam pro ecclesiæ negotijs profectio. 499.

Polycarpi se Deo victimam deuouentis precatio. 510.

Polycarpi senis coram persecutoribus constantia ipsis hostibus reuerenda & admirabilis. 507.

Polycarpi sodales Papias & Ignatius. 579.

S. Polycarpi studium ad Apollophanis conuersionem. 12.

Polycarpi tres. 542. col. 1.

Polycarpi tristitia ob Valentis Presbyteri lapsum. 530. 531.

Polycarpi verba discipulos suos mittentis in Galliam, martyrij ipsorum prænuntia. 502.

Polycarpi visio indicans genus martyrij, quo defuncturus esset. 506.

Polycarpo venit vox è cœlo, Fortis esto Polycarpe, & viriliter age. 507.

S. Polycarpo seruo committitur domus herilis administratio. 472.

Polycarpus ætate longæuus. 545. col. 2.

Polycarpus ad mortem ducendus preces fundit pro tota ecclesia. 507.

Polycarpus à Ioanne Apostolo Episcopus constitutus. 554. col. 1. & 2.

Polycarpus à S. Bucolo creditur baptizatus. 477.

Polycarpus à S. Ioanne, dilecto Christi discipulo edoctus. 538.

Polycarpus 20. annorum, curam familiæ suscipit. 545. col. 2.

S. Polycarpus centum circiter annis grauis ad bestias postulatus. 383.

S. Polycarpus comparatur S. Stephano Diacono. 479. 480.

S. Polycarpus conuertit ad fidem Christi Apollophanem Philosophum. 479.

Polycarpus creditur à Gentilibus vnus esse ex Dijs. 494.

Polycarpus discipulus Apostolorum. 387. col. 2. & 547. col. 1.

S. Polycarpus educatus est Smyrnæ in Asia. 471.
Polycarpus emptus à Callistone vidua. 544. col. 2.
Polycarpus Episcopus visitat ecclesias. 491. 492.
S. Polycarpus est ille Angelus Smyrnæ, ad quem verba Apocalypseos cap. 2. diriguntur. 488. 489.
Polycarpus fit Diaconus. 478.
Polycarpus hortatu Cai Papa urbe cum Chromatio excedit. 542. col. 1.
S. Polycarpus in deligendis sodalibus cautissimus. 474.
S. Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus. 537. col. 2. & 546. col. 2.
Polycarpus adhuc iuuenis à S. Bucolo Diaconus ordinatur. 547. col. 2.
Polycarpus ferro confoditur. 510.
Polycarpus inter flammas illæsus. 510.
S. Polycarpus Iosepho Patriarchæ comparatus. 470. 478.
Polycarpus, martyr magnus appellatus. 504.
S. Polycarpus natus est sub tempora Neronis. 471.
Natus est in Oriente, incertum qua urbe. 471. & 544. col. 1.
Polycarpus Smyrnæ educatus. ibid.
Polycarpus nolens male suadentibus auscultare præcipitatur è rheda. 507.
Polycarpus morborum curator. 537. col. 1.
Polycarpus mortuus est anno ætatis centesimo sexto circiter, Episcopatus autem septuagesimo quarto. 510.
Polycarpus, oliua fructifera in domo Domini. 537.
Polycarpus Petri Ioannisq; auditor. 60.
Polycarpus postulatur ad Leonem. 509.
Polycarpus postulatur vt viuus comburatur. 509.
S. Polycarpus precatione vacua replet horrea. 472.
Polycarpus primus Ignatij amicorum. 291.
Polycarpus primus pastor Asiæ post mortem Ioannis Euangelistæ. 542. col. 2.
S. Polycarpus puer venditus est mulieri viduæ. 471.
S. Polycarpus quot annos vixerit. 587. col. 1. & 2. 588. col. 1.
Polycarpus S. Ioannis auditor Ephesi. 548. col. 1.
Polycarpus senex asino impositus ad mortem abducitur. 507.
S. Polycarpus seruitutem seruiuit. 471.
Polycarpus Smyrnæ Episcopus. 92. 406.
Polycarpus suis persecutoribus mensam apponit. 507.
Polycarpus suorum rogatu mutat latebras. 506.
Polycarpus symbolicè prænouit genus martyrij. 15. 38. ver. 25.
Polycarpus tantisper declinat martyrium. 506.
Polycarpus vocatus doctor Apostolicus & Propheticus. 510.
Polygamiam vocabat Polycarpus velatum adulterium. 550. col. 2.
De Polygamia Cæsar legem ferre conatur. ibid.
Polygamia nunquam simpliciter licita, sed permissa ex dispensatione diuina. ibid.
Polygamia à Christo abrogata. ibid.
Polygamia à iure infamia notata. ibid.
Polygamia consuetudo etiam ante Christum sublata. ibid.
Polygamia Gentilium maximè impedit eorum conuersionem ad Christi fidem. 551. col. 1.
Polygamia matrimonij nomine personatum adulterium. 481.
Pontifex est princeps ecclesiasticæ hierarchiæ. 627.
Pontifex expiat & illuminat Sacerdotes & Diaconos. 126.
Pontificis maximi erga S. Polycarpum submissio & humanitas. 499.
Potestatum descriptio. 124.
Potica, dea potandi. 627.
Præconis vox aduersus martyres. 508.
Præda multo labore parta multùm delectat. 115.
Prædicit Dionysius se Ioannem ab exilio conuenturum. 59.
Prædicationis Euangelij fructus exiguus in auditoribus, magnus est sæpe in labore prædicantis. 46.
Præfectus faciens aliquid contra edictum Imperatoris est pœna dignus. 36.
Præsentia Dei in omnibus rebus cogitata quantum valeat. 132.
Præsidia duo aduersus Iudæos ad fidem in Christum probandam. 295.
Præsidiales prouinciæ quæ? 418.
Prætor ex officio debebat in sua prouincia habere templorum curam. 423.
Prætoriæ prouinciæ quæ? 418.
Precantium voces Sancti exaudiunt. 339.
Precatio plena debet esse fidei atque fiducia. 425.
Precatio S. Polycarpi ad impetrandam pluuiam. 495. 496.
Precatio qualis esse debeat. 568. col. 2. 569. col. 1.
Precationis efficacia. 296.
Precationes Sanctorum vtiles sunt & viuis & defunctis. 138.
Precationes pro mortuis. 138. 139.
Precationibus appropinquamus Deo. 142.
Precationis tempus poscit Polycarpus, antequam abducatur à persecutoribus. 507.
Precationes in loco communi & sacro. 347.
Precationes vnanimiter facta ab ecclesia sunt efficacissimæ. 348.
Precationum vis mirifica. 86. & huius rei similitudines. 87.
Precationum ab alijs postulatio. 348.
Precationum S. Dionysij efficacia. 76.
Precationum vis factarum per allegationem quorundam Sanctorum. 213.
Precibus ad nos non attrahitur Deus, sed nos ad illum 177.
Presbyterorum dignitas. 349.
Primogeniti satanæ appellantur hæresiarchæ. 500.
Principatuum descriptio. 124.
Principia rerum sunt quinque S. Dionysio. 144. col. 2.
Principum Angliæ munificentia in cultu S. Dionysij. 110.
Prioris vestis abiectio in monachis quid significet? 136. col. 2.
Proarcha. 190. col. 1.
Proborum & improborum in morte diuersitas. 137.
Probus Grammaticus. 627.
Proconsulares prouinciæ. 418.
Proconsulis ad Polycarpum verba. 508.
Profectio Dionysij in Hispaniam. 54.
Proficiendi in virtutibus ratio facilis & expedita. 55.
Proficiendum quotidie in virtute exemplis demonstratur. 588. col. 1. & 2.
Progressus in virtute cunctis est semper necessarius. 293.
Progressionis in virtutibus adiumenta. 293.
Prophetiæ donum in S. Quadrato. 675.
Prophetiæ spiritu clarus fuit Polycarpus. 591. col. 2.
Prophetiæ spiritus in vera ecclesia perseuerat. 591. col. 2.
Prophetiæ Spiritus in S. Ignatio. 315.
Proprietates ignis & aquilæ ad Deum & Angelos relatæ. 127.
Prosdoce castitatē vt seruaret, se aquis suffocauit. 276.
Protagoras philosophus fuit Teius. 561. col. 1.
Proximus amandus tanquam Dei simulacrum & imago. 357.
Prudentij locus è Psychomachia. 560. col. 1.
Prudentij vera lectio ostensa. 590. col. 2.

Prudentius Poëta. 629.
Psallendi alternis modus quandonam ad Latinos transijt? 399.
Psalmorum cantus. 130.
Pseudoapostoli subdoli. 403.
S. Publius Episcopus Atheniensis martyr. 674.
Pudor & cognitio sui necessaria ad vitam spiritualem accedenti. 129.
Pulcheria Imperatrix tria templa Constantinopoli B. Virgini fabricauit. 30.
Pulcheria Imperatricis laudes. Ibidem.
Pulchritudo quid grace sonet. 143.
Pulchrum, Dei nomen. 143. & cur? ibid.
Punire & puniri non sunt mala. 147.
Punitio diuina de effuso martyrum sanguine. 512. 513. 514.
Punitiones diuinæ ob infestatam Ecclesiam 594. 595.
Purgare & purgari quid sint in hierarchijs. 120.
Purgari & expiari quomodo dicantur Angeli in cælo. 137. col. 1.
Puritas animi ad suscipiendas illustrationes diuinas necessaria. 57.
Puteolis & Neapoli fidem Ignatius dicitur prædicasse. 412.
Puteus olei salutiferi ferax. 562. col. 1.
Pythagoras Philosophus in Ægyptum eruditionis caussa peregrinatus. 2.

Q.

Quadragesima ieiunium. 352.
S. Quadrati Athenarum Episcopi elogia. 670.
S. Quadratus Athenis pulsus. 680.
S. Quadratus varijs cruciatus tormentis tandem martyrio vitam finit. 681.
S. Quadrati corpus Magnetes siue Magnesij obtinent. 681.
S. Quadrati dies natalis alius apud Orientales, alius apud Occidentales. 681.
S. Quadrati scripta. 682. 683.
Quadragesima seu ieiunij quadragenarij consuetudo quando & quomodo inchoata. 388. 389.
S. Quadratus Episcopus Philadelphiæ. 672.
S. Quadratus Episcopus Atheniensis. 674.
S. Quadratus pollet dono prophetiæ. 675.
S. Quadratus pollet dono miraculorum. 675.
S. Quadratus Polycarpo & Papiæ coæuus 671. Claudij Drusi Imp. temporibus natus. Ibid.
Quadrigariorum lusus vetiti à Nerone. 396.
Quæstiones in hoc volumine tractatæ vidēdæ sunt initio huius operis, ante primam vitam.
Qualis esse debeat cum Deo versaturus. 34.
Quintilianus Siluanectis præfectus 81. excitatur in S. Regulum. ab idolorum Sacrificulis. 81. S. Dionysius ipsi apparet. 81. ab vxore Christiana interpretationem visi nocturni edocetur, & ad Christi fidem conuertitur. Ibid.

R.

Recogitatio omnium per vitam actorum, bona est ad mortem præparatio. 507. 515. 516.
Redemptio, Dei nomen. 155.
Reges Galli an habuerint olim Bufones pro insignibus? 282.
Regente S. Ignatio Iudæi & Gentiles in vnam Ecclesiam Antiochiæ coalescunt. 302.
S. Regulus S. Ioannis apostoli fuit auditor. 81. Eiusdem Reguli acta 81. Eum sacrificuli idolorum persequuntur. Ibid.
S. Regulus quis fuerit. 167. col. 1.
S. Regulus socius S. Dionysij. 46. 80.
Regulus Arelatem conuertendam suscepit. 48.
S. Regulo Arelatensis Ecclesia commendata. 51.
Regum ante mortem pia officia. 95.
Regum Franciæ consuetudo in expeditionibus aut peregrinationibus extra regnum. 94.
Regnum quid? 160.
Reliquiæ S. Dionysij & Eleutherij & Rustici à Roberto Rege missæ Floriacensi cœnobio. 97.
Reliquiæ S. Hierothei. 630.
Reliquiæ S. Ignatij à Christianis collectæ. 330. 334. 335.
Reliquiæ SS. Martyrum quanti æstimatæ. 511.
Reliquiæ Sanctorum maximi facienda. 630.
Reliquiarum cultus & dignitas. 103. 335. 336.
Reliquiarum S. Eugenij translatio. 84.
Reliquiarum S. Dionysij dies festa. 97.
Reliquiarum sacrarū virtus in augēdis imperijs. 112.
S. Remigius Episcopus. 265.
S. Remigius occurrit Clodoueo victori. 100. illum baptizat. Ibid.
Reprehensores Dionysij quinam? 259.
Resignationis in voluntatem Dei exempla. 583. 584.
Respicere, in Scriptura, quid? 565. col. 1.
Res quo propriùs ad Deum accedunt, eo magis inter se coniunguntur. 150.
Resurrectio mortuorum. 151.
Retractatio librorum vsitata. 211.
Reuelata sunt S. Ignatio, quæ erant populo necessaria. 324.
Reuelationes variæ B. Ignatio factæ. 356.
Reuelationes quibus potissimum fieri solitæ? 60.
Reuerationum varietas vnde sit? 60.
Reuerentia Christianorum erga S. Polycarpum. 509.
Reuerentia in magistros exemplum in Dionysio expressum. 91.
Rex sæculorum, Deus. 213.
Rhegium Iulij, vrbs. 327.
Rhegium Lepidi, vrbs. 406.
Richardus Anglorum Rex. 282.
Ritus & cærimoniæ sacrificiorum ac sacramentorum ab Apostolis instituta, à viris Apostolicis probata, litteris perennarunt. 53.
Roberti Regis Francorum prosperitas à Deo & S. Dionysio. 69.
Robertus Regis Odonis frater. 284.
Robertus Rex varijs in locis templa excitat. 97.
Roma celebris passione triū Apostolorum. 547. col. 2.
B. Romulus Onesimi & Papiæ socius in persecutione. 643.
Radulphi de riuo sententia de alternorum in ecclesia cantuum origine, refutata. 399. col. 1. & 2.
Ruffini Presbyteri interpretatio correcta. 681. 682.
Rusticus discipulus S. Dionysij. 80. 115. eiusdem comes itinerum. 46.
Rusticus & Eleutherius vnà cum Dionysio comprehensi. 71.
Rusticus Martyrio affectus. 115.
Rutilij itinerarium citatum. 394. col. 1.
Ruina subita diuersorij. 495.

S.

Sabbatum magnum quod sit, & cur sic appellatum? 592. col. 2.
Sabbato vnico olim in Oriente ieiunandum erat. 353.
Sabbatizare Iudaicè quid? 354.
Sabbatizare spiritualiter quid? 354.
Sabbati tempore mos Iudæorum circa cibum potum, ambulationem. 354.
Sabellij error de SS. Trinitate pluribus sæculis fuit ante Sabellium 342. de eodem hæresiarcha plura. 412.
Sacellum Parisijs à Dionysio consecrata. 57.
Sacellum B. V. à Dionysio consecratum. 53.
Sacellum S. Dionysij. 73.
Sacellum martyrum. 80.

Sacellum S. Dionysij de carcere. 80.
Sacellum S. Dionysij de passione. 80.
Sacellum SS. Trinitatis à Dionysio consecratum. 52.
Sacerdotes secũdũ Episcopos, Dei interpretes sunt. 35.
Sacerdotij horror & fuga. 551. 552.
Sacerdotij dignitatem refugit Polycarpus. 482. 483.
Sacerdotio dignum efficiunt mores boni magis quàm quicquam aliud. 551. col. 2.
Sacerdotis ordinatio. 134.
Sacerdotis nomine indignus est, qui dotibus caret sacerdotalibus. 37.
Sacerdotum dignitas. 550.
Sacerdotum Dei imprecatio horribilis. 513.
Sacerdotum officium. 133.
Sacerdotum peccata minime ab inferioribus corrigenda. 35.
Sacramentorum ritus quinam litteris primi mandauerint? 53.
Sacramentorum aliquorum ritus. 198.
Sacrificium missæ pro quibus offeratur? 204.
Sacrilegij in S. Dionysium admissi diuina punitio. 110. 111.
Sadragesillus Dagoberti moderator, & Aquitaniæ gubernator. 393. à Dagoberto flagris cædi iussus. Ibid.
Sæui comparati leopardis. 321.
Sal in Troade ob impositum à Lysimacho tributum defecit, eodem tributo sublato rursus excreuit. 562. col. 1.
Salus, Dei nomen. 155.
Salutis vnius animæ cura quanti æstimanda? 497.
Samaritis primus post Christi ascensionem euangelium annuntiauit S. Philippus Diaconus. 658.
Samson diuina passus. 632.
Sancta Sanctorum. 35. 249.
Sancti in cælo nostri sunt memores. 341.
Sancti qui Spiritu Dei aguntur, cuncta vertunt in bonum. 64.
Sanctitas quibusnam gradibus acquiratur. 61.
Sanctitas quid? 160.
Sanctinus discipulus S. Dionysii. 80.
S. Sanctinus Meldensis Episcopi laudes. 81.
Sanctinus à S. Dionysio missus Carnutum. 263.
Sanctinus Meldas conuertendas suscepit. 48.
S. Sanctinus Carnutibus & Meldensibus fidem annuntiat. 63.
Sanctorum pia colloquia à recenti morte Apostolorum. 44.
Sanctorum in suppetias inuocatio. 95.
Sanctorum quisque aliquid habuit in quo peculiariter excelleret. 645.
Sanctorum verba, quasi oracula. 69.
Santones, populi Galliæ Aquitanicæ. 46. 62.
Sapientes Persarum, Assyriorum, Chaldeorũ, Gallorum, quibus nominibus appellati. 2.
Sapientia, Dei nomen. 151.
Sapientia à Deo postulanda. 394.
Sapientia Diuina omnium artifex. 153.
Sapientia Diuina attingit à fine vsque ad finem fortiter & suauiter. 153.
Sarmentitij appellati Christiani, cur? 590. col. 2.
Satellitum feritas in B. Ignatium. 326.
Saturninus Aquitaniam conuertendam suscepit. 48.
S. Saturninus socius S. Dionysij. 46. 254. 255.
Saturninus Tolosanorum Episcopus. 54.
Sauli preces Samueli non profuerunt. 238.
Saül sacrificans peccauit, & cur? 36.
Scamma quid? 419.
Sandoualense cœnobium in ditione Legionensi in Hispania possidet caput S. Hierothei. 609.
Scientia & virtus duo ad episcopatũ necessaria. 19.
Schismata in Christianis cauenda. 357.
Scholiastes Aristophanis. 624.
Scholiastes Thucydidis. 623. 625.
Scripta Apostolica. 195.
Scripta S. Dionysij ipsum auctorem æquæuum Apostolis denotant. 178.
Scriptorum Hierothei commendatio. 615.
Scriptura sacra interdum plura habet in autographis, quàm in Interpretibus. 662. col. 2.
Scriptura sacra studium in S. Polycarpo continuum. 493.
Scriptura sacra humilis stilus non sapit Gentilibus 17.
Scripturarum sacrarum insigne studium. 565.
Sculteti ignorantia aut malitia ostenditur. 444. & seqq. 419. 450. 421. seqq.
Scultetus refutatus. 193. 197. 438. 439.
Scutum libratum cælitus missum Gallis. 281.
Scythinus poeta iambicus fuit Teius. 561. col. 1.
Sedecias medicus Carolũ Caluũ interemit veneno. 101.
Seditiosi quomodo appetant pacem. 159.
Segebiensis ecclesia ab Hierotheo erecta. 630.
Seleucia vrbs. 406.
Senatores Rom. sapientiâ Ignatij confusi sunt. 405.
Semaxij cur appellati Christiani? 590. col. 2.
Seneca locus. 546. col. 1.
Senes bauli à Polycarpo admoti. 476.
Senes etiam damnabantur ad bestias. 383.
Senioris seu Presbyteri nomen quid significet? 650.
Senones. 51.
Sententia, quid? 395. col. 1.
Sententia ignita Ignatij. 312.
Septuaginta discipuli, etiam appellati Apostoli. 398.
Sepulchri S. Benigni violator punitus. 503.
Sepultura loca, alia viris sacris, alia laicis deputata. 137.
Sequana fluuius. 56.
Seraphim nullo medio discunt à Deo. 184.
Seraphinorum descriptio. 122. col. 2.
Seraphini facies & pedes obtegunt, cur? 133.
Seraphinorum alter clamat ad alterum, quid? 125. col. 1. & 2.
Seraphinorum multa facies. 133.
Seraphinorum perpetuus clamor. 143.
Seraphinorum sena penna quid? 133.
Seraphinos in cælo supremos esse, Deoq; vicinissimos, quibus rationibus probetur? 123. col. 1. & refelluntur aduersarij. Ibidem col. 2.
Serenius Granianus, Asiæ Proconsul, Hadrianum Imp. consulit de Christianis. 697.
Sermo de Pseudoprophetis & falsis Doctoribus est Chrysostomi. 176.
Serpentum morsu læsi, mox vt ianuam basilicæ S. Phocæ martyris attingunt, persanantur. 581.
Sibyllarum dicta, pro oraculis habita. 395. col. 1.
Sidera an viuant? 190.
Sigillum Domini aliquando Baptismus, aliquando Confirmationis sacramentum appellatur. 571.
Sibyllini libri à Romanis consuli in periculis soliti. 395. col. 1.
Signa de cælo à Iudæis petita. 3.
Signum crucis in eo, qui baptizatur, quid significet? 129. col. 1.
Signum crucis in consecratione Monachi quid significet. 136. col. 1.
Signum crucis quid significet in sacris ordinationibus. 134. col. 2.
Silentij nomine appellatur pax diuina à S. Iusto. 158.
Siluanectum, vrbs. 81.
S. Simeonis brachium vbi? 101.
S. Simeon Episcopus Hierosolymitanus. 265. crucifixus ætatis anno centesimo vigesimo. 383.
Similitudo de pluribus facibus eodem loco lucentibus. 141.
Similitudo religionis & numismatis. 13.
Simon Magus refutatus. 151.
Simulatores, Augustus Imp. & Hadrianus item Imp. 693. 694.

Sinc-

Sinceritas. 33.
Smyrna, patria Homeri & Aristidis. 554.
Smyrna Ioniæ ciuitas. 406.
Smyrna vrbs pulchra vel perpulchra cognomento appellata 494. 495. 567. col. 2.
Smyrnæi seruitutis syngrapham diabolo dederunt, auctore Polycarpo abrogarunt. 495.
Smyrna à M. Aurelio Antonino instaurata. 514.
Smyrna fuit domicilium S. Polycarpi. 475.
Smyrnæ laus maior à Polycarpi educatione quam Homeri. 544. col. 2.
Smyrnæ moram fecit Ignatius, dum Romam ad martyrium duceretur. 407.
Smyrnæ situs & celebritas 544. col. 1.
Smyrnæ ruina post mortem Polycarpi. 513.
Smyrnæ sepulti sunt S. Bucolus, S. Thraseas martyr, S. Germanicus adolescens martyr, S. Pionius. 544. col. 1.
Smyrnæi tempore siccitatis pluuiam à Polycarpo petunt & impetrant. 494. 495.
Smyrna vrbs Ioniæ. 513. 514.
Smyrnensis ecclesiæ commendatio. 490.
Societas Iesu prima pietatis vota in monte Martyrum nuncupauit. 107.
Societatis prauæ pernicies. 497.
Socrates morte sublatus, quod Deum vnum prædicaret. 10.
Socrates prædicauit ignotum Deum. 232. vnicum agnouit. 233.
Socratis error, lib. 5. hist. eccl. cap. 22. correctus. 592.
Sodales boni magna cura deligendi. 474.
Sodalium & æqualium tria genera. 474.
Sodales praui quam deuitandi sint? 474.
Sol creditus esse Deus. 236. col. 2. 237. col. 1.
Sol immotus. 40.
Sol & Luna duobus modis possunt stare immoti. 238.
Sol quare ἥλιος græcè dicatur? 143.
Solis effectus & proprietates. 143. 150.
Sol Mithra dictus à Persis. 15.
Sol triplex Mithra, & cur? Ibid.
Sol retro reuersus. 14.
Solem & Lunam pro Diis habuit Apollophanes 227.
Sollicitudo ecclesiarum visitandarum, & in fide firmandarum. 68.
Solonis lex de Areopagitis. 230. col. 1.
Somnia, ex quibus futurorum licet capere coniecturam, quænam sint? 590. col. 1.
Sopater sacerdos. 92.
Sors in electione S. Matthiæ quid fuerit? 153.
Spartiani in Hadriano Imp. locus emendatus. 693. 694.
Spes in Deum ad omnia valet. 43.
Spectacula & ludos horret Polycarpus. 475.
Spectaculorum pericula. 475. 476.
Spiritus sancti dona cur negata existentibus extra ecclesiam? 549. col. 1.
Spirituum plani & deceptoris descriptio. 343.
Spiritus Sanctus, xystarches. 430.
Statius Poeta citatus. 625.
Statura S. Dionysii. 285.
Status & sessio Dei, quid sint? 157.
Stella, occasio conuersionis trium Magorum. 4.
Stellarum ordo non mutatur, nisi ab illarum conditore. 14.
Stephanus III Pontifex periculosissimè laborans sanatur à S. Dionysio. 108.
Stephanus III. Pontifex aram dedicat in honorem Apostolorum Petri & Paulli. 109.
S. Stephanus Diaconus & protomartyr quoto anno à Christi morte lapidatus? 398.
Stephanus Byzantius De vrbibus, citatus. 654. 655.
Stephani, Episcopi Leodiensis decretum de honorandis S. Eugenii Toletani Reliquiis. 84.
Stephanus Forcatulus citatus. 268. col. 2.
Stephani Gobari locus citatus. 660. col. 1.
Stephanus Menochius citatur. 557. col. 2. 558. col. 2.
Strabo Geographus citatus. 630. 655.
Studium audiendi dicta factaque sanctorum ac proborum. 644.
Subdiaconi ab Ignatio creati. 400.
Subdiaconi primitus in minoribus ordinibus habiti. 400. col. 1. & 2. Iidem postea in majoribus ordinibus recensiti. 400. col. 2.
Subdiaconorum officium. 400. col. 2.
Successorum bonorum cura habenda Episcopis. 212.
Suffitus Episcopi per templum. 130.
Sulpitii Seueri locus explicatus. 173. col. 2. 174. col. 1.
Sulpitius Ecclesiæ persecutiones tantum breuiter perstringit. 173.
Superbia pias alioqui mentes nonnunquam excæcat. 33.
Superiores ordines minimè ab inferioribus corrigendi. 38.
S. Suuibertus Frisonum Apostolus. 105.
S. Synesius Ptolemaidis Episcopus. 629.
Syngrapha dæmoni data. 568. col. 1.
Syngrapha diabolo tradita irritatur. 495.
Synodus vide Concilium.
Synodus Nicæna 1. citatur. 555. col. 1.
Synodus V generalis siue Constantinopolitana. 633.
Syria & Asia ab Apostolis in fide exculta. 41.

T.

TAbitha resurgit à mortuis. 50.
Tatius Quadratus erat Proconsul Asiæ in martyrio Polycarpi. 510.
S. Taurini acta quis recenseat. 265. col. 1. & 2.
S. Taurinus Ebroicensis Episcopi res gestæ. 81. eiusdem miracula. 81.
S. Taurinus cæcos & claudos sanat. 81.
S. Taurinus creatur à Dionysio Episcopus Ebroicensis. 69.
S. Taurinus discipulus S. Dionysii. 80.
S. Taurini egregia miracula. 277. col. 1.
S. Taurini initiatio & educatio. 66.
Te Deum laudamus, hymnus ecclesiæ. 633. 634.
Templa diuinitus consecrata. 280. 279.
Templi B. Mariæ Lakensis iuxta Bruxellas dedicatio miraculosa. 280.
Templi Hierosolymitani destructio cur permissa à Deo? 401.
Templi montis Martyrum nobilissima dedicatio. 102.
Templum S. Dionysii est mausolæum Regum Franciæ. 99.
Templum & altare sanctissimum, est ipse Iesus. 134.
Templum Hierosolymitanum an esset euertendum, deliberauit Titus. 401.
Templum S. Mariæ de donis in Aueniononsibus, manu Domini consecratum. 279.
Templum SS. Petro & Paullo consecratum à S. Dionysio. 49.
Templum S. Stephani Græcorum à S. Dionysio consecratum. 53.
Tempus quid sit? 158.
Teon vrbem Ioniæ, inuisit Polycarpus, & ibi patrat miraculum. 491.
Teos, vrbs Ioniæ, patria Anacreontis, &c. 560. 561.
Eiusdem vrbis clari viri. Ibidem.
Terentii locus citatus. 627.
Terræ motus Antiocheni descriptio. 333.
Terræ motu vrbes euersæ. 654.
Terrenorum sensus contemptus. 292.
Tertulliani de S. Polycarpo testimonium. 469.
Tertulliani locus. 624.
Tertulliani locus explicatus. 430. col. 1. & 2.
Tertulliano malè adscribuntur libri 4. carminum aduersus

aduersus Marcionem. 253. col. 2.
Tertulliani varia lectio. 547. col. 2.
Tertullus Vrbis Praefectus. 643.
S. Thaddaei locus citatur. 448. col. 1.
Thales Milesius. 2.
B. Theodoreti laus. 390. col. 2.
Theodoreti locus vitiosius animaduersus. 455. col. 1.
Theodoretus in dialogo Immutabilis citatus. 295.
Theodromus, officij nomen ab Ignatio martyre excogitatum. 490.
Theofridi locus ex epitaphio Sanctorum. 562. col. 1.
Theophori agnomen vnde S. Ignatio? 289.
Theophori agnomine cur ipse vteretur Ignatius. 386.
Theophori varia acceptiones. 382.
Thesmotheta qui sint, & quinam inter eos adlegi possent? 229. 230. 621.
Theologia symbolica liber. 156.
Theologia maxima & minima. 163.
Thelogorum nomine appellati sunt Propheta. 193.
Theoxenia, Deorum festa. 593. col. 2.
Theutates Deus Gentilium. 275.
Thoma Aquinatis, ad lib. Dionysij Areop. De diuinis nominibus, aliquot hallucinationes ex mala interpretatione orta. 157. col. 2. 158. col. 1. & 2.
S. Thomas Aquinas citatus. 629. 631. 632. 633.
Thomas Gallus, siue Abbas Vercellensis. 632.
Throni nullo medio discunt à Deo. 184.
Throni à S. Maximo creduntur omnium supremi in caelo. 123. col. 1.
Thronorum descriptio. 123.
Thucydides citatus. 623.
S. Thyrsus Diaconus, S. Polycarpi discipulus. 502. 503. 504.
Timor Sanctorum. 322.
Timothei Patriarcha Alexandrini dictum egregium. 551.
S. Timotheus Paulli discipulus. 60. ad eum libros scripsit Dionysius. 206.
Timothei mors quo Imperatore acciderit? 558. 559.
S Timotheus est Angelus Ephesi, ad quem verba Apocalypseos cap. 2. diriguntur. 489. 558. 559.
Timotheus interfuit exequijs Diuae virginis. 206.
Timotheus post Paulli obitum ad Dionysium subsidij caussa se conuertit. 192.
Timotheus quanti factus à S. Dionysio. 88. ab eodem ob aetatem filius appellatur. Ibid.
Timotheus & Titus discipuli S. Paulli. 216.
Timotheus vocatur adolescens. 213. puer, filius. 216.
Titus & Timotheus consuluerunt S. Dionysium. 261.
Titus S. Paulli comes. 44.
S. Titus, Paulli discipulus. 60. 423.
Titum quanti fecerit Paullus. 214.
Tolle impios. vox Gentilium in Christianos. 506. 508. 513. 583. col. 1. 586. col. 2.
Tolosa, vrbs. 254.
Tormenta Ignatij pro fide summatim recensita. 405.
Traditio de Baptismo paruulorum. 197. 198.
Traditiones Apostolica. 198.
Traditiones Apostolica sunt duplices, quaedam scripta, quaedam non scripta. 128.
Traditionibus sacris obtemperandum. 352.
Translationis corporis S. Eugenij Toletum attestatio. 85.
Translationes plures corporis S. Ignatij. 336.
Traiani contra Dacos bella. 404.
Traiani consilium in Ignatio Romam deportando. 317.
Traiani salus à viris doctis propugnata. 421. refutata. 425.
Traiani studium in tuendis & amplificandis deorum honoribus. 404.
Traianus Germanicus, Dacicus, Parthicus appellatus. 44. Ab eodem Rex Parthis datus. Ibidem col. 1.
Traianus Persas repressit. Ibid. col. 2.
SS. Trinitatis compellatio in valedictione. 345.
SS. Trinitatis personarum expressio. 3 3.
SS. Trinitatis mysterium. 618.
SS. Trinitatis inuocatio. 87.
SS. Trinitatis personis quae sint communia. 140.
Troas, vrbs. 323. 406. col. 1. & 2.
Troade nec Ignatius, nec Paullus morati sunt. 412.
Troade Episcopus fuit Carpus Paulli discipulus. 250. col. 2.
S. Trophimus à Paullo ordinatus Episcopus. 47.
S. Trophimus primus Arelatensis Episcopus. 47.
Turris V. sacramenti Eucharistia, seu vasculum in formam turris. 504.
Tyranni promissis illicere conabantur Christianos ad apostasiam. 404.

V.

Valentino haeresiarchae opponit se Roma Polycarpus. 500. 575. col. 2. 576. col. 1.
Valentis Imp. Ariani persecutio. 519. 520.
Valuae aneae templi S. Hilarij, dum ad ornatum alterius templi transferuntur, altera in profundo Sequana demerguur & perditur. 94.
Vana gloria fuga. 132. 341.
Vanitati operata membra corrumpuntur, ceteris incorruptis. 105.
Varronis locus. 627.
Vaticinandi spiritus in S. Dionysio. 66.
Vedelius Minister Geneuensis refutatur. 444. col. 2. 448. 458. 459. 460. 463. col. 2.
Veli B. Virginis pars vbi? 53.
Venantius Fortunatus citatus. 629.
Venationes spectaculorum abominanda. 598.
Verba Seniorum, in Vitis Patrum. 645.
Verbi incarnatio ineffabilis. 89.
Verborum captatores carpuntur à S. Dionysio. 144.
Veritas. 13.
Veritas est via, vita, & lux. 17.
Veritatis spiritus. 311.
Vestis mutatio. 203.
Vexillum caelitus missum Gallis. 282.
Via regia ad profectum & perfectionem. 19. 304.
Via ad episcopatum regia. 294.
S. Victorinus Episc. & Mart. laudatus. 663. col. 1.
S. Victor Episcopus Capuae quaedam fragmenta S. Polycarpi conseruauit. 533.
Vidua pertenue munusculum admittit S. Polycarpus, & magni facit. 492.
Viduarum & senum cura in Polycarpo. 476.
Viduarum cura penes Episcopos esse debet. 311.
Viduitatis gradus. 481.
Vigilia in honorem S. Benigni Episcopi & martyris diuinitus imperata. 503.
Vigoris ecclesia restitutio post persecutionem. 310.
Vincentij Lirinensis locus insignis de pseudoapostolis. 403. col. 2.
Vincentius Bellouacesis correctus. 265. col. 2. 267. col. 1.
Vinum prodigiose auctum precibus S. Polycarpi. 442.
Virgilij locus 6. Aeneidos explicatus. 561. col. 2.
Virgines Deo consecrata. 356.
Virgines ad donum prophetiae cur aptiores quàm alij. 639.
Virgines & vidua quomodo honoranda. 355.
Virgines perpetua. 355.
Virgines Episcopis curae esse debent. 311.
Virginitas debet esse voluntaria. 480. 482.
Virginitas melior matrimonio. 35.

Virginitatem obseruantes primo sæculo. 355.
Virginitatem Polycarpus commendat. 549. col. 2.
Virginitatis seu Παρθενίας etymologica explicatio. 549. col. 2.
Virginitatis honos & commendatio. 480. 481. 482. 639. 642.
Virginitatis gradus. 481.
Virginum collegia commendata. 311. 355. 403.
Virginum & viduarum cura Heroni ab Ignatio demandata. 403.
Virtutum Angelicarum descriptio. 124.
Virtus siue Robur, Dei nomen. 153.
Visi, seu visiones, quibus credi potest. 590. col. 1.
Visiones quædam SS. Birgittæ & Mathildi falsò attributæ. 426.
VISIO S. Ignatij de successore in episcopatu. 525.
Visiones S. Carpi, discipuli S. Paulli. 59.
Visio diuina matri S. Gregorij Turonensis facta, tempore luis inguinariæ. 503.
Visi nocturni explicatio. 66.
Visum S. Regulo inter sacra mysteria obiectum. 79.
Vita, Dei nomen. 151.
Vita sollicita. 203.
Vitam malam exuere. 129.
Viuarium, vrbs Heluiorum, & Viuariensis ager. 581. col. 1.
Viuariensis ager in Gallia, S. Andeoli martyrio nobilitatus. 504.
Viuentium caussa, Deus. 151.
Viuere Ignatij erat Christus. 372.
Viuorũ exempla, magni sunt ad virtutẽ stimuli. 68.
Vlpiani locus de Thesmothetis. 250. col. 1.
Vlpius Syllanus. 395.
Vltio diuina ob effusum Martyrum sanguinem. 512.
Vnctio baptizandi. 129.
Vnguenti diuini vsus. 133.
Vnguenti compositio quid sit? 132.
Vnitas in Ecclesia seruanda & subordinatio. 350.
Vnitas ab omnibus participatur. 101.
Voluntatis Domini optatio. 383. col. 2. 584. col. 1.
Vota Gentilium in aduersis rebus 588. col. 1.
Vota nuncupata ab Ignatio de Loiola & socijs ante conditam & approbatam Societatem. 107.
Votum pium S. Dionysij. 13.
S. Vrsicini truncum corpus incedit. 275.
Vrsinus Bituricensium primus Episcopus. 174.
Vualpurgis vita à Philippo Episcopo Eystetensi scripta. 561.
Vxores plures præter voluntatem Dei primus Lamech accepit. 549. col. 2.
Vxores quomodo diligendæ? 356.
Vxor vnica esse debet vnius viri. 357.
Vxorum erga coniuges reuerentia. 357.

X.

XYstarches quid? 429.

Z.

ZEli inconsiderati exemplum. 33.
Zelus Phineæ. 250. col. 1.
Zelus Heliæ. 250. col. 1.
Zelus salutis animarũ in S. Ioanne Euãgelista. 497.
Zelus Ignatij in hæreticos. 343.
Zelus fidei. 23.
S. Zenas ob amorem Martyrum meruit & ipse martyrium. 410.
S. Zenonis Episcopi Veronensis locus de S. Thecla. 591. col. 2.

AD MAIOREM
DEI OPT. MAX. GLORIAM.

FINIS.

Errata quædam, quæ correctionem effugerunt, & necessariò corrigenda sunt.

PAg. 158. *col.* 2. in citat. marg. *ver.* 4. lege, *ver.* 9.
P. 161. col. 1. ver. 14. *Vt Rex*, lege, *Vt Rex Regum.*
P. 296. ver. 17. *Ne sis duplex*, adde, *animo.*
P. 354. ver. vlt. *decimam.* lege. *vicesimam.*
P. 335. ver. 37. *Agnothetam.* l. *agonothetam.*
P. 357. ver. 12. *Francia.* lege. *finitima Artesia & Francia.*
P. 407. col. 2. ver. 31. *Paullus.* l. *Paullum.*
P. 431. col. 1. ver. 30. *Is est*, *opinor.* &c. dele illam parenthesin.
P. 510. ver. 37 *sexagesimo.* l. *septuagesimo.*
P. 520. ad marginem, *Ecclesiastici.* l. *Ecclesiastæ.*
P. 525. col. 2. ad marginem. *Eccles.* l. *Ephes.*
P. 536. col. 1. ver. 18. *Et non iudicabimini.* l. *vt non iudicemini.*
P. 553. ver. 1. *Ephemia.* l. *Euphemia.*
P. 639. in marg. *Actor.* 1. lege. 21.

730

Digitized by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni Di Giacomo
Tel. 71650 - PESCARA
1975

Digitized by Google

Digitized by Google